This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

HARVARD DIVINITY SCHOOL
Andover-Harvard Theological Library

Migne, Jacques Paul

# PATROLOGIÆ

## CURSUS COMPLETUS,

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

**OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,**

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

*QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA CONCILII TRIDENTINI (ANNO 1545) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :*

**RECUSIO CHRONOLOGICA**

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

## SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III:

## ACCURANTE J.-P. MIGNE,

**Bibliothecæ cleri universæ,**

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. LATINA, JAM PENITUS EXARATA, QUOAD PRIMAM SERIEM VIGINTI-QUINQUE ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, MOXVE POST PERACTOS INDICES STABIT, AC QUINQUE-VIGINTI-CENTUM ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM UNA CUM VERSIONE LATINA LATERALIS AMPLECTITUR, ET AD NOVEM ET CENTUM VOLUMINA PERVENIT, SED SINE INDICIBUS; POSTERIOR AUTEM HANC VERSIONEM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA QUINQUE ET QUINQUAGINTA VOLUMINA RETINETUR. UTRAQUE VIGESIMA QUARTA DIE DECEMBRIS 1860 OMNINO APPARUERAT. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR: UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUJUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM INTEGRAM, SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM, 326 VOLUMINIBUS PRO AMPLIORI EDITIONE ET 272 PRO MINORI ABSQUE INDICIBUS CONSTANTEM, COMPARET NECESSE ERIT; SECUS ENIM CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT. ATTAMEN, SI QUIS EMAT INTEGRE ET SEORSIM COLLECTIONEM GRÆCO-LATINAM, VEL EAMDEM EX GRÆCO LATINE VERSAM, ÆTUM QUODQUE VOLUMEN PRO NOVEM VEL PRO SEX FRANCIS OBTINEBIT. ISTÆ CONDITIONES SERIEBUS PATROLOGIÆ NONDUM EXCUSIS APPLICANTUR.

*PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS CIV*

S. AGOBARDUS, EGINHARDUS ABBAS, CLAUDIUS TAURINENSIS, LUDOVICUS I, COGNOMENTO PIUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE, EDITOREM, IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MOENIA PARISINA.

1864

3R
20
M4
.164

# AVIS IMPORTANT.

D'après une des lois providentielles qui régissent le monde, rarement les œuvres au-dessus de l'ordinaire se font sans contradictions plus ou moins fortes et nombreuses. Les *Ateliers Catholiques* ne pouvaient guère échapper à ce cachet divin de leur utilité. Tantôt on a nié leur existence ou leur importance; tantôt on a dit qu'ils étaient fermés ou qu'ils allaient l'être. Cependant ils poursuivent leur carrière depuis 21 ans, et les productions qui en sortent deviennent de plus en plus graves et soignées : aussi paraît-il certain qu'à moins d'événements qu'aucune prudence humaine ne saurait prévoir ni empêcher, ces Ateliers ne se fermeront que quand la *Bibliothèque du Clergé* sera terminée en ses 2,000 volumes in-4°. Le passé paraît un sûr garant de l'avenir, pour ce qu'il y a à espérer ou à craindre. Cependant, parmi les calomnies auxquelles ils se sont trouvés en butte, il en est deux qui ont été continuellement répétées, parce qu'étant plus capitales, leur effet entraînait plus de conséquences. De petits et ignares concurrents se sont donc acharnés, par leur correspondance ou leurs voyageurs, à répéter partout que nos Editions étaient mal corrigées et mal imprimées. Ne pouvant attaquer le fond des Ouvrages, qui, pour la plupart, ne sont que les chefs-d'œuvre du Catholicisme reconnus pour tels dans tous les temps et dans tous les pays, il fallait bien se rejeter sur la forme dans ce qu'elle a de plus sérieux, la correction et l'impression; en effet les chefs-d'œuvre même n'auraient qu'une demi-valeur, si le texte en était inexact ou illisible.

Il est très-vrai que, dans le principe, un succès inouï dans les fastes de la Typographie ayant forcé l'Editeur de recourir aux mécaniques, afin de marcher plus rapidement et de donner les ouvrages à moindre prix, quatre volumes du double *Cours d'Ecriture sainte et de Théologie* furent tirés avec la correction insuffisante donnée dans les imprimeries à presque tout ce qui s'édite; il est vrai aussi qu'un certain nombre d'autres volumes, appartenant à diverses Publications, furent imprimés ou trop noir ou trop blanc. Mais, depuis ces temps éloignés, les mécaniques ont cédé le travail aux presses à bras, et l'impression qui en sort, sans être du luxe, attendu que le luxe jurerait dans des ouvrages d'une telle nature, est parfaitement convenable sous tous les rapports. Quant à la correction, il est de fait qu'elle n'a jamais été portée si loin dans aucune édition ancienne ou contemporaine. Et comment en serait-il autrement, après toutes les peines et toutes les dépenses que nous subissons pour arriver à purger nos épreuves de toutes fautes? L'habitude, en typographie, même dans les meilleures maisons, est de ne corriger que deux épreuves et d'en conférer une troisième avec la seconde, sans avoir préparé en rien le manuscrit de l'auteur.

Dans les *Ateliers Catholiques* la différence est presque incommensurable. Au moyen de correcteurs blanchis sous le harnais et dont le coup d'œil typographique est sans pitié pour les fautes, on commence par préparer la copie d'un bout à l'autre sans en excepter un seul mot. On lit ensuite en première épreuve avec la copie ainsi préparée. On lit en seconde de la même manière, mais en collationnant avec la première. On fait la même chose en tierce, en collationnant avec la seconde. On agit de même en quarte, en collationnant avec la tierce. On renouvelle la même opération en quinte, en collationnant avec la quarte. Ces collationnements ont pour but de voir si aucune des fautes signalées au bureau par MM. les correcteurs, sur la marge des épreuves, n'a échappé à MM. les corrigeurs sur le marbre et le métal. Après ces cinq lectures entières contrôlées l'une par l'autre, et en dehors de la préparation ci-dessus mentionnée, vient une révision, et souvent il en vient deux ou trois; puis l'on cliche. Le clichage opéré, par conséquent la pureté du texte se trouvant immobilisée, on fait, avec la copie, une nouvelle lecture d'un bout de l'épreuve à l'autre, on se livre à une nouvelle révision, et le tirage n'arrive qu'après ces innombrables précautions.

Aussi y a-t-il à Montrouge des correcteurs de toutes les nations et en plus grand nombre que dans vingt-cinq imprimeries de Paris réunies! Aussi encore, la correction y coûte-t-elle autant que la composition, tandis qu'ailleurs elle ne coûte que le dixième! Aussi enfin, bien que l'assertion puisse paraître téméraire, l'exactitude obtenue par tant de frais et de soins, fait-elle que la plupart des Editions des *Ateliers Catholiques* laissent bien loin derrière elles celles même des célèbres Bénédictins Mabillon et Montfaucon et des célèbres Jésuites Petau et Sirmond. Que l'on compare, en effet, n'importe quelles feuilles de leurs éditions avec celles des nôtres qui leur correspondent, en grec comme en latin, on se convaincra que l'invraisemblable est une réalité.

D'ailleurs, ces savants éminents, plus préoccupés du sens des textes que de la partie typographique et n'étant point correcteurs de profession, lisaient, non ce que portaient les épreuves, mais ce qui devait s'y trouver, leur haute intelligence suppléant aux fautes de l'édition. De plus les Bénédictins, comme les Jésuites, opéraient presque toujours sur des manuscrits, cause perpétuelle de la multiplicité des fautes, pendant que les *Ateliers Catholiques*, dont le propre est surtout de ressusciter la Tradition, n'opèrent le plus souvent que sur des imprimés.

Le R. P. De Buch, Jésuite Bollandiste de Bruxelles, nous écrivait, il y a quelque temps, n'avoir pu trouver en dix-huit mois d'étude, *une seule faute* dans notre *Patrologie latine*. M. Denzinger, professeur de Théologie à l'Université de Wurzbourg, et M. Reissmann, Vicaire Général de la même ville, nous mandaient, à la date du 19 juillet, n'avoir pu également surprendre *une seule faute*, soit dans le latin soit dans le grec de notre double *Patrologie*. Enfin, le savant P. Pitra, Bénédictin de Solesme, et M. Bonetty, directeur des *Annales de philosophie chrétienne*, mis au défi de nous convaincre d'une seule erreur typographique, ont été forcés d'avouer que nous n'avions pas trop présumé de notre parfaite correction. Dans le Clergé se trouvent de bons latinistes et de bons hellénistes, et, ce qui est plus rare, des hommes très-positifs et très-pratiques, eh bien! nous leur promettons une prime de 25 centimes par chaque faute qu'ils découvriront dans n'importe lequel de nos volumes, surtout dans les grecs.

Malgré ce qui précède, l'Editeur des *Cours complets*, sentant de plus en plus l'importance et même la nécessité d'une correction parfaite pour qu'un ouvrage soit véritablement utile et estimable, se livre depuis plus d'un an, et est résolu de se livrer jusqu'à la fin à une opération longue, pénible et coûteuse, savoir, la révision entière et universelle de ses innombrables clichés. Ainsi chacun de ses volumes, au fur et à mesure qu'il les remet sous presse, est corrigé mot pour mot d'un bout à l'autre. Quarante hommes y sont ou y seront occupés pendant 10 ans, et une somme qui ne saurait être moindre d'un demi million de francs est consacrée à cet important contrôle. De cette manière, les Publications des *Ateliers Catholiques*, qui déjà se distinguaient entre toutes par la supériorité de leur correction, n'auront de rivales, sous ce rapport, dans aucun temps ni dans aucun pays; car quel est l'éditeur qui pourrait et voudrait se livrer APRÈS COUP à des travaux si gigantesques et d'un prix si exorbitant? Il faut certes être bien pénétré d'une vocation divine à cet effet, pour ne reculer ni devant la peine ni devant la dépense, surtout lorsque l'Europe savante proclame que jamais volumes n'ont été édités avec tant d'exactitude que ceux de la *Bibliothèque universelle du Clergé*. Le présent volume est du nombre de ceux révisés, et tous ceux qui le seront à l'avenir porteront cette note. En conséquence, pour juger les productions des *Ateliers Catholiques* sous le rapport de la correction, il ne faudra prendre que ceux qui porteront en tête l'avis ici tracé. Nous ne reconnaissons que cette édition et celles qui suivront sur nos planches de métal ainsi corrigées. On croyait autrefois que la stéréotypie immobilisait les fautes, attendu qu'un cliché de métal n'est point élastique; pas du tout, il introduit la perfection, car on a trouvé le moyen de le corriger jusqu'à extinction de fautes. L'Hébreu a été revu par M. Drach, le Grec par des Grecs, le Latin et le Français par les premiers correcteurs de la capitale en ces langues.

Nous avons la consolation de pouvoir finir cet *avis* par les réflexions suivantes : Enfin, notre exemple a fini par ébranler les grandes publications en Italie, en Allemagne, en Belgique et en France, par les *Canons grecs* de Rome, le *Gerdil* de Naples, le *Saint Thomas* de Parme, l'*Encyclopédie religieuse* de Munich, le recueil des *déclarations des rites* de Bruxelles, les *Bollandistes*, le *Suarez* et le *Spicilége* de Paris. Jusqu'ici, on n'avait su réimprimer que des ouvrages de courte haleine. Les in-4°, où s'engloutissent les in-folio, faisaient peur, et on n'osait y toucher, par crainte de se noyer dans ces abîmes sans fond et sans rives; mais on a fini par se risquer à nous imiter. Bien plus, sous notre impulsion, d'autres Editeurs se préparent au *Bullaire* universel, aux *Décisions* de toutes les Congrégations, à une *Biographie* et à une *Histoire* générale, etc., etc. Malheureusement, la plupart des éditions déjà faites ou qui se font, sont sans autorité, parce qu'elles sont sans exactitude; la correction semble en avoir été faite par des aveugles, soit qu'on n'en ait pas senti la gravité, soit qu'on ait reculé devant les frais; mais patience! une reproduction correcte surgira bientôt, ne fût-ce qu'à la lumière des écoles qui se sont faites ou qui se feront encore.

TRADITIO CATHOLICA.

*SÆCULUM IX. ANNUS 840.*

# S. AGOBARDI

## LUGDUNENSIS EPISCOPI,

# EGINHARDI ABBATIS

# OPERA OMNIA

JUXTA EDITIONES GALLANDI, BALUZII, BOUQUETI, PERTZII, ETC., NOVISSIME AD PRELUM REVOCATA.

ACCEDUNT

# CLAUDII TAURINENSIS

OPUSCULA QUÆ SUPERSUNT, AD COLLECTIONES ANTONII, TROMBELLI, MAII, MABILLONII, RICH. SIMONIS, LABBEI, RECOGNITA.

TOMUM CLAUDUNT

## LUDOVICI I COGNOMENTO PII

## NEC NON FILIORUM EJUS

SCRIPTA, DIPLOMATA SCILICET ECCLESIASTICA ET EPISTOLÆ,

EX VARIIS COLLECTIONIBUS HAUSTA, DIGESTA SECUNDUM ORDINEM CHRONOLOGICUM, ET NUNC PRIMUM IN UNUM COADUNATA.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1864

TRADITIO CATHOLICA.

*SÆCULUM IX. ANNUS* 840.

# ELENCHUS

**AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CIV CONTINENTUR.**


S. AGOBARDUS EPISCOPUS LUGDUNENSIS.

Liber adversus Felicem Urgellensem. — Liber de Insolentia Judæorum. — Sancti Agobardi, Bernardi et Eaof, episcoporum, epistola de Judaicis Superstitionibus. — Consultatio de baptismo Judaicorum mancipiorum. — Epistola De cavenda societate Judaica. — Liber adversus legem Gundobadi. — Liber de Privilegio et Jure sacerdotii. — Liber de Grandine et Tonitruis. — Liber adversus Fredegisum. — Epistola ad proceres palatii contra præceptum impium de baptismo Judaicorum mancipiorum. — Epistola ad Bartholomæum episcopum de quorumdam illusione signorum. — Epistola ad Matfredum procerem palatii, deploratoria de injustiis. — Epistola ad clericos et monachos Lugdunenses de modo regiminis ecclesiastici. — Liber de imaginibus sanctorum. — Liber de Dispensatione ecclesiasticarum rerum. — Liber de divinis Sententiis. — Sermo exhortatorius ad plebem. — Flebilis epistola de divisione imperii Francorum inter filios imperatoris. — Liber de Comparatione regiminis ecclesiastici et politici. — Liber apologeticus pro filiis Ludovici Pii imp. adversus patrem. — Chartula ad Lotharium Aug. — Epistola ad Ebbonem episcopum Rhemensem, de spe et timore. — Liber de divina Psalmodia. — Liber de Correctione Antiphonarii. — Liber adversus Amalarium. — Carmina. *Col.* 29-351

EGINHARDUS ABBAS

Vita et conversatio gloriosissimi imp. Caroli regis Magni. — Annales Laurissenses et Eginhardi. — Epistolæ. — Historia translationis BB. Marcellini et Petri. — Chartæ. — Appendix. 351-609

CLAUDIUS TAURINENSIS EPISCOPUS.

Præfatio in libros Informationum litteræ et spiritus; liber primus Informationum — XXX Quæstiones super libros Regum. — Præfatio in Catenam super S. Matthæum. — Præfatio in Commentarios suos ad Epistolas B. Pauli apostoli. — Præfatio Expositionis in Epist. ad Ephesios. — Enarratio in Epist. ad Galatas. — Expositio Epist. ad Philemonem. — Brevis Chronica. — Excerpta quædam ex Commentariis in Epistolas B. Pauli apostoli; Elogium S. Augustini. 609-927

LUDOVICUS I, COGNOMENTO PIUS.

Diplomata ecclesiastica. — Epistolæ. 979-1331

Index in sanctum Agobardum. 1331-1345

Ordo rerum. 1345-1352


Parisiis. — Ex Typis J.-P. MIGNE.

ANNO DOMINI DCCCXL.

# S. AGOBARDUS,

## EPISCOPUS LUGDUNENSIS.

## NOTITIA HISTORICA IN SANCTUM AGOBARDUM.

[Galland. Biblioth. vet. Patrum.]

A Satis multa de Agobardo scriptores ad nos. Fuit ille natione Gallus, et ortus est anno 779, ut a Mabillonio docemur (*a*). Mox Hispaniam petiit, unde digressus anno 783, in Narbonensem Galliam delatus est. Anno 813 cum Leidradus sese in monasterium Suessionense contulisset, sedi Lugdunensi administrandæ præfectus est, quam anno insequenti 814 tanquam propriam Leidrado vita functo obtinuit ad annum usque 840 vel 841, quo VIII Idus Junias (*b*) apud Sanctonas vitam cum morte commutavit. Anno 818 edito ad imperatorem Ludovicum libro, Felicis Urgellitani errores confutavit. In Judæorum petulantiam acrius desæviit, datis etiam ex Lugdunensi synodo an. 829 litteris supplicibus ad ipsum imperatorem.

Lothario et Pippino filiis adversus Ludovicum patrem aperte arma moventibus (*c*), ab anno 833 ac deinceps varia fortuna usus est. « *Agobardus enim a fide principis avulsus, accendit consilio juvenilem Lotharii animum. Convocatur concilium, ubi de eripiendo patri diademate audacissime quisque contendit* (*d*). » Anno 834 excluso a Galliis Lothario a Ludovico patre, Agobardus sese illi erroris comitem junxit. Neque facti apologia omnibus rhetoricæ pigmentis ornata, neque probitas viri cætera virtutibus clari efficere potuerunt quin deponeretur (*e*) in conventu ad Theonis Villam anno 835, cui tamen nullus alius suffectus est. Anno 837, relicto Lothario, in Galliam reversus Ludovico iterum reconciliatus est, quem anno 840 vel 841, ad Rhenum prosecutus, apud Sanctonas diem obiit supremam.

Nemo est qui scientiam ac doctrinam Agobardi non commendet, Massonus, Fabricius, Baluzius, Cavæus, alii. Illius opera forte fortuna invenit Massonus apud quemdam Lugdunensem bibliopegum, mox dilaceranda, nisi vir eruditus e manibus ejus arripuisset, quæ postea vulgavit Parisiis anno 1605. Hunc subinde imitatus Stephanus Baluzius anno 1666, novam eorumdem Operum editionem notis adornatam diligentissime procuravit. Nos Baluzianam editionem iterum excudendam decrevimus.

Scripta Agobardi recensent Dupinius et Cavæus : qui tamen iniquior est aliquanto in eum propter libellum de Picturis et Imaginibus. Cum enim cæteri omnes, Massonum puta, Baluzium, Raynaudum, Mabillonium, Cointium aliosque emunctæ profecto naris homines, Agobardi dicta emolliri ac in bonum sensum accipi posse contendant, Cavæus solus in alia omnia abiisse maluit. Nihil tamen vel Hercules contra duos. Nam illud satis constat : 1. Gallos per ea tempora divisos in hac parte fuisse diversis studiis (*f*). 2. Canonem secundum conc. Francofurt. an. 794, in quo Patres illi videntur Nicænam synodum secundam damnasse, nuspiam reperiri nisi in cod. S. Remigii, in quo et intrusus videatur aliena manu (*g*). 3. Veritos maxime Francos, ne imperium quod ad illos pervenerat, ex eo quod imaginum cultum maxime tuiti et patrocinati B fuerant, ut apud historicos est in confesso, ad Græcos iterum relaberetur, si apud illos cultus earum restitueretur. Non igitur Francorum mens erat Iconoduliam impugnare sensu a catholicis Occidentalibus intellecto; sed rem suam agebant quo modo cunque poterant, etiam traducendo cultum illarum tanquam a Græca synodo ad veram latriam revocatum. Erant igitur qui politica ratione Nicænum concilium admittendum non esse vellent, erant qui et religiosa, tametsi a veritate aberrante. Quid mirum ergo si Agobardus, in religiosa animi sententia cæteroquin vehemens, ratus fortasse revera latriæ cultum imaginibus decretum fuisse a synodo Nicæna, et ut Francorum imperii utilitati serviret, longius aliquanto quam par erat in verbis abreptus fuerit? Plura videsis apud laudatum Berardum. Nihil ergo mirum si Agobardus *sancti* nomine censeatur in veterum Martyrologiis, cum et revera pius esset admodum, nec contra verum imaginum cultum sentiret, in principem vero humanitus peccaverit.

C

(*a*) Itin. Ital., sect. XIV, pag. 68.
(*b*) Ado in Chron. ad an. 815; Hugo Floriac. in Chron. ad an. 841, et Chron. S. Remigii Divion.
(*c*) Uspergens. in Chron.
(*d*) Papyrius Massonus in Vita Agobardi.
(*e*) Aventin. Ann. Bojar., lib. IV.
(*f*) Videsis Berardum in Can. Gratian., part. I, cap. 43, et part. II, cap. 71, ad can. 6, dist. 37.
(*g*) Baluz., ad Capit. tom. II, pag. 753.

## BALUZII PRÆFATIO

### EDITIONI SUÆ OPERUM SANCTI AGOBARDI PRÆFIXA.

Proximo anno, cum Lupi abbatis Ferrariensis D opera ederentur, conquestus sum aliquantulum de indiligentia incuriaque Papirii Massoni in edendis veterum scriptorum lucubrationibus. Nunc vero in principio hujus præfationis lubet deplorare meam sortem, quod iterum de viro clarissimo conqueri

cogor, et id quidem acrius ac vehementius quam factum est in Præfatione ad Lupum. Nam si quis unquam scriptor habitus est indiligenter, id profecto contigit Agobardo; cum certum sit nullam ferme lineam esse in editione Massoni, qui primus illum edidit, quæ non aliquid diversum habeat a veteri codice quo Massonus utebatur; adeo ut Lupus, alioqui conspurcatissimus, emendatissimus fuisse videatur in comparatione Agobardi. Itaque cum magna viri fama sit, plurimumque se illi debere quotidie profiteantur homines eruditi; plenum aleæ opus ac plane periculosum mihi suscepisse videor, qui negligentiam ejus incuriamque prodere destinaverim. Sed tamen illa spes me solatur, quod tu ac tui similes, lector erudite, dabitis lubenter veniam huic meæ audaciæ, huncque laborem meum æqui bonique consuletis, cum intellexeritis necessariam prorsus fuisse hanc curam meam; id quod facile tibi persuadebis, lector, postquam ex collatione hujus nostræ editionis cum Massoniana agnoveris quam deformatus antea decoloratusque fuerit Agobardus, innumerisque propemodum locis videris emendatum.

Damus igitur tibi novam Agobardi editionem, emendatam ad fidem codicis quo Massonus est usus, quem nobis ex bibliotheca Regia subministravit vir illustrissimus Nicolaus Colbertus episcopus Lucionensis. Ac ne quis dubitet quin is sit siremps Massoni liber, hæc in fronte codicis scripta sunt manu illustr. viri Jac. Augusti Thuani : *Ex libris Papirii Massoni.* Tum manu Joannis Baptistæ Massoni, qui librum illum bibliothecæ Regiæ dono dedit, ista totidem litteris adjecta sunt : *Hæc Agobardi opera ms. a Papirio Massono in lucem edita, ad majorem illius editionis fidem bibliothecæ Regiæ dodo dedi ego Joan. Bapt. Massonus, regis eleemosynarius, Papirii frater*, XVI *Julii, anno salutis millesimo sexcentesimo decimo octavo.* LE MASSON. Quod ideo visum est adnotare, ut omnibus constet hanc nostram editionem esse procuratam ad fidem ejusdemmet codicis quo Massonus utebatur. Magnam porro gratiam debemus omnes Massono, ob servatum Agobardum. Nam cum is, ut ipse scribit in epistola ad Ecclesiam Lugdunensem, Lugduni in vico Mercium libros quæreret, et apud compactorem librorum versaretur ejus rei causa, compactorque ille Agobardi codicem in membranis perscriptum veteribus notis dilaniare paratus esset, cultrumque ad eam carnificinam manu teneret, vitam illi redemit Massonus, numerato videlicet pretio libri.

Præterea admonendus es, lector, non adeo scrupulosum fuisse me in hac editione, ut non interdum auctorem hunc nostrum emendaverim ex ingenio, ubi occasio tulit, id est, ubi turbata videbatur Agobardi sententia in veteri codice, emendatioque facilis et obvia erat. Quos errores cum librarii esse viderem, non vero Agobardi, optimum factu putavi si tollerem : nec puto quemquam, cui mens sana sit, ægre laturum. Quanquam si emendatio quæpiam sic tentata videretur alicujus momenti, non dissimulavi emendationem esse meam, ne quem hic deciperet vetusti codicis auctoritas. Præcipue vero hanc regulam constanter ac summa fide servavi in libris editis in causa discidii inter Ludovicum Pium imperatorem filiosque ejus, quos libros emendavi ad fidem codicis manuscripti; aut si quid ex recepta lectione mutavi proprio marte, non tacui inter notas. Res enim videbatur esse magni momenti.

Exhibet autem hæc editio, præter vulgatas jam olim Agobardi lucubrationes, librum ejus adversus quatuor libros Amalarii de divinis Officiis, hactenus ineditum : qui quonam modo ad me pervenerit, paucis expediam. Forte vir clarissimus Antonius Vion Herovallius, ut est prono erga hæc studia animo, mecum communicavit schedam quamdam, in qua continebatur elenchus nonnullarum lucubrationum quorumdam veterum scriptorum, quæ nondum editæ fuerant, et exstare dicebantur penes clarissimum virum Petrum Franciscum Chiffletium presbyterum e societate Jesu, qui nunc Divione commoratur. Et erat scriptus elenchus manu Chiffletii. Tum ego plurimum confidens de humanitate viri, epistolam ad eum scripsi, eumque rogavi ut exemplum Agobardicæ illius lucubrationis ad me mitteret, ut cum cæteris clarissimi scriptoris Operibus edi posset. Fecit lubens, ac statim misit. Interim ea de re scripsi ad clarissimum virum, quo ego amico gloriabar, Franciscum Solleiselum Clapierium patricium Lugdunensem, qui nuper e vita excessit apud Lugdunum. Is ergo cum intellexisset veterem codicem unde Chiffletius hunc librum descripserat, exstare in bibliotheca Petri Marnæsii senatoris Gratianopolitani canonicique Viennensis, viri clarissimi ac nobilissimi, ac divini humanique juris, ut scribebat Clapierius, callentissimi, eum ad se deferri curavit Lugdunum, et hinc Lutetiam ad me statim pro sua erga me amicitia transmisit, ut mox dicam.

Enimvero putabam hanc editionem posse incipi statim post Pascha, ac perfici demum mense Junio. Sed spes habendi codicis Marnæsiani, quam certam faciebat Clapierius, moram huic negotio attulit. Accessit huic incommodo malum multo gravius, ingens oculorum morbus, adeoque gravis, ut etiam timendum mihi fuerit ne oculos perderem, aut saltem alterutrum amitterem. Sed Dei providentia factum est ut huic quoque malo finis optatus daretur. Itaque postquam ex hac ægritudine emersi, neque enim audeo dicere convaluisse me, delatus est ad me liber Marnæsii, is ipse nimirum quem Chiffletius viderat. Nam in eo scriptum erat librum fuisse ex bibliotheca monasterii Bonevallensis in diœcesi Viennensi. Prima ergo mihi cura fuit ut librum Agobardi adversus Amalarium conferrem cum apographo Chiffletii; tum, ut librum de privilegio et jure sacerdotii, qui in eo quoque codice scriptus erat, cum editione Massoni similiter conferrem. Contuli etiam, ut hoc quoque obiter moneam, epistolas Aviti episcopi Viennensis cum editione Sirmondi, meliori fortean luce aliquando donandas. Et non ita multo post remissus est liber ad Clapierium, domino suo bona fide reddendus.

Addidi autem huic editioni, ne quid hic deesse conqueri posses, lector, epistolam Papirii Massoni ad Ecclesiam Lugdunensem, itemque præfationem ejus ad Agobardum, et synopsim Operum Agobardi. Verum illud te monere velim, permulta esse in his Massoni lucubrationibus, quæ neque conveniunt moribus sæculi Agobardici, neque congruunt historiæ illorum temporum. Sed hæc ad vivum excutere noluimus. Si quid tamen illic repereris quod notis nostris contrarium sit, existimare omnino debes id totum esse contrarium veritati.

Hæc sunt, lector, de quibus te monendum esse putavi. Vides autem dare me sedulo operam ne falsam exspectationem tuam. Nam qui proximo anno promiseram novas editiones nonnullorum veterum scriptorum, et in his Agobardi, fidem meam, quam tibi obstrictam sciebam, vel hac editione liberare volui.

# ELOGIA DE AGOBARDO.

*Ex epistola Ludovici et Lotharii AA. præfixa concilio Paris. anni* 829.

Tertio vero apud Lugdunum; ubi Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus, cum suffraganeis suis, similiter conveniant.

*Ex præcepto Ludovici et Lotharii impp. pro monasterio Besuensi, quod editum est a clariss. viro domno Luca Dacherio in tomo I Spicilegii, pag.* 507.

Sed et constitutionis chartulam, quam ipse (id est Albericus episcopus Lingonensis) una per consensum metropolitani sui Agobardi archiepiscopi et suffraganeorum suorum, necnon et cleri sibi subjecti, et quorumdam laicorum nobilium confirmaverat, nobis ostendit, etc.... Actum anno ab incarnatione Domini octingentesimo trigesimo, indictione 8, epacta 15.

*Ex charta Alberici episcopi Lingonensis pro eodem monasterio, edita ab eodem Dacherio, pag.* 509.

Ideoque per consilium archiepiscopi nostri Agobardi, et consentientibus coepiscopis nostris, necnon et piissimis nostris principibus, seu omni clero, necnon et omnibus fidelibus Ecclesiæ nostræ, addidimus de episcopatu nostro villas his nominibus, etc.... *Infra:* Actum Lingonis civitate publica. In Christi nomine Agobardus Lugdunensis Ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.

*Ex præcepto Ludovici Pii imperatoris pro monasterio Anianensi, quod ab eodem Dacherio editum est in notis ad Guibertum abbatem B. Mariæ de Novigento, pag.* 623.

Proxime accidit Agobardum archiepiscopum ad nostram devenisse præsentiam, indicans nobis quomodo eo præsente et Nibridio archiepiscopo, sine mora omnes pari consensu Tructesindum super vos elegissetis abbatem.

*Vetus auctor Vitæ Ludovici Pii imperatoris, ad annum* 835.

Transegit ergo imperator maximam partem hiberni temporis Aquisgrani, indeque profectus est ad Theodonisvillam ante Natalem Domini; ubi etiam populus, cui præceptum fuerat, advenit. Ubi consistens, contra quosdam episcopos de sui dejectione conquerebatur. Sed cum quidam in Italiam confugissent, quidam vocati obedire noluissent, solus Ebo eorum qui impetebantur adfuit. Qui cum rationis reddendæ causa super talibus urgeretur, causabatur se solum relictis omnibus, in quorum præsentia hæc facta fuerant, urgeri. At vero cæteri episcopi, cum obtenderent necessitatem præsentiæ, excusarent autem voluntatem innocentiæ, idem Ebo tandem moleste ferens talibus extædiari, consilio petito aliquorum episcoporum, ipse in se quamdam confessionem prædicavit; confirmavitque se et indignum sacerdotio; et irrevocabiliter eo abstinere judicavit, quod et episcopis et per eos imperatori contradidit. Quo facto, Agobardus Lugdunensis archiepiscopus, qui evocatus ad satisfactionem venire distulit, cum ter esset evocatus, ab Ecclesiæ præsulatu semotus est, cæteris, ut diximus, in Italiam fugientibus.

*Idem auctor ad annum* 836.

Proximum huic placito conventum imperator in pago Lugdunensi habuit tempore æstivo, in loco qui vocatur Stramiacus, cum Pippino et Ludovico filiis. Nam quod Lotharius non adfuit, invalentia ægritudinis supradictæ obfuit. In quo causam Ecclesiarum Lugdunensis atque Viennensis vacantium ventilari fecit; eo quod episcopi dudum illarum, Agobardus quidem jussus ad rationem non venerit reddendam,

A Bernardus autem Viennensis adfuerit quidem, sed rursus fugam inierit. Sed hæc quidem res imperfecta remansit, propter absentiam, ut prædictum est, episcoporum.

*Walfridi Strabi versus ad Agobardum episcopum Lugdunensem.*

Dum vix ter senos habuissem temporis annos,
Ad vos nomen iit, o Pater alme, meum.
Pervenisse scio, quando rescripta recepi,
Quæ magni nobis instar amoris erant.
Si meministis enim quia nam meminisse potestis,
Gaudeo, et ut memores sitis ubique rogo.
Ipse amor ardet adhuc animis, viget ipsa voluntas
Visendi temet, atque tuo ore frui.
Æthiopum si regna calens [*F.* colens], si rura Sabæa
Liquit regina, ut Salomona petat;
Cur nos non potius, quibus altera regna parantur,
In solo auctoris semper amore sumus?
B Nam, fateor, si certa mihi nunc optio detur
Ut capiam mundi dona vel ingenii;
Otia liberius verum secura sciendi
Aurea quam sæcla, sed peritura, sequar.
At de flore novo, qui vos penes ortus odorem
Prodit ubique sui, hæc loca rumor alit.
Flora venit quondam, dum singula quæque deorum
Sunt affata jugis prata thymumque gerens.
Huic Floro melius sententia Christicolarum
Attribuit quidquid dogmate et ore viret.
Nam hic Florus florem sequitur de germine Jesse,
Et tradit quod amans attulit ille homini.
Quæ tam segnis erit, donis ingrata supernis,
Quæ se hoc non sponte nectare pascat apes?
Floreat haud flaccens hic flos, et florea flagrans
Spiramenta ferat semper ubique Deo,
Donec in astriferas porrecta cacumina sedes
Erigat, et fructum jam sine fine habeat.
Cedant ambrosiæ, rosa, lilia, spica, crocusque,
C Suavia cuncta simul. Hujus amor placeat.
Hoc fruar, hoc utar, fovear, delecter, abundem;
Auditu et visu hujus alar, doccar.
Det quandoque Deus nos mutua dona vicissim
Impertiri. Aliquid pars utriusque metet.
Munere divino precor o sine fine valete,
Mittentes vestræ dulcia scripta vicis.

*Ado Viennensis in Chronico, ad an.* 810.

Bernardus Viennensis episcopus erat, et Leidradus Lugdunensis, qui initio imperii Ludovici imperatoris Suessionis monasterii locum petiit; et in loco ejus Agobardus ejusdem Ecclesiæ coepiscopus, consentiente imperatore et universa Galliorum episcoporum synodo, episcopus substitutus est. Quod quidam defendere volentes, dixerunt eumdem venerabilem Agobardum a tribus episcopis in sede Lugdunensi, jubente Leidrado, fuisse ordinatum. Sed canonica auctoritas est in una civitate duos episco-
D pos non esse, nec vivente episcopo successorem sibi debere eligere; ac idcirco ulla quacunque causa regulæ Ecclesiæ præteriri in tanto ordine fixæ non debent.

*Idem auctor ad an.* 815.

Bernardus adhuc et Agobardus Viennensem Ecclesiam regebant. Qui ambo apud imperatorem delati, desertis Ecclesiis in Italiam ad filium imperatoris Lotharium se contulerunt; et postmodum, piis imperatoribus agentibus, Agobardus Lugdunensem, Bernardus Viennensem sedem recipit. Post paucolos annos Agobardus apud Sanctonas in expeditione regia positus defungitur.

*Flodoardus, lib.* II *Hist. Rhem., cap.* 20.

Anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo tricesimo quarto Lotharius territus conventu fratrum suorum ac plurimorum fidelium patris imperatoris, fuga lapsus, patrem suum adhuc ab ingressu ecclesiæ sequestratum dimisit. Cum quo inter alios etiam quidam episcopi, fautores ipsius in adversitate patris sui, relictis contra sacras regulas sedibus suis, perrexerunt, Jesse videlicet Ambianensis, et Hereboldus Antissiodorensis, AGOBARDUS Lugdunensis, et Bartholomæus Narbonensis episcopus.

*Ex Chronico Hugonis Flaviniacensis.*

Leidradus vero in initio imperii Ludovici imperatoris Suessionense monasterium petiit; et in loco ejus AGOBARDUS substituitur ejusdem Ecclesiæ chorepiscopus, consentiente imperatore et omni Gallicanorum episcoporum synodo. Quod quidam defendere volentes, dixerunt eum a tribus episcopis in sede Lugdunensi jubente Leidrado fuisse ordinatum. Hic igitur Agobardus et Bernardus Viennensis apud Ludovicum accusati, desertis Ecclesiis in Italiam ad Lotharium se contulerunt. Sed agentibus piis imperatoribus uterque sedem suam recepit. Et post paucos annos Agobardus apud Sanctonas in expeditione regia defungitur.

*Ex eodem Chronico, ad annum* 841.

Eodem anno AGOBARDUS Lugdunensis episcopus obiit.

*Ex Chronico S. Benigni Divionensis, edito a R. P. Phil. Labbeo, ad an.* 840.

Hoc anno, sanctæ memoriæ AGOBARDUS Lugdunensis episcopus obiit VIII Idus Junii.

*Ex Martyrologio Ecclesiæ Lugdunensis.*

VIII Idus junias. Lugduni, AGOBARDI episcopi et confessoris, vulgo *S. Agobo*.

*Ex Martyrologio ms. monasterii sancti Claudii.*

VIII Idus Junii. Depositio beati AGOBARDI Lugdunensis episcopi.

## PAPIRII MASSONI PRÆFATIO AD AGOBARDUM,

EDITA ANNO MDCV.

Sanctæ et illustri Lucdunensi Ecclesiæ Papirius Massonus jurisconsultus salutem.

Sub Antonino Vero Cæsare, Galliæ urbes facile principes, et quæ præter cæteras præstare dicebantur, erant Lucdunum et Vienna, ad confluentes Rhodani et Araris notissimorum fluminum sitæ; ubi Claudium Cæsarem Suetonius, et ante eum Seneca, natum prædicant. Et Lucduni quidem nundinæ celebrabantur, quæ propter frequentiam hominum ex omnibus eo gentibus commeantium, magnæ ubique famæ, laudari prædicarique consueverant. Eusebius Cæsariensis libro quinto ecclesiasticæ Historiæ superiora commemorat: simul ait Photinum beatissimum virum, illius urbis episcopum, anno ætatis nonagesimo et amplius, pro Christo multa passum, in carcere in quem a militibus conjectus esset, excessisse e vita. Nec multo post Deus illi præclarum successorem dedit Irenæum, vitæ sanctitate et scientia admirandum, ut Opera ejus ostendunt, idque idem scriptor multa de eo et illustria referens narrat. Post quem magni nominis fuit Verissimus, is qui Sardicensi synodo interfuit solus ex episcopis Galliarum, et inter cæteros ei subscripsit. Jam venio ad Eucherium, cujus monimenta adhuc supersunt, celebrem Joanni Cassiano, qui Leonis Magni Romanæ Ecclesiæ pontificis temporibus vixit. Is enim duobus locis de eo honorificentissime loquitur, ut et Hilarius Arelatensis in Vita Honorati decessoris sui, et multo post Florus Lucdunensis, vir egregie doctus, cujus epistola et Agobardi exstat ad Bartholomæum Narbonensem episcopum. Sequitur Viventiolus, præstantissimus sanctissimusque vir. Hic Lucdunensis episcopus, cujus doctrinæ fuerit non solum ipsa, sed et aliorum de eo scripta testantur, inquit Agobardus: quæ cum perierint, aut adhuc alicubi lateant, de successoribus ejus mihi dicendum est. Itaque Agobardus, patria Gallus, Leidradi Norici doctique viri successor fuit in episcopatu Lucdunensi, temporibus Ludovici Pii Cæsaris regisque Francorum, ejusque exauctorationi apud Suessiones Belgicæ secundæ populos in monasterio sancti Medardi præfuit anno, ut ipse scribit, octingentesimo tricesimo tertio. De qua et Theganes coepiscopus Trevirorum eadem ætate scripsit. Et curiosi lectores utramque conferre poterunt. De Childeberto autem rege, de Pipino, agit Agobardus, de Carolo Magno, ut qui in ejus funere epigramma scripserit, de uxoribus Ludovici, Ermingarde, et Juditha pulcherrima illius temporis femina, etsi eas nominatim non attingit; de filiis ejusdem Cæsaris Lothario, Ludovico, et Carolo puero; de regibus Burgundionum Gondebado, et Sigismundo, illiusque iniquissimam legem in perniciem mortalium excogitatam rationibus et argumentis firmissimis testimoniisque veterum plane convellit. Exstant Burgundionum leges, unde illam funestissimam possis eruere. Vixit vero sub Gregorio quarto Romano pontifice, cujus partes et Lotharii Cæsaris designati nimium fortasse aut acrius quam vel oportuit, vel debuit, tuetur, præsertim adversus patrem benignissimum regem, et quo nemo unquam melior aut justior fuit. Cæterum qui partes ejus adversus parentem secuti erant, in gratiam tandem restituti sunt, et inter cæteros Agobardus; eoque usus est in magnis regni negotiis, quibus ille occupatus in Santonibus juxta Oceanum decessit. Judicio quidem magno præditus, et divina scientia instructissimus graviter et acerrime scripsit, ut opera ejus fidem faciunt; relicta, propter sanctimonium et eruditionem, immortali nominis sui gloria, præsertim apud Ecclesiæ filios, et alumnos suos, quorum mores et disciplinam pene jacentem atque intermortuam excitavit. Contra Felicem Urgellitanum episcopum scripsit, ut et Paulinus Aquileiensis, et alter incerti nominis, sed vir doctissimus, qui septem contra eumdem libros conscripsit, quos manu scriptos nuper legi et admiratus sum. Episcopis præterea Bernardo Viennensi, Nibridio Narbonensi, et successori ejus Bartholomæo, de quo supra diximus, Ebboni quoque Rhemorum epistolam scripsit magnificentissimum et desiderantissimum Dominum Patrem et filium appellans, et Eaori, cujus sedem propter penuriam auctorum nondum scire potui, Hilduino quoque sacri palatii antistiti, et Walæ abbatibus sanctissimis et beatissimis viris, et Adalardo atque Helisachari reverendissimis scribit, abbates illos vocans, quorum ille in agro Parisiorum insigni monasterio Dionysii præfuit, et qualis quantusque esset editione librorum notum fieri etiam curavit. Judaicæ genti sibi omnino molestæ infestæque scripsit, perstringens eos, multasque inauditas eorum fictiones adversus Christum Jesum egregie refellit. Matfredo præstantissimo atque illustrissimo viro etiam rescribit; Gerricum, et Fredericum, atque Evrardum perstringens et accusans, quod illi se ostendissent Christianis formidabiles, Judæis autem mites. Et Matfredi quidem tempus mortis traditur in Vita Ludovici. Synodos aliquot in Gallia habitas refert,

et queritur duobus locis de Romanis clericis et aliis quibusdam, qui canones Gallicanos ut inutiles et superfluos afferebant, legatisque Romanæ sedis absentibus et injussu Cæsaris convocatas easdem synodos jactabant. Græcorum errores de imaginibus et picturis manifestissime detegens, negat eas adorari debere : quam sententiam omnes catholici probamus, Gregoriique Magni testimonium de illis sequimur. Divisionem quoque imperii a Ludovico factam perscribit; quæ apud Walafridum Strabum, etsi non eisdem verbis, exponitur. De tonitru et tempestatibus, falsaque insanientis populi opinione agit, ut ante eum Maximus Taurinensis in sermone et homilia fecerat, Theodosii Junioris temporibus. In disputando autem utitur divinorum librorum testimoniis, ex veteri sacrorum translatione, interdum et Hieronymi, quod idcirco monere voluimus, ne quis intempestive turbetur, neve existimet aliquid a me vel additum vel mutatum; quod nefas semper existimavi, bonam fidem auctoribus deberi æquissimum putans. Testimonia Patrum ubi opus est adducit atque exhibet, divi Cypriani, Hilarii, Hieronymi, Ambrosii, ut ipse ait, doctrina et sanctitate præcipui, Augustini, Leonis, Symmachi, Vigilii, Pelagii secundi, Gregorii Magni, et Gregorii secundi, Alchimi Aviti Viennensis episcopi, quem doctorem orthodoxum et facundum dicit fuisse; postremo Bedæ, hunc gentis Anglorum hominem suo tempore non mediocriter doctum prædicat. Ex Græcis, Athanasii, Cyrilli, Theodoreti, Proculi, Joannis Chrysostomi, Eusebii Cæsariensis, atque aliorum. Clementem Romanum pontificem et Silvestrum, quos citat, præterire nolumus, etsi adhibita hujusmodi præfatione, licet iidem libri judicentur apocryphi, pleraque tamen ex his testimonia inveniuntur a doctoribus usurpata. Ex profanis autem scriptoribus nullius testimonio utitur, præterquam Prisciani grammatici. Habeto ergo, sancta et illustris Lucdunensis Ecclesia (quando ita Eusebius te vocat, imo illustrissimam appellat), mihi gratiam, et civica corona ob servatum civem me donato. Nam cum apud vos in vico Mercium libros quærerem, unaque mecum esset Stephanus Verdierus, nunc mortuus, et apud compactorem librorum versaremur ejus rei causa, illeque Agobardi codicem in membranis perscriptum veteribus notis dilaniare paratus esset, cultrumque ad eam carnificinam manu teneret, vitam illi redemimus, quod felix faustumque fuit.

Bene vale. Lutetiæ Parisiorum, Kal. Januariis 1605.

---

# PAPIRII MASSONI

## DE VITA AGOBARDI EJUSQUE DOCTRINA BREVISSIMÆ SYNOPSEIS.

Obscura fuit istius episcopi multis sæculis vita; obscura, inquam, non ingenii et acuminis penuria, neque muneris ignobilitate, sed temporum nebulis. Habet Amandus suos testes; habent Engilbertus, Ionas, Walafridus cæterique contemporanei sua lumina; hic vero pauca, imo fere nulla, nisi ea quæ vel necessitas historiæ interserit, vel ipsius volumina furtim et quasi perperam retegunt. Habemus tamen ex Adone primis incrementis initiatum fuisse presbyterio; et propter ipsius vitæ et doctrinæ integritatem ad chorepiscopatus dignitatem evectum; mox Ledrado in Suessonicum monasterium concedente, ad fastigia primatiæ Lugdunece sublatum, consentiente imperatore, et universa Gallorum episcoporum synodo, ubi in veste et sarcina tantæ sublimitatis multos annos sine crimine transegit, perpetuis scholæ et linguæ certaminibus aggressus Judæas synagogas. Sed labes unica fulgentem multa gloria senectam obscuravit. [a] Cum enim Clotarius odio et furiis novercæ, nomine Judith, filiæ Welphi comitis, a clavo imperii universi removeretur, machinatur clam et aperte contra patrem, animosque utriusque gentis, laicæ et ecclesiasticæ, in excidium sceptri paterni abripit : inter quos Agobardus a fide principis avulsus, accendit consilio juvenilem Clotarii animum. Convocatur concilium : ubi de eripiendo patri diademate audacissime quisque contendit. Hac specie invadit Cæsarem, et erepta corona, eumdem in monasticam solitudinem conjicit. Galli furiunt, nec patiuntur tantam fieri patri injuriam; movent arma, restituunt imperatorem; vocant filios, Pippinum et Bernardum, quorum ope Clotarius ad orandam et exorandam veniam cogitur. Auctores consilii quæruntur puniendi. Ecclesiastici ejus turbæ fomites deprehenduntur; aufugiunt in Italiam. « Ebonem ad Saxonios compulit imperator. Agobertum Lugdunensem nihilo secius curia pontificum movet : deponitur; cæteros quoque in Italiam elapsos per omnium sacerdotum religiones devovet. Post hæc primo solis die Quadragesimæ velut nondum ab injusta sacrificulorum exsecratione solutus, rursus a septem Archimystis solemni ritu bene precantibus, lectis de libro supplicamentis faustis bonisque omnibus, cum maxima omnium qui aderant lætitia, populo acclamante, feliciter expiatur. Quasi vero in potestate hominis sit, in arcaque sive vitro, sicuti genius ater magico susurro clausa teneatur æterna illa majestas, ut nutu nostro vel claudat vel aperiat cœlos [b]. »

Turbæ ejusmodi et vitæ pacatæ discrimina avertunt animum a scribendo, ut deinceps lumini Evangelii, ecclesiæ reparandæ, muneri obeundo intentus sit. Quo anno natus, nescitur. Scitur ipsum natum aurea Caroli Magni ætate, illustrium et doctissimorum Apollinum alumna; floruisse ætate argentea Ludovici; exstinctum vero inter ferrea filiorum Ludovici certamina, apud Sanctonas [c], in expeditione regia, inter quæ omne genus excidii imperii labentis ruinas convellebat. Præfulsit oratorio dicendi genere, et imprimis Scripturæ memoria Habuit illustres contemporaneos, philosophia et theologia claros, quorum volumina terimus, Hincmarum archiepiscopum Rhemensem, Haimonem episcopum Halberstati, Rabanum, Walafridum Stra-

[a] Conrad., abb. Usperg., in Chron.
[b] Aventinus, l. IV Annal. Boiorum.
[c] Ado Viennens., sub ann. 815.

bum, Claudium Taurinensem de Adoratione imaginum, Jonam Aurelianensem Halitgarium et Amalarium Heliprandum episcopum Toletanum, Engilbertum, etc., et plerosque alios, quos reticemus. Graves tractavit materias, quarum synopseis subjicimus.

*Synopsis primi voluminis adversus dogma Felicis.*

Imperio Caroli Magni et Ludovici Cæsarum, e summis Pyrenæi apicibus emersit quidam episcopus Origellæ ab Aragonia, vir alioquin circumspectus, et subtilitatis Hispanicæ non indigus : qui Nestoriæ sectæ jam diu fulgore Evangelii exstinctæ semina ab inferis excitavit. Objurgatur primo et convincitur ab Heliprando Toletano episcopo. Inde ad Ratisbonæ compescenda ejus insolentia concilium trahitur ab imperatore. Tertio Romam; ubi prostratus ad limina D. Petri, hæresim agnoscit coram Adriano pontifice. Postremo cum iterum sua figmenta chartis exarasset, convenitur ab Agobardo, vincitur, profitetur errorem. Post ejus obitum, fundamenta dogmatis diruit, Patrum et Scripturæ auctoritate. Hæc sunt Felicis fundamenta.

I. Est e Nestorio : Duæ in Christo separatæ personæ, quæ duplicem filium sive Christum constituunt ; alterum in carne, alterum in verbo. Istum non fuisse crucifixum, sed esse Filium Dei, natura, veritate, proprietate, genere, nativitate, substantia ; illum, nempe incarnatum, fuisse passum, et esse Filium Dei gratia, electione, voluntate, placito, prædestinatione, assumptione, adoptione.

II. Ut filium Dei naturalem, esse omnia essentialiter, æternitatem, sapientiam, etc. Ut hominem, omnia quæ illi insunt, esse accidentia, puerum, prophetam, etc., quæ sunt accidentia illi secundum dispensationem carnis, non propria secundum potestatem divinitatis : in humanitate esse solum sacerdotem, in divinitate vivificatorem.

III. Unde sequitur Virginem esse alio modo genitricem divinæ, alio modo humanæ naturæ. Proprie, humanitatis; gratia vero, divinitatis.

IV. Et quemadmodum Christus et Ecclesia vocantur unum, nec sunt una persona, unumque suppositum ; sic quamvis dicatur Verbum carnem factum esse, et esse unum, non sunt tamen unica hypostasis.

Et hæ sunt fœdæ voces quibus Hispanus ille tenebrio Christi lumina ausus obvolvere; quas noster Gallus egregiis enervat argumentis.

I. In Christo duas quidem naturas, sed in unam hypostasim unamque personam substantialiter unitas : et inde non solum humanitatem, sed totum Christum fuisse passum, divinitatem clavis confixam suo modo impassibili, sine sensu, sine passione.

Ideoque non duos filios, sed unicum in duabus naturis, sine confusione hypostaticum, filium Dei natura, proprietate, substantia; non autem gratia, cum sit coæternus Patri. Neque prædestinatione, quia Pater non est prior ipso tempore, nec natura,

A sed origine. Nec adoptione, quia secus exstitisset aliquando alienus a Deo. Nec assumptione, quia assumens et assumptus sunt idem. Sed unicus naturalis Filius Dei. Et quemadmodum quilibet homo, anima et caro, est una persona ; sic Christus una persona, Verbum et homo.

II. Ex tali unione fieri, ut ea quæ sunt carnis, fiant divinitatis. Nam si caro est propria Verbi, cur nomina carnis non erunt propria ei. Ideoque cum carnem sumpsit, omnia carnis propria sibi fecit; ita ut secundum utramque naturam sit et vivificator, et pontifex, etc., sicut secundum utramque animæ et corporis, totus homo dicitur rationalis, dicitur puer, philosophus.

III. Et per consequens, Virginem fuisse matrem B utriusque naturæ, divinæ etiam, sine qua caro nunquam fuit incarnata, totumque Christum incarnatum genuisse.

IV. Quoad unionem Christi cum Ecclesia, imparem esse cum incarnatione. Nam illa cum fiat, saltem spiritu, non corpore, fide non carne, voce non actu, amore non copulatione, ex infinito personarum numero cum aliquo capite mystico, non potest dici vera unio, unio inquam incarnationis, quæ fit ex duabus naturis et substantiis in unam personam.

Et hæc sunt argumenta, quibus Agobardus vim et nervum dogmatis Feliciani confregit.

*II volum. De insolentia Judæorum.*

C In adversis nulla gens abjectior, in prosperis insolentior Judæorum. Beneficio Cæsareæ majestatis locus pacis et moræ datus ipsis in Gallia fuerat, Lugduni potissimum. Sed ubi dulcedo pacis paululum eos laxat ab incommodis fugæ, struunt artes, adulantur aulicis nobilissimis, eosque pecuniis devincunt. Et sic obliquis fraudibus indicula a clementissimo subripiunt adversus Ecclesiæ Lugdunensis episcopum, qui avertebat populum ab his.

Ne divenderent mancipia Christiana Judæis.

Ne mulieres Christianæ cum eis sabbatizarent.

Ne diebus Dominicis operarentur.

Ne Quadragesima cum eis prandcrent et easdem carnes ederent.

Ne carnes immolatas ab ipsis emerent, vinumque D eorum biberent.

Insectantur eum, singulosque Christianos ad suas synagogas blanditiis et ampullatis patriarchicæ dignitatis elogiis rapiunt; insolescunt, et contra morem Christianos servos emunt. Agobardus queritur apud Cæsarem, artes retegit, auctores consilii aperit, petitque medelam tantæ ruinæ; pollicitus se Scripturæ testimoniis eorum vitam, mores et superstitiosum vitæ genus depicturum.

*III vol. De Judaicis superstitionibus.*

[a] Abominandæ gentis Judaicæ pervicaciam ritusque a veritatis semita alienos effecisse apud Patres antiquos ut canones de cavendo contubernio, con-

[a] Hoc capite lege *Ebon*, non *Eaor*.

victu, copulatione ipsorum componerentur, fusissime hic disserit Agobardus, imo tanto odio habuisse ut illustrissimus ille Ambrosius mortem citius optarit, quam maceriam templi Judaici reædificare.

I. Seniores clerici, qui convivio Judaico interfuerint, excommunicantor per annum. Juniores si præsumpserint, vapulanto.

II. A cœna usque prima Pascha per plateas ne ambulanto. Secus, a judicibus distringuntor.

III. Nullus Christianus Judæo servus esto, sed dato XII solidorum pretio liberator.

IV. Si quis ad Judaicum dogma servum Christianum illexerit, plectator mancipio, et legali damnatione puniator.

V. Ne quis Judæus sub tempus Paschatis Christianos convenito.

Causa istiusmodi severitatis est ab eorum rabie, pervicacia atque corruptione doctrinæ, quam tot nebulis Pharisaicæ illæ Deuteroseis obtenderunt, ut nil pene luminis apud ipsos reliquum sit.

Deum esse corporeum, audire et videre.

Corpus hominis ad imaginem Dei factum.

Ex vanis Dei cogitationibus dæmones creari.

Litteras alphabeti esse sempiternas.

Legem Mosis ante mundum fuisse scriptam.

Plures esse cœlos, plures terras, plura inferna.

Deum habere septem tubas.

Petrum apostolum propter hebetudinem sensus Cepham, id est, Petram fuisse vocatum.

Jesum Christum Tiberii judicio furca fuisse suspensum, sepultum juxta aquæ ductum, et ab inundatione aquarum sublatum, a Pilato per XII lunas quæsitum.

Christianos idololatras vocant, quia sanctos invocant.

Habent præpositos synagogis, qui sanguinem virginis menstruatæ discernunt oculis et gustu, mundum vel immundum.

Possunt ambulare duo millia pedum in sabbato.

Unde concluditur quod si separatio ab hæreticis schismaticis fuerit præcepta, tanto magis a Judæis, *a concisione*, a qua lux evangelica fuit omnino exstincta; more apostolorum, qui in liminibus excutiebant pulverem pedum, et diro anathemate ipsos devovebant.

*Ad Adalardum, Walam, etc.*

Ad frequentes querelas de mania turbæ Judaicæ Ludovicus imperator coegit cœtum episcoporum, ubi causam Christianæ Ecclesiæ egit Agobardus, sed perperam, etc., timore præpeditus. Scribit jam ad nobiles Patres, causam inopiæ mentis rejicit in timorem. Deinde carptim consulit istos episcopos quid agere debeat de mancipiis Judæis qui ad Christianum baptisma amore Christi illiciuntur, utrum eos suscipere an rejicere debeat.

*Epistolæ ad Nibridium.*

Connectit superiori querelam, et commovet istum patrem omnesque episcopos, ut unanimi consensu serpentem in dies labem Judaicæ communionis exstinguant, ne eorum Ecclesia exstinguatur.

*Ad imperatorem.*

Quia iste tractatus est ἀκέφαλος, affigendum putavi hunc titulum.

*De impietate duelli contra Gundebadicam legem, quæ vult ensibus non judicio causas dirimi.*

[a] Cum omnes unum simus in Christo, unitate fidei, affectus, religionis, impium est pacem unanimem prælio dirimere, et in litibus, gladiis vitam impetere, ubi æquitas judiciorum, testium oculi et integritas, possunt supplere. Adde quod lex illa non est nec Mosaica, nec evangelica, imo a fœdissimo et infensissimo Christi hoste inventa, ut non testibus, aut veracium testimonio, sed ferro et igne lites discutiantur. Agobardus ergo compellat benignissimum imperatorem, ut e regno tam scelestam consuetudinem abolendam curet.

*VII volum. De Jure sacerdotii.*

Confabulatur cum coepiscopo Bernardo diserte admodum, e Patribus multa, sed plura e Scriptura.

I. Sacerdotium esse omnium qui fide membra sunt summi sacerdotis.

II. Et quamvis illa vox latissime pateat, tamen ut est vox ministerii, proprie pertinere ad sacerdotes designatos, cujus initium fuit in Abele, Caino, Noe, Abrahamo, cæterisque Leviticæ tribus Nazaræis, sine ullo discrimine bonorum et malorum.

III. Quia non respicitur in sacerdote meritum, sed vis ministerii; non persona, sed dignitas personæ; non integritas, sed officium.

IV. Ita ut bonus laicus non possit exsequi quæ malus episcopus, nempe sacramenta et rem ecclesiasticam, sine pernicie animæ, ut Oza.

V. Quæ sunt baptisma, et confectio corporis et sanguinis Christi, etc.; quæ cum nec bonorum meritis, nec malorum fraude possint nec meliorari, nec deteriorari, sed Spiritus virtute perficiantur, debent ab omnibus æqualiter honorari, sive a bonis, sive a malis percipiant sacerdotibus.

Quorum quatuor sunt genera. Primum, *amandum*, qui bene et vivunt et docent. Secundum, *tolerandum*, qui bene docent, et non admodum bene vivunt. Et isti sunt audiendi, non imitandi. Tertium, *contemnendum*, male viventium et ignorantium. Quartum, *anathematizandum*, bene vel male viventium, sed male docentium. Et illi omnino relinquendi.

*De grandine et tonitruis.*

Invaluerat in vulgus tetra opinio et superstitiosa de grandine et procellis, quas magum incantamentis cieri putabant. Hoc vocabant *Auram levatitiam;* quod multiplici infirmat ratione argumentisque, quibus circumvolvit ejusmodi tenebriones et veneficos. 1. A turpissimo hominum mendacio, qui tribuunt homini quod solius Dei est. 2. A mendacii natura intrinseca, quo illi innitebantur. 3. A testimoniis Scripturæ. Loci Scripturæ motus tempestatum Deo tribuunt, non Mosi, non Samueli, etc., non Jamni Mambrique

[a] Vide Hist. Burgund.

veneficis. Ergo falso isti attribuunt vatibus tempestatum motus. 4. Ab explicatione ejusdem Scripturæ. Nam licet Deus effundat procellas, sive per angelos, sive per Mosem Eliseumque, non sequitur eos a se, sed per ministerium, concitasse. 6. Ab harmonia et testimonio totius universi. Omne universum agnoscit auctorem et motorem Deum solum, non ergo creaturas. 7. Si boni Israelitæ potuerunt evibrasse grandines super malos, mali quoque potuissent super bonos, quod Reges Chananæi nunquam effecerunt. 8. Si hoc possent mali, possent infensos quosque subitis procellis obruere. 9. A natura flagellorum corporumque cœlestium, quorum proprium est obtemperare non homini, sed auctori naturæ. 10. A natura hominis, qui ignorat secreta ætheris. 11. A pendula veneficorum fide, qui propterea nil exorant a Deo. Et alia multa conatur e corde populi delere figmenta, jamdiu consuetudine impressa, præsertim illud quod circumferebatur de Grimoaldo Beneventorum duce (qui transmissis per pulverem hominibus effecit ut boves omnes morerentur), ut genuinum Evangelii characterem insculpat.

*Ad Fredegisum abbatem.*

Fredegisus abbas ista contra Agobardum asserebat dogmata.

I. Christum vere fuisse humilem, et quatenus humilem, sese errabundum cognosse.

II. Omnem Scripturam cum omnibus interpretibus canonicam, neque eos unquam errasse in grammatica.

III. Sanctum Spiritum inspirasse prophetis et apostolis tum conceptus internos, et extrinsecus voces ipsas in ore formasse, ut asinæ Balaami.

IV. Alicubi certo loco animas esse creatas, indeque ad corpora demigrare.

V. Aliud esse Deum, aliud Veritatem.

VI. Omnes antiquos patriarchas non fuisse Christianos; nec Christum fuisse in Veteri Testamento.

Responsiones Agobardi hæ sunt.

Ad I. Christum habere quidem naturam corporum nostrorum, non originem, et inde habere impeccabilitatem; ita ut licet sese humilem reddiderit, id inclinatione miserationis, non evacuatione potestatis fecerit, abolendo peccata aliena, non confitendo propria.

Ad II. Auctoritatem Scripturæ indubitabilem, ejus nempe quæ canonica est. Ex interpretibus, LXXII primum, dein Hieronymum. Aliquos explodendos de Judæis: Aquilam, Theodotion, Symmachum, Didymum. Expositores ita legantur, ut præeant Scripturæ, *non cum judicandi libertate, sed cum credendi necessitate*, expositores vero, non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate. Ipsos errasse in grammatica, non malitia, nec imperitia, sed ratione condescensionis.

Ad III. Exemplo Mosis et Aaron, quorum alter propheta vocem habuit impeditiorem quam Aaron qui non erat propheta: apostolorum qui promulgant

A Evangelium, non in pompa eloquentiæ, sed in virtute Spiritus.

Ad IV. Quartum infirmat locis Scripturæ et philosophiæ.

Ad V. Quintum a natura Dei, quæ nil habet divisum, sed totum est id quod est.

Ad VI. Christum non fuisse manifestum, sed sub Levitica veste a patriarchis cognitum per fidem, Scriptura, Patribus, ratione, ab unitate Ecclesiæ, ab ortu Adami, usque ad Christum.

Unde factum est ut quamvis essent diversa sacramenta, tamen eadem fuerit sacramentorum substantia.

Et licet dicatur Vetus et Novum Testamentum, non id propterea quod sit nuper inventum, sed ma-
B nifestatum omni mundo, quod delituerat sub cortice Leviticæ nubis ab origine legis.

*Ad Hilduinum Walam antistitem, de baptismo mancipiorum Judaïcorum.*

[a] Judæi, tum dolis, tum pecuniis, a Cæsare extorserant multa paci Ecclesiæ infensa; inter cætera, ut nullus Judæorum servus absque placito Judæi domini baptizaretur. Inde diræ procellæ inter utramque gentem. Agobardus rem hac epistola depingit apud nobilem aulicum, antistitem, Cæsari gratissimum. Queritur de novitate edicti. Non permittendum his argumentis. 1. Propter insolentiam Judæorum, qui quoslibet servos a lavacro absterrebunt. 2. Propter Dei jussum, qui vult omnes salvos, imo mancipia, quibus commune est cum omnibus naturæ et originis vinculum,
C et quamvis corpore mundo serviant, vult ipsos sibi obstrictos latria mentis contra omnem cogentem violentiam. 3. Quia Christus est omnia in omnibus, et per baptismum ab omni servitutis jugo liberantur. 4. Locis Scripturæ expressissimis. Tandem rogat eum ut efficiat apud imperatorem, aut ut edictum infringatur, aut saltem sine violentia veniendi ad fidem libertas servis concedatur.

*De illusione signorum.*

Ingravescebat quædam ἐπιληψία, ita ut homines quasi dæmoniaci caderent. Imo exustio quædam pustulacea et stigmata in corporibus apparebant. Unde fiebat ut plebs territa ejusmodi plagis, more gentilitio in propitiationem ejusmodi ulcerum offerrent. Bar-
D tholomæus ejus iræ cœlitus demissæ causam petit. Agobardus respondet hæc fieri Deo volente, et angelo ministrante, erudiendis fidelibus, cruciandisque reprobis, ut olim per vesicas turgentes et hæmorrhoïdes Ægyptios et Philisthæos profligavit: multaque alia subjicit, quæ otio lectoris relinquimus.

*Ad Matfredum.*

Epistola hæc nil aliud depingit quam miserias sui sæculi a Judæis commotas, qui funditus integritatem morum et religionis et harmoniæ publicæ convulserant; et rogat ut qui apud imperatorem plurimum posset, ejusmodi turbis mederetur.

[a] Hilduinus abbas monasterii S. Dionysii apud Parisium, sacrique palatii archicapel.; Conrad. abb. Uspergens.

*Ad clerum Lugdunensem, de modo regiminis ecclesiastici.*

Exortæ inter clericos Lugdunæos rixæ de administranda Ecclesia, movent Agobardum de scribendo hoc themate. Et primum ab unitate Ecclesiæ, tum membrorum, tum capitis, hortatur singulos ad invicem ineundam pacem. Ejus hæc sunt axiomata.

I. Unicæ sponsæ unicum esse sponsum : qui cum sit essentialiter veritas, pax, justitia, et omne bonum, debet propter se, non propter aliud, diligi.

II. Cujus Ecclesiæ membra non sunt illi qui vicissim dissident, sed qui mutuo conveniunt, et in amorem cultumque ipsius ædificant.

III. Unde fit ut ex illo mutuo amoris et vinculi nexu, Christus et Ecclesia vocentur agnus unus, sponsa una.

IV. Adde quod ex illo interno et æterno connubio agni et agnæ generentur agni et oves; qui efficiunt unicum, inseparabilem, et æterno indissolubilem vinculo agnum, id est, Ecclesiam.

V. Ex illa generatione fit ut quæ sponsa Christi vocatur, Christi vocetur filia ; quia quos simul et semel ab æterno pro sponsa duxit, eosdem singulatim et in tempore per Verbum generat. Vocatur frater propter commune naturæ et carnis consortium cum homine.

Vinea, propter multitudinem filiorum. Hortus, propter varietatem et venustatem. Fons, propter exuberantem undique lympharum cœlestium copiam. Fons signatus, propter admiranda et occulta mysteria. Regina, propter imperium in Synagogam, dæmones sectasque universas. Ancilla, propter obedientiam. Mater, propter generationem filiorum. Quæ diversitas nominum, nihil divisum, sed unum sponsum sponsamque unam efficit.

Ista unitas affectus debet avocare ab omni dissidio clerum, ut statu muneri navet : quod est esse adjutor Dei, non Antichristi.

Eorum qui dissolvunt unitatem, multiplices sunt. Corrupti, qui aperto scandalo unitatem Ecclesiæ conturbant. Hypocritæ, simulata justitia. Adulteri, aperte et simulate veritatem corrumpendo. Ambitiosi, honoris causa. Mercenarii, lucelli dulcedine. Φίλαυτοι, corda non in sponsi, sed in sui amorem laudemque alliciendo, unitatem Ecclesiæ abscindunt. At verus pastor, veræque pacis custos, abjicit a ministerio ejusmodi portenta, invigilat gregi, sine ignavia, sine imperio, sine simulatione, sine scandalo, pascitque cum secundum omnes formulas sibi a Cæsare cœlesti præscriptas. Ut sint tales, hortatur omnes pastores, presbyteros, abbates, si velint esse membra unici capitis, et administrare Ecclesiam secundum mandata divina.

*De imaginibus.*

Assumpto Decalogi secundo mandato, tractat hic ex professo Agobardus de cultu imaginum. Stupenda suo sæculo imaginum erat superstitio, et circa cultum simulacrorum horrenda dissidia. Prima Nicæa præscripsit adorandas, secunda confirmat. Oriuntur rixæ toto Oriente, quæ sese diffundunt in Galliam. A Congregatur Francofurti, ubi Nicæa apertis sententiis damnatur.

I. Unus Deus adorandus sine imagine, etc.

II. Nullum exemplum alicubi totis testamentis Patribusque adorandæ imaginis.

III. Esse debere ornamento, delectandis oculis, non instruendis populis, etc.

Illa ætate scribit Claudius Taurinensis de adoratione imaginum. Contra ipsum Jonas Aurelianensis. Plerique concurrunt in eadem materia agitanda. Reges ipsi. Agobardus apertissime; cujus hæc præcipua sunt capita e D. Augustino cæterisque Patribus.

I. Nulla est alia Dei imago quam hoc quod est ipse et secundum quod est ipse, non potest pingi, ideo B neque adorari in imagine, nisi in illa quam ipse nobis præscripsit, nempe Christo.

II. Duplici quidem adoratione, externa et interna. Utraque vocatur religio; qua interne et externe obstringimur æternum et soli Deo; ad quam pertinent δουλεία, λατρεία, cæterique cultus, quatenus sunt nomina religionis.

III. Ubi vero sunt nomina officii et servitutis humanæ, δουλεία potest dici de servis et subditis; εὐσέβεια, de omnibus. Honor de sanctis et martyribus. Pietas de parentibus. At sola religio de Deo, quia soli omnino Deo debetur.

IV. Unde patet neque angelos, neque sanctos ullo religionis adorandos cultu, præter æternam Dei imaginem, quæ se mediam inter homines Deumque con- C stituit.

V. Angelos : 1. quia beati sunt beatitudine aliena; 2. quia nolunt offerri sibi ejusmodi cultus; 3. quia per hoc a dæmonibus discernuntur.

VI. Sanctos : quia non sunt sancti nisi sanctitate Spiritus, lumina nisi a summo lumine, dii nisi a Deo; aguntque mirabilia, non ut causæ, sed ut media et instrumenta ; ideoque relictis illis, longius ad lumen æternum devolandum.

VII. Quorum nihilominus memorias, vestigia, si qua sunt, sive in scriptis, sive in corpore, imo eorum sepulcra propter resurrectionem, vitam, imitationem honoramus. Non tamen ipsis templa aut altaria construimus, sed soli Deo.

D VIII. Adorationis enim hæc lex est ut nulla creatura, nullum phantasma a mente de Deo effictum, nullum opus humanum, nec sol exoriens, nec occidens, nec nubes, nec ignis, nec arbores, nec opera hominum, ut sunt imagines. Nam si opera Dei non sunt adoranda, quanto minus hominum, id est, imagines Dei, angelorum, sanctorum !

IX. Neque objicias, non te imaginem, sed rem imagine effictam. Nam objectum terminat adorationem. Adde quod fraus est Satanæ, qui specie honoris sanctorum, ad idola mentem traducit, et a vero æterno ad carnalia nos demergit.

X. Picturæ aspectandæ, ceu res inanimatæ, oculo externo. Deus interne adorandus. Illæ, causa historiæ, et memoriæ, non religionis : Deus latriæ, dou-

liæ et sempiternæ religionis. Illæ sine cura, sine honore, quia nec male nec bene possunt facere. Deus cum spe, cum amore, cum honore et gaudio sine fine.

XI. Adde quod ut abjiciatur omnis superstitio, nulla imago in parietibus ecclesiæ depingenda, nullum simulacrum erigendum; nec illæ imagines vocandæ sanctæ, quia nil est sanctum nisi Dei templum (*I Cor.*), ut adoretur unus et verus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

*De dispensatione totius rei ecclesiasticæ.*

(*Præfixus a nobis est hic titulus, ex mente auctoris.*)

Convocaverat Ludovicus imperator cœtum amplissimum pontificiæ et laicæ, de reformanda Ecclesia. Inter cæteros præluxere ceu faces lucidissimæ, Adalardus et Elizaccharus; ille integritate vitæ et fulgore muneris, hic doctrinæ lumine. Unanimi anima reparandum Ecclesiæ decus conclamant omnes. Agobardus excipit eorum alacres vultus : orat, et pro Ecclesia agit, convertit singulorum animos ad labantem pene Ecclesiæ gloriam; ædificent, erigant, macerias jam subruentis Jerosolymæ. Inde insilit in laicæ fraudis sacrilegium, qui de peculatu ecclesiastico convivunt, et rem Dei rem sacrilegi efficiunt. Probat a primis nascentis Ecclesiæ exordiis, incrementis, accrementis, quibus cœpit ditari, duce Spiritu, statutos canones, qui direptionem rei ecclesiasticæ vetarent, nullique citra conscientiæ perniciem concederent ab illis canonibus discedere. Rogat Cæsarem ut medeatur, cœtum ut deprecetur contra sacrilegos Gallos. Excipitur ab Helizacchаro et Adalardo senibus alacriter oratio Agobardi. Monent de hac re imperatorem : qui convocato concilio politicæ et leviticæ familiæ, mutuas exstinxit discordias quæ de possidenda re ecclesiastica laicos et episcopos conturbaverant. Quia vero quidam erant detractores qui passim de audacia et ignorantia Agobardi rumores circumferebant ejusque dissidii auctorem ipsum promulgabant, Agobardus ejusmodi labem diluit; rei veritate effigiem expressit apud quemdam amicum qui eum de hac re interpellarat. Et inde re nata captat locum scribendi de rebus ecclesiasticis eorumque ministerio, sumptis ex utroque Testamento testimoniis. Ejus summa capita hæc sunt. De sacerdotibus. De decimis persolvendis. De pœna sacrilegii. De honore omni ævo episcopis impenso. De non alienandis ecclesiis, et perpetuas inserit calumnias contra Simonianos. Hæc omnia, quia nituntur locis, non rationibus, lectori do.

*Liber de divinis sententiis digestus.*

*De divinis sententiis contra eos qui putant judicium Dei aqua vel igne vel armis patefieri.*

Titulus hujusce voluminis non mihi videtur satis congruus. Quia hic est sensus. [a] Duplices modi purgandæ fraudis occultæ et sceleris, ferri et ignis. Primus erat Gundebadi, qui controversias, ubi non erant testes, ferro et armis dirimendas præcepit. Secundus, inveteratæ consuetudinis. Ubi deficebant testes, vulgaris purgatio, nempe aquæ frigidæ, vel candentis ferri, adhibebatur. Agobardus tanquam nefandas impugnat, ostendens res occultas nunquam patefieri ejusmodi certaminibus. Hortatur ad pacem, et totam fere ethicam Christianam complectitur.

*Sermo Agobardi.*

Hæc concio est lepidissima, varia et divinis figuris circumlucida. Habet pro materia Christum. Sed ab illo capite in varias sese diffundit et exspatiatur arenas : De Ecclesia, de ejus meritis, de Antichristo. Quæ quia sunt paulo ἀμεθοδικά, relinquo.

*De divisione imperii.*

Imperii pacis sedulus, memorque ancipitis vitæ exitus, convocato totius Galliæ conventu Ludovicus imperator in tria regna discerpsit imperium, summamque Lothario contulit; adhibitis omnium juramentis, ut moris est, fidelitatis et obedientiæ. Descivit Lotharius, patrem invadit. Favent ecclesiastici huic imperatori, cujus obsequiis juramento solemni fuerant constricti. Quibus cum pater vellet pœnas infligere, Agobardus audacter respondet eum fuisse illius tumultus et dissidii publici causam, eo quod divisisset imperium; et quod est audacius, profitetur aperte se obsecuturum Lothario, propter vinculum juramenti, etc.

*De comparatione utriusque regiminis.*

Duæ hic continentur epistolæ ejusdem argumenti. Prima ad Cæsarem Ludovicum, qua noster episcopus obtendit causas fugæ et moræ. Propter publicos tumultus. Inde insilit in fastigium splendoris imperialis, quod probat subesse pontificiæ majestati, tum ex auctoritate canonum, tum quibusdam Latinorum Patrum testimoniis. Et ideo monet ut venientem in Galliam Gregorium pontificem, mediatorem pacis domesticæ, benigne excipiat, eique humillime sese subjiciat.

Secundæ sensus est ejusmodi. Defectio Lotharii abripuerat omnem pene Italiam, pontificem, multosque etiam episcopos Gallos, quorum ope patri eriperet imperium. Veri Galli recalcitrant, citant Agobardum, recusat. Habent conventum; cujus hæc fuerunt capita adversum ipsius contumaciam, pro confirmanda Gallicana libertate.

1. Episcopum Romanum, vocandum papam, fratrem, non autem Patrem, neque pontificem.

2. Imperialem majestatem plus posse in administranda Ecclesia quam pontificiam.

3. Cæsarem non dehonestandum præsumptuosa excommunicatione.

4. Posse unum aliquem pontificem abjici sine injuria sedis apostolicæ.

5. Episcopos in causa fidei jusjurandum præstare solitos imperatori.

6. Agobardum primatem Aquitaniæ nullam deinceps habiturum potestatem in excommunicando, nullamque jurisdictionem in cæteras parochias, si obediret potius pontifici quam Cæsari.

7. Privandum episcopum consortio et honore, qui

[a] Institut. juris canon., l. iv, tit. 2. In Historia Burgundiæ.

potius pontifici quam Ecclesiæ Gallicanæ concilio A obedierit.

Agobardus ex professo respondet singulis. Confringit quantum potest ista privilegia, propter commune factionis cum pontifice et Lothario consortium. Nititur probare Cæsarem et Ecclesias Gallicas pendere a cathedra. Deinde conjicit omnes turbas et æstus flagrantes imperii, tum in inertiam Ludovici, tum in occultas fraudes reginarum quibus ipse nupserat. Audacissime favet consilio Lotharii, quo erga novercas usus fuerat. Tandem concitat ejus animum ad pœnitentiam et humilitatem, ut deinceps resipiscendo res imperii sit securior.

*Publica Ludovici imperatoris pœnitentia.*

Rebus pacatis, publico conventu compellitur Ludovicus imperator, propter vitæ anteactæ luxuriam, B inertiam, ignaviam, ad publicam pœnitentiam. Agnoscit, orat veniam, ad altare prosternitur; terque quaterque confessus, fluens lacrymis, depositis armis sceptroque, suscepit pœnitentiam per manuum episcopalium impositionem, etc.

*De veteri ritu cantandi psalmos in ecclesia, et de correctione Antiphonarii.*

(*Hæc duo capita non erant disjungenda, sed in unum componenda, quia eamdem prorsus materiam tractant.*)

Erupit Lugduni sectarius quidam, qui miras in ritus ecclesiasticos calumnias invexit, nævis aspersit, et hæc sunt.

1. Ecclesiam Lugdunensem a germano cantandi ritu deviasse. C

2. Antiquos Patres in carmine solitos modulari.

3. Nullam esse rationem cur nocturnæ fiant vigiliæ.

4. Multa esse alia cantica quæ non habentur Scripturis.

*Quibus quoque in suo Antiphonario et Responsorio hasce adjecit blasphemias et portenta.*

5. Christum de cœlo advexisse humanam naturam.

6. Duas naturas commisceri in unam.

7. Homines suscepisse Christum, quem antea naturali motu cognoverant et desiderarant.

8. Christum per aurem Virginis in locum partus subrepsisse.

Agobardus singula confutat.

Ad 1. Ecclesiam Lugdunensem firmiter inhæsisse statutis Leviticæ et apostolicæ legis, ideoque non posse oberrare.

Ad 2. Ecclesiam veterem magnopere respuisse modum canendi poeticum.

Ad 3. Diurnas et nocturnas vigilias in choro Levitico a Davide constitutas.

Ad 4. Scripturam adeo perfectam, ut nil illi adjiciendum, neque detrahendum, sed in eis quæcunque reperiuntur canenda, reliqua vero non.

Cæteraque ejusmodi portenta facili via discerpit, restituto omnimodo et Antiphonario et Responsorio in pristinam lucem.

Et hæc sunt capita doctrinæ Agoberticæ, clara sane, abstrusa, et omni venustate fulgida. Quibus fruatur lector.

# [a] SANCTI AGOBARDI
## EPISCOPI LUGDUNENSIS
# LIBER [b] ADVERSUM DOGMA FELICIS URGELLENSIS,
## AD LUDOVICUM PIUM IMPERATOREM.

Christianorum religiosissimo, benignorum benignissimo, mansuetorum tranquillissimo, Christi amatori, ideoque victori ac triumphatori piissimo D Augusto, domno gloriosissimo Ludovico imperatori, Agobardus quidam ex ultimis fidelibus servulis vestris, subterannexum opusculum sincerissimo ac

BALUZII NOTÆ.

[a] *Sancti Agobardi.* Sancti nuncupationem Agobardo tribuimus post editionem Massoni, et quia cœlestes ei honores persolvuntur in Ecclesia Lugdunensi, ubi vulgo vocatur *Saint Agobo*. Tum et in Martyrologiis quoque illarum partium sanctus dicitur. Ac de Agobardo quidem pauca nobis dicenda incumbunt, præter ea quæ leguntur inter elogia. Pro nostro tamen more hic vitam ejus delibabimus. Patria Gallum fuisse aiunt, quanquam id non satis constat. Coepiscopus primum Leidradi Lugdunensis archiepiscopi, quem nunc *coadjutorem* vocamus, sed non cum titulo futuræ successionis, ut ego quidem arbitror. Nam id privata auctoritate facere non potuit Leidradus, neque extra conscientiam principis, neque alibi tum quam in synodo, sive provinciali, sive generali. Dein illo cedente, ac in monasterio Suessionensi sese abdicante, Agobardus ad eam cathedram conscendit an. 813, « consentiente, ut ait Ado, imperatore et universa Gallorum episcoporum

[b] *Adv. Dogma Felicis.* Titulum hunc fecimus ex elencho librorum Agobardi, qui præfixus est codici ms. Pap. Massoni, in quo sic habetur : *Adversum dogma Felicis liber* I *Agobardi episcopi ad Ludovicum imperatorem.* Nullum enim alioqui titulum habebat hic liber in veteri codice. Et mirari lubet audaciam Massoni qui non contentus inscriptione veteri epistolæ ad Ludovicum Pium, aliam de suo adjecit, tanquam e veteri codice. Sic enim in ipso operum Agobardicorum initio edidit : *Agobardus episcopus Lugdunensis Ludovico imperatori S. D.* Quis non crederet ita scriptum vidisse Massonum in veteri codice? Et tamen nihil illic legitur hujuscemodi.

subtilissimo sacroque acumini prudentiæ vestræ dijudicandum direxi: quod edidi vel potius collegi adversus novam, imo ex veteri [a] redivivam hæresim, propter quosdam, quibus illud expedire putavi, sicut ibi latius continetur. Pie igitur rector et domine, caput orbis, decus mundi, catholicorum omnium insignis gloriatio, qui illustratis fidem, propagatis et pacem; [b] obsecro mansuetudinem vestram, ut in contemplationem Filii Dei, qui vestrum juvat imperium, præfatum opusculum perlustrare non dedignemini, ut vestro acerrimo ingenio probetur aut improbetur. Quia si probatur, illis, quibus profuturum est, ad legendum commendatur; si autem improbatur, auctor ejus per vos emendatur. Apostolica namque doctrina omnes hortatur crescere in cognitione Domini nostri Jesu Christi, omnes jubet paratos esse ad satisfaciendum eis qui rationem poscunt de ea quæ in nobis est spe. Sacerdotem quoque esse vult *amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Quod si semper sectandum fuit; quanto

## BALUZII NOTÆ.

episcoporum synodo, » seu, ut apertius loquitur Hugo Flaviniacensis, « consentiente imperatore et *omni* Gallicanorum episcoporum synodo. » Et animus erat eam synodum interpretari de ea quæ eodem anno celebrata est apud Cabillonem ab episcopis et abbatibus totius Galliæ Lugdunensis. Verum Ado et Hugo Flaviniacensis satis indicant hanc Agobardi substitutionem præsente imperatore factam fuisse in universa sive omni Gallicanorum episcoporum synodo, id est, in generali ac plenaria synodo episcoporum regni Francici: quod huic Cabillonensi competere non potest, quæ provincialis tantum fuit. Itaque non de alia synodo intelligi potest, quam de Moguntina, quæ eodem anno habita est, cui vero interfuisse Ludovicum imperatorem docet Ivo Carnotensis parte IX, cap. 82. Præbuit ista Agobardi substitutio materiam sermonibus, ob violatos, ut videbatur, vetustos canones; quos illibatos servari debere contendebant, neque violari posse quacunque ex causa. Dupliciter autem peccatum videbatur in canones. Primum, quia constabat duos unam cathedram capere non posse. Deinde, quod prohibitum sit ne quis episcopus successorem sibi eligat. Cessisse tamen contradictores constat. Quam vero ob causam cesserint, non constat. Ego facile crediderim, Agobardum propriis virtutibus et principis optimi studiis adjutum, prævaluisse adversus invidos; tum etiam quia Leidradus in eum inclinaverat, vir in aula celeberrimus, et qui novissimo facinore magnam sibi auctoritatem conciliasse videbatur. Et exstabant plurima exempla ex antiquitate, quæ substitutionem illam peragi sinerent. Incidit autem Agobardus in pessima et exulceratissima tempora, quemadmodum ipse non semel conqueritur. Retinuit tamen inter hæc temporum mala constantiam episcopo dignam, vir cætera timidus, et qui vix coram magnatibus auderet loqui. Nam suum illum pudorem ac timiditatem ipse frequenter inculcat. Præcipue vero incanduit adversum Judæos, quorum impios ritus profanasque cæremonias et detestabatur et aboleri cupiebat. Hinc graves adversus Agobardum tempestates et procellæ. Strinxit etiam stylum, et quidem acriter, et non uno loco, in legem Gundobadam, quam pietati ac simplicitati Christianæ valde contrariam esse existimabat. Robuste etiam ac erudite nervos suos intendit adversus errorem Felicis episcopi Urgellensis, qui paulo ante mortuus erat apud urbem Lugdunensem. Canonum in primis perpetuus ac constans defensor, ut gnarus; adeo ut etiam Romanos sui temporis graviter perstringat, quod Gallicanos canones ob eam, si Superis placet, causam contemnerent, quod eos neoterici Romani non commendaverint, vel quod legati Romani non interfuerint in eorum constitutione. Mirum, si vir ita compositus non incurrisset invidiam hominum ætatis suæ. Itaque opus habuit apologiam pro se scribere adversus calumnias et obtrectationes abbatis Fredegisi, viri alioqui celeberrimi, itemque adversus quosdam Provinciales et Septimanos Agobardico nomini valde iniquos. Inter hæc, incalescens quæstio de adoratione cultuque imaginum exercuit industriam hominum eruditorum; adeoque etiam Agobardus sententiam suam in hoc prompsit, ut acrem ac vehementem adversus adorationem imaginum, ita piam ac religiosam erga sanctos, ad quorum imitationem hortatur omnes Christianos. Superstitionum igitur inimicus capitalis, etiam eorum stultitiam vehementer exagitavit qui grandinem et tonitrua cæterasque cœli tempestates excitari posse putabant ope magorum et incantatorum, quos ob hoc ipsum ætas illa vocabat *tempestarios*. Plane magnum virum fuisse persuasum habeo. Sed uno pessimo facinore, quidquid nonnulli contra sentiant, illustria sua facinora ingentesque virtutes commaculavit. Nam transgressus in partes Lotharii Augusti, qui Ludovicum patrem anno 833 eo usque deprimere ausus est, ut etiam in carcere concluderet, pœnitentiæque publicæ addici procuraret; transgressus, inquam, Agobardus in partes Lotharii, tanta animi contentione ac pertinacia eas tuitus est, ut vel ob hoc ipsum annumeratus sit inter præcipuos Lotharianæ factionis auctores. Ea de causa ab Ecclesiæ præsulatu semotus est auctoritate synodi quæ anno 835 habita est ad Theodonis villam. Rursum ea causa agitata est anno sequenti apud Stramiacum, haud procul Lugduno; sed nullo eventu, propter absentiam Agobardi. Tandem cum revocata concordia fuisset inter Ludovicum ac Lotharium, Agobardus ad sedem suam redire permissus est. Demum abiit e vivis apud Santones Aquitaniæ secundæ populos, in expeditione regia, anno, ut ego quidem arbitror, 840. Nam eo anno Ludovicus imperator, ut scriptum est in Annalibus Bertinianis, in Aquitania fuit, motus Aquitanicos componere satagens. Quo etiam anno Agobardum obiisse VIII Idus Julii tradit auctor brevioris Chronici S. Benigni Divionensis. Ex scriptis ejus quæ exstant apparet notum fuisse ac familiarem clarissimis ætatis illius viris, Ebboni nimirum Rhemensi archiepiscopo, Bernardo Viennensi, Nibridio et Bartholomæo Narbonensibus, Adalhardo, Walæ, Helisacharo, et Hilduino, abbatibus, Matfredo comiti Aurelianensi, qui principem tum locum obtinebat apud Ludovicum Pium, Walfrido Straboni abbati Augiensi. An vero per triennium fuerit abbas monasterii sancti Medardi Suessionensis, ut placuit quibusdam, ab anno nimirum 830 quo Hilduinus abbas in exsilium missus est a Ludovico Pio, aliis discutiendum relinquo. Atque hæc de vita Agobardi dixisse sufficiat. Nunc ad institutum nostrum revertamur.

[a] *Redivivam hæresim.* Quippe Feliciana hæresis propagata est ex hæresi Nestoriana; ut ostendet infra Agobardus, et scribit etiam Adrianus I papa ad Hispanos episcopos in Codice Carolino tit. 97.

[b] *Obsecro mansuetudinem.* Imitatum haud dubie ex libello Precum Marcellini et Faustini presbyterorum, qui sic incipit: *Deprecamur mansuetudinem vestram, piissimi imperatores, Valentiniane, Theodosi, et Arcadi, ut hæc in contemplatione Christi Filii Dei, qui vestrum juvat imperium, infatigabiliter legere dignemini.*

magis nunc, quando jam propinquum esse cernimus tempus illud, de quo Dominus loquitur: *Verumtamen veniens filius hominis, putas inveniet fidem super terram?*

I. Post obitum Felicis illius qui fuerat quondam episcopus in [a] sede Orgelletana inventa est a nobis quædam schedula ab eo edita sub specie interrogationis et responsionis: quam cum legentes consideraremus, inspeximus hominem diligenter et fraudulenter instaurasse, quantum in se fuit, omnem pravitatem dogmatis sui, in qua dudum fuerat detectus et convictus, et propter quam ab honore episcopatus [b] depositus: qui licet aliqua verba, quæ prius imprudenter efferebat, postea suppresserit, aliqua tamen nunc addidit, quæ tunc reticuit. Quam schedulam ego, ut potui, juxta veritatem fidei cum reprehendissem, vel reprehendendam publicassem, quidam ex fratribus, ut comperi, indigne tulerunt, et non perversitate animi, ut puto, sed simplicitate ingenii, arbitrati sunt me non id fecisse zelo fidei, sed zelo invidentiæ, sicut moris est eorum qui ina- A nis gloriæ cupidi, idcirco bonis detrectant, ut se illis superponere nitantur; et si detractionibus obtinuerint ne illi admirentur, isti admirationis gloriam consequantur. Et quoniam non desunt inter nos tales quibus necesse sit et integritatem fidei cognoscere, per quam valeant malum perfidiæ declinare, et rectis judiciis obtemperare, ut mereantur in dogmate pietatis proficere, opportunum putavi ea quæ prædictus vir male sensit, exaggeranda assumere, et verbis ejus, in quibus a veritate fidei excessit, sanctorum Patrum sententias opponere, ut quisquis dignatus fuerit legere, agnoscat qua cautela catholicæ veritatis purissimum sensum sequatur.

II. Non ego hoc doctis et eloquentibus viris, qui B cuncta hæc optime dijudicando, probanda aut improbanda demonstrare sufficiunt, dico, qui forsitan nec dignabuntur legere hoc opus, rustica simplicitate compositum; sed meis similibus, quibus vere scio expedire ut fidem suam subtilissime corrigant; qui incaute [c] admirantes vitam prædicti Felicis, pro-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Sede Orgelletana.* Retinet etiamnum hodie nomen. Vocatur enim vulgo *La Seu d'Urgel*, id est, Sedes Urgellensis. Clara civitas Hispaniæ Tarraconensis, in Pyrenæi montis jugo sita. Eginhardus in Annalibus ad an. 792: « Orgellis est civitas in Pyrenæi montis jugo sita; cujus episcopus, nomine Felix, natione Hispanus, ab Elipando Toleti episcopo per litteras consultus quid de humanitate Salvatoris Dei et Domini nostri Jesu Christi sentire deberet, utrum secundum id quod homo est, proprius C an adoptivus Dei Filius credendus esset ac dicendus, valde incaute atque inconsiderate et contra antiquam catholicæ Ecclesiæ doctrinam adoptivum non solum pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum episcopum libris perversissime pravitatem opinionis suæ defendere curavit. Hujus rei causa ductus ad palatium regis, qui tunc apud Reginum Bajoariæ civitatem, in qua et hiemaverat, residebat. Ubi congregato episcoporum concilio auditus est; et errasse convictus, ad præsentiam Adriani pontificis Romam missus, ubi etiam coram ipso in basilica beati Petri apostoli hæresim confessus est atque abdicavit. Quo facto, ad civitatem suam reversus est. »

[b] *Depositus.* Incertum hactenus fuit, quonam demum tempore Felix episcopus Urgellensis fuerit depositus ab honore episcopatus. Neque enim assentior Joanni Marianæ, viro alioqui eruditis imo: qui ex corrupto Adonis Viennensis loco colligit eam D depositionem fuisse peractam in concilio Francofordiensi, quod anno 794 congregatum est jussu Caroli Magni. « Re discussa (inquit Mariana, lib. VII Rer. Hisp. cap. 8), prava opinio cum auctoribus reprobata est; ac, nisi mutarent, Felix et Elipandus sacrificiis interdicti. Felix, ut Ado Viennensis est auctor, Patrum sententia relegatus est, et Lugduni, nunquam errore deposito, extremum vitæ diem clausit. » Facilius crediderim, datam Felici veniam a synodo, si resipisceret; hunc vero errorem suum abdicasse, sicque in honore episcopatus permansisse. Sed quoniam rursum ad pristinos errores revolvebatur, Aquisgranum deductus ad Carolum Magnum, in synodo quæ anno 799 illic habita est, depositus haud dubie fuit. Istud facinus ea tempestate peractum ex eo patet, quod in epistola quam statim post synodum illam scripsit ad clerum populumque Urgellensem, non obscure significat se episcopum tum non fuisse, cum sic incipit: *In Dei nomine. Felix olim indignus episcopus*, etc. Nimirum olim fuerat episcopus, id est, antequam in ea synodo deponeretur ab honore episcopatus. Tum vero jussu principis (non autem episcoporum, ut perperam scribit Mariana) apud Lugdunum clarissimam Galliarum urbem relegatus est.

[c] *Admir. vit. pr. Felicis.* Constabat ergo per illas tempestates, Felicem esse episcopum moris antiqui, moresque ejus esse inculpatos. Nam non Agobardus solum id docet, sed etiam Alcuinus, eorumdem temporum scriptor. Hæc sunt ejus verba in epistola ad Elipandum Toletanum episcopum: « Legimus enim in epistolis beati Felicis, viro scilicet religiosæ vitæ præcipuo et sanctitate spectabili, si catholicam fidem et ecclesiasticam unitatem, sine qua nullus Deo placere potest, amare et prædicare velit. » Et infra: « Licet præfatus famulus Dei Felix laudabili vita vivat coram hominibus; tamen, ut videtur, in multis catholicæ fidei professione non omnino pleniter Patrum sequitur sententiam. » Item: « Etiam et in hoc tuæ sanctissimæ voluntati obnixius suadere ratum putavi, ut eumdem virum venerabilem Felicem tuis sanctis precibus et suavissimis suggestionibus convertere ad catholicæ fidei unitatem et veritatem nitaris. Fidelis est enim Deus, pius et misericors, qui nullatenus obliviscatur ejus multa bona, et religiosam vitam, et labores, qua die noctuque indefessa voluntate desudat. Quanta sit tibi coram Deo et sanctis ejus gloria et remuneratio intende, et diligentius considera in salute fratris tui, etiam et tanti viri, et tam præclaræ dignitatis et sanctitatis famulo Christi. » Item: « Illum vero Felicem, quem tu charitate summum, pudicum, moribusque ornatum asseris, nos habemus in castris Christi. » Tum in epilogo libri IV adversus Elipandum, eis qui de ratione catholicæ fidei dubitare viderentur, proponit exemplum Felicis ab errore ad catholicam conversi: « Illius religiosi viri, inquit, et magni nominis inter suos edoctus exemplo, etc. Demum in epistola 76 (nunc 4) Felicem laudat ob pietatem, ejusque preces postulat apud Deum, velut viri sancti. Non injuria ergo in vetustis tabulis Ecclesiæ Urgellensis dicitur *sanctus*. Nihil itaque fallacius est quam prava religio. Unde colligi interim potest non statim ex sancta episcopi vita sequi doctrinam ejus esse sanam. Tentat enim nos interdum Deus, ut palam fiat utrum diligamus eum, an non. « Luce clarius aperta causa est,

banda putant cuncta quæ dixit; nescientes quia non ex vita hominis metienda est fides, sed [a] ex fide probanda est vita. Quanquam enim multi bene credentes, male vivendo pereant; nullus tamen male credens, bene vivendo salvatur. Solius enim omnipotentis Dei est nosse occulta hominum, vel quis cum reprehensibili vita humilem mentem gestet, aut quis [b] cum laudabili vita superbam. Neuter enim perfectus est. Sed quis e duobus magis auctori displiceat, illi soli suppetit nosse. Scimus namque quia qui infirmitatis suæ bene sibi sunt conscii, sanctos se esse, etiamsi ab aliis dicantur, non credunt. Qui autem propter bonam conversationem, dum laudantur ab aliis, sanctos se esse confidunt, et idoneos se putant adjudicandum cæteros et alios quidem propter vitam carnalem, alios autem propter fatuitatem sensus despiciunt, omnibus tamen in commune detrahunt, non possunt illi placere qui dixit: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Qui autem vere placere Deo curat, subjiciat animam suam Deo cum omni humilitate. Fides est enim prima quæ subjugat animam Deo, deinde præcepta vivendi; quibus custoditis, spes nostra firmatur, et nutritur charitas. Cum ergo cognitio et actio beatum hominem faciant; sicut in cognitione vitandus est error, ita in actione cavenda est nequitia.

III. Quamobrem obsecro dilectionem vestram, quibus hoc opus necessarium esse dico, non vobis injiciant fastidium verba simplicia; sed potius delectet vos puritas fidei. Quoniam in verbis disserentium, ut quidam Patrum ait (Aug., *de Doctr. Christ.* l. IV, c. 11), veritas amanda est, non verba: « Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest: Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est? » Qui autem omnino dedignatur legere nostra, habet hic sufficienter sanctorum Patrum sententias adnexas, quibus conferat sensum Felicis. Tantum non negligat ad earum regulam fidem suam purificare: quia, ut beatus Athanasius ait: « Fidem catholicam nisi quis integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit. »

A Et ut alius doctor dicit (Aug., *in Psal.* CXLVII): Sicut virginitas carnis, corpus intactum est; ita virginitas animæ, fides incorrupta. » Ait etiam (Aug., *Tract.* VIII *in Evang. Joan.*): « Sic est veritas Christus, ut totum verum accipiatur in Christo verum Verbum Dei, Deus æqualis Patri, vera anima, vera caro, verus homo, verus Deus, vera nativitas, [c] vera passio. Si aliquid hic dixeris falsum, intrat putredo, de veneno serpentis nascuntur vermes mendaciorum, et nihil integrum remanebit. Quia ubi fuerit falsi alicujus corruptio, ibi veritatis integritas non erit. » Valent autem multum ad perpendendam subtilitatem veritatis, quæ dicturus sum in hoc loco; si tamen competenter valuissem explicare quæ dico.

B IV. Nestorius hæreticus sic duas naturas in unico Filio Dei Domino nostro Jesu Christo dividit ac separat, ut in disputatione dogmatis sui sic de uno quasi de duobus loquatur, quasi alium suspicans Deum Verbum, alium Emmanuel, licet plerumque unam horum fateatur personam. E contrario autem Eutyches in dogmate suo sic de unici Filii Dei loquitur singulari persona quasi de una substantia. Et quanquam sempiternam divinitatis ejus nativitatem confiteatur, temporalem quoque humanitatis non neget; ita tamen utramque substantiam permiscet atque confundit, ut una tantummodo prædicare intelligatur. Cum ergo utrumque, id est, Nestorium, et Eutychem, veritas fidei abjiciat, quæ medium inter eos tenet locum; beatus Cyrillus, ejusdem C veritatis defensor, Alexandrinus antistes, dum vellet corrigere pravitatem Nestorii, propter obscuritatem verborum, ut pote subtilissimæ rei, offendit beatum Joannem præsulem Antiochenæ Ecclesiæ, et eos qui cum illo erant; factaque est divisio inter Antiochenam et Alexandrinam Ecclesiam. Rogatus est autem ab Antiochenis Theodoretus Cyri episcopus, ut ageret adversum beatum Cyrillum. Et mirum in modum, dum utrique essent catholici, id est, et Antiocheni, et Alexandrini, beatus Cyrillus dum putatur esse hæreticus, quod non erat, inventus est a Theodoreto inter Nestorium hæreticum et Cyrillum catholicum medius locus, unde idem Theodore-

BALUZII NOTÆ.

inquit Vincentius Lirinensis, cur interdum divina providentia quosdam Ecclesiarum magistros nova quædam dogmata prædicare patiatur. Ut tentet vos, inquit, Dominus Deus vester. Et profecto magna tentatio est, cum ille, quem tu prophetam, quem prophetarum discipulum, quem doctorem et assertorem veritatis putes, quem summa veneratione et amore complexus sis, is subito latenter noxios subinducat errores, etc. » Tum adducit exemplum Nestorii, Photini, et Apollinaris; quos magnos viros fuisse constabat, et prævalidos hæreticorum adversarios.

[a] *Ex fide probanda est vita.* Nimirum juxta mentem Tertulliani, qui in capite tertio libri De Præscriptione Hæreticorum sic loquitur: « Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? »

[b] *Cum laud. vita superbam*, id est, mentem. Ergo et in pannis quoque potest esse fastus. Ergo et hi quoque superbi esse interdum possunt, qui sancti

D esse dicuntur. Præclare Optatus Milevitanus in libro secundo adversus Parmenianum, et quidem apposite prorsus ad mentem Agobardi: « Meliora inventa sunt peccata cum humilitate, quam innocentia cum superbia. » Sic apud Sulpitium Severum in dialogo 1, cap. 5, cum puer quidam aspidem illæsus apprehendisset, idque facinus fratres monasterii in modum miraculi extollerent; abbas, ne infirma ætas insolesceret, virgis compescuit, dictitans « quia melior esset infirmitatis conscientia, virtutum vanitate. » Vide S. Gregorium in lib. IV, De Cura Pastorali.

[c] *Vera passio.* Apud Augustinum Tractatu VIII, in Evangelium Joannis, et apud Prosperum in Libro Sententiarum ex Augustino cap. 326 legitur: *Vera nativitas, vera passio, vera mors, vera resurrectio. Si aliquid horum dixeris falsum*, etc. Sed apud Augustinum non exstant hæc verba; *Quia ubi fuerit falsi alicujus corruptio, ibi veritatis integritas non erit;* quæ tamen leguntur apud Prosperum.

tus pugnans pro veritate, ageret contra veritatem; qui dum istis catholicis placeret, illis displiceret: quod tamen, Deo auxiliante, Joannes et Cyrilli industria correctum est.

V. Hæc itaque idcirco ad medium deduxi, ut quam subtiliter, quam humiliter, quam veraciter, quam timide fidei veritas inquirenda sit, sollicite perpendamus. Igitur antequam de eis quæ prædictus Felix scripta reliquit disputemus, præmittendum video quomodo propriis verbis quibusdam, adhuc vivens, aliqua improbanda persuadere conatus est. Cœpit aliquando, ut dixi, quosdam docere, ut crederent Dominum nostrum Jesum Christum, secundum carnem veraciter nescisse sepulcrum Lazari, cum diceret sororibus ejus: *Ubi posuistis eum* (*Joan.* XI, 34), et veraciter [a] ignorare diem judicii, veraciter etiam ignorasse quid conferretur a duobus discipulis ambulantibus in via de his quæ facta fuerant in Hierusalem; veraciter quoque ignorasse utrum plus diligeretur a Petro, quam ab aliis discipulis, cum diceret: *Simon Petre, amas me plus his* (*Joan.* XXI, 16)? Hoc ut cognovi, [b] accessi ad eum coram ipsis quibus ista suadebat, et interrogavi eum utrum ita prorsus sentiret. Quod cum confirmare tentaret, objurgavi eum, et detestatus sum pravos sermones ejus; ostendique ut potui, cæteris qua custodia ista repudiarent, et quo sensu loca illa Scripturarum intelligere deberent; ipsique Felici sumptas sanctorum Patrum sententias, quæ blasphemiis ejus contrairent legendas direxi. Quibus lectis, promisit se omnis emendationis diligentiam sibimet adhibiturum. Propter quam rem silenter eum dimittens, non putavi necessarium esse easdem blasphemias ejus in exteros publicandas, quia [c] nec ad me pertinebat.

VI. [d] Post mortem vero ejus, cognovi per quosdam fideles fratres, qui ab illo audierant, quod dixerit Deum Dei Patris Filium nullatenus dici debere passum aut crucifixum, sed ab eo hominem assumptum; confirmare hoc nitens exemplo Isaac, qui a patre ductus ad immolandum, non ipse, sed aries pro eo est immolatus; tanquam in Isaac figuratus fit filius Dei, et in ariete filius hominis. Hæc autem faciebat sæpedictus Felix, quia nullatenus acquiescebat sentire, nec suadere sibimet ita valebat, ut crederet in uno Domino nostro Jesu Christo duarum naturarum unitionem substantialiter factam, et Deum Verbum secundum subsistentiam carni unitum, sicut liquido in consequentibus ex verbis illius apparebit. Contra quæ et nos obviantia sibi testimonia sanctorum Patrum, Deo auxiliante, posituri sumus. Timens enim permixtionem Eutychetis incurrere, corruit in [e] divisionem Nestorii. Sed quia eum, de quo sermo est, corruisse diximus in Nestorii pessimam divisionem, opportunum puto esse in hoc loco ponere sententias Nestorii, antequam ad hujus dicta discutienda veniamus; ut prudens lector cognoscere valeat quam consona Felix Nestorio senserit, et ubicunque male utramque in uno Domino dividit substantiam et confugit iterum

## BALUZII NOTÆ.

[a] *Ignorare diem judicii.* Idem crimen Felici exprobrat etiam Alcuinus in libro V adversus eumdem Felicem: « Tandemque illuc pervenisti, inquit, ubi de die ultimi examinis idem Dominus loquitur: cujus diei cognitionem Christo, in quantum homo est, denegare laboras, ut ex tuis verbis agnosci potest. » Tum verba Felicis adducit, in quibus videbatur ita scripsisse: « Ipse est enim, inquis, qui secundum præscientiam Deitatis diem judicii per prophetam prædixit. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Ipse nihilominus est propter humanitatis naturam, qui in Evangelio secundum Marcum protestatur: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, neque Filius, nisi Pater solus.* »

[b] *Accessi ad eum*, nimirum in civitate Lugdunensi, ubi exsulasse eum tradit Ado his verbis. « Felix Urgellitanus episcopus hæreticus deprehensus, adoptivum non proprium Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum dogmatizans: qui ad præsentiam Adriani pontificis Romani deductus, hæresim verbis solummodo abdicavit. Synodus iterum facta contra dictam hæresim in Franconofurt, legatis apostolicæ sedis præsidentibus Theophylacto et Stephano episcopis, et auctoritate sanctorum Patrum convictus et damnatus est. Iterum Felix cum errore suo perpetuo exsilio apud Lugdunum relegatus est, quem ferunt in ipso suo errore mortuum. » Sic enim habet vetus editio, melius profecto quam ea quæ typis Sonnianis excusa est Parisiis anno 1583 cura Laurentii de la Barre, in qua postrema verba hujus loci sic leguntur: *convictus et damnatus est iterum Felix cum errore suo, perpetuoque exsilio*, etc, quod fraudi fuit eruditissimo viro Joanni Marianæ.

[c] *Nec ad me pertinebat.* Felix enim erat episcopus in aliena provincia, in Narbonensi nimirum. Nam tum, post Maurorum in Hispanias adventum, excisa Tarracone, episcopi illarum partium sub metropolitano Narbonensi erant; ut pluribus dictum est in notis ad concilium Narbonense habitum adversus Felicem. Sic Faustinus episcopus Lugdunensis de causa Marciani Arelatensis episcopi cognoscere noluit, eo quod esset episcopus in aliena provincia, in Narbonensi nimirum, ut pluribus explicat illustrissimus vir Petrus de Marca archiepiscopus Parisiensis in libro primo de Concordia Sacerdotii et Imperii, cap. 10, § 8; et lib. VII, cap. 1, § 5.

[d] *Post mortem vero ejus.* Hinc colligi potest (quod et Ado tradit) Felicem mortuum esse Lugduni. Quod etiam patet ex ipso libri istius initio: in quo Agobardus ait repertam a se post mortem Felicis fuisse schedulam quamdam ab eo editam sub specie interrogationis et responsionis. Ex Lugduno autem, quo eum relegatum puto a Carolo Magno anno 799 post synodum Aquisgranensem scriptam arbitror a Felice epistolam de fidei confessione ad clerum et populum Urgellensem, quæ edita est inter opera Alcuini. Diu ergo post depositionem suam superstes fuisse videtur Felix, nimirum usque ad initium imperii Ludovici Pii.

[e] *Divisionem Nestorii.* Alcuinus in libro I adversus Felicem: « Nos non sequimur nec Nestorianam divisionem, qui propter duas naturas duas personas in Christo inserere voluit, nec Eutychetis confusionem, qui propter unam personam unam naturam in Christo intexere voluit. Ambo a catholica fide deviantes, impietate pares, quia fidem rectam non tenuerunt; sed errore impares, quia iste confundit, ille dividit. »

quasi ad unitatem personæ dicendo : *Unus tamen* A *in utroque, non duo*, quantum et in hoc eumdem Nestorium imitetur.

VII. Nestorius dicit, Dominum « Spiritus sancti virtute in Virginis vulva formatum, factum ex muliere, et factum sub lege, ut omnes nos a servitute legis redimeret; ante jam prædestinatum, adoptionem accipientem, inenarrabiliter sibimet vivens, mori quidem cum secundum legem humanam faciens, suscitans vero ex mortuis, et perducens in cœlum, et consedere faciens ad dexteram Dei, unde super omnes constitutus principatus, et potestates, et virtutes, et dominationes, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, verum etiam et in futuro, ab omni creatura accepit adorationem, sicut inseparabilem a divina natura habens copula- B tionem, relatione Dei et intelligentia omni creatura adorationem exhibente. Et neque duos filios dicimus, neque duos Dominos; quoniam unus filius Patris secundum Verbum Deus unigenitus filius Patris, sicut iste conjunctus et particeps constitutus filio communicat nomine et honore, Dominus secundum essentiam, Deus Verbum, cui iste conjunctus honore communicat. Et ideo neque duos filios hos dicimus, neque duos Dominos; quia manifesto constituto secundum substantiam Domino et Filio, inseparabilem tenet ad eum copulationem, qui causa nostræ salutis assumptus confertur nomine et honore filio et Domino; non sicut unusquisque secundum seipsum constitutus est filius, unde et multi secun- C dum beatum Paulum dicimur filii; sed solus præcipuum habens hoc quod ad Dei Verbi copulationem, adoptionem et dominationem participans, auferens quidem omnem suspicionem dualitatis filiorum et Dominorum, præstato vero nobis in copulatione ad Deum Verbum omnem haberet ipsius fidem et intelligentiam et theoriam, pro quibus et adorationem pro relatione Dei ab omni suscepit creatura. Verum igitur Filium dicimus et Dominum Jesum Christum, per quem omnia facta sunt, principaliter quidem Deum Verbum intelligentes substantialiter Filium Dei. » Iterum idem Nestorius : « Si quis eum qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, et non potius Nobiscum Deus, hoc est, inhabitasse eam quæ secundum nos est naturam, per id quod unitus est D nostræ quam de Maria virgine suscepit : » et post aliqua subjecit, « anathema sit. » Item ipse : « Si quis unum esse post assumptionem hominis, naturaliter Dei filium audet dicere, cum sit Emmanuel, anathema sit. » item ipse : « Si quis post incarnationem Deum Verbum alterum quempiam præter Christum nominaverit, » et post pauca subjunxit, « anathema sit. » Et item : « Si quis hominem qui in virgine creatus est, hunc esse unigenitum dixerit, » et post pauca subjunxit, « anathema sit. » Ecce habes sententias Nestorii : quas si et in conjunctione personæ, et in divisione naturarum, verbis Felicis conferas, invenies eos uno sensu incedere.

VIII. Videtur mihi etiam vestra charitas commonenda de hoc quod Felix frequenter gaudet dicere *hominem assumptum*, vel *formam servi*. Quanquam enim et pie dici possit, sicut et frequentissime dictum a sanctis Patribus invenitur; tamen considerandum est quod etiam impie dici possit, secundum quod in Nestorio hæc verba nostris displicuerunt. Ad quod beatus Cyrillus ita respondit (*in Def.* XII *anath. adv. Theod. c.* 7) : « Nos quæ meliora et veriora sunt sapere consueti, et subtiliores contingentes intellectus ad explanationem sacramenti, scientiamque perfectam, et secundum sacrarum placitum litterarum, et mansuetudines sanctorum Patrum, non hominem assumptum dicimus a Deo Verbo, et copulatum ei secundum habitum extrinsecus, sed potius hominem factum esse decernimus. Hac itaque gratia a pietate dogmatum dicimus excessisse eos qui præsumunt dicere assumptum hominem, et affirmant oportere eum sicut alterum alteri coadorari filio Dei. » Item ipse : « Factus est igitur homo, non assumpsit hominem, sicut Nestorio placet. Et ut crederetur quia factus est homo, manens quod erat, videlicet Deus, juxta naturam; idcirco et esurire dicitur, et ex itineris labore [a] lassessere, » et cætera.

IX. Dixit itaque Felix in suprascripta sua schedula, post aliqua quæ præmiserat, quasi interrogans : « Deus Pater omnipotens, voluntate genuit Filium, an necessitate? » Et respondit : « Quantum ad divinitatis ejus essentiam pertinet, neque voluntate, neque necessitate, sed natura. In vero quippe filio de substantia patris genito, voluntas nativitatem præire non potest, ubi natura præcedit. Sed neque necessitate, quæ in Deo utique non est. Quantum vero ad humanitatis ejus substantiam convenit, eumdem Filium suum, quia non ex semetipso genuit, sed de substantia matris virginis creavit, et nasci voluit, ob hoc, voluntate propter redemptionem nostram, non qualibet necessitate ejus filius creditur. »

X. In hac sententia Felix primum ex interrogatione superflua et vana, qua interrogat, utrum voluntate an necessitate genuerit Pater Filium, occasionem sibi parat p rveniendi ad id quod male sentit, et loquendo explicare non audet. Dicendo namque : *In vero quippe filio de substantia patris genito*, ita dividit divinitatem ab humanitate in Domino, ut eam in sola divinitate dicat verum Filium, in qua et de Patris substantia est genitus; juxta humanitatem autem, in qua et dicit illum de substantia matris virginis creatum, sentiat eum non verum, licet lo-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Lassessere.* Sic omnino codex vetus; pro quo Massonus ediderat *flacessere*. Et scribendum erat *lassescere*, veterem eamque optimam orthographiam sequendo. Sed voluimus exhibere bona fide lectionem veteris codicis. Alcuinus in libro primo adversus Elipantum, loquens de diabolo : « Ille explorare volens, si filius Dei esset quem esurire, sitire, et *lassescere* cernebat. »

quendo explicare non audeat. Apparet enim hæc fraus in eo quod sic de substantia divinitatis loquitur, quasi de alia persona præter humanitatem. Dicens namque de sola divinitatis substantia : *In vero quippe filio*, vult demonstrare non eum esse in utraque substantia verum filium. Quod autem interponit dicens : *Voluntas nativitatem præire non potest ubi natura præcedit*, apertissimum mendacium profitetur. In omnipotente enim et sempiterno Deo omnia sempiterna sunt, neque ei qui fecit tempora, aliquid accessit ex tempore. Naturæ enim quæ initio caret et incremento non indiget, quod est habere, hoc esse ; et quod est esse, perpetuum est ; et sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Non ergo in illo natura præcedit voluntatem, neque voluntas consilium, neque consilium Verbum ; quia sicut nunquam fuit sine Verbo, ita nunquam fuit sine sapientia, sine consilio, sine voluntate, vel quidquid de Deo veraciter dici potest.

XI. Nos autem Dominum nostrum, unicum Filium Dei, sicut verum Deum confitemur, ita et verum Filium credimus ; quia non est alter ex patre, et alter ex matre ; licet aliud sit divinitas, et aliud humanitas ; sed idem in utroque unus et verus, beato Cyrillo nos ita docente : « Unus ergo Filius, unus Dominus Jesus Christus, et ante incarnationem, et post incarnationem. Non enim alter est filius Verbum Dei Patris, et alter iterum qui de sancta Virgine natus est ; sed idem ipse qui est ante sæcula Deus, etiam secundum carnem ex muliere creditur editus : non quod ex ea initium deitas ejus acceperit ut sit, aut subsistendi principium de sancta virgine sumpserit ; sed potius, ut dixi, quod Verbum subsistens ante sæcula, secundum carnem dicitur ex ea progenitum. Propria enim facta est ejus caro, sicut et singulis nobis est proprium corpus. »

XII. Quod autem totus verus Deus credatur, ita ipse beatus Cyrillus docet (*Anath.* I) : « Si quis non confitetur Deum esse secundum veritatem Emmanuel, et propterea Dei genitricem sanctam Virginem genuisse eum carnaliter, carnem factum ex Deo Verbum, anathema sit. » Et iterum (*In Declar.* XII *anath.*) : Dicimus autem carni animam habenti rationalem unitum Verbum, sed ultra mentem, et ineffabiliter, et sicut solus ipse novit. Ergo permansit Deus et in assumptione carnis, et est unus Filius Dei et Patris Dominus noster Jesus Christus ; idem ipse et ante omne sæculum et tempus, secundum quod intelligitur Verbum et splendor substantiæ ejus, et in novissimis temporibus dispensative homo propter nos. » Item ipse : « Factus est caro ex Deo Patre Verbum, non per transitionem, aut conversionem suæ naturæ, sed propriam faciens carnem ex sancta Virgine sumptam ; unusque et idem appellatus filius, ante humanationem quidem sine carne adhuc Verbum, post inhumanationem vero idem incorporatus. » Item ipse (*In Def.* XII *anath. adv. Theod., cap.* 2) : « Nestorio igitur ubique perimente Dei Verbi secundum carnem nativitatem, et

A solarum nobis dignitatum unitatem introducente, hominemque Deo copulatum dicente filiationis homonymia, hoc est, univocatione honoratum, necessario nos dictis illius repugnantes secundum subsistentiam unitatem dicimus factam ; hoc secundum subsistentiam, nihil aliud declarantes, nisi quod sola Verbi natura sive subsistentia, quod ipsum Verbum humanæ naturæ secundum veritatem unitum, sine ulla conversione atque confusione, sicuti sæpe diximus, unus intelligitur, et est Christus, idem Deus et homo. » Item ipse : « Unum atque eumdem adorantes ; quia non alienum corpus a Verbo, sed ei magis est proprium, cum quo consedet Patri ; non sicut duobus filiis consedentibus, sed sicut uno cum carne propter unitatem. Si vero subsistentialem B unitatem recusamus, irruimus ut duos filios prædicemus. Necesse est enim cuncta dividere, et dicere hominem quidem specialiter filii prædicari, et rursus specialiter Deum Verbum filii nomen atque appellationem naturaliter habere. Non ergo in duos filios unus Dominus Jesus Christus dividendus est. Nullo modo enim oportet rationem rectæ fidei sic habere, sed nec personarum unitatem, sicut aliqui opinantur. » Item : « Processit homo ex muliere, Deus esse non desinens, et ex Deo Patre esse progenitus, sed in assumptione carnis, quod fuerat perseverans. Istud allegat ubique subtilis fidei ratio. » Item ipse : « Cum Scriptura divinitus inspirata unum dicat Filium, atque Dominum. Quocirca post ineffabilem unitatem, si Deum nomines Emmanuel, incarnatum C et hominem factum intelligimus nos ex Deo Patre Verbum. Sive hominem dicas, nihilominus illum ipsum in mensuris humanitatis participatum dispensative cognoscimus. Factum vero dicimus palpabilem qui impalpabilis est, visibilem qui invisibilis est. Non enim fuit extraneum ei unitum ipsi corpus, quod etiam dicimus esse palpabile et visibile. Qui autem ita non credunt, distinguunt autem, sicut dixi, subsistentias post unitatem, et puram eis copulationem subintelligunt secundum solam dignitatem sive auctoritatem, alienat eos ab his qui recte sapere consueverunt præsens anathematismus. »

XIII. Interrogat Felix : « Utrum Maria virgo Deum et hominem, sicut pariter, ita et similiter genuit, an aliter genitrix deitatis, et aliter humanita-D tis esse credatur. » Respondetque sibimet ipsi dicens : « Licet eadem gloriosa Virgo Dei et hominis genitrix fideliter credatur, aliter tamen Dei genitrix, et aliter hominis recte profitetur. »

XIV. Ad hæc verba nos respondemus quod non solum sint blasphema et omni odio digna, verum etiam nova et inaudita. Quomodo enim aliter Dei genitrix, et aliter hominis esse potuit ? Certe Deum genuit incarnatum, cui uni uno est modo genitrix, non duobus ; eo scilicet quo Deus in illa et ex illa factus et natus est homo. Nec est usus catholicus, hominis eam genitricem nominare, sed semper Dei genitricem. Si Deus homo factus, ex illa natus est, duobus utique modis non est natus. Nam si duobus

modis nasceretur, duabus et vicibus nasceretur : A quod dici nefas est. Imo si aliter Deus ex ea, et aliter homo natus est; duo sunt, alter Deus, et alter homo, id est, non idem Deus qui homo, nec idem homo qui Deus. Nestorius hæreticus, qui ita sensit, non dixit Deum ex Maria natum, sed hominem, ex semine David. Iste autem, si catholicus esset, unum eumdemque esse et Deum et hominem et unum uno modo, et semel tantum natum crederet. Si autem esset Nestorianus, aut [a] Paulianista, sive Photinianus, solum hominem crederet ex ea natum, et semel tantum. Nunc autem quia dicit sanctam Virginem aliter Dei esse genitricem, et aliter hominis, ego puto quia sicut nec usitato more loquitur, ita nec catholico. Certe catholici prædicant Dominum nec in divinitate habere matrem, nec in B humanitate patrem. Iste autem qua ratione sequestrando ab humanitate divinitatem, aliter eam Dei, et aliter hominis genitricem esse credit, et hic ex parte aperit dicendo : « Natura quippe humanitatis assumptæ propriam eam esse genitricem, Dei vero matrem gratia et dignatione divinitatis factam, » et in subsequentibus et pejus et evidentius patefaciet, ubi et nos opportunius ad ista responsuri sumus.

XV. Nunc autem quia aliter Dei et aliter hominis eam genitricem dicit esse, cum nunquam fuerit usus in ratione fidei hominis eam genitricem nominari; quippe cum nec mirabile sit, cum certe omnium hominum matres hominum genitrices sint, illa qualiter hominis facti, id est, Verbi caro facti genitrix prædicetur, ex sanctorum Patrum sententiis audiamus. Ait namque C præcipuus ille expugnator Nestorianæ impietatis doctissimus et beatissimus Cyrillus : « Affirmamus igitur ex Deo patre Verbum in assumptione factum, sanctæ et animatæ carni unitum, secundum veritatem inconfuse ex vulva ipsa processisse hominem, permansisse autem etiam secundum Verbum. Ideoque et Dei genitrix est sancta Virgo. Superfluum autem arbitror oportere existimandum, et hominis genitricem eam dici. Siquidem essent aliqui ex multa nimis vesania, qui dicerent Dei Verbi naturam, fontem veluti quemdam et propriæ essentiæ principium habuisse carnem. Forte fuisset aliquando non absurda et contemnenda ratio volentibus eam etiam hominis nominari oportere genitricem. Quia vero abominabilis et odiosa quidem apud omnes est hujusmodi D sententia, intelligiturque non aliter Dei genitrix sancta Virgo, nisi primo susceperit quisquam fidem, hoc est, quia factus est caro, hoc est, homo Verbum ex Deo Patre. Non enim quodammodo divinitatem nudam, sicuti dixi, peperit Virgo. Quæ hujus instantiæ videtur utilitas dicentium oportere nominari eam et hominis genitricem. Sed, sicut apparet, inventa quædam ab eis est contra Christum hæc machinatio. Non enim patiuntur sapere, vel dicere ipsum qui ex Deo Patre est ante sæcula Filius, in novissimis sæculi temporibus inconfuse, inconvertibiliter ex vulva unitum carni animam habenti rationalem, sicque factum nostrum secundum hominem. »

XVI. Iterum post aliqua interrogando Felix quærit : « Utrum Christus Dominus in utraque natura similiter sit Filius Dei, an dissimiliter ; » et subjungit respondendo, « non similiter, sed dissimiliter. » Quærit deinde quo ordine id fiat : et respondendo affirmat dicens : « Quia sicut in se continet duas naturas, id est, divinitatis suæ, et humanitatis nostræ, ita duobus modis unus creditur Dei Filius. » In quo loco obsecro et admoneo lectorem, si tamen fuerit qui legere dignetur, ut penset attente quod dicitur. Supra dixit sanctam Virginem aliter Dei esse, et aliter hominis genitricem. Nunc dicit duobus modis esse Filium Dei Dominum nostrum, et in ipsis dissimiliter. Ecce quatuor modi, et inter se dissimiles, quibus dicit Dominum esse Filium Dei Patris, et hominis matris. Forsitan qui plura, quam ego, legit, invenit aliquid huic rei simile. Ego tamen neque in catholico neque in hæretico dogmate hujuscemodi rem legisse me novi. Sed inspiciamus et sequentia, utrumne ad istos quatuor modos et alios plures augeat.

XVII. Interrogat itaque Felix dicens : « Prosequere quibus subauditur modis : » et respondendo subjungit : « Secundum divinitatis essentiam, natura, veritate, proprietate, genere, nativitate, atque substantia : juxta humanitatem vero non natura, ait, sed gratia, electione, voluntate, placito, prædestinatione, assumptione, et cætera, inquit, his similia. » Ecce dum quatuor prædicaret modos nativitatis dominicæ, duos ex matre virgine, duos ex Patre Deo, inventi jam sunt duodecim, sex videlicet ex Patre, et sex ex matre. Qua autem faciat intentione, bene considerantibus perspicuum est, videlicet quia cuncta quæ nativitati divinitatis tribuit, humanitati adimit. Quod si propterea fecisset, ut ostenderet aliud esse humanitatem, aliud divinitatem, haberet profecto faciliorem et usitatiorem loquendi paternum modum, quo id ostendere potuisset : quem si secutus fuisset, nec nova diceret, nec mendacium incurreret. Dicendo namque secundum divinitatis essentiam veritate esse Filium, et proprietate, et cæteris quæ ibi conjungit; vult eum esse secundum humanitatem nec verum, nec proprium, sed e contrario omnia.

XVIII. Sed quia hæc in subsequentibus manifestius aperit, intueamur nunc quare eum vult juxta humanitatem esse Filium Patris, non natura, non nativitate, non genere, non veritate; sed gratia, electione, voluntate, placito, prædestinatione, assumptione. Quicunque igitur antiquos illius errores cognovit, quid et nunc utique velit cognoscit. Dixerat namque Dominum nostrum Jesum Christum secundum humanitatem adoptivum esse filium Pa-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Paulianista.* Ita codex manuscriptus. Neque video quid causæ esse potuerit ut Massonus *Apollinarista* ederet pro *Paulianista*. Nam diversus fuit Appollinaristarum error ab eo quem hic persequitur Agobardus. Vide Prædestinatum lib. I, cap. 44, 45.

tri. Et quia licet et alia adhuc pejora diceret et A sentiret, nescio qua existente causa de solo adorationis [*Baluz.*, adoptionis [a]] nomine discussus est, quod et compulsus est negare convictus, et non solum ter aut quater, sed [b] multoties de hoc convictus, coactus est ad negandum hoc quod prave ausus fuerat docere. Sed quia id [c] ex intimo cordis sui sensu et prompta voluntate non fecit, arbitratus est apud semetipsum bene se prius sensisse, et postea male negasse. Ac per hoc quia illic trepidavit timore, ubi non erat timor, idcirco in his suis litteris nunc elaborat, ut ostendat Dominum secundum humanitatem, nec verum Deum esse nec verum Filium Dei, nec proprium. Sed quia contra hæc omnia sententias sanctorum Patrum, Deo adjuvante, opposituri sumus, per quas dignosci valeat B in quantum a catholica veritate discesserit, nunc sequentia ejus verba ponamus, ut tota illius pravitas detegatur et postea veris sensibus mendacia illius expugnentur.

XIX. Interrogat iterum Felix : « Christus Dominus ac Redemptor noster, sicut in divinitate creditur verus et proprius Filius Dei, ita et in humanitate, an aliter? et respondendo subjungit : « Verus et proprius Filius ille veraciter creditur, qui de substantia Patris est genitus, non aliunde assumptus, cui generatio dat nomen filii, non electio, vel gratia, sive adoptio, aut voluntas. » Ecce jam patefecit omnem errorem, quem occultum corde gestabat. Dicendo namque : « Verus et proprius Filius ille veraciter creditur, qui de substantia Patris est C genitus, non aliunde assumptus, » duos se filios credere prodit, unum genitum, alterum assumptum, unum cui generatio dat nomen filii, alterum cui electio, vel gratia, sive adoptio. Forte dicat aliquis favens partibus illius : Non sensit Felix duos, ut tu dicis, qui statim subjunxit : *Unus tamen in utroque, non duo*. Cui ego respondeo, non esse morem dicendi unquam *ille*, et *cui*, sicut in hoc loco Felix scripsit, nisi cum agitur de personis ; et quem ita divisum in corde tenebat, bene unire verbis supervacuis non poterat. Jam enim superius ostendimus ex verbis Nestorii, ita et illi esse morem loquendi, *idem unum esse in utroque*, *non duos*. Sed certe beatus Cyrillus et cæteri qui idonei exstiterunt ad detegendam fraudem illius et expugnandam vesaniam, non illi crediderunt unum Dominum posse tenere in fide, de quo ita aperte loquebatur, sicut de duobus.

XX. Sed esto, consentiamus ei qui conatur asserere unum Filium Felicem sapuisse, non duos. Quid ergo est quod unum eumdemque dicit verum et non verum, proprium et non proprium, nativitate et adoptione, genere et electione, substantia et assumptione? Certe talis unitas non est unitas, sed dualitas; sic conjungere, dividere est; ita copulare, separare est. Rogo, ubi unquam legisti in divinis litteris, vel in dogmatibus catholicorum Patrum, quod Dominus noster secundum humanitatem suam, assumptione, electione, vel gratia dicatur esse Filius Dei Patris? Certe ego nunquam legi. Et si dicit Scriptura : *Beatus quem elegisti et assumpsisti* (*Psal.* LXIV, 5); aut : *Exaltavi electum de plebe mea* (*Psal.* LXXXVIII, 20); nunquid talem sensum introducit, ut nos eum dicere et [d] confiteri debeamus electivum vel assumptivum filium Dei Patris? Et si evangelista dicit eum plenum gratiæ et veritatis; nunquid docet ut Deo Patri gratia esse filium secundum humanitatem eum confiteri debeamus? Ergo et quia Apostolus dicit de illo, *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*, acceptivum filium Deo Patri esse eum dicemus secundum humanitatem. Penset diligenter quis, et quid, aut quare assumpsit, suscepit. Suscepit certe Verbum Dei coæternum Patri substantiam nostram; sed non ideo ut ipse sibi filius esset; non ideo ut Deo Patri alio modo inciperet esse filius, quam erat ante incarnationem ; non ideo ut filiationis modos et nomina multiplicaret : quia nec se ipsum dualitatis copulatione duplicavit. Non enim alter est suscipiens, et alter susceptus : non est alter pro nobis pauper factus, nisi qui erat dives et ante susceptionem paupertatis : non est alter pro nobis peccatum factus, nisi qui erat antea nesciens peccatum : ut, sicut Aposto-

BALUZII NOTÆ.

[a] *De solo adoptionis nomine.* Hinc itaque discimus, non intra Christi naturam substitisse Felicem, sed D aliis quoque erroribus implicitum fuisse ; attamen cæteros illius errores non fuisse discussos in synodis, sed solam hæresim de adoptione Filii Dei. Quod usurpatum in concilio Narbonensi patet ex his verbis : *Præsertim pro Felicis Urgellitani pestifero dogmate.* Neque enim aiunt, *propter dogmata Felicis*, sed *pro dogmate*. Sane ex prologo Dungali conñci potest Felicem eadem de imaginibus sensisse quæ et Claudius Taurinensis sentiebat. Hæc sunt verba Dungali : « Cum enim Dominus beatissimæ memoriæ Carolus, ferventissimus vigilantissimusque catholicæ fidei tutor et propugnator, nequissimæ caput viperæ in magistro hujus erroris Felice, contra sibilantis unitatem Ecclesiæ apostolicæ auctoritatis prævalida confregerit virga, etc. » Quod etiam colligi potest ex libro primo Jonæ Aurelianensis adversus eumdem Claudium Taurinensem. Unde intelligas frustra esse notatorem concilii Eliberitani : qui ut Hispanos suos nunquam adversus imagines iniquos fuisse ostendat, contendit Felicem his opinionibus implicitum non fuisse.

[b] *Multoties de hoc convictus.* Nimirum in concilio Narbonensi an. 788, in Ratisbonensi an. 792, Romæ apud Adrianum papam, in synodo Francofordiensi anno 794, in Romana an. 799, in Urgellensi et Aquisgranensi anno eodem. Unde constat verissimum esse quod adnotat Agobardus, non solum ter, aut quater, sed multoties convictum fuisse Felicem.

[c] *Ex intimo cordis sui sensu.* Eventus ergo docuit falso hæc ad Urgellenses suos scripsisse Felicem : « Ad universalem Ecclesiam Deo favente ex toto corde nostro reversi sumus, non qualibet simulatione, seu velamine falsitatis, sicut dudum, quod Deus scit, sed, ut dixi, vera cordis credulitate et oris professione. » Nisi si tum ita vere sentiebat Felix, postea vero mutavit.

[d] *Confiteri.* In ms. erat *conferi*; pro quo Massonus perperam edidit *conferri*. Nos, quia manifestum est legi debere *confiteri*, non dubitavimus quin respuenda esset emendatio Massoni.

lus exponit, cœlestis medicus ex nobis acciperet per quod contraria medicamenta nobis adhiberet, scilicet ut salva impassibilitate sua, immortalitate, et incommutabilitate, [a] sua nos morte vivificaret, sua paupertate ditaret, suis contumeliis honoraret, suis vulneribus sanaret, et cætera hujusmodi. Sic et in quodam loco beatus scribit Hieronymus : « Quæ autem potest major esse dementia quam ut Filius Dei hominis filius nasceretur, decem mensium fastidia sustineret, partus exspectaret adventum, involveretur pannis, subjiceretur parentibus, per singulas adoleret ætates, et post contumelias vocum, alapas, et flagella, crucis quoque nobis fieret maledictum, ut nos a maledicto legis absolveret, Patri factus obediens usque ad mortem? » Sed quia cuncta supra scripta Felicis male sensa verbis Patrum destruere debemus, legat cui placet jam adnexas Patrum sententias. Interim tamen, quia memini me supra dixisse nullo modo Felicem sibimet suadere potuisse, ut in uno Domino duarum naturarum conjunctionem naturaliter ac substantialiter factam crederet, et verbis beati Cyrilli ostendimus quomodo naturaliter facta credatur, habet lector de eadem re [b] beati Hieronymi satis politam et enucleatam sententiam, cum de illo divinæ Scripturæ loco ageret, ubi dictum est : *Ponam inimicitias inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et semen mulieris. Ipsa tuum calcabit caput, et tu insidiaberis calcaneo ejus* (*Gen.* III, 15). « Nonne, inquit, conspicis, nonne consideras, quod jam tunc illi minabatur in Christo? Alium enim semen mulieris, nullum prorsus accipio, nisi illum quem Apostolus ait factum ex muliere, factum in carne, illum, qui ut evangelista refert, Joseph filius putabatur esse, sed non erat, illum utique qui Verbum caro factum est. Nam si generandi publicam istam et naturalem circumspicimus rationem, semina non habent mulieres. Denique nulla concipit sine viro. Ac per hoc, quoniam jam tunc in Adam semen humanæ generationis esset transgressione vitiatum, semen cœleste promittitur, ut Apostolus sentit, non ex corruptione viri, sed ex Deo, quod tamen caro fieret in muliere, et elementa prima illa corporea substantiæ, id est, humoris et sanguinis, in ipso sibi vasculo, in quo ipsa elementa sita sunt, naturaliter aptaret. » [c] Beatus quoque Augustinus : « Illa enim natura, inquit, quæ semper genita manet ex Patre, nostram naturam sine peccato suscepit, ut nasceretur ex virgine. Neque enim natura æterna atque divina temporaliter concipi et temporaliter nasci ex natura humana ullatenus posset, nisi secundum susceptionem veritatis humanæ veram temporaliter conceptionem atque nativitatem ineffabilis in se divinitas accepisset. Sic est Deus æternus ac verus, veraciter secundum tempus conceptus, et natus ex Virgine. Dum enim *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus;* illo scilicet Deo facto naturaliter filio hominis, qui unicus est naturaliter Filius unigenitus Dei Patris. »

XXI. Contra illud vero quod Felix dicit, duobus modis Deo Patri unum esse filium, et duobus modis matri : quæ dicendo, illuc tendit, ut ostendat eum secundum divinitatem quidem esse verum, secundum humanitatem autem non esse verum : quod quam falsum sit, jam supra positis sententiis beati Cyrilli ostensum est; et nunc ejusdem et aliorum ponenda sunt testimonia, per quæ ostendendum est, et unicum Dominum nostrum totum esse Deum, et Dei Filium, hominem quoque et hominis filium, salva tamen proprietate utriusque substantiæ, totumque esse verum quod est; ut quicunque diversos modos filiationis Dei in fide nobis introducere voluerit, videat an locum inveniat. Beatus Cyrillus : « Libet, ait, eum percontari utrum unitatem Verbi ad humanitatem Verbi, sive ad sanctum corpus animatum intelligibiliter factam dicat secundum veritatem, an potius cum aliis simul, et ipse secundum copulationem, quæ per habitudinem est sermo docibilis et inexistentis formæ ad inexistentem et divinam formam. Unum namque unitas demonstravit, et in duos dividere refutamus. Nam licet factum est caro Verbum secundum Scripturas, attamen est etiam sic filius unigenitus secundum unitatem veram, quæ ultra mentem et rationem est. Ipse igitur unus et verus Christus Jesus, tanquam per instrumentum proprii corporis operatus est signa divina, et non operatum in eo. » Item Cyrillus : « Dominus noster Jesus Christus unus, inquit, et solus vere Filius existens Dei Patris, caro factus, et principat omnium simul cum proprio genitore, flectiturque ei *omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum*, et confitetur *omnis lingua, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Est igitur ipse Dominus quidem omnium, secundum quod intelligitur et est Deus, licet non sine carne post inhumanationem. Ipse vero rursus nec Deus nec Dominus. Est enim absurdissimum, magis autem omni impietate vere completum, ita sapere vel dicere. » Item ipse : « Dispensationis Unigeniti cum carne sacramentum, a nobis jam factis, nunc nihilominus copulare sermonibus dignum est, et eos non sine decenti ra-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Sua morte vivificaret.* Ex sermone 75 in appendice Sermonum sancti Augustini : « Hoc fecit Dominus noster Jesus Christus, sua paupertate nos ditans, sua humilitate nos sublevans, sua infirmitate nos sanans, sua morte nos vivificans. »

[b] *Beati Hieronymi sententiam.* Sumptus est hic locus ex epistola 7 ad amicum ægrotum de viro perfecto, quæ edita est tom. IX operum Hieronymi. Verum hanc epistolam non esse Hieronymi contendunt viri eruditi. Agobardus non dubitabat quin esset Hieronymi.

[c] *Beatus Augustinus*, in libro nimirum De Fide ad Petrum. Sed hunc librum non esse Augustini, sed Fulgentii Ruspensis episcopi, jam ostensum est a viris eruditis.

tione monstrare. › Et post pauca : ‹ Cum Nestorius igitur ita scripserit de Christo : Ergo qui passus est pontifex misericors, nam vivificator ejus qui passus est Deus, et Deum Christi Deum Verbum nominaverit, adjeceritque his : Erat autem ipse et infans, et infantis Dominus, non affirmamus, quia non decentior natu, magis autem impie nimis ejus verba prolata sunt. Si enim Deus est Christi ex Deo Patre Verbum, duo modis omnibus erunt, et indubitanter. Quomodo autem intelligitur et infans ipse, et Dominus infantis? Non ergo dicitur et Deus suimet ipsius, et Dominus Emmanuel, si est idem Deus simul et homo, tanquam inhumanatum et incarnatum Dei Verbum. ›

XXII. Beatus quoque Augustinus : ‹ Ego enim, inquit, Salvatorem nostrum non divido, non confundo, ne aut incorpoream et imaginariam carnem, aut carnalem et mortalem prædicem deitatem. Non separo; ne Dei Patris unam secundum carnem, et alteram secundum majestatem introducere videar prolem; quia idem Dei Filius et sine initio processit ex Patre, et secundum tempus nasci est dignatus ex Virgine. Impassibilis in suo, passus in nostro, dum imcomprehensibilem majestatem velut quoddam indumentum carnis vestire est dignatus ex utero. Mediatoris una persona, non una substantia ; una inquam persona, ne sit non unus Christus ; non una substantia, ne mediatoris dispensatione submota, aut Dei tantum dicatur aut hominis filius. › Et post pauca : ‹ Quibus in unam personam incomprehensibili mediatoris dispensatione conjunctis, servavit singulis propria, sed conjunxit propriis aliena. Servavit propria, dum non amisit immensitatem divinitatis, et infirmitatem non respuit carnis. Conjunxit propriis aliena, dum idem atque inseparabilis Christus, et proprio carnis occiditur, et proprio deitatis apud inferos non tenetur. Proprio carnis gustavit vita mortem, proprio deitatis perpetuam reddidit carnem. Non ergo recte dicitur, In Filio Pater est passus ; quoniam in carne, quæ ei non est cum Patre communis, passus est filius. Itaque glorificata est caro majestate, dum majestas humiliata docetur in carne. Sed utrumque non de duobus Christis, sicut putas, sed de uno atque eodem ipso, quem post partum Virginis Deum et hominem novimus, nos certum est prædicare. › Ecce beatus Augustinus asserit quia qui Salvatorem nostrum confundit, aut incorpoream et imaginariam carnem, aut carnalem et mortalem prædicat deitatem ; qui vero separat unam secundum carnem, et alteram secundum majestatem Dei Patris, introducere videtur prolem. Certum est ergo separare te Salvatorem nostrum qui duos modos tenes filiationis, ut aliter sit Filius secundum deitatem, et aliter secundum carnem. Quod si unus atque idem est inseparabilis Deus et homo qui et proprio carnis occiditur, et proprio

A deitatis inseparabilis permanet, ubi habebunt locum tui modi ?

XXIII. Item beatus Augustinus : ‹ Filiorum namque alii, inquit, sunt adoptivi, alii naturales. Hi, quia geniti ab initio, filii semper ac proprii. Illi, primo alieni, post filii, cum per adoptionem in familiam videantur adscisci. Quibus ergo comparandus est Filius Dei ? Si adoptivis ; erit apud Patrem similis nobis. Si propriis ; ex substantia exstitisse dicendus est genitoris. › Ecce beatus Augustinus aperte docet, quia [a] adoptari in filio non potest, nisi qui antea exstitit alienus ; nec potest quisquam per adoptionem accipere patrem, nisi qui habuit proprium. Tu qui duobus modis unicum Dominum prædicas esse filium Patri, id est, proprietate et adoptione, ostende ex

B illa parte qua adoptivus est, quem habuit proprium, aut ostende fuisse illum antequam adoptaretur; sicut beatus Augustinus adoptivos distinxit a propriis. Item beatus Augustinus (*In Enchir.* cap. 35) : ‹ Proinde, ait, Christus Jesus Dei Filius, Deus est et homo. Deus ante omnia sæcula, homo in nostro sæculo ; Deus, quia Dei Verbum : Deus enim erat Verbum. Homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, et caro. Quocirca in quantum Deus est, ipse et Pater unum sunt : in quantum autem homo est, Pater major est illo. Cum enim esset unicus Dei Filius, non gratia, sed natura, ut esset etiam plenus gratia, factus est et hominis filius, ipse idem utrumque ex utroque unus Christus. › Si

C aliquando beatus Augustinus debuisset prædicare Dominum nostrum gratia esse Filium Patris secundum humanitatem, in hac sententia haberet præcipuum et congruum locum. Dicens ergo, *Cum enim esset unicus Dei Filius, non gratia, sed natura*, adjungeret ut esset etiam filius gratia, *factus est et hominis filius*. Non autem dixit ita. Sed ait, *Ut esset etiam plenus gratia, factus est et hominis filius*. Qua autem ratione dicat eum factum filium hominis, propterea ut esse posset plenus gratia, in subsequenti sententia diligenter exponit, dicens : ‹ Hic omnino granditer et evidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta ? Quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona præcesserunt, quibus mereretur

D iste homo una fieri persona cum Deo ? Nunquid antea fuit homo ; et hoc ei singulare beneficium præstitum est, cum singulariter promereretur Deum ? Nempe ex quo homo cœpit esse, non aliud cœpit esse quam Dei Filius ; et hoc unicus, et propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus ; ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona, Verbum et homo. Unde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita, nisi quia magna hic et sola

BALUZII NOTÆ.

[a] ***Adoptari in Filio.*** Ita codex vetus. Et manifestum est legitimam esse emendationem Massoni, qui edidit *in Filium*. Sed quia frequenter Agobardus peccat in regulas grammaticæ, sic arbitrati sumus, retinendos quoque istos errores ob reverentiam viri.

Dei gratia fideliter ac sobrie considerantibus evidenter ostenditur; ut intelligant homines per eamdem gratiam se justificari a peccatis per quam factum est ut homo Christus nullum posset habere peccatum? Sic ejus matrem angelus salutavit, quando ei futurum nuntiavit hunc partum. *Ave*, inquit, *gratia plena :* et paulo post, *Invenisti*, inquit, *gratiam apud Dominum*. Et hæc quidem gratia plena, et invenisse apud Deum gratiam dicitur, ut Domini sui, imo Domini omnium, mater esset virginitate servata. » *Et post pauca :* « Veritas quippe ipsa, unigenitus Dei Filius, non gratia, sed natura, gratia suscepit hominem tanta unitate personæ, ut idem ipse esset etiam hominis filius. » In hoc etiam loco ubi dicit *Dei Filius non gratia, sed natura*, poterat subjungere, *gratia etiam factus est Filius Dei, suscipiendo hominem*, si eum gratia Filium Dei Patris secundum humanitatem esse deberemus credere. Sed non dixit aliquid tale. Imo ait : *Gratia suscepit hominem*. Qui suscepit; utique Filius Dei Verbum Dei. Certe gratia suscepit hominem. Misericordia factus est homo; quia misericordia natus, non conditione; misericordia mortuus, non debito. Nunquid hic aliquid referimus ad Patrem, ut dicere possimus gratia esse eum Filium Dei Patris? Nam sicut credere deberemus gratia, adoptione, vel assumptione, aut quidquid secundum hæc dici potest, Filium Dei secundum humanitatem, supra fuisset beato Augustino ad proferendum aptissimus locus, ubi dixit de homine assumpto, « nempe ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse quam Dei Filius, » ut adderet, *gratia, adoptione, electione*, aut aliquid hujusmodi. Sed non fecit ita. Quod ergo addidit, videamus utrum possit ad ista pertinere. Ait enim : « Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse quam Dei Filius, et hoc unicus, et propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus. » Ecce beatus Augustinus hominem dicit unam factum personam cum Deo, et esse Filium Dei unicum, et Deum. Nunquid significavit hic nobis ut credere eum debeamus non verum Filium Dei, non verum Deum, sicut Felix docet? Certe ego puto, quia cum diceret, *ex quo esse cœpit, non aliud cœpit esse quam Dei Filius*, propterea addidit, et *hoc unicus*, ut nos eum verum Filium Dei credamus, et totum verum, et totum proprium, non medium proprium, et medium adoptivum.

XXIV. Si autem in hoc loco inusitato more ego alicui loqui videor, quia dico totum Dominum; audiat, quisquis ille est, similem huic sententiam [a] Symmachi papæ ad Anastasium imperatorem : « Christus itaque Deus veraciter totus, et totus homo est, sic conceptus, sic editus, sic conversatus in sæculo, sic passus, sic apud inferos, sic resuscitatus, sic cum discipulis apparens, sic elevatus in cœlum, sic exinde dictus est esse venturus, sic hodieque in cœli regione persistit, dicente Apostolo, *in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Et certe de eo dicit quod nunc est ipse. Ergo ille est minimus qui credit in Christo, qui in hujusmodi Christum credit, qui in integrum Christum credit, non in semi-Christum, et ideo non Christum, quia Christus non nisi integer, integer autem non nisi hujusmodi. » Ecce et beatus papa Symmachus totum Christum dicit veraciter Deum esse, et totum hominem. Si ergo totus veraciter Deus, totus utique verus Deus, et proprius Filius Dei; quia tota generatio dedit nomen filio, non medio, ut vult Felix, quanquam nec humanitas sit de substantia Patris, nec divinitas de substantia matris. Sed quia Verbum Dei, unius cum Patre substantiæ, in unitate personæ suæ suscepit nostram substantiam, non erit alio modo filius post humanitatis assumptionem, nisi quo erat et ante incarnationem.

XXV. Item beatus Augustinus : « In terra, inquit, erat, et in cœlo se esse dicebat, et quod est majus, in cœlo filius hominis, in cœlo Filius Dei, ut unam demonstraret in utraque natura personam; et in eo quod Dei Filius erat, æqualis Patri, Verbum Dei, in principio Deus apud Deum, et in eo quod filius hominis erat, et assumens animam humanam et carnem humanam, et indutus hominem exiens ad homines; quia in hoc utroque non duo Christi sunt, nec duo filii Dei, sed una persona, unus Christus Filius Dei; idem unus Christus, non alius hominis, et alius Dei Filius; sed Dei Filius secundum divinitatem, hominis filius secundum carnem. Quis autem nostrum, qui parum sentimus, aut parum sapimus, non potius ita vellet distinguere : Filius Dei in cœlo, et filius hominis in terra? Sed ne sic divideremus, et ita dividendo duas personas induceremus, non ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit. Quis? Filius hominis. Filius ergo hominis descendit de cœlo. Nonne filius hominis in terra factus est? Nonne filius hominis per Mariam factus est? Sed, o homo, noli, inquit, separare quem volo copulare. Parum est quia filius hominis descendit. Christus enim descendit; idemque filius qui Filius Dei est. Sed est in cœlo qui ambulat in terra. In cœlo erat, quia ubique est Christus; idemque Christus et Filius Dei, et filius hominis. » Item beatus Augustinus ait : « Prædestinatus est ergo Jesus, ut qui futurus erat secundum carnem filius David, esset tamen in virtute Filius Dei secundum Spiritum sanctificationis, quia natus est de Spiritu sancto, et per Virginem Mariam illa ipsa ineffabiliter facta hominis a Deo Verbo susceptio singularis, ut Filius Dei esset filius hominis simul, et filius hominis propter susceptum hominem, et Filius Dei propter suscipientem unigenitum Deum veraciter et proprie dicitur, ne non trinitas, sed qua-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Symmachi papæ*, in Apologetico ad Anastasium imperatorem. Sed paulo aliter legitur hic locus apud Symmachum, quam apud Agobardum. Pro his enim verbis, *Ergo ille est minimus*, etc., quæ Agobardus habet, sic legitur in epistola Symmachi : *Ergo ille est minimus, qui sic credit in Christum, sed et hujusmodi in Christum credit, qui in integrum Christum credit*, etc.

ternitas crederetur. Prædestinata est naturæ ista humanæ tanta et tam celsa et summa subvectio, ut quo attolleretur altius, non haberet; sicut pro nobis ipsa divinitas quo usque se deponeret, non haberet humilius. » Item beatus Augustinus (*De Civ. Dei*, l. I, c. 15): « Hi sunt filii Dei quotquot Spiritu Dei aguntur, sed gratia, non natura. Unicus enim natura Dei Filius, propter nos misericordia factus est hominis filius, ut nos natura filii hominis, filii Dei per illum gratia fieremus. Manens quippe ille immutabilis, naturam nostram, in qua nos susciperet, suscepit a nobis, et tenax divinitatis suæ, nostræ infirmitatis particeps factus est; ut nos in melius commutati, quod peccatores mortalesque sumus, ejus immortalitatis et justitiæ participatione amittamus; et quod in natura nostra bonum fecit, impleti summo bono in ejus naturæ bonitate servemus. Sicut enim per unum hominem peccantem in hoc tam grave malum devenimus, ita per unum hominem eumdemque Deum justificantem ad illud bonum tam subtile venimus. » Item beatus Hieronymus: « Propheta ait: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Virga, mater est Domini; ex qua baculus iste, fesso jam per ætatem mundo qui eum sustentaret, exiit. Illum ergo in Virginis uterum delapsum, ut totam redemptionis nostræ historiam retexamus, partu effusum hominem se exhibuisse pro homine, et creaturam suam se de Creatore fecisse, illum formam servi accepisse, exinanisse se potestatis voluntate, non natura deitatis, per quam non poterat non esse quod fuerat, illum maledicta pro salutaribus meruisse miraculis, illum sputa, illum palmas, illum coronam spineam, illum postremo crucem pro nobis fuisse perpessum, illum inferna penetrasse, illum die tertia resurrexisse in id corpus quod cruci fuerat affixum, illum hominem Deum post mortem, mortis cœlum petiisse victorem, sedere ad dexteram Dei, venturum suo tempore ad judicium faciendum, illum Spiritum Dei per sanctorum suorum quotidie ora celebrari. Hæc cogitasse, vixisse est; hæc meditatio, partus est animæ; in hæc relabi vel recurrere, cum Domino jungi est, et cum ipso, per hæc humiliari est, cum ipso pati est, cum ipso mori est, cum ipso est etiam suscitari. »

XXVI. [a] Beatus quoque Vigilius: « Nos unum, inquit, Christum eumdemque Dei Filium, et hominis filium, non duos profitemur, et ita Verbum intra Virginis uteri secreta carnis sibi initia consevisse, id est, vere incarnatum fuisse, ut tamen Verbi natura non mutaretur in carnem; itemque carnis naturam ita per suscipientis commistionem in Verbi transisse personam, ut non tamen fuerit in Verbo consumpta. Manet enim utraque, id est, Verbi carnisque natura; et ex his duabus hodieque manentibus unus est Christus,

A stus, unaque persona. Quis enim sacrilega opinione indutus, eo usque desipiat, quis in tam abruptum erroris barathrum semetipsum injiciat, ut Filium Dei sine sua propria carne, quam in sacræ Virginis utero ineffabili societatis per se mistione ita sibimet adunavit, ut et Verbum homo, et homo Deus, idemque unus, non mutatis generibus naturæ fieret, neget hodie sedere ad dexteram Patris, venturumque judicare vivos et mortuos, cum ipsum Dominum dixisse non nesciat, Cum venerit filius hominis in gloria Patris sui? » Item ipse: « Nam cum Jesus Christus non Verbi sed carnis proprium sit nomen, et Deus proprium Verbi non carnis constet esse vocabulum; tamen et Verbum propter carnem suam, homo Jesus Christus; et caro propter Verbum Deum, Deus Verbum est. » Item ipse: « Diversum est initium non
B habere, et ex initio subsistere; mori, et mori non posse. Et tamen sicut ipsi Christo proprium est utrumque, ita non ipsi, sed in ipso est utrumque commune. Si enim dicamus quia ipsi est commune, necesse est ut exigatur a nobis dare et ostendere alium, cum quo sit ei hoc ipsum commune: quæ professionis necessitas in Nestorii vergit impium dogma. Melius igitur et catholice dicimus in ipso, et non ipsi, esse commune: et melius ipsi, et non in ipso, dicimus proprium esse. Ergo proprium est illi mori, qui propter naturam Verbi, mori non potest. Item propter ineffabile mysterium unius personæ, utrarumque naturarum communis in ipso fuit mortalitas carnis Verbi naturæ, quæ mori non potuit, et
C communis in ipso est immortalitas Verbi naturæ carnis, quæ morti succubuit. Ergo sicut illi mori et non mori ex utrisque naturis est proprium; ita commune est in ipso utrisque naturis, quod illarum est proprium. »

XXVII. Sanctus Hilarius confessor: « Natus ergo, inquit, unigenitus Deus ex Virgine homo secundum plenitudinem temporum, in semetipsum provecturus in Deum hominem, hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se Dei Filium credi doceret, et hominis filium prædicari admoneret; locutus et gerens homo universa quæ Dei sunt loquens, deinde et gerens Deus universa quæ hominis sunt: ita tamen ut ipso illo utriusque genere sermonis nun-
D quam nisi cum significatione et hominis locutus et Dei sit. » Ecce aperte beatus Hilarius dicit Dominum nostrum Jesum Christum docentem in synagogis et ubique hunc modum sermonis per omnia tenuisse, ut se Dei Filium credi doceret, et utique verum: quod si verum, et proprium: alioquin, quare ex illo tempore non sunt inventi quatuor modi quibus crederetur, duobus videlicet Patri, et duobus matri? Beatus autem [b] Proculus Constantinopolitanus episcopus, cum exponeret verba Apostoli ubi

BALUZII NOTÆ.

[a] *Beatus Vigilius.* Thapsensis in Africa episcopus. Assentior enim lubens eruditissimo viro Petro Francisco Chiffletio presbytero e Societate Jesu, qui editis nuper ac vindicatis Vigilii hujusce lucubrationibus, ostendit eum fuisse episcopum Thapsensem, quæ civitas erat Africæ in provincia Byzacena. Vide Sirmondum in notis ad Theodulfum pag. 277.

[b] *Proculus CP.* episcopus, in epistola ad Armenios, ex qua hunc quoque locum laudat Alcuinus in lib. IV adversus Felicem. « De qua sententia, inquit

loquitur de Judæis (*Rom.* IX, 5) dicens: « *Quorum Patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, ait: Hæc Pauli verba, quam subreptionem calumniæ eorum qui prava diligunt habere mittunt! Dixit enim Christum, ut ostendat quoniam secundum veritatem Deus factus est homo. Dicit eum ex Judæis secundum carnem ut insinuet quia non ex illo tempore quo est incarnatus exsistat. Dixit eum qui est, ut eum sine initio declaret. Dixit eum super omnia, ut totius creaturæ Dominum prædicet. Dixit eum Deum, ne passionibus habituque traducti intemeratam ejus audeamus negare substantiam. Dixit benedictum, ut adoremus eum tanquam omnipotentem suppliciter, nec ut conservum calumniis appetamus. Dixit eum in sæcula, ut demonstret quod is qui nos verbo creavit, pro sua divinitate jugi a nobis honore celebretur. Habentes itaque Christum et exsistentem, et Deum, et benedictum in sæcula, veneremur eum Deum et Dominum, dicentes assertoribus exterorum dogmatum, Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus. »

XXVIII. Iterum interrogat Felix dicens: « Quid differt inter propria naturaliaque nomina divinitatis in uno Filio Dei, atque accedentia humanitatis ejus? » Respondetque subjungens: « Hoc differt, quod in divinitate sicut verus est Filius Dei, ita et verus Deus. In humanitate vero sicut verus est homo, ita verus est Filius hominis. » Videtur mihi Felix rem in hoc loco fecisse ridiculosam. Differentiis namque nominum interrogavit divinitatis et humanitatis, et respondit hoc differre quod in divinitate verus sit Deus, et in humanitate verus homo. Hoc non est differentia nominum, sed potius separatio substantiarum. Nam si, ut ait, divinitatis nomen est Deus, et humanitatis homo, debuit utique dicere quid differat inter utrumque nomen, id est, Deus et homo; et ut in sequentibus ait, *in divinitate unigenitus, in humanitate primogenitus*, debuit certe dicere quid differat inter unigenitum et primogenitum. Sed ponamus ipsius Felicis verba quæ prosequitur, ut ex ipsis lector cognoscat quomodo separando nomina, dividit substantias: « In illa, inquit, Deus super omnia, in ista vero homo intra omnia; et ut brevi compendio plurima concludam, in illa, id est in essentia divinitatis, Deus, Dominus, Patris Verbum, Patris veritas, sapientia, virtus, imago Patris, invisibilis splendor Patris, lumen ex lumine, consubstantialis Patri, consimilis ei, æqualis per omnia, invisibilis ut Pater, immensus, incircumscriptus, omnipotens, creans omnia cum Patre et Spiritu sancto, factor, vivificans quos vult, sicut et Pater, eligens cum Patre quos vult, prædestinans cum Patre quos præscit, sanctificans, deificans, glorificans quos vult, et reliqua his similia plurima. Accedentia vero illi sunt, homo, infans, puer, adolescens, juvenis, minister legis, servus Patris, minor Patre, subjectus, frater electorum, particeps eorum, cohæres, propinquus illorum, conformis, consimilis per omnia, excepto peccato, mediator Dei et hominum, propheta, evangelista, apostolus, sacerdos, pontifex. Hæc omnia, et his similia accedentia sunt illi secundum dispensationem carnis, non propria secundum potestatem deitatis. »

XXIX. Ecce, ut lectio ipsa demonstrat, Felix aperte testatur hæc nomina secundum dispensationem carnis, non esse propria secundum potestatem deitatis. Si caro ipsa propria dicitur, et est Verbi; quare carnis nomina non erunt propria ei cujus est caro ipsa propria? Ut mihi videtur, intellexit Felix quod ista nomina, id est, homo, infans, puer, apostolus et pontifex, non essent Domini et Salvatoris nostri, nisi incarnaretur: quod utique verum est. Non tamen intellexit quod postquam incarnatus est, propria facta sint Dei, quia Deus ipse factus est hæc, id est, Deus Verbum factus est homo, infans, et puer: ipse factus est apostolus, ipse factus est pontifex. Sed quia, ut dixi, bene potuit dicere Felix quod ipsa nomina non sint in Domino ex natura divinitatis, sed ex humanitatis; non tamen bene dixit quod non sint propria; quia propria facta sunt, propter carnem propriam quam assumpsit.

XXX. Nos tamen, quam cautelam sanæ fidei in hac re tenere debemus, ex verbis Patrum ostendamus. Beatus itaque Vigilius episcopus [a] in expugnatione Acephalorum hæreticorum sic dixit: « Sicut illi mori et non mori ex utrisque naturis est proprium, ita commune est in ipso utrisque naturis quod illarum est proprium. Et, ut exempli gratia dixerim, proprium mihi est notam livoris cujusque verberis gestare in corpore meo per naturam carnis meæ; et proprium mihi est hanc eamdem notam non gestare in spiritu meo per naturam animæ meæ. Item, proprium mihi est plagam verbi, id est, ser-

BALUZII NOTÆ.

beatus Proclus Constantinopolitanus episcopus in epistola ad Armenios ita ait: *Apostolus dixit eum Christum, ut ostendat quia secundum veritatem Deus factus est homo. Dixit eum qui est, ut eum sine initio esse declaret. Dixit eum super omnia, ut totius creaturæ dominum prædicet. Dixit eum benedictum, ut adoremus eum tanquam omnipotentem humiliter, nec ut conservum calumniis appetamus.* » Cæterum hanc Procli ad Armenios epistolam approbavit Joannes Antiochenus cum Orientali Concilio, ut docet Facundus in libro I pro defensione trium Capitulorum, cap. 1, 3, et lib. VIII, cap. 1: qui et in lib. II, cap. 2, docet ex Justiniano eamdem Procli epistolam susceptam confirmatamque a Chalcedonensi concilio fuisse. Eamdem epistolam laudat rursum Alcuinus in libro II adversus Felicem, et Theodulfus Aurelianensis sub finem libri De Spiritu sancto.

[a] *In expugn. acephalor.*, id est, in libro V adversus Eutychetem, cap. 8, ubi defendit synodum Chalcedonensem. Acephali enim, ævo Justiniani Augusti, infensi fuere decretis concilii Chalcedonensis. Acephali autem iidem cum Eutychianis, ut docet Facundus Hermianensis in epistola quæ a domno Luca Dacherio edita est. Quanquam illi non omnino sequebantur dogma Eutychetis, ideoque Semieutychianos vocat idem Facundus in libro I pro defensione trium Capitulorum cap. 5, et lib. IV, cap. 3. Vide Sirmondum in notis ad librum secundum Facundi.

monem durum gestare in mente mea per naturam A animæ meæ, et proprium mihi est eamdem plagam non portare in corpore meo per naturam carnis meæ. Et cum sit mihi utrumque proprium; et corpori, et animæ meæ, utrumque alienum; quia nec corpus durum lætumve sermonem intelligit, nec anima flagelli vulnere livescit. Utrumque tamen commune est in semetipso, et animæ et corpori meo : quia nec anima extra corpus, a quo ei sentire proprium fuerat, sentit; nec corpus citra animæ consortium plagarum indicia gestavit. Quod ergo proprium mihi in singulis, et alienum est singulis, id commune est in me ipso singulis, quod proprium est singulis. Et tamen ego ipse unus sum in utrisque, in me ipso communibus; et ego ipse unus sum in singulis mihimet ipsi propriis. Quæ cum ita sint, B series nobis divinarum percurrenda est litterarum, et plurima testimonia congreganda, quibus demonstretur quam sit impium et sacrilegum, ea quæ sunt propria carnis Christi, ad naturam Verbi proprietate referre, et quæ sunt propria Verbi proprietate naturæ carnis ascribere : et quam sit nihilominus impium, ea quæ sunt propria carnis per exceptionem proprietatis alienare a Verbo, et quæ sunt propria Verbi, eadem exceptionis lege alienare a carne; cum sit eis in Christo utrumque commune, et Christus sit utrumque. »

XXXI. Felix in sola humanitate dicit Dominum apostolum et pontificem fuisse. Beatus autem Cyryllus contra hoc ita docet, dicens : « Scripturæ namque divinitus inspiratæ Deum nobis inhumana- C tum prædicant Emmanuel, participatumque carne et sanguine proxime nobis Dei et Patris affirmant Verbum factum, hoc est, hominem, non per conversionem, seu mutationem, sed virtute ineffabili unitatis. Ideoque et unum dicimus Dominum Jesum Christum, unamque fidem, et unum sanctum baptisma. Qui autem a dogmatibus sic rectis recedunt, et contra sacras litteras durum atque superbum objiciunt sensum, et hoc solum quod bene se habere arbitrantur inspiciunt, hominem vero assumptum a Deo Verbo dicunt, secundum illud puto quod per unum sanctorum dictum est prophetarum : Non eram propheta, neque filius prophetæ, sed caupo eram fricans sicamina, et assumpsit me ex ovibus. Et sicut ait beatus David, *Suscipiens mansuetos Dominus.* D Per habitum quippe et familiaritatem spiritalem, tanquam in voluntate et gratia et sanctificatione, sicut et nos ipsi adhærentes Domino, unus spiritus sumus, secundum quod scriptum est. Sed non est hoc humanari Dominum, sed neque proxime nobis carne et sanguine participare, sed magis proprium facere hominem, et non secundum alium modum quem dici poterit prophetas et apostolos et alios sanctos omnes. Putasne sanctus Paulus seducebat sanctificatos per fidem apertissime dicens de unigenito, quia cum esset dives, pauper est factus propter nos? Absit. Vere namque dicit omnino veritatis præco, qui est dives. Et quomodo pauper factus est? Etiam nunc sermo hic a nobis examinetur. Siquidem, sicut et sapere et dicere ipsi præsumunt, homo assumptus a Deo est, quomodo pauper est factus qui assumptus est, et ultra naturam dignitatibus declaratus. Glorificatus est enim; aut si non est hoc verum, derogabitur ab eis assumptioni tanquam deportanti ad minorem partem, et inhonestiorem mensuram humanitatis. Sed ita sapere dissonum est. Ergo non est pauper factus, qui assumptus est. Restat enim dicere, quia factus est in paupertate nostra, qui dives est tanquam Deus. » Et iterum : « Respicienda itaque sunt non illorum multiloquia, sed recta et immaculata fides evangelicæ atque apostolicæ sanctionis. Deus est in carne et in sanguine, humanitatisque mensuram per ea quæ humana sunt cognoscimus. Millia millium enim angelorum sanctorum ministrant ei, et sacram ejus sedem circumstant seraphim. Quia vero factus est homo, appellatusque summus sacerdos, non tanquam majori Deo offerens sacrificium, sed sibimet et Patri, fidei nostræ negotiatus confessionem. » Et iterum : « Intuere siquidem eum immolantem quidem secundum humanitatem, assidentem vero sicut Deum. Quid enim ait beatus Paulus? Talem pontificem habemus, qui sedet in dextera sedis majestatis in excelsis. Scientes igitur quia cum Deus esset. factus est homo, est autem unus atque idem filius, ipsi omnia tribuimus tanquam uni, et dispensationis non ignoravimus modos, sensuum virtutem artificiose atque prudenter in ejus semper convertentes obedientiam. »

XXXII. Felix soli divinitati tribuit vivificationem, dicens Dominum secundum divinitatem vivificantem quos vult; et non recordans quod et caro vivificatoris Verbi, vivificatrix credenda est, beato Cyrillo docente ita : « Proprium ergo corpus factum dicimus Verbi, et non hominis alicujus seorsum, et separati alterius citra eum qui intelligitur Christus et Filius. Sicut autem proprium nostrum uniuscujusque dicitur corpus seorsum ejus cujus est, et in uno Christo intelligendum utique exsistens nostris corporibus cognatum sive consubstantiale. Factum enim ex muliere proprium ejus, sic ut dixi intelligitur et dicitur. Quoniam vero secundum naturam est ex Deo Patre Verbum, vivificatricem ostendit suam carnem; idcirco facta est nobis benedictio. Vivificans denique dicebat Christus : Amen dico vobis : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi*, et vitam dedi mundo. Et rursus : *Panis* autem quem ego dedero, *caro mea est pro mundi vita.* Et iterum : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* » Item beatus Cyrillus : « Uti ne videar ego solus Verbi corpus proprium nominare, etiam sanctorum Patrum volui ponere testimonia, ut sciant adversarii quia inaniter nos inclamant sequentes ubique illorum voces. Ait itaque famosissimus noster Pater et episcopus Athanasius in libro de sancta Trinitate : Et apparebat quia non erat phantasia, sed vere habebat

corpus. Docebat enim Christum induentem humanam carnem, hanc cum propriis passionibus ejus induisse totam; ut sicut totam proprium ejus dicimus esse corpus, ita et corporis passiones propriæ solum ejus dicantur, licet non contingerent secundum divinitatem ejus. »

XXXIII. Interrogat Felix dicens: « Recurrunt propria nomina ad accidentia, seu accidentia ad propria, an non? » Respondet: « Recurrunt. » Interrogat: « Quo ordine? » Respondet: « Propter singularitatem personæ, in qua divinitas Filii Dei cum humanitate sua communes habent actiones; qua ex causa aliquando ea quæ divina sunt referuntur ad humana, et ea quæ humana fiunt, interdum ascribuntur ad divina, et hoc ordine aliquando Dei Filius in hominis filio filius hominis appellari dignatur, et hominis filius in Dei Filio Filius Dei nuncupatur. » Hic admoneo lectorem ut istum Felicis recursum nominum conferat cum relatione Nestorii, et perpendat ne forte similia sint. Sicut enim supra (Cap. 7) posuimus verba Nestorii, dicit ille: « Sicut inseparabilem a divina natura habens copulationem relatione Dei et intelligentia omni creatura adorationem exhibente; et neque duos filios dicimus, neque duos Dominos. » Et post aliqua iterum Nestorius ait: « Sed solus præcipuum habens hoc quod ad Dei Verbi copulationem, adoptione et dominatione participans, auferens quidem omnem suspicionem dualitatis filiorum et dominorum, præstito vero nobis in copulatione ad Deum Verbum, omnem haberet ipsius fidem et intelligentiam et theoriam, pro quibus et adorationem pro relatione Dei ab omni suscepit creatura. » Ecce Nestorius dicit Dominum relatione Dei theoriam suscepisse, id est, deitatem et adorationem. Felix vero dicit recurrere nomina propter unitatem personæ, et propterea appellari Dei Filium hominis filium, et hominis filium Dei Filium nuncupari. Videtur namque mihi quia licet utriusque, Nestorii videlicet atque Felicis, nova et inusitata atque confusa sint verba, unus tamen eorum aut similis in hoc loco est sensus. Deinde diligenter considerandum est hoc quod Felix dixit: « Aliquando Dei Filius in hominis filio filius hominis appellari dignatur. » Quid est hoc? Nunquid aliquando, et non semper? Nunquid appellari et non esse? Deinde ait, « Et hominis filius in Dei Filio Filius Dei nuncupatur. » Nunquid nuncupatur tantum, et non est?

XXXIV. Sed quia scio horum verborum quamdam similitudinem esse in dictis beati Hieronymi, quæ iste in prima sua contentione pravo sensu efferre solebat, videamus, si ab illo istius sensus et verba non discrepant. Ait namque beatus Hieronymus (Vide integrum locum Hieronymi infra cap. 39): « Hic filius hominis per Dei Filium, Dei esse Filius in Dei Filio promeretur. » Ecce beatus Hieronymus dicit *esse promeretur*. Felix dicit *appellatur* et *nuncupatur*. Certe multum differt inter *esse promeretur*, et *appellatur*, aut *nuncupatur*. *Filius*, inquit, *hominis in Dei Filio Filius Dei esse promeretur*. Certe sic A cuncta Christi Ecclesia catholica credit et confitetur. Qui esse promeretur, vere et proprie esse cœpit: quia, ut jam supra dictum est, *ex quo esse cœpit, non aliud cœpit esse quam Dei Filius, et hoc unicus*. Qui autem appellantur et nuncupantur, spiritum adoptionis acceperunt, ut filii Dei vocarentur: quia ex quo esse cœperunt esse filii Dei, sed filii Adam: filii iræ, et filii hujus sæculi; et dum ista essent, prævenit eos misericordia Dei antequam illi ulla bona velle aut eligere possent: et sicut eos præscivit et prædestinavit ante mundi constitutionem, et vocavit tempore constituto, ac justificavit per adoptionem et redemptionem animarum, deinde glorificaturus est per adoptionem et redemptionem corporum in ultima resurrectione. Hæc fiunt in illis B qui per gratiam adoptionis filii efficiuntur et appellantur Dei; per illum qui ante sæcula naturaliter natus, et in sæculo naturaliter factus est unicus Filius Dei, qui nascendo est Filius Dei, non renascendo, cui nomen filii generatio dedit, non regeneratio, qui ex illa substantia qua esse cœpit, ex quo esse cœpit, non aliquando nuncupatur Filius Dei, ut Felix vult, sed semper est, ut catholici credunt. Ita nos, sicut beatus Hieronymus ait, Deum hominemque jungentes, et filium hominis in Jesu, et Filium Dei tenemus in Christo. Hic sapientia vertetur, ut Apocalypsis ait. Hic promissæ antidoti aperienda virtus. Hic Manichæorum virus, terrestre germen Arianorum, divino, si dici fas est, semine superandum est.

C XXXV. Memoratur item Felix dicti Dominici, quo ait: *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo*. Et subjungit dicens: « Certe quando hæc loquebatur, nondum erat filius hominis in cœlo per naturam in suscipiente se, hoc est, in Filio Dei. » Sed quia ego in hæc verba advertere non possum quid dicere voluerit, aut quid senserit, ista indiscussa prætermittenda, et ad alia ejus transeundum est; maxime quia prædicta dominica verba exposita verbis beati Augustini supra posuimus.

XXXVI. Item Felix: « Certe, ait, catholica fides credit quod non proprius Dei Filius, qui de substantia Patris genitus est, et per omnia Patri similis, D pro nobis traditus sit, sed homo assumptus ab eo. » Hæc Felix. Nos autem dicimus: Absit, absit, ut ita catholica fides credat, quæ sine intermissione decantat, dicens: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, natum de Spiritu sancto et Maria virgine, passum sub Pontio Pilato, crucifixum et sepultum*. Ita enim catholica fides credit, quod ipse qui Filius Dei Patris omnipotentis est, et natus est de Spiritu sancto et Virgine, ipse sit pro nobis traditus, ipse passus, ipse crucifixus, mortuus et sepultus, ipseque resurrexerit, ascenderit ad cœlos, et sedeat nunc ad dexteram Patris, et inde, hoc est, de dextera Patris, venturus sit ad judicandos vivos et mortuos. Sed quia, ut superius (cap. 25) verbis

beati Hieronymi dictum est, hæc cogitasse, vixisse est, hæc meditatio, partus est animæ, in hæc relabi vel recurrere, cum Domino jungi est, et cum ipso per hæc humiliari est, cum ipso pati est, cum ipso mori est, cum ipso est etiam suscitari, bonum et jocundum est de hac re Patrum quoque hic sententias subnectere. Beatus Augustinus de hoc ita dicit: (*De fide, ad Petr. diac.* c. 12) : « Cujus et nativitatem futuram secundum carnem, et mortem, et resurrectionem, atque ascensionem in cœlis, lex et prophetæ prænuntiare nunquam destiterunt, proet ipse præcipiebat, obedientes et verbis et factis. Nam et sacrificiis carnalium victimarum, quæ sibi ipsa sancta Trinitas, quæ unus est Deus Novi et Veteris Testamenti, a Patribus nostris præcipiebat offerri, illius sacrificii significabatur gratissimum munus, quod pro nobis se ipsum solus Deus Filius secundum carnem esset misericorditer oblaturus. Ipse enim secundum apostolicam doctrinam obtulit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Ipse verus Deus, et verus pontifex, qui pro nobis, non in sanguine taurorum et hircorum, sed in sanguine suo semel introivit in sancta : quod tunc pontifex ille significabat, qui cum sanguine sancta sanctorum per annos singulos introibat. Iste igitur est qui in se uno tantum exhibuit quod esse necessarium ad redemptionis nostræ sciebat effectum. Idem sacerdos et sacrificium, idem Deus et homo; sacerdos, per quem sumus reconciliati ; sacrificium, quo reconciliati ; templum, in quo reconciliati ; Deus, cui reconciliati. Solus tamen sacerdos, sacrificium et templum ; quia hæc omnia Deus secundum formam servi. Non autem solus Deus, quia hoc cum Patre et Spiritu sancto secundum formam Dei. Reconciliati igitur sumus per solum Filium secundum carnem, sed non soli Filio secundum divinitatem. » Beatus quoque Vigilius (*Adv. Eutych.*, l. II, c. 9) : « Ita Verbum Dei jure dicimus passionis injurias pertulisse, non tamen passionem ullo modo sensisse. Dicam adhuc manifestius. Confixa est divinitas clavis; sed ipsa penetrari non potuit, sicut caro ejus potuit. Siquidem vulneri locum caro patefacta aperuit. Nam deitas indivisibilis atque impenetrabilis mansit. Ita ergo suscipiendo passiones, et earum non cedendo effectibus, apparet Dei Verbum impassibiliter passum. Sed quia caro ejus hæc omnia non solum pertulit, sed et sensit, et cessit, jure ac merito dicimus Deum his omnibus passionum conditionibus sensibiliter affectum in carne sua, sine sensu vel mutatione divinitatis suæ. Vide ergo : perferre passionem, naturæ est utriusque; sed cedere passioni, non est utriusque naturæ, cum sit unius ejusdemque personæ. » Beatus quoque Athanasius ita dicit : « Et ostensum est omnibus quia non corpus erat Verbum, sed corpus erat Verbi; et hoc palpavit Thomas postquam eum resurrexisse vidit a mortuis, et vidit in eo fixuras clavorum quas pertulit, ipsum Verbum in suo corpore dum crucifigeretur aspiciens; et cum posset prohibere, non prohibuit, sed etiam propria sua faciebat quæ erant propria corporis, tanquam sua, Verbum incorporale, denique cæso corpore a ministro, sicut ipse patiens dicebat : Dorsum meum dedi ad verbera, et faciem meam non averti a confusione sputorum. Quæ enim humanitas patiebatur Verbi, hæc inhabitans Verbum ad se referebat, ut nos deitatis Verbi participes esse possemus. Et erat admirabile, quia ipse erat patiens et non patiens ; patiens quidem, quoniam proprium ejus corpus patiebatur; et in ipso qui patiebatur erat non patiens, propterea quia natura Deus manens Verbum, est impassibile; et ipse quidem incorporalis erat in corpore passibile ; corpus autem habebat in se Verbum impassibile, destruens infirmitates ipsius corporis. »

XXXVII. Felix dicit : « Ita divina Scriptura loquitur, ut ea quæ capitis sunt, id est Christi, referantur ad corpus, id est Ecclesiam, et ea quæ corporis sunt, ascribantur capiti. » Hoc ex parte verum esse potest. Sed verius diceret, si dixisset : Aliquando ex voce corporis loquitur caput, sicut est illud, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Et : *Esurivi et dedistis mihi manducare*, et cætera hujusmodi. Cæterum ea quæ proprie excellentiæ capitis sunt, non sic referuntur ad corpus, ut iste dicit : quoniam ista communio capitis et corporis magis est in vocibus Scripturarum, quam in actibus et rebus, sicut est illud in psalmo : *Longe a salute mea verba delictorum meorum.* Et : *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.* In quibus Dominus pro corpore suo solam vocem suscepit, non actum, aut rem. Iste autem, ut mihi videtur, propterea elaborat in tantum conjungere caput et corpus, ut etiam unam hæc personam dicat, et ex hoc confirmari videatur sensum ejus, quo Dominum secundum humanitatem eisdem tantummodo modis credat Filium Dei Patris, quibus et cæteri sancti fiunt filii Dei, id est, gratia, adoptione, electione, prædestinatione, et cæteris, ut ipse superius aperte de Domino dixit. Propter quod apparet in verbis ejus, quod plus quodammodo conjungat corpus Salvatoris Ecclesiæ, quam sanctæ Trinitati. Unde et his verbis subjungit in conclusione operis sui dicens : « Nihil enim habere potest Ecclesia quod ad vitam et pietatem pertineat, nisi quod a capite suo, id est Christo, acceperit, Apostolo teste, qui in epistola ad Ephesios scribens ait : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipso.* » Verum est omnino quod Christus et Ecclesia caput et corpus dicuntur ab Apostolo frequenter. Et [a] ideo una persona sunt; quia et corpus, capitis corpus dicitur; et caput, corporis ut-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Et ideo una persona sunt*, id est Christus et Ecclesia. Sic lib. VI Capitularium, cap. 302, legitur

que caput. Non enim ad se dicitur caput, sed ad corpus. Sed tamen modus et discretio tenenda est, qualiter dicantur una persona. Neque enim eodem modo quo in Filio Dei Verbum, et carnem, unam credimus omnino esse personam, non conjunctam ex duabus personis, sed ex duabus substantiis; eodem etiam modo creduntur Christus et Ecclesia una esse persona, quæ conjuncta est ex multis personis, quæ unitas personæ, id est, Christi atque Ecclesiæ, in spiritu utique est, non in corpore. Sic enim docet diligenter Apostolus, dicens : *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Divisiones vero gratiarum insunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, et omnes uno Spiritu potati sumus. Nam et corpus non est unum membrum, sed multa* (*I Cor.* XII, 3-14). Ecce Apostolus evidenter ostendit quomodo credantur Christus et Ecclesia una persona; videlicet, quia uno Spiritu potati, in uno Spiritu baptizati, unum corpus effecti per Spiritum Christi secundum eumdem, et in eodem in uno Spiritu singulis hominibus diversæ gratiæ dantur; ita ut unus ex corpore homo, non omnes gratias habeant, omnes ministrationes, omnes operationes infusas in corpore per unum caput Christum. Propter quod dicit in alio loco : *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus vero vivit propter justificationem.* Ecce per Spiritum Christi efficimur ejus membra. Effecti autem membra ejus, Christus in nobis est, et hoc modo [a] caput est nostrum, id est Ecclesiæ, qui operatur omnia non in singulis, sed in omnibus. In singulis A ergo non omnia, sed aliqua, sicut in omnibus non aliqua, sed omnia. Divinus [Dividit?] Spiritus gratias, dividit Dominus ministrationes, dividit Deus operationes. Sancta Trinitas, unus videlicet Deus, qui et nunc operatur omnia in omnibus, et in futuro erit omnia in omnibus, et in singulis. Sed quia omnia per mediatorem Dei et hominum fiunt, qui est utique Deus et homo; ideo dicitur et est ipse mediator Christus caput Ecclesiæ. *Omnis viri caput Christus est*, ait Apostolus, (omnis scilicet viri ex quibus constat omnis Ecclesia) *caput vero Christi Deus* (*I Cor.* XI, 3). Hoc itaque modo nos Christum et Ecclesiam unam fateamur esse personam. Felix autem, quia quadam indecenti ratione referri dicit ad corpus ea quæ capitis sunt, confirmare nititur quod ea quæ a Christo B accipit Ecclesia, illa sint quæ Christi esse astruit, id est, gratia, adoptio, electio, et cætera. Propter quod et testimonio apostolico confirmat et concludit dicens : *Qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipso* (*Ephes.* I, 4). Quasi Apostolus diceret : Deus in Christo nos elegit, quando illum elegit; in ipso nos per ipsum prædestinavit in adoptionem filiorum, quando et illum prædestinavit in adoptionem filii, ut esset secundum humanitatem adoptivus filius. Talis omnino fuit sensus Felicis; et propterea [b] de unitate Christi et Ecclesiæ loquens, ea quæ capitis sunt referri dixit ad corpus; de quibus jam supra sufficienter diximus, congrua adjungentes Patrum testimonia, quæ osten- C derent mutuo aliter intelligendum, ubicunque gratia, electio, prædestinatio, assumptio, vel adoptio sonat in dictis sanctorum Patrum.

XXXVIII. Quod ut facilius nunc iterum ostendamus, dicamus exempli causa. Legit Felix in beato Augustino : *Verbum Dei gratia suscepit hominem;* sed non bene novit discernere cujus sit ista gratia, a quo, aut cui largitur. Largitur utique a Deo, a Verbo Dei naturæ humanæ, ut suscipiatur in Filio, ut sit cum filio unus Filius, et habeamus nos in illo primitias substantiæ nostræ, qui est verus Filius, et proprius Filius. Non enim merito humanitatis illius susceptæ sunt in persona Verbi ipsæ nostræ primitiæ, sed misericordia et gratia ejus pro nostra D redemptione. Et hæc est gratia illa quam commendat catholicus doctor. Felix autem non ita intellexit; sed putavit e contrario hanc gratiam a Patre Filio largitam, ut dignaretur eum ex humanitatis

## BALUZII NOTÆ.

« Porro Christum et Ecclesiam, unam personam esse non nescimus. Et ideo quæ Ecclesiæ sunt, Christi sunt; et quæ Ecclesiæ offeruntur, Christo offeruntur; et quæ ab Ecclesia ejus tolluntur, procul dubio Christo tolluntur. » Item capite 305 : « Et quia Christum et Ecclesiam unam personam esse veraciter agnoscimus, quæcunque Ecclesiæ sunt, Christi sunt. » Quomodo autem hæc intelligenda sint, aperte explicat sanctus papa Gregorius in libro XIX Moralium in Job, cap. 11 ubi hæc leguntur : « Quia Christum et Ecclesiam, unam esse personam crebro jam diximus, illum videlicet hujus corporis caput, hanc autem illius capitis corpus, etc. »

[a] *Caput est nostrum.* In ms, sic legitur, *caput est Xpm :* quod ita legi debet, *caput est Christum,* quo modo etiam editum est a Massono. Sed ipse in Erratis admonuit legi debere *nostrum.* Et sane necessaria est ista emendatio. Itaque sic edi debere arbitrati sumus.

[b] *De unitate Christi.* Massonus edidit, *et propterea de divinitate Christi,* etc., nullo admodum sensu. In ms. legitur, *et propterea divinitate Christi,* etc., ex quo nos effecimus *de unitate.* Sic enim postulat sensus, ut manifestum est.

susceptione gratia sibi adoptare in filium. Et hic A error necessario exigebat ab illo ut unum e duobus malis incurreret, id est, ut aut duos filios crederet, unum hominem, et alterum Deum, aut cum unum filium diceret, duobus eum modis esse filium Patris confiteretur, verum scilicet et non verum, proprium et adoptivum, natura et gratia, quæ duo mala advertuntur in litteris ejus : quæ utique non adverterentur, nisi illa aliquando ad istum, aliquando ad illum cor inclinaret, occultissimo Dei judicio permittente. Et quia error terminum habere nescit, ad hoc devolutus est, ut sicut eum dixit Patri duobus modis Filium esse, ita diceret et sanctam Dei genitricem aliter genuisse Deum, et aliter hominem, quasi extra Deum hominem genuerit.

XXXIX. Legit etiam Felix in sanctorum Patrum B Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Hilarii, et Aviti libris, cum de incarnatione Salvatoris tractaret, intromissum nomen adoptionis, sed juxta modum assumptionis vel susceptionis ab eis positum, quod ille alio et e contrario hausit sensu. De qua re ut ea quæ sentimus, congruentius proferamus; ponamus aliquam ex illis sententiam tam plenariam, ut ubi adoptio dicitur, qualiter accipienda sit, ex præcedenti et subsequenti sensibus colligatur. Ait itaque beatus Hieronymus in suo brevi et elegantissimo tractatu de similitudine carnis peccati contra Manichæos : « Denique hoc confirmat proposita ipsa sententia, quæ primum Adam in animam viventem factum esse testatur, novissimum in spiritu vivificantem. C Ecce cur tam post innumeros annos et incomprehensa curricula sæculorum ab omnibus mortalibus, a quibus ut qui secundum carnem natus est separatur, quod ille primus vivens, hic novissimus vivificans ; ille sibi data vix possidens, hic possidenda condonans. Quod et Psalmista duobus versiculis explanavit, dicens : *Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum ?* Homo, Adam accipiendus est ; filius hominis, Dominus intelligendus est : qui in memoriam veteris visitatur, et in defuncti recordatione spiritu salutationis impletur : quod ipsa verba exprimunt : ut rem planam videre non mirum sit, dum et homini memoria conjungitur, et filio hominis visitatio copulatur. Illi mortali quid aliud poterat superesse ? D huic vivificanti quid aliud oportebat infundi ? Nam defunctis memoria debetur, visitatio viventibus exhibetur : quod utrumque in Domino per incarnationem constat impletum, cum ob primi commemorationem novissimus visitatur, et per novissimi visitationem salvatur et primus. Huic sensus germana est illa sententia : *Primus homo de terra terrenus, secundus e cœlo cœlestis.* Quis est iste cœlestis ? Sine dubio ille qui eum quem gestabat in baptismate fecit audire quod ante ipsum nullus audierat : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et qualiter dicitur *hodie*, si in principio Verbum, *et Verbum apud Deum, et Deus erat Verbum ?* quia non est istud Verbum quod semper in Patre, et apud Patrem, et cum Patre fuisse esse credendum est ; sed homo, quem in gratiam salutis Deus Verbum susceperat, audivit. Hic filius hominis per Dei Filium, Dei esse Filius in Dei Filio promeretur : nec adoptio a natura sejungitur, sed natura cum adoptione conjungitur : quoniam cum Verbum caro factum est, non per assumptam decrevit assumptor, sed in assumente crevit assumptio. Creaturæ enim poterat per creatorem infirmitatis substantia commutari, creatoris autem in creaturam non poterat æternitatis natura converti. Et ideo cum dicitur : *Prior homo de terra terrenus, secundus e cœlo cœlestis ;* non corporis materia separatur, sed forma vitalis ; nec caro tollitur, sed carnis susceptor ostenditur, ille, inquam, qui in Evangelio ait : Vos de inferioribus estis, ego de superioribus sum. De superioribus ait, non utique siderea carne, sed virtute divina. » Ecce beatus Hieronymus, postquam dixit, « Nec adoptio sejungitur a natura, sed natura cum adoptione conjungitur, » ut ostenderet quæ esset hæc adoptio, adjunxit : « Quoniam cum Verbum caro factum est, non per assumptam decrevit assumptor, sed in assumente crevit assumptio. » Quod supra dixit *adoptio*, hoc inferius subjecit *assumptio ;* et quam supra dixerat *naturam*, explanavit subdendo *assumptorem* et *assumentem*. Nihil ergo aliud hic significat adoptio quam quod assumptio ; et nihil omnino aliquid tale hic demonstrat tota beati Hieronymi sententia, per quod suspicari possimus ita eum sensisse, ut Dominum nostrum Jesum Christum secundum humanitatem Dei Patris adoptivum filium credendum doceret. Quia cum dicit *adoptio*, et *natura assumens*, et *assumptio*, *assumpta*, et *assumptor ;* nihil horum ad Patrem referri videtur, sed de duobus tantum substantiis, ex quibus constat una persona unici et veri Filii Dei, tractari cognoscitur. Et ut plenius dicamus quod sentimus, adoptata est natura humana, id est, suscepta vel assumpta in persona Filii a Filio ; ut cum ipse esset Filius, non alio, sed eo modo quo erat et ante Filius : et hoc est quod dicitur, « Non per assumptam decrevit assumptor, sed in assumente crevit assumptio. »

XL. Juxta igitur hunc modum et cæteros doctores dixisse et sensisse, ubicunque nomen et verbum adoptionis in fidei dogmatibus inseruerunt, credimus. Dicit itaque beatus Hilarius (Lib. II *de Trinit.* sub. fin.) : « Parit Virgo, partus a Deo est. Infans vagit, laudantes Angeli audiuntur. Panni sordent, Deus adoratur. Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur. » Sed statim post paululum subjungit dicens eum in carnis assumptione hominem, Deum vero in gestis rebus existere. Paulo namque superius dixit : « Postremo una cum Judæis irascantur iidem hæretici, quod Christus sibi proprium Patrem confitens, Deum æqualem se fecerit Deo ; et una cum his audiant, Vel operibus credite meis, quia ego in Patre, et Pater in me est. Unum igitur est hoc immobile fundamentum, una hæc felix fidei petra, Petri voce confessa, Tu

*es Filius Dei vivi.* » Ecce admirandus doctor dicit quod Christus proprium sibi Patrem confiteatur Deum. Nempe si proprius Pater, non adoptans, sed generans, proprius filius, non adoptatus, sed natus.

XLI. [a] Beatus quoque Avitus, Photinianorum hæreticorum validissimus expugnator, scripsit dicens : « Certe circumfrementibus Judæis et in Dominum nostrum exserta blasphemiarum tela vibrantibus, quem respondisse credimus, Amen dico vobis, ante Abraham ego sum, nisi quia per concordiam genitoris et generis ipse per traducem maternorum parentum descendit ex Abrahæ semine, qui sine annorum numero Abraham præivit æternitate? Qui maximus patriarcharum, cum videret illum diem, in quo sine fine permanet Deus, concupivit talem illum videre quo homo unitus est Deo. *Vidit*, inquit, *et gavisus est :* quia sicut cernebat illum in quo erat genuina majestas, ita et istum desiderio conceperat, in quo adoptata illustrabatur humilitas. » Sed quia hæc dicens, nec credidit nec docuit Dominum nostrum adoptivum esse filium juxta humanitatem, apparet [b] ex eo quod ibidem præmisit dicens : « Apostolus autem dicit : Postquam vero *venit plenitudo temporum, misit Deus Filium suum.* Enimvero qui mittitur, erat antequam mitteretur. Quia si ante Mariam non fuisset, hunc similem cæteris adoptio faceret Dei Filium, non natura. Nec in Evangeliis ipse dixisset : Tantum dilexit Deus mundum, ut Filium suum unicum daret. Non electum ergo ab ipsa ineffabili paternitate, sed genitum ; cui tam Deo quam homini vero, in utraque natura fideliter proprio, in divinitate emanasse de Patre, in corpore cœpisse de matre. » Ecce catholicus doctor veridice contra Felicem testatur quod Dominus noster nec adoptione nec electione sit filius Patris, sed genere et proprietate.

XLII. Beatus etiam papa Gregorius cum exponeret verba Heliu, ubi dicit : « *Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus*, dixit (*Moral.* l. XXVII, c. 1) : Legislatores cunctos dicere possumus, quos ex lege admonuisse recta populum scimus. Sed huic mediatori in legislatoribus similis nullus est. Quia isti gratuite vocati, ex peccatis ad innocentiam redeunt ; et ab his quæ in semetipsis experti sunt prædicando alios reducunt. Redemptor autem noster, homo sine peccato est, Filius sine adoptione. » Ecce eximius doctor dicit Dominum nostrum Filium sine adoptione : qui profecto si sciret duobus modis eum esse filium Patris, id est, secundum humanitatem adoptione, secundum divinitatem natura, nunquam illum diceret Filium sine adoptione.

XLIII. [c] Fidentius vero quidam catholicus doctor cum similiter doceret proprium et verum esse Filium Dei Dominum nostrum, exponens locum illum Evangelii, ubi transfigurato Domino in monte, facta est vox Patris ad apostolos dicens : *Hic est Filius meus dilectus*, dicit : « Ideo, elevantes oculos apostoli, neminem viderunt nisi solum Jesum, ne et ipse filius hominis, sicut Moyses et Elias, vel cæteri sancti, putaretur homo Dei, et æquaretur cum adoptivis Dominus majestatis. » Ecce et hic pietatis doctor eum quem dicit non æquandum adoptivis, filium hominis nominat : quem utique si sciret adoptivum secundum carnem, nominans eum filium hominis, non sic discerneret ab adoptivis ut Dominum majestatis.

XLIV. Beatus quoque Augustinus, cum exponeret Epistolam beati Pauli apostoli ad Galatas, et pervenisset ad locum ubi dicitur : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*, post aliqua quæ ad expositionem horum verborum pertinebant, subjunxit dicens : « Nec dixit idem Apostolus, ut adoptionem filiorum acciperemus, sed *reciperemus ;* ut significaret hoc nos amisisse in Adam, ex quo mortales sumus. Hic enim adoptionem recipimus : quod ille unicus non dedignatus est participatione naturæ nostræ, factus ex muliere. » Sed si prædictus doctor in his verbis ita nos sapere voluisset, ut unicum Filium Dei Dominum nostrum duobus modis Deo Patri filium confiteremur, id est, natura, et adoptione, nunquam iterum taliter doceret, ut in expositione psalmi octogesimi octavi docuit, dicens : « *Quis in nubibus æquabitur Domino ? Et quis similis erit Domino in filiis Dei ?* Ergo nemo in filiis Dei similis erit Filio Dei. Et ipse prædictus est Filius Dei, et nos dicti sumus filii Dei. *Sed quis similis erit Domino in filiis Dei ?* Ille unicus, nos multi, ille unus, nos in illo unum ; ille natus, nos adoptati ; ille ab æterno Filius genitus per naturam, nos a tempore facti per gratiam, ille sine ullo peccato, nos per illum liberati a peccato. *Quis ergo in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Domino inter filios Dei ?* » Ecce illustris doctor prædicat Dominum nostrum nativitate esse Filium, non adoptione, dicens : « Ille natus, nos adoptati ; ille ab æterno filius genitus per naturam, nos a tempore facti per gratiam. » Quia procul dubio qui nascitur, non adoptatur ei de quo natus est ; et qui adoptatur, non de illo nascitur a quo adoptatus est : sed nisi natus, adoptari non potest. Natus enim de altero, adoptatur de altero. Dominus autem noster, quia non est

BALUZII NOTÆ.

[a] *Beatus Avitus*, Viennensis episcopus. Vide Sirmondum in notis ad epistolam 28 Aviti, ubi hunc quoque Agobardi locum laudat. Sed hic Aviti locus paulo aliter legitur in editione Sirmondi, quam apud Agobardum. Editio autem Agobardi congruit cum codice ms. qui exstat penes clariss. virum Petrum Marnæsium senatorem Gratianopolitanum.

[b] *Ex eo quod præmisit.* Aut periit Aviti opus, in quo fragmenta isthæc connexa erant ; aut fatendum est Agobardum memoria lapsum esse. Prius enim fragmentum sumptum est ex epistola secunda Aviti, posterius vero ex 28.

[c] *Fidentius.* Fortassis intelligit Fidentium episcopum et martyrem, cujus mentio exstat in sermone 30 Augustini, inter eos quos Sirmondus edidit.

natus de altero patre, non adoptatur a Deo Patre. Quia vero nascitur ex Deo Patre, nec cum homo sit, adoptatur a Patre; quia in assumptione carnis non fit alter; sed is qui erat Deus, efficitur homo, Deus natus sine initio propter se, homo natus a certo initio propter nos, unus et unicus, proprius et verus. Nec propterea, quia particeps fieri dignatus est substantiæ et mortalitatis nostræ particeps etiam factus credendus est et conditionis; cum nos, ut supra jam dictum est, conditione nascamur, ille misericordia, nos debito moriamur, ille potestate; nos illius potestate de filiis iræ efficiamur filii Dei, ille A nunquam talibus obnoxius, nihil aliud esse possit, nisi Filius proprius et verus æterna nativitate. Propter quod etiam cum ipsa assumpta humanitate unus est verus Deus cum Patre, non posterior, non minor Patre, aut Spiritu sancto, non differens majestate, non impar potestate, non discrepans operatione. Sancta enim hæc Trinitas, discreta personis, non separabilis, unum sunt. Unus est, non in una essentia, sed una essentia, una substantia, uno nomine, una natura, vivens et regnans, sine recordatione præteritorum, sine exspectatione futurorum, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

---

## [a] AD EUMDEM IMPERATOREM,

# DE INSOLENTIA JUDÆORUM.

I. Christianissimo, et vere piissimo, et in Christo B victori ac triumphatori Ludovico imperatori felicissimo, semper Augusto, Agobardus abjectissimus omnium servorum vestrorum.

Cum Deus omnipotens, qui vos ante tempora præscivit et præordinavit rectorem pium futurum temporibus valde necessariis, sublimaverit prudentiam vestram et studium religionis supra cæteros vestri temporis mortales; dubium non est præparatum vos ad remedium temporibus periculosis, de quibus apostolus loquitur: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati*, et cætera, *et habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*; de quibus nihil est exspectandum quod jam non videatur, nisi solutio Satanæ, et publica calcatio sanctæ civitatis C mensibus quadraginta duobus, quæ futura est per caput omnium iniquorum Antichristum. Cum hæc igitur ita se habeant, obsecro tranquillissimam longanimitatem vestram, ut præbeatis patientissimam aurem vestram verbis quibus ego infimus servorum vestrorum nimis necessarium puto admonendam sanctissimam sollicitudinem vestram de re tam necessaria, quæ aut sola, aut præcipua est, cui præ cæteris succurrere debeat gubernatio vestra; cujus narrationem si prosequi potuissem tacitis nominibus auctorum, vellem omnino. Sed quia fieri non potest, committo me bonitati et patientiæ vestræ, dando me periculis, et [b] innotescens vobis quæ tacere perniciosum est.

II. Venerunt [c] Gerricus et [d] Fredericus, quos præcurrit [e] Evrardus [f] missi quidem vestri non tamen per omnia vestra agentes, sed ex parte alterius; et ostenderunt se Christianis terribiles et Judæis mites, maxime Lugduni, ubi partem [g] persecutionis adversus Ecclesiam depinxerunt, quam multis gemitibus, suspiriis et lacrymis stimulaverunt. Quæ persecutio, quia præcipue adversum me acta est, tota a me prodenda non est, nisi forte clementissima sollicitudo vestra scire voluerit. Tamen in quantum Ecclesiæ Christi noxia est, si vestra patitur mansuetudo, breviter intimare exordiar. Venientes itaque primum Judæi, dederunt mihi [h] indiculum ex nomine vestro,

BALUZII NOTÆ.

[a] *Ad eumd. imp. de ins.* Is est omnino libri istius titulus in veteri codice, quem visum est retineri debere. Sed hunc librum, seu verius epistolam, non divisimus in capita, quia id epistolæ brevitas non D patiebatur.

[b] *Innotescens*, id est, indicans, insinuans: activa significatione, ut tum solebat. Sic in præceptis regum, et in libris Capitularium: *Ille innotuit nobis*, id est, significavit. Quin et sanctus papa Gregorius sic usurpavit pluribus in locis, ac nominatim lib. II, indict. 11, epist. 87; lib. III, indict. 12, epist. 2, et alibi pluries.

[c] *Gerricus, Capis prælatus* in Vita Ludovici Pii: in qua scriptum est eum anno 813 missum ex Aquitania in Germaniam fuisse a Ludovico ad Carolum Magnum, ut eum *pro quibusdam necessariis consuleret*.

[d] *Fredericus*, Missus dominicus, ut docet Agobardus; idem fortasse qui post Ludovici Pii mortem adhæsit Lothario, ab eoque missus est ad Ludovicum et Carolum Lotharii fratres: quod scribit Nithardus extremo libro secundo. In capitulis quoque Caroli Calvi tit. 43, cap. 17, exstat mentio cujusdam magnatis, nomine Fredrici, qui fortassis idem quoque est cum hoc Frederico.

[e] *Evrardus*. Idem fortassis qui Eberardus vocatur in Annalibus Eginhardi, fuitque magister pincernarum Caroli Magni, ab eo missus anno 781 ad Thassilonem ducem Bajoariæ.

[f] *Missi vestri*, id est, legati, qui vulgo tum missi dominici vocabantur, quod a principe mitterentur. « Missi ergo dominici dicebantur, inquit Sirmondus in notis ad Capitula Caroli Calvi, quos princeps extra ordinem in diversas regni partes ad justitias faciendas (sic enim loquebantur) cum amplissima potestate dirigebat. »

[g] *Persecutionis adv. Eccl.* Non quidem novæ alicujus persecutionis, ne quem hic fallat obscurum scribendi genus, sed veteris persecutionis quæ per trecentos circiter annos afflixit Ecclesiam, in initiis Christianismi.

[h] *Indiculum*. Sic tum vulgo vocabant *diploma* principis, quod in præsens dabatur: nam quæ in futurum, *præcepta* vocabantur. Inde in Formulis

et alterum ei qui pagum Lugdunensem [a] vice comitis regit, præcipientem illi ut auxilium ferret Judæis adversum me. Quos indiculos, licet ex sacro nomine vestro recitarentur, et vestro annulo essent signati, nullatenus tamen credimus ex judicio vestro tales prodisse. Cœperunt autem efferri quadam odibili insolentia Judæi, comminantes omnibus injuriis nos afficiendos per missos quos adepti fuerant ad exsolvendam vindictam de Christianis. Post eos venit Evrardus, eadem iterans, et dicens majestatem vestram commotam esse valde adversum me propter Judæos. Deinde venerunt et prædicti missi, habentes in manibus [b] tractoriam stipendialem, et [c] capitularia sanctionum, quæ non putamus vestra jussione existere talia. His causis lætificati sunt Judæi ultra modum, et contristati Christiani, non solum illi qui fugerunt, aut qui absconditi sunt, vel qui districti, sed et cæteri qui viderunt, vel audierunt; maxime ideo, quia sententia Judæorum ita confirmata est, ut auderent irreverenter prædicare Christianis quid potius credendum esset ac tenendum; blasphemantes A coram eis Dominum Deum ac Salvatorem nostrum Jesum Christum.

III. Roboratur quoque hæc perversitas ex verbis missorum, quibus susurrabant quorumdam auribus, dicentes quod Judæi non abominabiles, ut plerique putant, sed chari essent in oculis vestris, et hominibus eorum dicentibus ex parte meliores eos habitos quam Christianos. Et ego quidem indignus servus vester non eram Lugduni; sed aberam longe, causa [d] Nantuadensium monachorum, qui quadam dissimultate inter se laborabant. Tamen direxi missos nostros et litterulas ad illos, ut præciperent quidquid vellent, aut eis injunctum esset, et nos obediremus. Sed nihil veniæ adepti sumus; ita ut etiam aliqui ex sacerdotibus nostris, quibus nominatim mi- B nabantur, non auderent præsentiam suam eis exhibere. Hæc passi sumus a fautoribus Judæorum, non ob aliud nisi quia prædicavimus Christianis, ut [e] mancipia eis Christiana non venderent, ut ipsos Judæos Christianos vendere [f] ad Hispanias non permitterent, nec mercenarios domesticos habere, ne feminæ

BALUZII NOTÆ

Marculfi, *Indiculus regis ad episcopum ut alium benedicat.* Et in Vita Desiderii episcopi Cadurcensis : *Indiculus Dagoberti regis ad Sulpitium episcopum*, Bituricensem videlicet, adeoque metropolitanum episcopi Cadurcensis, ut Desiderium, cui rex episcopatum dederat, quamprimum ordinet. Et alibi plures. Interdum tamen indiculus accipitur pro *edicto*, ut apud Gregorium Turonensem lib. v, cap. 45 : « Per idem tempus Chilpericus rex scripsit indiculum, ut sancta Trinitas non in personarum distin- C ctione, sed tantum Deus nominaretur. »

[a] *Vice comitis.* Nam quia comitatus committebantur viris magnæ dignitatis, quique raro discedebant a latere principis, illi in pagis sibi commissis viros instituebant, qui vice sua populos regerent : unde dicti *vicecomites.* Sicut nostra tempestate videmus cardinalem nepotem summi pontificis, legatum semper esse Avenionensem; ejus vero loco constitutum apud Avenionem prælatum quempiam, qui vices illic legati gerit, *vicelegatum* ob hoc dictum.

[b] *Tractoriam stipendialem*, id est, epistolam, cujus beneficio missi suscipiebantur, et conjectum accipiebant, id est, pensitationem et tributum, quod ab iis haud dubie exigebatur quorum causa legati mittebantur. In tractoriis porro adnotari solebat, quantum cuique misso pro ejus conditione suppeditari oporteret : ideoque tractoriam *stipendialem* vocat Agobardus. Vide quæ anno superiore diximus in notis ad epistolam 63 Lupi Ferrariensis.

[c] *Capitularia sanctionum*, id est, instructiones missis datæ in causa Judæorum, quæ valde favorabiles erant Judæis, et iniquæ adversum Christianos. Ea de causa Agobardus, cui Ludovici pietas perspecta erat, adduci non potest ut credat ea capitula esse vera.

[d] *Nantuadensium monachorum*, in finibus Lugdunensium, vulgo *Nantua*. Hugo Flaviniacensis in Chronico : « Imperator ergo Carolus cognomento Calvus anno Dom. Incarn. 877, ind. xi, vita functus est pridie Nonas Octobris in finibus Lugdunensium, et sepultus Nantoade in monasterio sanctorum Petri et Pauli. Sed monitione angelica translatus Parisius, ad sanctum Dionysium regaliter tumulatur. » Chronicon sancti Benigni Divionensis et Chronicon Besuense : « Carolus vero Galliam reversus, atque fines Lugdunensium pertingens, ibidem vita functus est, atque in monasterio apostolorum Petri et Pauli conditus, loco qui dicitur Nantoide a multitudine aquarum ibi confluentium. Postmodum per admonitionem angelicam inde translatus Parisius, in ecclesia sancti Dionysii regali sepultura est tumulatus. » Itaque in præcepto Ludovici Balbi regis pro ecclesia Lugdunensi, cujus partem edidit Severtius, Nantoadense monasterium dicitur esse in pago Lugdunensi. Hodie tamen est extra regnum Franciæ, in ditione ducis Sabaudie, media fere via Lugdunum inter et Genevam, in comitatu Beugii.

[e] *Mancipia eis Christiana non venderent.* Nihil hic peccaverat Agobardus. Nam istud ipsum decretum antea fuerat a Carolo Magno et Ludovico Pio, lib. vi Capitular. cap. 117 : *Placuit ne Judæis mancipia deserviant vel adhæreant Christiana.* Et cap. 318 : *Præcipimus generaliter omnibus, ut mancipia Christiana paganis vel Judæis non tradantur.* Et præcesserat Constantini Magni lex, cujus meminit Eusebius in libro iv de Vita ejus cap. 27 : Itemque Honorii Theodosiique A A. constitutio, quæ exstat in Codice Theodosiano : *Christiana mancipia Judæorum nemo audeat comparare. Nefas enim æstimamus religiosissimos famulos impiissimorum emptorum inquinari dominio.* Item Valentinianus Aug. in appendice Codicis Theodosiani : *Judæis quoque vel paganis causas agendi vel militandi licentiam denegamus. Quibus Christianæ legis nolumus servire personas, ne occasione dominii sectam venerandæ religionis immutent.* Vide S. Gregorium papam lib. ii, epist. 75, 76; D lib. iii, ep. 21; et lib. xii, ep. 18; Ivonem Carn. part. i, cap. 281; et seq. et part. xiii, cap. 98; Collectionem Bernardi Papiensis lib. v, tit. 5; Innocentium Cironium in Quintam Compilationem lib. v, tit. 3; et Decretales Gregorii IX, lib. v, tit. 6.

[f] *Ad Hispanias*, ubi regnabant Sarraceni, portio Judæorum. Quam ob causam Bodo diaconus palatii Ludovici Pii, (ad quem tum subdiaconum exstat, ut opinor, epigramma Walafridi Strabonis) cum se vertisset ad Judæos, in Hispaniam commigravit ex Gallia, ad Sarracenos nimirum; ut diximus in notis ad Lupum Ferrariensem pag. 348, 534. Ex eo autem constat hunc Bodonem fuisse oriundum ex ea regni Francici parte quæ Carolo Calvo cessit, quod cum ipse adversum Christianos in Hispania commorantes atrociter sæviret, ut eos cogeret ad deserendam fidem Christianam, ii ad Carolum regem et episcopos in regno ejus constitutos lacrymabilem epistolam miserunt, orantes *ut memoratus apostata reposceretur, ne diutius Christianis illic versantibus aut*

Christianæ cum eis sabbatizarent, et ne diebus Dominicis operarentur, ne diebus Quadragesimæ cum eis pranderent, et mercenarii eorum iisdem diebus carnes manducarent, ne quilibet Christianus carnes a Judæis immolatas et [a] deglubatas emeret, et aliis Christianis venderet, ne vinum illorum biberent, et alia hujusmodi. Est enim Judæorum usus, ut quando quolibet pecus ad esum mactant, ut subactum idem pecus tribus incisionibus non fuerit jugulatum; si apertis interaneis jecur læsum apparuerit, si pulmo lateri adhæserit, vel eum insufflatio penetraverit, si fel inventum non fuerit, et alia hujusmodi; hæc tanquam immunda a Judæis repudiata, Christianis venduntur, et insultario vocabulo Christiana pecora appellantur.

IV. De vino vero, quod et ipsi immundum fatentur, et non eo utuntur nisi ad vendendum Christianis, si contigerit ut in terram defluat quolibet loco licet sordido, festinantes hauriunt iterum de terra, et ad conservandum in vasa remittunt. Qualiter vero et alia improbanda circa illud agant, non solum de Christianis, sed et de Judæis multi sunt testes. Quod autem Dominum nostrum Jesum Christum et Christianos in omnibus orationibus suis sub Nazarenorum nomine quotidie maledicant, non solum beatus Hieronymus, qui se scribit novisse illos intrinsecus et in cute, testis est, sed et de ipsis Judæis plerique testantur. In hac re sumens exempli gratiam, dixi Christianis hoc modo : [b] Si aliquis homo [c] seniori suo vel domino fidelis et amator existat, et quempiam hominum senserit illi esse inimicum, detractorem, conviciatorem, et comminatorem, non vult ei esse amicus, nec socius mensæ, nec particeps ciborum. Quod si fuerit, et hoc senior ipsius vel dominus deprehenderit, nec fidelem sibi eum esse existimat. Et ideo cum procul dubio noverimus blaspheA matores et, ut ita dicam, maledictores esse Judæos Domini Dei Christi et fidelium ejus Christianorum, non debemus eis conjungi participatione ciborum et potuum, juxta modum duntaxat a sanctis Patribus et exemplis datum et verbis præceptum. Cæterum, quia inter nos vivunt, et maligni eis esse non debemus, nec vitæ aut sanitati vel [d] divitiis eorum contrarii; observemus modum ab Ecclesia ordinatum, non utique obscurum, sed manifeste expositum, qualiter erga eos cauti vel humani esse debeamus.

V. Hæc, piissime domine, de multis pauca dixi de perfidia Judæorum, de admonitione nostra, de læsione Christianitatis, quæ fit per fautores Judæorum, nesciens utrum pervenire possit ad vestram notitiam. Tamen summopere necesse est ut sciat piissima solliB citudo vestra, quomodo nocetur fides Christiana a Judæis in aliquibus. Dum enim gloriantur, mentientes simplicibus Christianis, quod chari sint vobis [e] propter patriarchas; quod honorabiliter ingrediantur in conspectu vestro, et egrediantur; quod excellentissimæ personæ cupiant eorum orationes et benedictiones, et fateantur talem se legis auctorem habere velle, qualem ipsi habent; dum dicunt consiliatores vestros commotos adversum nos eorum causa, eo quod prohibeamus Christianos vinum eorum bibere; dum hoc affirmare nitentes, plurimas argenti libras ob emptionem vini se ab eis accepisse jactant; et decursis canonibus non inveniri quare Christiani debeant abstinere a cibis eorum et potibus; dum ostendunt præcepta ex nomine vestro, aureis sigillis C signata, et continentia verba, ut putamus, non vera; dum ostendunt vestes muliebres, quasi a consanguineis vestris vel matronis palatinorum uxoribus eorum directas; dum exponunt gloriam parentum suorum; dum eis contra legem permittitur [f] novas synagogas exstruere; ad hoc pervenitur, ut dicant imperiti

BALUZII NOTÆ.

*impedimento aut neci foret*, ut tradit auctor Annalium S. Bertini ad an. 847.

[a] *Deglubatas.* Ita vetus codex; pro quo Massonus edidit *delibatas.*

[b] *Si aliquis homo.* Fragmentum est orationis quam Agobardus Lugduni habuit adversum Judæos, usque ad illa verba, *humani esse debeamus.*

[c] *Seniori*, id est, domino, vernacula lingua, *Seigneur.* Vide Hier. Bignonii notas ad Marculfum pag. 443, 458; et Davidis Blondelli Dissertationem de jure plebis in regimine ecclesiastico, pag. 49.

[d] *Divitiis eorum*, id est, Judæorum. Hæc fama semper comitata est Judæos, ex quo Christiani prævalere cœperunt. Nam adnotat etiam Albertus Krantzius lib. VIII Metrop. Salisburg. cap 23, eos summas ubique opes comparasse. Anno 1098, cum Judæi ex Bohemia in Poloniam et Pannoniam divitias suas furtim auferrent, ejusque fugæ rumor ad ducem Brecislaum pervenisset, ille retineri eos jussit, thesaurosque eorum applicari fisco. Addit vero Cosmas Pragensis, qui hæc tradit : « O quantum pecuniæ miseris Judæis est illa die sublatum! Nec ex succensa Troja tantum divitiarum in Euboico littore fuit collatum. » Unde et ætate quoque nostra, quoties dicere volumus quempiam esse valde divitem, ita dicere solemus, *Dives est ac unus e Judæis, Il est riche comme un Juif;* atque id quidem obtinet etiam ubi Judæi noti non sunt nisi de nomine.

[e] *Propter patriarchas.* Abrahamum videlicet, Jacobum, et cæteros Veteris Testamenti Patres, et ob hoc, Judæorum patriarchas. Neque enim intelligendus est hic locus de patriarchis Judæorum per varias provincias distractorum. Illi enim desierant anno 429 ut Marca observavit in libro primo de Concordia, cap. 3, § 5.

[f] *Novas synagogas.* Indignatur Agobardus, quod Judæis tum liceret novas synagogas exstruere, velut D in contumeliam Christianæ religionis. Id vero ait esse contra legem. Ea autem exstat in Codice Theodosiano l. 83, tit. *De his qui super religione contendunt*, ubi Honorius et Theodosius AA. sic decernunt : *Quæ nuper de Judæis et synagogis eorum statuimus, firma permaneant : scilicet ut nec novas unquam synagogas permittantur exstruere, nec auferendas sibi veteres pertimescant.* Hujus legis mentio exstat apud sanctum Gregorium lib. VII, indict. 2, epist. 5 : « Quia sicut, inquit, legalis diffinitio Judæos novas non patitur erigere synagogas, ita quoque eos sine inquietudine veteres habere permittit. » Ejusdem legis meminit iterum in epistola 58 ejusdem libri. Ad eam quoque legem respexisse videtur Alexander III, dum hæc scriberet : « Judæos de novo construere synagogas, ubi eas non habuerunt, pati non debes. Verum si antiquæ corruerint, vel ruinam minantur, ut reædificent poteris æquanimiter tolerare, non autem ut eas exaltent, aut ampliores aut pretiosiores fa-

Christiani melius eis prædicare Judæos quam presbyteros nostros; maxime cum et supradicti missi, ne sabbatismus eorum impediretur, [a] mercata, quæ in sabbatis solebant fieri, transmutari præceperint, et quibus diebus deinceps frequentari debeant, in illorum opinione posuerint, dicentes hoc Christianorum utilitati propter diei Dominici vacationem congruere; cum Judæis magis probetur inutile: quia et hi qui prope sunt, sabbato ementes victus necessaria, liberius die Dominico missarum solemnitatibus et prædicationibus vacant; et si qui de longe veniunt, ex occasione mercati tam vespertinis quam matutinis occurrentes officiis, missarum solemnitate peracta, cum ædificatione revertuntur ad propria. Nunc igitur, si placet benignissimæ mansuetudini vestræ audire, dicamus quid Ecclesiæ Galliarum, et rectores earum, [b] tam reges quam episcopi de discretione utriusque religionis, ecclesiasticæ videlicet et Judaicæ, tenuerint, tenendumque tradiderint, et scriptum posteris reliquerint, et quomodo consonum sit auctoritati vel actibus apostolicis, et a Veteri Testamento originem trahens. Ex quibus demonstratur quam detestabiles habendi sint inimici veritatis, et quomodo pejores sint omnibus incredulis, Scripturis divinis hoc docentibus, et quam indigniora omnibus infidelibus de Deo sentiant, et rebus cœlestibus. Quæ omnia [c] cum confratribus contulimus, et amplissimæ Excellentiæ vestræ præsentanda direximus.

VI. Et cum præcedens schedula dictata fuisset, supervenit quidam homo fugiens ab Hispaniis de [d] Cordoba, qui se dicebat furatum fuisse a quodam Judæo Lugduno ante annos viginti quatuor, parvum adhuc puerum, et venditum, fugisse autem anno præsenti cum alio qui similiter furatus fuerat Arelate ab alio Judæo ante annos sex. Cumque hujus, qui Lugdunensis fuerat, notos quæreremus, et inveniremus, dictum est a quibusdam et alios ab eodem Judæo furatos, alios vero emptos ac venditos; ab alio quoque Judæo anno præsenti alium puerum furatum et venditum: qua hora inventum est plures Christianos a Christianis vendi et comparari a Judæis, perpetrarique ab eis multa infanda quæ turpia sunt ad scribendum.

## BALUZII NOTÆ.

ciant quam antea fuisse noscuntur; qui utique pro magno debent habere quod in veteribus synagogis et suis observantiis tolerantur. »

[a] *Mercata in sabbatis.* Antiquum ergo est, quod mercata fiunt in die sabbati. Tum paulo post rationem hujus instituti affert Agobardus. Nimirum, ut coemptis eo die necessariis, postridie liberius Christiani Deo servirent. Nam per totum diem, quoties festus erat, antiqui Christiani vacabant orationi, ut patet ex Facundo Hermianensi in præfatione librorum quos edidit pro defensione trium Capitulorum. « Vix mihi septem dierum, inquit, induciæ datæ sunt, in quibus erant etiam duo festi. » Præclare igitur Joannes Monlucius episcopus Valentinus in libro De Reformatione Cleri Valentini et Diensis cap. 35 : « Non enim dies illos majores nostri otiosos ideo esse voluerunt, ut in his nihil ageremus, et tantum plane cessaremus; sed festorum ratio præcipue in Christianis cessationem habet laborum et operum, ut sacra his diebus adeat populus, cultus Deo honoresque ac preces adhibeat, concionibus, publicis Ecclesiæ precibus, et votis adsit assiduus. Ob eas igitur nos causas ediximus, ut dies Dominicos, et alios, qui in catalogo nostro enumerantur, accurate omnes in nostris diœcesibus agant, et religiose; atque in primis curent ne his diebus ullæ ludorum, fabularum, et aliorum id genus ludicrorum coitiones fiant. » Tum ad probationem hujus capitis inter cætera affert decretum concilii provincialis Coloniensis, quod sic habet : « Diligenter quoque populus admonendus est, cur feriæ, et potissimum dies Dominicus, qui a temporibus apostolorum in Ecclesia Dei semper celebris fuit, institutæ sint. Nempe ut tum in unum omnes pariter convenirent ad audiendum verbum Domini, ad audiendum quoque sacrum, et communicandum; breviter, ad vacandum Deo soli; ut dies illa tantum orationibus, hymnis, psalmis et canticis spiritualibus transigatur. Hoc enim est sanctificare sabbatum. » Atque utinam hæc intelligerent Christiani nostrorum temporum, qui hæc omnia publice nunc agunt quæ synodus Coloniensis et Joannes Monlucius fieri a Christianis prohibuerunt. Nimirum refrigescente in dies charitate, superabundat iniquitas; ut futurum prædixit Christus Jesus in Evangelio secundum Matthæum.

[b] *Tam reges.* Regimen Ecclesiæ Gallicanæ dividit inter reges et episcopos. Ecclesia enim principibus commissa est ad regendum; ut ait Carolus Magnus in præfatione librorum de non adorandis imaginibus, itemque synodus habita apud Theodonis-villam anno 849, can. 1. Unde et episcopi in synodo Parisiensi congregati anno 824 scribentes ad Ludovicum et Lotharium imperatores, aiunt ipsos principes universam sanctam Dei Ecclesiam, Domino dispensante et committente, gubernare. Et Ludovicus Pius ad Romanum pontificem scribens, Spiritum sanctum sibi Ludovico datum esse ait. Sed nihil apertius, nihil Agobardicæ sententiæ congruentius, quam quod aiunt episcopi in canone II ejusdem concilii apud Theodonis-villam. « Quia bene nostis, inquiunt, ab illo, qui solus merito et rex et sacerdos fieri potuit, ita Ecclesiam dispositam esse, ut pontificali auctoritate et regali potestate gubernetur. » Vide Marcam in libro secundo de Concordia, cap. primo.

[c] *Cum confratribus contulimus*, id est, cum episcopis. Hinc itaque confici posse puto sequentem epistolam fuisse scriptam e synodo quapiam, cui interfuerit Agobardus; quod indicare videtur epistola illa, quæ nomine trium episcoporum scripta est, et ab Agobardo simul missa ad imperatorem Ludovicum Pium. Fieri quippe potest ut hi tres episcopi scripserint nomine totius synodi, Agobardoque demandata cura sit mittendi epistolam synodicam ad principem : quod ille præstare noluit, quin relationem quoque suam adjungeret. Et fortassis istud peractum est in synodo quæ anno 821 celebrata est apud Lugdunum, cui Agobardus et Bernardus interfuerunt.

[d] *Cordoba*, sive Corduba; quæ Sarracenorum in Hispania sedes erat, ut docet Lucas Tudensis : quod etiam colligi potest ex epistola Eulogii Cordubensis ad Wiliesindum episcopum Pampilonensem.

# [a] EPISTOLA
# S. AGOBARDI, [b] BERNARDI, ET [c] EAOF
## EPISCOPORUM,
## AD EUMDEM IMPERATORUM, DE JUDAICIS SUPERSTITIONIBUS.

I. Christianissimo et gloriosissimo Domino nostro Ludovico imperatori perpetuo Augusto, Agobardus, Bernardus, et Eaor, indigni episcopi, supplices servuli vestri. Sicut in [d] præmissa schedula in brevi significatum est, insolentia et importunitate Judæorum in quorumdam simplicium Christianorum pectoribus tranquillitas fidei propulsata compulit nos mansuetissimæ ac prudentissimæ sollicitudini vestræ scribere de cautela Christianorum, qualis esse debeat erga Judaicam perfidiam, et superstitiones, atque A innumerabiles errores, in quantum [e] extremitas nostra invenire potuit ex usu et institutione priorum Gallicanarum Ecclesiarum rectorum. Et quidem si, sicut nunc multa necessitas poscit, ausi essemus aut valuissemus auribus vestris ingerere damna animarum, quæ per vasa diaboli, mentes videlicet Judæorum, fidelibus inferuntur, adhiberi omnino juberet pietas vestra remedium. Nunc autem (quia periculosissimum nobis est dicere et innotescere, quod sicut tempore passionis suæ Dominus noster Jesus Chri-

BALUZII NOTÆ

[a] *Epistola Agob.* Titulus iste sumptus est ex veteri codice; nec aliquid causæ esse potuit quod omitti debuerit in editione Pap. Massoni.

[b] *Bernardi* Viennensis archiepiscopi : ad quem exstant Paschalis I et Eugenii II Romanorum pontificum epistolæ, quæ editæ sunt in tomo IX cardinalis Baronii. Anno dein 833 cum Lotharius Augustus rebellaret adversus Ludovicum Pium, plurimosque episcopos in partes suas traxisset, et in his Agobardum, Bernardus quoque Viennensis in partes transgressus est; adeoque prævaluit factio Lotharii, ut Ludovicus imperio dejectus fuerit, et in carcere conclusus. Restituto demum Ludovico, Agobardus et Bernardus sedibus suis pulsi sunt, ob eam perfidiam. Agobardus quidem, quod adesse distulerit in conventu apud Theodonis-villam, cum ter fuisset evocatus. Bernardus vero, quod post exhibitam præsentiam suam in eo conventu, rursum perfugerit in Italiam ad Lotharium. Causa autem illa Agobardi et Bernardi retractata est in conventu Stramiacensi, haud procul Lugduno, anno 836, ut docet auctor Vitæ Ludovici Pii : « In quo causam, inquit, Ecclesiarum Lugdunensis atque Viennensis vacantium ventilari fecit, eo quod episcopi dudum illarum, Agobardus quidem jussus ad rationem non venerit reddendam; Bernardus autem Viennensis affuerit quidem, sed rursus fugam inierit. Sed hæc quidem res imperfecta remansit, propter absentiam, ut prædictum est, episcoporum. » Itaque supersederi placuit judicio, quod nemo absens et inauditus sit damnandus. Interim illi in gratiam rediere cum Ludovico, eo nimirum tempore quo Lotharius patri reconciliatus est. Tuncque sedem suam uterque recepit, ut docet Ado Viennensis.

[c] *Eaof.* Ita diserte codex manuscriptus, tametsi in codice quoque ms. diserte scriptum sit paulo post *Eaor.* Sed verior haud dubie est prior scriptio. Eaof enim illum haud alium esse puto quam eum qui Faova nominatur in Chronico Besuensi, episcopusque fuit Cabillonensis anno 830, eodem nimirum tempore quo Lugdunensem Ecclesiam regebat Agobardus, subscripsitque circa annum 834. Privilegio Aldrici archiepiscopi Senonensis pro monasterio sancti Remigii, ubi vocatur Fova, tom. II Spicilegii, pag. 584. Et apud Hincmarum in posteriori opere adversus Gothescalcum cap. 36 inter episcopos qui Ebbonem damnarunt recensetur Favo episcopus, id est, hic noster Cabillonensis. *Faova* autem, *Fova*, et *Favo* scribi potuit perperam pro *Eaof*, facili amanuensium errore, ut nemo non videt, cum littera E parum differat a littera F. Nam quod *Faova* scriptum est, non *Faof;* istud quemquam remorari non debet. Littera B enim F interdum usurpabatur a veteribus librariis loco litteræ V. Sic Fulradus abbas S. Dionysii, summusque capellanus et consiliarius Pippini regis, Vvolradus vocatur in epistola Stephani III papæ ad Pippinum apud Baronium ad annum 756, cum tamen certum sit nomen ipsi fuisse Fulrado, et in editione ejusdem epistolæ quæ exstat in Codice Carolino, tit. 8 diserte scriptum sit, « præcurrente industria Deo amabilis viri Folradi, tui fidelis. » Sic Fulda monasterium sancti Bonifacii, Volda nuncupatur in narratione clericorum Rhemensium de depositione Ebbonis : « Jussit eum deduci sub custodia ad Voldam monasterium S. Bonifacii. » Et Vulda in synodo Rhemensi adversus Arnulfum cap. 23 : « Ebonem quoque Rhemorum archiepiscopum idem molientem, per Rothadum Suessonicum et Erchenradum Parisiorum episcopum in Vuldensi monasterio pro similibus similia sustinuisse. » Sic in Chronico Hildensheimensi ad annum 1093 Vratislaus dux Bohemiæ vocatur Fratislaus. Neque dubito, quin, si quis C operam in hoc ponere velit, multo plura exempla sit reperturus. Porro errat Papirius Massonus, qui in Synopsi operum Agobardi existimat hic pro *Eaor*, legi debere *Ebon.*

[d] *Præmissa schedula*, in epistola nimirum Agobardi, quæ missa est cum litteris episcoporum Agobardi, Bernardi, et Eaof.

[e] *Extremitas nostra*, id est, vilitas. Extremos hominum se dicunt viri modestissimi; quemadmodum Paulus se vocat omnium peripsema, et minimum apostolorum, existimans se non esse dignum qui vocetur apostolus. Sic Jonas Aurelianensis episcopus in epistola ad Pippinum Aquitaniæ regem : « Meam extremitatem apud serenitatem vestram astu diabolico diffamaverunt. » Idem in epistola ad Matfredum : « Meam extremitatem commonefecisti. » Sic enim legendum, non *extrenuitatem*, ut recte illic monuit V. C. Lucas Dacherius. Sic in privilegio D Landerici episcopi Parisiensis pro monasterio sancti Dionysii : « Dominus gloriosissimus Cludovicus Francorum rex, divino irradiatus lumine, religiosa petitione humilitatis nostræ extremitatem poposcit, etc. »

stus pacificaturus omnia per sanguinem crucis suæ, A venditus est a falso discipulo, et [a] comparatus a veris persecutoribus ad illudendum et crucifigendum, ita nunc comparetur ab impiis Judæis quodam modo ad vituperandum licentius et blasphemandum) scribimus tantum pauca de exemplis et statutis Patrum, ac deinde de Actis apostolicis, sive de Evangeliis et Veteris Testamenti Scripturis, ad confirmandam piam gubernationis vigilantiam bonorum pastorum.

II. Beatus confessor Hilarius (de quo sanctus Hieronymus ita loquitur in epistola ad Lætam de instructione dicens: « Cypriani opuscula semper in manu teneat. Athanasii epistolas et Hilarii libros inoffenso currat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillat. B Cæteros sic legat, ut magis judicet quam sequatur »), qua cautela Judæorum semper et hæreticorum devitaverit profana consortia, [b] Vita ejus scripta fatetur; quod ita scilicet hujusmodi hostes Ecclesiæ fuerit exsecratus, ut non solum convivium, sed ne salutatio quidem ei exstiterit cum his prætereunti communis. De sancto quoque Ambrosio Vitæ ejus sacra narrat historia, quod et hic inserere dignum est, et Christianis mentibus scire religiosum: « In partibus, inquit, Orientis in quodam castello a Christianis viris synagoga Judæorum et [c] lucus Valentinianorum incendio concremata sunt, propterea quod Judæi vel Valentiniani insultarent monachis Christianis. Valentinianorum enim hæreses triginta deos colunt. Sed de hujusmodi facto comes Orientis ad C Imperatorem relationem direxit, quia imperator præceperat ut synagoga ab episcopo ædificaretur. Sed hujus præcepti tenor cum ad aures pervenisset venerabilis viri Ambrosii episcopi, direxit ad imperatorem epistolam (quia ipse in tempore excurrere non poterat) qua illum commonet, ut id quod ab eodem statutum fuerat revocaretur, servarique sibi deberi ab eo audientiam: qui si dignus non esset qui ab eo audiretur, dignus etiam non esset qui pro illo audiretur, vel cui preces suas aut cui sua vota committeret. Paratum etiam se esse pro tali negotio mortem subire, ne dissimulatione sui prævaricatorem faceret imperatorem, qui tam injusta contra Ecclesiam præcepisset. Postea vero cum Mediolanum revertitur, posito Imperatore in Ecclesia, de eadem causa tractavit in populo: in quo Tractatu introduxit Domini personam loquentis (Sozom. *Hist. Tripart.* l. VII, c. 8; l. IX, c. 30): Ego te ex ultimo Imperatorem feci, ego tibi exercitum inimici tui tradidi, ego copias quas ille adversum te exercitui suo præparaverat dedi, ego inimicum tuum in potestatem tuam redegi, ego de semine tuo supra solium regni constitui, ego te triumphare sine labore feci; et tu de me inimicis meis donas triumphos? Cui descendenti exedra Imperator ait: Contra nos proposuisti hodie, episcope. At ille respondens, ait, non se contra ipsum, sed pro ipso fuisse locutum. Tunc Imperator: Revera, inquit, dura præceperam contra episcopum de synagoga reparanda. In monachos vero vindicandum esse a comitibus, qui in tempore aderant, dicebatur. Quibus episcopus: Ego quidem cum Imperatore nunc ago. Vobiscum vero mihi aliter agendum. Atque ita obtinuit, ut illa quæ statuta fuerant, revocarentur. Nec prius ad altare accedere voluit, nisi fide sua Imperator illum agere debere testaretur. Cui episcopus: Ergo ago fide tua. Respondit Imperator: Age fide mea. Qua sponsione iterata, jam securus peregit sacerdos divina mysteria. » Ecce duæ maximæ Ecclesiarum Dei columnæ, Hilarius videlicet, et Ambrosius. Alter ex his suo nos docet exemplo non a cibis solummodo, verum etiam a salutatione Judæorum, quæ ab omnibus in invicem communiter exhibetur, diligentius abstinere debere. Alter vero, pro eo quod exusta a Christianis synagoga Judæorum, labore episcopi ab Imperatore jussa fuerat restaurari, morti se offerre non dubitat, et (quod leve forsitan putaretur, si hodie contingeret) vir sanctus in tantum exhorruit et abominatus est, ut mortem pro tali negotio susceptam martyrii loco non dubitaret sibi esse cessuram. Prævaricatorem etiam indicavit tam injusta contra Ecclesiam præcipientem; et nisi sibi locum audientiæ reservasset, [d] solitam pro eo intercessionem se intermissurum

BALUZII NOTÆ.

[a] *Comparatus*, id est, emptus.

[b] *Vita ejus* nimirum Hilarii Pictaviensis episcopi. Sed hæc non exstant in ea quæ Fortunati nomine hodie circumfertur. Itaque tum alia sancti Hilarii vita terebatur manibus hominum.

[c] *Lucus Valentinianor.* Integrum hunc locum ex Vita sancti Ambrosii a Paulino scripta retulit Agobardus. Rhabanus vero, cum scriberet adversus Judæos, satis habuit referre de incendio synagogæ, ideoque omisit quæcunque narrantur de incenso Valentinianorum fano. Nam et Ambrosius in epistola 29 memorat postremum illud incendium, ad imperatorem Theodosium scribens. « Vindicabitur etiam, inquit, Valentinianorum fanum incensum? Quid est enim nisi fanum, in quo est conventus Gentilium? Licet Gentiles duodecim deos appellent, isti triginta et duos eonas colant, quos appellant deos. » De hoc Valentinianorum errore vide Tertullianum in libro De Præscriptionibus Hæreticorum cap. 33 qui et peculiarem adversus eos librum edidit.

[d] *Solitam pro eo intercessionem*, id est, pro imperatore. D Solebant enim principis nomen recitare inter mysteria. Tertullianus cap. 30 Apologetici: « Nos enim pro salute imperatorum Deum invocamus æternum. » Infra: « Oramus pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quæcunque hominis et Cæsaris vota sunt. » Et paulo post, istud præceptum esse Christianis docet auctoritate beati Pauli in Epistola prima ad Timotheum. Neque tum videbatur necessarium ut nomen imperatoris inter mysteria proferretur, quod uni tantum pareret orbis universus, adhucque in Ecclesia perseveraret sancta illa veterum Christianorum simplicitas. At postea quam dividi orbis cœpit, proque innocentia et simplicitate fraus et dolus irrepere cœperunt inter Christianos, dubiumque ob eas causas esse potuit pro quonam rege sacerdos oraret, si nomen principis taceretur, verbisque tantum generalibus pro eo oraret Ecclesia; tum vero necessarium visum est ut

testatus est. Quid hic igitur vir Dei credendus est fuisse facturus, si vidisset suo tempore Judæorum infidelium causa canonica statuta convelli?

III. Nec sanctissimus Cyprianus, et homo Dei Athanasius, minore illos odio abominantur. Quin potius, sicut eorum litteræ testes sunt, infidelitatis eorum obstinatissimam impietatem supra omnem gentilium exsecrantur errorem. Quorum religiosissimam fidem et Christo deditam devotionem, omnes Ecclesiarum Gallicanarum reverentissimi gubernatores secuti, totam Judæorum ex integro pollutissimam societatem fugiendam penitus Christianis omnibus esse sanxerunt: quorum nos de hac re sententias ponere, et ex his quam sit exsecrabile ipsorum consortium decrevimus e vestigio demonstrare.

IV. Alchimus Avitus Ecclesiæ Viennensis episcopus, quam eximius doctor orthodoxus et facundus exstiterit, pene tota novit Ecclesia Christi. Sanctus Apollinaris episcopus Ecclesiæ Valentinæ, quantus fuerit et sit, non solum gesta de eo scripta, sed et crebra ejus miracula usque hodie sublimiter testantur. Sanctus Gregorius Lingonicæ Ecclesiæ episcopus, quantæ sanctitatis et veritatis fuerit, Vita ejus scripta, et finis vitæ atque honor ei ab Ecclesia delatus, usque hodie testes sunt. Viventiolus Ecclesiæ Lugdunensis episcopus, cujus doctrinæ fuerit, non solum ipsa, sed et aliorum de eo scripta testantur. Hi ergo [a] cum aliis viginti reverentissimis episcopis in nomine Domini congregati pro defensione et statu Ecclesiæ, de re superius memorata [b] inter cætera

## BALUZII NOTÆ.

nomen principis recitaretur, quo fraudibus iretur obviam, intelligerentque populi eam esse mentem Ecclesiæ, ex divino præcepto et apostolica traditione descendentem, ut illi regi, qui tum imperitaret, fidem suam sanctam illibatamque servarent, vitamque ei prolixam, imperium securum, domum tutam, et cætera quæcunque hominis et regis vota sunt, precarentur. Itaque in Libro Sacramentorum, qui Gregorio Magno tribui solet, diserte præcipitur ut nomen regis pronuntietur inter mysteria: *Una cum famulo tuo papa nostro ill. et rege nostro ill. et omnibus orthodoxis atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus.* Et proferri quidem possent varia exempla hujus moris. Sed, omissis cæteris, ab ætate nostra sumemus exemplum. Cum ante hos viginti annos Catalani se justis iisque necessariis de causis in fidem ac clientelam Ludovici XIII Francorum regis contulissent, ejusque se dominio volentes lubentesque subjecissent; manebat tamen adhuc in quorumdam pectoribus insitum in Gallos odium, et occulta in Hispanos inclinatio. Horum ergo affectibus utebantur Hispani ad turbandum Cataloniæ statum. Sed opportunum in primis valdeque utile visum est, abuti monachorum virtutibus, ad quos tum in iis regionibus delapsa erat omnis fere cura sacrarum concionum; quod id genus hominum plurimum auctoritatis habeat apud plebem, præcipue vero apud Catalanos, gentem religiosissimam. Ea tempestate vir illustrissimus Petrus de Marca, qui Tolosatium dein et Parisiensium archiepiscopus fuit, in Cataloniam missus est cum amplissima potestate, ut provinciam recenter ad nos versam prudentia et sapientia ac cæteris bonis artibus, quibus plurimum valebat, regi Christianissimo teneret, imperioque Francico parere assuefaceret. Hic ergo cum Barcinonem pervenisset, deque his rebus fuisset admonitus, rectores monasteriorum illius urbis, quos provinciales aut superiores vocant, in suas ædes evocavit Idibus Julii anni 1644 habitaque ad illos Latina oratione de meritis Ludovici XIII regis ejusque filii nunc regnantis in Cataloniam, deque fide quæ principi debetur, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut ait Apostolus, quatuor eis capita proposuit ab universis per provinciam monachis observanda, quorum unum fuit istud: Tertium quod a vobis exigo, illud est, ut inter missarum solemnia, juxta divi Pauli præceptum, antiquorum Patrum traditionem jam ab ipso Tertulliano testatam, ipsiusque Missalis Romani contextum, regis Christianissimi specialis et expressa ab omnibus sacerdotibus fiat commemoratio; ita ut non tantum regis mentio generaliter injiciatur, sed Ludovici nomen diserte exprimatur, quemadmodum exigit usus Ecclesiæ quotidianus; ne alioqui suspicio inde nascatur, aliud animo geri, aliud verbis simulari. » Postremo loco admonuit non defuturos officio suo magistratus regios, si quid in hoc peccarent monachi. Sed ne pœnæ viderentur constitutæ tantum adversus monachos, ac si de iis solis suspicio esset, litteras deinde ad uniuscujusque diœceseos vicarios generales dedit, in quibus eadem mandata continebantur. Exstat autem epistola ejus ad vicarios generales diœceseos Helenensis, in qua sic scriptum est: « In orationibus quoque quæ pro salute regis inter missarum solemnia recitantur, Ludovici nomen diserte et specialiter exprimant. » Cæterum adversus hanc orationem Marcæ, puerilem admodum declamatiunculam eodem anno Tarracone edidit frater Petrus Moliner Trinitarius magister, theologiæ doctor ac vespertinus cathedraticus in Ilerdensi Lycæo. His enim se titulis ornavit homo opinione sua doctus et eloquens; sed, quantum ex ipsius declamatiuncula colligi potest, Musis non tam invisus, quam ignotus.

[a] *Cum aliis viginti*, in synodo nimirum Epaonensi, quæ anno 517 habita est, præside Avito episcopo Viennensi. Sed hic Agobardus 24 tantum episcopos ei synodo adfuisse docet, cum tamen 25 reperiantur in vulgatis editionibus. Nisi si numerum rotundum ponere voluit: quod facile crediderim. De loco porro ubi habita est synodus illa, non una est omnium sententia, eaque res in diversum traxit ingenia hominum eruditorum. Sed neque ego velim dirimere eam litem. Cæterum silere non debeo vidisse me nuper vetustum codicem ms. epistolarum Aviti, et in his etiam esse epistolam ad Quintianum episcopum, quam Sirmondus aliique post eum existimant esse tractoriam ad episcopos provinciæ Viennensis ut ad synodum veniant Epaonensem. Et omnino Epaonis nomen deest in eo codice, ubi locus de concilio congregando sic habet: « Idcirco cunctos simul poscimus fratres, ut Deo favente octavo Iduum Septembrium die in parochia episcopatus vestri medius atque opportunus locus electus est, sicut et tempus, etc. » Ex quo loco, licet valde corrupto, colligi fortasse poterit sedes Epaonis, ut quæ fuerit in confinio nonnullarum diœceseon regni Burgundionum, cum Avitus dicat medium esse episcopatus Quintiani: quem Quintianum, ut hoc obiter dicam, ab episcopo Arvernorum esse diversum, cathedramque aliquam nobis ignotam tenuisse in regno Burgundico, atque fortean in provincia Viennensi, plane persuasum habeo.

[b] *Inter cætera statuerunt.* Sic etiam Rhabanus in cap. 55 libri adversus Judæos. Quem librum, ut in hoc promam meam sententiam, ex hac episcoporum epistola delibatum esse satis constat. Nam cum illa, uti supra diximus, e synodo quapiam missa esset, adeoque publicæ auctoritatis robur haberet, per manus hominem volitare debuit, ut intelligerent omnes quænam esset in hoc episcoporum tractus Lugdunensis sententia. Unde cum postea in manu-

statuerunt : « Si superioris loci clericus hæretici cujuscunque convivio interfuerit, anni spatio pacem non habeat : quod juniores clerici si præsumpserint, vapulabunt. A Judæorum vero conviviis etiam laicos constitutio nostra prohibuit ; nec cum ullo clerico nostro panem comedet, quisquis Judæorum convivio fuerit inquinatus. » Et in conclusione statutorum suorum, confisi de præsentia Domini, sicut ipse ait : « *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum*, ita sanxerunt : Quocirca hæc quæ superna inspiratione communi consensu placuerunt, si quis sanctorum antistitum, qui statuta præsentia subscriptionibus propriis firmaverunt, necnon et quos eorum Deus esse voluerit successores, relecta integritate observationis excesserit, reum se divinitatis pariter et fraternitatis judicio futurum esse cognoscat. »

V. Sanctus Cæsarius Ecclesiæ Arelatensis episcopus, cujus meriti et doctrinæ fuerit, multa ejus præclara monimenta designant. Hic cum [a] triginta quinque episcopis et vicariis episcoporum congregatis in unum in nomine Domini, pro defensione et confirmatione catholicæ veritatis, inter cætera statuit ita : « Omnes deinceps clerici, sive laici, Judæorum convivia evitent, et nec eos ad convivium quis accipiat : quia cum apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum est atque sacrilegum eorum cibos a Christianis sumi, cum ea quæ Apostolo permittente nos sumimus, ab illis judicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse catholici, quam Judæi, si nos his quæ ab illis apponuntur utamur, illi vero a nobis oblata contemnant. »

VI. Priscus Ecclesiæ Lugdunensis episcopus, Artemius Senonicæ, Remedius Bituricæ, et sanctus Siagrius Æduorum episcopus, cum cæteris pluribus, statuta ecclesiastica renovantes, [b] ita definierunt : « Ne Judæi Christianis populis judices deputentur, aut telonarii esse permittantur, per quod illis (quod Deus avertat) Christiani videantur esse subjecti. Ut Judæis a cœna Domini usque prima Pascha, secundum [c] edictum bonæ recordationis domni Childeberti regis, per plateas aut forum quasi insultationis causa deambulandi licentia denegetur, et ut reverentiam cunctis sacerdotibus Domini vel clericis impendant, nec ante sacerdotes consessum nisi ordinati habere præsumant. Quod si facere fortasse præsumpserint ; a judicibus locorum, prout persona fuerit, distringantur. Et ut nullus Christianus Judæorum conviviis participare præsumat. Quod si facere quicunque, quod nefas est dici, clericus aut sæcularis præsumpserit, ab omnium Christianorum consortio se noverit coercendum, quisquis eorum impietatibus fuerit inquinatus. Et licet quid de Christianis qui aut captivitatis incursu, aut quibuscunque fraudibus, Judæorum servitio implicantur, debeat observari, non solum canonicis, sed et legum beneficiis jampridem fuerit constitutum : tamen quia nunc ita quorumdam querela exorta est, quosdam Judæos per civitates aut municipia consistentes in tantam insolentiam et proterviam prorupisse, ut nec reclamantes Christianos liceat ad pretium de eorum posse servitute absolvi ; idcirco præsenti concilio, Deo auctore, sancimus, ut nullus Christianus Judæo deinceps debeat deservire ; sed datis pro quolibet bono mancipio XII solidis, ipsum mancipium quicunque Christianus, seu ad ingenuitatem, seu ad servitium, licentiam habeat redimendi. Quia nefas est ut quos Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit, persecutorum vinculis permaneant irretiti. Quod si acquiescere his quæ statuimus quicunque Judæus noluerit ; quandiu ad pecuniam constitutam venire distuleris, liceat mancipio ipsi cum Christianis ubicunque voluerit habitare. Illud etiam specialiter sancientes, quod si quis Judæus Christianum mancipium ad errorem Judaicum convictus fuerit persuasisse, et ipso mancipio careat, et legali damnatione plectatur. »

VII. [d] Sanctus Lupus cum aliis viginti et quatuor episcopis, vel vicariis episcoporum, similiter in no-

BALUZII NOTÆ.

Rhabani pervenisset, atque illi data esset occasio scribendi adversum Judæos, lucubrationem suam delibavit ex epistola illa synodica. Sic enim existimamus. Certe et observationes et auctoritates veterum easdem profert, et iisdem ut plurimum verbis, quibus utuntur episcopi ad imperatorem Ludovicum Pium scribentes.

[a] *Triginta quinque episcopis*, in synodo Agathensi habita anno 506 sub Cæsario Arelatensi. De qua synodo nos pluribus agemus in notis ad Ruricium Lemovicensem ; nonnullasque observationes afferemus, quæ fortassis indignæ non erunt eruditorum hominum curiositate. Vide Rhabanum in libro contra Judæos cap. 56.

[b] *Ita definierunt*, in synodo Matisconensi prima, quæ anno 581 habita est, præside Prisco Lugdunensi episcopo. Vide Rhabanum cap. 57 ejusdem libri.

[c] *Edictum Childeberti.* Mirum videri potest cur Patres synodi Matisconensis utantur lege Childeberti adversum Judæos, cum potior apud illos esse debuisse videatur auctoritas concilii III Aurelianensis, in quo illud ipsum statutum est quod edicto Childeberti regis continebatur. Nam canonem Aurelianensem ne verbo quidem nominant. Et tamen non adeo vetus erat memoria illius concilii, ut non etiam superesse potuerint qui in eo præsentes fuissent. Itaque videtur hinc elici, non ante vim legis habuisse canones conciliorum, quam a principe confirmati fuissent. Hæc autem confirmatio fiebat per edictum publicum. Et quia promptior est exsecutio constitutionum principalium, præcipue apud magistratus, quorum curæ commissa est legum tuitio et exsecutio, ideo Patres Matisconenses, quo magistratuum favorem sibi concilient, decernere se profitentur juxta edictum Childeberti regis, atque interim ea ratione factum principis approbant. Cæterum hunc concilii Aurelianensis canonem describet infra Agobardus in capite septimo hujus libri.

[d] *Sanctus Lupus*, Lugdunensis episcopus, qui concilio Aurelianensi III præfuit anno 538. Errat enim Rhabanus, cum hunc ex Agobardo locum describens, Lupum illum ait fuisse Tricassenorum episcopum. Sic enim ait in capite 58 libri adversum Judæos : « Sanctus Lupus Tricassenorum episcopus, et cum eo alii 24 episcopi, vel vicarii episcoporum, etc. » Nam Lupus Tricassium episcopus mortuus erat diu ante quam synodus illa Aurelianensis haberetur.

mine Domini nostri Jesu Christi congregatis pro causis corporis ejus, quod est Ecclesia, inter multa hæc etiam statuit : « Quia Deo propitio sub catholicorum regum dominatione consistimus, a die Cœnæ Domini usque in secunda sabbati in Pascha, hoc est, ipso quatriduo, procedere inter Christianos, neque catholicis populis se ullo loco, vel quacunque occasione miscere præsumant. »

VIII. In concilio Laodiceno (Capp. 37, 38) statutum est « quod non oporteat a Judæis, vel hæreticis, ea quæ mittuntur munera festiva suscipere, nec cum eis festa celebrare, et quod non oporteat azymam a Judæis accipere, et communicare impietatibus eorum. » Et in alio concilio (*Conc. Aurel.* I, cap. 19; *Arvern.* I, cap. 6) : « Ut si quis Judaicæ pravitati jugali societate conjungitur, id est, sive Christiano Judæa, sive Judæo Christiana mulier carnali consortio misceatur ; quicunque horum tantum nefas admisisse noscuntur, a Christiano cœtu neque convivio et a communione Ecclesiæ protinus segregentur. »

IX. Et quia [a] ecclesiastica statuta per apostolica acta firmanda sunt, et [b] nova per vetera, videamus quid de beato Joanne, quem diligebat Jesus plurimum, apostolo et evangelista, antiquissimus et apostolicus doctor ac martyr Christi et Ecclesiæ Lugdunensis episcopus Irenæus dicat (Ap. Euseb., *Hist. eccl.*, l. IV, c. 14. Vide Baron. ad an. 74). Ait ergo : « *Et* Polycarpus vero, non solum apostolorum in condiscipulatu eruditus, et conversatus cum multis qui Dominum viderunt, sed et ab apostolis collocatus Asiæ apud Smyrnensium Ecclesiam episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra ætate (diu etenim mansit, et valde senectute præ cæteris longævus gloriose et luculenter testatus obiit vita), hæc docuit semper quæ ab apostolis didicit, quæ et Ecclesiæ tradidit, quæ et sola sunt vera ; et sunt qui audierint eum quod Joannes Domini discipulus ad Ephesum dum pergeret lavatum, ut vidit intus Cerinthum, exsilivit a balneo non lotus, dicens quia timeret ne balneum corrueret, posito intus Cerintho veritatis inimico. Et ipse vero Polycarpus Marcioni quondam in faciem ipsi venienti et dicenti, Cognosce nos, ei respondit, Cognosco, cognosco primitivum Satanæ. Tantum apostoli et discipuli eorum habuere reverentiam, ut ne verbo quidem communicarent cuiquam incaraxanti veritatem. » Ad hæc si forte ali- A quis dicit Cerinthum hæreticum fuisse, non Judæum, noverit temporibus apostolorum non fuisse hæreticos nisi ex Judæis et Samaritanis. Sicut fuerunt Simon et Menander, Hebion et Nicolaus. Sed ex erroribus supradicti Cerinthi cognoscat quod omnia sint Judaica quæ astruebat. (Vide Epiphan., l. I, *hær.* XXVIII, et Iren., l. I, c. 25.) Prædicabat Dominum nostrum Jesum Christum purum fuisse hominem, nec resurrexisse, et circumcidi oportere. Post resurrectionem dicebat terrenum futurum esse regnum Christi in Hierusalem, et homines in carne iterum concupiscentiis et vitiis subjectam conversationem habituros ad legales festivitates rursum celebrandas, et hostias carnales iterum jugulandas. Sed et ex suprascriptis statutis advertat B multo detestabilius exsecranda et vitanda consortia Judæorum, quam cæterorum hæreticorum. Quia si omnes propterea detestandi sunt, quoniam inimici veritatis existunt ; multo illi magis qui majores exercent inimicitias. Re etenim (Aug. *in Matth.* l. I, c. 11) vera proprium est hæreticorum in aliquibus communiter sentire cum Ecclesia, in aliquibus dissentire ab ea, hoc est, ex parte blasphemare, ex parte veritati consonare ; Judæorum autem ex toto mentiri, ex toto blasphemare Dominum et Deum nostrum Jesum Christum et Ecclesiam ejus, et nihil de eo verum credere nisi mortem : quanquam nec in eo verum credant, eo quod mortem ejus cæterorum hominum mortibus similem dicant, hoc est, ex necessitate naturæ, non ex voluntate misericordiæ. Propter hoc C maledicere eos Dominum et corpus ejus in omnibus orationibus suis, sicut et ante prophetatum est voce Domini dicentis ad Patrem : *Maledicent illi, et tu benedices.* Si ergo hostes catholicæ fidei propterea exsecrandi sunt et cavendi, quia inimici sunt veritatis ; super omnes infideles, incredulos, vel hæreticos, detestandi sunt Judæi, quia nullum genus hominum invenitur cui ita libeat maledicere Dominum. Quod nobis non minime notum est, qui quotidie pene cum eis loquentes, mysteria erroris ipsorum audimus.

X. Dicunt denique Deum suum esse corporeum, et corporeis liniamentis per membra distinctum, et alia quidem parte illum audire ut nos, alia videre, alia vero loqui, vel aliud quid agere ; ac per hoc humanum corpus ad imaginem Dei factum, excepto D quod ille digitos manuum habeat inflexibiles ac ri-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Ecclesiastica statuta.* Recte admonent episcopi, ecclesiastica statuta esse firmanda per acta apostolica, id est, regulas ecclesiasticas non posse videri æquas, nisi constet eas congruere traditioni. Quare non injuria adnotatum est ab optimo Mæcenate meo in libro V de Concordia Sacerdotii et imperii cap. 9, § 3, quæcunque olim apud synodos proferebantur, ab iis non simpliciter, sed cum inquisitione approbari solita ; nempe si congruerent cum expositione et doctrina Patrum. Quare, ut idem auctor ait in capite octavo ejusdem libri, illud olim anxie in synodis disquirebatur, an nova cujuspiam pontificis Romani epistola cum Scripturis et canonibus congrueret ; ut ita demum auctoritate illius omnes tenerentur, atque duobus veluti vinculis in fide confirmati essent, definitione pontificis, et declaratione synodi : hunc esse Marciani Aug. sensum, cum scripsit illa quæ a Leone I papa secundum ecclesiasticos canones definirentur, a synodo declaratum iri.

[b] *Nova per vetera.* Nam « cum, ut illic Marca scribit, semel traditæ fidei hærendum sit, ut docet Judas apostolus, hinc sequitur eam esse fidei Christianæ rationem, ut vetera eruantur, non autem nova condantur ; quemadmodum recte monuit Vincentius Lirinensis. » Sic Claudius imp. aiebat apud Tacitum in libro XI Annalium : « Omnia P. C. quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuere. Inveterascet hoc quoque ; et quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit. »

gentes, ut pote qui nil manibus operetur. Sedere autem more terreni alicujus regis in solio, quod a quatuor circumferatur bestiis, et magno quamvis palatio contineri. Cogitare etiam illum multa superflua et vana; quæ quia ad effectum cuncta venire nequeant, vertantur in dæmones. Sed et innumera infanda de Deo, ut diximus, suo prædicant, ac tale colunt simulacrum, quod ipsi sibi in cordium suorum simulacra finxerunt et statuerunt, non verum, inconvertibilem atque immutabilem Deum, quem penitus ignorant. Litteras quoque alphabeti sui credunt existere sempiternas, et ante mundi principium impetrasse diversa ministeria, quibus eas oporteat in sæculo præsidere. Legem vero Mosaicam multis annorum curriculis ante mundum fuisse scriptam. Nec non affirmant plures esse terras, plura inferna, pluresque cœlos: quorum unum, quod ipsi vocant Racha [רקיע *Rakiah*, firmamentum], id est, firmamentum, molas Dei sustentare asserunt, quibus manna sumendum angelis molatur in escam. Alterum vero appellant Araboth, in quo Dominum astruunt residere, et hoc esse in Psalmo secundum illos: *Iter facite ei qui caballicat super Araboth* (*Psal.* LXVII, 5). Habere Deum propterea septem tubas, quarum una mille ei cubitis metiatur. Et quid plura? Nulla Veteris Testamenti pagina, nulla sententia est, de qua vel a majoribus suis non habeant conficta et conscripta mendacia, vel ipsi usque hodie nova semper superstitione confingant, et interrogati respondere præsumant. Nam et in doctrinis majorum suorum legunt, Jesum juvenem quemdam fuisse apud eos honorabilem, et magisterio Baptistæ Joannis eruditum, quamplures habuisse discipulos, quorum uni propter duritiam et hebitudinem sensus, Cephæ id est Petræ nomen imposuerit. Et cum exspectaretur a populo ad diem festum, quosdam ei de schola sua pueros occurrisse, qui illi ex honore et reverentia magistri cantaverint, *Osanna filio David*. Ad extremum vero, propter plura mendacia accusatum, Tiberii judicio in carcerem retrusum, eo quod filia ipsius (cui, sine viro, masculi partum promiserat) lapidis conceptum intulerit. Inde etiam, veluti magum detestabilem, furca suspensum; ubi et petra in capite percussum atque hoc modo occisum, juxta quemdam aquæductum sepultum, et Judæo cuidam ad custodiam commendatum; noctu vero subita aquæductum inundatione sublatum, Pilati jussu per duodecim lunas quæsitum, nec usque inventum. Tunc Pilatum hujusmodi ad eos promulgasse legem: « Manifestum est, inquit, resurrexisse illum sicut promiserat, qui et a vobis per invidiam peremptus est, et neque in tumulo, neque in ullo alio invenitur loco. Et ob hanc causam præcipio ut adoretis eum. Quod qui facere noluerit, partem suam in inferno futuram esse cognoscat. » Hæc autem omnia ideo seniores eorum confinxerunt, et ipsi stulta obstinatione lectitant, ut talibus commentis tota et virtutis et passionis Christi veritas evacuetur, et ut adoratio non ei ut Deo veraciter exhiberi debeat, sed Pilati tantum lege illi delata sit. Sed et Petrum nequaquam per angelum, secundum fidem nostram, de carcere eductum, sed Herodis misericordia, apud quem plurimum ejus sapientia fuerit conlaudata. Denique et Christianos idola asserunt adorare, et virtutes quæ apud nos sanctorum intercessionibus obtinentur, a diabolo fieri dicere non exhorrescunt. Pro quibus omnibus summo eos odio dignissimos esse quis ambigat? sicuti et odiendos illos demonstrat scriptura, quæ dicit juxta Hebraicam videlicet veritatem: *Qui contradicunt tibi, scelerate elati sunt frustra adversarii tui* (*Psal.* LXXXII, 3). *Nonne et odientes te, Domine, odivi? Et contra adversarios tuos distabui? Perfecto odio oderam illos. inimici facti sunt mihi* (*Psal.* CXXXVIII, 21, 22). Quo zelo Dei fervens beatus Hieronymus in quodam loco sic de ipsis ait: « Si expedit odisse homines et gentem aliquam detestari, miro odio aversor concisionem. Usque hodie enim persequuntur Dominum nostrum Jesum Christum in synagogis Satanæ. » Itemque alibi (*Epist.* 151, *quæst.* 10): « Quantæ, inquit, traditiones Pharisæorum, quas hodie deuteroseis vocant, et quam aniles sint fabulæ, revolvere nequeo. Pleraque tam turpia sunt, ut erubescam dicere. Dicam autem unum in ignominia gentis inimicæ. Præpositos habent synagogis sapientissimos, quosque fœdo operi delegatos, ut sanguinem virginis sive menstruatæ, mundum vel immundum, si oculis discernere non potuerint, gustu probent. Præterea, quibus jussum est ut diebus sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua, et non egrediatur, nec ambulet de loco in quo habitat; si quando ea juxta litteram cœperimus arctare ut non ambulent, non jaceant, non stent, sed tantum sedeant, si velint præcepta servare; solent respondere et dicere, [a] Rab Achibas et Simeon et [b] Hillel magistri nostri tradiderunt nobis ut duo millia pedes ambulemus in sabbato, et cætera hujusmodi, doctrinas hominum præferentes doctrinæ Dei. »

XI. Cum igitur tot tantisque immunditiis et sensuum et operum polluantur, impletur prorsus in eis sermo Aggæi prophetæ, quo præcipiente sibi Domino ita interrogat sacerdotes: *Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his*, panem videlicet, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, *nun-*

BALUZII NOTÆ.

[a] *Rab Achibas*. In codice regio scriptum est *Barachibas*, pro quo Massonus edidit *Barachias*. Sed apud Hieronymum, cujus est hic locus, legitur *Rab Akibas*. Pro quo nos, ne scripturam vetusti codicis desereremus, edidimus *Rab Achibas*. Et irrepserat error ex transpositione litterarum.

[b] *Hillel*. Vir fuit magni nominis, e cujus schola prodierunt octuaginta viri magni: quorum clariores, ut Genebrardus adnotat, fuere Jonathan filius Uziel, et Simeon Justus, qui Christum ulnis excepit. Hos autem vel ex eo constat fuisse magnos viros, quod Johanan Ben Zachei, qui discipulorum Hillelis minimus fuit eruditione, universum tamen Cabbalæ et Scripturarum corpus, cunctas etiam philosophiæ partes exactissime tenuisse, ac scholæ Scribarum et Pharisæorum magna cum laude præfuisse memoratur. Hillel porro vixit annis centum et viginti.

*quid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, et dixerunt : Contaminabitur. Et respondit Aggæus et dixit : Sic populus iste, et sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, et sic omne opus manuum eorum* (*Aggæi* II, 4). Quod autem horum omnium causa inter carnales Israelitas et spiritales Judæos necessario divisionem fieri oportet, mystice Dominus per Zachariam prophetam designat dicens : *Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellatur funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Judam et Israel* (*Zach.* XI, 14). Nam, juxta Apostolum, *quæ pars fideli cum infidele? quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial?* In quo advertendum est quia sicut infideles sponte sequestrantur ab ecclesiastica communione, ut in nullis velint mysteriis participare fidelibus, ita et fideles devote separare se debent et convictu et societate infidelium; et si locis necdum valent, donec tempore ut et locis segregentur, sicut idem fideles, quod est Ecclesia, ad Deum clamant dicentes : *Judica me, Deus, discerne causam meam de gente non sancta*; quod tunc perfecte implebitur, quando fiet illud quod Joannes Baptista Dominum prædicit esse facturum, sic loquens : *Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili.* Ante passionem enim suam Dominus nolens adhuc sumere panem filiorum de mensa, et mittere canibus, aiebat discipulis : *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierant domus Israel.* Et mulieri Chananææ loquebatur : [a] *Sine prius saturari filios.* Ac si diceret : Offeratur primum panis qui de cœlo descendit, filiis qui nutriendi sunt ad vitam; illisque assumptis, cæteri qui remanserint fastidiosi, cum dixerint : *Durus est hic sermo : Quis potest eum audire? Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum?* transeant ministri mensæ Dominicæ ad canes esurientes, id est, apostoli ad gentes, sicut beata Maria Dei genitrix repleta Spiritu sancto prædixerat : *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes* (*Luc.* I, 53). Et multo ante Anna genitrix Samuelis : *Repleti prius, pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt.* Et inter has medius propheta Isaias ait : *Ecce dominator Dominus exercituum auferet ab Hierusalem et ab Juda omne robur panis* (*Isa.* III, 1).

XII. Quod tali ordine cœpit impleri. Dixit primum Dominus prædicatoribus suis : *In vias gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Ascensurus vero ad cœlos ait : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ut scilicet prius a Judæa apostolorum repulsa prædica-

A tio, tunc nobis in adjutorium fieret, cum hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset. Cumque hoc impleri cœpisset, et jam tempus advenisset ut implerentur prophetiæ de assumptione gentium et repulsione Judæorum, prædicantibus Paulo et Barnaba, et concurrentibus audire verbum Domini, sicut scriptum est in Actibus apostolorum : *Videntes turbas Judæi, repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes. Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. Sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lumen gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Audientes autem gentes, gavisæ sunt,* B *et glorificabant verbum Domini; et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem. Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam, et ejecerunt eos de finibus suis. At illi excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. Discipuli quoque replebantur gaudio et Spiritu sancto.* Item in eodem libro : *Instabat,* inquit, *verbo Paulus, testificans Judæis esse Christum Jesum. Contradicentibus autem eis et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua dixit ad eos : Sanguis vester super caput vestrum, mundus ego, ex hoc ad gentes vadam. Et migrans inde, intravit in domum* C *cujusdam nomine* [b] *Titi Justi.* Item ibi : *Ingressus autem synagogam Paulus, cum fiducia loquebatur per tres menses disputans et suadens de regno Dei. Cum autem quidam indurarentur, et non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos.* In quibus verbis subtilissime pensandum est quia sicut paulatim crescebat numerus fidelium ex gentibus, et duriores fiebant Judæi adversus verbum Domini, desinebantque credere, sic paulatim ostensa est et segregatio prædicatorum ab eis. Nam et vestimenta sua et pedum pulverem excusserunt in eos; adimplentes præceptum Domini, qui discipulos ad prædicandum mittens, ait : *Et quicunque non receperit vos, nec audierit sermones vestros; exeuntes foras de domo vel civitate, excutite* D *pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.* Pulverem vero de pedibus jubentur excutere in testimonium laboris sui, quod ingressi sunt civitatem, et prædicatio apostolica ad illos usque pervenerit. Sive excutitur pulvis ut nihil ab eis accipiant, ne ad victum quidem necessa-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Sine prius saturari filios.* Verba Christi sunt ad mulierem Chananæam. Hoc autem inter cætera argumento usus est ille qui exeunte postremo sæculo theses emisit in publicum, ut ostenderet mulieres non esse homines. Quod ideo visum est adnotare, ut intelligat lector non tum primum agitatam fuisse hanc quæstionem, neque animi tantum gratia, sed serio propositam ab episcopo quodam Gallicano in synodo Matisconensi anno 585 ut Gregorius Turonensis narrat lib. VIII, cap. 20 Historiæ Francorum.

[b] *Titi Justi.* Vox *Justi* non exstat in codice manuscripto. Eam tamen habet Editio Massoni, quæ Titi nomen, quod habetur in veteri codice, omisit. Utrumque autem vocabulum exstat hoc loco in Actis Apostolorum. Itaque retinuimus ob eam causam utrumque.

rium, qui Evangelium spreverint. Sic enim a docto- A ribus exponitur excussio pulveris, non solum in Evangelio, ubi præcipitur, sed et in Actibus apostolorum, ubi perficitur.

XIII. Et inde est quod in primis quidem, quando segregati sunt in opus Paulus et Barnabas, per singulas civitates leguntur intrasse synagogas Judæorum, et sabbatis disputasse de regno Dei, id est, quando collectæ fiebant Judæorum. In secunda autem circumcisione [*F.*, circumitione] per singula iterum loca Paulus et Silas leguntur suscepti esse a fratribus, et mansisse apud fratres. Unde et ascendentibus Paulo et sociis ejus Hierusalem, ierunt cum eis aliqui ex discipulis a Cæsarea, ª deducentes secum, ut hospitarentur, Mnasonem quemdam Cyprium antiquum discipulum. Et cum venissent Hie- B rosolymam, exceperunt eos fratres.

XIV. Atque istius regulæ districtionem servat ubique Vas electionis, et magister gentium Paulus: quod diligenti cuique lectori, vel auditori facile est ex ipsis gestis ejus agnoscere. Denique et in Philippis cum prædicaret, nec in domum Lydiæ purpurariæ, licet colentis Deum, introisse legitur, aut mansisse, prius quam cum omni domo sua in Christum credens baptizaretur: nec in illius similiter domum qui custos erat carceris ingressus est, aut humanitatis ejus obsequiis usus est, donec etiam ipse credens Domino, cum omni domo sua baptizatus, dignus fieret tantum apostolum habere convivam. Sed et cum venisset Tyrum, non nisi cum discipulis septem scribitur mansisse diebus. Similiter autem et apud C Cæsaream in domo Philippi evangelistæ, cui quatuor erant filiæ virgines prophetantes, hospitio functus esse memoratur, ubi et per aliquantum temporis, sub custodia detineretur, sui illi tantummodo leguntur ministrasse. Apud Sidonem quoque humane tractatus a Julio centurione, ad amicos tantummodo refertur isse, qui erant utique fideles, et sui curam egisse. Itemque cum venisset Puteolis, diebus septem apud fratres mansisse perhibetur. In ipsa autem Roma biennio in suo habitasse conductu. Sed et semper tam ipsi quam his qui secum erant, necessaria quæque suis se fatetur manibus ministrare. Et cum apud alios prima verbi Dei jaceret fundamenta, ab Ecclesiis fidelium invenitur accepisse stipendia. D Necessaria vero, quæ ipsi et suis a patre Publii cæterisque Mitilinensis insulæ cultoribus imposita narrantur, quis non videat nequaquam ab infidelibus, sed a fidelibus, fuisse suscepta? Nam et patrem Publii salvavit, et tantas apud eamdem insulam infirmitatum curationes exercuit, ut dubium non sit plurimos ex loci illius incolis Christi fidei subjugatos, ac salutis suæ nuntium innumeris honoribus prosecutos. Et hæc quidem ab apostolo Paulo ita constat esse servata.

XV. Si quis vero et principis apostolorum Petri gesta consideret, videbit etiam ingressum ipsum aliquando ad Cornelium, et eos qui cum ipso aderant, non prius apud illos mansisse aut accepisse cibum, quam sancto Spiritu repleti, et in Christi nomine baptizati, fidelium digni fierent convictu et societate. Sed et apud Joppen, in domo fidelis cujusdam Simonis coriarii hospitatum, esurientem gustare voluisse, ubi et vas linteum plenum diversis animantibus cœlitus delapsum vidit, facta ad se voce: *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris.* Hoc autem per ter factum esse narratur, ut per fidem sanctæ Trinitatis, cunctarum gentium futura mundatio præsignaretur, sicuti jampridem apostolis a Domino præceptum fuerat, ut euntes docerent omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Tales ergo jam erant et gentiles illi, credentes, baptizati et mundati; cum quibus, ne scandalizarentur hi qui ex circumcisione crediderant, illis absentibus edebat, præsentibus edere dissimulabat. Ubi et illud fideliter considerandum est quod si talis ac tantus apostolus, ne Judæos fideles scandalizaret, qui adhuc carnalibus legis observationibus utebantur, a gentilium fidelium se convivio subtrahebat, ne contra morem, scilicet Judæorum, videretur agere, cum gentibus convivando; quo studio Christiani nunc a convictu se debent subtrahere infidelium Judæorum, ne exemplo hujus illicitæ communionis scandalizent socios et participes Christianæ religionis, talique facto vel Judaicis videantur superstitionibus favere, vel ecclesiastica convincantur statuta dissolvere?

XVI. Sed et ᵇ in libris Clementis Ecclesiæ Romanæ pontificis inveniuntur aliqua a supramemorato Apostolo de hujus rei observatione dicta, quæ in his inserere non incongruum existimavimus. Nam licet iidem libri judicentur apocryphi, pleraque tamen ex his testimonia inveniuntur a doctoribus usurpata. Introducit ergo Clemens, cum necdum esset baptismi gratia purificatus, et ob hoc a mensa Petri cum cæteris similibus sequestratus, eumdem Apostolum loquentem sibi his verbis: « Non pro superbia, o Clemens, convivium non ago cum his qui nondum purificati sunt. Sed vereor ne forte mihi quidem noceam, ipsis autem nihil prosim. » Et paulo post: « Nemo ergo vestrum contristetur, ait, a convivio nostro separatus. Parvo enim tempore sequestratur qui cito

BALUZII NOTÆ.

ª *Deducentes secum.* In cod. ms. hic locus ita legitur: *Deducentes apud hospitarentur Jasonem*, etc. Pro quo Massonus edidit: *Deducentes secum, ut hospitarentur Mnas.* Sed in Actis Apostolorum, cap. XXI, legitur: *Adducentes secum, apud quem hospitarentur, Mnasonem.* Itaque Actorum auctoritate constituimus lectionem quæ nunc exstat in editione operum Agobardi.

ᵇ *In libris Clementis*, nimirum in fine libri secundi Recognitionum. Et manifestum est existimasse Agobardum hanc Clementis lucubrationem esse apocrypham. Itaque dubium non est quin secundum Agobardi sententiam Itinerarium beati Petri, a Clemente scriptum, illud ipsum opus sit quod sub Recognitionum titulo nunc quoque exstat: id quod Bellarmino etiam probabile visum est.

voluerit baptizari, multo autem qui tardius. Et ideo in vobis est quando velitis ad nostram convenire mensam, et non in nobis, quibus permissum non est sumere cum aliquo cibum, nisi prius fuerit baptizatus. » Hæc de scriptis Clementis necessario a nobis prolata sint, volentibus evidenter ostendere ab apostolis traditam hujus rei antiquissimam observationem. Vera enim et ista ducenda sunt, et eo maxime quo ab apostolicis actibus in nullo videntur discrepare.

XVII. An putandi sunt electi Christi apostoli cum Judæis infidelibus communem habere voluisse mensam, aut potuisse cum eis gratum convivium ducere, de quibus magister gentium Paulus Thessalonicensibus ita loquitur : *Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa in Christo Jesu; quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis, qui et Dominum occiderunt Jesum, et prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos gentibus loqui ne salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper, pervenit autem ira Dei super illos usque in finem.* Cum talibus ergo (quos occisores Jesu et prophetarum, persecutores apostolorum, Deo non placentes, omnibus hominibus adversantes, peccata sua semper implentes et sub ira Dei usque in finem sæculi gementes, Vas electionis appellat) vel apostoli credendi sunt [a] commune habuisse convivium, vel fidelium quisque illud debet retinere consortium?

XVIII. Verum quoniam Ecclesiarum quæ in Judæa erant in Christo, id est, eorum qui ex Judæis crediderant, fecit Apostolus mentionem; videndum etiam de illis, utrum et ipsi hæc inter suos positi contribules observarent. Et facile hoc ex verbis sancti Lucæ possumus agnoscere; quibus ait : *Multitudinis autem credentium erat cor et anima una, nec quisquam horum aliquid suum dicebat, sed erant illis omnia communia.* Et paulo post : *Quotquot*, inquit, *possessores domorum aut agrorum, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Et post aliqua rursum ait: *Et erant omnes unanimiter in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis, sed magnificabat eos populus.* Neque igitur communem cum eis ducebant victum, cum quibus non habebant ne commune quidem habitationis consortium. Omnia vero quæ ipsis erant communia, non undecunque quæsita, sed ex sola fidelium fuerant conlatione et oblatione suscepta. Sed et in maxima necessitate famis quæ [b] sub Claudio facta esse memoratur, a

A Judæis quidem incredulis, inter quos morabantur, neque expetisse aliquid neque accepisse referuntur, ab his vero qui ex gentibus ad fidem Christi venerant, ne eos ministri, oblationes fidelium pertulerunt. Jam enim tempus instabat ut diceretur fidelibus omnibus, de omnibus inimicis fidei Christianæ : *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, et Ave illi nolite dicere. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Secundum quam sententiam, si is qui *Ave* illi dicit qui a doctrina apostolica exsistit alienus, communicat ab operibus ejus malignis, quanto amplius Judaicæ communicat malignitati, qui cum his commune etiam convivium celebrat?

XIX. Et adhuc, ut ab inquinationibus hæreticorum

B vel Judæorum Christiani fierent cautiores, dicebatur imo et semper dicitur eis : *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint; quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est; et hic est Antichristus.* Itemque ibi : *Quis enim est mendax, nisi is qui negat quoniam Jesus non est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, et Patrem habet.* Ex quibus verbis evidentissime declaratur non solum mendaces sed et Antichristos esse Judæos, qui cum negent Filium, frustra confitentur Patrem; non autem

C confitentes Filium, nec Patrem habere merentur; super omnia vero Jesum, qui ex Maria virgine ortus est, Christum esse negantes, Antichristi sibi et nomen pariter et eloquium vindicarunt. Nam quid aliud Antichristus dicturus est, nisi Jesum quidem non fuisse Christum, se autem esse quod ille voluti falso creditus fuerit? In hoc ergo solo blasphemiam Judæorum superat Antichristus, quod se præsumit nuncupare Christum. In hoc autem Judæi nequitiam æquiparant Antichristi, quod Jesum negare audent fuisse Christum. In tantum igitur Antichristi, in quantum blasphemiæ ipsorum blasphemiis consonant Antichristi. Quis autem cum Antichristo mensam habeat communem, et Christo se asserat servare fidem?

D Aut quis non libenter eorum fugiat necessitatem, quos suum videat blasphemare Salvatorem? et quibus ipsum terribiliter audiat denuntiantem : *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere et in cilicio pœnitentiam egissent. Ve-*

BALUZII NOTÆ.

[a] *Commune habuisse convivium.* Ita visum est edi debere pro eo quod editio Massoni habet *commune carisse convivium.* Nam in codice ms. sic omnino scriptum est, *vel apostoli credendis commune anisse convivium :* ex qua scriptione constituimus veram lectionem.

[b] *Sub Claudio.* Hujus famis meminit Eusebius in libro II Hist. Eccl., cap. 8, et in Chronico, ubi eam contigisse ait, ut Baronio visum, quarto imperii Claudii Augusti anno. Verum in Chronico Eusebii nihil de anno quo fames illa contigit. Ait enim tantum, quemadmodum et in Historia, eam contigisse sub Claudio. Quare perperam hoc loco Eusebium corrigit Baronius; qui eam famem revocat ad secundum Claudii annum, auctoritate Dionis Cassii. Josephus tamen Scaliger in Animadversionibus ad Chronicon Eusebii existimat eam evenisse anno mundi 2061, hoc est, anno quinto imperante Claudio. Nostrum non est componere hanc litem inter tantos viros.

*rumtamen dico vobis, Tyro et Sidoni remissius erit quam vobis in die judicii. Et in Capharnaum, nunquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes. Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque ad hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi* (*Matth.* XI, 21, 22).

XX. Corozaim namque, et Bethsaida, et Capharnaum, urbes Galilææ, idcirco a Salvatore planguntur, quod post tanta signa, atque virtutes, non egerint pœnitentiam. Præferuntur autem eis Tyrus et Sidon, quod naturalem tantum legem calcaverint, istæ vero post transgressionem naturalis legis urbes idololatriæ et vitiis deditæ. Et præferuntur ideo, quod Tyrus et Sidon et scriptæ, etiam signa quæ apud eas facta sunt, parvi duxerunt. Et quia revera, licet et non audire veritatem et auditam contemnere perniciosum sit, multo tamen et incomparabiliter pejus est auditam et cognitam contemnere, et contemptam persequi insuper, et blasphemare. Quod apertissime beatus Petrus ostendit, de talibus dicens: *Melius fuerat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem retrorsum reflecti.* Hoc autem multo adhuc evidentius demonstratur verbis Domini per parabolam sic loquentis: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit vacantem, scopis mundatam et ornatam. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et intrantes habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus: sic erit et generationi huic pessimæ.* Ex quo perspicuum est immundum idololatriæ spiritum de corde quondam populi Judaici, cum ei lex data est, recessisse et ambulasse eum diu per loca arida, corda videlicet gentilium infructuosa, atque in his securam sibi voluisse facere mansionem. Sed et inde in adventu Christi, cunctis in eum credentibus nationibus, expulsum, ad pristinam domum reversum, quam invenit Deo quidem vacuam, carnalibus vero legis observationibus ornatam, a Pharisaicis traditionibus veluti mundatam. Et quia vidit eam sui habitatione dignissimam, septem alios nequiores se spiritus assumpsit; et cum his intima ipsius penetrans, novissima ejus pejora fecit prioribus. Majori quippe nunc domus illa plebis Judaicæ dæmonum numero possidetur, blasphemans in synagogis suis Christum, quam in Ægypto possessa fuerat ante legis notitiam.

XXI. Frustra igitur fautores Judæorum, nos contristantes, et illos lætificantes, patriarcharum causa honorandos eos putant, et Christianis dicere audent meliores; cum legamus etiam Agarenos, qui nunc corrupto vocabulo [a] Saraceni vocantur, Amalachitas quoque, et Madianitas, atque Afros, ex Abraham genus ducere, ideoque nec eos quisquam vel honorandos vel meliores Christianis debeat existimare. Non solum autem Judæi meliores nobis esse nequeunt, sed et his, quas supra enumeravimus, nationibus pejores inveniuntur: quia illæ quidem nec legem acceperunt, isti vero post datam sibi legem, post missos ad se prophetas, etiam Dei filium occiderunt. Si vero, juxta Apostolum, *non qui filii carnis, hi filii sunt Dei, sed qui filii promissionis, hi æstimantur in semine*; ergo Judæi, quantum a promisso Abrahæ semine, id est, Christo, existunt alieni, tantum et filiorum Dei gloria probantur indigni; nec Hierusalem cœlestem matrem sortiti sunt, sed Hierusalem terrestris et Agar ancillæ, quæ in servitutem generat, filii remanserunt.

XXII. Sed quid dicit Scriptura? *Ejice ancillam et filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Expulsus ergo est de paterna domo Judaicus populus, atque ab hæreditate filiorum Ecclesiæ, quæ per Christum libera effecta est, segregatus. Nam sicut Dominus ait, *servus non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Omnis autem qui facit peccatum, servus est peccati*; nec potest a jugo servitutis istius absolvi, nisi per Dei filium meruerit liberari. Judæi igitur (qui, dicente Domino: *Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis*, ipsi quidem non credunt, se autem semen Abrahæ esse et nemini unquam servisse gloriantur) non solum a libertate spiritus efficiuntur extranei, sed et carnalis servitutis inveniuntur obnoxii. Neque hoc solum; sed et filii perseverant diaboli; sicut et Dominus ostendit, dicens eis: *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere.* An non patris sui desiderio quotidie satisfaciunt, contemnentes legem, spernentes prophetas, persequentes Ecclesiam, atque ipsum Dei filium blasphemantes? Cum hæc ergo ita se habeant, qua ratione servis Dei servi peccati, filiis liberæ filii ancillæ, hæredibus exhæredati, Dei filiis filii diaboli præferentur? Quos Dominus per Isaiam prophetam tanta a servis suis divisione sejungit, ut et nomen pristinum eos amisisse, et inter mortuos ostendat jam deputatos esse, his verbis: *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Ecce servi mei bibent, et vos sitietis. Ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini. Ecce servi mei clamabunt præ exsultatione cordis, et vos ululabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis, et*

BALUZII NOTÆ.

[a] *Saraceni vocantur.* Eusebius in Chronico: « Abraham ex ancilla Agar genuit Ismaelem: a quo Ismaelitarum gens, qui postea Agareni, deinde Saraceni dicti. » Et arbitratur D. Hieronymus Saracenos dictos a Sara uxore Abrahæ, sicut Agareni dicuntur ab Agar ancilla. Sed istud improbat Jos. Scaliger in Animadversionibus ad Chronicon Eusebii. Existimat enim potius esse deducendam verbi hujus originem a *Sarak*, quod Arabice sonat furaces: « Quales sunt, inquit, qui Turcis dicuntur Cosaki Tartari, quales Martolossi, quales Bandolieri in Pyrenæis. » Hieronymi tamen opinionem Scaligericæ præfert Innocentius Cironius in librum v Decretal., tit. 6. Genebrardus vero putat Saracenos potius dictos a Sara monte, quem olim ipsi incolebant.

*dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis; et interficiet te Dominus Deus tuus, et servos suos vocabit nomine alio; in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen; et qui jurat in terra, jurabit in Domino amen.* Nomine itaque pristino populus Judaicus spoliatus, et incredulitatis suæ gladio peremptus, electis Dei nomine alio vocatis, et Christiano vocabulo benedictis, atque in Christi sacramenta juratis, nec exæquari potest, nec corporali saltem victu sociari debet, quibus ne ipsa quidem servitutis appellatione meruit copulari.

XXIII. Si vero et hoc consideremus, quibus virtutibus tabernaculi Dei habitatio, et sancti montis ejus ascensio valeat comparari, non minimum inter eas virtus illa obtinet locum, qua vir justus ita dignus est conlaudari: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus; timentes autem glorificat.* Fideles itaque et timentes Deum glorificandi sunt in omnibus atque honorandi. Populus autem ille qui totus est positus in maligno, quique Dei virtutem et Dei sapientiam non cognovit, ac per hoc in malignitatis et erroris vetustate remansit, pro nihilo in conspectu omnium credentium est habendus; nec pecuniæ aut divitiarum suarum causa cuiquam honorandus; sed ob earum potius cupiditatem lepra Naaman aspersus, ab omni fidelium populo per verum Eliseum aquis baptismatis expiato, ut vere sordidissimus atque immundissimus exsecrandus; insuper vero et anathema ei semper et ubique dicendum voce Apostoli, qui ait: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema maranatha.* Nam si is qui non amat Dei filium, anathema est; ergo qui odit, qui persequitur, qui blasphemat, multo adhuc detestabilius anathematizandus est. Si quis porro amicitiis libenter ipsius indulget, nec ferre illi impiæ societatis auxilium erubescit, merito et ipse audiet quod Josaphat rex per prophetam Domini increpatus audivit; *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, et idcirco iram Domini mereris.* Et quidem rex ille in cæteris omnibus justitiæ testimonium accepit; sed in hoc solummodo offendit, Deique iram promeruit, quod impiis et Deum odientibus auxilium præbere et amicitias non exhorruerit copulare: quos utique non esse alios quam eos qui a domo David se ipsos exciderant, evidenter Scriptura designat; sicut et hi impii, et inimici semper Dei filio Judæi, a veri David domo, quæ est Ecclesia, se ipso segregant, et a regno Christi abscisi, regnum exspectant ac desiderant Antichristi, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui. Non solum autem ipsum, sed et istos qui voluerunt regnare super se, secundum Evangelii parabolam, accepto cœlorum regno, regrediens jubebit interfici se præsente.

XXIV. Erepti igitur de potestate tenebrarum Christiani, et translati in regnum filii charitatis Dei, nullatenus debemus eorum convictu et societate pollui, a quorum erroribus omni genere proba- A mur absoluti. Meminisse etenim nos oportet quomodo et propheta ille, qui de Juda missus fuerat in Bethel, ubi ab Jeroboam rege Samariæ vitulus aureus colebatur, a Deo prohibitus ne illic comederet vel biberet, etiam invitanti se regi responderit: *Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non manducabo panem, neque bibam aquam in loco isto.* Insuper et munera oblata sibi ab eodem rege suscipere recusavit. Verum quia postea seductus a pseudopropheta quodam, contra præceptum Domini in eodem loco comedit et bibit, Dei judicio leoni traditus, et ab eo interemptus occubuit. Nam quod in Veteri Testamento religiosi Judæi diligenter abstinuerunt a cibo et potu infidelium, ubi illis præceptum sit a Domino non facile advertitur; documenta B tamen exstant de exemplis sanctorum, sicut de Daniele scriptum est: *Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus; et rogavit eunuchorum præpositum, ne contaminaretur.* Concessumque est Danieli, Ananiæ, Azariæ, et Misaheli, cum cæteri pueri Israelitæ vescerentur cibo regio. Quæ observantia in tantum inolevit apud Judæos, ut tempore adventus Domini generalis esset omnium; ita ut dicerent impii Judæi discipulis Domini: *Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis?* et non solum hi, sed etiam infideles disceptarent adversus Petrum, qui erant ex circumcisione, dicentes: *Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducastis cum illis?* Quibus reddita ratione subjunxit, respondisse sibi C vocem de cœlo secundo: *Quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris.* Ex quo tempore cœpit declarari quod beatus Paulus scripsit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum* (*Tit.* I, 15). Quo testimonio licet plerique in contrarium utantur, id est, ut propter hoc putent sibi licitum infidelium sumere cibos, tamen nostram omnino confirmat observantiam, ut immundorum immundas noverimus esse mensas, quia inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia. Quomodo autem immundæ non erunt mensæ, quorum maledicta sunt horrea et apothecæ?

XXV. Sed quia ad maledictiones infidelibus Judæis a Deo impositas scribendo pervenimus, paulo D diligentius a superioribus eas repetamus. Ait itaque Moyses omni populo Israelitico trans Jordanem in solitudine campestri: *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem; benedictionem, si obedieritis mandatis Domini; maledictionem, si non audieritis mandata Dei vestri. Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal, qui sunt trans Jordanem.* Quæ verba cum permagnificis sensibus plena sint, non ante potuerunt impleri, nisi Jordane transito, id est, baptismi sacramento corpore Christi tactis aquis Jordanicis dedicato. Garizim namque, qui interpretatur divisio, significat apostolicam plebem divisam ab infidelium synagoga,

sicut Paulus de se ipso ait : *Cum autem complacuit ei qui me segregavit de utero matris meæ, ut revelaret filium suum in me, non adquievi carni et sanguini.* Hebal autem, qui interpretatur vorago vetus, significat carnalem et infidelem Synagogam, quæ non acquievit transire ad novitatem spiritus vivificantis, sed maluit remanere in vetustate litteræ occidentis. Ibique eis perseverantibus, supervenit immensus fluvius maledictionum, juxta quod scriptum est : *Facti sunt principes Juda, quasi adsumentes terminum. Super eos effundam, quasi aquam, iram meam.* Et sicut omnes omnino promissiones et benedictiones requieverunt super apostolicam plebem, sic omnes comminationes et maledictiones confirmatæ sunt super synagogam Satanæ, ipso ordine rei quo Moyses prædixerat verbis dicens : *Maledictus eris in civitate*, id est, Hierusalem; *maledictus in agro* mundi dispersus; *maledictum horreum tuum.* Quod alia translatio sic dicit : *Maledictæ apothecæ tuæ, et omnes reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ. Maledictus erit ingrediens*, nascendo in hanc vitam; *et maledictus egrediens* (*Deut.* XXVIII, 17, 18, 19), moriendo videlicet, de hac vita. Et post multa : *Advena*, inquit, *qui tecum versatur in terra*, id est, populus gentium, *ascendet super te eritque sublimior*, effectus videlicet filius patriarcharum, et socius radicis olivæ et pinguedinis factus. *Tu autem descendes, et eris inferior*, abscisus ab olea, et siccus in terra jacens, igni destinatus. *Ipse erit in caput, et tu eris in caudam.* Et nunc veniunt quidam per se eos conantes levare in caput unde ceciderunt, quasi non debeant esse in caudam : quod utique semper erunt, donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israel salvus fiat, omnis videlicet salvandus. Nam istorum qui nunc sunt infidelium augebit Dominus plagas, *plagas magnas et perseverantes, infirmitates pessimas et perpetuas :* quod alia translatio dicit, *plagas verissimas, et infirmitates veras.* Item ibi : *Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti quas timuisti, et adhærebunt tibi. Insuper et universos languores, et plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat.* Hoc profecto est quod supra de Evangelio posuimus : *Erunt novissima hominis illius*, id est, ad quem spiritus immundus cum aliis septem se ipso nequioribus ingressus fuerit, *pejora prioribus.*

XXVI. Et hæc quidem breviter diximus, ac de multis pauca libavimus; strictim scilicet volentes ostendere quantis benedictionum muneribus dignam præparaverit Deus apostolicam plebem, quantisque e contrario maledictionibus suis meritis repletam infidelem repulerit synagogam; quatenus et in electis impleretur quod prædictum fuerat; etenim benedictiones dabit qui legem dedit, benedicens eos videlicet juxta Apostolum *in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo.* Et illis qui nec Moysi litteris, nec verbis Christi crediderunt, ac per hoc justo Dei judicio reprobati sunt, illa maledictio superveniret, quæ ab ipso Moyse ita fuerat prænuntiata : *Maledictus omnis qui non permanserit in verbis legis hujus*, ut faciat ea, nolens audire quod in ea scriptum est : *Juxta te est verbum valde in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illud.* Quod Apostolus sic exponit : *Hoc est verbum fidei quod prædicamus. Quoniam si confessus fueris in ore tuo Dominum Jesum, et credideris in corde tuo quod Deus eum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

XXVII. Breviter ergo ista a nobis perstricta sint. Nam et cedendum est majoribus, subtilioribus, ac facundioribus, quibus perfacile est altiora et occultiora hujus rei pandere : quod jam jamque fieri oportet, frigescente multorum charitate, abundante ubique iniquitate, incredulorum convalescente improbitate, Antichristi fallacia appropinquante. Atque utinam juberet religiosissimi Imperatoris industria alicui de suis ut colligeret omnia quæ a magistris Ecclesiarum in Scripturis sanctis de Antichristo intelligenda, vel exposita, vel signata sunt. Valeret profecto ad cautelam fidei, ad erectionem spei, ad roborandam et commendandam dulcedinem dilectionis Christi. Amen.

# AGOBARDI EPISCOPI

## AD PROCERES PALATII

### [a] CONSULTATIO ET SUPPLICATIO DE BAPTISMO JUDAICORUM MANCIPIORUM.

Reverendissimis ac beatissimis domnis et dominis et Patribus sanctis, [b] Adalardo, Walee et [c] Helisacharo.

BALUZII NOTÆ

[a] *Consultatio.* In codice regio nullus titulus exstabat in hoc loco. Sed in vetustissimo operum Agobardi elencho, qui descriptus est in initio voluminis, titulus istius libri sic legitur quemadmodum nos edidimus.

[b] *Adalardo*, Corbeiæ veteris abbati, in diœcesi Ambianensi. Filius fuit Bernardi, fratris Pippini regis, ut in ejus Vita narrat Paschasius Radbertus. Unde et in aula Pippini educatus est, ut, præter alios, docet etiam Agobardus in cap. 2 libri De Dispensatione Rerum Ecclesiasticarum. Mortuo demum Pippino, Adalhardus inter intimos familiarium Caroli

[c] *Helisacharo*, presbytero et abbati Centulensis monasterii,

Nuper cum a palatio tempus redeundi nobis jam A fuisset indultum, suavissima dilectio vestra sedit et audivit me mussitantem potius quam loquentem contra eos qui querelas Judæorum astruebant. Cumque audita fuissent a vobis et modificata quæ dicebantur altrinsecus, surrexistis, et ego post vos. Vos ingressi estis in conspectu principis : ego steti ante ostium. Post paululum fecistis ut ingrederer. Sed nihil audivi, nisi [a] absolutionem discedendi. Quid tamen vos dixeritis clementissimo principi præfata de causa, qualiterque acceperit, quidve responderit, non audivi. Ad vos postea non accessi, præpediente pudore ignavo, et molestia fatigante me : quæ mihi utique accessit, non tam ex involutione rerum, quam ex ignobilitate mentis. Quamobrem recessi turbatus, arripui iter incertus, perveni domum confusus, re- B sedi afflictus. Causas vero hujus afflictionis scriberem. Sed timeo mansuetudini vestræ laborem ingerere. Portitor tamen harum litterarum potest vobis edicere, si patitur longanimitas vestra. Aliqua sane, quæ silenda non puto, propter quæ mihi et ad fidissimam paternitatem vestram dirigo, innotesco prudentiæ vestræ. Primum, quod summopere mihi necesse est scire, et, ut existimo, etiam omnibus, ut dare dignemini consilium quod divino congruat operi, quid faciendum sit de mancipiis Judæorum ethnicis, quæ illi comparaverunt, et nutriti apud illos, inter nos discunt linguam nostram. Audiunt de fide, vident celebrationes solemnitatum; et per hæc compunguntur ad amorem Christianitatis, et desiderant fieri in corpore Ecclesiæ, membra Christi; et confugiunt ad Ecclesiam, [b] baptismum postulantes: Utrum

## BALUZII NOTÆ.

roli Magni regis ascitus est : a quo missus est an. 809 ad Leonem III papam, una cum Bernhario episcopo Coloniensi, et Asio Wormatiensi, consulturus de processione Spiritus sancti, de qua tum recenter mota erat quæstio in Gallia. Anno dein 817 in partes Pippini regis Italiæ, adversus Ludovicum patrem rebellantis, transisse creditus, deficiente conspiratione, punitisque auctoribus, Adalardus apud monasterium sancti Philiberti in Aquitania situm relegatus est, id est, apud insulam Hero, in qua situm erat monasterium sancti Philiberti, ut patet ex Vita Philiberti apud Duchesnium, et ex Ademaro Cabanensi. Monasterium autem illud hodie vocatur Nigrum Monasterium, vulgo *Noirmonstier*, in diœcesi Lucionensi. In hac ergo insula clausus Adalardus usque ad annum 821, quo revocatus ab exsilio, redditusque est monasterio Corbeiensi, ut narrat Eginhardus : « Adelhardum quoque de Aquitania, ubi exsulabat, evocatum, Corbeiæ monasterio, ut prius C fuerat, abbatem ac rectorem esse jussit. » Auctor Vitæ Ludovici Pii : « Adalhardum etiam abbatem quondam Corbeiæ monasterii, sed tunc in sancti Philiberti monasterio consistentem, magisterio priori reddidit. » Auctor Annalium sancti Bertini ad annum 822 : « Dominus imperator consilio cum episcopis et optimatibus suis habito, fratribus suis, quos invitos tonderi jussit, reconciliatus est; et tam de hoc facto quam de his quæ erga Bernardum filium fratris sui Pippini, nec non et his quæ circa Adalhardum abbatem et fratrem ejus Walachum gesta sunt, publicam confessionem fecit, et pœnitentiam egit. » Sed falsam fuisse accusationem adversus Adalhardum conqueritur auctor libri De Constructione Novæ Corbeiæ : « Tunc accesserunt ad eum (id est, ad Ludovicum Pium imp.) viri pestilentes, et ejecerunt eum de honore suo absque culpa, et exsiliaverunt sine causa. » Rursum itaque consiliorum Ludovici particeps factus, principem locum apud eum occupa- D vit, ut colligi potest ex Hincmaro in epistola 14 ad proceres regni, cap. 12 : « Adalhardum senem et sapientem, domni Caroli Magni imperatoris propinquum, et monasterii Corbeiæ abbatem, inter primos consiliarios primum in adolescentia mea vidi : cujus libellum de ordine palatii legi et scripsi. » Mortuus est anno 823 postridie Kal. Januarii, cum anno superiore brevem sive libellum conscripsisset de iis quæ deinceps observari volebat in monasterio Corbeiensi: qui liber editus est in tomo IV Spicilegii domni Lucæ Dacherii monachi Benedictini.

*Wallæ*, Adalhardi fratri, post quem factus est abbas Corbeiensis. Unde in Vita Ludovici Pii Wala dicitur affinis ejusdem imperatoris. Et ne quis dubitet hic agi de Wala istoc, habemus auctoritatem Eginhardi, cujus hæc sunt verba ex Annalibus ad annum 823 : « Lotharium vero filium suum in Italiam misit : cum quo Walachum monachum propinquum suum, fratrem videlicet Adalhardi abbatis et Gerungum Ostiariorum magistrum, una misit. » Obiit anno 835 apud Lotharium imperatorem, ut scribitur in Vita Ludovici Pii. Ejus hoc exstat elogium apud Paschasium Radbertum in Vita Adalhardi : « Deinde Wala, virorum clarissimus, qui ei successit, postea monachorum pater eximius, tunc temporis primus inter primos, et cunctis amabilior unus, nimia familiaritate regi inhærens, et maxima præfecturæ dignitate subvectus, in senatu clarior cunctis, in militia vero prudenti animo fortior universis; quem tanta laus sequebatur in omni vitæ negotio, ut longe plus censeretur amore posse, quam omnium fastus etiam et tyrannis reliquorum. Erat enim justitiæ custos et decus honestatis, oppressorum quoque justus oppressor. » Vocatur autem Walo in libro De Constructione Novæ Corbeiæ, et in Annalibus Eginhardi ad annum 812.

monasterii, quod in diœcesi Ambianensi situm est, ut docet Ariulfus in libro III Chronici Centulensis, cap. 4, qui addit eum fuisse rectorem monasterii Gemmeticensis. Virum fuisse magnæ dignationis patet vel ex solo libelli istius titulo, ubi nominatur inter proceres palatii. Sed præterea habemus auctoritatem Eginhardi, apud quem sic scriptum est ad annum 827 : « Imperator Helisachar presbyterum et abbatem, et cum eo Hildebrandum atque Donatum comites, ad motus Hispanicæ Marcæ componendos misit, etc. » Et testatur Amalarius abbas in libro De Ordine Antiphonarii, hunc Helisacharum fuisse primum inter primos palatii imperatoris Ludovici. Cancellarium Ludovici Pii fuisse ex eo patet, quod in aliquot Ludovici præceptis Durandus diaconus subscribit ad vicem Helisachar. Astitit porro beato Benedicto Anianensi abbati morienti, ut in ejus Vita tradit Smaragdus.

[a] *Absolutionem discedendi*, id est, licentiam abeundi. Absolvendi enim verbo per eas tempestates utebantur pro eo quod Latini dicerent facere potestatem discedendi. Veluti, *Absolvere legatos*.

[b] *Baptismum postulantes*. Servi nimirum sive mancipia Judæorum, qui Judæi tamen non erant, sed pagani. Hi ergo cum versarentur Lugduni inter Christianos, moresque eorum ac religionem approbarent, ad ecclesiam accedebant, baptismum postulantes. Et contradicebant Judæi, ne mancipia amitterent, quæ illis pretio constiterant. Sed pretium emptionis offert Agobardus, juxta canones, modo liceat eos servos facere Christianos. Sane malus animus esse poterat in servis illis; qui, ut in libertatem vindicarentur, Christianam fidem amplecti se velle fortassis simulabant : nam lege cautum erat, *Ne Judæis mancipia deserviant vel adhæreant Christiana*, uti diximus

videlicet debeamus illis hoc abnegare, an præbere, ubi possumus. De qua re ego quidem talem teneo rationem. Omnem profecto hominem creaturam Dei esse, et in unoquoque homine, quamvis servo, majorem portionem habere Dominum Deum, qui in utero creavit, ad lucem hujus vitæ produxit, concessam vitam custodivit, sanitatem servavit, quam illum qui viginti aut triginta solidis datis, fruitur corporis ejus servitio. Nec est qui dubitet quod unusquisque servus, membrorum corporis opera carnali domino debens, mentis religionem soli debeat Creatori.

Propter quod omnes sancti prædicatores, socii apostolorum, docentes omnes gentes et baptizantes, non exspectaverunt dominorum carnalium licentiam ut servos baptizarent, quasi non eos oporteret baptizari, nisi eis permittentibus; sed scientes, et prædicantes, quod servi et domini unum habeant Dominum Deum in cœlis, omnes baptizaverunt, omnes in uno corpore redegerunt, omnesque fratres et filios Dei esse docuerunt; ita tamen ut unusquisque in quo vocatus est, [a] in hoc permaneret, non studio, sed necessitate, sed et si qui possent liberi fieri magis uterentur. In promptu est etiam ratione colligere, si qui ethnicorum ad Christum fugiunt, et non recolligimus, sed repudiamus propter [b] carnales dominos, esse impium et crudele, cum humanæ animæ nullus esse possit dominus, nisi conditor. Sed et illud putamus esse considerandum, quia si religiosus imperator adversus gentes quæ a Christi nomine alienæ sunt arma movet, et victor effectus, [c] subjicit eos Christo et sociat religioni, opus est pietatis et laude

## BALUZII NOTÆ.

ad librum De Insolentia Judæorum. Neque nova tum erat hæc servorum calliditas. Jam enim tempore concilii Gangrensis, nonnulli ab obsequio dominorum recedebant, quod illi non essent Christiani. Unde canonis tertii Gangrensis lemma sic expressit Dionysius Exiguus : *De servis qui jugum famulatus abjiciunt Christianitatis obtentu.* Canon autem sic habet : *Si quis servum, prætextu divini cultus, doceat dominum contemnere proprium, ut discedat ab ejus obsequio, nec ei cum benevolentia et omni honore deserviat, anathema sit.* Ævo quoque Gregorii Magni, dura Judæis visa est hæc servorum ancillarumque industria. Sic enim ait Gregorius lib. III, indict. 12, epist. 9 : « Pervenit etiam ad nos, servos ancillasque Judæorum, fidei causa ad ecclesiam refugientes, aut infidelibus restitui dominis, aut eorum, ne restituantur, pretium dari, etc. » Vide eumdem Gregorium lib. V, indictione 14, epist. 31, et Gelasii papæ epistolam ad Siracusium, Constantium et Laurentium episcopos: apud Ivonem parte XIII, cap. 113. Sed hi quoque loci Gregorii astruunt sententiam Agobardi. Nam jubet omnino Gregorius ut servi Judæorum ad ecclesiam refugientes, in libertatem modis omnibus vindicentur, sive jam olim Christiani fuerint, sive recenter baptizati sint.

[a] *In hoc permaneret*, id est, neminem post acceptum baptisma liberari a servitute, juxta sententiam Pauli in cap. 7 epistolæ primæ ad Corinthios : quo etiam respicit canon Gangrensis supra laudatus.

[b] *Carnales dominos.* Salvianus in libro III De Gubernatione, pag. 58 : « Quanquam nos non hac solum injuria contemnamus Deum, qua contemni a servis suis domini carnales solent. »

[c] *Subjicit eos Christo*, id est, paganos, quos bello vicit. Eadem phrasis usurpata reperitur etiam a Stephano Tornacensi in epistola 170 ad Canutum regem Danorum : « Petimus ut vos, qui toties armis superatis idololatras et jugo subjicitis Christiano, etc. » Sic Carolus Magnus Saxones ægre ferens non esse Christianos, arma in eos movit; sic statuens, non ante finem bello impositurum, quam Christo subjicerentur. Eginhardus in Annalibus ad annum 776 : « Cum rex in villa Carisiaco hiemaret, consilium iniit ut perfidam ac fædifragam Saxonum gentem bello aggrederetur, et eo usque perseveraret, dum aut victi Christianæ religioni subjicerentur, aut omnino tollerentur. » Feliciter id evenisse quod Carolus animo conceperat, testatur Eginhardus, et cum eo cæteri Annalium Francicorum scriptores. Sed præcipua tamen auctoritas tribuenda est testimonio Ludovici Pii, qui sic loquitur in præcepto quod ad paganos ad Christianitatem invitandos fieri præcepit : « Genitor etiam noster gloriosæ memoriæ Carolus omnem Saxoniam ecclesiasticæ religioni subdidit, jugumque Christi adusque ad terminos Danorum atque Slavorum, corda ferocia ferro perdomans, docuit. » Quibus vero artibus usus sit Carolus adversus Saxones, ut eos Christo subjiceret, non alius esse potest testis luculentior quam ipse Carolus, qui lege lata edixit, ne cui Saxonum liceret non esse Christiano, sub pœna capitis. Hæc sunt verba ejus e Capitulatione de partibus Saxoniæ, ab Holstenio edita, cap. 7 : « Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, et ad baptismum venire contempserit, paganusque permanere voluerit, morte moriatur. » Hinc factum putat antiquus scriptor libri De Constructione Novæ Corbeiæ in Saxonia, ut Carolus præ omnibus Christianis regibus potentissimus in bello fuerit. « Post obitum namque nobilissimi regis Pippini, inquit, Carolus filius ejus regnum obtinuit Francorum universum. Cui Dominus tantam contulit virtutem atque potentiam, ut non solum Francorum regnum strenue gubernaret, sed etiam multas barbarorum gentes circumquaque subjugaret. Unde factum est, ut gentem Saxonicam, quæ olim contra Francos rebellabat, non solum suo dominio subegisset, sed et mellifluo Christi nomini dicare meruisset. Nam et hunc ideo præ omnibus Christianis regibus potentissimum in bellis fuisse credimus, quia quos suo dominio subjugabat, Christi nomini dedicabat. » Quibus adde loca quæ vir doctus Joannes Launoius theologus Parisiensis congessit in cap. 5 libri quem scripsit de veteri more baptizandi Judæos et infideles. Cæterum quod in libro De Constructione Novæ Corbeiæ vides Carolum Magnum Christi nomini dedicasse gentes quas suo dominio subjugabat, meminisse debes, lector, non solos Saxones ad fidem Christianam ejus opera conversos esse, sed Hunnos quoque et Avares, ut observat Sirmondus ad Theodulfum pag. 287. Et diu ante Carolum præcesserat exemplum Clodovei Francorum regis, illius qui primus Francorum principum Christo nomen dedit. Is enim, si qua fides inedito Scriptori Vitæ sancti Dominii Lemovicensis anachoretæ, edicto per omnes imperii Francici provincias misso jussit ut, relicto idolorum cultu, cuncti se verterent ad religionem Christi. Hæc sunt verba illius scriptoris : « Illo itaque tempore Clodoveus rex Galliam atque Germaniam regebat, vir armis strenuus, eloquentia facundus; et omnes Francigenæ, tam Christiani quam pagani, ejus dominatui subjacebant. Ipse vero rex, ab exordio suæ prolis, gentilis exstitit. Sed divina inspirante clementia Redemptoris, per admonitionem sancti Remigii Rhemensium archiepiscopi, ad catholicam fidem, Domino favente, Christianus efficitur. Qui denique rex, postquam a sacro fonte levavit, nuntios per universas mittens provincias, quæ ejus potestati subjectæ aderant, edixit ut omnia falsorum templa deorum confringerentur atque ignibus

dignum; quomodo negligendum est, si inter subjectos tales existant qui desiderent baptismum? Neque hoc dicimus, ut Judæi perdant pretia quæ in talibus dederunt; sed quia offerimus pretia [a] secundum statuta priorum; et illi non recipiunt, putantes sibi favere magistratus palatii, et melius illis cupere, quam cæteris qui supradicta asserunt. Hæc sunt de quibus precamur vestrum consilium aut jussionem per vos domini imperatoris. Quod utique necesse non esset, si ille, qui [b] magister est Judæorum, ita attenderet ut vos ei faciendum dixistis. Nam si secundum vestram jussionem ille consideraret fideliter ministerium nostrum, sicut nos ei honorem exhibere volumus in ministerio suo, nulla esset necessitas injuriam facere interrogando, nisi propter augmentum doctrinæ. Cæterum de causis Judæorum non esset nulla contentio aut discordia, si ille rationabiliter agere voluisset. Nunc autem facite nobiscum secundum charitatem quam diffudit Spiritus sanctus in A cordibus vestris, et adhibete consolationem servo vestro, quia sub magno timore diversis anxietatibus torqueor. Si enim petentibus baptismum Judæis aut servis eorum negamus, timeo damnationem divinam; si damus, timeo offensionem humanam, et tam infestas læsiones domus nostræ. De quibus læsionibus et discordiis, quia in his litterulis scribere indignum duxi, parvum [c] breviculum pietati vestræ direxi, per quem cognoscere valeatis quæ sint. Neque dignetur felix mansuetudo vestra mihi irasci, quia importunus vobis existo talia flagitando; sed considerate quia causa est Ecclesiæ, ratio fidei, et opus divinum. Insuper et mihi omnis fiducia in vestra sanctitate. Et idcirco assumite sanctum laborem propter æternam retributionem, et adjuvate B Ecclesiam nostram, opem ferendo et instituendo, quoniam debitores estis propter multitudinem fiduciæ quam habet in vobis.

BALUZII NOTÆ.

cremarentur, et Deum unum et verum et omnipotentem crederent, illique soli deservirent. Si quis vero hoc regale decretum contemnere præsumpserit, reum se regalis majestatis agnoscat. » Constat ergo vi quandoque actum adversus paganos, ut idolorum cultum desererent fideique se Christi applicarent. Quid ergo faciemus Tertulliano, Hilario, Hieronymo, Augustino, Cassiodoro, aliisque nonnullis venerandæ memoriæ viris, qui perspicue docent religionem non esse cogendam, nec imperandam. Nam Tertullianus quidem hæc diserte scribit C ad Scapulam cap. 2: « Sed nec religionis est cogere religionem; quæ sponte suscipi debeat, non vi. » Hilarius autem in epistola ad Constantium Aug. diu multumque versatur in ostendendo religionem cogi non debere, ac neminem credere invitum. Hieronymus in Commentario in caput secundum Epistolæ primæ Pauli ad Timotheum: « Hic probatur nemini oportere ad credendum vim inferre, nec tollere arbitrii libertatem. » Sanctus papa Gregorius, lib. I, epist. 34: « Eos enim qui a religione Christiana discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, ad unitatem fidei necesse est congregare; ne quos dulcedo prædicationis, et prætentus futuri judicis terror ad credendum invitare poterat, minis et terroribus repellantur. » Quanquam sibi repugnare videtur idem Gregorius lib. III, epist. 36, in qua sic scribit ad Januarium episcopum Calaritanum: « Accidit autem aliud valde lugendum; quia ipsos rusticos, quos habet Ecclesia tua, nunc usque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis vestræ permisit. D Et quid vos admoneo ut extraneos ad Deum adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negligitis? Unde necesse est vos per omnia in eorum conversione vigilare. Nam si cujuslibet episcopi in Sardinia insula paganum rusticum invenire potuero, in eumdem episcopum fortiter vindicabo. Jam vero si rusticus tantæ fuerit perfidiæ et obstinationis inventus, ut ad eum venire minime consentiat, tanto pensionis onere gravandus est ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare. » Nimirum juxta mentem Augustini, qui Petiliano libertatem arbitrii in causa fidei esse debere dicenti sic respondit libro II contra litteras Petiliani cap. 10: « Nam si hoc inventum fuerit quod impie feceritis, non miremini, si non desunt ministri Domini per quos flagellamini: quia persecutionem patimini non a nobis, sed, sicut scriptum est, ab ipsis factis vestris. » Item cap. 83. « Ad fidem nullus est cogendus: sed per severitatem, imo et per misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Nunquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur? » Et paulo post: « Si quæ igitur adversus vos leges constitutæ sunt, non eis bene facere cogimini, sed male facere prohibemini. Nam bene facere nemo potest, nisi elegerit, nisi amaverit quod est in libera voluntate. Cum aliquid adversus vos reges constituunt, admoneri vos credite ut cogitetis quare ista vos patiamini. » Cæterum adeo semper visum est æquum, religionem cogi non debere, ut cum anno 659 legati sedis apostolicæ agerent in urbe Constantinopolitana, Græcique ab eis conarentur extorquere subscriptionem cujusdam erroris, aperte ita responderint: « Neque enim est qui cuilibet, maximeque in causa fidei, vim possit inferre; » ut docet sanctus Maximus in epistola ad abbatem Thalassium, quæ edita est in Collectaneis Anastasii Bibliothecarii. Alia veterum loca si quis requirat ad ostendendum religionem cogi non debere, difficile non erit exhibere. Nam et ab aliis jam collecta sunt. Vide Ivonem parte I, capite 276; et parte XIII, capite 94; itemque Gratianum, dist. 45.

[a] *Secundum statuta priorum*, nimirum juxta canonem 16 concilii I Matisconensis, qui supra descriptus est in libro De Judaicis Superstitionibus, capite 6.

[b] *Magister Judæorum*, id est, Evrardus, ut patet ex epistola sequenti data ad Nibridium Narbonensem episcopum: « Tentaverunt porro quidam missi, inquit, et Evrardus maxime, qui Judæorum nunc magister est, etc. »

[c] *Breviculum*, id est, inventarium, ut adnotavimus ad epistolam primam Lupi Ferrariensis. Brevem enim antiquitas dixit quod nos hodie dicimus inventarium. Unde et Eusebius lib. X, cap. 6 Hist. Eccles., retinuit hanc vocem in contextu Græco. Eodem sensu usurpata reperitur hæc vox in Codice Theodos., l. III, *De indulgentiis debitor*; et l. I *De studiis liberalibus urbis Romæ et CP.* Hinc illud Optati in libro primo adversus Parmenianum: « Brevis auri et argenti sedenti Cæciliano, sicut delegatum a Mensurio fuerat, traditur; » quo loco vide notas Balduini; qui tamen veram hujus vocis significationem non satis assecutus fuisse videtur. Inde *inbreviare* in Capitulis Caroli Calvi, et apud Hincmarum in præfatione libri IV Capitulorum.

# EPISTOLA S. AGOBARDI EXHORTATORIA

## AD NIBRIDIUM EPISCOPUM NARBONENSEM,

## DE CAVENDO CONVICTU ET SOCIETATE JUDAICA.

Beatissimo Patri [a] Nibridio Agobardus in Deo Patre et Domino Jesu sempiternam salutem.

Si [b] locorum vicinitas et rerum tranquillitas sineret, vellem quidem frequentius cum paternitate vestra os ad os loqui, et sive in privatis seu in publicis necessitatibus, consilio semper vestræ sanctitatis institui. Sed quoniam prohibent interjacentium spatia longinqua terrarum, quod verbis nequeo, litteris molior adimplere; meam vobis, imo Ecclesiæ Dei, non minimam necessitatem in notitiam perferens, et in quibus ipse parum fortis invenior, virtutis vestræ præsidio, quasi scuto validissimo et muro inexpugnabili, desiderans communiri. Sciat itaque paternitatis vestræ reverenda canities, me [c] anno præsenti, dum parœchiæ nostræ populos [d] debita sollicitudine circumirem, et si qua in his de-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Nibridio*, Narbonensi archiepiscopo, antea abbati monasterii Crassensis in diœcesi Carcassonensi. Amplector enim lubens conjecturam clarissimi viri Gulielmi Catelli, qui Nibridium et Nifridium putat unum idemque nomen esse. Nifridius enim abbas Crassensis fuit, regnante Carolo Magno. Cui sententiæ firmius adhæsisset Catellus, si scivisset hunc nostrum archiepiscopum in vetustissimo exemplari præcepti Ludovici Pii, non Nibridium, sed Nifridium nominari, et Nefridium apud Alcuinum in præfatione librorum adversus Elipandum. Ex abbate igitur Crassensi factus est Narbonensis archiepiscopus post Danielem circa annum 799. Nam constat eum fuisse episcopum antequam synodus Aquisgranensis haberetur adversus Felicem episcopum Urgellensem. Interfuisse vero synodo Urgellensi, quæ ante Aquisgranensem habita est adversus Felicem, colligi potest ex præfatione librorum Alcuini adversus Elipandum Toletanum. Porro Nibridius vir fuit magnæ dignationis per illas tempestates, ut apparet ex hac Agobardi ad ipsum epistola. Legatus Caroli Magni fuit anno 813 in concilio VI Arelatensi, una cum Joanne urbis illius archiepiscopo. Vixisse adhuc sub Ludovico Pio patet ex præcepto cujus supra fecimus mentionem, itemque ex alio ejusdem principis præcepto pro monasterio Anianensi, quod editum est a clariss. viro domno Luca Dacherio monacho Benedictino in notis ad Guibertum abbatem B. Mariæ de Novigento, pag. 623.

[b] *Locorum vicinitas*. A Lugduno enim Narbonem longissima est via, ut quæ per 230 m. p. protenditur. Et tamen aliquoties illuc accedebat Agobardus, ut patet ex præcepto Ludovici pro monasterio Anianensi.

[c] *Anno præsenti*. Hanc epistolam arbitror esse scriptam sub initium imperii Ludovici Pii, paulo post quam Agobardus factus est archiepiscopus Lugdunensis.

[d] *Debita sollicitudine*. Episcopi enim tenentur circumire suas parochias, id est, diœceses. Concilium Tarraconense, can. 8: « Multorum causa experientia magistrante reperimus nonnullas diœcesanas ecclesias destitutas. Ob quam rem hac constitutione decrevimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, et annuis vicibus ab episcopo diœceses visitentur. Et si qua forte basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius reparari præcipiatur. » Concilium IV Toletanum, can. 35: « Episcopum per cunctas diœceses parochiasque suas per singulos annos ire oportet, ut exquirat quid unaquæque basilica in reparationem sui indiget. Quod si ipse, aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, id adimplere nequiverit, presbyteros probabiles aut diacones mittat, qui et redditus basilicarum, et reparationes, et ministrantium vitam inquirant. » Quam ultimam legem, tametsi desidiæ quorumdam episcoporum nimis favorabilem, renovavit concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 3, de Reformatione. Neque enim dubitandum est, quin, si Tarraconensis synodi canon per omnes ubique provincias sancitus esset, neque temperamentum ei attulissent posteriores regulæ; dubitandum, inquam, non est, quin nonnulli episcopi, qui desidiæ inscitiæque suæ prætendunt occupationes, laboraturi fuerint pro viribus ne quid peccarent adversus canones. Intelligerent enim, si canones non ignorarent, quæ pœna immineat contemptoribus canonum. Valde ergo laudanda est regum ævi Agobardici prudentia et religio, qui episcopis, quibus solis tum competebat potestas confirmandi Christianos, necessitatem imposuerunt circumeundi annuatim suas diœceses. Libro VII Capitularium, cap. 94: « Statuimus ut singulis annis unusquisque episcopus parochiam suam sollicite circumeat; populum confirmare, et plebes docere, et investigare et prohibere paganas observationes, divinosque, vel sortilegos, auguria, phylacteria, incantationes, vel omnes spurcitias gentilium, studeat. » Vide etiam cap. 109 et 265 ejusdem libri, itemque Capitula Caroli Calvi, tit. 5, cap. 4, 5, 6; tit. 6, cap. 28; tit. 41, cap. 6. Præcesserat autem Carlomanni principis edictum in synodo cui martyr Bonifacius interfuit. In hac enim synodo sic jussit princeps: « Et quandocunque jure canonico episcopus circumeat parochiam ad populos confirmandos, presbyter semper paratus sit ad suscipiendum episcopum. » Neque tamen ex his quæ dicta sunt velim ut quis colligat existimare me nullas esse probabiles causas, ob quas episcopus excusari possit a personali visitatione suæ diœceseos. Nam si, exempli causa, graviter ægrotet, tum dubium non est, quin abstinere possit a personali visitatione: « Quia non est ignaviæ culpa, quem excusat miseranda calamitas; » ut ait Cassiodorus lib. V Variar., epist. 36. Præterea, si abesse cogatur a sua diœcesi pro rebus Ecclesiæ vel reipublicæ, si miles raptet regionem, neque fanis parcens, neque profanis, si is qui rerum potitur, episcopum excedere jubet provincia; non negaverim tum quoque justas esse causas non visitandæ diœceseos; tuncque sequendum sancti Hilarii episcopi Pictaviensis exemplum, qui, licet exsul, diœcesim tamen suam per presbyteros suos regebat. Ita enim ipse docet in libro quem scripsit ad Constantium Augustum: « Episcopus ego sum, in omnium Gallicarum Ecclesiarum atque episcoporum communione, licet in exsilio, permanens et Ecclesiæ adhuc per presbyteros meos communionem distribuens. » Sed postquam causæ illæ desierunt, postquam episcopo sive infirmo sive absenti restituta est libera potestas visitandi diœcesim; tum vero circumeat parochias suæ diœceseos; *et cessante necessitate, illud quoque cesset quod fa-*

pravata videbantur, pro viribus quas Dei gratia largiebatur, veritatis ratione corrigerem, denuntiasse omnibus et præcepisse secundum legem Dei et sanctorum canonum instituta, ut se, tanquam veri cultores Christianæ fidei, omni observantia ab infidelium consortio segregarent; non utique gentilium, qui inter nos minime commorantur, [a] sed Judæorum, qui in nostra hac et in nonnullis aliis vicinis urbi- A bus videntur esse diffusi. Quia et satis indignum ac fidei nostræ inconveniens esse videbatur, filios lucis tenebrarum societate fuscari, et Ecclesiam Christi, quam decet sine macula et ruga sponsi cœlestis amplexibus præparari, maculosæ, rugosæ ac repudiatæ Synagogæ contubernio decolorari. Et vere absurdum est virginem castam, [b] uni viro Christo desponsatam, meretricis dapes expetere, et per communionem cibi

BALUZII NOTÆ.

*ctum est pro necessitate*, ut verbis Urbani II utamur petitis ex canonibus concilii Claromontani. Neque negaverim justam sanctamque esse legem canonis Toletani. Sed quemadmodum olim Nicæna synodus quasdam regulas scripto comprehendit, nonnullas verbo, ut in concilio Carthaginiensi disseruit Faustinus episcopus Potentinus Zozimi papæ legatus; sic fortassis satius ac melius fuisset nullam excusationem B inserere canonibus, ne color daretur ignaviæ quorumdam episcoporum. *Quoniam leges ea intentione latæ sunt, ut proficiant, non ut noceant*, quemadmodum Symmachus papa scripsit ad Avitum episcopum Viennensem.

[a] *Sed Judæorum.* Vetuerat enim canon 12 concilii Venetici, quod anno 465 habitum est, ne clerici conviviis Judæorum intersint. « Omnes deinceps clerici Judæorum convivia evitent, nec eos ad convivium quisquam excipiat, quia cum apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum est atque sacrilegum eorum cibos a Christianis sumi; cum ea quæ Apostolo permittente nos sumimus, ab illis judicentur immunda : ac sic inferiores incipiant esse clerici quam Judæi, si nos quæ ab illis apponuntur utamur, illi a nobis oblata contemnant. » Sed quoniam hæc lex solos clericos complecti videbatur, valdeque timendum erat ne ea familiaritas cum Judæis noceret etiam laicis, canon dein 40 Agathensis C eam regulam intendit adversum laicos; quem canonem exscripsit Agobardus in capite 5 libri De Judaicis Superstitionibus. Sed ipse Agobardus eam legem ampliavit edicto, ne quis Christianus habitet cum Judæis. Aliud tamen visum fuerat sanctissimo viro Ferreolo Uceticensi episcopo in Gallia Narbonensi, qui cum Judæis, etiam facinorosis, comedebat et bibebat, ut eos Christo lucraretur. Unde et suspicionem Childeberti Francorum regis adversum se excitavit, timentis ne familiaritas illa cum Judæis et Saracenis verteretur in perniciem regni. Rem gestam sic narrat antiquus auctor Vitæ ejusdem Ferreoli, hactenus ineditus, quam olim Tolosæ descripsi ex vetustissimo codice ms. collegii Fuxensis. « Judæorum vero ita illi cura erat, imo etiam quos opinio lacerabat, ut comedens et bibens cum eis, et monitis dulcibus amaritudo in eorum mixta moribus obdulcaret, et ad fidem Christi plurimos ex his convertens, baptismi gratiam consequebantur, et elatos superbia Christo humiles D faciebat; afferens Pharisæorum accusationem in medium, qui culpabant Dominum cum publicanis et peccatoribus manducantem atque bibentem; et simul Dominum respondentem memorabat dicens : *Non indigent qui sani sunt medico, sed qui male habent*. Et : *Non veni vocare justos, sed peccatores, ad pœnitentiam*. » Præclare sane, et juxta mentem Augustini, qui sic ait, apud Gratianum 23, q. 4 : « Infideles non possumus Christo lucrari, si eorum colloquium vitamus et convivium. Unde et Dominus cum publicanis et peccatoribus manducavit et bibit. » Unde colligi potest non eadem placuisse omnibus provinciis, et interdum regulas in Africa obtinuisse quæ minus probabantur a Gallis; rursum, intra Gallias quædam uni episcopo placuisse quæ non omnibus placebant. Et tamen interim manebat fraternæ concordiæ vinculum, salvaque erat pax Ecclesiæ. In causis enim disciplinæ, unaquæque Ecclesia peculiares suas consuetudines retinere potest, quæ tamen fidei contrariæ non sint; ut ex Augustino et Gregorio Magno adnotavit Marca in libro III de Concordia Sacerdotii et Imperii, cap. 9, § 2, et lib. VII, cap. 18, § 6. Quod confirmari potest auctoritate ejusdem Augustini sic scribentis ad Januarium in epistola 119, cap. 18 : « Miror sane quid ita volueris, ut de iis quæ varie per diversa loca observantur, tibi aliqua conscriberem; cum et non sit necessarium; et una in his saluberrima regula retinenda sit, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, et habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando et imitando sectemur. » Item auctoritate Alcuini, qui in Confessione fidei, parte III, cap. 17, loquens de Ecclesia, hæc ait : « Constringitur universali traditione majorum nihilominus tota. Privatis vero constitutionibus et propriis informationibus unaquæque, vel pro locorum varietate, vel prout cuique bene visum est, subsistit et regitur. Consuetudines quippe sunt diversæ. Sed una eademque est in ea fidei orthodoxæ integritas. » Sic Carolus Magnus in Capitulari de non adorandis imaginibus, lib. I, cap. 6, ex eo excusat dissensionem Ecclesiæ Gallicanæ a Romana in officiorum celebratione, quod consuetudo Ecclesiæ Gallicanæ contra fidem non esset. Et Lupus Ferrariensis ad Benedictum III papam scribens, consuetudines ecclesiasticas commemorat, quæ variæ in diversis locis tenentur; oratque pontificem ut Adulphum et Acaricum, monachos Ferrarienses, quos ea de causa Romam Lupus mittebat, diligenter instruere velit, « ut per eos ad nos, inquit, et ad cæteros quosque talia pie quærentes, institutio Romana perveniat. Siquidem in quibuscunque ad religionem vel honestatem pertinentibus ambiguitatem creat varietas. » Unde patet non improbatas quidem a Lupo fuisse diversas illas consuetudines, sed tamen optasse ut omnes Ecclesiæ essent uniformes, ad vitandam nimirum ambiguitatem. Præclare itaque Stephanus Tornacensis episcopus in epistola 104 : « Antiquas Ecclesiarum consuetudines, quæ nec rationi nec legi obviant, sancta Romana Ecclesia aut approbare consuevit, aut non censuit improbare. » Vide Ratramnum in lib. IV adversus Græcos, cap. 1, et Ruzeum in Tractatu de præeminentia dignitatis archiepiscopalis, privilegio 13. Sed ut ad id unde digressi sumus, nostra revertatur oratio, subdit auctor Vitæ sancti Ferreoli : « Unde et accusatus apud Yldebertum regem Francorum, eo quod cum Judæis et Saracenis comederet et biberet, et munera eis donaret. Tunc timens præfatus rex, ne aliquid in fraudem contra ipsum moliretur, Parisius eum civitate in Francia in exsilium mitti præcepit, ibique per tres annos in exsilium fuit. »

[b] *Uni viro Christo desponsatam.* Ea fuit veterum omnium persuasio de Christo et Ecclesia, ut Christum Ecclesiæ sponsum dicerent, Ecclesiam vero sponsam; neque eorum cuiquam in mentem venit Ecclesiam non esse univiram. Unde et Cyprianus in libro De Unitate Ecclesiæ, loquens de Ecclesia, quam sponsam Christi matremque nostram vocat, hæc ait : « Adulterari non potest sponsa Christi. Incorrupta est, et pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. » Et Augustinus in sermone 20 eorum quos Sirmondus edidit,

ac potus non solum in diversa flagitia corruere, verum etiam fidei periculum sustinere; dum ex familiaritate nimia et assidua cohabitatione, aliqui de grege Christiano sabbatum quidem cum Judæis colunt, diem vero Dominicam illicita operatione violant; nec [non] et jejunia statuta dissolvunt; pleræque mulierculæ, ancillarum jure, aliæ ab ipsis velut mercenariæ detinentur; nonnullæ etiam corrumpuntur; omnes vero hujusmodi vel dominationi, vel libidini, vel deceptioni eorum in commune prostituuntur; adnitentibus in hoc ipsum diaboli filiis, odio subdolo, et fallacibus blandimentis; dum se [a] patriarcharum progeniem, justorum genus, prophetarum sobolem superbo ore proloquuntur; ignorantibus miseris, qui hæc audiunt, quod ipsi eorum prophetæ gentem peccatricem, populum gravem iniquitate, semen nequam, filios sceleratos, patrem ipsorum Amorrhæum, matrem Cethæam, Sodomorum principes, et Gomorrhæ populum soleant appellare. Sed et illud pariter nescientibus, quod præcursor Domini Joannes genimina eos dixerit viperarum, et ipse Dominus frequenter illos nunc serpentes, nunc generationem malam, pravam, perversam atque adulteram vocitarit. Unde et in tantum erroris pelagus nonnulli ex vulgaribus ac rusticis abducuntur, ut hunc solum Dei esse populum, apud hos piæ religionis observantiam, ac multo certiorem, quam nostra sit, fidem, et seducto suspicentur animo, et ore impio inter pares et consimiles fateantur.

Quod malum cum in plebe nobis commissa videremus excrescere, atque in dies singulos ipsa jam consuetudine propagari, studuimus pro viribus lapsis manum porrigere, et errantes animos ad veritatis lineam revocare : æquum credentes ut quomodo ipsis quondam lex Dei præcipiebat ne cum gentibus matrimonium copularent, neve cum eis commune convivium celebrarent, ne videlicet per consortia nuptiarum et communionem ciborum a divino quidem cultu deficerent, idololatriæ autem jugo libertatem animi inclinarent; ita nunc et noster populus inhibeatur, ne cum Judæis infidelibus vescendi par-

A ticipium, consortium bibendi, habitandi contubernium habere præsumant : ne sub prætextu societatis hujus a simplicitate quidem Christianæ fidei exorbitent, Judaicis vero fabulis attendentes, inextricabilibus errorum laqueis implicentur; cumque nos neminem illorum humanitate tanta et benignitate, qua erga eos utimur, ad spiritalem fidei nostræ virtutem valeamus adducere, pars aliqua ex nostris, dum libenter carnalibus eorum victibus communicat, spiritalibus epulis capiatur. Hanc etenim divinæ legis providentiam Patres nostri institutis canonicis videntur esse secuti; quorum nos præceptis, in quantum potuimus, devotis animis obsecuti sumus; periculum scilicet animarum quæ nobis commissæ sunt pertimescentes, et earum [b] sanguinem de nostris B manibus in divino exquirendum judicio formidantes. Tentaverunt porro quidam missi, et [c] Evrardus maxime, qui Judæorum nunc magister est, religiosum hoc opus nostrum destruere, ac sub obtentu edictorum imperialium labefactare. Quibus nos neque ad horam cessimus, ut divinæ legis veritas, et sanctorum Patrum constitutio veneranda, immobili apud nos atque inconvulsa observatione perduret. Nec vero tam feralibus jussis ausi sumus acquiescere, aut religiosissimum ac Deo dignum principem quidpiam divinæ legi contrarium, sacris canonibus adversum, saluti Ecclesiæ periculosum, credere potuimus præcepisse; cujus ad hoc semper invigilat fidelis industria et pietas admiranda, ut lex Dei ubique servetur, ut canonica instituta perpetua C vigeant firmitate, ut salus ac virtus Ecclesiæ toto terrarum orbe gloriosius in dies singulos convalescat.

Unde et tu, Pater beatissime, qui columna nunc in omnibus et firmamentum domus Dei crederis, sta super petram ecclesiasticæ observationis, immobilis, intrepidus, inconcussus, floccipendens adversariæ tempestatis ventos, imbres, ac flumina; quæ fundamento quidem domus Dei illidi possunt, ipsam vero subruere non possunt : quia nec portæ inferi [d] adversus eam prævalere queunt. Scientes, itaque, Pater venerabilis, omnes qui sub lege sunt, sub maledicto

BALUZII NOTÆ.

adeo aperte sententiam suam prompsit, ut divinandum non sit quid in hac causa senserit. « Ascensurus in cœlum, inquit, ipsam rursus Ecclesiam commendavit. Sponsus profecturus, sponsam suam amicis suis commendavit : non ut amet aliquem ipsorum, sed ipsum tanquam sponsum, illos tanquam sponsi amicos, et non eam admittant lascivo amore corrumpi. » Hinc factum ut Leo IX, pontifex Romanus, scribens ad Robertum abbatem Casæ-Dei in Arvernis, dixerit Christum esse verum et unum sanctæ Ecclesiæ sponsum. Denique sanctus Bernardus hæc ad Eugenium III scripsit in epistola 237 : « Superest ut facta hac mutatione tui, ipsa quoque quæ tibi commissa est Domini tui sponsa mutetur in melius, et jam nequaquam Sarai, sed Sara de cætero nominetur. Intellige quæ dico. Dabit enim tibi Dominus intellectum. Si amicus sponsi es, ne dixeris dilectam ejus principem meam, sed principem, nihil tuum in ea vindicans, nisi quod pro ea, si oportuerit, etiam animam dare debes. » In concilio tamen Lugdunensi D sub Gregorio X, Romanus pontifex vocatur sponsus Ecclesiæ; in cap. *Ubi periculum. De Elect. in Sexto.*

[a] *Patriarcharum progeniem.* Vide quæ diximus ad librum De Insolentia Judæorum.

[b] *Sanguinem de nostris manibus.* Timet Agobardus, ne si animarum sibi commissarum vigilem ac sollicitam curam non gerat, si ob desidiam negligentiamque suam pereant, earum perditionem de manu ejus requirat Deus in judicio divino. Vide notas ad epistolam 79 Lupi Ferrariensis.

[c] *Evrardus*, missus dominicus. Vide notas ad librum de baptismo Judaicorum mancipiorum.

[d] *Adversus eam*, id est, Ecclesiam, ex sententia Agobardi, qui sic interpretatur locum illum ex Evangelio Matthæi : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Varie autem jactatus est hic locus; dum alii eum referunt ad petram, id est, Petrum et successores ejus Romanos pontifices; alii ad petram, id est, ad confessionem Petri. Fuere qui referrent ad

esse, et indutos maledictione, sicut vestimento, quæ intravit sicut aqua in interiora eorum, et sicut oleum in ossa eorum, maledictos quoque in civitate, et maledictos in agro, maledictos in ingressu, et maledictos in egressu, maledictum fructum ventris et terræ et pecorum eorum, maledicta eorum cellaria, horrea, apothecas, cibos et ipsorum ciborum reliquias, nec posse quempiam eorum ab hoc tam immani tamque horribili maledicto legis eripi, nisi per eum qui pro nobis factus est maledictum. Sciens etiam in eos qui prædicationem apostolicam nolunt recipere, non solum nullo eorum utendum, sed et pulverem civitatis domus eorum de pedibus excutiendum, remissiusque in die judicii Sodomæ et Gomorrhæ futurum quam illis, permane et tu in divinæ legis observantia, persiste in canonicis institutis, tene quos B potes, terre quos potes, noli dicere, nec sinatis quemquam fidelium tantis maledictionibus tamque horrendis damnationibus per maledictorum et condemnatorum profana consortia communicare. Quin potius A et ad vicinos coepiscopos ac fratres cohortationum tuarum munimenta transmitte, ut pari omnium consensu et labore communi tantum hoc malum de Christi Ecclesiis auferatur. Impleamus Matris Ecclesiæ gaudium, unum omnes dicentes, unum sapientes, unum sentientes, id est, certamen habentes, quia et hoc benignissimi Redemptoris nostri desiderium esse cognoscimus; secundum quod pro nobis Patrem ipse precatur, dicens : *Non pro his autem rogo tantum, sed et pro omnibus qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Tanta vero nobis est de parte vestra fiducia, ut credamus opus hoc vel conatu vestro staturum, vel vestra, quod absit, remissione lapsurum. Deus autem patientiæ et solatii det nobis idipsum sapere in alterutrum, secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificemus Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi. Amen.

BALUZII NOTÆ.

Ecclesiam, quam Christus fundavit super petram, id est, super se ipsum. Petra enim erat Christus, ut ait divus Paulus in cap. x Epistolæ primæ ad Corinthios. Sed Agobardus non dubitabat quin promissio Christi respiceret Ecclesiam, adversus quam portæ inferi non prævalebunt. Quam interpretationem amplexus quoque est Joannes XXI in epistola scripta ad Jacobum regem Majoricarum, quæ a nobis anno superiore edita est post notas ad Lupum Ferrariensem.

# LIBER EJUSDEM AD PRÆFATUM IMPERATOREM,

## ADVERSUS LEGEM GUNDOBADI, ET IMPIA CERTAMINA QUÆ PER EAM GERUNTUR.

I. Obsecro imperturbabilem mansuetudinem vestram, et tranquillissimam prudentiam, domine imperator benignissime, ut has quas offero paginulas C infatigabiliter legere non dedignemini, in contemplationem summæ et incommutabilis illius Veritatis, quæ est Christus Dominus noster; de cujus dictis et legibus hæc sumpta sunt, quique amanter et vigilanter vestram protegit et juvat imperium. Neque prædicandam tranquillitatem vestram offendat, quod minimus omnium excellentiori hominum hæc legenda præsentat. Neque enim est aliud nisi quod vos optime et sublimius nostis.

II. Deus, Dei Filius, homo propter homines fa- D ctus, viam salutis demonstrans, et electis discipulis magisterium vitæ commendans, ascensurus ad cœlos, ait illis : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et iterum : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis. Illi autem profecti, prædicaverunt ubique Domino cooperante;* annuntiataque est ab eis omni creaturæ, id est cunctis nationibus mundi, una fides indita per Deum, una spes diffusa per Spiritum sanctum in cordibus credentium, una charitas nata in omnibus, una voluntas, accensum unum desiderium, tradita una oratio; ut omnes omnino ex diversis gentibus, diversis conditionibus, diverso sexu, nobilitate, honestate, servitute diversa, simul dicant uni Deo et Patri omnium : *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum;* sicut unum Patrem invocantes, ita unam sanctificationem quærentes, unum regnum postulantes, unam adimpletionem voluntatis ejus, sicut fit in cœlo, optantes; unum sibi panem quotidianum dari precantes, et omnibus dimitti debita. Neque enim quemquam docere potuerunt magistri mundi, lux mundi, sancti apostoli, *Dimitte mihi debita mea*, aut, *et ne me inducas in tentationem, sed libera me a malo;* sed unum pro omnibus, et omnes pro singulis clamare. O cœlestis fraternitas, o sempiterna concordia, o inseccabilis unitas, ab uno auctore derivata, ad unum rerum omnium relata, per quam lætantur cœli, exsultat terra, movetur mare, et plenitudo ejus, gaudent campi, et omnia quæ in eis sunt, omnes gentes plaudunt manibus, jubilant Deo in voce exsultationis!

III. Et quam decenter, quoniam omnes fratres effecti, unum Patrem Deum invocant, servus et dominus, pauper et dives, indoctus et eruditus, infirmus et fortis, humilis operator et sublimis imperator. Jam nemo alium dedignatur, nemo sub alio se despicit, nemo super alium extollitur. Quoniam unus panis, unum corpus Christi, imo unus Christus se-

cundum Apostolum sumus; exspoliantes nos veterem A hominem cum actibus ejus, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit eum; ubi non est gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, [a] Aquitanus et Langobardus, Burgundio et Alamannus, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus. Omnia enim illorum sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura. *Omnia enim*, dicitur illis, *vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Et iterum: *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi,* B *sive liberi, et uno spiritu omnes potati sumus.* Et ne infideliter aliquis cum perpaucissimis se putaret uno spiritu potatum, dicit: *Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Divisiones vero gratiarum sunt, atque operationum. Idem autem Dominus, et idem Deus, qui operatur omnia in omnibus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Nullus ergo horum est hospes et advena; sed sunt *cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino;* et qui erant longe, facti sunt prope in sanguine Christi. *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum.* Et veraciter dicere possumus, *qui fe-* C *cit omnia unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitiam in carne sua, legem mandatorum in decretis evacuans, ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitiam in semetipso; et veniens evangelizavit pacem his qui longe fuerunt, et pacem his qui prope: quoniam per ipsum habent accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.*

IV. Si ergo Dominus propterea passus est, ut in sanguine suo faceret prope eos qui longe erant, et paries divisionis jam solutus, et interfecta est inimicitia in illo, et omnes reconciliati sunt in uno corpore Deo, et in tantum unum corpus effecti in uno spiritu, ut Christus potius quam Christiani dicantur, D sicut suprascripta apostolica sententia declarat dicens: *Omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita et Christus* (Non enim ait: *Ita et Christiani*, sed *Christus*); cupio per pietatem vestram nosse, si non huic tantæ divinæ operationis unitati aliquid obsistat tanta diversitas legum, quanta non solum in singulis regionibus aut civitatibus, sed etiam in multis domibus habetur. Nam plerumque contingit ut simul eant aut sedeant quinque homines, et nullus eorum communem legem cum altero habeat exterius in rebus transitoriis, cum interius in rebus perennibus una Christi lege teneantur. Et cum forte contingit ut omnes sint veraciter Christiani, fidei veritatem amantes, et invicem sibi, ut charissimi fratres, credant; et nemo alterius testimonium spernat, cum se bonis locutionibus ædificant; si subito contigerit alicui ex ipsis disceptatio in judiciis, nullum poterit habere testem de suis charissimis sociis, cum quibus simul gradiebatur; eo quod non recipiatur testimonium alicujus super [b] Gundobadum, et cætera similia.

V. Hic mihi succurrat, obsecro, benignissime et sacer imperator, patientia vestra; neque indignetur magnanimitas vestra, quod indignus digna loquor, et pusillus grandia; quia per ista (quæ) forsitan inemendabilia sunt volo pervenire ad ea quæ necessaria et eleemosynæ vestræ magnopere apta sunt. Si autem incongrua sunt quæ dico, corripiat me justus in misericordia, id est, bonitas vestra, et corripientem non prodat. Mihi tamen servo vestro, licet ultimo, tamen fideli, incongruum videtur, ut Christianus de Christiano, ac per hoc frater de fratre testimonium perhibere non possit. Sicut enim supra dictum est, omnes unum Patrem habentes Deum, fratres sunt, et filii Dei. Hoc etiam Evangelium aperte loquitur. Hinc namque fit, cum vir justus super injustum testificari non permittitur, eo quod alterius legis sint secundum sæculum, qui unius legis esse deberent secundum Deum. Credo etiam quod nullatenus hæc agantur sine damno illius unitatis et concorporationis, quæ supra demonstrata est sententiis apostolicis. Nam si de testimonio repellendus est aliquis, ille repellatur potius qui alterius fidei vel sectæ est, sed et ille cum quo Apostolus nec cibum sumere docet dicens: *Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; cum ejusmodi nec cibum sumere.* Et iterum: *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, neque commisceamini*, utique ad mensam. Qui omnes, nisi per satisfactionem pœnitentiæ regressi fuerint in corpus Christi, sine dubio in corpore remanebunt diaboli, ac per hoc erunt in ejus regno et civitate.

VI. Hic profecto debet esse discretio et divisio inter regnum et regnum, id est, Christi et diaboli, inter civitatem Dei et civitatem diaboli, quæ faciunt

BALUZII NOTÆ.

[a] *Aquitanus et Langobardus.* Hi enim omnes populi quos hic enumerat Agobardus, et multo plures, Francico tum imperio parebant. Libro VI Capitular., cap. 281: « Volumus atque præcipimus ut omnes ditioni nostræ Deo auxiliante subjecti, tam Romani quam Franci, Alamanni, Bajovarii, Saxones, Thuringii, Fresones, Galli, Burgundiones, Brittones, Langobardi, Wascones, Beneventani, Gothi, Hispani, cæterique nobis subjecti, omnes, licet quocunque videantur legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam, etc. » Hi ergo omnes propria lege utebantur. Vide infra in notis ad caput 14 hujus libri.

[b] *Gundobadum*, id est, Burgundionem, lege Gundobada viventem. Istud enim referri non potest ad regem Gundobadum, multis ante sæculis mortuum. Itaque infra cap. 10 Burgundiones in universum vocabit Gundobados.

duas plebes. Nam civitas Dei continet populum acquisitionis, civitas diaboli populum perditionis. Quod si hominibus impossibile est omnes discernere qui sint de civitate Dei, qui vero de civitate diaboli, saltem quos evidentissime ex fructibus propriis cognoscunt, et litteræ apostolicæ a corpore Christi separatos docent, rejiciant de testimonio. Quos autem una corporis Christi compago tenet, et plerumque non solum unius corporis membrum, verum etiam unius membri sunt membra, cur de mutuo repelluntur testimonio? Quæ utilitas est, ut propter [a] legem quam dicunt Gundobadam, cujus auctor exstitit [b] homo hæreticus, et fidei catholicæ vehementer inimicus (cujus legis homines [c] sunt perpauci), non possit super illum testificari alter etiam bonus Christianus? Ex qua re oritur res valde absurda, ut si aliquis eorum in cœtu populi aut etiam in mercato publico commiserit aliquam pravitatem, non coarguatur testibus, sed [d] sinatur perjurare, tanquam non fuerint per quos veritas posset agnosci. Hic manifeste apparet damnosam esse damnabilem legem.

VII. Si autem placeret domino nostro sapientissimo imperatori, ut eos transferret ad legem Francorum; et ipsi nobiliores efficerentur, et [e] hæc regio ab squaloribus miseriarum quantulumcunque sublevaretur. Horum enim causa accidit ut frequenter non solum valentes viribus, sed etiam infirmi et senes [f] lacessantur ad certamen et pugnam, etiam pro vilissimis rebus : quibus feralibus certaminibus contingunt homicidia injusta, et crudeles ac perversi eventus judiciorum, non sine amissione fidei et charitatis, ac pietatis, dum putant Deum illi adesse qui potuerit fratrem suum superare, et in profundum miseriarum dejicere. Hic est pessimus error, et ordo confusus, ut pro talibus perversitatibus et Scriptura veritatis contemnatur, et concordia Christiana dispereat, et de Deo, qui natura bonus est, tam indigna sentiatur, ut faveat rapacibus, et adversetur miseris.

VIII. Doctrina Christi docet : *Qui vult tecum judicium contendere, et tunicam tuam tollere, remitte ei et pallium.* Et iterum : *Jam quidem omnino delictum est, quod judicia habetis. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Isti e contrario dicunt : Pugna securus; quia illum qui tua repetit, aut contendit, absque dubio superabis : et divinum eis promittunt adjutorium, qui tam contrarii existunt evangelicæ pietati. Hinc jam ad certamen audaciter proceditur; ubi duo cominus veniunt parati, ut se invicem crebris ictibus cædant pro talibus rebus, quas multo minus amare debuerant, quam se ipsos adinvicem. Nam eum quem occidere aut superare cupit, jussus est ut diligat sicut se ipsum, [g] reiculas illas pro quibus contendit, arbitrari ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Ubi tunc est charitas, sine qua perfectus interpres omnium linguarum angelorum et hominum efficitur velut æs sonans aut cymbalum tinniens; sine qua perfectus propheta, et eruditissimus doctor, et ex fide miraculis coruscans, nihil est, sine qua largitas eleemosynarum, et acerbitas martyrii nihil prodest? Milites Christi, qui hanc veraciter habuerunt, subdiderunt in fide mundum Christo, sed moriendo, non occidendo.

IX. Quando erat publica contentio de veritate religionis, cum alii putarent colendam pro Deo creaturam quamlibet, alii docerent solum Creatorem colendum; illi fuerunt victores qui occisi sunt, non qui occiderunt; veritas moriendo declarata est, non occidendo; testes veritatis moriendo creverunt, assertores autem iniquitatis occidendo perierunt. Nam si in hac vita semper innocentes essent victores, et noxii vincerentur, non Pharao occidisset Josiam, sed Josias Pharaonem; non Joannem Herodes, sed Herodem Joannes. Nec sancta illa civitas Hierusalem temporibus gratiæ, innumerabilibus turbis monachorum, clericorum et cæterorum fidelium illustris, [h] Saracenis subjiceretur, sicut et aliæ civitates et

BALUZII NOTÆ.

[a] *Legem Gundobadam*, cujus auctor Gundobadus Burgundionum in Gallia rex, Magni Clodovæi coævus. Hic enim, ut Gregorius Turonensis est auctor, « Burgundionibus leges mitiores instituit, ne Romanos opprimerent. » Verum quæ tum fortassis bona visa fuerat lex Gundobada, nonnullis piis viris ævi Agobardici visa est iniqua.

[b] *Homo hæreticus*. Gundobadus enim erat Arianus. Sed tamen pupugit illum aliquando cupido abdicandi errorem suum; adeo ut ab Avito Viennensi episcopo persuasus impiam esse Arianorum sectam, clam ut chrismaretur expetierit. Vicit tamen metus populi. Itaque « usque ad exitum vitæ suæ in hac insania perduravit, nec publice æqualitatem Trinitatis voluit confiteri », ut Gregorius Turonensis ait in libro II Hist. Francor., cap. 34.

[c] *Sunt perpauci*. Ergo nondum prorsus exstincta erat in illis regionibus perfidia Arianorum, tametsi admodum pauci essent.

[d] *Sinatur perjurare*. Libro I Capitular., cap. 63 : « Et ut parvuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare, sicut Gunebodigni faciunt; » quæ pars hujus capitis refertur ab Ivone parte XII, cap. 22; et a Gratiano 22, q. 5, cap. *Parvuli*.

[e] *Hæc regio*, Lugdunensis. Nam ea utebatur lege Gundobada, quod Lugdunum esset civitas regni Burgundici.

[f] *Lacessantur ad certamen*. Damnat monomachiam, id est, duellum privatum, ad definiendas lites institutum a Gundobado.

[g] *Reiculas illas*. Jam antea in præfatione ad Lupum monuimus corruptam hoc loco esse editionem Massoni, quæ pro *reiculas* habet *recusias*; cum tamen in codice antiquo, quo Massonus utebatur, diserte scriptum sit *reiculas*, ut ante me monuit vir clarissimus Franciscus Juretus in notis ad epistolam 91 Ivonis Carnotensis. Varie autem scribitur hæc vox in libris antiquis. Nam hic apud Agobardum, in Vita sancti Licinii Andegavorum episcopi a Duchesnio edita, itemque alibi, scribitur *reiculas*; apud Salvianum vero et alios non uno loco *resculas*; demum alibi *reculas*. Vide, si lubet, Juretum ad eam quam diximus epistolam Ivonis.

[h] *Saracenis subjiceretur*, nimirum Hierusalem. Contigerat autem istud ante ducentos ferme annos quam liber iste scriberetur. Omarem enim Sarace-

regiones; nec [a] Roma Gothis, [b] paganis et hæreticis simul; nec [c] Italia Langobardis: et multa hujusmodi. Non hæc idcirco dicimus ut negemus providentiam Dei aliquando absolvere innocentem, et damnare noxios, sed quia nullatenus statutum est a Deo ut hæc in omnibus fiat, nisi extremo judicio. Et quia talia certamina vehementer contraria sunt simplicitati et pietati Christianæ, et doctrinæ evangelicæ nimis adversa, absit a mente Christiana ut adversa hujus mundi conflictibus quærat evadere, et gaudia ejus certaminibus adipisci. Cum e contrario intra sacra missarum solemnia frequenter deprecemur Dominum ut tribuat nobis pro amore suo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare, decet omnino mentem Christianam cum timore et tremore, secundum Apostolum, suam salutem operari, et mente ad futura transire, nec in præsentibus rebus sensum figere; quoniam occultissima Dei dispensatione varii sunt in præsenti tempore rerum eventus, sicut et sacra Scriptura testatur: *Sunt justi quibus multa proveniunt, quasi opera egerint impiorum; et sunt impii qui ita securi sunt quasi justorum facta habeant.* Et iterum: *Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.* Et iterum: *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futuro servantur incerta, eo quod universa æque veniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic et peccator; ut perjurus, ita et ille qui verum dejerat. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt. Unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, et post hæc ad inferos deducuntur* (*Eccle.* IX, 1-3). Et iterum: *Verti me ad aliud, vidique nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus. Nescit homo finem suum. Sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves comprehenduntur laqueo; sic capiuntur homines tempore malo, cum eis extemplo supervenerit* (*Ibid.*, v. 11, 12). Non enim est in præsenti meritorum retributio, sed in futuro. Non oportet mentem fidelem suspicari quod omnipotens Deus occulta hominum in præsenti vita per [d] aquam calidam aut ferrum revelari velit: quanto minus per crudelia certamina? Propter quod Apostolus præcipit de occultis rebus non judicandum, *quousque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Concedit tamen judicare inter fratres, ut contentiones sopiantur.

X. Sed utilitas judiciorum constat in discussione causarum et subtilitate investigationum, sicuti et Salomon fecisse legitur in contentione duarum meretricum: cujus et petitio propterea placuit Deo, quia non petivit divitias aut dies multos, sed sapientiam ad discernendum judicium. Sic et Daniel adhuc puer, suscitante Deo spiritum ejus, judicavit duos iniquos judices prudenti subtilitate, per quam liberata est et beata Susanna de injusta damnatione. Nam si hæc duo judicia temporibus nostris pervenirent, quid judices dicerent, facile est advertere, ante quos maxime perjuria aut munera finem rebus imponunt. Quanta autem necessaria sit integritas judiciorum regnis et gentibus, Scriptura testatur, dicens: *Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos* (*Eccli.* X, 8). Quæ omnia plus quam in cæteris gentibus abundant inter [e] Gundobados, apud quorum legem non licet discussione aut veracium testimonio causas terminare; eo quod libuerit, armis comminari liceat, ne infirmior sua retinere aut reposcere audeat, tanquam veritas armis manifestari egeat: quod nulla auctoritas, nulla ratio credere sinit.

XI. Valet etiam ad hanc rem subtiliter considerandam illud quod in libro Judicum refertur. Cum enim quidam in Gabaa civitate, de tribu Benjamin, commisissent immane flagitium super muliere cujusdam levitis, et congregarentur universæ tribus Israel ad hoc facinus puniendum, collecta est etiam tota tribus Benjamin in prædicta civitate Gabaa ad defendendum peccatum illorum. Filii ergo Israel consuluerunt in primis Dominum in Silo, et interrogaverunt quis esse deberet princeps certaminis. Quibus respondit Dominus: *Judas sit dux vester.* Statimque ut cœperunt urbem expugnare, occisa sunt ex eis viginti duo millia virorum. Deinde fleverunt coram Domino usque ad noctem; et interrogaverunt eum utrum deberent procedere ad dimicandum contra filios Benjamin, an non? Quibus respondit Dominus: *Ascendite ad eos, et inite certamen.* Quo inito, prostrata ex eis decem et octo millia. Quamobrem venerunt iterum in domum Dei, et sedentes flebant coram Domino, jejunaveruntque usque ad vesperam, et obtulerunt sacrificia; et iterum proce-

BALUZII NOTÆ.

norum ducem cepisse sanctam civitatem anno 636 ex Theophane aliisque docuit illustriss. cardinalis Baronius, quem consule.

[a] *Roma Gothis*, capta nimirum ab Alarico rege Gothorum, qui victor Urbem ingressus est anno 410 IX Kal. Septembris, ut ostendit idem Baronius.

[b] *Paganis et hæreticis.* Loquitur de Gothis. Nam quia Radagaisus Gothorum rex, erat paganus, eoque interfecto, reliquiæ exercitus illius, qui haud dubie ex paganis constabat, ad Alaricum transiere, hominem quidem Christianum, sed Arianæ perfidiæ sectatorem; manifestum est Gothos, qui non multo post Romam ceperunt, partim paganos fuisse, partim hæreticos.

[c] *Italia Langobardis.* Contigisse id anno Christi 568 duce Alboino Langobardorum rege probat Baronius.

[d] *Aquam calidam.* De judicio aquæ calidæ et ferri igniti vide Franciscum Pithœum in Glossario ad libros Capitularium, Juretum in observationibus ad ep. 74 Ivonis Carnotensis, Sirmondum in notis ad Goffridum Vindocinensem, lib. III, ep. 38.

[e] *Gundobados*, id est, Burgundiones ut dictum est ad caput quartum hujus libri.

dentes ad certamen, interfecerunt omnem tribum A Benjamin, præter illos sexcentos viros. Quis in tali facto non obstupescat? Quis non vehementer expavescat judicium Dei frequenter occultum, nunquam injustum? Certe filii Israel mandatum legis habebant, ut scelera punirent, facinora vindicarent; et non solo mandato legis confisi sunt, sed etiam orantes Dominum interrogaverunt; et eo præcipiente, ad certamen processerunt: et tamen multo plures ex eis occisi sunt antea, et postea punierunt flagitiosos; si tamen ipsi inter sexcentos non remanserunt. Cum hæc omnia ita sint, quis est tam temerarius ut credat, si duo ª pro uno asino molino, aut quidquid sit etiam vilius, contendant, non possit alter cadere, cujus illud esse debere putatur, cum forte aut multa aut majora existant peccata ejus quam alterius, pro B quibus puniendus sit? Vere hoc non est lex, sed nex: quæ maxime præterea contemnenda est, quia ab illis excogitata est qui non solum non orabant, sed etiam ᵇ blasphemabant sapientiam Dei.

XII. Huc accedit aliud quod pia consideratione dignum videtur, ᶜ de canonibus scilicet Gallicanis, qui quasi superflui aut inutiles a quibusdam respuuntur; eo quod ᵈ neoterici Romani eos non commendaverint, cum antiqui religiose eos venerati sint; quoniam venerandi et sancti viri eos ediderunt, quorum vitam et sanctitatem crebra miracula commendarunt. Nemo unquam fuit qui tanta sanctorum per Gallias episcoporum audire potuerit, quanta per singula loca litteris mandata et relatu posteris relicta reperta sunt. Et revera, si secundum dictum Dominicum, ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine ejus, ibi est Dominus in medio eorum; quanto magis ubi viginti, aut triginta multo amplius congregati fuerint, non solum in nomine Domini, sed insuper etiam fide præditi, sapientia illustres, vita clari,

## BALUZII NOTÆ

ª *Pro uno asino molino*, id est, qui laborat ad molam, ut dicet in fine libri De Modo Regiminis Ecclesiastici.

ᵇ *Blasphemabant*, id est, vituperabant. Augustinus in libro De Opere Monachorum, cap. 28: « Sub generali nomine monachorum, vestrum propositum blasphematur. » Gregorius Turonensis, lib. VI, cap. 46, loquens de rege Chilperico: « Causas pauperum exosas habebat, sacerdotes Domini assidue blasphemabat. » Vita sancti Leodegarii edita a Duchesnio, cap. 12: « Etenim cum Ebroinus crudelis de supradictis rebus suum satiasset furorem, rursum occasiones cœpit exquirere ut blasphemiam suæ crudelitatis valeret ab oculis humanis auferre. » Gesta C Dagoberti I, Francorum regis, cap. 46, ubi agitur de ingentibus Eganis virtutibus: « Tantummodo a plurimis blasphemabatur, eo quod esset avaritiæ deditus. » Libro V Capitularium, cap. 170: « Episcopos et sacerdotes, quibus omnis terra caput inclinat, per quos et nostrum pollet imperium, admodum honorari et venerari omnes monemus; nec eos lacerari, aut blasphemari, vel detrahi a quoquam volumus. » Libro VII, cap. 142: « Is qui in blasphemiam alterius cantica composuerit, vel qui cantaverit ea, extra ordinem vindicetur. » Annales Metenses ad annum 865: « Adjecerunt insuper multa alia, blasphemantes eumdem papam. » Hinc vox Gallica *blâmer*, quæ vituperare significat: quæ dein et ipsa versa est in contumeliam Dei. Vidimus enim olim Tutelæ vetustum codicem ms. in quo continebantur acta litis quæ de cathedra Tutelensi erat inter Guichardum de Comborniò abbatem Usercensem et Ludovicum de Albuconio priorem de Mortagnia anno 1457. D Nam Carolus Petitus serviens regius ait in Actis a se tum confectis, fratris filium ejusdem Guichardi sibi multum obstitisse ne quoddam senatus Parisiensis arrestum latum adversus Guichardum faceret palam, minitantem etiam ac blasphemantem Creatorem, Caroli adjutorumque ejus facinus inultum non fore, eorumque cæde expiandum. Hæc sunt verba Caroli: *Disant ledit neveu d'iceluy abbé, en habit d'escuyer, blasmant nostre Createur, qu'il y en auroit de mors et de tués sur les carreaux.*

ᶜ *De canonibus Gallicanis.* Magna semper apud majores nostros fuit reverentia canonum Gallicanorum; et non solum apud Gallos, sed et apud Hispanos quoque, ut observatum est a viris eruditissimis. Certe Canonum Gallicanorum nomine veniebant etiam Hispani, ut patet ex Hincmaro in cap. 36 posterioris operis adversus Gothescalcum: « Sed et in Gallicanis canonibus de Potamio Braccarense archiepiscopo et synodo Valentina evidenter agnoscitur. » Manifestum est enim hic agi de synodo Toletana X, in qua dejectus est Potamius episcopus Bracarensis. Nam quod de synodo Valentina ait, respicit ad canonem quartum synodi Valentinæ quæ anno 374 habita est in provincia Viennensi. Iisdem canonibus Gallicanis usam olim esse Angliam, ut quæ in vicino esset, colligi potest ex synodo Herodfordiensi habita anno 672. Nam librum canonum in ea synodo prolatum, haud alium fuisse quam codicem canonum Ecclesiæ Gallicanæ probari posse certis testimoniis habeo persuasum, ut alias fortasse pluribus ostendam.

ᵈ *Neoterici Romani.* Suggillat irridetque Agobardus Romanos sui temporis, veteris Ecclesiæ mores ad suos detorquere cupientes, atque ob eam causam contemnentes Gallicanos canones, quod eos neoterici Romani non commendaverint. Cui criminationi sic respondet Agobardus aliam fuisse mentem veterum Romanorum, qui canones illos religiose venerati sunt. Potuisset igitur optimo jure adversus eos uti eodem telo, quod postea adversus Græcos vibravit Ratramnus monachus Corbeiensis in libro IV adversus Græcos, cap. 3. « Unde mirandum, inquit, quæ sit ista novis sapientibus prudentia, non acquiescere quod sui probantur majores acquievisse. » Itaque qui sancti olim erant Romanorum mores, reverentiamque universi orbis huic populo conciliaverant, jam verterant in contemptum. Sic de sæculo suo conqueritur etiam Gerbertus in epistola 40. « Romanorum mores mundus perhorrescit. » Atque id ex eo factum est, opinor, quod qui in observatione canonum cæteris per orbem Christianis exemplo esse debebant, omnium impudentissime eos conculcabant. Neque vero ego id dico, sed Ratherius Veronensis episcopus in parte II De Contemptu Canonum tomo II Spicilegii domni Lucæ Dacherii, pag. 188: « Quærat et aliquis, cur præ cæteris gentibus baptismo renatis, contemptores canonicæ legis et vilipensores clericorum sint magis Itali? » et infra pag. 190: « Quorsum tamen hæc detrahendi avida æmulorum si requirat invidia? Nimirum ut quod innotescere nequiverunt præmissa, demonstrent termino proxima. Nempe ut pateficret quærenti, unde iste, id est hodiernus, prævaluerit canonum sanctorum tam universalis contemptus. Ad hoc perventum nostra est inquisitione atque indagatum, eorum contigisse sine dubio culpa, qui cum eos legant atque intelligant, pro nihilo ducunt. » Vide rursum notas ad caput 20 libri De Dispensatione ecclesiasticarum Rerum.

sanctitate reverendi, signis et prodigiis formidandi? Neque hoc idcirco dicitur, ut passim omnium episcopalium conventuum sanctiones [a] æquali auctoritate recipiendæ credantur, ut Nicæni, Chalcedonensis, et cæterorum generalium ex totius mundi consensu congregatorum et receptorum. Sed quia congrua veneratione pro causis necessariis, quarum definitiones in illis generalibus non inveniuntur, fides sit eis adhibenda religione debita; et melius sit unicuique eorum sequi auctoritatem, quam proprium sensum; et sine aliquo dolore transiri non possit, cum definitiones multorum et sanctorum atque catholicorum prætermittantur, et unius Gundobadi regis hæretici lex attente, quasi a Deo data, tenetur.

XIII. Temporibus prædicti Gundobadi regis Burgundionum, fuit in urbe Vienna sanctus episcopus Avitus nomine, fide catholicus, eloquentia facundissimus, ingenio acerrimus, sacrarum Scripturarum expositor suavissimus, litterarum etiam sæcularium doctissimus, et in metris facillimus, sicut et ejus Opera testantur: qui cum eodem Gundobado frequenter [b] de fide altercans, et [c] dialogos in præsenti conficiens, et [d] epistolis absenti respondens, plura et clara ingenii sui et virtutis opera reliquit: qui ipso [e] Gundobado in sua perfidia perdito, successorem ejus [f] Sigismundum regem ad fidem catholicam

## BALUZII NOTÆ.

[a] *Æquali auctoritate.* Ait concilia regionalia, aut provincialia, cujusmodi sunt Gallicana, non esse tantæ auctoritatis ac generalia totius mundi, sed tamen congrua veneratione suscipienda, quod sumptum videri potest ex Augustino in libro II De Baptismo cap. 3: « Ipsa concilia, inquit, quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedunt. » Vetus auctor in præfatione Collectionis canonum, postquam locutus est de quatuor conciliis œcumenicis, hæc ait: « Sed et si qua sunt concilia quæ sancti Patres Spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem manent stabilita. » Et post illum, Jesse episcopus Ambianensis in epistola ad diœcesanos suos: « Si qua vero alia concilia sanctorum Patrum, pro necessitate causarum, plena Spiritu Dei in unum congregata sanxerunt, custodienda et recipienda. » Hincmarus in opusculo LV, Capitulorum cap. 25: « Si qua sunt autem concilia a sanctis Patribus instituta, post quatuor conciliorum auctoritatem custodienda et observanda decrevit; » id est, papa Gelasius, cujus hæc sunt verba: « Sed et si qua sunt concilia a sanctis Patribus hactenus instituta, post istorum quatuor auctoritatem etiam custodienda et recipienda mandamus et decernimus. » Vide Marcam in libro III de Concordia Sacerdotii et Imperii cap. 4, § 6, et lib. VI, cap. 21, § 6.

[b] *De fide altercans.* Earum altercationum, ut vocat Agobardus, unam nuper edidit domnus Lucas Dacherius in tomo V Spicilegii, pag. 110 et sequentibus. Alterius vero altercationis cum Gundobado meminit ipse Avitus in epistola 21, quæ data est ad domnum Sigismundum regem, Gundobadi filium. « Cum præsentiam vestram, inquit, Deo largiente meruero, per me seriem totius altercationis exponam. »

[c] *Dialogos.* Unius istorum Dialogorum fragmentum aliud habemus conservatum ab Agobardo in libro de Picturis sive Imaginibus, cap. 9.

[d] *Epistolis absenti respondens.* Exstant omnino octo Aviti epistolæ ad Gundobadum regem, omnes ferme de causa religionis. Nuper vero aliam quoque reperi in veteri codice ms. clarissimi viri Petri Marnæsii senatoris Gratianopolitani; quam, quod nondum edita sit, et utilis esse potest adversus detortas quorumdam interpretationes, edere visum est opportunum post notas nostras in Appendice Actorum Veterum, tit. 2.

[e] *Gundobado in sua perfidia perdito.* Gregorius Turon. lib. II, cap 34, loquens de Gundobado. « Ista ille ratione confusus, usque ad exitum vitæ suæ in hac insania perduravit. »

[f] *Sigismundum regem*, Gundobadi filium, virum, ut sequens ætas putavit, sanctissimum, adeoque publice consecratum. Unde in veteri fragmento historico, quod Christianus Urstisius edidit, ac post eum Duchesnius, sanctus dicitur: « Leudegisus namque, cum majordomus esset, duxerat uxorem de prosapia sancti Sigismondi regis Burgundiæ. » Sed nuper vir clarissimus Adrianus Valesius in publicum emisit Passionem sancti Sigismundi, ab auctore, ut ipse putat, æquali ac monacho forsitan Agaunensi compositam: ex qua apparet hunc principem, afflictis omnino rebus suis, ex Burgundia in montem quemdam, cui Veresallis nomen erat, aufugisse, ibique monachum fuisse factum, ut se hostium suorum immanitati subtraheret; sed quorumdam Burgundionum perfidia factum ut ex fuga retraheretur, specie pietatis. Afferam autem ipsa auctoris verba. « Igitur cum Franci plurima pene regna devastarent, Galliarumque urbes vehementer depopularentur, ita ut multitudo maxima Burgundionum Francis se sociaret: tunc sanctus Sigismundus videns se hinc inde coangustari, Veresallis montem expetiit, et adinstar Eliæ Thesbitis, quatenus crudelissimæ gentis barbaricam feritatem evaderet, singulariter habitare elegit; quia sibi imminebat discrimen vitæ, juxta illud quod egregius prædicator de suis tribulationibus scribens ait: *Periculis in falsis fratribus.* Tunc diverso modo Burgundiones necessitate magis quam voluntate Francis se ex integro dederunt; promittentes sanctissimum virum Sigismundum, principem suum, perquirere, et eis vinctum tradere. Hac promissione audita, sanctus vir Sigismundus comperta eorum nequitia cæsariem capitis sui totondit, et se a laicali vestitu in religionis mutavit habitum. Qui dum in supradicto loco jejuniis pene et vigiliis maceratus quiesceret ibidem, pauci ex Burgundionibus ad ipsum convenientes quasi causa amoris, ad sepulcra sanctorum martyrum sub quadam custodia latenter perducere promiserunt. Cumque ad clausuras ipsius Agaunensis monasterii pervenissent agmina Burgundionum una cum Francis, adinstar Judæ proditoris Christi Burgundiones in eum manus injecerunt, et vinctum catenis tradiderunt Francis, eorumque regi Clodomero. » Sed ubinam tandem gentium situs fuerit mons ille, in quo Sigismundus latere cupiit, ignotum reliquit hic auctor. Et probabile est alienas terras petiisse Sigismundum, ac procul a Gallia dissitas; ne si in vicino consisteret, deprehenderetur. Itaque in Hispaniam Tarraconensem, haud procul Barcinone, secessisse in montem Signium, constans illic traditio est, quodam etiam carmine consecrata; quod licet a historicis rebus multum aberret, evincere tamen videtur in hoc secessu habitasse Sigismundum, donec a suis retractus est. Sed operæ pretium est, non carmen quidem illud describere, vulgari lingua Catalanica scriptum, sed historiam in eo descriptam edisserere verbis nostris. Illic ergo habetur, sanctum martyrem Sigismundum, sive Sagimundum, ut nunc vocant, Burgundionum regis filium, cum anno ætatis suæ quinto decimo a 'pina quadam vulnus accepisset, nullam ei medendo operam esse magis idoneam existimasse, quam si, sæ-

convertit [a]; in cujus conversione [b] recitavit homiliam in populo sensuum suavitate plenissimam, et verborum compositione dulcissimam. Quid iste venerandus et sanctus vir sæpedicto Gundobado de supradictis certaminibus responderit, audiat, si placet, benignitas vestra. Cum de his inter utrumque sermo esset, et beatus Avitus talia certamina reprehenderet, respondit ei Gundobadus: « Quid est quod inter regna et gentes, vel etiam inter personas sæpe singulas, dirimendæ præliis causæ divino judicio committuntur; et ei maxime parti cui justitia competit, victoria succedit? » Ad quod beatus Avitus intulit dicens: « Si divinum, inquam, judicium regna vel gentes expeterent, illud prius quod scribitur formidarent, dicente Psalmista: *Dissipa gentes quæ bella volunt*, et illud diligerent quod perinde dicitur: ***Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.*** An forte sine telis et gladiis causarum motus æquitas superna non judicat? cum sæpe, ut cernimus, pars aut juste tenens, aut juste deposcens, laboret in præliis, et prævaleat iniquæ partis vel superior fortitudo, vel furtiva subreptio. »

XIV. Non autem ista sic dixerim, quasi non eventus belli varios superni nutus sententia moderetur. Sed contingit nonnunquam ut cum ad conflictum sub invocatione divini judicii convenitur, negotii

A de quo agitur sorte dilata in partem victam, illa magis peccata quæ non recolit vindicentur, et pereat ei præsentis causæ meritum pro debito peccatorum Quid cum armatum latronem simplex viator incurrit, et sine ullius declaratione judicii aut cedens nudatur, aut punitur resistens, donec et prædo ipse in alio conflictu, in quo bonam sibi causam judicari optat, pro ista magis judicatus intereat? Quid jam de illa singularium certaminum ambiguitate dicamus, quam frequenter inter gentes quietas furor personalis exsequitur, cum super quacunque repetitione bellantes ambo nonnunquam animas juste ponunt, quibus humanis atque pretiosis vilissima lucra præponunt, et Dei judicium iracundia invocat, dum impatientia non exspectat? Hic autem interrogo, utrum causa utrique mala fuerit, pro qua bellator uterque occumbit? Atque utinam placeret omnipotenti Deo, ut sub uno piissimo rege [c] una omnes regerentur lege, ea ipsa ad quam et ipse vivit, et proximi ejus respondent. Valeret profecto multum ad concordiam civitatis Dei, et æquitatem populorum. Sed quia hoc grande est, et forsitan homini impossibile, saltem una hæc, de qua sermo est, non solum ut inutilis, sed etiam ut noxia, de medio auferretur!

B

## BALUZII NOTÆ

culo relicto, in eremum sese abderet. Ea de causa solum ad Pyrenæos montes, qua Galliam Narbonensem ab Hispania Tarraconensi disterminant, accessisse; transcensisque montium faucibus quæ Hispanias Gallis jungunt, ad Ficarias oppidum, quod hodieque per viam illam pergentibus primum post superatos montes occurrit, pervenisse, atque illinc recta progressum ad civitatem Ausonensem. Tum vero ei occurrisse Domarium quemdam, id est, ut opinor, canonicum Ausonensis ecclesiæ, virum sanctissimæ vitæ, ab eoque indicatum illi fuisse montem Signium, in quo salutem suam procul a sæculi periculis operari posset. Illinc arrepta ad montem excelsissimum, cui a media die nomen est, via, ad mansionem quamdam pervenisse, quæ Podium-Vallis nuncupatur; compe toque eremitas in iis montibus habitare, illuc statim profectum; neque multo post incidisse in eremitam quemdam, ab eoque edoctum fuisse quæ vitæ illius sectatores scire decet. Dein valedicentem viro, in eremum sese abdidisse, herbis illic nascentibus victitantem, et aquam pro potu sumentem. Interim patrem Sigismundi, dum filium quærit, in eas regiones profectum; cumque pervenisset ad ecclesiam sancti Martialis, quæ in monte Signio sita est, illic forte filium reperisse. Nam is quolibet die Veneris illuc accedebat, ut panem hordeaceum acciperet, quem in eo loco dari in eleemosynam mos erat. Sed agnitus a patre non fuit filius, licet simul colloquerentur. Vicit tamen natura, seque ille Sigismundum esse fassus est. At pater filium vitam illam deserere, secumque in Burgundiam redire oravit. Verum repugnabat Sigismundus, inanem et stultam

prædicans hujus mundi gloriam, æternasque divitias potius cogitandas. Nec recessit tamen pater; sed eadem exhortatione tentavit animum filii flectere, nunc per charitatem quæ patri debetur, nunc etiam per blandum matris nomen cum obtestans. Quid moror diutius? Pervicit pater; amboque in Burgundiam
C regressi, magni gaudii materia fuere subjectis. Hactenus ex carmine illo. Hæc vero satis congruunt superiori narrationi, si juvenilem illam ætatem ac peregrinationem patris excipias. Quonam autem modo vitam finierit, habes apud Gregorium Turon. et alios rerum Francicarum scriptores. Et haud dubie bene mortem usus est. Quo factum est, ut propter hoc facinus, et quia monasterium Agaunense ædificaverat, in numero sanctorum habitus sit deinceps.

[a] *Sigismundum regem convertit*, ab Arianismo nimirum ad catholicam. Et id quidem evenisse vivo Gundobado patet ex epistolis Aviti.

[b] *Recitavit homiliam.* Ea nunc non exstat. Vide Sirmondum ad epist. 40 Aviti.

[c] *Una omnes regerentur lege.* Ait valde optandum esse, ut tot gentes, quæ imperio Ludovici parent, una lege regi jubeat; nec sint tot leges, quot gentes. Nam Langobardi sua lege vivebant, Burgundiones sua, Saxones item sua, ac sua Gothi, et sic de aliis.
D Valde autem optandum, ut quemadmodum hæ omnes gentes uni principi parent, una etiam lege regantur, non diversis. Sed quia illud difficile, ac homini ferme impossibile, saltem Gundobada, quæ est inhumanissima, de medio tollatur. Vide notas ad caput 3 hujus libri, et Ivonem parte VIII, cap. 213, ex concilio Triburiensi, cap. 39.

# AD BERNARDUM EPISCOPUM,

## [a] DE PRIVILEGIO ET JURE SACERDOTII.

I. Venerabili in Christo fratri et coepiscopo [b] Bernardo Agobardus in Domino perpetuam salutem. Nuper dum in unum positi colloqueremur, maxime de pressuris, odiis et despectione Ecclesiarum [c] atque clericorum, quæ nunc infervescere cœperunt sæculis inaudito et inusitato modo, præcipere mihi dignata est sanctitas vestra, ut aliqua de Scripturis sacris, vel sanctorum Patrum dictis excerperem, quæ materiem nobis præberent ad inquirenda, consideranda et deploranda mala temporis nostri, quæ ignoraverunt antecessores et patres nostri; licet Spiritus sanctus loquens in prophetis non tacuerit, qui dixit : *Et erit sicut populus, sic et sacerdos :* et multa hujusmodi. Visum itaque mihi est parituro sanctæ devotioni tuæ ut, prætermissis dextra lævaque his quæ de remuneratione bonorum et damnatione malorum sacerdotum, a Patribus sollicite ac multipliciter scripta sunt, aliquid medium quod utriusque commune est, de privilegio scilicet et jure sacerdotii, conarer scribendo non explicare, sed considerando diligentius strictim attingere.

II. Præmittendum sane videtur brevissime quod omnes vere fideles membra summi sacerdotis, Dei videlicet ac Domini nostri Jesu Christi, mediatoris Dei et hominum, facti sunt ab eo Patri regnum et sacerdotes, dicunturque genus electum, regale sacerdotium, et sunt sub capite summo [d] unus sacerdos. Propter quod et vitia illa legalia, quæ sacerdotem esse inhibent, a corpore et regno summi Sacerdotis excludunt, sicut probabilium Patrum expositio probat. Unde cum sacra lex per Moysen inciperet dari, sacer ille agnus, cujus sanguis in superliminaribus et postibus domorum aspersus, vastatorem prohibuit ingredi domos celebrantium Phase, non jubetur a sacerdotibus sumi, vel a populo sacerdotibus, aut a sacerdotibus Deo offerri, sed ab universo cœtu filiorum Israel tolli per familias et domos, juxta numerum animarum quæ sufficere possent ad esum ejus. Nec excipiuntur quilibet [e] indigni et immundi, sed omnibus hoc in commune præcipitur; solis duntaxat alienigenis sejunctis, advenis vero et mercenariis conjunctis. Denique et ipse agnus, licet sine macula esse jubeatur, ab ovibus tamen et capris secundum antiquam translationem mandatur assumi, et cum amaritudine comedi.

III. Ut igitur liquido pateat eminentia vel dignitas in commune sacerdotii, consideremus a principio mundi gradus ejus. Primogeniti, si tamen dici liceat, primi hominis, primi leguntur sacerdotale ministerium peregisse, Cain videlicet et Abel, id est, Deo hostias obtulisse : quorum unus improbatus est, et sacrificia ejus non sunt respecta. Et hoc idcirco fieri potuit, quia non populi, sed propria vota obtulit; licet causa reprobationis alia exstiterit. Nam in consequentibus nunquam invenies ut oblata pro aliis reprobata sint, etiamsi is qui obtulit indignus fuerit, si tamen fide de domo fuit, aut in domo obtulit, in qua agnus vescendus est, sicut lex præcipit dicens : *In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus illius foras.* Sed magis eorum corda pensantur, qui per sacerdotes, qualescunque illi sint, offerunt, sicut multis ostendi potest. Unde et de bonis sacerdotibus Dominus ait : *Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Et iterum :

BALUZII NOTÆ.

[a] Hic est omnino libri istius titulus in codice Papirii Massoni, et in contextu libri. In veteri tamen codice ms. clariss. viri Petri Marnæsii senatoris Gratianopolitani hic liber sic inscriptus est : *Epistola Agobardi episcopi Lugdunensis de sacerdotii dignitate, ad Barnardum Viennensem archiepiscopum :* quod eodem recidit.

[b] *Bernardo.* Codex Marnæsii, *Barnardo.* Et monuit me vir eruditissimus Petrus Franciscus Chiffletius presbyter e Societate Jesu, sic quoque scriptum se vidisse hoc nomen in multis codicibus manuscriptis. Verum discrimen illud est nullius aut parvi momenti.

[c] *Atque clericorum.* Idipsum sequenti sæculo graviter deploravit Ratherius episcopus Veronensis in parte II de Contemptu Canonum, in tomo II Spicilegii, pag. 188.

[d] *Unus sacerdos.* Unicum in Ecclesia Christi sacerdotium esse contendit Agobardus, hujusque sacerdotii caput summum esse Christum, qui summus sacerdos est. Et fideles omnes esse unum sacerdotem sub uno capite Christo, ob illum locum ex epistola prima beati Petri, ubi fideles vocantur *genus electum, regale sacerdotium.* Alia Cypriano mens fuit, cum in epistola 55 scriberet « non aliunde obortas esse hæreses, aut nata schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus judex vice Christi cogitatur. » Nam hoc tantum sibi vult hoc loco Cyprianus, juxta observationem Rigaltii, uniuscujusque Ecclesiæ, quæ universalis illius portio est, unum esse debere episcopum sacerdotem, qui sit Ecclesiæ suæ sacerdos ad tempus, et ad tempus judex vice Christi. « Hæc enim sunt, inquit Cyprianus in epistola 65, initia hæreticorum, et ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, ut præpositum (id est, episcopum) superbo tumore contemnant. » At Baronius ad annum Christi 34, § 203, contendit unum illum sacerdotem apud Cyprianum, esse Petri successorem Romanum pontificem, et iis quidem verbis, ut manifeste ab eo loco excludere videatur reliquos episcopos, adeoque Romanum solum in Ecclesia præsidere velit vice Christi. Et tamen singulos episcopos esse vicarios Christi ex hoc quoque loco collegit Rigaltius.

[e] *Indigni et immundi.* Videtur admittere etiam istos ad comestionem agni. Et sane illos quoque admittit Paulus; sed damnationem sibi manducare et bibere pronuntiat.

*Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra.* E contrario autem, etiam auditu hominum et visu nostro didicimus oblata Deo A per sacerdotes reprehensibilis vitæ, ita accepta, ut etiam [a] infirmitates corporum curarent : qui fortassis cum aliis reprobis dicturi sunt Deo, *Domine,*

## BALUZII NOTÆ.

[a] *Infirmitates corporum curarent.* Itaque ex eo quod quidam in nomine Domini corporum infirmitates curaverint, ac miraculis inclaruerint, non statim sequitur viros esse sanctos, nisi cætera sint paria, ut diximus ad Lupum Ferrariensem. Miracula ergo non sunt signa certissima sanctæ vitæ. Nam si miracula attendimus, narrat Herodotus in libro primo, Crœsum in ignem conjectum esse jussu Cyri Persarum regis. Dein istum pœnitudine ductum, misisse qui virum flammis eriperent. Sed adeo late patebat rogus, ut illum exstinguere non potuerint missi a Cyro; donec Crœsi precibus, qui jam cognoverat pœnitentiam Cyri, subito erumpens imber exstinxit rogum. De Vespasiano memorat Tacitus in quarto Historiarum libro, ipsius ope, absque ullis humanis remediis, cæco reluxisse diem. Tum ut huic narrationi fidem conciliet, hæc addit : « Utrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium. » Miracula ab imperatore Adriano edita recenset in ejus Vita Spartianus; ab Æsculapio vero vetus inscriptio Romana, quæ a Lipsio Baronioque edita est : et Fl. Vopiscus in D. Aureliano tradit Apollonium Thyanæum reddidisse vitam mortuis. Denique veterum libri pleni sunt istiusmodi narrationibus. Videndus Livius lib. I, Dionysius Halicarnasseus lib. VII, Plutarchus in Vita Coriolani, cap. 11, Macrobius lib. I Saturnal., cap. 11, Lactantius lib. I, cap. 7, Divinarum Institutionum, et alii. Scio Baronium elevare istorum prodigiorum fidem, neque id sane injuria. Absit enim ut quis in animum inducat hæc vere fieri potuisse a viris Deum verum nescientibus. Sed si quis neque paganus, neque rursum Christianus, sed qui vacuus religione atque affectibus humanis, serio discuteret hujuscemodi narrationes, is homo fortassis eamdem fidem adhiberet historiis gentilium ac Christianorum. Cur enim potior apud illum auctoritas Christi quam Jovis? Ac ne quis occlamet me longius progredi quam oporteat, neminemque esse posse qui tot tantaque Christianorum miracula, quæ passim leguntur, evenisse neget, afferam testimonium Josephi Albonis Judæi ex disputatione contra Christianos, quam Gilbertus Genebrardus Latine vertit. Sic ergo loquitur Judæus ille : « Demonstratio veræ fidei posita est in continuatione signorum, uti perpetuabantur in Israele, cum in sua ipsorum regione degerent; quam non reperias apud eos qui religioni Christianæ aut Ismaelicæ dediti sunt. » Nam et gentiles miracula sua vera esse contendunt, ut vidimus apud Tacitum. Et Cæcilius apud Minucium Felicem defendens religionem paganorum, hæc inter alia ait : « Etiam per quietem deos videmus, audimus, agnoscimus, quos impie per diem negamus, nolumus, pejeramus. » Et paulo antea dixerat, ope deorum, quibus Romana civitas protegitur, dari « cautelam periculis, morbis medelam, spem afflictis, opem miseris. » Porro, quid de hæreticis dicemus, qui fidem suam miraculis quoque confirmatam volunt? Constat enim ex Tertulliano Montanum novam suam disciplinam Paracleto et revelationibus tribuisse, et ex Augustino Donatistas ad statuendum errorem de baptismo suum visiones et ostenta jactasse. Ac memorat Sulpitius Severus, Valentem, hominem Arianissimum, si ita loqui liceat, cum Constantio imperatori nuntiaret victoriam de Magnentio partam apud Morsam, angelum hujusce rei nuntium sibi fuisse dicere ausum, ut reverentiam sui adderet, securum de facilitate credentis. Quin et in epistola 135 Bonifacii Moguntini legimus Adalbertum impostorem et hæreticum miraculis quoque apud sectatores suos inclaruisse, ipsosque gravem adversus Bonifacium querelam excitasse, quod eis abstraxisset *virtutum factorem, et signorum ostensorem.* Miracula ergo, ut ad id redeamus unde digressi sumus, non sunt semper signa certissima sanctæ vitæ, quandoquidem et viri quoque mali prodigiis inclarescere possunt, imo inclaruerunt, ut docet Agobardus. Sed insignis est in eam rem locus beati Gregorii papæ ex homilia 29 in Evangelia : « Nam corporalia illa miracula, inquit, ostendunt aliquando sanctitatem, non autem faciunt. Hæc vero spiritalia quæ aguntur in mente, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt. Illa habere et mali possunt. Istis autem perfrui nisi boni non possunt. Unde de quibusdam Veritas dicit : *Multi mihi dicent in die illa : Domine,* B *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia non novi vos. Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem.* Nolite ergo, fratres charissimi, amare signa, quæ possunt cum reprobis haberi communia; sed hæc quæ modo diximus, charitatis atque pietatis miracula amate : quæ tanto securiora sunt, quanto et occulta. » Audiamus nunc clarissimum Gallicanæ Ecclesiæ sidus, Carolum Magnum, sententiæ beati Gregorii subscribentem. Sic enim loquitur in Capitulari de non adorandis imaginibus, lib. III, cap. 25 : « Multa etenim signa, multaque miracula, per angelos refugas, vel etiam per eorum sequaces fiunt : qui dum sint spiritales potentiæ, et ut ita dixerim, spiritales nequitiæ, et prophetias infelicibus quibusque impertiunt, et virtutes multas per suos satellites faciunt : de quibus erunt illi qui dicturi sunt : *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavi-* C *mus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Quibus æternus arbiter dicturus est : *Nescio vos.* Quia igitur signa plerumque diabolico instinctu fiunt, ideo beatissimus Gregorius sanctæ Romanæ Ecclesiæ antistes dixit : *Nolite, fratres mei, amare signa quæ possunt cum reprobis haberi communia.* Sanctissimus quoque Augustinus a dæmonibus miracula fieri, similia miraculis quæ fiunt per sanctos servos Dei, his verbis testatur. Ait enim : *Non oportet moveri cum magicis artibus miracula fiunt plerumque simil.a miraculis quæ fiunt per sanctos servos Dei,* etc. » Vetus auctor incognitus, quem penes me habeo manuscriptum : « Signa et prodigia et sanitates etiam peccatores in nomine Domini facere ab ipso Deo didicimus. Et cum alios hac præsumptione juvent, sibi per ambitionem humanæ gloriæ nocent, quia gloriantur in dato falso, non meritis debito. Signis et prodigiis clarum posse fieri Christianum, non tamen sanctum, si intemperatis et asperis moribus agat; temperatis au- D tem et placidis moribus, etiam absque signorum efficacia, et sanctum et perfectum et Dei hominem fieri recte credimus. » Petrus Damiani in capite 28 libri qui appellatur Gratissimus : « Quid mirum, inquit, si per malos ministros omnipotens Deus in Ecclesia sua propagari officium sacerdotale permittat, cum per eosdem etiam virtutum signa frequenter exhibeat : non videlicet ob religiosæ vitæ meritum, sed propter acceptum sacerdotalis mysterii sacramentum. » Denique valde considerandum est quod ait Augustinus, desiisse jam ævo suo miracula, quod necessaria non essent, quæ tamen necessaria fuerant in initio Christianismi. Hæc sunt enim verba Augustini in capite 25 libri de Vera Religione : « Sed accepimus majores nostros eo gradu fidei, quo a temporalibus ad æterna conscenditur, visibilia miracula, non enim aliter potuerunt, secutos esse : per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim Ecclesia catholica per totum orbem dif-

*Domine, in nomine tuo dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus*, et cætera. Tale aliquid etiam in libro Judicum legitur de Micha, qui habuit sculptile, atque conflatile, et ædiculam separatam, et fecit ephod ac teraphin, et recepit adolescentem quemdam Levitici generis, ut esset ei sacerdos; qui cum esset utique contra fas sculptilium sacerdos, tamen pro filiis Dan consuluit Dominum, et respondit prospera quæ ventura erant.

IV. Pertinet quoque ad hanc rationem confirmandam, qua dicimus sacerdotalia obsequia pro populorum meritis dispensari, quod Ezechieli sancto prophetæ Dominus loquitur: *Linguam tuam adhærescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est.* E contrario autem de Caipha dicitur: *Hoc autem a semetipso non dixit. Sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Jesus moriturus erat pro gente.* Sed cur hæc in aliis quæramus, cum etiam de ipso Domino evangelista dicat: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit, et mirabatur propter incredulitatem eorum.* Quam rem alius evangelista apertius loquitur, dicens: *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.* Et in istis quidem incredulitatis meritum fuit, ut nec multæ apud eos virtutes fierent; et ipsi pauci qui sanati sunt, non sola verbi potentia, sed manuum impositione curarentur. Paralyticum vero centurionis puerum, et mulieris Chananææ filiam, quæ male a dæmonio vexabatur, solo verbo restituit incolumitati. Nimirum magnitudine fidei eorum hoc exigente, qua alter dixerat: *Tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.* Altera ex micis de mensa dominorum cadentibus catellos posse percipere non dubitaverat: quamque miris laudibus Salvator extulit, de centurione quidem dicens: *Non inveni tantam fidem in Israel;* mulieri vero Chananææ: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* E contrario, inter cæteros veros discipulos, etiam Judæ A ficto discipulo, et [a] vero proditori, magnam virtutum gratiam contulit, sicut Evangelium narrat, dicens: *Convocatis Jesus duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem immundorum spirituum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem.* Ubi et additur: *Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus;* enumeratisque omnibus, postremus ponitur Judas Scariotes, qui et tradidit eum. Deinde sequitur: *Hos duodecim misit Jesus.* Et post paululum: *Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* Cui rei subjungit alius evangelista: *Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent, et* B *dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant.* De talibus, bonis videlicet ac malis prædicatoribus, loquens Apostolus, ait: *Quid enim? dum omnimodo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.*

V. Colligitur itaque ex prædictis rebus, quod nec sacerdotes, cum exaudiuntur, aut prædicando prosunt, meritis suis debent tribuere, sed eorum pro quibus hæc agunt; [b] nec populus sacerdotis culpæ deputare, sed suæ, cum sacerdos nec orando proficit, nec loquendo; licet vario contingat modo, sicut beatus papa Gregorius affirmat, dicens (*Homil.* 17 *in Evang.*): « Sæpe enim pro sua nequitia prædicantium lingua restringitur; sæpe vero ex subjectorum C culpa agitur ut eis qui præsunt, prædicationis sermo subtrahatur. » Hæc idcirco dicimus, ut ostendatur et per bonos et per malos bona posse administrari; plerumque autem bonos malis prodesse non posse, et ab utilitate ministerii prohiberi; sicut Dominus de infideli vinea loquens, ait: *Et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Sed et Jeremiam idem Dominus prohibens: *Tu*, inquit, *noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem,*

BALUZII NOTÆ.

fusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, et eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit. » Carolus Magnus, libro IV, cap. 15: « Ecclesia namque catholica, inquit, ut ad fidem cresceret, miraculis erat nutrienda, et ut ejus novella plantatio convalesceret, assiduis erat irrigationibus fovenda. » Sic Aymoinus Floriacensis in prologo ad Vitam sancti Abbonis ingenue profitetur miracula illa neminem sublevare, et absque iis homines posse esse sanctos. « Si autem quispiam, inquit, idcirco ei crediderit derogandum, quod in vita sua vix ullum mirabile fecerit signum, legat vitas excellentissimorum doctorum Augustini et Hieronymi; et in eis non prodigia temporalium signorum, quæ faciunt plerumque mali, sed vitæ puritatem, doctrinæ salubris eloquentiam, et fidei inveniet laudari constantiam. » Quam parvi porro momenti esse debeat fama prodigiorum, docet auctor appendicis ad Annales Heinrici Steronis. Loquens enim de quodam Armanno, qui ob celebritatem nominis magno in honore erat apud Ferrenenses, ita scribit ad annum 1302: « Tunc corpus cujusdam nomine Armanni, quod 31 annis tanquam sanctum in ecclesia Ferrenensi exstiterat veneratum, fuit studio et mandato inquisitorum hæreticæ pravitatis in illis partibus exhumatum et combustum, tanquam damnati hæretici; et ejus ara pretiosa destructa fuit. » Rerum humanarum euripum!

D [a] *Vero proditori.* Loquitur de Juda Iscariote, qui erat unus ex duodecim. Otto imp. et Romana synodus in epistola ad Joannem XII papam, quæ exstat apud Luitprandum lib. VI, cap. 10: « Judas Domini nostri Jesu Christi proditor, imo venditor, cum cæteris prius ligandi atque solvendi potestatem a magistro in hæc verba accepit: *Amen dico vobis: Quæcunque ligaveritis super terram*, etc. Quandiu enim bonus inter discipulos fuit, ligare atque solvere valuit. Postquam vero cupiditatis veneno homicida factus, vitam occidere voluit; quem postea ligatum solvere, solutum ligare potuit, nisi se ipsum quem infelicissimo laqueo strangulavit? »

[b] *Nec populus sac. culpæ deputare.* Notat imperiti popelli opinionem, qui ex miraculis tantum æstimat vitam sacerdotum, eumque sacerdotem justum non esse putat, cujus preces pro publicis commodis effusæ non fuerint exauditæ a Deo; cum potius id populi ipsius pravis moribus et gravibus in Deum offensionibus veniat imputandum.

*quia non exaudiam te.* Cæterum quod supra diximus de Cain; si pro aliis sacrificium obtulisset, quod sine charitate fieri non potest, nullatenus diceretur, ad Cain et ad munera ejus non respexisse Dominum, in consequentibus melius demonstrabitur, si tamen dare dignatus fuerit Dominus. Interim de excellentia et dignitate sacerdotii vel sacerdotum cœpta persequamur.

VI. Noe, per quem restitutum est genus humanum, post diluvium ædificavit altare Domino, et obtulit holocausta; odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait ad eum : *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines.* Melchisedec rex Salem, sacerdos Dei excelsi fuisse scribitur; de quo Apostolus : *Intuemini*, ait, *quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha.* Patres electi, Abraham scilicet, Isaac et Jacob (de quibus Dominus ad David loquitur : *Feci nomen tuum sicut unius magnorum qui celebrantur in terra*), ædificasse leguntur altaria. Beatus quoque Job holocausta per singulos dies scribitur obtulisse; et, ut beatus Hieronymus ait, « Antiqua Judæorum traditio est, quod ante legem omnes primogeniti fuerint sacerdotes, et Deo victimas immolarint. » In lege autem assumitur tribus Levi pro omni primogenito qui aperit vulvam in filiis Israel, fiuntque Levitæ Dei, diciturque ad Moysen : *Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israel, et pecora Levitarum pro pecoribus eorum, eruntque Levitæ mei. Ego sum Dominus. Externus qui ad ministrandum accesserit, morietur.* Et res mira, et vehementer stupenda! Omnes Levitæ quos numeraverunt Moyses et Aaron juxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino a mense uno et supra, fuerunt viginti duo millia, sicut viginti duæ litteræ apud Hebræos, et viginti duo libri divinæ auctoritatis in Veteri Testamento. Ut id ipsum sit quod in Deuteronomio dicitur : *Scripsit itaque Moyses hanc legem et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israelis.*

VII. Sed et illud omni admirati one dignum est quod primogeniti filiorum Israel, pro quibus dati sunt filii Levi, fuerunt masculi per nomina sua a mense uno et supra, viginti duo millia, ducenti septuaginta tres. Nam viginti duo, ut dictum est, numero litterarum concinit et librorum, habent supra duplicem centenarium, septemplicem denarium, et simplicem ternarium, numeros in [a] divinis litteris sacratissimos. Ex hoc jam tempore non oportuit esse sacerdotes quoscunque primigenitos, sed tantum Levitas filios Aaron, qui separati sunt a populo, sicut scriptum est : *Tribum Levi noli numerare, neque ponas summam eorum cum filiis Israel, sed constitues eos super tabernaculum testimonii.* Et post paululum : *Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum; cum castrametandum, erigent. Quisquis externorum accesserit, occidetur.* Et in tan-

A tum sequestrati sunt et prælati populo, ut jubeat Dominus Moysen dicere eis, Aaron scilicet et filiis ejus : *Sic benedicetis filiis Israel.* Et post benedictionem, *Invocabunt*, ait, *nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.* Non illi benedicent, sed ego; illorum est invocare, meum est benedicere. In quibus verbis non excipit malos, sed de omnibus in commune loquitur, bonis videlicet et malis. Malos dicimus, sicut fuerunt Ophni, et Phinees, Somna, et Phadassur, et cæteri tales, licet isti in præsenti vita receperint vindictam. Nec solummodo sacerdotum fuit orare pro populo, sed et omnium Levitarum, sicut ipse Dominus dicit : *Tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel, tradidique eos dono Aaron et filiis ejus de medio populi, ut serviant mihi*
B *pro Israel in tabernaculo fœderis, et orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad sanctuarium.* Ubi notandum videtur quia sicut omnes sacerdotes et Levitæ sancti et justi esse non potuerunt, ita nec omnes cæteri Israelitæ iniqui et peccatores : sed tamen per peccatores sacerdotes et Levitas completa sunt salutaria populi, quæ per justos populi impleri non potuerunt. Et quanquam æterna vita plus digni sunt justi populares quam injusti sacerdotes, tamen sacramenta in quibus salus populi consistit agere possunt injusti sacerdotes, quod non possunt justi populares : scilicet quia valet in qualicunque ministro ipsa vis ministerii, quod non valet justitia in eo cui non conceditur licentia ministrandi. Atque hoc etiam atque etiam Moyses populo in-
C culcat, dicens : *Separavit Dominus tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, et staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius.*

VIII. In tantum autem ab aliis intentanda sunt sacramenta altaris, ut dicat Dominus ad Aaron : *Tu et filii tui et domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem sanctuarii, et tu et filii tui simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri.* Et post aliqua : *Si quis externus accesserit, occidetur.* Quod terribiliter legitur adimpletum in Oza, cum adduceret David arcam Domini de domo Aminadab, sicut scriptum est : *Et imposuerunt arcam Domini super plaustrum novum, tuleruntque arcam de domo Aminadab, qui erat in Gabaa.* Oza autem et Ahio filii Aminadab minabant plaustrum novum. Et post pauca : *Postquam autem*
D *venerunt ad arcam Nachon, extendit manum Oza ad arcam Dei, et tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, et declinaverant eam. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta arcam Dei.* Certe Oza injunctum sibi officium agebat, plaustrum minabat; et obsequii ejus esse videbatur, ut arcam Dei, quam recalcitrantes boves inclinaverant, sustentaret. Verum quia non erat officii ejus ut ea contingeret, quod ille sibi visus est fecisse pietate, reputatum illi a Deo est terribiliter in temeritatem, et tantam temeritatem quæ statim mortis supplicio ple-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Divinis litteris.* Ita codex regius. Sed Marnæsianus habet, *libris divinis.*

A cleretur. Quam rem beatus David in tantum expavit, ut sequatur Scriptura, dicens : *Extimuit David Dominum in die illa dicens : Quomodo ingredietur ad me arca Domini? Et noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David; sed divertit eam in domo Obededom Getthæi.* Unde et post aliquod temporis, cum audisset quod benedixisset Dominus domui Obededom Getthæi propter arcam Dei, vocatis ad se principibus sacerdotum ac Levitarum, sic legitur præcepisse : *Vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, et afferte arcam Domini Dei Israel ad locum qui ei præparatus est, ne ut a principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus; sic et nunc fiat illicitum quid nobis agentibus.* E contrario Ozias rex, de quo legitur quod requisierit Dominum, et dilexerit B eum in omnibus, *cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum; ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis; statimque ingressus est post eum Azarias sacerdos, et cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt regi, atque dixerunt : Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. Egredere de sanctuario, ne contempseris : quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. Iratusque est Ozias; et tenens in manu thuribulum ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus; statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis.* C *Cumque respexisset eum Azarias pontifex, et omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, et festinato expulerunt eum. Sed et ipse perterritus acceleravit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini* (*II Par.* XXVI, 16 *seqq.*). Tali itaque contemptores sacerdotum ultione feriuntur, talis in sacerdotibus fortitudo et constantia prædicatur. Ob hanc et Azarias iste singulari laude attollitur, sicut scriptum est de eo. Azarias sacerdos de genere Aaron, ipse est qui sacerdotio functus est in domo quam ædificavit Salomon in Hierusalem.

IX. Tanta igitur sacerdotibus sacerdotii dignitate collata, præcipitur populo ut eis in cunctis obediat. Ait denique Moyses : *Accedent itaque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei et benedicant in nomine ejus, et ad verbum eorum omne negotium et quidquid mundum vel immundum est judicetur.* Quam sit autem perniciosum non obedire sacerdotibus, miro modo etiam per Moysen dicitur : *Observa*, inquit, *diligenter ne incurras plagam lepræ; sed facies quæcunque docuerint te sacerdotes Levitici generis, juxta id quod præcepi eis, et imple sollicite.* Nam cum lepra infirmitas corporis sit, cur non potius medicis obediendum præcipit, sed sacerdotibus? nisi quia humiliter audiendo sacerdotes declinat quis immunditiam mentis, maxime erroris : ita tamen si sacerdos ea docuerit quæ Dominus præcepit. Hoc est enim quod dicit : *Facies quæcunque docuerint te sacerdotes, juxta id quod præcepi eis.* Nam [a] si sacerdos aliud docuerit quam quod Dominus jussit, quisquis ei auscultaverit, leprosus lepro-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Si sacerdos aliud docuerit.* Itaque si sacerdotes hæresim doceant, aut quidpiam contra bonos mores proponant, fas est populo resistere et prædicationem eorum spernere. Licet ergo subjectis excutere sermones præpositorum, saltem quoties aliquid jubent quod nec sacræ Scripturæ congruat, nec traditioni. Eleganter, ut solet, hoc argumentum tractat D. Erasmus in illud e capite XXIII Evangelii secundum Matthæum, *Super cathedram Moysi*, etc., ubi sic loquitur : « Hunc locum quidam eo torquent, quasi parendum sit omnibus quæ præcipiunt episcopi, aut præpositi, etiam impii, ob muneris auctoritatem; cum Christus de iis loquatur qui recte docerent legem Mosaicam, non qui suis constitutiunculis illaquearent homines. Ita nunc quoque fortassis audiendus sit episcopus, qui recte doceat Evangelium, etiamsi ipse parum evangelice vivat. Cæterum quis ferat eos, adversus Christi doctrinam, pro suo commodo fixis ac refixis legibus meram tyrannidem D exercentes in populum, suoque quæstu ac majestate metientes omnia? Qui constitutiunculis ad quæstum, ad tyrannidem excogitatis irretiunt populum, non sedent in cathedra evangelica, sed in cathedra Simonis Magi, aut Caiphæ. » Unde et graviter monet Goffridus Vindocinensis in epistola 27 libri III ad Hildebertum Cenomannorum episcopum scribens, non esse obediendum prælatis, si quid contra Scripturam aut canones jubeant. « Prælato quidem obediendum est, inquit, non tamen in omnibus quæ ipse suggerit, sed in his tantum quæ Deus præcipit. Nam si quid contra constitutionem Dei vel Patrum prælati præcipiunt, statim auctoritatem præcipiendi amittunt, et in illa re nullatenus est eis obediendum. » Ea nimirum semper fuit Ecclesiæ mens, debere populos esse subjectos episcopis, imperiaque eorum exsequi, ut maneat fraternæ concordiæ vinculum. Quod si quid grave atque asperum subjectis imponant præpositi, tenenda est patientia, neque statim adversus eos fremendum est; quibus, tametsi discoli sint, obediendum est, ne discidium excitetur, modo ne cogant ad impietatem. Audio quosdam dicentes nihil profici patientia, nisi ut graviora tanquam ex facili tolerantibus imperentur. Verum illud interdum fateor. Sed malum quod tollere non possis, æquo animo ferendum est. Quanquam non requiro servilem patientiam, a qua procul abesse oportet eos qui in adoptionem filiorum Dei ascripti sunt. Sed ejusmodi volo esse patientiam, quæ Christi sectatoribus digna sit; hoc est, quæ non sit projecta, neque rursum contumax, sed constans et generosa. Sic fortassis mitigabuntur feroces præpositorum animi. Et si cætera remedia desint, licet quandoque subjectis monere dominantes, si quid est alicujus momenti, aut si peccent in publica commoda. Insignis est in eam rem locus Gregorii Magni in libro XXV Moralium in Job, cap. 21 : « Igitur dum salva fide res agitur, virtutis est meritum, si quidquid prioris est, toleratur. Debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valeat quod displicet emendari. Sed curandum summopere est, ne in superbiam transeat justitiæ inordinata defensio; ne dum rectitudo incaute diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur; ne eum sibi præesse quisque despiciat, quem fortasse contingit ut in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem superbiæ, subditorum mens ad custodiam humilitatis edomatur, si infirmitas propria incessanter attenditur. » Vide eumdem Gregorium in libro II de Cura Pastorali, cap. 8. Gregorium sequitur sanctus Bernardus abbas Claravallensis, qui sic ad Eugenium III papam scri-

sum sequitur, et cæcus cæcum; et consequenter ambo de castris expellentur, amboque in foveam cadent. Non ergo aliud doceat sacerdos, nisi quod Dominus præcipit, ut salubriter audiatur. Sic et Ezechieli Dominus loquitur : *Audies ergo ex ore meo sermonem, et annuntiabis eis ex me.* Audies, inquit, non aliunde, sed *ex ore meo, et annuntiabis ex me,* non ex te : quia qui loquitur mendacium, de suo loquitur. E contrario autem, *omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, et lux veritatis a patre luminum est;* nec est ullum bonum aut verum, nisi ab eo qui solus vere natura est bonus.

X. Sed videamus utrum apostolicæ quoque litteræ consonanter legi de his doceant. Beatus Paulus apostolus ad Hebræos scribens : *Obedite*, ait, *præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri; ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes.* Ad Timotheum etiam scribens ait : *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina. Dicit enim Scriptura, Non infrenabis os bovi trituranti.* Et : *Dignus est operarius mercede sua.* « Qua in re, ut ait beatus papa Gregorius (*Homil.* 17 *in Evang.*), considerandum est quod uni eorum operi duæ mercedes debentur, una in via, altera in patria; una quæ nos in labore sustentat, altera quæ nos in resurrectione remunerat. » Item ad Corinthios, inter multa ad hæc pertinentia, dicit : *Quis pascit greges, et de lacte gregis non manducat? Nunquid secundum hominem hæc dico? An et lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique dicit? Nam propter nos* A *scripta sunt : quoniam debet in spe qui arat arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus.* Et post pauca : *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; qui altario deserviunt, cum altario participantur? Ita et Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Itemque ibi : *Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanæ et Fortunati, quoniam sunt primitiæ Achaiæ, et in ministerio sanctorum ordinaverunt se ipsos; ut et vos subditi sitis ejusmodi, et omni cooperanti et laboranti. Gaudeo autem in præsentia Stephanæ et Fortunati et Achaici, quoniam id quod vobis deerat, ipsi suppleverunt. Refecerunt etenim meum spiritum et vestrum. Cognoscite* B *ergo qui ejusmodi sunt.* Item ad Thessalonicenses : *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum : pacem habete cum eis.*

XI. Hæc pauca Veteris ac Novi Testamenti collegimus testimonia, in quibus quasi in speculo contueri valeamus fœditatem nostri temporis, omni lacrymarum fonte plorandam; quando increbuit consuetudo impia, ut pene nullus inveniatur anhelans et quantulumcunque proficiens ad honores et gloriam temporalem, qui non [a] domesticum habeat sacerdotem, non cui obediat, sed a quo incessanter exigat licitam simul atque illicitam obedientiam, non solum in divinis officiis, verum etiam in huma- C nis; ita ut plerique inveniantur, qui aut ad mensas ministrent, aut [b] saccata vina misceant, aut canes ducant, aut caballos, quibus feminæ sedent, regant,

BALUZII NOTÆ.

bit in libro II de consideratione, cap. 1. « Non est meæ humilitatis dictare tibi sic vel sic fieri quidquam. Sufficit intimasse oportere aliquid fieri unde et Ecclesia consoletur, et obstruatur os loquentium iniqua. » Attamen illud in primis curare debent subjecti, ne ex eo quod præpositorum vita reprehensibilis in aliquo videtur, eos propterea contemnant. « Subtilis etenim via tenenda est rectitudinis et humilitatis, ut sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant, quatenus subditorum mens a servanda magisterii reverentia non recedat; » ut sanctus Gregorius admonet in eodem libro XXV, cap. 22.

[a] *Domesticum sacerdotem.* Invaluerat ævo Agobardi mos ille, ut viri principes domesticos haberent sacerdotes, qui eis divina officia ac mysteria in possessionibus et agris celebrarent : idque factum antiquitus indulgentia episcoporum, ut patet ex canone 21 concilii Agathensis. Verum ævo Agobardi ea episcoporum indulgentia verterat in necessitatem. Exstat enim lex de non repellendis clericis, quos laici obtulerint episcopis, ut presbyteri fiant, libro I Capitularium, cap. 90, et lib. V, cap. 178. Vide etiam Hincmari Capitula data presbyteris anno 874, cap. 5. Hinc factum ut, quoniam presbyteri illi manebant apud magnates, presbyteri illorum dicerentur. Quod graviter tulit Nicolaus I papa, ut patet ex ejus epistola ad episcopum quemdam Gallicanum, quæ exstat in Chronico Hugonis abbatis Flaviniacensis. « Illud autem, inquit, frater charissime, ridiculosum sonuit, quod apicum tuorum gerulum nobis commendans, hunc presbyterum esse Gerardi illustris comitis perhibuisti. Verum quid hoc scri- D bens prudentia tua dicere voluerit, et quid super hujuscemodi verbo intelligeretis, fateor, nos ignoramus. Nunquid Gerardus comes illum presbyterum consecravit? Nunquid de ipsius est diœcesi? ubi hoc legisti? ubi hoc didicisti? Nisi quia presbyteri non specialiter ecclesiæ, possessionis, aut martyrii secundum sacras Scripturas ordinantur, sed in domibus laicorum constituuntur, cum sæcularibus conversantur; ut jam non Dei, nec Ecclesiæ cujuslibet, sed illius comitis, et illius ducis esse dicantur. » Hujuscemodi clericos, qui manent in familiis magnatum, acephalos vocat canon 18 synodi Ticinensis sub Lothario et Ludovico Augg. celebratæ circa annum 850 : « Nulla ratione clerici aut sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius episcopi disciplina et providentia gubernantur. Tales enim acephalos, id est, sine capite, prisca Ecclesiæ consuetudo nuncupavit. Docendi sunt igitur sæculares viri', ut si in domibus suis mysteria divina jugiter exerceri debeant, quod valde laudabile est, ab his tamen tractentur qui ab episcopis examinati fuerint, et ab ordinatoribus suis commendatitiis litteris comitati probantur, cum ad peregrina forte migrare est. » Item Urbanus II, in canone 9 concilii Melphitani. « Quia novum hoc tempore, inquit, clericorum acephalorum genus emersit, qui morantur in curiis, et viris et feminis ad sui ordinis dedecus subditi, cum in canonibus cautum sit ne quis sine licentia episcopi clericus, nec episcopus sine metropolitano curiam adeat; præcipiendo præcipimus, et prohibentes prohibemus, ne quis retineat hujusmodi. »

[b] *Saccata vina.* Ita codex regius, itemque Mar-

aut [a] agellos provideant. Et quia tales, de quibus hæc A dicimus, bonos sacerdotes in domibus suis habere non possunt (nam quis esset bonus clericus qui cum talibus hominibus dehonestari nomen et vitam suam ferret?), non curant omnino quales clerici illi sint, quanta ignorantia cæci, quantis criminibus involuti; tantum ut habeant presbyteros proprios, quorum occasione deserant ecclesias, [b] seniores, et officia publica. Quod autem non habeant eos propter religionis honorem, apparet ex hoc quod non habent eos in honore. Unde et contumeliose eos nominantes, quando volunt illos ordinari presbyteros, rogant nos aut jubent, dicentes : Habeo unum clericionem, quem mihi nutrivi de servis meis propriis, aut [c] beneficialibus, sive [d] pagensibus; aut obtinui ab illo vel illo homine, sive de illo vel illo pago. Volo ut B ordines eum mihi presbyterum. Cumque factum fuerit, putant ex hoc quod [e] majoris ordinis sacerdotes non eis sint necessarii, et derelinquunt frequenter publica officia et prædicamenta ; impletumque est etiam in nobis quod ait propheta : *Populus tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti. Et corrues hodie, et corruet etiam propheta tecum.* Et post paululum : *Gloriam eorum in ignominiam commutabo. Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. Et erit sicut populus, sic sacerdos, et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei.* Vel illud quod Scriptura alia loquitur, dicens : *Post hæc verba non est reversus Hieroboam de via sua pessima ; sed e contrario fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum. Quicunque* C *volebat, implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum. Et propter hanc causam peccavit domus Hieroboam, et eversa est et deleta de superficie terræ* (*III Reg.* XIII, 33, 34).

XII. Forsitan in his duabus sententiis resistat aliquis, dicens : Hæc dicta sunt de decem tribubus Israel, quæ per Hieroboam recesserunt a domo David, et civitate sancta, ac templo et altari, sive ministerio electorum sacerdotum; et propterea debent de hæreticis intelligi, qui recedunt a veri domo David, id est Christi, et a communione vel doctrina sacerdotum catholicorum. Nos ab Ecclesia non recedimus, nec spernimus [f] nutrices ecclesias; sed habemus sacerdotes quales possumus. Consideret qui hæc dicit quantis modis receditur a domo et corpore David, et inveniet procul dubio valde congruere in hac re omnibus improbandis factis, sicut et doctores nostri senserunt. Quanquam sunt aliæ divinæ auctoritatis multæ sententiæ, in quibus sine contradictione temeratio tantæ sanctitatis arguitur. Sicut est illud Malachiæ prophetæ (I, 8) : *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? et si offeratis claudum et languidum, nonne malum est?* Quæ sententia potest quidem et de hostiis carnalibus vel spiritalibus specialiter accipi, intelligitur tamen probabiliter etiam de offerentibus. Verum quia de his, quales esse vel non esse debeant, Patrum dicta sunt plurima, nobis necesse est cum omni cordis contritione tractare, qui in his pessimis temporibus ordinandi et regendi ecclesias ministerium sortiti sumus; ut si ex toto cavere non possumus, saltem quantulumcunque nobis ipsis succurrere studeamus, ne peccatis alienis communicemus, quia nostra superabundant, et cum iniquitates nostræ supergressæ sint capita nostra, et sicut onus grave gravatæ sint super nos, non contemnamus pie monentem Apostolum ac dicentem : *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.*

XIII. Nempe ex quo fides Christi mundo annuntiata est et recepta, non fuerunt rectores ecclesiarum tantis periculis et tam gravibus atque inevita-

BALUZII NOTÆ.

næsianis ; non autem *sacrata*, ut male scriptum est in editione Massoni. Saccata vina, id est, per saccum colata : illud fortassis quod nos hodie dicimus vinum hippocraticum; quod genus potionis est magno in usu apud eos qui vitam in voluptatibus et deliciis transigere amant.

[a] *Agellos provideant*, id est, agrorum curam suscipiant, et exactores fiant fiscalium rerum, vel redituum, aut vectigalium. Istud Agobardo displicebat, et displicuit etiam Patribus synodi Ticinensis habitæ circa annum 850. Sic enim illi loquuntur in canone 19 : « Sed et ille excessus inhibendus est, quo quidam sæculares viri presbyteros aut alios clericos conductores, vel procuratores, sive exactores fiscalium rerum, vel redituum, aut vectigalium, constituunt. Si quis igitur deinceps hujus exorbitationis reus inventus fuerit, uterque excommunicetur, tam ipse qui constituit, quam ille qui indigne paruit. » Atque istud ipsum graviter deinceps prohibitum est in synodis posteriorum sæculorum. Verum mala remediis prævaluerunt.

[b] *Seniores.* Ita uterque codex. Massonus tamen edidit *sermones*.

[c] *Beneficialibus*, id est, vassalis, vel feudatariis. Beneficium enim tum dicebatur, quod feudum postea dictum est; ut adnotavimus ad epistolam 119 Lupi Ferrariensis.

[d] *Pagensibus*, id est, ex iis qui in pago mihi ad regendum commisso habitant. Ex admonitione episcoporum ad Ludovicum regem Germaniæ cap. 12 : « Constituite comites et ministros reipublicæ, qui non diligant munera, qui odiant avaritiam, qui detestentur superbiam, qui non opprimant neque dehonestent pagenses. » Vide Bignonium in notis ad Marculfum pag. 518, et Sirmondum in notis ad Capitula Caroli Calvi, pag. 47.

[e] *Majoris ordinis sacerdotes*, id est, presbyteri quos nunc vocamus rectores ecclesiarum parochialium; quos vero Gregorius Magnus vocat presbyteros *cardinales*, lib. II, epist. 9, ut a cæteris distin- D guat, itemque Walterius episcopus Aurelianensis in capite secundo suorum Capitulorum. Quo etiam modo intelligendus est locus Leonis papæ de sacerdotibus cardinalibus, relatus in libro primo Decretalium tit. 24, cap. 2. Neque enim assentior Duareno, qui in libro I, cap. 13 de Sacris Ecclesiæ Ministeriis hunc locum interpretatur de presbyteris qui in majore ecclesia, quam cathedralem dicimus, rem divinam simul cum episcopo suo faciunt, *canonici* hodie vulgo appellati.

[f] *Nutrices ecclesias*, id est, parochiales apud quas inserti sumus corpori Christi, et in quibus educati sumus. Eædem dictæ sunt *matrices* in concilio Cabillonensi quod anno 915 habitum est, cujus fragmentum edidit Severtius, itemque apud Ivonem in epistola 173. In concilio tamen Carthagine habito anno 418, can. 33, matricis ecclesiæ nomine intelligitur cathedralis.

bilibus circumsepti. Quia, sicut jam dictum esse A memiuimus, mundus in annis prioribus, velut in juventute viguit. At nunc ipsa sua senectute deprimitur, et quasi ad vicinam mortem molestiis crescentibus urgetur. Quod nos absque ambiguo de Ecclesia dicere possumus, quæ in annis prioribus ad tolerantiam passionum robusta, in perfectione veritatis erecta, ad ostensionem signorum valida, studio mirandæ continentiæ et abstinentiæ accincta, contra rabiem luporum sollicita, ad resistendum improbis libera. At nunc omnibus infirmitatibus mentis [a] ita est languida, ut [b] ad dicendum quidem nec tutum sit, nec possibile; ad cavendum vero, nec promptum, nec facile. Atque utinam vel dolere digne possemus annos istos famis et sterilitatis, quos per somnium Pharao vidit, Joseph vir sanctus intellexit et expo- B suit. Quippe fluvius sæculi hujus, de quo ascendere videbantur septem boves pulchræ et crassæ nimis, quæ pascebantur in locis palustribus, præteritorum temporum significationem gerit, quæ habuere doctores doctrina sublimes, sanctitate fulgidos, in defensione veritatis rigidos. Nunc autem (quod sine gravi dolore dici non potest) ex prædicto flumine jam emergunt aliæ boves fœdæ confectæque macie: de qua re si juxta gracilitatem sermonis nostri aliquid dicere tentamus, offendimus forsitan ad invicem. Tamen si Deo juvante [c] in unum convenerimus, oportet nos de hoc diligenter et fideliter colloqui: quia et his in quibus sanitas deficit, et infirmitas roboratur, moris est inde cogitare, inde interrogare, ut ad earum rerum perveniant cognitio- C nem.

XIV. Quæramus etiam ne forte jam prope sit, et timeamus ne nos in perditionem involvat illud quod terribiliter per prophetam dicitur: *In die illo, dicit Dominus exercituum, auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli, et frangetur, et cadet, et peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est.* Ita ut consequenter impleatur quod Veritas dicit: *Verumtamen filius hominis veniens, putas inveniet fidem super terram?* Tamen quia Veritas ipsa dicit iterum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi,* procul dubio [d] erunt semper in Ecclesia, cum quibus ille sit, eruntque fortissimi ac robustissimi pugnatores Dei, adversum quos ille qui nunc ligatus est in abysso, solutus, totis viribus permittetur belligerare, quos divina gratia idoneos reddet adversum tam immanem bestiam dimicare, et victores de ea existere. Adhortemur itaque nosmetipsos per singulos dies, non deserentes collectionem nostram. Audiamus Dominum per prophetam monentem: *Congregate triticum in horreum meum, et sit cibus in domo mea.* Triticum utique illud evangelicum, de quo dicitur: *Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus enim ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem.* At si hoc semper necessarium fuit, quanto magis nunc, quando jam propius est tempus illud, de quo Dominus ait: *Ecce dies venient, et mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei, et deficient virgines bonæ.* Interim tamen, sicut alius propheta loquitur: *Quid bonum ejus, aut quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* In quibus verbis magnopere necesse est unicuique nostrum subire contra semetipsum judicii districtionem, et exigere a semetipso veritatis confessionem, utrum sollicitior sit ad congregandum vinum in quo est luxuria, an vinum germinans virgines.

XV. Hæc brevissime de nobis dicta sint, quæ pertinent ad officium et ministerium nostrum. Dein dicamus fidelibus laicis, qua fide et spe venerari studeant sacramenta divina in omnibus communiter sacerdotibus; sive sint diligentes sive negligentes, sive sint providi sive torpentes. Sacramenta etenim divina, baptisma scilicet, et confectio corporis ac sanguinis Domini, cæteraque in quibus salus et vita fidelium consistit, tam magna et sancta sunt, ut nec bonorum meritis meliorari, nec [e] malorum perversitate possint deteriorari; cum ad invocationem

## BALUZII NOTÆ.

[a] *Ita est Languida.* Loquitur de Ecclesia. Salvianus in principio libri primi ad Ecclesiam catholicam: « Multiplicatis enim fidei populis, fides imminuta est; et crescentibus filiis suis, mater ægrotat; factaque es, Ecclesia, profectu tuæ fecunditatis infirmior, atque accessu relabens, et quasi viribus minus valida. »

[b] *Ad dicendum nec tutum.* Ea ergo erat Agobardici sæculi infelicitas, ut sacerdotibus non liceret eloqui quod vellent, sed palpanda essent vitia subjectorum: quod est ultimum calamitatis. Præclare itaque magnus ille vir, sanctus Cyprianus Carthaginiensis episcopus in libro de Lapsis: « Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, inquit, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem. *Quos diligo*, inquit Dominus, *redarguo et castigo.* Sic oportet et Dei sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, et in altis re- D cessibus viscerum virus inclusum dum servat exaggerat. Aperiendum vulnus est et secandum et putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur et clamet licet, et conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum cum senserit sanitatem. Emersit enim, fratres dilectissimi, novum genus cladis; et quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, et blanda pernicies. »

[c] *In unum convenerimus.* Admonet Bernardum episcopum Viennensem, adeo gravem esse hanc causam, ut in synodo plurium provinciarum merito tractanda sit: quod si occasio ingruat, non prætermittendam esse.

[d] *Erunt semper in Ecclesia.* Videtur coercere promissionem Christi, qui pronuntiavit futurum se nobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, ad eos qui vere Christiani sunt, hoc est, sancti. Verum non negat quin istud referatur ad Ecclesiam universalem, quam Christus non reliquit, sed semper gubernat.

[e] *Malorum perversitate.* Existimat igitur Agobar-

[a] summi sacerdotis, non humana virtute, sed sancti Spiritus perficiantur ineffabiliter majestate. Nullo modo igitur, sicut beatus Augustinus docet, « sacramentum Christi in bonis ministris approbandum est, in malis respuendum, quasi aut hujus aut hujus sit, cum in utroque idem sit, et non nisi Dei sit. Et quamvis in pessimis bonum sit, etsi hominum qui hoc agunt alius est alio deterior, non ideo illud quod agunt deterius est in illo quam in isto : quia nec in duobus catholicis malis, si unus sit alio deterior, deteriorem baptismum gerit : nec si unus eorum sit bonus, alius malus, in malo malus est baptismus, et in bono bonus, sed in utroque bonus : sicut lumen solis, vel etiam lucernæ, non utique deterius est in oculis deterioribus, quam in melioribus; sed idem in utrisque, quamvis eos diverse pro illorum diversitate vel lætificet vel excruciet. »

XVI. Similiter autem et beatus papa Gregorius de non contemnendis divinis sacramentis in qualibuscunque ministris Dei sub quodam congruo exemplo admonet, dicens : « Sæpe, fratres mei, solet evenire quod dico, ut persona potens famulum habeat despectum; cumque per eum suis forte vel extraneis responsum aliquod mandat, non despicitur persona loquentis servi, quia servatur in corde reverentia mittentis domini; nec pensant qui audiunt, per quem; sed quid, vel a quo audiant. Ita ergo, fratres, ita vos agite. Etsi forsitan nos digne despicitis, in mente tamen vestra vocantis Domini reverentiam servate. » Idem etiam Pater de eisdem rebus in quadam episcoporum exhortatione sic loquitur (*Homil.* 17 *in Evang.*) : « Et per nos quidem fideles ad sanctum baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, per impositionem manuum nostrarum a Deo Spiritum sanctum percipiunt, atque ipsi ad regnum cœleste pertingunt. Et ecce nos per negligentiam nostram deorsum tendimus. Ingrediuntur electi sacerdotum manibus expiati cœlestem patriam, et sacerdotes ipsi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei, cui similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum

A cœleste mittit, et ipsa in cloacas descendit? Timeamus hæc, fratres. Conveniat actionem nostram ipsum ministerium nostrum. De peccatorum nostrorum cotidie relaxatione cogitemus; ne nostra vita peccato obligata remaneat, per quam omnipotens Deus quotidie alios solvit. »

XVII. Consonanter quoque et beatus [b] papa Anastasius de his docet (*Decret.*, c. 7, 8), dicens : Nam et baptismum quod procul fit ab Ecclesia, sive ab adultero vel a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum, quia vox illa quæ sonuit per columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur : *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*. Nempe et Judas, cum fuerit sacrilegus atque fur, quidquid egit inter apo-
B stolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data, nulla ex hoc detrimenta senserunt. Quidquid ergo ad hominum provectum quilibet in Ecclesia minister pro officio suo videtur operari, hoc totum contineri implendum divinitatis effectu, ita ille per quem Christus loquitur, Paulus affirmat : *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. A Deo autem non quæritur quis vel qualis prædicet, sed quem prædicet, ut invidos etiam bene Christum prædicare confirmet. Mali itaque bona ministrando, sibi tantummodo nocent, nec Ecclesiæ mysteria commaculant. Ac per hoc nullatenus debent metuere qui vel in consecrationibus vel in baptismate mysteria tradita
C suscipiunt, ne irrita beneficia divina videantur : quia virtutem suam obtinentibus mysteriis, in hoc aliis rea sibi persona non nocet. »

XVIII. Hæc igitur sensa Patrum et definitiones posuimus, ut noverint fideles populi, nihil se lædi criminibus sacerdotum in acceptione sacramentorum; si tamen juxta regulam a Domino positam, vel secundum traditionem ecclesiasticam, celebrentur. Cæterum summopere necesse est præcaveri, ut in ordinandis [c] offerendisve ministris non communicemus, ut supra dictum est, peccatis alienis, [d] criminosos videlicet ad sacerdotium promovendo, aut,

BALUZII NOTÆ.

dus, sacrificio etiam sacerdotis impii confici sacramenta. Alia Cypriano mens fuit : qui in epistola 68 (ut illic adnotat Erasmus) omnino sentire videtur sacrificio sacerdotis impii nihil effici, imo magis inquinari populum. Optatus tamen in libro vi aperte scribit posse aliquid sanctificari, etiamsi peccatoris opera fiat divini nominis invocatio. « Ergo jam liquido apparet, inquit, ex invocatione nominis Dei posse aliquid sanctificari, etiamsi peccator invocet Deum. » Idipsum in causa Acacii sensit Anastasius papa in epistola ad Anastasium Aug. cap. 7 et 8, referturque ab Agobardo infra in capite 17 hujus libri. Atque ea auctoritate utitur Hincmarus Rhemensis in epistola 26 quæ data est ad Nicolaum papam. Inde etiam sumpsisse videtur Liutprandus Ticinensis lib. I, cap. 8 : « Quoniam et ii, inquit, qui a Juda Domini nostri Jesu Christi proditore ante proditionem salutem seu benedictionem apostolicam perceperant, ea post proditionem propriique corporis suspensionem minime sunt privati, nisi quos improba forte defœdarunt flagitia. Benedictio siquidem

D quæ a ministris Christi impenditur, non per eum qui videtur, sed qui non videtur, sacerdotem infunditur. Neque enim qui rigat est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat Deus. » Sane tempore Alexandri III Ecclesia credebat Dominicum corpus æque confici a malo sacerdote, et a bono; ut patet ex sententia adversus Bonos homines lata a Gaucelino Lodovensi episcopo nomine totius synodi, quæ exstat apud Rogerium de Hoveden in parte posteriori Annalium.

[a] *Summi sacerdotis*, id est, Christi.

[b] *Papa Anastasius*, in Decretis cap. 7 et 8. Nam verba Anastasii decurtavit Agobardus.

[c] *Offerendisve*. Istud additum est ex codice Marnæsii.

[d] *Criminosos provehendo*. Vetitum illud. Eum enim qui ad sacerdotium promovetur, integra fama esse oportet, juxta præceptum Apostoli. Quo factum est ut vetus Ecclesia procul a clericorum collegio arcuerit eos qui flagitiis commaculati erant; ut patet ex Decretis papæ Gelasii cap. 18. Atque id graviter de-

quod adhuc multo deterius est, [a] ignorantia cæcos, qui vel secundum tenorem ecclesiasticum nesciant peragere ipsa mysteria, quod omnino est improbandum et nullo modo admittendum, vel cæcis ducatum præbeant ad foveam æternæ damnationis. Quod et Dominus terribiliter se reprobare demonstrat, dicens per prophetam : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te et ego, ne sacerdotio fungaris mihi.* Et iterum : *Sacerdotes contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea : inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam, et inter pollutum et mundum non intellexerunt.* Cum e contrario secundum præcepta apostolica debeamus esse parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea quæ in nobis est spe, et oporteat prædicatorem esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. Quanquam enim sacerdos et vita et doctrina irreprehensibilis esse debeat, quo rite et audiatur et imitetur; tamen si unum horum defuerit, tolerabilius est illi obedire qui bene docet et reprehensibiliter vivit, quam illi qui et nequiter vivit, et quid doceat nescit. Illi namque erant similes de quibus Dominus jubebat, dicens : *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* Scilicet quia hæc observantes, sine sui periculo tales poterant sustinere rectores. De isto autem, cum sit totus inutilis et totus noxius, et sine periculo nec audiri possit nec imitari, recte a quibusdam dictum intelligitur in Evangelio : *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Rursumque in Proverbiis : *Non decent stultum deliciæ, nec servum dominari principibus.* Itemque ibi : *Labia justi erudiunt plurimos. Qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.* Et iterum : *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, sic qui tribuit insipienti honorem.* Licet hæc sententia præcipue illos tangat, qui tales ordinare præsumunt.

XIX. Et quoniam nobis nunc de dignitate sacerdotii sermo est, sed et sacerdotum, si tamen concordent moribus ministerio; in fine opusculi sciendum

A sollicite est quatuor eorum esse genera, unum amandum, alterum tolerandum, tertium contemnendum, quartum anathematizandum. Amandum itaque genus rectorum est bene viventium, et bene docentium. Tolerandum autem bene quidem docentium, sed reprehensibiliter viventium; aut bene viventium, et propter simplicitatem sensus docere alios non valentium. Hujus generis priores audiendi sunt, non imitandi, sicut Dominus de talibus loquens, ait : *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* Sequentes, si eorum vita pietati subdita est, pietatisque doctoribus adhærens, tendunt procul dubio ad finem præcepti, quod est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Potest quidem et eorum vita aliquiB bus esse doctrina. Attamen tales inter perfectos prædicatores deputari non possunt, quia non habent unde proferant nova et vetera. Et sicut Patres dixerunt : « Latratu canum, et baculo pastoris, luporum rabies deterrenda est. » Contemnendum vero, sicut supra diximus, genus est reprehensibiliter viventium, et quid doceant ignorantium. Postremum, quod et anathematizandum diximus, [b] qualitercunque viventium, id est, vel bene vel male, sed tamen male docentium. Sunt enim hæretici, etiamsi bene vivant.

XX. Deprehensi igitur inter tantas ac tales angustias, de quibus viribus nostris evadere non possumus, summopere necessarium est, ut ei qui omnia facere potens est supra quam petimus aut inC telligimus, ex toto corde supplicemus, quatenus per abundantiam misericordiæ suæ tenens manum dexteram nostram, in voluntatem suam dirigat nos, et cum gloria assumat nos; ipse regat regentes, ipse dirigat dirigentes; ut possimus pascere [c] gregem ejus cum disciplina, et non in vasis pastoris imperiti; ipse præstet virtutem et fortitudinem populo, et exhibeat ipse sibi mundum et candidum gregem, atque in omnibus immaculatum ac supernis ovibus dignum, ubi est habitatio lætantium in splendoribus sanctorum, [d] in templo ejus omnes dicamus gloriam, grex simul et pastores, in Christo

BALUZII NOTÆ.

let Alcuinus in Confessione fidei lib. III, cap. 36, quod vetusta hæc lex in desuetudinem jam tum venisset. « O infelicia tempora nostra, inquit, quæ nec Deum timent, nec vim sacrorum canonum reverentur! Nullus modo sacrilegus vel criminosus, ne ad sacri ordinis officium accedat, inhibetur. »

[a] *Ignorantia cæcos.* Ait Agobardus multo deterius esse, si ii qui indocti sunt, ad sacerdotium provehantur, quam si criminosi. Sane inter virtutes episcopo necessarias Paulus enumerat doctrinam; *ut potens sit*, inquit, *exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Itaque veteres eum omnino arcebant a sacerdotio qui doctus non erat. Hilarus namque papa sic edixit in synodo Romana anni 465 : « Inscii quoque litterarum, nec non et aliqua membrorum damna perpessi, et hi qui ex pœnitentibus sunt, ad sacros ordines aspirare non audeant. » Item Gelasius in Decretis, cap. 16 : « Illiteratos quoque, et nonnulla parte corporis imminutos, sine ullo respectu ad ecclesiasticum didicimus venire servitium : quod simul antiqua traditio et apo-

D stolicæ sedis vetus forma non recipit; quia nec litteris carens sacris esse potest aptus officiis, et vitiosum nihil Deo prorsus offerre legalia præcepta sanxerunt. Itaque de cætero modis omnibus hæc vitentur, nec quisquam talis suscipiatur in clerum. » Vide notas ad epistolam 79 Lupi Ferrariensis.

[b] *Qualitercunque viventium.* Anathematizandos ait illos sacerdotes, quorum vita tametsi aliquo modo sit irreprehensibilis, male tamen docent. Atque hujusmodi exemplum vidimus supra in libro adversus Felicem episcopum Urgellensem.

[c] *Gregem ejus*, id est, Christi. Quanquam enim interdum fideles uniuscujusque diœceseos dicantur grex episcopi illius qui diœcesim regit, id fit per translationem. Nam proprie grex non est episcopi, sed Christi. Unde et Christianos oves et agnos suos ipse nuncupat in Evangelio, dum eos commendat Petro et cæteris apostolis, id est, episcopis.

[d] *In templo ejus.* Hæc omnia, usque ad vocem *Amen*, desunt in editione Massoni. Et tamen exstant in codice quo Massonus utebatur, itemque in Marnæsiano.

Jesu Domino nostro, cui est honor et virtus in sæcula sæculorum. Amen. Opto te, Pater et frater reveren- A tissime et dilectissime in Christo semper bene valere, et nostri meminisse.

# ITEM LIBER

## CONTRA INSULSAM VULGI OPINIONEM

### DE GRANDINE ET TONITRUIS.

I. [a] In his regionibus pene omnes homines, nobiles et ignobiles, urbani et rustici, senes et juvenes, putant grandines et tonitrua hominum libitu posse fieri. Dicunt enim, mox ut audierint tonitrua, et viderint fulgura, *Aura levatitia est*. Interrogati vero quid sit aura levatitia, alii cum verecundia, parum remordente conscientia, alii autem confidenter, ut imperitorum moris esse solet, confirmant incantationibus hominum, qui dicuntur [b] Tempestarii, esse levatam, et ideo dici levatitiam auram. Quod utrum verum sit, ut vulgo creditur, ex auctoritate divinarum Scripturarum probetur necesse est. Sin autem falsum est, ut absque ambiguo credimus, summopere exaggerandum est quanti mendacii reus sit qui opus divinum homini tribuit. Nam per hoc inter duo mortifera maximaque mendacia constringitur, dum testificatur hominem facere posse quod solius Dei est posse, et Deum non facere quæ facit. Si vero in mendaciis minorum rerum veraciter est tenendum quod scriptum est : *Sermo obscurus in vacuum non ibit ; os autem quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11). Et iterum : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Et : *Testis mendax peribit*. Vel : *Testis falsus non erit impunitus*. Vel etiam illud quod in Apocalypsi Joannis Apostoli legitur : *Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et portis intrent in civitatem. Foris autem canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium*. Quanto magis in tam gravi mendacio, ut istud ostendi potest, de quo nunc loquendum suscepimus, quod non minus aliquorum hæreticorum mendaciis invenitur. Beatus Paulus apostolus dicit : *Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversum Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt : nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit*. Sicut ergo omnes qui Christum Dominum resuscitatum a Patre prædicant, falsi testes Dei invenirentur, si mortui non resurgerent ; sic etiam iste qui admirabile et valde terribile opus Dei Deo aufert ut homini tribuat, falsus est B sine dubio testis Dei.

II. Plerosque autem vidimus et audivimus tanta dementia obrutos, tanta stultitia alienatos, ut credant et dicant quamdam esse regionem, quæ dicatur Magonia, ex qua naves veniant in nubibus, in quibus fruges, quæ grandinibus decidunt, et tempestatibus pereunt, vehantur in eamdem regionem, ipsis videlicet nautis aereis dantibus pretia Tempestariis, et accipientibus frumenta vel cæteras fruges. Ex his item tam profunda stultitia excæcatis, ut hæc posse fieri credant, vidimus plures in quodam conventu hominum exhibere vinctos quatuor homines, tres viros, et unam feminam, quasi qui de ipsis navibus ceciderint : quos scilicet per aliquot dies in vinculis detentos, tandem collecto conventu homi- C num exhibuerunt, ut dixi, in nostra præsentia, tanquam lapidandos. Sed tamen vincente veritate, post multam ratiocinationem, ipsi qui eos exhibuerant, secundum propheticum illud confusi sunt, sicut confunditur fur quando deprehenditur.

III. Verum quia hic error, qui tam generaliter in hac regione pene omnium mentes possidet, ab omnibus ratione præditis dijudicandus est, proferamus testimonia Scripturarum, per quæ dijudicari possit : quibus inspectis, non nos ipsi, sed ipsa veritas expugnet stultissimum errorem, et omnes qui cum veritate sentiunt, arguant vasa erroris, dicentes cum Apostolo : *Omne mendacium ex veritate non est*. Quod autem ex veritate non est, ex Deo utique non est ; et quod ex Deo non est, verba ejus non audit ; sicut D ipsa per se Veritas dicit : *Qui est ex Deo, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Quod in alio quoque loco aliis etiam verbis dicit : *Oves meæ vocem meam audiunt. Propterea vos*

BALUZII NOTÆ.

[a] *In his regionibus*, in agro nimirum Lugdunensi, et circumpositis regionibus.

[b] *Tempestarii*. Alibi *sortiarii* ; qui fulgura, et tonitrua, aliasque aeris tempestates excitare se posse profitentur ope artis suæ. Carolus Magnus : « Ideo præcipimus ut cauculatores, et incantatores, et tempestarii, vel obligatores non fiant ; et ubicunque sunt, emendentur, vel damnentur. » Item ipse : « De incantationibus, auguriis, vel divinationibus, et de his qui tempestates vel alia maleficia faciunt, placuit sancto concilio ut ubicunque deprehensi fuerint, videat archipresbyter diœcesis illius ut diligentissime examinatione constringantur, si forte confiteantur malorum quæ gesserunt. Sed tali moderatione fiat eadem districtio, ne vitam perdant ; sed ut salventur in carcere afflicti, usque dum Deo inspirante spondeant emendationem peccatorum. » Tempestuarios etiam vocat Herardus archiepiscopus Turonensis in capite 3 suorum Capitulorum : « De maleficis, incantatoribus, divinis, sortilegis, somniariis, tempestuariis, et brevibus pro frigoribus, et de mulieribus veneficis, et quæ diversa fingunt portenta, ut prohibeantur, et publicæ pœnitentiæ multentur. »

*non auditis, quia non estis ex ovibus meis.* Itemque alibi: *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Omnis itaque qui mendacium credit, aut loquitur, aut astruit quod non est, et tenendo quidlibet quod non est, quo nisi ad non esse tendit? quia item ad non esse tendit; proculdubio ab eo qui est recedit, qui dixit Moysi: *Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Et de quo beatus Job loquitur: *Ipse enim solus est.* Atque ut apertius loquamur, veritas essentiam habet, vel potius essentia est in propria substantia, quia subsistit; mendacium vero, quia nullam habet essentiam, nihil enim est, non subsistit. Solus ergo Deus est, quia solus verum esse habet, qui non accepit ut esset. Omnes autem res ab eo creatæ, et quidem sunt; sed verum et summum illud esse non habent, quia acceperunt ut essent. Porro mendacia, quia non acceperunt ut essent, nullum esse habent. Ac per hoc, is qui mendacio adhæret, ei rei adhæret quæ non est: quanquam nec rei dicendum sit. Qui autem ei adhæret quod non est, non solum ab eo recedit qui fecit eum, sed etiam ab eo ipso quod factus est; quoniam non amplius quam duo esse sunt; unum summum, quod suum esse non accepit ab alio; alterum magnum, quod suum esse a Deo accepit; id est, creator, et creatura. Mendacium igitur, quia non est creator, non est summum esse; quia non est creatura, non est magnum esse; quia nullam habet essentiam, non est ullum esse. Qui ergo vult persistere in eo quod est, non recedat ab eo qui ei dedit esse. Qui autem non vult recedere ab eo qui vere est, fugiat quod omnino non est, id est mendacium.

IV. Quoniam ergo omnis mendax, falsitatis assertor est, et omnis assertor falsitatis, falsus testis est, agens contra veritatem; videamus jam, isti qui opus divinum auctore homine fieri dicunt, utrum fulciantur aliqua auctoritate. In sacris igitur Scripturis, ubi primum grando introducitur, in plagis utique illis quibus Ægyptus percussa est, invenitur. Septima denique plaga Ægypti ista est. Dixit autem Dominus: *En pluam hac ipsa hora cras grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto a die qua fundata est, usque in præsens tempus* (*Exod.* IX, 18). In his itaque verbis Dominus se ipsum dicit missurum grandinem in crastina, non aliquem hominem, certe nec Moysen aut Aaron, qui justi et Dei homines erant, nec Jamnem et Mambrem incantatores Ægyptiorum, qui scribuntur magi Pharaonis, quos Apostolus dicit restitisse Moysi, sicut et hi resistunt veritati. Jam equidem illi, sicut scriptum est, per incantationes Ægyptias et arcana quædam projecerant singuli virgas suas coram Pharaone, et versæ fuerant in dracones, licet virga Aaron devoraverit virgas eorum. Jam aquas verterant in sanguinem, jam ranas produxerant e fluminibus, licet eas cohibere non possent, sicut Moyses in verbo Domini fecit, ut tantum in flumine remanerent. At cum ventum est ad scyniphas, et nihil inde facere potuissent, dixerunt digitum Dei sibi esse contrarium, nihilque ulterius tale conati. Certe si quilibet homo grandinem potuisset immittere, Jamnes et Mambres immisissent, quia aquas converterunt in sanguinem, et ranas de fluminibus produxerunt, quod isti facere non possunt, qui nunc dicuntur Tempestarii.

V. Sequitur autem in eodem loco Scripturæ: *Extendit Moyses virgam in cœlum, et Dominus dedit tonitrua et grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti, et grando et ignis mixta pariter ferebantur* (*Ibid.* v, 23). Ecce et hic locus solum Dominum ostendit creatorem et auctorem grandinis, non aliquem hominem. Dicant forsitan isti qui hominibus hoc tribuunt, Moysen extendisse virgam in cœlum, et ideo per hominem immissam fuisse tempestatem. Certe Moyses servus Domini erat bonus et justus. Isti autem eos quos dicunt Tempestarios, non audent fateri bonos esse et justos, sed malos potius, et iniquos, et dignos damnatione temporali et æterna, sed neque servos Dei, nisi forte conditione, non tamen voluntaria servitute. Nam si ad imitationem Moysi homines essent auctores grandinis, servi utique Dei essent, non servi diaboli. Quanquam præmissæ sententiæ neque illos ejus demonstrant auctores, sed solum omnipotentem Deum. Siquidem et Psalmista, qui hujus et grandinis meminit, de Deo dicit: *Occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina, et tradidit in grandine jumenta eorum, et possessiones eorum igni* (*Psal.* LXXVII, 47, 48). Sed quoniam in præsenti loco addit Psalmista immissionem per angelos malos, sciendum quod vindictarum aut probationum flagella per ministros malos exerceat Deus, qui voluntatem quidem nocendi de suo habeant, potestatem autem ab illo accipiant. Sicut enim eorum propria est voluntas nocendi, sic solius Domini potestas ut possint quæ volunt. Non est certe hominum potestas, neque bonorum, neque malorum, non est contrariarum fortitudinum potestas, sed solius Domini, qui earum malæ voluntati tribuit potestatem, in quantum vult, et abrogat in quantum non vult ut possint. Nam et in alio quoque psalmo Psalmista sic de Deo ait: *Posuit pluvias eorum, grandinem, ignem comburentem in terram ipsorum; et percussit vineas eorum, et contrivit lignum finium eorum.* Percussit vere, et vere contrivit; sed non homo, neque angelus malus, nisi solus Deus, sine quo legio malorum angelorum neque porcos potuit nocere, et in mare præcipitare. Deus plane, de quo dicitur: *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis, et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, grandinem et carbones ignis.* Et cui cantavimus: *Fulgura coruscationem, et dissipabis eos; emitte sagittas tuas, et conturbabis eos. Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam, qui dat nivem sicut lanam, mittit crystallum suum sicut buccellas, mittet verbum suum et liquefaciet ea, flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.* Quem laudant de terra, non solum dracones abyssi, verum etiam ignis, grando, nix, glacies, spiritus pro-

*cellarum, quæ faciunt verbum ejus ;* non verbum hominis, non verbum angeli mali.

VI. Legimus etiam de grandine in libro Jesu Nave ita : *Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum, rex Hierusalem, rex Hebron, rex Hierimot, rex Lachis, rex Eglon, simul cum exercitibus suis, et castrametati sunt contra Gabaon, oppugnantes eam.* Et post pauca : *Dixitque Dominus ad Josue : Ne timeas eos. In manus enim tuas tradidi illos.* Et post pauca : *Cumque fugerent filios* (*Israel*), *et essent in descensu Bethoron, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo usque Azecha ; et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel* (*Josue* x, 5, 8 *Seqq.*). Ecce ergo et in hoc loco apparet, sine ulla imprecatione hominum Dominum misisse grandinem super eos, quos tali flagello dignos judicavit. Nam si mali homines, sicut sunt quos isti errantes nominant Tempestarios, id facere potuissent, super filios utique Israel fieret grando, non super adversarios illorum. Sed quia nec mali super bonos, nec boni super malos hoc facere possunt, evidentissime in hac sententia declaratur. Quod et liber quoque Sapientiæ attestatur, dicens Domino : *Tuam manum effugere impossibile est. Negantes enim nosse te impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt novis aquis, et grandinibus et pluviis persecutionem passi sunt, et per ignem consummati. Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia exstinguit, plus ignis valebat. Vindex est enim orbis justorum.* Et post pauca : *Nix autem et glacies sustinebant vim ignis, et non tabescebant ; ut scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens, in grandine et pluvia coruscans* (*Sap.* xvi, 15 *seqq.*).

VII. Si igitur omnipotens Deus per fortitudinem brachii sui flagellat inimicos justorum novis aquis et grandinibus et pluviis, cujus manum effugere impossibile est, omnino ignorantiam Dei habent qui hæc homines facere posse credunt. Nam si homines grandinem immittere possent, utique et pluvias possent. Nemo enim grandinem sine pluvia unquam vidit. Possent quoque de inimicis suis se vindicare, non solum ablatione frugum, sed et vitæ ademptione. Quando enim contingit inimicos Tempestariorum esse in itinere aut in agris, ut eos occiderent, possent multiplicatam grandinem super eos in unam congeriem fundere, et obruere illos. Nam et hoc quidam dicunt, nosse se tales Tempestarios, qui dispersam grandinem, et late per regionem decidentem, faciant unum in locum fluminis aut silvæ infructuosæ, aut super unam, ut aiunt, cupam, sub qua ipse lateat, defluere. Frequenter certe audivimus a multis dici quod talia nossent certe in locis facta ; sed necdum audivimus ut aliquis se hæc vidisse testaretur. Dictum est mihi aliquando de aliquo, quod se hæc vidisse diceret. Sed ego multa

A sollicitudine egi ut viderem illum, sicuti et feci. Cum autem loquerer cum illo, et tentaret dicere se ita vidisse, ego multis precibus et adjurationibus cum divinis etiam comminationibus obstrinxi illum rogitans, ut non diceret illud nisi quod verum esset. Tunc ille affirmabat quidem verum esse quod dicebat, nominans hominem, tempus et locum ; sed tamen confessus est se eodem tempore præsentem non fuisse. Item in libro Ecclesiastici, qui prænotatur Jesu filii Sirach, scriptum est : *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua, et in tempore consummationis effundent virtutem, et furorem ejus, qui fecit illos, confundent. Ignis, grando, fames, et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt. Bestiarum dentes, et scorpii,*
B *et serpentes, et romphæa vindicans in exterminium impiis* (*Eccli.* xxxix, 33 *seqq.*). Si igitur grando creata est, sicut et cætera quæ hic dicuntur, a Deo utique creata est, non ab homine. Item in prædicto libro scriptum legimus : *Vide arcum, et benedic qui fecit illum. Valde speciosus est in splendore suo. Gyravit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum. Imperio suo acceleravit nivem, et accelerat coruscationes emittere judicii sui. Propterea aperti sunt thesauri, et evolaverunt nebulæ, sicut aves. In magnitudine sua posuit nubes, et confracti sunt grandinis lapides. In conspectu ejus commovebuntur montes, et in voluntate ejus aspirabit notus. Vox tonitrui ejus verberabit terram, tempestas aquilonis, et congregatio spiritus ; et sicut avis deponens ad seden-*
C *dum aspergit nivem ; et sicut locusta demergens descensus ejus. Pulchritudinem coloris ejus admirabitur oculus, et super imbrem ejus expavescet cor. Gelu sicut salem effundet super terram ; et cum gelaverit, fiet tanquam cacumina tribuli. Frigidus ventus aquilo flabit, et gelabit crystallus ab aqua, super omnem congregationem aquarum requiescet, et sicut lorica induet se aquis. Devorabit montes, et exuret desertum, et exstinguet viride, sicut ignem. Medicina omnium in festinatione nebulæ, et ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum. In sermone ejus siluit ventus, cogitatione sua placabit abyssum, et plantabit* [a] *illum Dominus Jesus* (*Eccli.* xliii, 12-25).

VIII. Ecce in hac magna et prolixa Ecclesiastici
D libri sententia, cum subtilissima admiratione imperio Dei tribuitur quidquid in aere fit, quidquid de aere in terram descendit, quidquid mari et ventis : apparitio, splendor, et gyrus arcus ; festinatio nivis, terror coruscationis, velocitas nebulæ, suspensio ventorum, verberatio terræ, concertatio aurarum, congelatio aquæ, non solum in nubibus, sicut grandinis et nivis, sed etiam in terra, nivium, pluviæ, et stantium aquarum, vel fluminum discurrentium, et ex gelu desiccatio viridium rerum, sicut sæpe videmus, necnon et horum omnium resolutio, quæ fit tempore rorantium nebularum, et flatibus austri, et

BALUZII NOTÆ.

[a] *Illum Dominus Jesus.* Ita omnino codex regius ; neque tamen dubito quin verior sit vulgata lectio, quæ habet, *plantavit in illa Dominus insulas.*

favoni. Ad sermonem quoque Dei dicit omnia ista conquiescere et placari. Non ergo in talibus adjutor homo quæratur, quia non invenietur, nisi forte sancti Dei, qui multa obtinuerunt, et obtenturi sunt: quorum aliqui potestatem habebunt claudere cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, sicut Elias, et aquas convertendi in sanguinem, et percutere terram omni plaga, quotiens voluerint, sicut Moyses et Aaron Ægyptum. Vere non alius mittit grandinem tempore æstatis, nisi qui et nives tempore hiemis. Nam et utriusque una est ratio ut fiat, quando nubes utroque tempore solito altius elevantur.

IX. In libro quoque beati Job scriptum est : *Ab interioribus egredietur tempestas, et ab arcturo frigus. Flante Deo concrescit gelu, et rursum latissime funduntur aquæ. Frumentum desiderat nubes, et nubes spargunt lumen suum; quæ lustrant cuncta per circuitum quocunque eas voluntas gubernantis Dei duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum* (*Job* XXXVII, 9 *seq.*). Attente audiendum quod dicitur : *Lustrant nubes per circuitum cuncta, sed quocunque eas voluntas gubernantis Dei duxerit.* Si ergo Deus eas gubernat, non potest homo iniquus eas aliam in partem convertere, quia nec imperare Deo potest, nec precibus obtinere meretur. Quod autem subjungitur, *ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terræ*, quid aliud intelligendum, nisi ad omne quod præceperit Deus nubibus, vel ad flagellum, vel ad subsidium humanum, ad nives, ad grandines, ad pluvias, ad fulgura, vel fulmina, sive tonitrua, ex quibus plerumque alta ædificia prosterni solent? Sane non præcepto hominis, sed præcepto Dei, sicut in hac sententia legitur, in qua etiam post paululum subditur : *Nunquid scis quando præceperit Deus pluviis ut ostenderent lucem nubium ejus? Nunquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias?* In quibus verbis hoc quoque notandum est, quia si homo non novit semitas nubium, nec perfectas earum scientias, multo minus novit earum officio hominibus prodesse vel obesse; exceptis, ut dictum est, sanctis, qui secundum voluntatem Dei multa per illum ipso donante possunt, non utique propria aut aliqua contraria virtute, sed voluntate conditoris : sicut sæpe multi servorum Dei orationibus obtinuerunt, ut tempore siccitatis pluvias Dominus largiri dignaretur.

X. Sic enim beatus Jacobus apostolus, factum Eliæ prophetæ in exemplum nobis proponens, exhortatur nos ad orationem recurrere pro tristitia, pro infirmitate, pro remissione peccatorum, dicens: *Orate pro invicem ut salvemini. Multum enim valet deprecatio justi assidua. Helias homo erat similis nobis, passibilis; et orationem oravit ut non plueret, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum oravit : et cœlum dedit pluvias, et terra dedit fructum suum.* Elias itaque orationem oravit ut non plueret, et non pluit annos tres menses sex. Fecit autem hoc propter correptionem et correctionem gentis

A suæ, id est, ut prius corriperentur de aversione mentis, eo quod dereliquissent cultum Dei omnipotentis, et post sordes idolorum abirent, et postea flagellati et fatigati, exspectatione pluviarum corrigerentur, et redirent ad Dominum Deum quem dereliquerant.

XI. Sic etiam Samuel propheta, et dux populi Israel, cum corriperet eumdem populum propter frequentissimas transgressiones illorum, replicans eis beneficia Dei omnipotentis, et eorum e contrario aversiones, intelligeret idem populus grande malum se fecisse, et Deum offendisse in petendo sibi regem, orando obtinuit ut insueto tempore terribiliter cum tonitruis et coruscationibus pluvia (caderet). Sic denique scriptum est dixisse populo

B Samuelem : *State, et videte rem istam grandem quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Nunquid non messis tritici est hodie? Invocabo Dominum, et dabit voces, et pluvias; et scietis et videbitis quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. Et clamavit Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces et pluviam in die illa; et timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem. Dixitque universus populus ad Samuel : Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur. Addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem* (*I Reg.* XII, 16 *seq.*). Territi enim vocibus tonitruum et coruscis fulgurum, intercessionem sancti prophetæ, licet peccatores, tamen ut fideles postularunt; non sicut

C isti nostri semifideles, qui mox ut audiunt tonitrua vel cum levi flatu venti, dicunt *Levatitia aura est*, et maledicunt dicentes : « *Maledicta lingua illa, et arefiat, et jam præcisa esse debebat quæ hoc facit.* Dic, rogo, cui maledicis? justo, an peccatori? Peccator namque, et ex parte infidelis similis tui, auram, ut dicere soletis, levare non potuit; quia nec virtute sua valuit, nec angelis malis imperare potuit : quanquam nec eorum in hac re sit potestas. Domino non supplicavit, ut orando id obtineret : quia sicut vos, ita et illi quos tempestarios putatis, præstigiis malis fieri hæc putant, non voluntate Dei : licet etsi a Domino Deo hoc peterent, non mererentur adipisci : quod utique justorum est, non iniquorum : qui in talibus rebus, etsi petunt a

D Domino aliquid, infideliter et duplici animo petunt, non in certitudine fidei.

XII. Illo præterea tempore quando oratione Eliæ siccitas erat in terra Israel, etiam pascua pecoribus negabantur. Scriptum est enim : *Dixit Achab ad Abdiam : Vade in terram ad universos fontes aquarum, et in cunctas valles, si forte invenire possimus herbam, et salvare equos et mulos, et non penitus jumenta intereant* (*III Reg.* XVIII, 5). Ecce, ut apparet, de pluvia desperati quod non esset nisi juxta Eliæ verba, pro jumentis herbas quærunt juxta fontes et rivos aquarum, jam enim sentiebant verum esse quod ipsi Achab Elias dixerat : *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit an-*

*nis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Et certe Elias annos dixit quanti essent. Iste ergo Achab, ut dixi, quare non rogavit Tempestarios ut levarent tempestates, et, ut dicere soletis, auras levatitias, per quas irrigata terra habere posset herbas equis et mulis suis cæterisque jumentis, pro quibus sollicitus erat; maxime quia non timebat perdere fruges in campis, et vineas, quæ nullæ omnino tunc erant?

XIII. Nostris quoque temporibus videmus aliquando, collectis messibus et vindemiis, propter siccitatem agricolas seminare non posse. Quare non obtinetis apud Tempestarios vestros ut mittant auras levatitias, quibus terra irrigetur, et postea seminare possitis? Verum quia id vos nec fecistis, nec facere unquam vidistis et audistis, audite nunc quid ipse Dominus, rerum omnium conditor, rector, gubernator, ordinator et dispensator, servo suo beato Job inter cætera etiam de hujusmodi rebus dicat. Etenim cum diabolus, inventor mali, princeps et caput omnium malorum, accusator fratrum, accusasset beatum Job apud Dominum, dicens quod non recta intentione, id est, soli ei placendi, et solo eo fruendi illi serviret, sed pro terrenarum rerum multiplicatione ac defensione; expetiissetque eum tentandum, quatenus tentando ita verum esse ostenderet; improbus, superbus, et stultissimus, quasi mentem viri Dei melius nosset quam conditor ejus; Dominus quoque justus et misericors, justus ad confundendum diabolum, misericors ad exaltandum fidelem famulum suum, concessit illi potestatem, primum quidem in rebus omnibus, deinde vero in filiis, post etiam in salute corporis, ac deinceps in suasione conjugis, postremo autem in exprobratione et multifaria despectione famulorum. Sed diabolus victus et confusus recessit; servus Domini victor et triumphans excrevit. Volens igitur pius Dominus secundum quod Apostolus dicit de se ipso, ne magnitudo eum revelationum extolleret, ita et illum, ne magnitudo victoriæ elatum redderet, humiliare, non ablatione rerum quas perdiderat, non percussione corporis, per quam jam sicut aurum in camino examinatus erat, non comparatione alicujus magni viri, quia similis ei super terram nullus erat, quippe qui inter homines Orientales magnus esset, cœpit tamen eum humiliare vehementer, sublimiter ostendendo illi immensitatem potentiæ suæ, ut fidelis famulus cognoscendo inæstimabilis atque incircumscripti conditoris ineffabilia magnalia, semetipsum despiceret, et despiciendo inclinaret, sicuti et factum est. Nam hoc in verbis ejus apparet, quibus ait: *Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere* (*Job* XLII, 6). Quod alia translatio apertius declarat, dicens: *Despexi memetipsum, et distabui, et æstimavi me terram et cinerem.* In hac ergo humiliatione, cum omnipotens Deus sciscitaretur fidelem famulum, utrum ista aut illa facere posset aut nosset quis fecerit, aut ubi esset quando A fiebant, interrogat de talibus utique quæ nemo alius nisi solus omnipotens facere potest, et dicit: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ?* Et: *Quis posuit mensuras ejus, vel super quo bases illius solidatæ sunt? Quis conclusit ostiis mare?* Et: *Nunquid conjungere valebis micantes stellas, Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?* Et: *Nunquid nosti ordinem cœli?* Et: *Nunquid mittes fulgura, et ibunt?* et multa hujusmodi. Inter hæc, inquam, tanta ac talia, inquirit etiam ab eo dicens: *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli? Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram? Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonan*B*tis tonitrui? ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur? ut impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes? Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris? De cujus utero egressa est glacies? et gelu de cœlo quis genuit? In similitudinem lapidis aquæ durantur, et superficies abyssi constringitur* (*Job* XXXVIII, 4 *seq.*).

XIV. Ecce igitur opera Dei magna, quorum rationem nec ipse beatus Job tam sublimiter, tam subtiliter antea poterat admirari. Si Dominus thesauros habet grandinis, et solus eos aspicit, quos beatus Job necdum aspexerat, ubi eos invenerunt isti Tempestarii, quos beatus Job non invenit, neque invenire possumus, sed neque æstimare ubi inC veniantur? Dominus interrogat fidelem famulum, utrum sciat quis dederit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui. Isti autem contra quos sermo est, ostendunt nobis homunculos a sanctitate, justitia, et sapientia alienos, a fide et veritate nudos, odibiles etiam proximis, a quibus dicant vehementissimos imbres, sonantia aquæ tonitrua, et levatitias auras posse fieri. Dominus dicit se hæc præparasse in tempus hostis, id est, ad vindictam. Isti eosdem ipsos hostes atque adversarios æquitatis (in quibus quam maxime, post eos qui terminos transferunt, auferunt pro pignore bovem viduæ, lacertos pupillorum comminuunt, nudos dimittunt homines quibus non est operimentum, egenos educunt de domibus eorum, homines D contristant, vindicandum est) dicunt eorum habere potestatem, quæ Dominus ad vindictam hostium suorum præparavit. Dominus se dicit pluviæ patrem, et gelu de cœlo se generasse confirmat. Isti miserrimos hominum dicunt habere magnam portionem hujus dispensationis. Quod in similitudinem lapidis aquæ durantur, Dominus nobis mirandum proponit. Hoc si ad libitum miserrimorum horum hominum aliquando fieri posset, procul dubio mirandum non esset.

XV. Hæc stultitia est portio non minima infidelitatis; et in tantum malum istud jam adolevit, ut in plerisque locis sint homines miserrimi, qui dicant se non equidem nosse immittere tempestates,

sed nosse tamen defendere a tempestate habitatores loci. His habent statutum quantum de frugibus suis donent, et [a] appellant hoc canonicum. Multi vero sunt qui sponte sacerdotibus decimam nunquam donant, viduis et orphanis cæterisque indigentibus eleemosynas non tribuunt, quæ illis frequenter prædicantur, crebro leguntur, subinde ad hæc exhortantur, et non acquiescunt. Canonicum autem quem dicunt, suis defensoribus (a quibus se defendi credunt a tempestate) nullo prædicante, nullo admonente, vel exhortante, sponte persolvunt, diabolo inliciente. Denique in talibus ex parte magnam spem habent vitæ suæ, quasi per illos vivant. Hoc non est portio, sed fere plenitudo infidelitatis, et si diligenter consideramus, absque ambiguo pronuntiabimus id plenitudinem esse infidelitatis. Tres namque virtutes sunt, secundum Scripturas divinas, in quibus totus comprehenditur cultus, per quas colitur Deus, id est, fides, spes, charitas. Quicunque igitur fidem et spem suam partitus fuerit, ut ex parte credat in Deum, ex parte credat hominum esse quæ Dei sunt, et ex parte speret in Deo, ex parte autem speret in homine, hujus profecto fidem et spem divisam non accipit Deus; ac per hoc inter fideles censeri non potest; et quem partita fides et spes a numero fidelium secernit, vorago procul dubio infidelitatis absorbet; meritoque talis maledictum illud incurrit prophetæ dicentis : *Maledictus homo qui spem suam ponit in homine*. Neque vero blandiatur sibi dicens : Magis spero in Deo quam in homine : quia spes per partes dividi non potest. Aut enim tota erit, et tuta; aut intuta erit, et nulla.

XVI. Ante hos paucos annos disseminata est A quædam stultitia, cum esset mortalitas boum, ut dicerent [b] Grimaldum ducem Beneventorum transmisisse homines cum pulveribus, quos spargerent per campos, et montes, prata, et fontes, eo quod esset [c] inimicus Christianissimo imperatori Carolo, et de ipso sparso pulvere mori boves : propter quam causam multos comprehensos audivimus, et vidimus, et aliquos occisos, plerosque autem affixos tabulis in flumen projectos, atque necatos. Et, quod mirum valde est, comprehensi, ipsi adversum se dicebant testimonium, habere se talem pulverem, et spargere. Ita namque diabolus, occulto et justo Dei judicio, accepta in illos potestate, tantum eis succedere valebat, ut ipsi sibi essent testes fallaces ad mortem; et neque disciplina, neque tortura, neque ipsa mors B deterrebat illos, ut adversum semetipsos falsum dicere non auderent. Hoc ita ab omnibus credebatur, ut pene pauci essent quibus absurdissimum videretur. Nec rationabiliter pensabant unde fieri posset talis pulvis, de quo soli boves morerentur, non cætera animalia : aut quomodo portari posset per tam latissimas regiones, quas superspargere pulveribus homines non possunt, nec si Beneventani viri et feminæ, senes et juvenes, cum ternis carris pulvere carricatis egressi de regione fuissent. Tanta jam stultitia oppressit miserum mundum, ut nunc sic absurde res credantur a Christianis, quales nunquam antea ad credendum poterat quisquam suadere paganis creatorem omnium ignorantibus. Hanc itaque rem propterea ad medium deduximus, quia C huic unde loquimur similis est, et vel exemplum poterat tribuere de inani seductione et vera sensus diminutione.

## BALUZII NOTÆ.

[a] *Appellant hoc canonicum*, nimirum eam frugum portionem, quæ tempestariis tribuebatur annuatim a possessoribus, ut ab agris eorum depellerent tempestates.

[b] *Grimaldum ducem Beneventorum*. Duo per ea tempora Beneventanorum duces fuere, quorum utrique nomen fuit Grimaldo, et quorum alter alteri successit. Chronicon sancti Vincentii de Vulturno : « Defuncto dehinc Arichis apud Beneventum, Beneventanorum precibus Grimoaldus a Carolo receptus revocatur, et paternum ipse suscepit ducatum. Iste multa dona ecclesiis et monasteriis servorum Dei contulit, sed præcipue beatissimi Vincentii. Grimoaldo vero nostro mortuo, alter Grimoaldus exadelphus ei succedit; et hoc decedente, Sico subrogatur. » De priore intelligendum puto quod tradit Eginhardus ad annum 802 : « Grimoaldus Beneventanorum dux, inquit, in Nuceria Winigisum comitem Spoleti, qui præsidio præerat, adversa valetudine fatigatum obsedit, et in deditionem accepit, captumque honorifice habuit. » Eadem quoque habet auctor Annalium S. Bertini. Posterior autem interfectus est anno 818, ut habet idem Eginhardus : « Imperator, inquit, cum Haristallium venisset, obvios habuit legatos Sigonis ducis Beneventanorum, dona deferentes, eumque de nece Grimoaldi ducis antecessoris sui excusantes. » Vita Ludovici Pii : « Imperator per Rothomagum et Ambianum urbem recto itinere se Aquisgrani ad hiberna contulit. Cui revertenti, et Heristallium palatium intranti, occurrere missi Sigonis Beneventani ducis, dona quam maxima deferentes, dominum suum a morte Grimoaldi prædecessoris sui purgantes. » De utro autem horum capienda sit historia quam hic narrat Agobardus, affirmare non licet. Facilius tamen crediderim hæc in vulgus jactata sub priore Grimoaldo. Hæc enim acta sub Carolo Magno. Successerat autem Arigiso, qui anno 787 mortuus est, ut tradit D Eginhardus in Annalibus, ac post eum alii.

[c] *Inimicus imp. Carolo*. Hinc patet librum istum fuisse scriptum in initio imperii Ludovici Pii, quando recens erat memoria belli quod adversus Grimoaldum Beneventanorum ducem feliciter gestum est a Carolo Magno. Eginhardus ad annum 812 : « Pax cum Abubaz rege Sarracenorum facta. Item cum duce Beneventanorum Grimoaldo; et tributi nomine quinque et viginti millia solidorum auri a Beneventanis soluta. » Quam pacem postea firmavit Ludovicus Pius, ut docet Eginhardus ad annum 814 : « Cum Grimoaldo Beneventanorum duce pactum fecit atque firmavit, eo modo quo et pater, scilicet ut Beneventani tributum annis singulis 7 millia solidorum darent. »

# ITEM LIBER

## CONTRA OBJECTIONES FREDIGISI ABBATIS.

I. Reverentissimo ac beatissimo domino et patri [a] Fredegiso abbati. Dudum modestiæ vestræ benignitas adversum nos, peccatis nostris exigentibus, mota, talibus nos invectionibus perculit, quæ lenitatis ac sinceritatis vestræ modum excedere viderentur, nisi in refellendis nobis tali redargutione uteremini, quæ verbis tantum a vobis proferretur, corde tamen non approbaretur. Nam si illa omnia quæ adversum nos protulistis, et ex parte finxistis, ita a vobis sensa essent ut prolata sunt, non solum modestiam vestram transgrederemini, verum etiam veritatem offenderetis. Et idcirco, sapientissime vir, si dignatur admittere magnitudo vestra, nitimur nos per has litterulas purgare ab illis criminibus, quæ adversum nos in vestris litteris exarata reperimus. Recordari dignamini litterarum vestrarum, quas tunc adversum nos novissime dedistis; et cognoscite contra quæ crimina nunc respondere curamus.

II. Scripsistis igitur in præfatione dicentes : « Si ad omnia quæ in vestræ dilectionis chartula scripta reperimus, respondendum judicaremus, non tantum chartulæ, verum prolixioris libri modum excedere videremur. Sed quia compendii causa, pauca ex plurimis summatim attingere libuit. » Ex quibus verbis vestris apparet omnia vos illa reprehendisse quæ in nostra chartula scripta reperistis. Sed qui omnia reprehenditis, nihil laudatis; cuncta refellitis, nihil recipitis; quam juste hoc faciatis, ex istis perpendite quæ compendii causa summatim attigistis. Quia si ista tam injuste reprehendistis, quanto injustius illa quæ reliquistis? Et primum quidem de his quæ vobis attingere libuit, assumitis refragandam nostram sententiam, qua diximus : « Qui enim vere humilis est, abjecta de se sentit; et qui abjecta de se sentit, errasse se non dubitat. » Quam sententiam ut veram non esse ostendere videamini, probatis Dominum Jesum Christum vere humilem fuisse, et dicitis : « Quia vere humilis erat secundum nos, abjecta de se sentit, et errasse se non dubitavit. » Quod quam calumniose a vobis dictum sit, quæsumus dignamini perpendere. Quis enim fidelium ignorat quia nec nos debemus unquam, cum de abjectionis humilitate et peccati confessione loquimur, quæ vera in omnibus procul dubio esse debent, Dominum nostrum Jesum Christum cæteris hominibus permiscere; nec vos debuistis pro eo quod Dominus Jesus Christus abjecta de se non sensit, et errasse se nunquam cognovit, cæteros homines ab humilitate abjectionis peccati confessione defendere in tantum, ut ex hoc probare velitis, sicut in vestris apparet litteris, nullum vere humilium abjecta de se sentire, nullum se peccatorem fateri debere.

III. Nempe, o venerabilis magister, putabat ac putat nostra insipientia quia cum de talibus rebus loquitur homo, non debet Dominum nostrum Jesum Christum cæteris aggregare hominibus : quia humanitas quæ a Verbo assumpta est, quanquam habeat naturam nostrorum corporum, non tamen habet originem. Nos enim humano semine coagulamur, ille de Spiritu sancto natus est : qui etsi homo factus est propter nostram salutem, Deus tamen esse non desiit; qui licet homo verus sit, verus tamen et unus est Deus cum Patre et Spiritu sancto. Illa namque humilitas, qua Dominus noster Jesus Christus, cum in forma Dei Patris esset, semetipsum exinanivit ut formam servi acciperet, inclinatio fuit miserationis, non evacuatio potestatis; qui etsi abjecta passionis pertulit, tamen Deo Patri æqualem se esse innotuit. Æqualis omnino est Patri, non minor est gloria, non posterior tempore, non inferior potestate : qui propterea factus est homo, non ut erraret, sed ut erraticam ovem inventam humeris suis gestaret, et ad domum cœlestis patriæ, ad paternam scilicet visionem perduceret. Et idcirco non est consequens, imo valde injustum est, ut cum quis ea quæ hominum sunt vere loquitur, alter Dominica comparatione evacuet. Iterum atque iterum dicimus, quia pervicacis hominis est Dominico exemplo impugnare ea quæ de puris hominibus veraciter dicuntur, quorum nullus existit sine peccato, sicut scriptum est : *Non est justus quisquam qui faciat bonum et non peccet.* Et iterum : *Nemo mundus a sorde, etiam si unius diei fuerit vita ejus super terram.* De Domino Apostolus Petrus testatur, dicens : *Quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Nunquid quia hoc verum est, propterea hoc verum non erit illud quod Paulus ait : *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei?*

BALUZII NOTÆ.

[a] *Fredegiso abbati* sancti Martini Turonensis post Alcuinum; cujus fuerat discipulus, ut patet ex vita Alcuini. Fuit etiam cancellarius Ludovici Pii imperatoris. Varie autem scribitur nomen ejus. Hic enim, itemque in præcepto ejusdem Ludovici pro Hildebaldo episcopo Matisconensi, vocatur Fredegisus. In Testamento autem Caroli Magni apud Eginhardum vocatur Fridugisus, et quidem rectius, ut opinor. Nam sic quoque nominatur in præceptis Ludovici Pii pro ecclesia Parisiensi, itemque in præcepto ejusdem principis pro ecclesia sancti Lamberti Trajectensis, quod editum est in tomo primo Historiæ Episcoporum Leodiensium, pag. 154, ac demum in ejusdem Ludovici præceptis pro monasterio Arulensi in diœcesi Helenensi et pro monasterio sanctæ Gratæ in diœcesi Urgellensi. Fregedis tamen, quod idem est ac Fredegisus, vocatur a Theodulfo episcopo Aurelianensi, ex quo etiam discimus diaconum fuisse. Vide Sirmondum in notis ad Theodulfum, pag. 292.

IV. Quia dicitis, « Illis bene perspectis, apparebit A hanc vestram non esse veram ratiocinationem, » hæc qualiter dixeritis æstimare non possumus; affirmare tamen audemus quia qui hanc ratiocinationem veram esse negat, necdum cognovit quemadmodum eam oporteat scire. Quid ergo est quod Apostolus, dum de Domino loqueretur, dicens : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens,* præmisit : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu* (*Philip.* I, 5-6). Et paulo ante dixerat : *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes* (*Ibid.*, v. 3). Si verum non est ut is qui vere humilis est abjecta de se sentiat, quare Abraham cum Domino loquens, cinerem se pulveremque B fatetur? Moyses quoque non se esse eloquentem testatur, et ex quo ei Dominus loqui cœpit, impeditiorem et tardiorem se esse linguam dicit. De se quoque et Aaron ad populum ait : *Nos enim quid sumus?* Gedeon etiam, quem angelus fortissimum virorum appellat, ille e contrario tam abjecta de se sentit, ut se minimum in domo patris sui dicat, et familiam suam infimam in Manasse. Saul quoque cum pene his verbis de minima tribu esse se diceret, et in eadem tribu minimum se recognosceret, ita ut indignum se regio honore fateretur, in regem electus est. Unde Dominus ei loquitur : *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* David quoque (de quo Dominus loquitur, *Inveni virum secundum cor meum,* quia vere humilis erat) C tam abjecta de se sensit, ut non solum ad regnandum indignum se esse testaretur, verum etiam gener fieret regis; qui postea de ipso clamat ad Saul : *Quem persequeris, rex Israel? canem mortuum, et pulicem unum.* Sicque persequi conqueritur, quasi si persequatur perdix in montibus. Postea vero cum esset in magna regni gloria, nullumque adversarium pateretur, ait : *Ludam, et vilior fiam plusquam factus sum, eroque humilis in oculis meis.* Et iterum : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me,* et cætera. Errasse se quoque non dubitavit, quia sæpissime non solum errores suos confitetur, sed etiam iniquitates, peccata, delicta, scelera, infirmitates quoque, et turbationes, timorem D, ac tremorem, anxietatemque cordis : quorum omnium testimonia si ponere voluerimus, prolixi operis series ordinabitur.

V. Vos dicitis quia non est vera ratiocinatio, ut qui vere humilis est, abjecta de se sentiat, aut peccasse se indubitanter credat. Nos vero e contrario per hanc ratiocinationem omnes sanctos in suis precibus a Domino exauditos esse novimus; sicut Danielem in suam exomologesin, ubi confitebatur non solum peccata sua et peccata populi sui, verum etiam peccata regum ac principum, vel sacerdotum. Tres etiam pueri in camino ignis clamabant in veritate et judicio : *Induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Peccavimus enim, et inique egimus, recedentes a te.* Dominus quoque in Evangelio testatur publicanum qui ascenderat cum Pharisæo in templum ut oraret, idcirco justificatum descendisse in domum suam, quia abjecta de se sciens, a longe stabat, et nolebat nec oculos ad cœlum levare; et peccasse se non dubitans, percutiebat pectus suum, dicens : *Deus, propitius esto mihi peccatori.* De centurione quoque quare Dominus ait quod nec in Israel tantam fidem invenerit, nisi quia idem centurio abjecta de se sentiens, et alta de Domino sapiens, semetipsum, ut ait, indignum arbitrabatur ire ad deprecandum Dominum ut sanaret puerum ejus, sed potius amicos suos misit, et iterum per internuntium mandavit Domino, dicens : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Mulier vero Chananæa, cui Dominus clamitanti respondit, *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus,* statim consentiens, ait : *Etiam, Domine : nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Et idcirco audire meruit : *O mulier, magna est fides tua.*

VI. Quod si aliquis objecerit nobis verba justi vere humilis dicentis : *Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus* (*Job* XVII, 2). Et iterum : *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ :* audiat rursum eumdem justum humiliter confitentem : *Peccavi. Quid faciam tibi, o custos hominum?* Et iterum : *Quantas habeo iniquitates, peccata, scelera, atque delicta, ostende mihi* (*Job* XIII, 23). Et iterum Scriptura dicit quia is quem Deus propterea flagellat, ut doloribus eruditus abjectionem et peccata sua recognoscat, respicit homines et dicit : *Peccavi, vere deliqui, ut eram dignus non recipi.* Quare ergo vos dicitis non esse verum, ut vere humilis abjecta de se sentiat, aut peccasse se credat, cum apertissime pateat hoc proprium esse sanctorum, non superborum? Cur Joannes apostolus ait : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Si vero confiteamur delicta nostra, fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata.* Qui si secundum vos magna de se, non abjecta, sentire voluisset, habebat unde gloriaretur, quia et supra pectus Domini recubuit : et præ cæteris discipulis ab illo dilectus est. Jacobus quoque apostolus ait : *In multis enim offendimus omnes.* Quæ si quis putaverit non veraciter, sed tantum humiliter dicta, noverit se in hoc sensu Pelagium sequi; et propterea, si corrigi vult, legat libros beati Augustini contra Pelagianistas, et sciat omnes sanctos veraciter se de peccatis accusasse, ita ut necesse habeant pro se ipsis dicere, *Dimitte nobis debita nostra.* Sed de his quanta dici possunt, vos nosse non ambigimus.

VII. Dicitis etiam tota vos intentione divinam scripturam cum editoribus, interpretibus atque expositoribus suis ab imperitiæ nostræ calumniis defendere. Ad quam rem non respondebimus vobis, quia sicut de quibusdam dicitur, *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor,* ita et vobis dici potest : Illic tota intentione paravit defensionem, ubi nulla erat

omnino necessitas defensionis. Quis enim de nobis calumniatus est unquam editorem aut interpretem aliquem divinarum Scripturarum? Dicitis reprehendisse nos apostolos et interpretes, quos tantum putabamus unquam reprehendendos, quantum nunc putamus veritatis vituperatores laudandos. Diximus namque quia interpretes divinorum voluminum vel expositores non curarunt omnino tenere indeclinabiliter regulam grammaticæ artis; quod utique neque imperitia, neque malitia fecerunt, sed ratione condescensionis; ut sicut usus sanctæ Scripturæ est verbis condescendere humanis, quatenus vim ineffabilis rei humano more loquens, ad notitiam hominum deduceret, et mysteria insolita solitis ostenderet rebus; ita et interpretes ejus eam sequendo, illud studuerunt summopere transferre, unde manifestiorem sensum legentibus præberent, etiam si contra grammaticam esset eatenus, ut sacramento rei concordaret. Et ita hoc ad nostram sumpsimus defensionem, ut sicut illos qui poterant, si voluissent, omnia secundum disciplinam grammaticam proferre, sed ut nobis condescenderent, et simplicitatem veritatis non desererent, non sunt veriti aliqua contra eamdem disciplinam loqui, reprehendere nullus debet; ita nobis omnino debet parcere, qui etiamsi velimus omnia secundum grammaticam loqui, non possumus, si tamen fidem rectam et sensum catholicum tenemus, in hisque verbis quibus possumus dicimus, sicut et vos [a] testimonio Prisciani ostenditis, qui dixit: « Nihil enim ex omni parte perfectum in humanis credo esse inventionibus posse. »

VIII. Assumpsistis grandem laborem, non necessarium, quasi defendentes evangelistam, vel interpretem, quod non frustra vel evangelista ediderit vel interpres transtulerit plurali numero sanguines, secundum quod certa ratio postulavit: quam rem non solum non reprehendimus, sed neque ab impiis audivimus unquam reprehensam. Et cum in hac defensione tantopere laboraveritis, nihil nobis vestro labore innotuistis. Jam enim legeramus sanctos doctores ita exposuisse, quod interpres ideo plurali numero sanguines in hoc loco transtulit, quia sensum evangelistæ, quem ille in Græco edidit, hoc in Latino transferre aliter non potuit; non sicut vos dicitis propterea fecit, quia in Græco pluraliter invenit. Nam sunt multa nomina quæ in Hebræo vel Græco alterius generis aut numeri esse inveniuntur, non ejus cujus sunt in Latinum. Nec tamen interpres eodem genere quo invenit, transferre curavit, quia nulla necessitas compulit. Sicut, verbi gratia, *Spiritus* apud Hebræos, genere dicitur feminino, et cum sit in Latino generis masculini, nullus interpretum Hebraicum sequens genere feminino in Latino ponere tentavit, etiam cum necessitas posceret. Nam invenitur in Scripturis ubi Spiritus sanctus
A per genus femininum significatur, nec tamen a Latinis feminino genere dicitur. Peccatum quoque in Hebræo generis masculini est, in Græco feminini, in Latino neutri; et cum in Scripturis multis rebus significetur, nullus tamen Latinorum genus ejus mutavit, quia nec aliqua utilitas postulavit. Hæc idcirco diximus, quia vos dicitis propterea interpretem sanguines plurali numero transtulisse, quia apud Græcos pluraliter effertur; cum non ita sit. Sive interpretes, sive expositores divinorum eloquiorum, ut integritatem sensus ostenderent, contra grammaticam loqui non timuerunt: quos non solum non reprehendimus, verum etiam per eos a reprehensione defendi cupimus. Quia sicut illi laudandi sunt in verbis contra grammaticam prolatis, ita nos
B tolerandi: quia illi divites in verbis, sicut voluerunt, dixerunt; nos vero pauperes, ut possumus per angustias verborum tenuiter ea quæ volumus significamus. Et si illorum filii sumus, et ab eorum sensu et fide non erramus: quod in illis amatur, in nobis toleretur; atque is cui loquimur sensum attendat, non verba, ut audiat consilium Apostoli dicentis: *Noli verbis contendere.* Et: *Ne sit languens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ.*

IX. Illud vero quod post verba doctorum verbis vestris subjunxistis: « Ita igitur hoc uno modo apostoli et evangelistæ et totius divinæ Scripturæ interpretes, cum catholicis ejus expositoribus, ab impe-
C ritiæ calumnia rationabiliter defendi queunt. Nihil enim omnino contra regulam grammaticæ dixerunt, quod non ita aut ratio aliqua, aut causa mysterii dici exigeret. » Ab his verbis vestris multum ecclesiastici doctores dissonant. Exiguitati nostræ videtur quod neque vos neque nos de hac re aliquid sentire aut dicere debemus, nisi ea quæ orthodoxos magistros sensisse aut dixisse legimus. Ista tamen inconcussa et firma auctoritas illorum auctorum est, per quos Spiritus sanctus Novi et Veteris Testamenti volumina confecit; de quibus nulli unquam homini licuit aut licet cogitare vel unam litteram aliter eos dicere debuisse quam dixerunt, quoniam eorum auctoritas firmior est cœlo ac terra, secun-
D dum quod Dominus ait: *Facilius est cœlum et terram transire, quam de lege unum apicem cadere.* Post hos quoque firma auctoritas est Septuaginta Interpretum, quos constat ante adventum Domini de Hebraico in Græcum eloquium Vetus Testamentum transtulisse. Interpretis quoque nostri Hieronymi presbyteri fidelis est editio, quæ de Hebraico in Latinum magnifice transtulit. Fuerunt præterea aliqui venerandi catholici interpretes Latini, qui Septuaginta editionem in Latinum transtulerunt eloquium. Extra hos itaque multi fuerunt interpretes reprehensibiles, et juste reprehensi; sicut illi famosissimi

BALUZII NOTÆ.

[a] *Testimonio Prisciani*, insignis grammatici, qui manibus eruditorum hominum maxime terebatur per eas tempestates. Hunc porro locum laudat etiam Lupus Ferrariensis in epistola 34, et in libro de tribus quæstionibus, pag. 235.

interpretes judaizantes, et hæretici, [a] Aquila scilicet, et Theodotio, ac Symmachus; ex quibus unus fecit duas editiones inter se dissonantes. Fuerunt etiam Latini aliqui, quos Hieronymus presbyter reprehendit in illis utique præfationibus, quas præposuit libris quos de Græcis in Latinum aut transtulit, aut emendavit; sicut in illa præfatione quam juxta Græcam emendationem in libro beati Job fecit, asserens quod idem liber apud Latinos ita erat decurtatus, conrosusque, ut fœditatem suam publice legentibus ostenderet. Sic etiam in aliis locis quosdam reprehendit interpretes.

X. Hæc de interpretibus idcirco ita dicimus, quia magistri speciales non omnes æqualiter receperunt, aut indifferenter laudaverunt, sicut vos facere videmini, neque omnibus æqualiter fidem adhibuerunt. De expositoribus quoque multo aliter quam vos dicitis, beatus Pater Augustinus tenendum tradidit: qui non solum de illis qui reprehensi sunt a doctoribus, etiam de probatissimis, in libro quem adversus Faustum Manichæum scripsit, ita dicit: « Quod genus litterarum, id est, expositionum, non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate legendum est. Soli namque divinæ auctoritatis libri legendi sunt, non cum judicandi libertate, sed cum credendi necessitate. Quam formam Apostolus tradidit dicens: *Spiritum nolite exstinguere, prophetias nolite spernere, omnia autem probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos*. In hoc loco apostolus Paulus prophetias dixit doctrinas et expositiones doctorum, sicut alibi insinuat dicens: *Prophetæ duo aut tres dicant, et cæteri dijudicent* (*I Cor.* XIV, 29). Non illam prophetiam de qua apostolus Petrus ait: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* »

XI. Hæc omnia idcirco dicimus, ut appareat quia quam injuste a vobis criminamur, cum dicitis nos reprehensores apostolorum et divinarum Scripturarum esse, tam injuste vel potius [b] multo injustius quoscunque interpretes atque expositores coæquatis apostolis et evangelistis, cum Symmachum et Paulum et Dydimum et Joannem una defensione indifferentique laude dignos ducitis. Bonum est recordari verborum Domini, quibus ait: *Nonne si recte offeras, et non recte dijudicas peccasti?* Qui enim recte credit catholicam fidem, recte videtur offerre. Sed si quibuscunque doctoribus aut interpretibus cum apostolis et evangelistis æqualem venerationem tribuit, non recte dividit, atque ideo peccat.

XII. Post illa quæ superius dicta sunt verba nostra, addidistis dicentes: « Turpe est enim credere Spiritum sanctum, qui omnium gentium linguas

A mentibus apostolorum infudit, rusticitatem potius per eos quam nobilitatem uniuscujusque linguæ locutum esse. » Hæc qua intentione dixeritis, nullus eorum qui otiosa loqui timent, intelligent; nisi forte hoc etiam nobis crimen superadditis, quasi rusticitatis reprehendamus Spiritum sanctum. Quod si ita est, id est, tali intentione ista dicitis, quid ad hæc respondere possimus, nisi: Ipse occultorum cognitor, cordium testis, scrutator renum, omnipotens Deus videat, et audiat. Extra hoc autem quod tale sacrilegium nobis impingere videmini, apparet etiam in his verbis vestris quod ita sentiatis de prophetis et apostolis, ut non solum sensum prædicationis, et modos vel argumenta dictionum Spiritus sanctus eis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba ex-
B trinsecus in ora illorum ipse formaverit. Quod si ita sentitis, quanta absurditas sequetur quis dinumerare poterit? Et in primis quidem, ut caute scientiæ vestræ loquamur, recordamini quid Moyses Domino dicat, cum se excusaret ne ad Pharaonem mitteretur, asserens se gracilis esse vocis et impeditioris linguæ. Cui Dominus nequaquam respondit, Mentiris; sed annuens obsecranti, ait: *Ecce Aaron frater tuus, scio quod eloquens sit: ipse erit propheta tuus: tu loqueris ad eum, et ille loquetur ad Pharaonem.* Attendite quia si secundum vos ipsa verba corporalia in ore Moysi sonantia ejus erant, et vox quæ sonabat, quare ergo gracilis vox? quare ergo impeditior sermo? Aaron erat propheta Moysi, Moyses propheta Dei. Quare ergo robustior vox et expeditior
C sermo in propheta Moysi quam in propheta Dei? Nunquid et hoc vitium, gracilitatem scilicet vocis, et linguæ impeditionem Spiritui sancto tribuetis? Restat ergo ut sicut ministerio angelico vox articulata formata est in ore asinæ, ita dicatis formari in ore prophetarum. Et tunc talis etiam absurditas sequetur, ut si tali modo verba et voces verborum acceperunt, sensum ignorarent. Sed absit talia deliramenta cogitare. Nos si de eloquentia Pauli apostoli aliquid diximus, verba Hieronymi doctoris posuimus, quibus in quodam loco ait: « Qui putant Paulum juxta humilitatem, et non vere dixisse, *Et si imperitus sum sermone, non tamen scientia*, defendant hujus loci consequentiam. » Et iterum: « Si vero qui potest etiam juxta sermonis eloquia contextum
D docere Apostolum fuisse perfectum, et in artis grammaticæ vitia non incurrisse, ille potius auscultandus est. Nos quotiescunque solœcismos aut tale quid adnotamus, non Apostolum pulsamus, ut malivoli criminantur, sed magis Apostoli assertores sumus; quod Hebræus ex Hebræis absque rhetorici sermonis nitore, verborum compositione, et eloquii venustate, nunquam ad fidem Christi totum mundum transdu-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Aquila.* Carolus Magnus in Capitulari de non adorandis imaginibus lib. I, cap. 13: « Nova post septuaginta interpretes, Theodotionem et Symmachum et Aquilam, sive etiam beatum Hieronymum, legis quæratur translatio. » De Theodotione porro, qua ætate vixerit, videndus vir clariss. Henricus Valesius in annotationibus ad Eusebium lib. V, cap. 8 Hist. Eccles.

[b] *Multo injustius.* Sic legi debere admonuit Massonus in erratis: prorsus bene. Nam in codice ms. diserte scriptum est, *multos injustos*.

cere valuisset, nisi evangelizasset eum non in sapientia verbi, sed in virtute Dei.» Qui etiam in præfationibus Isaiæ, Jeremiæ et Ezechielis, quid de differentia locutionis prophetarum eorum dixerit, diligenter perpendite; et invenietis nobilitatem divini eloquii, non secundum vestram assertionem, more philosophorum, in tumore et pompa esse verborum, sed in virtute sententiarum, secundum quod ipse Apostolus ait : *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* [a] Isaias quoque propheta populum dicit esse alti sermonis, ita ut non possit intelligi disertitudo linguæ ejus, in quo nulla est sapientia. Et Dominus ad Ezechielem dicit : *Non enim ad populum profundi sermonis et ignotæ linguæ tu mitteris, quorum non possis audire sermonem.* Ex quibus patet nobilitatem sacræ Scripturæ, non secundum philosophos in disertitudine esse verborum, in quo nulla est sapientia, sed in potentia et astutia sensuum, atque virtute sententiarum; sicut Apostolus ostendit, dicens : *Arma militiæ nostræ, non carnalia, sed potentia Dei ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Et iterum : *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.* Et rursum post aliqua : *Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non per sublimitatem sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi.* Et iterum : *Sapientiam loquimur inter perfectos; sapientiam non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* Et post pauca : *Quæ et loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus.*

XIII. Ecce quia laus divinæ sapientiæ in sacris mysteriis et in doctrina spiritus invenitur, non in adinventionibus verborum. Vos sumpsistis testimonia beati Augustini multa de laude Scripturæ; sed non illo modo vos laudatis, quo laudavit Augustinus, aut Hieronymus, Ambrosius, atque Gregorius. Nam illi majestatem divinæ locutionis admirantes, sed rem ineffabilem fando non explicantes, oppressi gloria in laude ejus succubuerunt, cum magis admirando sufficerent, quam loquendo. Vos sic laudatis, ut laude vestra magis minoretur, quam augeatur : quoniam in his quæ extrinsecus sunt, dicitis nobilitatem linguarum ministrasse Apostolis Spiritum sanctum, ut confuse et indifferenter cum apostolis omnes interpretes et quoscunque expositores laudetis et defendatis. Nam si, secundum vos, omnibus auctoribus divinorum librorum exteriorem nobilitatem æqualiter ministravit Spiritus sanctus; quare unus Apostolus, id est Paulus, disertior invenitur in Hebraica lingua quam in Græca, sicut prædictus Hieronymus in præfatione Epistolæ quæ ad Hebræos

A prætitulatur scribit, dicens : «Non est sane mirum si eloquentior videatur in proprio, id est Hebræo, quam in peregrino, id est Græco sermone, quo cæteræ Epistolæ sunt scriptæ.» Ecce habes disertiorem Paulum in una epistola quam in cæteris. Sed tamen ipse cæteræ epistolæ, licet in sermone minus ab illa aliquid habere videantur, tamen in arcanis sensibus, secretis mysteriis ac figuris locutionum, in quibus omnem sapientiam hujus mundi incomparabiliter superant, minoris virtutis non sunt.

XIV. Post multas et graves calumnias, quas nobis inflixistis, dicentes nos divinæ locutionis reprehensores, defenditis bene vos dixisse, *Anima quando ad corpus pervenit;* et sumitis testimonia de Scripturis dicentes : *Spiritus redeat ad eum qui dedit illum*
B (*Eccl.* xii, 7). Et : *Revertatur anima pueri intra eum* (*III Reg.* xvii, 21. Quæ testimonia nullatenus congruunt rei cui defendendæ adhibentur. Quis enim ignorat animam semel a Deo creatam, substantiam esse deinceps, et æternam, atque in sua substantia immortalem? ac per hoc, post solutionem corporis, posse ad eum redire justam, et deorsum descendere injustam, et intra corpus reverti ad hanc vitam resuscitandam? Hæc de animabus a corporibus jam solutis fieri nullus ignorat. Sed nos hoc reprehendimus quod vos de animabus corporibus infundendis dixistis : *Anima quando ad corpus pervenit.* Quasi noveritis de qua regione adveniat, aut forsitan nostis in qua regione jaceat illa incognita materies, unde animas dicitis creari in vacuo, super quem aquilo
C extensus est, aut in interioribus austri, vel forsitan in ortu solis aut occasu, aut unde dicitis anima pervenire : utique inde pervenire possunt, ubi creantur, ut ad corpora transmittantur. Sed cum dicitis eas pervenire, non ipsis eas corporibus creatas creditis, sed longe alicubi. Et inquisivimus a vobis utrum in cœlestibus an in aliqua parte mundi sit ipse locus, vel extra mundum. Sed de hoc sit ut vultis, tantum ut cujuscunque testimonium cum Augustino altercantis tanquam ejusdem Augustini non nobis opponatis. Nos tamen illud præcipue tenendum putamus, quod divina Scriptura de hac re docet, dicens : *Quomodo nescis quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.* Eccle-
D siastici quoque doctores in suis dogmatibus fidem tenendam docuerunt, animam non esse partem divinæ substantiæ vel naturæ, nec esse eam prius quam corpori misceatur; sed tunc eam creari quando et corpus creatur, cui admisceri videtur. Philosophorum sententiæ dicunt esse animam prius quam nascatur in corpore : quod verum esse nullis approbatur indiciis : nam utrum ante fuissemus, nec ipsi novimus, nec quis hominum dicat habemus. Non est ergo quærendum quod quærendum magis est irridendum.

BALUZII NOTÆ.

[a] *Isaias quoque propheta.* In ms. itemque in editione Massoni scriptum erat *Isaias quoque philosophus*, etc. Itaque cum constaret vitium esse librarii, non vero Agobardi, locum illum libere correximus.

XV. Deinde interrogastis nos, utrum aliud sit A Deus, aliud veritas, ita ut Deus ipse veritas non sit. Hanc vestram interrogationem in tantum miramur, ut putemus vos illam jocando et ridendo dictasse. Quis audivit talem interrogationem? Nunquid si aliud aliquid veritas fuerit, jam Deus veritas non erit? Dicite vos, si ubicunque in sacris Scripturis veritas nominatur, semper Deus intelligendus est? Certe nos dicimus frequenter in Scripturis nominari veritatem, quæ contraria est mendacio; sicut etiam solet nominari charitas hominum, dilectio, quæ contraria est odio, et concordia, quæ opposita est discordiæ. Ergo ubi Paulus ait: *Veritatem dico in Christo Jesu, non mentior*, sic intelligitis, quasi diceret, Deum dico, aut Christum dico, in Christo Jesu. Aut ubi ait: *Deponentes mendacium,* B *loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*, ipsum Deum intelligitis veritatem. Et iterum, ubi scriptum est: *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.* Et iterum: *Labium veritatis firmum erit.* Et rursum: *Qui loquitur veritatem in corde suo.* In Jeremia quoque: *Omnis amicus fraudulenter incedet, et veritatem non loquetur.* Et Oseæ: *Non est enim veritas, et non est justitia, et non est misericordia Dei in terra.* Et in Zacharia: *Veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris.* Nunquid sic intelligi poterit, quasi diceret, Deum judicate in portis vestris? Ecce habes in Scripturis frequenter dici veritatem, non pro ipso Deo, sed pro illa virtute quæ opposita est injustitiæ C et falsitati. Attamen non sicut vos vultis, ut Deus ipse veritas non sit, sed potius ut et Deus veritas sit.

XVI. Deinde vero cum vestris syllogismis affirmare nitimini, Christianos non fuisse omnes sanctos patriarchas et prophetas, reges et sacerdotes, in Veteri Testamento, dicentes nobis: « Si eos Christianos dicendo, eos esse affirmare vultis, multum est absurdum ut Christiani essent priusquam Christus. » Ecce quibus verbis negatis sanctos Veteris Testamenti Christianos fuisse. Sed multo pejus negatis illo tempore non esse Christum. Credite, venerabilis magister, quia si dixissetis: « Non dicebantur Christiani, » parva forsitan esset blasphemia. Cum autem dicitis, *Non erant Christiani*, injuste D tantam multitudinem sanctorum blasphematis. Simili etiam modo si de Domino Jesu Christo diceretis, « Necdum ab omnibus fidelibus manifeste vocabatur Christus, » tolerabile esset. At cum dicitis, *Non erat Christus*, tam grandis blasphemiæ est, ut non multum distet ab illa Pauli Samosateni prædicatione.

XVII. Deinde subjungitis, quasi exhortantes nos ac dicentes: « Sed quomodo nondum erat Christus? » Legitis librum supradicti beati Patris Augustini, capitulo 6, et ponitis ipsum capitulum, multo alium sensum continentem quam vos sentitis. In illo enim capitulo scriptum est: « Cum ergo Christi nomen ex eo illi sit quod scriptum est, *Unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis.* Unde ad id quod homo factus est, pertinet, id est, quod formam servi accipiens, habitu est inventus ut homo, qui utique habitus cœpit ex tempore: de ipso tamen eodemque Christo dictum est, cum in forma Dei esset. » Et post pauca: « Nondum ergo erat Christus quod esse cœpit, cum semetipsum exinanivit, non formam Dei amittens, sed formam servi accipiens. » Ecce verba beati Augustini, de quibus vos vultis affirmare Deum Verbum Christi nomen prius non habuisse quam caro factum est, cum e contrario Augustinus in prædicta sententia dicat: *De ipso tamen eodemque Christo dictum est: Cum in forma Dei esset.* Ecce habes Christum in forma Dei esse, deinde formam servi accepisse: quam utique antequam acciperet, nondum erat filius hominis, sed Filius Dei, tamen Christus. Iterum Augustinus dicit: « Nondum ergo erat Christus quod cœpit esse, cum semetipsum exinanivit. » Ecce et hic Christus dicitur, qui nondum erat hoc quod esse cœpit, cum semetipsum exinanivit, id est homo. Nam quid aliud esse cœpit, nisi homo, cum formam servi accepit? Certe Augustinus non ait: *Non erat Christus qui esse cœpit*; sed, *Non erat quod esse cœpit.*

XVIII. Nam si Christus ante Mariam non erat, quid est quod Apostolus ait: *Christus Jesus heri et hodie, ipse et in sæcula* (*Hebr.*, XIII, 8)? Si Christus non erat, et sancti Veteris Testamenti non erant Christiani; quare iterum Apostolus dicit: *Memores estote quod aliquando vos gentes in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta; quia eratis illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in mundo* (*Ephes.* II, 11, 12). Ecce Apostolus docet gentes sine Christo fuisse illo tempore, quando promissionis spem habebat Israel. Et quid est dicere: *Eratis sine Christo, alienati a conversatione Israel*, nisi oblique demonstrare, non fuisse sine Christo Israel tempore promissionis? Si Christus non erat, neque Christiani; cur idem Apostolus de Moyse dicit: *Negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jocunditatem; majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem* (*Hebr.* XI, 24, 25). Si sub lege positi Christum et boni non coluerunt, et mali non tentaverunt, cur iterum dicit de colentibus eum: *Bibebant de spiritali consequenti eos petra. Petra autem erat Christus.* De tentantibus vero: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt.* Nam ut noveritis sub lege non solum Christianos, sed etiam filios Christi fuisse, audite iterum Apostolum: *Decebat enim*, inquit, *eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passiones consummari.* Anna mater Samuelis orans in templo dicit: *Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui.* Et hoc et in illo tempore

quo necdum erat rex in Israel, et antequam ungeretur vel etiam nasceretur Saul, quem dignum elegistis ad negandos Christianos. De David scriptum est : *Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psalmista Israel.* Ipse David ait : *Magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam Christo suo.* Eman quoque ait : *Tu vero repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum.* Habacuc dicit : *Egressus es in salute populi tui, in salute cum Christo tuo.* Jeremias deplorat dicens : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.*

XIX. Deinde subjungitis, dicentes : « Non ergo omnis chrismate unctus, Christianus dicendus est. Potius enim illi Christi quam Christiani dicebantur, ut illud in Psalmis : *Nolite tangere christos meos.* » In his verbis vestris negatis unctos, id est, reges et pontifices, fuisse Christianos; et ponitis testimonium psalmi, quod non de pontificibus, aut regibus, sed tantum de patriarchis, Abraham scilicet, Isaac, et Jacob, Scriptura dicit : *Ipsi enim transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum,* id est de Chaldæa in Mesopotomiam, deinde in terram Chanaan, et Ægyptum, ac rursum in Gerare. Pro ipsis correpti sunt reges, Abimelech scilicet, Pharao Hemor, et Sichem, et alii. Super ipsis præcepit Dominus, *Nolite tangere christos meos,* dicens non tam verbis, quam certitudine defensionis. Ecce habetis christos dictos patriarchas, quos nulla omnino corporali unctione probare poteritis fuisse unctos. Unde ergo christi, si non uncti? Quia dicitis, *Ergo illi erant ab unctione multi christi*, cum nunquam legatis vel plures simul fuisse reges, nec duo simul pontifices illo tempore. Nam quod reges et pontifices ungebantur, non aliter, nisi uno decedente, unus succedens ungebatur in figura unius veri Christi : et hi quidem dicebantur christi.

XX. Sed nos de patriarchis interrogamus, quomodo eos creditis sine visibili chrismate, absque aqua baptismatis, sed unctos invisibili tantum et spiritali chrismate? Similiter in Veteri Testamento, non solum omnes sanctos patriarchas, sed et multos etiam in gentilitate positos credimus invisibili chrismate unctos; per quam unctionem membra Christi et unum corpus cum omnibus ad æternam vitam prædestinatis fierent. Unde et Apostolus, cum enumerasset omnia dona gratiarum quæ per Spiritum sanctum tam Veteris Testamenti fidelibus quam Novi distributa sunt, subjunxit : *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi, et omnes in uno Spiritu* [a] *potati sumus.* Hoc Spiritu uncti sunt patriarchæ, hoc [b] multi martyres, qui sine baptismate corporali ad vitam æternam transierunt. Qui omnes quomodo unum corpus baptizati sunt, patriarchæ scilicet et martyres, cum cæteris fidelibus Veteris et Novi Testamenti, et in uno spiritu, audi iterum eumdem Apostolum dicentem : *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt.* Quem potum? Illum quem in superiori sententia præmisit, *uno spiritu potati sumus :* et quam escam spiritalem, nisi participationem corporis Christi? Denique Apostolus dicit : *Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis.* Et vos dicitis, quia Abraham non fuit Christianus, cum nos Christiani esse non possimus, nisi efficiamur semen Abrahæ? Apostolus dicit : *Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus, qui est Christus.* Et vos dicitis Abraham fuisse sine Christo. Apostolus ait : *Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Et iterum : *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.* Et vos dicitis tam diversa benedictione Abraham et nos benedictos, etiam diverso spiritu unctos, ut ille Christus potuerit esse, non Christianus, nosque Christiani possimus esse, non Christus.

XXI. Apostolus dicit quia Deus Pater omnipotens omnia subjecit sub pedibus Filii sui Domini Jesu Christi, *et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus qui omnia*

BALUZII NOTÆ.

[a] *Potati sumus.* Locus est Pauli ex epistola prima ad Corinthios. Et in contextu Pauli (prout etiam laudat Agobardus in capite 37 libri adversus Felicem, et in cap. 7 libri de Modo Regiminis Ecclesiastici, itemque in capite 7 Sermonis Exhortatorii ad plebem) legitur, *et omnes in uno Spiritu potati sumus.* In codice tamen regio, et in editione Massoni, legitur, *et omnes in uno Spiritu baptizati sumus :* quod mutari debere visum est. Nam paulo post Agobardus, replicans locum illum, ac petens quinam potus sit ille, ait : *uno Spiritu potati sumus.*

[b] *Multi martyres.* Sentiebat ergo Agobardus, eos qui pro nomine Christi contumeliam mortis passi erant, recta in cœlum ferri, tametsi baptizati non fuissent. Eadem fuit sententia vetusti scriptoris libri de Singularitate Clericorum, qui vulgo tribui solet Cypriano. « Ideo enim martyrium, inquit, appellatur tam corona quam baptisma, quia baptizat pariter et coronat. » Item Alcuini in Confessione fidei lib. III, c. 28 : « Nullum autem catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam habere æternam dicimus; excepto martyrio, ubi tota baptismi sacramenta complentur. Sanguine enim, vel igne, vel pœnis aliis baptizantur confessores, » Vetus quoque scriptor supra laudatus, atque hactenus ineditus, in Confessione fidei . « Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credamus; excepto martyrio, ubi tota baptismi sacramenta complentur. Baptizandus confitetur fidem suam coram sacerdote, et interrogatus respondet. Hoc et martyr coram persecutore facit, qui et confitetur fidem, et interrogatus respondet. Ille post confessionem vel aspergitur aqua, vel tinguitur; et hic vel aspergitur sanguine, vel tinguitur igne. Ille manus impositione pontificis accipit Spiritum sanctum, hic habitaculum efficitur Spiritus sancti. »

*in omnibus adimpletur.* Et iterum: *Ipse est enim pax* A *nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ, solvens inimicitiam in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliens ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitiam in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, et pacem his qui prope; quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* Et B quare hanc Ecclesiam, hoc corpus, quod est plenitudo capitis, hoc unum, quod ex utraque fecit, hos conditos in semetipso, hos ambos reconciliatos in uno corpore Deo per crucem, hanc ædificationem constructam, hoc templum sanctum in Domino, hoc habitaculum Dei in spiritu, vultis ita dividere, ut aliud illi fuerint, aliud nos simus? Quid ergo profuit quod per caput habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem, si nullam communionem habet radix olivæ cum oleastro sibi inserto? Tribus Ruben, et tribus Gad, ac dimidia tribus Manasse, propterea construxerunt altare ultra Jordanem, quia jam timebant vos, ne diceretis illis, cum Jordanem transissent: Non pertinetis ad nos, [a] non estis Christiani, sine Christo estis; quia necdum erat C Christus. Nihil omnino differt aliud inter illos et nos, nisi quia sacramenta salutis quæ per mediatorem operata sunt propter nos et propter illos, nos salvant præterita, illos futura, quia quæ nos credimus et tenemus præterita, illi crediderunt ac tenuerunt futura; et illi in sola conscientia et figuris futurorum, nos etiam in publica professione, votis et annuntiatione præteritarum rerum cum significatione tractabilium sacramentorum; sicut et illi duo qui unum botrum in falango portabant, unum opus faciebant indifferenter, nisi quia eumdem botrum, unus post dorsum, alter ante faciem habebant; sicut et illi qui præcedentes, et sequentes, Domino intranti Hierusalem clamant Osanna.

XXII. Si quis autem ad hæc objiciendum putaverit illud, quod in Isaia, vel in Apocalypsi, nomen novum dicitur, quod procul dubio Christianum intelligitur; sciat sanctos doctores ita intellexisse, ut novum dicatur, propterea quia nuper dispersum, non quia nuper inventum; ac per hoc non novella vel nuper exorta est Christianorum religio, sed ab ipsa mundi origine descendens, eodem Christo doctore et institutore. Nam inde ab initio speciem formamque suspiciens. Porro de unitate fidelium Veteris ac Novi Testamenti beatus Hieronymus dicit: « Quo modo enim omnes in protoplasto Adam necdum nati moriuntur; ita omnes, etiam hi qui ante adventum Christi nati sunt, in secundo Adam vivificantur: atque ita fit ut et nos legi servierimus in patribus, et illi gratia salventur in filiis. » Iste intellectus Ecclesiæ catholicæ convenit, quæ Veteris et Novi Testamenti unam asserit providentiam, nec distinguit in tempore quos conditione sociavit. Omnes ædificati simus super fundamentum apostolorum et prophetarum, continente nos angulari lapide Jesu Christo Domino nostro, qui fecit utraque unum, et medium parietem dissipans, inimicitiam utriusque populi in sua carne destruxit, et antiquæ legis difficultatem evangelicorum dogmatum integritate mutavit. Vere in Christo unus panis sumus, et duo consensimus super terram; et quomodo nos super prophetas fundati sumus, ita et patriarchæ jam apostolorum fundamine constiterunt. De Domino quoque Jesu Christo prædictus doctor ait: « Postquam ob nostram salutem de Virginis utero dignatus est nasci, Dei et hominum homo Christus Jesus sequester est dictus. » Antequam vero hominum corpus assumeret, et esset apud Patrem et omnes sanctos quos Scriptura commemorat, sine additamento hominis, quem necdum assumpserat, mediator tantummodo nuncupatur. Ipse quippe pretioso sanguine suo et nos et illos, patriarchas scilicet et prophetas, de maledicto legis redemit. Omnes enim ex fide Christi justificati sunt. Siquidem Abraham vidit diem Christi, et lætatus est; et Moyses majores divitias æstimavit thesauro Ægyptiorum, improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem.

BALUZII NOTÆ.

[a] *Non estis Christiani.* Hic Fredegisum graviter D refellit Agobardus, quod dixerit patriarchas Veteris Testamenti non fuisse Christianos. Et consentaneos habet Agobardus Justinum martyrem et Augustinum, quos laudat Baronius in initio Apparatus ad Annales Ecclesiasticos. Vide librum adversus Amalarium cap. 15.

# EPISTOLA AD PROCERES PALATII

## CONTRA PRÆCEPTUM IMPIUM DE BAPTISMO JUDAICORUM MANCIPIORUM.

Dominis et sanctissimis, beatissimis, viris illustribus [a], Hilduino sacri palatii antistiti [*Al.*, archica-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Hilduino sacri palatii antistiti,* id est, archicapellano, vel summo capellano, quo modo vocatur in præcepto Ludovici Pii pro Hildebaldo episcopo Matisconensi, quod exstat in bibliotheca Cluniacensi.

pellano], et [a] Walæ abbati, Agobardus servulus.

Noverit mansuetudo vestra prudentissima idcirco me ad utrumque præsumpsisse quæ sequuntur scribere, quoniam absque ambiguo vos novi præcipuos et pene solos in via Dei esse adjutores [b] Christianissimi imperatoris, et propterea in palatio esse [c] unum semper, et [d] alterum frequenter, ut in operibus pietatis quæ absque omni errore quærenda, invenienda, tenenda sunt, vos illi prudentissimis vestris suggestionibus sitis exhortatores et, ut dixi, adjutores. Scripsi sinceritati vestræ singulos breves indiculos, significans vobis quamdam feminam ex Judaismo ad Christianismum gratia Christi translatam, graves persecutiones sustinere propter fidem quam suscepit Christi, quas per ipsius feminæ breviculum potestis cognoscere: in qua re tam excellens eleemosyna vobis manet, ut de nulla alia possit esse major. Nunc autem causam hujus persecutionis, quæ et fomes impii erroris esse potest, me vobis significante cognoscere dignamini. Quoddam præceptum Judæi circumferunt, quod sibi datum ab imperatore gloriantur, in quo continetur [e] ut mancipium Judaicum absque voluntate domini sui nemo baptizet. Quod a nobis omnino non creditur, ut a facie Christianissimi et piissimi imperatoris tam contraria ecclesiasticæ regulæ sit egressa sententia. Novit enim optime Deo amabilis prudentia vestra, quomodo ab initio sanctis apostolis super hac re ab ipsa Veritate præceptum sit, quibus absque ulla discretione personarum, absque ulla exceptione conditionum, generaliter dictum est: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Et iterum: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Quod et illi et omnes deinceps ecclesiastici rectores omni fide et constantia observantes, non solum servos quorumlibet hominum, verum etiam conjuges et soboles imperatorum et consulum, et prædicando ad fidem convertere, et conversos nullius exspectata licentia baptizare minime dubitarunt. Quod cum in aliorum gestis facile sit recognoscere,

A præcipue in apostolicis litteris omni luce clarius demonstratur. Legimus namque in fine Epistolæ ad Philippenses (IV, 22) ita: *Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt.* Quem impiissimum Neronem fuisse nemo quis dubitet; cujus domesticos et ministros aulæ regiæ nullus ambigit prædicatione apostolica conversos, nunquam baptismi gratia sanctificari potuisse, si ejus super hac re voluntas aut permissio exspectaretur; qui maximo persecutionis terrore, non solum incredulos, ne ad fidem venirent, deterrebat, sed etiam credentes a fide dejicere insistebat. Unde et ipsos duces ac magistros fidei Christianæ, quorum doctrina totum pene orbem contra sua scita videbat Christi fidei subjugatum, novissima furoris sui atrocitate trucidavit. In epi-
B stola quoque ad Timotheum, postquam pro omnibus hominibus orari et obsecrationes fieri præcepit Apostolus, ad extremum intulit: *Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad cognitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Et ad Titum, postquam senes, et anus, adolescentulas, juvenes, servos, congruis præceptis instruendos esse monstravit, hoc modo conclusit: *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos*, et cætera. Si ergo, ut istis exemplis manifestissime comprobatur, voluntas Dei Salvatoris nostri est omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, et
C per unum mediatorem Dei et hominum, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, reconciliari; si hujus gratia reconciliationis et salutis omnibus indifferenter illuxit, quis tantæ bonitati Dei injuriam facere præsumat, ponendo legem miserationi ejus, et ad arbitrium impiorum eam implorantibus impertiendam constituendo, quorum pertinacissima perfidia non solum neminem suorum ad fidem Christi permittit accedere, sed etiam credentes publice et occulte blasphemare et detestari non cessat? Denique et pie considerantibus perspicuum est quod unus

## BALUZII NOTÆ.

Habebant enim principes nostri in palatio suo quempiam ecclesiastici ordinis virum, qui cæteris præmineret, dictum ob hoc *sacri palatii antistitem;* vel *sacri palatii archiepiscopum*, si episcopus esset. Sic Hildebaldus Coloniensis archiepiscopus vocatur *sacri palatii archiepiscopus* in præfatione concilii apud Moguntiam habiti anno 813: is ipse nimirum Hildebaldus quem in palatio suo habere post Angilramnum cupiit Carolus Magnus, ut patet ex canone 56 concilii Francofordiensis. Antistitem ergo sacri palatii Hilduinum vocat, quod summus esset capellanus, eamdemque ob causam Lupus Ferrariensis hunc ipsum Hilduinum in epistola 101 vocat *ecclesiasticorum magistrum*. Nam abbates, si rerum summam tenerent, prælatos olim fuisse episcopis, etiam in synodis, jam antea adnotavimus ad concilium Vernense. Neque id adeo vetus est, quin et Sugerii quoque ævo in usu fuerit, ut patet ex Vita ejus cap. 2.

[a] *Walæ abbati* Corbeiensi in diœcesi Ambianensi, uti diximus ad librum de Baptismo Judaicorum mancipiorum.

[b] *Christianissimi imperatoris*, Ludovici Pii.

[c] *Unum semper*, id est, Hilduinum. Nam istum necesse erat residere in palatio, propter causas eccle-
D siasticas. Vide quæ de munere archicapellani diximus ad Lupum Ferrariensem.

[d] *Alterum frequenter*, id est, Walam, quo plurimum utebatur Ludovicus in administranda republica, ut patet ex Paschasio Radberto in Vita Adalhardi.

[e] *Ut mancipium Judaicum.* Optimo jure excandescit Agobardus adversus præceptum illud, quod erat contrarium vetustis canonibus et legibus principum. Nam etiam in nostra Gallia concilium primum Matisconense servis potestatem fecerat suscipiendi baptismum, etiam invitis dominis. Et Constantinus Aug. ad Felicem papam scribens, Judæis in universum permisit Christianam religionem amplecti, vetuitque ne propter hoc facinus quidquam a Judæis inquietudinis vel molestiæ patiatur is qui Christo nomen dederit. Itaque probabile Agobardo visum non est, præceptum illud a Ludovico imperatore, qui Pius per antonomasiam dictus est, editum fuisse, quo manifesta contumelia irrogabatur nomini Christiano.

omnipotens Deus, omnium conditor et moderator A justissimus, qui primum hominem de terræ limo formavit, et de costa ejus adjutorium illi similem sibi fecit, quique ex eis omne genus humanum quasi ex uno fonte et una radice propagavit, omnes unius conditionis fecerit. Et licet peccatis exigentibus, justissimo et occultissimo ejus judicio, alii diversis honoribus sublimati, alii servitutis jugo depressi sunt, ita tamen a servis corporale ministerium dominis exhiberi ordinaverit, ut [a] interiorem hominem ad imaginem suam conditum, nulli hominum, nulli angelorum, nulli omnino creaturæ, sed sibi soli voluerit esse subjectum. Unde et in lege sua, de hac mentis servitute, quæ illi tantum debetur, mandavit: *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.* Et Apostolus eumdem interiorem hominem ab omni B sexus diversitate, ab omni conditoris et generis distantia liberum esse demonstrans, ita docet: *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit eum; ubi non est gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus.*

Cum ergo hi qui ad baptismum veniunt, per agnitionem Creatoris in interiore homine qui ab omni servitutis conditione liber est, renoventur; quæ ratio esse potest ut id servi absque permissu dominorum suorum consequi prohibeantur, nec servire eis Deo liceat, nisi licentiam ab hominibus impetraverint? Certe in epistola ad Timotheum idem Apostolus sic C præcepit: *Quicunque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt; sed magis serviant, quia fideles sunt*, et cætera (*I Tim.* VI, 1). In quibus verbis evidenter de omnibus Christianis servis, sed quorum alii fidelibus, alii infidelibus dominis serviebant, loquitur. Et tamen infidelium dominorum servis præcepta constituit: qui tunc utique adhuc infidelitatis vinculo tenerentur obstricti, si in hac re eorum quibus serviebant arbitrium sequerentur. Læsus est Philemon a servo Onesimo, quem Paulus apostolus in vinculis positus ad Christi fidem convertit, sacri baptismatis fonte abluit; nec super his Philemon conqueritur, sed etiam credentem atque baptizatum quasi viscera Apostoli suscipiat admonetur. Quas nos auctoritates sequi cupientes, et præceptum, quod quasi ex imperiali profertur auctoritate, transgredi metuentes, inter duo versamur pericula. Si enim præceptum illud observamus, neglectis ecclesiasticis regulis, Deum offendimus; si has sequimur, imperatoris indignationem veremur; maxime cum [b] magister infidelium Judæorum incessanter nobis comminetur se [c] missos de palatio adducturum, qui pro istiusmodi rebus nos judicent et distringant. Quæ res non solum nobis perturbationem affert; verum etiam eis qui ad fidem facile converti poterant, quantum ingerat impedimentum, vestræ est prudentiæ æstimare. Unde, Patres sanctissimi ac Deo amantissimi, hæc nostra pericula quasi vestra piis animis perpendentes, intercedite apud Christianissimum et clementissimum imperatorem, ut hujusmodi impedimentum de sancta Ecclesia auferatur, et inter multa et maxima quæ piissime et justissime in tradito et conservato sibi a Christo disponit imperio, etiam huic rei propter amorem ipsius Christi misericordissima et solita bonitate succurrat; ne animæ, ex quibus grex fidelium augeri poterat, et pro quarum salutem in diebus passionis Dominicæ ab universali Ecclesia Deo [d] publice supplicatur, obsistente infidelium et Deo adversantium duritia, etiam dicti præcepti occasione diaboli laqueis remaneant implicatæ. Certe in sacris canonibus constitutum, ut si qui ex eis ad baptismum venerint, si voluerit episcopus, vel quilibet fidelium, redimendi eos habeat potestatem (Vide lib. *de Jud. superstit.*, cap. 6). Quod nos libentissime facere cupimus; hoc tantummodo postulantes ut eis veniendi ad fidem facultas libera tribuatur. Nec hoc dicimus quod eis filios vel servos eorum violenter auferendos esse sentiamus, sed ut venientibus ad fidem ab infidelibus licentia non negetur.

BALUZII NOTÆ.

[a] *Inter. hom. ad imaginem suam.* Agobardus ergo similitudinem Dei quæ est in homine, constituit in D anima, non autem in corpore. Vide notas ad epistolam 30 Lupi Ferrariensis et ad librum de Tribus Quæstionibus, pag. 471. Alia fuere Judæorum deliramenta, qui corpus humanum ad imaginem Dei factum putabant, ut Agobardus scribit in libro de Judaicis superstitionibus, cap. 10. Quo loco Massonus adnotavit in margine hæc Judæorum figmenta in Cabala quoque legi.

[b] *Magister inf. Judæorum.* Evrardus. Vide supra in notis ad librum de Baptismo Judaicorum mancipiorum.

[c] *Missos de palatio*, id est, missos dominicos.

[d] *Publice supplicatur*, nimirum pro Judæis, pro quorum conversione singulis annis orat Ecclesia in diebus Passionis Dominicæ, ut ait Agobardus, id est, feria quarta Majoris Hebdomadæ. Exstat enim oratio quæ tum temporis publice a sacerdotibus in Ecclesia recitatur pro hac causa. Rhabanus in libro contra Judæos cap. 4 loquens de Judæis: « Imo et pejores hæreticis, sicut eos Ecclesia catholica esse judicat, quæ in diebus Dominicæ Passionis post hæreticos et schismaticos, et prope paganos, pro eis orat. » Item cap. 59: « Imo eorum veram salutem, pro qua Ecclesia solemniter orare consuevit, veraciter inquirentes, servemus erga eos ecclesiasticam sinceritatem. »

# EPISTOLA AD BARTHOLOMÆUM

### EPISCOPUM NARBONENSEM

## DE QUORUMDAM INLUSIONE SIGNORUM.

I. Reverendissimo ac dilectissimo domino et fratri [a] Bartholomæo episcopo, Agobardus, [b] Hildigisus et [c] Florus, in Domino Jesu Christo sempiternam salutem. Cognovimus sollicitam esse prudentiam vestram, quonam modo accipi debeat illud quod in quodam loco cœperunt fieri quædam percussiones, ita ut caderent quidam, modo epilepticorum, vel eorum quos vulgus dæmoniacos putat, vel nominat. Quod et [d] quidam venerandus frater significavit nobis; maxime [e] in quadam ecclesia ubi cujusdam sancti corpus veneratur, nomine [f] Firmini. Et nunc per vos comperimus adhuc etiam alio genere fieri, ut videantur et sentiantur in corporibus hominum stigmata exustionis, quasi si sulphur arsisse in locis illis contigisset: nec tamen mori aliquem ex his dictum est nobis, nec quemquam alia ante infirmitate languentem curari. Quæ videntes utriusque sexus et diversæ ætatis homines, offerunt in loco, aut, sicut dicitis, locis. Jam enim et in aliis fieri videntur quædam donaria quæ unusquisque potest, aut in auro et argento, vel pecoribus, aut in quibuscunque speciebus, nullius exhortatione, nulla ratione admoniti, sed irrationabili terrore perterriti: quod nobis multum stulte fieri videtur; cum nulla signa sanitatum, nulla spes propitiationis ibidem demonstrentur: propter quod facilius adverti poterat qua esset cautela custodiendum. Et certe sicut verissi- A mum est quod istæ percussiones esse non possunt nisi Deo permittente, ita certissimum nulla alia virtute ministrante, nisi angelo percutiente. Quisnam ita stultus est qui nesciat, et visibiliter et invisibiliter omnipotentem Deum flagellare homines ad eruditionem et conversionem; non solum per homines, sed etiam per bestias, et per minutissima et vilissima quæque animantia? nec tantum per ignitos serpentes, sed et per ranas et muscas, et sciniphas, et locustas: nec tantum per animantia, sed per et inanimata, sicut per grandinem, per flumina, per pluvias, per siccitates. Novit utique prudentia vestra unde loquamur, auctore sancta Scriptura. Sed et si dixerimus leones, crabrones, brucum, erucam, æruginem, devorationem, id est, maledictionem, B (quo uno nomine multa intelligi possunt) eadem auctore erit. Si autem et addiderimus ursos, lupos, sues et cervos silvestres, licet facile de Scripturis monstrari non possit, exempla tamen non decrunt.

II. Quamvis exustiones istæ, super quibus movemini, non multum distent a vesicis turgentibus, vel, sicut alia editio dicit, feruvris Ægyptiis illatis, et illis percussionibus quas Philisthæis irrogatas Samuelis volumen nominatim demonstrat, et ex talibus prominentibus. In quibus omnibus quæ enumerata utique sunt, quis est qui ignorare permittatur, quomodo agere patientes aut audientes debeant, et

### BALUZII NOTÆ.

[a] *Bartholomæo episcopo* Narbonensi post Nibridium. Interfuit autem concilio apud Tolosam habito anno 828, una cum Nothone Arelatensi archiepiscopo, et Agiulfo Bituricensi. Tum circa annum 834 C subscripsit privilegio Aldrici Senonensis archiepiscopi pro monasterio sancti Remigii Senonensis, quod exstat in tomo II Spicilegii Domni Lucæ Dacherii. Postea cum Lotharius Aug. adversus Ludovicum patrem rebellaret, Bartholomæus Lotharii partes fovit; abeunteque Lothario in Italiam anno 834, Bartholomæus, relicta contra sacras regulas sede sua, eum comitatus est, ut Flodoardus tradit lib. II, cap. 20, Historiæ Rhemensis. Mansit ergo Bartholomæus in Italia usque ad annum 844. Tum vero cum Ludovicus Lotharii filius Romam pergeret, mandata patris ad pontificem proceresque Romanos perlaturus de ordinationibus pontificum Romanorum, illuc quoque Ludovicum comitatus est. Et cum is unctus fuisset in regem Langobardorum, Bartholomæus arrepta hac occasione Sergium II pontificem oravit una cum Ebbone Rhemensi « ut eos reconciliare ac pallium eis tribuere dignaretur. Quos etiam idem præsul nec communionem inter clericos dignos esse suscipere dicebat, sed inter communem populum communi- D candi licentiam tantummodo haberent. » Ita enim docet auctor Gestorum Pontificalium ab Hincmaro laudatus in capite 36 posterioris operis adversus Gothescalcum, pag. 326. Itaque dejecto Bartholomæo, Berarius in ejus locum suffectus est: quem Narbone sedisse reperio an. 844, 12 Kal. Julii in præcepto Caroli Calvi regis eo die dato pro ecclesia Narbonensi, cujus partem edidit Catellus, sed quod nos habemus integrum ex authentico descriptum. Cæterum libri sive epistolæ istius ad Bartholomæum Narbonensem episcopum meminit Amulo Lugdunensis in epistola ad Theodboldum Lingonensem.

[b] *Hildigisus.* Hinc constat hunc Hildigisum fuisse ex clero Lugdunensi. Et haud dubie presbyter erat, cum post illum nominetur Florus, qui diaconus tantum fuit.

[c] *Florus.* Diaconus ecclesiæ Lugdunensis, vir, quantum ferebat illa ætas, eruditissimus, editis etiam lucubrationibus clarus: de quibus diximus in notis ad Lupum Ferrariensem. Exstat autem libellus ejusdem Flori de electionibus episcoporum, qui a Massono editus est ad calcem operum Agobardi, quemque nos eam ipsam ob causam prodire voluimus cum eisdem operibus.

[d] *Quidam venerandus frater.* Episcopus nimirum Uceticensis in prima Narbonensi, ut ego quidem arbitror. Sedebat autem tum apud Ucetiam Elefantus, ut patet ex Manuali Duodenæ.

[e] *In quadam ecclesia*, in civitate Uceticensi sita, ut constat ex epistola Amulonis ad Theodboldum, p. 142.

[f] *Firmini*, Uceticensis episcopi, qui an. 540 et 555 in ea cathedra sedit, cujusque meminit Arator subdiaconus in epistola ad Parthenium a Sirmundo edita post notas ad Ennodium. Habemus porro nos Vitam ejus, a viris eruditis laudatam, nondum tamen editam, quam olim Tolosæ descripsimus ex pervetusto codice ms. collegii Fuxensis.

videntes, cum unus sit omnium Dominus, qui flagellat et medetur, percutit et sanat, ducit ad inferos, et reducit? De quo beatus Job confitebatur dicens: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*, cum certe eadem Scriptura dicat: *Percussit eum Satan ulcere pessimo.* Sed licet percussor percusserit, percussorem tamen habens in potestate tetigisse dicitur, non solum in corpore, verum etiam in amissione rerum; sicut idem iterum ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, cum Dominus dixerit ipsi diabolo: *Ecce quæ habet universa, in manu tua sunt.* Sed quia hanc percussor potestatem habere nunquam potest, nisi acceperit ab eo in cujus et ipse potestate est; propterea ipsi tribuenda est potestas qui dat et retinet, permittit et cohibet. Talibus exemplis plenæ sunt Scripturæ, sicut et illud quod legitur de Saule, quod spiritus malus arripuerit eum. In quibus verbis admirabiliter ostendit Scriptura divina et potestatem Domino tribuendam esse, et malitiam diabolo: quam utique non accipit, sed a semetipso habet: quod autem non habet accipit, id est, potestatem.

III. Sed de his non necesse habemus scribere vobis, quoniam habetis multa sublimium doctorum sublimiter dicta. Tamen duo videntur nobis genera vobis significanda, quæ nobis et vobis pariter quærenda putamus. Et unum quidem illud est, quod utrum correptio, an infirmitas, vel potius virtus dicenda sit, nescimus. Hoc tantum in eadem re nos scire putamus, quod nullius adversariæ potestatis ministerio geratur; sicut est de beato Zacharia sacerdote incedente in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela; qui quoniam incredulus fuit promissionis ei factæ a Gabriele archangelo, silentio mulctatus est. Quod et vir desideriorum beatus Daniel fatetur, dicens: *Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ:* unde se dicit postea languisse per dies plurimos. Et beatus Jacob luctans cum angelo, claudus effectus est.

IV. Neque hoc dicimus quasi diabolus in sanctos nulla accepta potestate operetur correptiones, cum Apostolus aperte dicat datum sibi stimulum carnis, angelum Satanæ; sed quia hæ tales excipi possunt a cæteris percussionibus, etiam ab illa qua Maria soror Moysi et Aaron et Osias rex percussi sunt lepra; illa propter peccatum detractionis, ille propter superbiam præsumptionis. Si vero in his, utrum solo Dei nutu, an ministerio angelorum bonorum seu malorum, gesta sint, dubitatur; nescimus utrum ita dubitari possit de Nadab et Abiu, de quibus scriptum est quod egressus ignis a Domino interfecit eos. Cui rei simile videtur de Oza, qui arcam Domini sustentare præsumens, percussus a Domino legitur, et occisus.

V. Sed quia judicia Domini semper justa, frequenter occulta sunt, occultiora adhuc nobis videntur in morte Bethsamitarum: ubi exceptis LXX viris, qui forsitan aut sacrificare aut arcam Domini manibus tractare conati sunt, quinquaginta millia plebis percussi dicuntur a Domino, qui nihil horum fecisse credendi sunt: qui tamen etsi ministerio angeli percutientis interfecti sunt, recte dicuntur a Domino percussi, secundum regulam superius ostensam.

VI. Forsitan similiter dubitet aliquis de duobus quinquagenariis cum quinquagenis suis ad Eliam missis, utrum ministerio angelico sint occisi. Propter quod Scriptura dicit ignem descendisse de cœlo, et devorasse eos. Sed attendat pari modo de beati Job ovibus dictum: *Ignis Dei cecidit de cœlo, et tactas oves puerosque consumpsit:* cum nemo dubitet hoc ministerio Satanæ factum.

VII. Alterum vero genus est, quo in quosdam homines prævalere videtur diabolus, non tam ad percutiendum quam ad illudendum; de quibus multos audivimus et cognovimus a dæmonibus, lapidibus et fustibus cæsos, et in nullo læsos; aliquos tamen et illusos et læsos: in quibus nulla alia causa videtur qua id fiat, nisi aut inanitas fidei, aut delectatio vanitatis: cujus rei exempla facile de Scripturis proferre non possumus: sed tamen nullus pene hominum est qui talia non audierit, vel viderit; cum plerique vano terrore aut vana admiratione attoniti, inanescunt sensu et virtute animi. Novit enim diabolus, ut ait beatus Leo (Serm. 7 *in Nativ. Dom.*), quem mœrore dejiciat, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Unde et Apostolus monet: *Cui resistite fortes in fide.* Qui semper nocendi cupidus est, et cum id se ostendit quod est, et cum se transfigurat in angelum lucis, et veluti quædam sanitatum signa demonstrat. Cui utique in utroque vere resistendum est, ut nec vanos terrores formidemus, nec vanis miraculis delectemur.

VIII. Hæc de duobus quibusdam generibus interposuimus; unum, ubi nihil admixtionis habet ministerium diaboli, sicut de beato Zacharia et Daniele ac Job diximus; alterum, ubi infirmitas fidei, et inanitas rationis, sive exiguitas sensus, in causa est. Libet autem hic adjungere illa magna et horribilia quæ Dominus fieri voluit ad eruditionem fidelium: in quibus docemur etiam diabolum rebellem luminis Deo servire, et ministrum esse divinæ operationis, cum per illum non solum malis, sed et bonis flagella et tribulationes admoventur. Quod enim percussiones impiis et infidelibus per malos angelos, irrogentur, Psalmista de plagis, quibus Ægyptus percussa est, loquens, aperte declarat, dicens: *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem, immissiones per angelos malos* (*Psal.* LXXVII, 49). In libro quoque Ecclesiastici legitur (XXXIX, 33): *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua.* Unde et in libro Tobiæ (III, 8) de Sara filia Raguelis legitur quod *tradita fuerat septem viris, et dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox ut ingressi fuissent ad eam.* De rep

autem impio Achaz in libro Paralipomenon Scriptura testatur, dicens : *Ipse per se rex Achaz immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, et dixit : Dii regum Syriæ auxiliantur eis; quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi :* cum e contrario ipsi fuerint ruina ejus, et universo Israeli. Qui sint autem dii gentium, ostendit Psalmista, cum dicit : *Omnes dii gentium dæmonia.* Apostolus quoque ad Corinthios in Epistola prima : *Quæ immolant*, inquit, *gentes, dæmoniis immolant, et non Deo.*

IX. Quod autem etiam impii et fideles malignis interdum tradantur spiritibus ad percutiendum, historia beati Job luce clarius manifestat : ubi et expeditio Satanæ et Dei permissio aperte describitur, et ad extremum, post damna rerum, post funera filiorum, cum os illius et carnem Dei manu tangi expostulasset, et Dominus permitteret, dicens : *Ecce in manu tua est : verumtamen animam illius serva*, dictum de eo est : *Egressus igitur Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ejus* (*Job* II, 7). Infirmitates quoque et languores, quibus pii vel impii multo tempore affliguntur, per malos angelos inrogari Dominus ostendit in Evangelio : qui cum de muliere, quam spiritum infirmitatis habentem ipse sanaverat, Archisynagogo calumnianti responderet, adjecit post aliqua : *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas ecce octodecim annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?* Hinc est quod beatus Petrus in Actibus apostolorum, cum de mirabilibus Domini loqueretur, ait de eo : *Qui pertransivit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Paulus quoque apostolus Philetum et Hermogenem dicit se tradidisse Satanæ, ut discerent non blasphemare. De eo autem qui uxorem patris sui habebat, Corinthiis ita loquitur : *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu.* Hinc de seipso quod jam commemoravimus ait : *Et ne magnitudo revelatio-*

A *num extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.*

X. Terrores etiam tribulationum per dæmones fieri in libro Sapientiæ legimus : ubi cum narraret Scriptura de percussionibus Ægypti, quas per malos angelos immissas Psalmista demonstrat, ait inter alia : *Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat : quoniam sonitus descendens perturbabat illos, et personæ tristes apparentes, pavorem illis præstabant* (*Sap.* XVII, 4). Unde et Propheta protectionem Dei viro justo promittit, dicens : *Scuto circumdabit te veritas ejus. Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano.* Has itaque adversarias potestates a Deo exspectare
B et desiderare potestatem feriendi et nocendi et Dominus demonstrat in Evangelio, ubi ait discipulis suis . *Hac nocte Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Et Psalmista, cum dicit : *In ipsa*, id est, in nocte, *pertransibunt omnes bestiæ silvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi;* et multis aliis locis divinæ Scripturæ.

XI. Et cum, sicut supra diximus, non semper nec in omnibus diabolus accipiat potestatem, semper tamen habet in omnibus et per omnia omnimodam nocendi voluntatem, maxime in illos inhiat quibus, ut dictum est, prævalere se posse videt, eo quod sint exiguæ fidei et vacui pondere rationis. Et inde est quod pueros, ac puellas, et hebetes quosque dejicere videtur, et maculis exustionis notare. Quod
C utique fidelis quisque, et ratione præditus, cum videt, aut audit, cor ad solius Dei timorem levat, qui non permittit nos tentari supra id quod ferre possumus. Sicut faciendum est etiam, cum bestiarum dentibus aut undecunque vel ubicunque flagellamur, vel alios flagellari conspicimus.

XII. Quod vero illi de quibus nobis innotuistis, ad easdem ecclesias in quibus percutiuntur concurrunt, et quidquid possunt, donant; nos credimus omnino quod terroribus decepti hoc faciant, perdito consilio meliore. [a] Melius enim facerent, si sua pauperibus et [b] hospitibus erogarent, et ad presbyteros Ecclesiæ currerent, [c] ungendi oleo, secundum præ-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Melius enim facerent.* Videtur damnare eos qui donariis illustrant memorias martyrum, dum ait eos melius facturos, si sua pauperibus et hospitibus erogarent. Hi enim sunt viva Christi templa. Neque tamen arbitror hinc sumpsisse Erasmum, cum in Colloquio de peregrinatione religionis ergo ait quamplurimos invisere quidem divorum templa, sed nihil aut quam minimum donare, *dictitantes eam pecuniam rectius collocari in egenos.* Sane subveniendum est necessitati pauperum, quis negat? Sed tamen interim negligenda non est domus Dei; uti diximus ad librum VI Salviani de Gubernatione Dei. Vide porro Antidotum Erasmi in Epitaphium Paulæ ab Hieronymo conscriptum, et Launoium in cap. 6 libri de Cura Ecclesiæ pro miseris et pauperibus.

[b] *Hospitibus.* Hospitalitas magno tum in usu erat apud Ecclesiam. Lib. I Capitular., cap. 75 : « Et hoc nobis competens et venerabile videtur, ut hospites, peregrini et pauperes susceptiones regulares et canonicas per loca diversa habeant. » Vide capitula Ca-
D roli Calvi tit. 6, cap. 40, et tit. 23, cap. 10. Lupum Ferrariensem ep. 11, 42, 45, 55, 71; Jonam Aurelianensem in lib. II de Institutione Laicali, cap. 29, et alios. Hospitalitatis porro encomium enarrat Hildebertus in pluribus epistolis. Vide Launoium in capite 8 libri mox laudati.

[c] *Ungendi oleo*, eo nimirum quo ardebant lampades ad sepulcra martyrum appensæ. Nam multa miracula per hujusmodi oleum fieri consuevisse ex Augustino, Theodoreto et aliis adnotat Baronius ad annum Christi 53. Afferam tantum locum Augustini ex cap. 8 libri XXII de Civitate Dei : « Rursum ibidem apud nos Irenæi cujusdam collectarii filius, ægritudine exstinctus est. Cumque corpus jaceret exanime, atque aliis gementibus et plangentibus exsequiæ pararentur, amicorum ejus quidam inter aliorum consolantium verba suggessit ut ejusdem martyris (Stephani) oleo corpus perungeretur. Factum est, et revixit. »

ceptum evangelicum et apostolicum, cum jejuniis et orationibus; quibus sociari debet eleemosyna. Nam si essent signa sanitatum, quæ Deo largiente per merita sanctorum concessa viderentur, concursus ad eadem loca consequens esset; et si aliquid oblationum ibi daretur more ecclesiastico, et secundum dispositionem Patrum, esset utique fructuosum ipso usu misericordiæ. Nunc autem quia cupiditati quorumdam et avaritiæ famulantur, non exinde honoratur Deus, [a] nec pauperibus succurritur. Hanc enim rem si secundum voluntatem Dei agerent, juxta quod per omnes sanctas Scripturas eam Deus hominibus voluit indicari; scirent utique quam sublimiter et admirabiliter hujus rei semitam Dominus demonstrare dignatus sit per Michæam prophetam A dicentem : *Nunquid offeram Deo holocautomata et vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Et cum in his omnibus negetur, subinfertur illico in quibus Dominus placari possit, cum dicit : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus quærat a te. Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Sicut enim reprehensibile est rem pauperum non pauperibus distribuere; sic infructuosum, si ea quæ deberent Ecclesiæ debitam reverentiam exhibentibus, erogari, cupiditatis æstu anhelantibus, vel avare servanda vel abutenda prodige conferantur.

BALUZII NOTÆ.

[a] *Nec pauperibus succurritur.* Existimabat ergo Agobardus oblationes quæ fiunt ad memorias martyrum rem esse pauperum, neque inventas esse ad alendam præpositorum avaritiam, aut luxum, vel ad vitam commodius transeundam : itaque eas oblationes esse convertendas in solatium pauperum, alioqui enim pessimum esse earum usum. At hodie quotus quisque tandem est eorum qui ad aras sanctorum sedent, cui persuasum non sit nihil ex oblationibus decidere debere pauperibus, quique pro donariis illis B conservandis non laborent tanquam pro aris et focis? Denique plurima loca sunt, inclyta certe per indigenas advenasque, quibus non alius certior aut luculentior fundus est, quam qui ex oblationibus provenit. Et laudo istorum pietatem. Sed valde optandum esset ut aliquam erga pauperes charitatem haberent ii quibus colligendarum oblationum cura committitur, nec eas tantum ad ornanda templa mortua converterent.

# AD MATFREDUM PROCEREM PALATII,

## DEPLORATORIA DE INJUSTITIIS.

Virorum præstantissimo atque illustrissimo [a] Matfredo Agobardus in Christo Domino vivificatore ac salvatore nostro vitam et salutem æternam.

Obsecro præcellentissimam claritatem vestram ut patienter et clementer audire dignetur quæ fidelis suggerit servulus : quia, teste Deo qui scrutatur corda et renes, non alia intentione dico, nisi propter profectum prosperitatis vestræ præsentis pariter et futuræ. Omnipotens, sempiternus, et misericors Deus, apud quem nihil præteritum, nihil futurum est, sed omnia volumina sæculorum quæ apud mortales et temporales volvuntur, intemporaliter apud eum præsentia permanent, elegit vos ante mundi constitutionem futurum nostris periculosis temporibus C [b] ministrum imperatoris et imperii, et præ cæteris honorificavit et ditavit, non solum exterius, verum etiam interius, prudentia videlicet, justitia, fortitudine et temperantia, quibus secundum Scripturas nihil utilius est in vita hominis; constituitque vos in latere [c] rerum summam regentis; quatenus et in dispositione æquitatis illi essetis suffragator, et in remuneratione beatitudinis particeps. Nunc igitur quid potissimum expedit devotissimæ intentioni vestræ, nisi ut omni conamine omnique mentis adnisu, ita in dispositionem rerum sagacissime vigiletis, ut opprimatur iniquitas, destruatur fraus et dolus, dissipetur pravitas, conteratur crudelitas, erigatur justitia, consoletur humi-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Matfredo.* Vel ex solo istius epistolæ titulo patet virum fuisse magnæ dignationis et auctoritatis in palatio Ludovici Pii. Nam et Ludovicus ipse eum vocat virum illustrem in præcepto pro monasterio Gratæ in S. diœcesi Urgellensi, cujus partem aliquam anno superiore edidimus in notis ad epistolam 29 Lupi Ferrariensis. Sic ergo ait imperator : « Matfredus comes vir illuster adiens serenitatem culminis nostri, etc. » Ac comitem quidem Aurelianensem fuisse constat ex Adrevaldo Floriacensi lib. I, cap. 20 de Miraculis sancti Benedicti, et ex Vita Ludovici Pii ad an. 829. Illo itaque tempore Jonas episcopus Aurelianensis ad eum misit libros tres de Institutione Laicali, qui a domno Luca Dacherio editi sunt in tomo primo Spicilegii; cum antea editi fuissent Duaci anno 1645 ex veteri codice ms. sancti Amandi in Pabula, cura D. Ildephonsi Goetghebueri bibliothecarii ejusdem monasterii. Anno dein 830 (ut in capite trigesimo sexto narrat Theganus) cum Pippino Aqui- D taniæ rege ac proceribus palatii conspiravit adversus Ludovicum Pium, quem de regno expellere volebant. Sed huic pessimo facinori obstitit Ludovici filius Ludovicus. Rursum in partes Lotharii cum cæteris perduellibus transgressus est anno 833, eumque fugientem in Italiam secutus, illic obiit anno 835, ut tradit auctor Vitæ Ludovici Pii. Vide Sirmundum in notis ad Theodulfum, pag. 301.

[b] *Ministrum imp. et imperii*, id est, ministrum palatii et regni : ministrum palatii, quia non discedebat a latere Principis, principemque locum apud eum obtinebat, secretorum ejus particeps et consiliorum; ministrum imperii sive regni, quia præter comitatum Aurelianensem, cui speciali cura invigilare tenebatur, maxima pars curarum Ludovici in administrando imperio erat penes Matfredum.

[c] *Rerum summam regentis*, id est, Ludovici Pii imperatoris, a cujus latere non discedebat Matfredus, uti jam diximus.

litas, roboretur fides, serenetur Ecclesia? Noverit namque prudentia vestra, in istis regionibus, quibus nos vicini sumus, in tantam securitatem venisse impietatem, ut pene nullus inveniatur qui justitiam diligat ab injustitiaque recedat, nisi cujus divina inspiratio mentem tangit et deducit voluntatem; ita ut gratuitum putetur, ubicunque bonitatis vestigia conspiciuntur. [a] Quievit timor regum et legum in multis; adeo ut plerique in præsenti neminem timendum putent, reputantes apud semetipsos, et dicentes in cordibus suis : Si querela de me ad palatium venerit, causa ad [b] causidicos dirigetur. Illic inveniam [c] parentes vel amicos plures, per quos indubitanter fiet ut regalem offensionem nullam incurram, quia donum absconditum exstinguet iras, et is qui timendus est, aliis interpositis, non videbit insipientias nostras.

Talibus, vir eximie, occasionibus totum pene illud miserabili ævo nostro viguit, quod suo tempore Christianos quidem evasisse gloriabatur, apud paganos vero vehementius effervescere martyr beatus Cyprianus lugubri nimis ac mœrenti voce deflebat [d] : « Inter leges, inquiens, ipsas delinquitur, inter jura peccatur : innocentia nec illic ubi defenditur reservatur. Quis inter hæc vero subveniat? Patronus? Sed prævaricatur, et decipit. Judex? Sed sententiam vendit : qui sedet crimina vindicaturus, admittit; et ut reus innocens pereat, fit nocens judex. Nullus de legibus metus : de quæstore, de judice pavor nullus : quod potest redimi, non timetur admitti. Consensere peccatis jura, et [e] cœpit licitum esse quod publicum est. Quis illic rerum pudor, quæ esse possit integritas; ubi qui damnant improbos desunt, soli tibi qui damnentur occurrunt? » Quodque sine periculo dicere nequeo, multi talium putant vos esse murum inter se et imperatorem, per quem defendantur a correctione. Quin potius, præstantissime virorum, date operam ut sitis murus in augmento felicitatum, qui noxios expugnet, innocentes tueatur, Deo congruat, ab inimico discrepet, supernam remunerationem accumulet. Et licet satis ex verbis præcedentibus animi nostri clarescat intentio; ut tamen absque ulla dubitatione sciatis me non proprias querelas deplorare, cognoscat prudens benignitas vestra, hæc a me dici non posse adversum [f] comitem nostrum Bertmundum : quippe qui bene satis habeat ordinatum de justitiis comitatum suum; eo quod [g] talem virum pro se constituerit ad hæc peragenda, qui non solum propter amorem et timorem [h] senioris sui id strenue gerat, verum etiam, quod sublimius et laudabilius est, propter amorem Dei et amorem ipsius æquitatis et justitiæ, ita ut videatur nobis in his partibus nusquam fieri tam diligenter et attente. Sed prorsus hæc omnia dicimus propter fidem quam sub Deo, domino etiam imperatori debemus, et pro vestra beatitudine æterna, et præsentis vitæ felicitate adipiscenda. Quoniam, ut ipsi non ambigitis, tanta familiaritas, quam apud dominum imperatorem obtinere vos Deus fecit, pro magno vobis talento spiritali ab ipso omnipotenti Domino computabitur; et desideramus ut tam strenue illud impendatis, ut merito audire mereamini a Domino in judicio ejus : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis*, et cætera : avertatur autem a vobis illa dura et irrevocabilis improperatio, quæ in negligentes redundatura est, Domino dicente : *Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non seminavi, et congrego ubi non sparsi*, et cætera. Sed neque nominatim personas exprimere debeo, quibus emendatione multa opus est, ne accusator videar, quod [i] non est officii mei; sed cupio vos ita esse sollicitum, sicut studiosissi-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Quievit timor regum*. Sic Lupus Ferrariensis conqueritur in epistola 126 ad tantam libertatem vitia prorupisse ævo suo, ut vindicata impunitate apertis quibusque, nec Deus, nec rex, nec episcopus timeatur. Et videndæ sunt omnino notæ nostræ ad hanc epistolam.

[b] *Causidicos*, id est, eos qui causas referunt ad principem; adeoque in eorum potestate est provincialium delicta publicare, aut silentio tegere.

[c] *Parentes*, id est, consanguineos, vel affines. Et putabam istud esse ex infima Latinitate, parentumque vocabulo olim patrem tantum matremque fuisse comprehensos, ut dictum est in notis ad librum III Salviani ad Ecclesiam catholicam. Verum Sallustii auctoritas nunc facit ut aliter sentiam, apud quem Sulla Bocchum Mauritaniæ regem sic alloquitur : « Dein, quod parentes abunde habemus : amicorum neque nobis, neque cuiquam omnium satis fuit. »

[d] In epistola ad Donatum. Sed locum ex ea epistola valde decurtavit, ut assolet, Agobardus.

[e] *Cœpit licitum esse*. Eleganter Cyprianus in eadem epistola : « Madet orbis mutuo sanguine; et homicidium cum admittunt singuli, crimen est; virtus vocatur, cum publice geritur. » Sic apud Pseudoplautum Querolus ait licitum esse quod commune est, id est, quod vulgo fit : « Lar. Quid de falso dicimus? Querolus. Item, quis autem verum dicit? Istud commune est, abi. Lar. Idcirco crimen non est? Quid de adulterio? Quer. Attat, etiam hoc crimen non est. Lar. Quando autem licitum esse cœpit? Quer. Men'rogas? quasi tu nescias. Hoc est quod nec permitti nec prohiberi potest. »

[f] *Comitem nostrum Bertmundum*, Lugdunensis provinciæ præfectum, ut in libro primo vocat Nithardus.

[g] *Talem virum*, id est, vicecomitem. Unde patet vicecomitum institutionem fuisse per eas tempestates in arbitrio comitum.

[h] *Senioris sui*, id est, domini, comitis Lugdunensis.

[i] *Non est officii mei*, nimirum accusatio. Nam episcopi non debent esse accusatores. Arcadius et Honorius AA. ad Theodorum præfectum prætorio : « Provinciæ moderator sacerdotum et catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius, et divini cultus injuriam capitali in convictos sive confessos reos sententia noverit vindicandum. Nec exspectet ut episcopus injuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam dereliquit. » Exstat hæc lex in codice Theodosiano l. 31, De Episcopis, ac relata deinde est in librum VI Capitularium, cap. 304. Theodoretus episcopus Cyrensis in epistola 42 : « Angor sane ac doleo vehementer, quod scribere adversus hominem cogor, cujus delicta propter nomen sacerdotii occultare par erat. Scribo tamen, ut oppressos ab eo pauperes vindicem. »

mum Dei ministrum, et consentaneum boni imperatoris adjutorem, qui ab utroque Domino dignus et fidelis inventus, merito utriusque recompensationem percipiat.

# EPISTOLA AD CLERICOS ET MONACHOS LUGDUNENSES,

## DE MODO REGIMINIS ECCLESIASTICI.

I. Quia novi inter aliquos, quosdam rumores et suspiciones diversas, hæc subteradjecta scripsi, per quæ cognoscere dignemini quæ ego in actione ecclesiastici regiminis tenenda putem, cessetque paucorum murmuratio, cum omnibus mea fuerit intentio patefacta. [a] Unus est sponsus, qui habet sponsam; qui diligendus est propter se, non propter aliud aliquid, cum ipse sit pax, veritas, justitia, sanctificatio, et redemptio, et omne bonum, et sine illo nullum bonum; qui de cœlo venit, et super omnes est; qui quos eripit de terra, levat ad cœlum. Amici sponsi sunt, qui se videntes et audientes ædificant in amorem et cultum sponsi, filii vero sponsi, et qui ædificant, et qui ædificantur. Unus est agnus, qui habet sponsam, de qua dicitur Joanni apostolo : *Veni, ostendam tibi sponsam, uxorem agni :* et ostensa est illi civitas sancta Hierusalem descendens de cœlo a Deo, habens claritatem Dei.

II. De hac sponsa et civitate cantatur in cœlo *Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus et exsultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, et uxor ejus præparavit se; et datum est illi, ut cooperiat se byssino.* De hac uxore et civitate dicit Joannes evangelista quod ipsa sit et tabernaculum Dei. Ait enim : *Et civitatem sanctam Hierusalem vidi novam descendentem de cœlo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus erit cum eis eorum Deus, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* De hac civitate et uxore virgine generat agnus Dei, agnus Deus, agnus omnipotens, agnus omnipotentis, agnos et oves quos [b] commendat beato Petro apostolo dicens : *Pasce agnos meos.* Et iterum : *Pasce oves meas.* Hic sponsus et agnus omnipotens dicit sponsæ et uxori suæ : *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis.* Et iterum : *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Hæc uxor et filia est viri sui agni et principis, cui ipse dicit : *Quam pulchri sunt gressus tui in calciamentis, filia principis !*

III. Ipse princeps pater sponsæ suæ, et frater ejus est. Dicit enim ipsi uxori et sorori suæ : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa !* Nec mirum si uxor soror est; quia et mammæ atque ubera ejus turris, et ipsa murus. Sic enim de illa pater et sponsus loquitur : *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est! Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Et illa respondit : *Ego murus, et ubera mea turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Quid mirum si murus et civitas, cum et vinea habens virum? *Vinea enim,* inquit, *fuit Pacifico in ea, quæ habet populos. Tradidit eam custodibus : vir affert pro fructu ejus mille argenteos.* De qua ipse vir et pater statim subjungit, *Vinea mea coram me est.* Ipsa vinea virginis quoque est et conjux, de qua in carmine nuptiali canitur ipsi regi et sponso : *Stetit conjux in dextera tua, in diademate aureo.* Et ipse sponsus et pater ait eidem conjugi : *Audi filia et vide.* Et ipse cantor hujus carminis eidem dicit : *Et, o filia fortissimi, in muneribus faciem tuam deprecabuntur divites populi.* Hæc juxta Hebraicum. Antiquior autem translatio, ut eamdem conjugem reginam et filiam regis ostenderet, sic ait ipsi regi : *Astitit regina a dextris tuis.* Et post pauca : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Hæc regina non solum vinea est, sed et hortus, et fons. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Dicitur et mulier, sicut scriptum est : *Mulierem fortem quis inveniet?* Et post aliqua : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.* In ejus persona quibusdam fidelibus et Paulus scribit . *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Cui ipse Christus Dominus loquitur : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Et illa de illo : *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum.*

IV. Ista sponsa regina, et uxor et ancilla est. Sed hoc non mirum. Mirum tamen et omni misericordia plenum, quod vir ejus et dominus, etiam domina est illi, sicut Psalmista decantat : *Sicut oculi ancillæ ad manum dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Quæ etiam mulier dicitur habens dragmas decem, quæ, perdita una, accendit

BALUZII NOTÆ.

[a] *Unus est sponsus,* id est, Christus, verus et unus sanctæ Ecclesiæ sponsus. Vide supra in notis ad epistolam ad Nibridium.

[b] *Commendat beato Petro,* id est, episcopis, ut explicant veteres. Vide notas ad ep. 84 Lupi Ferrariensis.

lucernam, everrit domum, quæsivit, et invenit. Dicitur et mater, sicut ipse per Isaiam loquitur, dicens : *Quomodo si cui mater blanditur, ita ego consolabor vos.* Vere enim et mater et domina est, virtus et sapientia, fortitudo et gloria, resurrectio et vita, via et veritas, illuminatio et salus, et cætera hujusmodi.

V. Illud quoque non minus mirum quod ancilla et amica etiam mater Domini sui esse potest, illo modo quo Dominus ait : *Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est.* Quod et Apostolus de se ipso ait : *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.*

VI. Hæc multiplicia nomina sponsi et sponsæ, Christi et Ecclesiæ, non de aliquibus gestis historicis (sicut est, cum Scriptura de Sara, Rebecca, Rachel loquitur, in quibus conjunctio Christi et Ecclesiæ figurata est), nec de eo locutionis genere, quo in rebus sensibilibus significativa prænuntiatione ponuntur (sicut est mons domus Domini, ubi mons Dominum et domus ecclesiam significat) et multa hujusmodi, assumpta sunt; sed de illis locis ubi in illam ordinatam narrationem gestorum Scriptura exsequitur, sed tantum diversis hujusmodi nominibus Christum et Ecclesiam indicat, et in quibus nullus ita insipiens est ut aliud quærendum existimet, nisi Christum et Ecclesiam.

VII. Miranda vero Conditoris benignitas ostenditur; cum tanta unitate [a] corpus capiti adhæreat, et caput corpori præsideat, sicut Propheta decantat : *Induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Et post aliqua : *Habitabit enim juvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus* Et Apostolus aperte ostendit, dicens : *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt, ita et Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi, et omnes in uno spiritu potati sumus.* Quia videlicet hanc unitatem spiritus Christi facit.

VIII. Hæc sunt quæ ineffabiliter jucundissimam præstant avocationem piæ et fideli animæ, et talem avocationem, qualis in præsenti vita ex creaturarum contemplatione nulla esse potest, et, ut ita dicam confidenter, in omnibus operibus Dei visibilibus et invisibilibus nulla similis inveniri potest. De hac avocatione Dominus præcipit per Prophetam : *Loquimini ad cor Israel, et avocate eam.* De hac etiam vir cum quo est Deus in visione qua erudivit eum mater sua, mystico sermone, sic præcipit : *Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo. Bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius.* De hac et Psalmista, cum beatum diceret eum qui non respexit in vanitatem et insanias falsas, vel sicut in Hebraico legitur, ad superbias pompasque mendacii, in quibus sunt avocationes carnalium mentium, subjunxit : *Multa fecisti, tu Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis non est qui similis sit tui.*

IX. Ergo quicunque prædicationis officium et [b] locum regiminis suscepit, et negligit in his summis rebus, quod est summum misericordiæ Dei, avocare amicos fidelium, et quærit consolationem et avocationem [c] in divitiis, in [d] ornamentis metallicis,

BALUZII NOTÆ.

[a] *Corpus capiti*, id est, Christus Ecclesiæ. Christus enim est caput Ecclesiæ. Episcopi autem sunt membra corporis Christi, quod est Ecclesia. Sic enim scribit Gregorius I papa ad Januarium archiepiscopum Calaritanum lib. I, epist. 60 : « Si ipse Dominus noster viduarum se maritum orphanorumque patrem Scripturæ sacræ profitetur testimonio, nos quoque membra corporis ejus ad imitandum caput summo debemus mentis affectu intendere. » Vide eumdem Gregorium lib. II, epist. 37, et lib. VII, epist. 110.

[b] *Locum regiminis suscepit.* Audiant episcopi. Ait Agobardus eum qui prædicationis officium et locum regiminis suscepit et negligit, operamque dat venationi, aucupationi, piscationi, cæterisque sæculi oblectamentis, hunc episcopum non esse, sed destructorem operis Dei, ac per hoc adjutorem Antichristi. Non abhorrebat a sententia Agobardi Arnulphus episcopus Aurelianensis, cum hæc adversus episcopum Romanum eloqueretur in synodo Rhemensi adversus Arnulphum, cap. 28 : « Quid hunc, inquit, reverendi Patres, in sublimi solio residentem, veste purpurea et aurea radiantem, quid hunc, inquam, esse censetis? Nimirum si charitate destituitur, solaque scientia inflatur et extollitur, Antichristus est in templo Dei sedens, et se ostendens tanquam sit Deus. » Et semper visum est alienum a dignitate sacerdotali sæcularibus negotiis et sollicitudinibus mundi occupari. Istud enim etiam in se ipsis culpant episcopi in synodo Parisiensi congregati an. 829 ad Ludovicum Pium scribentes : « Sacerdotes partim negligentia, partim ignorantia, partim cupiditate, in sæcularibus negotiis et sollicitudinibus mundi ultra quam debuerint se occupaverunt. »

[c] *In divitiis.* Damnat divitias in episcopo, ut qui Christi pauperis locum in Ecclesia teneat. Sed intelligit, opinor, eum episcopum esse culpandum, qui divitiis male utitur, ad luxum videlicet, ad libidinem, avaritiam, et cætera malarum mentium vitia. Nam qui pauperes nutrit, ecclesias ædificat, mittit qui populos in fide instruant, is vero nunquam sat dives erit, tametsi immensos habeat thesauros.

[d] *Ornamentis metallicis.* Istud ipsum graviter exprobrat malis episcopis sanctus Bernardus abbas Clarevallensis, ad Henricum Senonensem archiepiscopum scribens : « Clamant vero nudi, clamant famelici, conqueruntur, et dicunt : Dicite pontifices in freno quid facit aurum? Nunquid aurum a freno repellit frigus sive esuriem? Jumenta gradiuntur onusta gemmis, et nostra non curatis crura nuda caligulis? Annuli, catenulæ, tintinnabula, et clavatæ quædam corrigiæ, multaque talia tam speciosa coloribus, quam ponderibus pretiosa, mulorum dependent cervicibus; fratrum autem lateribus nec semicinctia miserantes apponitis. » Neque ab institutore et patre suo dissentit Petrus Clarevallensis in epistola quam sub nomine Jesu Christi scripsit ad Innocentium VI papam et curiam Romanam anno 1353. Nam in capite 30 ita loquitur : « Exhortamur

[a] in venationibus, aucupationibus ac piscationibus, et, quod pejus est, in [b] comessationibus, et ebrietatibus, et sonis musicis, sicut Dominus per prophetam detestatur, dicens : *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris; et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.* Iste talis non est adjutor Dei, sicut Paulus ait : *Dei enim sumus adjutores. Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Sed est destructor operis Dei, ac per hoc adjutor Antichristi; A et licet in oculis humanis sacerdos esse videatur, [c] in oculis tamen Dei non est : quia veniente Domino ad judicium, dividetur, et pars ejus cum infidelibus ponetur, et de qualibus scriptum est : *Vidi impios sepultos : qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate, quasi justorum operum.* Nullus ergo ex his dux populi Dei esse debet, ne quærentes regna cœlestia in foveam demergat, ubi ipse judicio Dei demersus est, sicut Dominus ad beatum Job demonstrat, dicens : *Si habes brachium sicut Deus?* Et quibusdam interpositis : *Absconde eos*, inquit, id est, superbos

## BALUZII NOTÆ.

quod non nimium sitis curioso spectabiles equitatu, non circa vos discurrant hinnientium frendentes acies caballorum, non auro curiose tingantur frena, nec ex sericis lora componantur filis, non argento calcaria rutilent, non squarleto spectabilive purpura tegantur sellæ, nec pretiosi pendentes confibulent zonas clavi micantes auro, nec muricis earumdem corrigiarum ornatus soleat redolere tincturam, non eboris pulchritudine obryzi vel argenti metallive pretiosi cujusvis alterius gumphis sellarum conclavet amictus, non micanti pectoralia tegantur ostro, nec febrescens ex auro gestetis frenos, non radiantibus fastuosi sonipedes onerentur gemmis, etc. » Ex pervetusto codice nostro ms. unde fragmentum aliud anno superiore editum est in notis ad Lupum Ferrariensem, pag. 478.

[a] *In venationibus.* Quippe vetitum episcopis alere canes, aut venationem exercere : in quam rem valde celebris est canon 55 synodi Agathensis : « Episcopis, presbyteris, diaconibus, canes ad venandum, aut accipitres, habere non liceat. Quod si quis talium personarum in hac voluptate detectus fuerit; C si episcopus est, tribus mensibus se suspendat a communione; presbyter, duobus mensibus se abstineat; diaconus vero, ab omni officio vel communione cessabit. » Vide etiam canonem quartum Epaonensem, et decimum tertium canonem concilii Matisconensis secundi. Carlomannus princeps in synodo cui martyr Bonifacius interfuit : « Nec non et illas venationes, et sylvaticas vagationes cum canibus, omnibus servis Dei interdiximus, similiter ut accipitres et falcones non habeant. » Venationem enim in episcopo graviter reprehendit Nicolaus I apud Gratianum dist. 34, cap. *Quorumdam.* Itemque Nicolaus II in Decretis, cap. 6 : « Ut episcopi et clerici arma non ferant; neque venatui neque aucupio studeant. » Itaque eos qui venatione delectantur, lubens revocaverim ad ea quæ singulis Christianis ait Prosper in peroratione libri de Gloria Regnoque Sanctorum : « Si venandi est affectio, inquit, habes montes altissimos, cervos velociter apostolorum prophetarumque dicta percurrentes. D Habes et in campis petram, refugium eryciis et leporibus, quos in simplicitate cordis Christus Dominus per suos canes venatur, ut spinis careant delictorum. » Vide Jonam Aurelianensem in libro II de Institutione Laicali, cap. 23.

[b] *Comessationibus.* Mirum est tam sollicitos in hoc fuisse veteres, ut nullam occasionem prætermiserint admonendi episcopos ut a comessationibus et ebrietate abstinerent, juxta præceptum Pauli, qui edixit episcopum debere esse *non vinolentum.* Insignis est Hieronymi locus ex commentario in Michæam prophetam, relatus a Gratiano dist. 35, cap. 4 : « Ecclesiæ principes, inquit, qui deliciis affluunt, et inter epulas atque lascivias pudicitiam servare se credunt, propheticus sermo describit, quod ejiciendi sint de spatiosis domibus, lautisque conviviis, et multo labore epulis conquisitis, et ejiciendi propter malas cogitationes et opera sua. Et si vis scire quo ejiciendi sunt, Evangelium lege : *In tenebras* scilicet *exteriores, ubi erit fletus et stridor* B *dentium.* Annon confusio et ignominia est, Jesum crucifixum, magistrum pauperum, atque esurientem, fartis prædicare corporibus, jejuniorumque doctrinam rubentes buccas eminentiaque ora proferre? » Et Magnus ille Gregorius lib. II, epist. 14, acriter objurgat Natalem episcopum Salonitanum, quod derelicta pastorali cura, solis se conviviis occuparet. Unde et eumdem Natalem (qui reprehensionem Gregorii in jocum verterat; exemplum afferens Abrahæ et Isaac, quorum unus angelos convivio exceperat, alter vero satiatus benedictionem filio dederat), postea rursum admonuit abstinere a conviviis, scripta ad eum elegantissima epistola, quæ est 37 ejusdem libri. Et patet convivia illa non fuisse admodum Christiana; cum præter temulentiam et voracitatem, etiam a Christianorum diffamatione non abstinerent, nemoque ex irrisione reprehenderetur. Nam convivia episcoporum debent esse seria.

[c] *In oculis tamen Dei non est.* Ait ergo eum qui ad episcopatum vocatus est, si sæculi oblectamentis indulget, in oculis Dei non esse sacerdotem, tametsi personam episcopi gerat coram hominibus adeoque episcopus esse videatur. Sic sanctus Ambrosius in capite tertio libri de Dignitate Sacerdotali, loquens de malo episcopo, ait : « Pronuntiat enim episcopus hujusmodi ad populum, dicens : Pax vobis. Oculis quidem carnalibus videtur quasi episcopus magnus, et divinis intuitibus inspicitur leprosus magnus. » Sic Marcellinus et Faustinus in Libello Precum, pag. 46, aiunt quosdam episcopos perfidiæ Arianorum subscripsisse, « ut episcopale nomen apud homines retinere viderentur, quod utique jam apud Deum post subscriptiones impias non habebant. » Sic Fulgentius Ruspensis episcopus in capite primo contra Sermonem Fastidiosi, ait eum, tametsi presbyterii honorem in conspectu hominum ceperit, coram Domino non habuisse. Eadem fuit sententia hæreticorum Albigensium, qui, ut Rogerius de Hoveden tradit, dicebant : « quod essent ordinandi in Ecclesia episcopi et presbyteri; et si tales non ordinabantur quales præcipiebat, non essent episcopi, nec presbyteri, sed lupi rapaces, hypocritæ et seductores. » Verum recte adnotatum est a viris eruditissimis, eam esse constantem Ecclesiæ catholicæ sententiam, ex doctrina et traditione apostolica descendentem, etiam improbum hominem, canonice ordinatum, vere sacerdotem ac Dei adjutorem esse. Nam si hæc regula non esset certa, horrenda confusio turbasset Ecclesiam, etiam in initiis Christianismi. Nam et Judas malus erat, qui tamen apostolus Christi fuit. Et multos postea variis temporibus malos episcopos fuisse nemo negaverit. Denique Christus ait Scribas et Pharisæos sedisse super cathedram Moysi. Itaque sic scripsisse videtur Agobardus vehementer, ut episcopos admoneret sui officii, et ut intelligerent quantum Deo displiceat mala episcopi vita.

et impios, *in pulverem simul, et facies eorum demerge in foveam.*

X. Sunt alii qui, sicut et isti, non apparent hominibus impii, sed per simulatam justitiam fiunt in oculis hominum sepulcra dealbata; in oculis autem Dei, id est intus, pleni sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Ait beatus Paulus apostolus: *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.* Et iterum: *Habentes hanc ministrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis.* Sicut enim adulter non quærit fructum prolis, sed tantum ut suæ voluntati faciat et libidinem impleat; ita omnis qui administrationem verbi suscepit, si ex sinceritate salutem audientium et ædificationem Ecclesiæ non quærit, sed causa alterius rei, quæ minor est quam salus auditorum, verbum Dei loquitur, ut suæ nimirum propriæ voluntati obtemperet, adulter est.

XI. Ergo non soli hæretici adulterant verbum Dei, miscendo fallacias suas. Sed et omnes qui per sacrum ministerium ad honores et divitias temporales pervenire festinant, etiam et illi qui ad honores et divitias sublimari non possunt, et victum aut tegumentum quotidianum ex sacro ministerio adipisci cupiunt (quia non ideo sumptus accipiunt ut prædicent, sed ideo [a] prædicant ut accipiant; nec loquuntur ex sinceritate sicut ex Deo, coram Deo; sed ambulant in astutia, nec abdicant occulta dedecoris, sed amplectuntur), adulteri sunt. Omnis ergo qui præponitur cæteris, sive clericus, sive monachus, si ita videtur benevolus et mansuetus atque affabilis, ut subditorum corda in sui amorem et [b] propriam laudem convertat, adulter est, et regimen animarum suscipere nunquam debet. Qui autem ita prudens, mansuetus, et suavis est, ut se videntes et audientes ad amorem et laudem sponsi convertat et accendat amicus est sponsi, castitatem quærit sponsæ, meritoque suscipit regimen animarum. Omnis clericus, aut monachus, cui datus est quantuluscunque sermo sapientiæ, aut sermo scientiæ, et dum loquitur, cupit audientes in proprium amorem et propriam laudem convertere et inflammare, iste se ipsum prædicat, non sponsum; et idcirco pellendus est de interiori thalamo, quia adulter est; foris in atrio præsidet, non sponsæ jussu, sed patientiæ permissu: quia sive occasione, sive veritate sponsus annuntietur, gaudendum est. Fidelis enim anima a quocunque audiat laudes sponsi, in amorem sponsi accenditur, non in negligenter laudantis. Nam et diligentem laudatorem amat ut proximum, non ut sponsum, amat in sponso, non pro sponso. Ambulans in via immaculata, hic Domino ministrat, non sibi; et potest proponi cæteris: non ambulans, sed jacens in ignavia, et qui sic ministrat, sibi ministrat, non Domino, non debet præponi cæteris. Qui custodes observationum ad libitum suum, et non ad utilitatem domesticorum, sibimet dispensat, non Domino, non est fidelis dispensator et prudens, quem constituat Dominus super familiam suam. *Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem sponsi pergere;* et ideo non debent fieri duces aliorum. Labor sapientum sanat eos. Deducuntur enim ab sponso in viam rectam, ut eant in civitatem habitationis; talesque fieri debent duces eorum qui non habent hic manentem civitatem, sed futuram inquirunt in grege qui ascendit de lavacro. Et fecundæ sunt amandæ, et steriles tolerandæ; et sani custodiendi, et infirmi sanandi: quia sponsus de cœlo venit quod perierat requirere, et quod abjectum erat reducere, et quod confractum alligare, et quod infirmum consolidare, et pingue et forte custodire.

XII. Hæc in subjectis ovibus ita observanda sunt. In prælatis autem et pastoribus alia conditio est. Quoniam sicut beatus est *fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore,* qui imitatur [c] pastorem

BALUZII NOTÆ.

[a] *Prædicant ut accipiant.* Tum enim, quod merito damnat Agobardus, erant nonnulli qui verbum Dei prædicabant quæstus causa, non tam solliciti de cura animarum, quam de colligenda pecunia. Et omnino accepisse ista videtur Agobardus a sancto papa Gregorio, cujus hæc sunt verba ex libro XIX in Job, cap. 11: « Butyro pedes lavantur, dum sanctis prædicatoribus debita ab audientibus stipendia conferuntur, et quos fatigat injunctus prædicationis labor, exhibita a discipulis pinguedo boni operis fovet; non quod ideo prædicent, ut alantur, sed ideo alantur ut prædicent, id est, ut prædicare subsistant; non ut intentionem sumendi victus transeat actio prædicationis, sed ad utilitatem prædicationis deserviant ministeria sustentationis. Unde a bonis prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus. » Neque vero dixerim nihil prædicatoribus debere dari ab auditoribus. Nam dignus est operarius mercede sua; et justum est ut qui spiritalia nobis seminant, carnalia nostra metant, ut ad Corinthios scribit Paulus apostolus: quem locum attulit idem Gregorius homilia 17 in Evangelia, ut ostenderet æquum esse ut populus Christianus alimenta sustentationis suppeditet prædicatoribus. Hoc enim, ut dixi, justum est, et prorsus æquum. Sed quis ferat prædicatores quosdam, qui nihil non agunt ut cathedras occupent majores, et ex quibus majus salarium provenit. Quasi constaret verbum Dei non valere, nisi quantum æstimatur.

[b] *In propriam laudem.* Taxat alterum genus concionatorum æque odiosum, eos nimirum, quibus hæc unica cura est, ut belle concionari videantur: cujusmodi nimium multi sunt; atque utinam nulli essent! Tum admonet vitandum id esse. Præclare sanctus idem Gregorius in homilia paulo ante laudata: « Quisquis namque ideo prædicat, inquit, ut hic vel laudis vel muneris mercedem recipiat, æterna procul dubio mercede se privat. » Vide rursum eumdem Gregorium homilia 21 in Ezechielem.

[c] *Pastorem pastorum,* id est, Christum, quo etiam modo eum nominant Prosper, Petrus Chrysologus, Julianus Pomerius, Ruricius Lemovicensis, Gregorius Magnus, Hincmarus, alii. Sic, quod idem est,

pastorum in administratione pascuæ; ita e contrario de pastoribus qui pascunt semetipsos, quod infirmum est non consolidant, et quod ægrotum non sanant, et quod fractum non alligant, et quod abjectum non reducunt, quod perierat non requirunt : de quorum ore liberet pastor pastorum oves suas, et eas pascat in pascuis uberrimis, etiam eas quæ in præsenti vita semper pro se tolerant pravum pastorem. Et quidem pia ovis semper quærit bonum pastorem. Sed si deest in hac mortalitate, non deest ille qui animam suam posuit pro ovibus suis. Propter quod, ubi emendari non potest, ab ovibus tolerandus est ut mercenarius sedens in cathedra Moysi. Quoniam jussit pius sponsus, verus pastor, ut quæ dicunt tales, faciant oves; quæ autem faciunt, non faciant.

XIII. Hæc in postremo propterea dixi, ne quis me putet perditam existimare fidelem ovem, quæ prudenter tolerat pravum pastorem; illud summopere commonens, ut omnis pastor non sibi, sed Domino nutriat et erudiat atque corripiat in disciplina et timore Domini subditos : sicut et beato Petro summus pastor præcipit dicens : *Pasce agnos meos,*

A inquit, non *tuos;* et idcirco mihi, non tibi. Hoc est certum indicium quod me veraciter diligas, si agnos meos sollicite pascas, propter quod recepturus es justitiæ coronam. Sic et quidam antiquus pastor curam sollicitudinis mysticis verbis significavit, dicens : *Non est adhuc tempus ut in caulis includantur oves. Date antea potum ovibus, et sic eas ad pastum reducit.* Quod ubi non fit, et venit illud quod propheta deplorat dicens : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam; et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit.* Et alius : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.*

XIV. Hæc verba non imperita, imperite tamen ab imperito ordinata, omnibus necessaria sunt, [a] ab
B illo qui sedet in solio, usque ad eum [b] qui laborat ad molam. Ego non tam illis scribo, quibus nihil debeo nisi charitatem, sed eis qui nobis commissi sunt; ita tamen ut in nomine pastorum et rectorum intelligantur abbates, et præpositi, atque presbyteri : quos et obnixe deprecor ut toto corde intendant in exhortationem et obsecrationem beati Petri apostoli, qua dicit : *Seniores ergo, qui in*

BALUZII NOTÆ.

alibi vocatur princeps pastorum, sacerdos sacerdotum, pontifex pontificum, episcopus episcoporum. Posterioribus tandem sæculis episcopus quoque Romanus vocatus est episcopus episcoporum. Quod ita intelligi debet, ut quia caput est omnium Domini sacerdotum, et præcipuus totius orbis episcopus, privilegio sedis suæ, intelligatur ob hoc ipsum constitutus super reliquos orbis episcopos, ideoque quodam modo fit episcopus episcoporum, præsertim cum ad eum pertineat cura et sollicitudo universalis Ecclesiæ. Neque tamen existimandum est hanc appellationem fuisse tributam antiquitus episcopo Romano ; tametsi quidam ita se colligere putent ex libro Tertulliani de Pudicitia, et ex Cypriano in præfatione concilii Carthaginensis. Nam, si quid in his rebus video, Tertullianus hic pontificem Romanum satyrico sale defricat : certe palpo non percutit. Et in Cypriani sensu manifestum est eos falli. Neque enim ait Cyprianus removendam esse præsumptionem episcopi Romani, qui se episcopum episcoporum diceret. Sed ait : *Neque enim quisquam nostrum episcopum se episcoporum constituit;* id est : Non arbitror quemquam episcoporum, qui hic præsentes sumus, eo præsumptionis excedere, ut se supra omnes collegas suos efferat, sententiamque sui ipsius unicam, ut tyranni solent, prævalere debere contendat adversus sententiam plurimorum, præsertim quoties fidei causa ventilatur. Hunc ego genuinum verborum Cypriani sensum esse arbitror. Sumptum est autem istud loquendi genus ex rhetorum disciplina. Alioqui enim si qui supra episcopos sunt, episcoporum episcopi dici debent, dubium non est quin primas Africæ, nimirum episcopus Carthaginiensis, dici debuerit episcopus episcoporum. Nam si istud loquendi genus quidpiam haberet auctoritatis, multum detraheret de dignitate episcopi Romani, cum quo nonnulli episcopi paria facere viderentur. Sidonius enim libro VI, epist. 1, Lupum Trecensem episcopum vocat *patrem patrum,* et *episcopum episcoporum.* Et Ennodius lib. I, carm. 15, Ambrosium episcopum Mediolanensem vocat *pastorem antistitum.* Et tamen nemo dixerit pontifices Romanos, qui Lupi et Ambrosii ævo floruerunt, Lupo Ambrosioque fuisse subjectos. Quin et Carolus ipse Magnus vocatur *episcopus episcoporum* a monacho Sangallensi in libro primo de Ecclesiastica Cura ejusdem Caroli cap.

27. Et Edgarus Angliæ rex, qui anno 966 vivebat, *pastor pastorum* vocatur a synodo provinciali Angliæ sub Dunstano celebrata. Sic Eusebius in libro primo de Vita Constantini, cap. 44, Constantinum vocat *communem omnium episcopum;* et Clodoveum regem, *regionum præsulem,* Remigius Rhemensis episcopus : quos tamen episcopos fuisse nemini hac-
C tenus in mentem venit. Atque id ideo visum est adnotare, ut planum omnibus fieret quonam modo accipienda sint verba Tertulliani ac Cypriani. Littera enim occidit, spiritus vivificat.

[a] *Ab illo qui sedet in solio,* id est, episcopo. Nam is in throno sedet in ecclesia, id est, in cathedra sublimiore. Et cathedram illam episcopalem *solium* quoque vocat Sulpicius Severus in capite primo secundi dialogi, augendam ad invidiam. « Quemdam nuper, inquit, non sine meo pudore vidi, sublimi solio quasi regio tribunali, celsa sede residentem. » Addam vero locum celeberrimi viri Petri de Marca archiepiscopi Parisiensis : qui explicans canonem 53 Collectionis Africanæ, hæc ait : « Significat typhum sæcularem et tumorem quorumdam episcoporum, qui dominatum in clero exercebant ; et in cathedram elevati, ac si esset solium quoddam regium, et arx velut imperii, tyrannicam sibi dominationem vindicabant. » Tum statim ferme sequitur : « Sane cathedra episcopalis sublimior erat, et velut in fa-
D stigio constituta, unde possent episcopi de superiori loco fideles monere. » Sumptum autem istud videri potest ex Augustino, cujus hæc sunt verba ex enarratione in psalmum CXXVI : « Ideo altior locus positus est episcopis, ut ipsi superintendant et tanquam custodiant populum. » Et paulo post : « Quomodo enim vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam, sic et episcopis altior locus factus est. » Vide Henricum Valesium in annotationibus ad Historiam Ecclesiasticam Eusebii lib. 7, cap. 30.

[b] *Qui laborat ad molam,* id est, usque ad inferioris ordinis pastores et præpositos : ne quis putaret hæc dici episcopis tantum ; et paulo post addit hæc scripta esse, non solum propter episcopos, sed etiam propter abbates, præpositos et presbyteros, quos pastorum et rectorum nomine intelligi debere ait. Itaque diaconos etiam excludit a pastorum munere. Et tamen in his quoque sacerdotium agnovit Cyprianus aliique veteres.

*vobis sunt, obsecro consenior et testis Christi passionum, qui et ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator, pascite qui est in vobis gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed* A *voluntarie; neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilis gloriæ coronam. Amen.*

# LIBER CONTRA EORUM SUPERSTITIONEM

## QUI PICTURIS ET IMAGINIBUS SANCTORUM ADORATIONIS OBSEQUIUM DEFERENDUM PUTANT [a].

Primum præceptum decalogi est dicente Deo: B *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos in conspectu meo. Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium quæ in cælo sunt desuper, et quæ versantur in aquis sub terra. Non adorabis ea, et non coles.* Ad quæ verba beatus Augustinus brevissime subjungit, dicens (*Homil. in Exod.* cap. 1): « In primo præcepto prohibetur aliqua in figmentis hominum Dei similitudo; non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla ejus imago coli debet, nisi illa quæ et hoc est quod ipse, nec ipsa pro illo, sed cum illo. » Hæc dicens beatus Augustinus docet nos breviter qualiter et cætera hujusmodi præcepta intelligere debeamus. Nam cum distincte dicatur non faciendam similitudinem omnium quæ in cœlo sunt, aut quæ in C terra, non de solis similitudinibus alienorum deorum intelligitur dictum, sed et de cœlestibus creaturis, aut quæ in honore creatoris humanus sensus potuit excogitare. Propter quod et aperte Moyses loquitur ad populum, dicens: *Locutus est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis.* Et post pauca: *Custodite igitur sollicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est Dominus vobis in Horeb de medio ignis; ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ, similitudinem omnium jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cœlo volantium, atque reptilium quæ moventur in terra, sive piscium qui sub terra morantur in aquis; ne forte oculis elevatis ad cœlum, videas solem et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea et colas.* In quibus verbis summopere notandum est, quia si opera manuum Dei non sunt adoranda et colenda, nec in honore Dei quanto magis opera manuum hominum non sunt adoranda et colenda, nec in honore eorum quorum similitudines esse dicuntur.

II. Ex libro sancti Augustini de Civitate Dei x (cap. 1) quibus modis cultus dicatur: « Videndum ac disserendum est, quantum Deus donat, immortales ac beati in cœlestibus sedibus, dominationibus, principatibus, potestatibus constituti, quos isti deos, et ex quibus quosdam vel bonos dæmones, vel nobiscum angelos nominant, quomodo credendi sint velle a nobis religionem pietatemque servari; hoc est, ut apertius dicam, utrum etiam sibi, an tantum Deo suo, qui etiam noster est, placeat eis ut sacra faciamus et sacrificemus, vel aliqua nostra, seu nos ipsos religionis ritibus consecremus. Hic est enim divinitati, vel, si expressius dicendum est, deitati debitus cultus; propter quem uno verbo significandum, quoniam mihi satis idoneum non occurrit Latinum, Græco ubi necesse est insinuo quid velim dicere. Latriam

BALUZII NOTÆ.

[a] Invalueral ævo Agobardi pessima superstitio, ut existimarent nonnulli imaginibus sanctorum ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem impendi debere. Quod adeo impium visum est Ecclesiæ Gallicanæ, ut et episcopi in synodo Francofordiensi congregati damnaverint secundam synodum Nicænam, quæ adorationem illam imaginum videbatur imperasse, et Carolus ipse Magnus stylum quoque adversus eam strinxisse putetur. Ludovico deinde Pio, Caroli filio, regnante, emicuit rursum in hoc argumento ardor episcoporum Galliæ: qui cum adorationem illam imaginum ferre non possent, nihil intentatum reliquerunt quo mentes fidelium ab eo errore revocarent. Et omnino, dum studebant veritati, videbantur facere contumeliam imaginibus, quibus crederes asseverasse nullum cultum deberi; retinendas tamen, ut ex earum aspectu fideles excitarentur ad imitationem sanctorum hominum. Unus multorum huic operi incubuit Agobardus, sed adeo vehementer, ut propterea existimaverint nonnulli librum hunc non esse admodum catholicum. Sed tamen quidam pii eruditique viri, post rem istam accurate discussam, senserunt nihil in eo esse quod aperte violet fidem Ecclesiæ, adeoque ab Agobardo summoverunt auctoritatem censuræ Hispanicæ ac cardinalis Baronii. Ego crediderim Agobardum scripsisse quod omnes tum in Gallia, ut etiam a Sirmundo observatum est, sentiebant. Sane instituti mei non est pronuntiare de arduis hisce quæstionibus. Attamen silere non possum mihi valde placere decreta concilii Cameracensis habiti anno 1565 sub Maximiliano a Bergis, archiepiscopo Cameracensi, quod sic statuit in causa imaginum: « Imagines in templis nullæ statuantur, nisi episcopi consensu et judicio. Si quæ autem erectæ fuerint, ac præ se ferant quidquam quod non deceat, neque prototypo congruat, tolli eas aut mutari jubeto. Doceatur præterea populus imagini nullum cultum deberi aut propter materiam, aut propter elegantiam, aut propter pretium operis, aut propter quidvis aliud quod sit in artificio aut imaginis substantia; sed propter rem significatam, ad quam hic cultus et honos præcipue refertur. Et sic admonendus est animum orantis aut venerantis in rem signatam referri, et non in signum, quod nec audit, nec videt, nec sentit. » Vide Gulielmum Durandi in libro secundo de modo generalis concilii celebrandi, cap. 57.

quippe nostri, ubicunque sacrarum Scripturarum A positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus servos dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græce nuncupari solet. Latria vero secundum consuetudinem qua locuti sunt qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper aut tam frequenter ut pene semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum. Proinde si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam colere homines, quos honorifica vel recordatione vel præsentia frequentamus. Nec solum ea quibus nos religiosa humilitate subjicimus, sed quædam etiam quæ subjecta sunt nobis perhibentur coli. Nam ex hoc verbo et agricolæ et coloni et incolæ vocantur. Et ipsos deos non B ob aliud appellant cœlicolas, nisi quod cœlum colant; non utique venerando, sed inhabitando, tanquam cœli quosdam colonos; non sicut appellantur coloni, qui conditionem debent genitali solo propter agriculturam sub dominio possessorum, sed, sicut ait quidam Latini eloquii magnus auctor (Virg. *Æn.* I, 16):

Urbs antiqua fuit, Tyrii tennere coloni.

Ab incolendo colonos vocavit, non ab agricultura. Hinc et civitates a majoribus civitatibus velut populorum examinibus conditæ, coloniæ nuncupantur. At per hoc cultum quidem non deberi nisi Deo, propria quadam notione verbi hujus omnino verissimum est. Sed quia et aliarum rerum dicitur cultus, ideo C Latine uno verbo significari cultus Deo debitus non potest. Nam et ipsa religio, quamvis distinctius non quemlibet, sed Dei cultum significare videatur (unde isto nomine interpretati sunt nostri eam quæ Græce θρησκεία dicitur), tamen quia Latina loquendi consuetudine non solum imperitorum, verum etiam doctissimorum et cognationibus humanis, atque affinitatibus, et quibusque necessitudinibus dicitur exhibenda religio, non eo vocabulo vitatur ambiguum, cum de cultu deitatis vertitur quæstio, ut fidenter dicere valeamus religionem non esse nisi cultum Dei: « quoniam videtur hoc verbum a significanda observantia propinquitatis humanæ insolenter auferri. Pietas quoque proprie Dei cultus intelligi solet, quam Græci εὐσέβειαν vocant. Hæc tamen et erga D parentes officiose haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur. Quod ideo arbitror evenisse, quia hæc fieri præcipue mandat Deus, eaque sibi vel pro sacrificiis vel præ sacrificiis placere testatur. Ex qua loquendi consuetudine factum est, ut et Deus ipse dicatur pius: quem sane Græci nullo suo sermonis usu εὐσεβεῖν vocant, quamvis εὐσέβειαν pro misericordia illorum etiam vulgus usurpet. Unde in quibusdam Scripturarum locis, ut distinctio certior appareret, non εὐσέβειαν, quod ex bono cultu, sed θεοσέβειαν, quod ex Dei cultu compositum resonat, dicere maluerunt. Utrumlibet autem horum nos uno verbo enuntiare non possumus. Quæ itaque λατρεία Græce nuncupatur, et Latine interpretatur servitus, sed ea qua colimus Deum: vel quæ θρησκεία Græce, Latine autem religio dicitur, sed ea quæ nobis est erga Deum; vel quam illi θεοσέβειαν, nos vero non uno verbo exprimere, sed Dei cultum possumus appellare: hanc ei tantum Deo deberi dicimus qui verus est Deus, facitque suos cultores deos. Quicunque igitur sunt in cœlestibus habitationibus immortales et beati, si nos non amant, nec beatos esse nos volunt, colendi utique non sunt; si autem amant et beatos esse volunt, profecto inde volunt, unde et ipsi sunt. »

In eodem libro post pauca (Cap. 4): « Huic nos servitutem, quæ latria Græce dicitur, sive in quibusque sacramentis, sive in nobis ipsis debemus. Hujus enim templum simul omnes, et singuli templa sumus: quia et omnium concordiam, et singulos inhabitare dignatur; non in omnibus, quam in singulis major: quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cum ad illum sursum est, ejus est altare cor nostrum; ejus unigenito cum sacerdote placamus; ei cruentas victimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus; eum suavissimo adolemus incensu, cum in ejus conspectu pio sanctoque amore flagramus. Ei dona ejus in nobis, nosque ipsos vovemus et reddimus; ei beneficiorum ejus solemnitatibus festis et diebus statutis dicamus sacram usque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio; ei sacrificamus hostiam humilitatis et laudis in ara cordis igne fervidæ charitatis. Ad hunc videndum, sicut videri poterit, eique cohærendum, ab omni peccatorum et cupiditatum malarum labe mundamur, et ejus nomine consecramur. Ipse enim fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes vel potius religentes, amiseramus enim negligentes; hunc ergo religentes, unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus; ideo beati, quia illo fine perfecti. »

III. Quod inter Deum et homines nullus sit alius mediator quærendus, nisi ille qui Deus et homo est, ex lib. IX sancti Augustini in opere superius memorato (Cap. 15): « Multitudo quæ beata est, unius Dei participatione fit beata. Cujus participationis privatione misera multitudo malorum angelorum, quæ se opponit potius ad impedimentum quam interponit ad beatitudinis adjutorium, etiam ipsa multitudine obstrepit quodammodo, ne possit ad illud unum beatificum perveniri, ad quod ut perduceremur, non multis, sed uno mediatore opus erat, et hoc eo ipso cujus participatione simus beati, hoc est, Verbo Dei, non facto, sed per quod facta sunt omnia. Nec tamen ob hoc mediator est, quia Verbum; (maxime quippe immortale et maxime beatum Verbum longe est a mortalibus miseris), sed mediator per quod homo, eo ipso utique ostendens ad illud non solum beatum, verum etiam beatificum bonum non oportere quæri alios mediatores per quos arbitremur nobis perventionis gradus esse moliendos,

quia beatus et pacificus Deus, factus particeps humanitatis nostræ, compendium præbuit participandæ divinitatis suæ. Neque enim nos a mortalitate et miseria liberans, ad angelos immortales beatosque ita perducit ut eorum participatione etiam nos immortales et beati simus, sed ad illam Trinitatem, cujus et angeli participatione beati sunt. Ideo quando in forma servi, ut mediator esset, infra angelos esse voluit, in forma Dei super angelos mansit : idem in inferioribus via vitæ, qui in superioribus vita. »

IV. Ex libro x ejusdem operis, ubi evidentissime exemplo Domini Jesu Christi docet beatus Augustinus nulli creaturæ sacrificandum, ita docens (Capp. 19, 20) : « Qui autem putant hæc visibilia sacrificia diis aliis congruere, summo vero Deo tanquam invisibili invisibilia et majora majori, melioríque meliora, qualia sunt puræ mentis et bonæ voluntatis officia, profecto nesciunt hæc ita signa esse illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. Quocirca sicut orantes atque laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde quas significamus offerimus; ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse noverimus quam illi, cujus in cordibus nostris invisibile sacrificium nos ipsi esse debemus. Tunc nobis favent, nobisque congaudent, atque ad hoc ipsum nos pro suis viribus adjuvant angeli quique virtutesque superiores, et ipsa bonitate ac pietate potentiores. Si autem illis hæc exhibere voluerimus, non libenter accipiunt; et cum ad homines ita mittuntur ut eorum præsentia sentiatur, apertissime vetant. Sunt de his exempla in litteris sanctis. Putaverunt quidam deferendum angelis honorem, vel adorando, vel sacrificando, qui debetur Deo; et eorum sunt admonitione prohibiti, jussique sunt hoc ei deferre, cui uni fas esse noverunt. Imitati sunt angelos sanctos etiam sancti homines Dei. Nam Paulus et Barnabas in Lycaonia facto quodam miraculo sanitatis, putati sunt dii, eisque Lycaonii victimas immolare voluerunt : quod a se humili pietate removentes, eis in quem crederent annuntiaverunt Deum. Nec ob aliud fallaces illi superbe sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt. Non enim revera (ut ait Porphyrius, et nonnulli putant) cadaverinis nidoribus, sed divinis honoribus gaudent. Copiam vero nidorum magnam habent undique, et si amplius vellent, ipsi sibi poterant exhibere. Qui ergo divinitatem sibi arrogant spiritus, non cujuslibet corporis fumo, sed supplicantis animo delectantur, cui decepto subjectoque dominentur, intercludentes iter ad Deum verum, ne sit homo illius sacrificium, dum sacrificatur cuipiam præter illum. Unde verus ille mediator, in quantum formam servi accipiens, mediator effectus est Dei et hominum homo Christus Jesus, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus est Deus, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. »

V. Item ex libro præfati operis x quod nulla creatura colens Deum velit pro illo coli cui et ipsa subdita est (Cap. 4) : « Quæcunque igitur immortalis potestas quantalibet virtute prædita, si nos diligit sicut seipsam, ei vult esse subditos, ut beati simus, cui et ipsa subdita beata est. Si ergo non colit Deum, misera est, quia privatur Deo. Illi enim potius divinæ sententiæ suffragatur, et dilectionis viribus favet, qua scriptum est: *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli*. Nam, ut alia nunc taceam quæ pertinent ad religionis obsequium quo colitur Deus, sacrificium certe nullus hominum est qui audeat dicere deberi, nisi Deo. Multa denique de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera ; ita tamen ut quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi et venerandi ; si autem multum eis additur, et adorandi. Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei quem aut scivit Deum, aut putavit, aut finxit? »

VI. Ex libro sancti Augustini de vera Religione, apud quos potissimum Deus verus quærendus sit (Cap. 15) : « Prius ergo sequendi sunt, inquit, qui unum summum solum verum Deum et solum colendum esse dicunt. Si apud hos veritas non eluxerit, tum demum migrandum est. Sicut enim in ipsa rerum natura major est auctoritas unius ad unum omnia redigentis, nec in genere humano multitudinis ulla potentia est nisi consentientis ; ita in religione qui ad unum vocant, eorum major et fide dignior esse debet auctoritas. »

VII. Ex homilia xxv sancti Gregorii papæ super Evangelia, qualiter etiam apud sanctos Deus quærendus sit : « Quærentes autem nos vigiles inveniunt qui custodiunt civitatem ; quia sancti Patres, qui Ecclesiæ statum custodiunt, bonis nostris studiis occurrunt, ut suo vel verbo vel scripto nos doceant · quos cum paululum pertransimus, invenimus quem diligimus. Quia Redemptor noster, etsi humilitate homo inter homines, divinitate tamen supra homines fuit. Cum ergo transeuntur vigiles, dilectus invenitur : quia cum prophetas et apostolos infra ipsum esse conspicimus, illum qui natura Deus est, supra homines consideramus. »

His inde sententia Cantici Canticorum (ubi ex persona sanctæ Ecclesiæ dicitur : *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem. Num quem dilexit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea :*) ex prædicta homilia breviter adnotatis, nunc videamus quid idem Pater in libro xviii explanationis in Job de eisdem verbis dicat. Ait ergo (Cap. 33) : « Cum redemptorem suum Ecclesia quæreret, in ipsis antiquis prædicatoribus spem figere noluit, quæ dicit : *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Illum quippe invenire non posset, si istos transire noluisset. » Consona huic intellectui beatus Augustinus in homilia prima Evangelii secundum Joannem loquitur dicens (Tract. i) : « De ipsis montibus est Joannes :

de quibus paulo ante cantavimus, dicentes: *Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi.* Ergo, fratres charissimi, si vultis intelligere, levate oculos ad istum montem, id est, erigite vos ad evangelistam, erigite vos ad ejus sensum. Sed quia montes isti pacem suscipiunt, non potest autem esse in pace qui spem ponit in homine; nolite sic erigere oculos in montem, ut putetis in homine spem vestram esse collocandam, et sic dicite: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi,* ut statim subjungatis: *Auxilium meum a Domino qui fecit cœlum et terram.* Ergo levemus oculos in montes, unde veniet auxilium nobis. Et tamen non ipsi montes sunt, in quibus spes nostra ponenda est. Accipiunt enim montes quod vobis ministrent. Unde et montes accipiunt ubi spes ponenda est, cum oculos nostros levamus ad Scripturas, quia per homines ministratæ sunt Scripturæ. Levavimus oculos nostros ad montes unde auxilium veniet. Sed tamen quia ipsi homines qui scripserunt Scripturas, non de se lucebant; (sed ille erat lumen illorum qui *illuminat hominem omnem venientem in hunc mundum;* et mons erat ille Joannes Baptista, qui dixit, *Non sum ego Christus*, ne quisquam in monte spem ponens, caderet ab illo qui montes illustrat. Et ipse confessus, ait: *Quoniam de plenitudine ejus omnes accepimus,*) ita debes dicere: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Ne auxilium quod tibi venit, montibus imputes, sed sequaris et dicas: *Auxilium meum a Domino qui fecit cœlum et terram.* Ergo, fratres, ad hoc ista monuerim, ut quando erexistis cor ad Scripturas, cum sonaret Evangelium: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, et cætera. Quæ lecta sunt ut intelligatis vos levasse oculos in montes. Nisi enim ista dicerent, unde omnino cogitaretis, non inveniretis. Ergo ex montibus venit vobis auxilium, ut hæc vel audiretis: si nondum potestis intelligere quod audistis, invocate auxilium *a Domino qui fecit cœlum et terram*, quia montes sic potuerunt loqui, ut non possint ipsi illuminare, quia et ipsi illuminati sunt audiendo. Inde qui hæc dixit accepit, Joannes ille, fratres, qui discumbebat super pectus Domini, et de pectore Domini bibebat quod nobis propinaret. Sed propinavit verba. Intellectum autem inde debes capere, unde et ipse biberat, qui tibi propinavit. » Istis etiam paria hic idem doctor in prædicti operis homilia duodecima loquitur, cum verba Joannis Baptistæ tractaret, qui ad discipulos suos Joannes respondit, dicens: « Non potest homo accipere quidquam, nisi datum fuerit ei de cœlo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim « *Ego non sum Christus*. Tanquam dicens: Quid vos fallitis? Vos ipsi mihi quomodo proposuistis istam quæstionem? Quid mihi dixistis? *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui testimonium perhibuisti?* Nostis ergo quale testimonium illi perhibui modo? Dicturus sum non esse illum quem dixi esse ego, qui aliquid accepi de cœlo, ut aliquid essem. Inanem me vultis esse, ut loquar contra veritatem. Non potest homo accipere quidquam, nisi datum fuerit ei de cœlo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim: *Ego non sum Christus.* Non es tu Christus! Sed quid si major illo, quia tu illum baptizasti? Missus sum. Ego præco sum, ille judex est. Et audi testimonium multo vehementius, multo expressius. Videte quid nobiscum agitur. Videte quid amare debeamus. Videte quia aliquem hominem amare præ Christo, adulterium est. Quare hoc dico, attendamus vocem Joannis. Poterat in illo errari; poterat ipse putari qui non erat: respuit a se falsum honorem, ut teneat solidam veritatem. Videte quid dicat Christum, quid se; *Qui habet sponsam, sponsus est.* Casti estote, sponsum amate. Quid autem tu es? Quid nobis dicis? *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* » Et post pauca: « Vide, inquit, stantem in solido: *Non sum dignus corrigiam calciamenti ejus solvere.* Bene te humilias, merito stas, merito non cadis, merito audis, et gaudio gaudes propter vocem sponsi. Sic et Apostolus amicus sponsi zelat, et ipse non sibi, sed sponso. Audiat vocem zelantis zelo Dei. Vos zelo dixit, non meo, non mihi, sed zelo Dei. Unde? Quomodo? Quem zelas, cui zelas? *Desponsavi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Quid ergo times? Quare zelas? *Timeo,* inquit, *ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et vestri sensus corrumpantur a castitate, quæ est in Christo.* Omnis Ecclesia, virgo appellata est. Diversa esse membra Ecclesiæ, diversis pollere donis videtis atque gaudetis. Alii conjugati, aliæ conjugatæ; alii viduati, uxores ultra non quærunt; aliæ viduatæ, maritos ultra non quærunt; alii integritatem ab ineunte ætate conservant; aliæ virginitatem suam Deo voverunt. Diversa sunt munera; sed omnes isti, una virgo est. Ubi ista virginitas? Non enim in corpore. In corpore paucarum feminarum. Etsi dici virginitas in viris potest, paucorum sanctitas. Integritas etiam corporis est in Ecclesia, et honorabilius membrum est. Alia autem sunt membra in corpore: sed omnia in mente servant virginitatem. Quæ est virginitas mentis? Integra fides, solida spes, sincera charitas. Hanc virginitatem timebat ille qui zelabat sponso a serpente corrumpi. Sicut enim membrum corporis violatur in quodam loco, sic seductio linguæ violat virginitatem cordis. »

VIII. Ex libro de Civitate Dei IX (Cap. 23) sancti Augustini: Quod licet sancti angeli atque homines nuncupentur dii, nequaquam tamen possint iidem sancti angeli appellari dii deorum, id est, hominum sanctorum. Ex qua consideratione colligitur, quia si angeli sancti non possunt dici dii hominum, multo minus homines. Ait itaque idem doctor: « Verumtamen cum a nobis quæritur, si homines dicti sunt dii, quod in populo dii sunt, quem per angelos vel per homines alloquitur Deus; quanto magis immortales eo nomine digni sunt, qui ea fruuntur beatitudine,

ad quam Deum colendo cupiunt homines pervenire; quid respondebimus, nisi non frustra in Scripturis sanctis expressius homines nuncupatos deos, quam illos immortales et beatos, quibus nos æquales futuros in resurrectione promittitur; ne scilicet propter illorum excellentiam aliquem eorum nobis constituere Deum infidelis auderet infirmitas. Quod in homine facile est evitare. Et evidentius dici debuerunt homines dii in populo Dei, ut certi ac fidentes fierent eum esse Deum suum, qui dictus est Deus deorum. Quia etsi appellantur dii immortales illi, et beati, qui in cœlis sunt, non tamen dicti sunt dii deorum, id est, dii hominum in populo Dei constitutorum, quibus dictum est : *Ego dixi : dii estis, et filii Excelsi omnes.* Hinc est quod ait Apostolus : *Etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, ( sicuti sunt dii multi, et domini multi ) nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso ; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* »

IX. His ita se habentibus, est modus divinæ, sive evangelicæ, vel etiam humanæ gloriæ ; sicut Alchimus Avitus episcopus Viennensis in Dialogo, ubi cum Gundobado rege loquitur, dicit : « Illud tamen quod ab æqualitate cœlestis gloriæ Patrem et Filium, perinde ut creaturam angelicam secludentes, quamdam mihi invidiam illicite supernis virtutibus delati honoris obtenditis, dicentes : Ergo et angelis, atque archangelis, et quæcunque in excelsis sunt, gloriam ferre debemus ; licet minime pertineat ad causam, etiam ad præsens non omnino sic renuo, quasi creaturæ sublimi atque præstanti gloriam ferre timeamus. Est quippe divinæ, est angelicæ, est etiam humanæ gloriæ modus, quem in multis Scripturarum locis inveniamus et sanctorum meritis et apicibus regum sine vitio assentationis ascribi. Quæ enim inter homines prima gloria, gloria hæc est omnibus sanctis ejus ; et in Evangelio Dominus dicit, quod nec Salomon in omni gloria sua sic vestitus est, sicut lilii flosculus specie naturali. »

X. Audiamus nunc his paria beatum Hieronymum prædicantem. Dicit enim in epistola quam pro [a] schismate Vigilantii ad Riparium presbyterum transmisit : « Nos autem, non dico martyrum reliquias, sed nec solem quidem et lunam, et angelos, et archangelos, non seraphim, non cherubim, et omne nomen quod nominatur in præsenti sæculo, et in futuro, colimus et veneramur ; ne serviamus creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum cujus sunt martyres adoremus. Honoramus vos, ut honores servorum redundent ad Dominum, qui ait : *Qui vos suscipit, me suscipit.* »

XI. Consonat huic beatus Augustinus in libro primo de Civitate Dei ( Cap. 13 ), ita loquens : « Nec contemnenda et abjicienda corpora defunctorum justorum, quibus tanquam organis et vasis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis et annulus, ac si quid hujusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes major affectus ; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius atque conjunctius quam quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Unde et antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, et exsequiæ celebratæ, et sepultura provisa ; ipsique cum viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus, filiis mandaverunt. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretiosum supra membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorifice tegendum sepeliendumque curarunt. Verumtamen istæ auctoritates non hoc admonent, quod insit ullus cadaveribus sensus ; sed ad Dei providentiam, cui etiam talia pietatis officia placent, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam. »

Item Augustinus in libro octavo ejusdem operis (Cap. 27) : « Nec tamen martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus : quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis fictisque convictis. Quod etiamsi qui antea sentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus : Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane? cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos et homines et martyres fecit, et sanctis suis angelis cœlesti honore sociavit; ut ea celebritate et Deo vero illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium , ex illorum memoriæ renovatione adhortemur. Quæcunque igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tanquam deorum. Quicunque etiam epulas suas eo deferunt; quod quidem a Christianis melioribus non fit, et in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo : tamen quicunque id faciunt,

BALUZII NOTÆ.

[a] *Schismate Vigilantii.* Celebris est hic homo ob aculeatas Hieronymi in eum scriptiones. Et constat hominem fuisse valde hæreticum, ac meritum ut adversus eum excandesceret Hieronymus. Ac vulgo putant hominem fuisse Hispanum. Sed illam opinionem esse falsam evincit illustrissimus vir Petrus de Marca archiepiscopus Parisiensis in Dissertatione de patria Vigilantii, quam olim in publicum exire faciemus. Probat autem Aquitanum fuisse.

quas cum apposuerint orant et auferunt ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum. Non autem esse ista sacrificia martyrum novit, qui novit unum, quod etiam illic offertur sacrificium Christianorum. Nos itaque martyres nostros, nec divinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, sicut colunt pagani deos suos; nec sacrificia illis offerimus, nec eorum probra in eorum sacra convertimus. »

Dicit etiam in libro quem de sex dierum opere scripsit (Quæst. in Gen. lib. I, cap. 84), quod statuit lapidem Jacob, quem sibi ad caput posuerat, et constituit eum titulum, et perfudit illum oleo, non aliquid idololatriæ simile fecit. Non enim vel tunc vel postea frequentavit lapidem adorando, aut ei sacrificando; sed signum fuit in prophetia evidentissime constitutum, quæ pertinent ad unctionem. Unde Christi nomen a chrismate est. Non solum enim lapidi sacrificandum non est, sed nec ulli corporali incorporalive creaturæ, [a] nec in alicujus honorem præter solius vivi Dei templum construendum. Quod cum in aliis, tum in disputatione quam cum Maximo Manichæo incomminus habuit, probat beatus Augustinus his verbis: « Si Deus Spiritus sanctus non esset, templum utique nos ipsos non haberet. Scriptum est quippe in Apostolo: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* Et iterum: *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo?* Nonne si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Christi, et ad Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum debetur Deo? »

XII. Deus igitur solus est, sicut jam superius multoties ostendimus, in quo spem nostræ beatitudinis collocare debemus, sicut idem Pater in libro de Doctrina Christiana primo his verbis insinuat, dicens (Lib. I, cap. 32, 33): « Cujus nos miseremur, et cui consulimus, ad ejus quidem utilitatem id facimus, eamque intuemur. Sed nescio quomodo etiam nostra sit consequens, cum eam misericordiam quam impendimus egenti sine mercede non relinquit Deus. Hæc autem merces summa est, ut ipso perfruamur, et omnes qui eo fruimur, nobis etiam invicem in ipso perfruamur. Nam si in nobis id facimus, remanemus in via, et spem beatitudinis nostræ in homine aut in angelo collocamus: quod et homo superbus et angelus superbus arrogant sibi, atque in se aliorum spem gaudent constitui. Sanctus autem homo et sanctus angelus etiam fessos nos atque in se quiescere et remanere cupientes reficiunt potius, aut eo sumptu quem propter nos, aut illo etiam quem propter se acceperunt, acceperunt tamen, atque ita refectos in illum ire compellunt, quo fruentes pariter beati simus. Nam et Apostolus exclamat: *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati estis?* Et: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et angelus hominem se adorantem monet, ut illum potius adoret, sub quo ei Domino etiam ipse conservus est. Cum autem homine in Deo frueris, Deo potius quam homine frueris. Illo enim frueris quo efficieris beatus; et ad eum te pervenisse lætaberis, in quo spem ponis ut venias. Inde ad Philemonem Paulus: *Ita, frater,* inquit, *ego te fruar in Domino.* Quod si non addidisset, *in Domino*, et *te fruar* tantum dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suæ. »

XIII. Quod autem sola rationalis creatura possit effici beata, et hoc ipsum bonum non habeat nisi a Deo, idem doctor testatur in libro de Civitate Dei XII (Cap. 1), ita loquens: « Non est creaturæ rationalis vel intellectualis bonum, quo beata sit, nisi Deus. Itaque quamvis non omnis beata possit esse creatura (neque enim hoc munus adipiscuntur aut capiunt feræ, ligna, saxa, et si quid ejusmodi est), ea tamen quæ potest, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo, a quo creata est. Hoc enim adepto beata est, quo amisso, misera est. Ille vero qui non alio, sed se ipso bono beatus est, ideo miser non potest esse, quia non se potest amittere. Dicimus itaque immutabile bonum non esse, nisi unum verum beatum Deum: ea vero quæ fecit, bona quidem esse quod ab illo, verumtamen mutabilia, quod non de illo, sed de nihilo facta sunt. Quanquam ergo summa non sint quibus est Deus majus bonum; magna sunt tamen ea mutabilia bona quæ adhærere possunt, ut beata sint, immutabili bono, quod usque adeo bonum eorum est, ut sine illo misera esse necesse sit. »

Ex libro de vera Religione (Cap. 55): « Non sit ergo nobis religio cultus corporum æthereorum atque cœlestium, sed ejus cujus contemplatione beati sunt. Neque enim et nos videndo angelum beati sumus, sed videndo veritatem, qua etiam ipsos diligimus angelos, et eis congratulamur. Nec invidemus quod eo paratiores et nullis molestiis interpedientibus perfruuntur: sed magis eos diligimus, quoniam et nos tale aliquid sperare a communi Domino jussi sumus. Quare honoramus eos charitate, non servitute. Nec eis templa constituimus. Nolunt enim se sic honorari a nobis, quia nos ipsos, cum boni sumus, templa summi Dei esse noverunt. »

Nam et cum exaudiunt angeli, Deus exaudit tanquam in vero nec manufacto templo suo, sicut in omnibus sanctis suis, ejusque temporaliter fiunt

## BALUZII NOTÆ.

[a] *Nec in alicujus honorem.* Sic ait Agobardus non licere cuiquam dedicare templum in honorem alicujus sancti, sed tantum solius Dei. Sed opinor mutaturum fuisse sententiam, si hoc nostro sæculo vixisset, quo receptum est ecclesias dedicari in honore sanctorum. Olim ecclesiæ dedicabantur in honorem Dei; et in eis erant memoriæ martyrum.

jussa æterna sine lege conspecta. Nec movere debet, quod cum sit invisibilis, sæpe visibiliter patribus apparuisse memoratur. Sicut enim sonus qui auditur, sententia in silentio intelligentiæ constituta, non est hoc quod ipsa, ita et species qua visus est Deus in natura invisibili constitutus, non erat quod ipse. Verumtamen ipse in eadem specie corporali videtur; sicut illa sententia ipsa in sono vocis auditur; nec illi ignorabant invisibilem Deum in specie corporali, quod ipse non erat, se videre. Nam et loquebatur cum loquente Moyses, et ei tamen dicebat: *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum scienter, ut videam te.*

XIV. Item Augustinus in libro quinto (Cap. 1) de Trinitate dicit: « Ea quæ de natura incommutabili et invisibili, summoque vivente, et sibi sufficiente, dicuntur non esse consuetudine visibilium, atque mutabilium, et mortalium, vel egenarum rerum metienda, sed etiam in his, inquit, etiam quæ nostris corporalibus adjacent sensibus, vel quod nos ipsi in interiore homine sumus, scientia comprehendere laboremus, nec sufficiamus, non tamen impudenter in illa quæ supra sunt divina et ineffabilia pietas fidelis ardescit, non quam suarum virium inflat arrogantia, sed quam gratia ipsius Creatoris et Salvatoris inflammat. Nam quo intellectu homo Deum capit, qui ipsum intellectum suum, quo cum vult capere, nondum capit? Si autem hunc jam capit, attendat diligenter nihil eo esse in sua natura melius, et videat utrum videat ibi ulla lineamenta formarum, nitores colorum, spatiosam granditatem, partium distantiam, molis distinctionem, aliquas per locorum intervalla motiones, vel quid ejusmodi. Nihil certe istorum invenimus in eo quo in natura nostra nihil melius invenimus, id est, in nostro intellectu, quo sapientiam capimus, quantum capaces sumus. Quod ergo non invenimus in meliore nostro, non debemus in illo quærere quod longe melius est meliore nostro. Ut sic intelligamus Deum si possumus, quantum possumus, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest omnimodo invenire quid sit, pie tamen cavet, quantum potest, aliquid de illo sentire quod non sit. »

XV. Quantum autem visibilia noceant ad invisibilia capienda, et quantum amor corporearum rerum, etiam bonarum, ad spiritalia contemplanda, ipse Dominus demonstrat, dicens: *Ego veritatem dico vobis. Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos* (*Joan.* XVI, 7). In quibus verbis hunc sensum esse sæpe nominatus pater Augustinus (docet) (Tract. XCV in Joan. cap. XVI): « Expedit vobis ut hæc forma servi auferatur a vobis. Caro quidem factum Verbum habito in vobis; sed nolo adhuc me carnaliter diligatis, et isto lacte contenti, semper infantes esse cupiatis. Si alimenta tenera, quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esurietis; si carnaliter esurire non destiteritis, capaces Spiritus non eritis. Nam quid est, *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos?* Nunquid hic positus, eum non poterat mittere? Quis hoc dixerit? Neque enim ubi ille erat, iste inde recessit. Quid est ergo, *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos?* nisi, Non potestis capere Spiritum, nisi carnaliter desinatis diligere Christum. Unde ille qui jam ceperat Spiritum: *Etsi noveramus Christum*, inquit, *secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Ipsam quippe carnem Christi, non secundum carnem vocavit, qui Verbum carnem factum spiritaliter novit. Hoc nimirum significare voluit magister bonus, dicendo: *Si enim non abiero, Paracletus non veniet. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Christo autem descendente corporaliter, non solum Spiritus sanctus, sed et Pater, et Filius illis adfuit spiritualiter. Ac per hoc, cum ex carnalibus essent spiritales futuri, profecto et Patrem et Filium et Spiritum sanctum capacius fuerant habituri. »

XVI. Nemo igitur sapientum ignorat, quod homo fidelis, ut proficiat ab exterioribus, introrsus trahendus est, non ab interioribus exterius projiciendus, ut deficiat. Transire enim debet de carne ad animam, de corpore ad spiritum, de visibilibus ad invisibilia, de mundo ad Deum. Et iste dicitur profectus, si [a] ad meliora quis transeat, non ad deteriora. Melius vero esse animum, deterius corpus, eminentius spiritum, infimam carnem, novit qui ea quæ paulo superius sunt posita sancti Augustini verba legit et intelligit. Multo autem his deteriora esse quæ humana et carnalis præsumptio fingit, etiam stulti consentiunt. In quo genere istæ quoque inveniuntur, quas [b] sanctas appellant imagines non solum sacrilegi, ex eo quod divinum cultum operibus manuum suarum exhibent; sed et insipientes, sanctitatem eis quæ sine anima sunt imaginibus tribuendo: nec hoc solum, sed sanctificationem quoque, quam per Verbum Dei fieri testatur Apostolus, eis quæ nunquam locuta sunt simulacris dementer concedendo. Denique Gedeon, qui, teste angelo, virorum fortissimus exstitit, et mortuus dicitur in senectute bona, postulavit, ut narrat Scriptura divina, a sociis de præda inaures

BALUZII NOTÆ.

[a] *Ad meliora quis transeat.* Sic Polycarpus apud Eusebium lib. IV, cap. 15, ait: « Neque enim nobis a melioribus ad deteriora mutabilis mens est. Pulchrum quidem atque honestum ducimus a vitiis ad virtutem transcurrere. » Ex versione viri clarissimi Henrici Valesii.

[b] *Sanctas appellant imagines.* Indignatur Agobardus, et merito, quod sanctas imagines dicerent, sanctitatem rebus inanimatis tribuentes, et operibus manuum suarum. Nihil tamen vetat quin aliquo modo dici possint sanctæ, habita ratione personarum quæ in tabulis illis pictæ sunt, vel fictæ. Atque ob eam causam eas sanctas vocat Beda in Historia abbatum Wiremuthensium nuper edita.

aureas, et accepit; fecitque ex eis Ephod, et posuit illud in civitate sua Ephra; fornicatusque est omnis Israel in eo : et factum est Gedeoni et omni domui ejus in ruinam. Licet enim ille hoc in honorem Dei fecerit, tamen quia non in loco quem Dominus elegerat, sed in sua illud voluit ponere civitate, quod utique lex vetuerat, non, ut putavit, elevationem consecuta exinde est domus ejus, sed eversionem. Et ut noverimus non diis alienis illud a Gedeone factum, statim sequitur : *Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel, et fornicati sunt cum Baalim.* Ubi fornicati sunt in Ephod, nec aversi dicuntur, ut subaudiamus a Deo; nec Baalim, vel Astaroth aut aliquid idolum nominatur : ubi autem cum diis alienis, statim designantur Baalim, quod apud Hebræos pluralis numeri est, quod idola solet significare in Scriptura divina. Sicut etiam cum unum vitulum populus errans fecisset in eremo, dictum est : *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

XVII. Non solum vero divinum deferre honorem quibus non licet, sed et ambitiose honorare [a] sanctorum memorias ob captandam gloriam popularem, reprehensibile est. Arguit super his Dominus Pharisæos in Evangelio, teste beato Hieronymo, his verbis : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum, et dicitis : Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus socii eorum in sanguine prophetarum* (*Matth.* XXIII, 29, 30). Dicit itaque præfatus doctor prudentissimo syllogismo, qui arguit eos filios esse homicidarum, dum ipsi opinione bonitatis et gloriæ in populo sepulcra ædificant prophetarum, quos majores eorum interfecerunt, et dicunt (In Matth. cap. 23) : « Si fuissemus in illo tempore, non fecissemus ea quæ fecerunt patres nostri. Hoc autem etiam si sermone non dicant, opere loquuntur, ex eo quod ambitiose et magnifice ædificant memorias occisorum, quos a patribus suis esse jugulatos non negant. »

XVIII. Verum ne quis putet spernendum testimonium singulorum sanctorum, libet non unius hominis, sed unius Ecclesiæ hoc loco testimonium inserere, ex quo perspicue pateat quis antiquis fidelibus fuerit in divino honore cultus, vel quis amor erga memorias sanctorum. Denique Ecclesia Dei, quæ catholicis de passione Polycarpi inter cætera de veneratione sanctorum martyrum ita loquitur (Euseb. lib. IV, cap. 15) : « Sed ille æmulus totius boni, et adversarius omnium justorum, postquam vidit quod et per martyrii gloriam et pro vitæ egregiæ virtutibus coronatus est, et per mortem præmia immortalitatis indeptus, satis agere cœpit ut reliquias ejus ad sepulturam nostris desiderantibus non concederet. Instigabatur ergo Niceta Herodis pater, frater autem Dalcæ, adire judicem, ut

A peteret ab eo ne humandum concederet corpus; ne forte, inquit, relinquentes illum qui crucifixus est, Christiani hunc dolere incipiant; Judæis maximo ista machinantibus, qui et nostros in tantis oculis observarunt, ne eum flammis adhuc ardentibus raperent, ignorantes miserrimi quia neque Christum aliquando possumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi salute sustinuit, neque alium quemquam colere, quippe qui verum Deum, et qui solus colendus sit, noverimus; martyres vero tanquam discipulos Domini diligamus et veneremur, quasi integre fidem magistro servantes et Domino, quorum nos quoque in fide et perseverantia charitatis optamus esse participes. Ubi autem vidit centurio tam obstinatam Judæorum contentionem, positum B in medio ipsum corpus exussit; et ita nos postmodum ambusta ossa, pretiosissimis gemmis chariora, et omni auro probabiliora per ignem facta, collegimus, ac, sicut conveniebat ex more, condidimus. Quo in loco etiam nunc præstante Domino solemnes agimus celebresque conventus; maxime quidem in die passionis ejus. Sed cum eorum memorias, qui prius passi fuerant, celebramus, ideo facimus, ut sequentium animi ad prædecessorum viam exemplis insignibus suscitentur. »

Hæc de Historiæ Ecclesiasticæ libro quarto sumpta, ut inter cæteras divinæ legis vel sanctorum Patrum auctoritates teneant locum. Cumque omnium una sententia sit, cultum religionis soli Deo deberi, quid superest fidelibus, nisi ut purgatis ab omni C figmentorum profana servitute animis, totis viribus decertemus, quatenus veraciter illud quod scriptum est, dicere valeamus : *Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores, cujus aspectus insensato dat concupiscentiam, et diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima. Malorum amatores sunt qui spem in talibus habent, et qui faciunt illos, et qui diligunt, et qui colunt.* Et iterum : *Nemo enim sibi similem homo poterit Deum fingere. Cum sit enim mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior est enim ipse his quos colit : quia ipse quidem vixit, cum esset mortalis, illi autem nunquam* (*Sap.* XV, 4 *seqq.*).

XIX. Dicit forsitan aliquis non se putare imagini D quam adorat aliquid inesse divinum, sed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies est, tali eam veneratione donare. Cui facile respondetur, quia si imago quam adorat, Deus non est, nequaquam veneranda est, quasi pro honore sanctorum, qui nequaquam divinos sibi arrogant honores, sicut multis jam supra testimoniis est ostensum. Illud quoque memoria dignum, quod, sicut memoratæ historiæ undecimus continet liber, destructis apud Alexandriam delubris ac simulacris idolorum, tantus fervor Christianitatis a dæmonibus ad Christum-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Sanctorum memorias*, id est, templa, in quibus sanctorum corpora jacent sepulta, vel ubi solemnis eorum memoria agitur.

conversos inflammavit, ut unusquisque crucis Dominicæ signum in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisque depingeret. O quam sincera religio! Crucis vexillum ubique pingebatur, non aliqua vultus humani similitudo; Deo scilicet hæc mirabiliter, etiam ipsis forsitan nescientibus, disponente. Si enim sanctorum imagines hi qui dæmonum cultum reliquerant venerari juberentur, puto quod videretur eis non tam idola reliquisse, quam simulacra mutasse.

XX. Quod autem imagines apostolorum et ipsius Domini ob amorem potius et recordationem, quam ob religionis honorem, aut aliquam venerationem more gentilium, ab antiquis expressæ vel conservatæ sint, Eusebius Cæsariensis in libro septimo (Cap. 18) Ecclesiasticæ Historiæ ostendit, interserens hujusmodi narrationem, cum de his quæ apud Cæsaream Philippi gesta compererat aliqua perstrinxisset. Ait ergo: « Verum quia urbis hujus fecimus mentionem, justum videtur commemorare etiam illud in ea gestum, quod historia dignum duximus. Mulierem quam sanguinis profluvio laborantem a Salvatore curatam Evangelia tradiderunt, hujus urbis civem constat fuisse; domusque ejus in ea etiam nunc ostenditur. Pro foribus vero domus ipsius basis quædam in loco editiori collocata monstratur, in qua mulieris ipsius veluti genibus provolutæ palmasque suppliciter tendentis imago ære videtur expressa. Astat vero alia ære nihilominus fusa statua, habitu viri, stola compte circumdati, et dexteram mulieri porrigentis. Hujus ad pedem statuæ, e basi herba quædam nova specie nascitur; quæ cum exorta fuerit, excrescere usque ad stolæ illius ærei indumenti fimbriam solet; quam cum summo vertice crescens herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos languoresque conquirit; ita ut quæcunque illa fuerit infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, nihil omnino virium gerens, si antequam æreæ fimbriæ summitatem crescendo contigerit, decerpatur. Hanc statuam ad similitudinem vultus Jesu formatam tradebant: quæ permansit ad nostra usque tempora, sicut oculis nostris ipsi inspeximus. Et nihil mirum, si hi qui ex gentibus crediderant pro beneficiis quæ a Salvatore fuerant consecuti, hujusmodi velut munus videbantur offerre; cum videamus etiam nunc et apostolorum Petri vel Pauli et ipsius Salvatoris imagines designari, tabulasque depingi; sed et antiquas ipsorum imagines a quibusdam conservatas nos vidimus. Quod mihi videtur ex gentili consuetudine indifferenter observatum, quod ita soleant honorare quos honore dignos duxerint: insignia etenim veterum reservari ad posterorum memoriam, illorum honoris, horum vero amoris indicium est. Denique et Jacobi cathedra, qui primus in terris episcopus ab ipso Salvatore et ab apostolis in Hierosolymis est electus, quemque fratrem Christi volumina designant, usque in hodiernum inibi conservatur. Ita in ea sedent omnes qui A usque ad præsens tempus sedis illius sacerdotium sortiuntur. » Hactenus Eusebius.

XXI. Beda quoque, Anglorum gentis homo, et suo tempore divinis litteris non mediocriter imbutus, cum de mari quod in templo Domini a Salomone factum est pertractaret, intulit post hæc verba: « Notandum sane quia sunt qui putant lege Dei prohibitum, ne vel hominum vel quorumlibet animalium sive rerum similitudines sculpamus, aut depingamus in Ecclesia, vel alio quolibet loco; eo quod in Decalogo legis dixerit: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra.* Qui nequaquam hoc putarent, si vel Salomonis opus ad memoriam revocassent, B quo et in templo intus palmas fecit et cherubim, cum variis cælaturis, et in columnis illius mala granata et retes, in mari quoque æneo duodecim boves, et sculpturas histriatas, sed et in vasibus laterum, ut in sequentibus legitur, leones cum bobus, palmas, axes et rotas, cum cherubim et vario picturarum genere fecit; vel certe ipsius Moysi opera considerassent, qui, jubente Domino, et cherubim prius in propitiatorio, et postea serpentem fecit æneum in eremo, cujus intuitu populus a ferarum serpentium veneno salvaretur. Si enim licebat serpentem exaltari æneum in ligno, quem aspicientes filii Israel viverent; cur non licet exaltationem Domini Salvatoris in cruce, qua mortem vicit, C ad memoriam fidelibus depingendo reduci; vel ad alia ejus miracula et sanationes, quibus de eodem mortis auctore mirabiliter triumphavit; cum horum aspectus multum sæpe compunctionis soleat præstare contuentibus, et eis quoque qui litteras ignorant, quasi vivam Dominicæ historiæ pandere lectionem? Nam et pictura Græce ζωγραφία, id est viva scriptura vocatur. Si licuit duodecim boves æneos facere, qui mare superpositum ferentes quatuor mundi plagas terni respicerent; quid prohibet duodecim apostolos pingere, quomodo euntes, omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, viva ut dixerim præ oculis omnium designari scriptura? Si contra legem non fuit in eodem mari sculpturas historiatas in gyro D decem cubitorum fieri; quomodo legi contrarium putabitur, si historias sanctorum ac martyrum Christi sculpamus sive pingamus in tabulis, qui per custodiam divinæ legis ad gloriam meruerunt æternæ retributionis attingere? Verum si diligentius verba legis attendamus, forte patebit non interdictum imagines rerum aut animalium facere, sed hæc idololatriæ gratia facere omnimodis esse prohibitum. Denique dicturus in monte sancto Dominus: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, præmisit: *Non habebis deos alienos coram me.* Deinde subjunxit: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra.* Atque ita conclusit: *Non adorabis ea, neque*

*coles* (*Deut.* v, 8, 9). Quibus verbis aperte declaratur quod illæ similitudines fieri prohibentur ab hominibus, quæ in venerationem deorum alienorum facere solent impii, quæque ad colendum atque adorandum gentilitas errabunda reperit. Cæterum simpliciter hæc fieri nulla, ut reor, legis divinæ littera vetat. Alioquin et Dominus tentantibus se Pharisæis de tributo Cæsari reddendo, in quo nomen et imaginem Cæsaris expressam esse dicebant, nequaquam ita responderet : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Sed potius eorum corrigeret errorem, dicens : Non licet vobis in percussura auri vestri imaginem facere Cæsaris, quia talem sculpturam lex divina prohibet. Esset namque locus ut ostenso sibi numismate census hoc diceret, si in eo Cæsaris imago, cujus idololatriæ, et non ad judicium magis regiæ potentiæ, esset formata. » Hæc de præfati viri libello sumpsisse sufficiat.

XXII. Legimus vero [a] in Gestis beati Silvestri papæ, Constantinum imperatorem necdum fonte vitæ renatum, sanctorum apostolorum Petri et Pauli vultus ostensis a prædicto papa tabulis, in quibus utriusque apostoli effigies antiquitus ad memoriam expressa servabatur, sicut visione nocturna sibi ostensi fuerant, cognovisse et illico adorasse. Sed nunquid hac auctoritate Constantini adorare sancti alicujus imaginem debemus, cum idem imperator magis hoc ex consuetudine idololatriæ pestifera fecerit, quam ex consideratione verissimæ rationis, quam necdum ipse cognoverat? Et ne id præsumptive astruere videamur, beati Ambrosii Mediolanensis episcopi, viri doctrina et sanctitate præcipui, auctoritatem inserimus : qui in revelatione quæ ei sanctorum martyrum Gervasii et Protasii fuit ostensa, refert beatum Paulum apostolum, qui illis duobus tacentibus loquebatur, ex recordatione picturæ ipsius agnovisse; nec tamen usquam scribit, non dicam picturam illius, sed ne præsentem quidem apostolum, ac secum loquentem, ullatenus adorasse. [b] Quemdam quoque presbyterum beatus Paulinus per epistolam acriter increpat, quoniam poposcerat ut ei suam et uxoris suæ picturam transmitteret, ut hos, quos absentes amabat, præsentes eo modo semper haberet. [c] Forojuliensem etiam episcopum beatus papa Gregorius arguisse

A legitur, ideo quod imagines apostolorum de sua basilica eraserat ob superstitionem vulgi eas contra regulam fidei adorantis, ac non potius rationabili auctoritate ejusmodi errorem correxit, pictura illæsa ad posterorum memoriam permanente.

XXIII. Beatus vero Augustinus in libro de Civitate Dei x (Cap. 8) dixit inter cætera : « Legimus serpentis morsus mortiferos, ad pœnam justissimam peccatorum, in ligno exaltato atque prospecto æneo serpente sanatos, ut et populo subveniretur afflicto, et mors morte destructa, velut crucifixæ mortis similitudine signaretur : quem sane serpentem, propter facti memoriam reservatum, cum postea populus errans tanquam idolum colere cœpisset, Ezechias rex religiosa potestate Deo serviens, cum
B magna pietatis laude contrivit. » Idem etiam Pater in libro primo (Cap. 10) de Concordia Evangelistarum, quem contra paganos edidit, disputat de illis qui Dominum Jesum Christum dicebant epistolari sermone librum scripsisse, et Petro ac Paulo tradidisse, et dicit : « Cum enim vellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitaverunt ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tanquam ad illos qui ei familiarius adhæsissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur. Et occurrit eis Petrus et Paulus. Credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderent, quia merita Petri et Pauli etiam propter eumdem passionis diem celebrius solemniter Roma commendat : et sic omnino errare meruerunt qui Chri-
C stum et apostolos ejus non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsiverunt. » Hæc sanctus Augustinus. Ex quibus manifeste colligitur, quia si serpentem æneum quem Deus fieri præcepit, quoniam errans populus tanquam idolum colere cœpit, Ezechias religiosus rex cum magna pietatis laude contrivit; multo religiosius sanctorum imagines (ipsis quoque sanctis faventibus, qui ob sui honorem cum divinæ religionis contemptu, eas adorari more idolorum indignantissime ferunt) omni genere conterendæ et usque ad pulverem sunt eradendæ; præsertim cum non illas fieri Deus jusserit, sed humanus sensus excogitaverit.

XXIV. Quod autem Deus castius absque simula-
D cris veneretur, testis est etiam Quintus Lucilius Balbus gentilis philosophus; sicut præfatus doctor

BALUZII NOTÆ.

[a] *In Gestis beati Sylvestri.* Hunc quoque locum laudat Carolus Magnus in Capitulari de non adorandis imaginibus lib. II, cap. 13, itemque synodus Parisiensis habita anno 824, et Walafridus Strabo in capite octavo libri de rebus ad Ecclesiam pertinentibus. Verum Carolus Magnus censet librum illum Actuum beati Silvestri, ubi de imaginibus Constantino imperatori delatis scribitur, nullius esse auctoritatis, eo quod inter catholicos libros recensitus non sit in Decretali Gelasii.

[b] *Quemdam presbyterum.* Sulpitium Severum Primuliacensem presbyterum, ut patet ex epistola octava Paulini ad Severum, in qua sic scriptum est : « Quid enim tibi de illa petitione respondeam, qua imagines nostras pingi tibi mittique jussisti ? Obsecro itaque te per viscera charitatis, quæ amoris veri solatia de inanibus formis petis ? » Verum istud nihil facit adversus adoratores imaginum. Nam Severus imagines Paulini et Therasiæ postulaverat, non tanquam adoraturus, sed ut quos absentes amabat, præsentes eo modo semper haberet ut etiam agnoscit Agobardus. Neque vero puto quemquam velle culpare hunc affectum.

[c] *Forojuliensem episcopum.* Puto memoria lapsum Agobardum, proque Sereno Massiliensi episcopo, quem variis epistolis objurgavit Gregorius ob fractas imagines, Forojuliensem episcopum dixisse. Vide S. Gregorium lib. VII, indictione 2, epist. 109, et lib. IX, indict. 4, epist. 9.

in quarto de Civitate Dei libro (Cap. 30) cum disputantem inserit his verbis : « Videtisne igitur ut a physicis rebus bene atque utiliter inventis ratio sit tracta ad commentitios et fictos deos ? Quæ res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos, et superstitiones pene aniles. Et formæ enim nobis deorum, et ætas, et vestitus, ornatusque noti sunt ; genera præterea, conjugia, cognationes, omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ. Nam et perturbatis animis inducuntur. Accepimus etiam deorum cupiditates, ægritudines, iracundias. Nec vero, ut fabulæ ferunt, dii bellis præliisque caruerunt. Nec solum, ut apud Homerum, cum duos exercitus contrarios alii dii ex alia parte defenderent, sed etiam ut cum Titanis aut cum Gigantibus sua propria bella gesserunt. Hæc et dicuntur et creduntur stultissime, et plena sunt vanitatis, summæque levitatis. Ecce interim quæ confitentur qui defendunt deos gentium. Deinde cum hæc ad superstitionem pertinere dicat, ad religionem vero quam ipse secundum Stoicos videtur dicere. Non enim philosophi solum, inquit, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur, inquit, et immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati. Quis non intelligat eum conari, dum consuetudinem civitatis timet, religionem laudare majorum, eamque a superstitione sejungere velle, sed quomodo id possit non invenire ? Si enim a majoribus illi sunt appellati superstitiosi, qui totos dies precabantur et immolabant, nunquid et illi qui instituerunt quod iste reprehendit, deorum simulacra diversa ætate et veste distincta, deorum genera, conjugia, cognationes ? Hæc utique cum tanquam superstitiosa culpantur, implicat ista culpa majores talium simulacrorum institutores atque cultores. » Et post pauca (Cap. 31) : « Dicit etiam, inquit, idem auctor acutissimus atque doctissimus, quod ii soli ei videantur animadvertisse quid esset Deus, qui crediderunt eum esse animam motu ac ratione mundum gubernantem ; ac per hoc etsi nondum tenebat quod veritas habet (Deus enim verus, non anima, sed animæ quoque est effector, et conditor), tamen si contra præjudicia consuetudinis liber esse posset, unum Deum colendum fateretur, atque suaderet, motu ac ratione mundum gubernantem, ut ea cum illo de hac re quæstio remaneret, quod eum diceret esse animam, non potius et animæ creatorem. Dicit etiam antiquos Romanos plus quam annos centum et septuaginta deos sine simulacro coluisse. Quod si adhuc remansisset, castius dii observarentur. Cujus sententiæ suæ testem adhiberet inter cætera etiam gentem Judæam. Nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat qui primi simulacra deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis metum ademisse, et errorem addidisse ; prudenter existimans deos facile posse in simulacrorum stoliditate contemni. »

XXV. Dicit etiam beatus Augustinus in libello de vera Religione, ad percipiendam veritatem nihil magis impedire, quam vitam libidini deditam, et falsas imaginationes rerum sensibilium, quæ nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressæ varias opiniones erroresque generant ; nec errorem ullum in religione esse potuisse, si anima pro Deo suo non coleret animam, aut corpus, aut phantasmata sua, quæ nihil sunt aliud, quam de specie corporis corporeo sensu attracta figmenta. Non ergo creaturæ potius quam creatori serviamus, nec evanescamus in cogitationibus nostris. Hæc perfecta religio est. Ait etiam (Cap. 25). « Cum enim Ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, et eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit. » Item ibi (Cap. 33, 34) : « Animus perverse judicat cui ad contemplandam summam pulchritudinem mens non oculus factus est. Ille vult mentem convertere ad corpora, oculos ad Deum. Quærit enim intelligere carnalia, et videre spiritalia : quod fieri non potest. Quare ista perversitas corrigenda est, quia nisi fecerit quod sursum est deorsum, et quod deorsum est sursum, regno cœlorum aptus non erit. Non ergo summa quæramus in infimis, nec ipsis infimis inhæreamus. Judicemus ea, ne cum ipsis judicemur ; id est, tantum eis tribuamus, quantum species meretur extrema ; ne cum in novissimis prima quærimus, a primis inter novissima numeremur. » Item ipse (Cap. 55) : « Non sit nobis religio, cultus hominum mortuorum : quia si pie vixerunt, non sic habentur ut tales quærant honores ; sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Non sit nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices, qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio in phantasmatis nostris. Melius est enim qualecunque verum, quam omne quidquid pro arbitrio fingi potest. Et tamen animam ipsam, quamvis anima vera sit, cum falsa imaginatur, colere non debemus. Melior est vera stipula, quam lux inani cogitatione pro suspicantis voluntate formata. Et tamen stipulam quam sentimus et tangimus, dementis est credere colendam. » Idem in epistola ad Consentium dicit (Epist. 85) : « Cogitationis carnalis compositionem vanumque figmentum ubi veneratio labefactare incipit, continuo illo intus adjuvante atque illuminante qui cum talibus idolis in corde nostro habitare non vult, ita ista confringere atque a fide nostra quodammodo excutere festinemus, ut ne pulverem quidem ullum talium phantasmatum illic remanere patiamur. »

XXVI. Quod vere temeritatis offensam incurrat, qui aliquid divinum in sacrilegos ritus usurpat, testatur idem doctor in epistola ad Januarium, ita dicens (Epist. 119, cap. 20) : « Qui de paginis evangelicis sortes legunt, etsi optandum est ut hæc po-

tius faciant, quam ad dæmonia consulenda concurrant, tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia et ad vitæ hujus vanitatem propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere. » Sic consimile quid beatus Hieronymus loquitur, cum verba Domini illa tractaret, quæ ita se habent: « Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias. Pittaciola, inquit, illa decalogi phylacteria vocabant: quod quicunque habuisset ea, quasi ob custodiam et munimentum sui haberet; non intelligentibus Pharisæis quod hæc in corde portanda sint, non in corpore: alioquin et armaria et arcæ habent libros, et Dei notitiam non habent. Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ in parvulis evangeliis, in crucis ligno, et in istiusmodi rebus (qui habent quidem zelum Dei, sed non juxta B scientiam) usque hodie factitant. »

XXVII. « De talibus institutis (ut beati quoque Leonis papæ verba ponamus [Serm. 7 in Nat. Dom.]) etiam illa generatur impietas, ut sol inchoatione diurnæ lucis exsurgens, a quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur: quod nonnulli etiam Christiani adeo se religiose facere putant, ut priusquam ad beati Petri apostoli basilicam, quæ uni Deo vero et vivo dedicata est, perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum aræ superioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se solem reflectant, et curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinent: quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu, multum tabescimus et dolemus. Quia etsi quidam forte creatorem potius pulchri luminis, quam ipsum lumen, quod est creatura, venerantur; abstinendum tamen est ab ipsa specie hujus officii; quam cum in nostris invenit qui deorum cultum reliquit, nonne hanc secum partem opinionis vetustæ tanquam probabilem retentabit, quam Christianis et impiis viderit esse communem? Abjiciatur ergo a consuetudine fidelium damnanda perversitas, nec honor uni Deo debitus, eorum ritibus, qui creaturis serviunt, misceatur. Dicit enim Scriptura divina: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies*. Et beatus Job, homo sine querela, ut ait Dominus, et continens se ab omni re mala: *Nunquid vidi*, inquit, *solem, cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam, quod est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum*. Quid est autem sol, vel quid est luna, nisi visibilis creaturæ et corporeæ lucis elementa, quorum unus majoris claritatis, aliud minoris est luminis? Sicut enim alia diurna, alia nocturna sunt tempora, ita diversam in luminaribus qualitatem Creator instituit; cum tamen prius quam hæc fierent, et dies sine solis officio, et noctes sine lunæ ministerio præcessissent. Sed condebantur ista ad faciendam hominis utilitatem, ut rationale animal, nec in distinctione mensium, nec in recursu annorum, nec in dinumeratione temporum falleretur; cum per inæqualium horarum impares moras, et dissimilium or- A tuum signa manifesta, et annos sol concluderet, et menses luna renovaret. Quarto namque, ut legimus, die dixit Deus: *Fiant luminaria in firmamento cœli, et luceant super terram, et dividant inter diem et noctem, et sint in signa et tempora, et in dies et in annos, et sint in firmamento cœli, et luceant super terram*. Expergiscere, o homo, et dignitatem tuæ agnosce naturæ. Recordare te factum ad imaginem Dei quæ etsi in Adam corrupta, in Christo tamen est reformata. Utere quomodo utendum est visibilibus creaturis, sicut uteris terra, mari, cœlo, aere, fontibus, atque fluminibus; et quidquid in eis pulchrum atque mirabile est, refer ad laudem et gloriam conditoris. Noli esse deditus ei lumini, quo volucres et serpentes, quo bestiæ et pecudes, quo muscæ delectantur, et vermes. Lucem corpoream sensu tange corporeo; et toto mentis affectu illud verum lumen amplectere quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et de quo dicit Propheta: *Accedite ad eum, et illuminamini, et vultus vestri non erubescent*. Si enim templum Dei sumus, et spiritus Dei habitat in nobis; plus est quod fidelis quisque in suo habet animo, quam quod miratur in cœlo. Non itaque vobis, dilectissimi, hoc aut indicimus, aut suademus, ut despiciatis opera Dei, aut contrarium aliquid fidei vestræ in his quæ Deus bonus bona condidit æstimetis; sed ut omni creaturarum specie et universo mundi hujus ornatu rationabiliter et temperanter utamini. *Quæ enim videntur*, sicut ait Apostolus, *temporalia sunt; quæ autem non* C *videntur, æterna sunt*. Unde quia ad præsentia sumus nati, ad futura autem renati; non temporalibus bonis dediti, sed æternis simus intenti. Et ut spem nostram possimus propius intueri, in ipso sacramento natalis Domini cogitemus quid naturæ nostræ gratia divina contulerit. Audiamus Apostolum dicentem: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria*. »

XXVIII. In quibus beati papæ et orthodoxi doctoris verbis summopere pensandum est, quia si opera manuum Dei non sunt adoranda et colenda, nec in honorem Deo; quanto magis opera manuum hominum non sunt adoranda et colenda, nec in honorem eorum quorum similitudines esse dicuntur? D Nam si ulla imago esset adoranda vel colenda, creatoris potius esset quam creaturæ. Nempe hominem fecit Deus ad imaginem et similitudinem Dei. Homo autem facere non potest quidquam, in quo sit similitudo hominis in mente ratione. Nam si exprimit utcunque sculpendo vel pingendo aliquam similitudinem corporis aut membrorum; hoc utique exprimit quod minimum est in homine, non quod maximum. Certe si adorandi fuissent homines, vivi magis quam picti, id est, ubi similitudinem habent Dei, non ubi pecorum, vel, quod verius est, lapidum sive lignorum, vita, sensu et ratione carentium. Dicit de his beatus Augustinus hoc modo in libro de vera Religione (Cap. 55): « Justi autem

homines, et in uno Deo habentes omnia gaudia sua, quando per eorum facta Deus benedicitur, congratulantur laudantibus. Cum vero ipsi tanquam ipsi laudantur, corrigunt errantes quos possunt; quos autem non possunt, non eis congratulantur, et ab illo vitio corrigi volunt. Quibus similes vel etiam mundiores atque sanctiores si sunt boni angeli, et omnia sancta Dei ministeria, quid metuimus ne aliquem illorum offendamus, si non superstitiosi fuerimus, cum ipsis adjuvantibus ad unum Deum tendentes, et ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus? » Et quibusdam interpositis : « Religet ergo, inquit, nos religio uni omnipotenti Deo : quia inter mentem nostram, qua illum intelligimus Patrem et veritatem, id est, lucem interiorem, et illum, nulla interposita creatura est. »

XXIX. In libro XXII (Cap. 10) de Civitate Dei : « Faciunt autem mirabilia martyres, vel potius Deus aut cooperantibus aut orantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos, non deos nostros esse, sed unum Deum nobiscum habere credamus. Denique pagani diis suis et templa statuerunt, et ædificaverunt aras, et sacerdotes instituerunt, et sacrificia fecerunt. Nos autem martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo et martyrum et nostri sacrificium immolamus; ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco et ordine nominantur; non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipsis, sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum; quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium, corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt et ipsi. » Hactenus beatus Augustinus.

XXX. Hæc est sincera religio, hic mos catholicus, hæc antiqua Patrum traditio, sicut etiam ex [a] Libro Sacramentorum, quem Romana tenet Ecclesia, facile comprobatur. Hunc venerationis modum qui supergreditur, aut relinquit, contemnit disciplinam Patris sui, dimittitque legem matris suæ. Ideo nec gratia capiti ejus addetur, nec torques collo. Teneatur itaque via regia. Hanc docuerunt apostoli, Ecclesiæ magistri; hanc tenuerunt arietes gregis. Dei ovis enim relinquens pastorem, aberrans a via qua præcedit aries, hæret in sentibus, devoratur a lupis. Soli Domino offeramus gloriam et honorem, nec cum simulacris fornicemur, his effecti similes de quibus Deus dicit : *Ego quoque contrivi cor eorum fornicans et recedens a me, et oculos per res varias fornicantes.* Et apostolus Petrus : *Oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti.* Hierusalem quoque fornicata dicitur cum filiis Chaldæorum, videns illos in pariete depictos. Adoretur, colatur, veneretur a fidelibus Deus; illi soli sacrificetur, vel mysterio corporis et sanguinis, quo sumus redempti; vel in sacrificio cordis contriti et humiliati. Angeli vel homines sancti amentur, honorentur, charitate, non servitute. Non eis corpus Christi offeratur, cum sint hoc et ipsi. [b] Non ponamus spem nostram in homine, sed in Deo; ne forte redundet in nos illud propheticum : *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus.* Quod catholici doctores Ecclesiæ etiam in illos redundasse confirmant, qui Dominum Jesum Christum purum hominem fuisse credebant, non etiam Deum, et idcirco erant confidentes in homine, ac per hoc maledicti.

XXXI. Nemo se fallat, nemo se seducat, nemo

BALUZII NOTÆ.

[a] *Libro Sacramentorum.* Intelligit Librum Sacramentorum sancti Gregorii, cujus exemplum habemus in illo quem vir clariss. Hugo Menardus monachus Benedictinus edidit in hac urbe Parisiensi ante hos viginti annos. Et ipse quidem existimavit esse ipsum Librum Sacramentorum sancti Gregorii. Sed nobis longe aliud persuasum est. Nam in officio feriæ quartæ post Palmas, exstat mentio diserta imperii Francorum quod evincit hunc codicem esse scriptum post annum 800, atque adeo non esse librum sancti Gregorii. Quod fugisse miror Menardum, qui in præfatione sua hinc quoque auctoritatem conciliare conatur huic codici, quod scriptus sit, ut ipse ait, ante Caroli Magni imperium, *cum in illo nulla sit imperatoris mentio.* Libri istius Sacramentorum vetus jam erat usus in Ecclesia Romana, adeoque in Gallicana. Nam Gelasius papa hujuscemodi librum scripserat, in epitomen postea redactum a Gregorio Magno, ut docet Joannes Diaconus in Vita ejusdem Gregorii, prout citatur a Bernone Augiensi in cap. primo libri De quibusdam rebus ad missam spectantibus, « Sed et Gelasianum codicem de Missarum solemniis, inquit Joannes, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla superadjiciens, in unius libelli volumine coarctavit : quod volumen Librum Sacramentorum prætitulavit. » Sed et in veteri codice ms. monasterii Rivipullensis in Catalonia sic legitur : « Incipit *Liber Sacramentorum,* editus a sancto Gelasio papa Romano, emendatus et breviatus a beato Gregorio papa sedis apostolicæ. » Vide præfationem Menardi in eum quem diximus Librum Sacramentorum. Sacramentarium vocatur in libro VII, Capitular. cap. 305.

[b] *Non ponamus spem n. in hom.* Quid? An damnat invocationem sanctorum? Non arbitror. Tum enim persuasum omnibus erat invocari debere sanctos, eos vero plurimum posse pro nobis apud Deum : quod et ipse Agobardus scribit in capite sequenti. Intelligit ergo sanctos non esse adorandos, cum et ipsi homines sint; exemplo haud dubie Petri apostoli, ad cujus pedes cum Cornelius procidisset, eum adoraturus, incanduit Petrus, et dixit : *Surge : nam et ego homo sum.* Quem locum adduxit etiam Hieronymus adversus capitalem martyrum hostem Vigilantium, dicens : « Quis enim, o insanum caput, aliquando martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum? Nonne Paulus et Barnabas, cum Lycaonibus Jupiter et Mercurius putarentur, et eis vellent hostias immolare, sciderunt vestimenta sua, et se homines esse dixerunt? non quod meliores non essent olim mortuis hominibus Jove atque Mercurio, sed quod sub gentilitatis errore honor eis Deo debitus deferretur. Quod et de Petro legimus; qui Cornelium se adorare cupientem manu sublevavit et dixit : *Surge : nam et ego homo sum.* » Vide Hincmarum in epistola secunda ad Carolum Calvum regem, cap. 8.

se circumveniat. Quicunque aliquam picturam, vel A fusilem sive ductilem adorat statuam, non exhibet cultum Deo; non honorat angelos vel homines sanctos, sed simulacra veneratur. Agit hoc nimirum versutus et callidus humani generis inimicus, ut sub prætextu honoris sanctorum rursus idola introducat, rursus per diversas effigies adoretur; ut avertat nos ab spiritalibus, ad carnalia vero demergat; ac per omnia simus digni ab Apostolo audire : *O insensati, quis vos fascinavit?* Et : *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Ita enim Satanas*, sicut dicit idem Apostolus, *transfigurat se in angelum lucis*. Denique comessationes et ebrietates introducit sub nomine charitatis, superbiam et duritiam inflexibilem constantiam imperturbati animi esse simulat, cæcumque furorem B zeli rectitudinem vocat. Ideo dicit Joannes apostolus : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, utrum ex Deo sint*. Aspiciamus picturam quasi picturam, vita, sensu, et ratione carentem. Pascatur hac visione oculus. Deum vero veneretur animus, qui et sanctis suis victoriæ coronam, et nobis intercessionis eorum tribuit adjutoria.

XXXII. Habuerunt namque et antiqui sanctorum imagines vel pictas, vel sculptas, sicut etiam superius est ostensum; sed causa historiæ, ad recordandum, non ad colendum; ut, verbi gratia, [a] gesta synodalia, ubi pingebantur catholici veritate fulti et victores, hæretici autem pravi dogmatis mendaciis detectis convicti et expulsi, ob recordationem firmitatis catholicæ fidei, juxta morem bellorum C tum externorum cum civilium ad memoriam rei gestæ; sicut et in multis locis videmus. Sed nullus antiquorum catholicorum unquam eas colendas vel adorandas fore existimavit.

XXXIII. Nunc autem error invalescendo tam perspicuus factus est, ut idololatriæ vel [b] Anthropomorphitarum hæresi propinquum aut simile sit adorare figmenta, et spem in eis habere. At quæ hujus erroris causa? Fides de corde ablata, tota fiducia in rebus visibilibus collocata. Sicut autem videntes pictos armatos viros, vel agriculturæ intentos, sive metentes, vel vindemiantes, seu stantes in navibus piscatores, et retia jaculantes, nec non venatores venabulis extensis, cum canibus ca- D preas cervosque persequentes, nec augmentum exercitus, nec adjutorium annui operis, vel acervos tritici, seu rivulos musti, nec pisces, capreas et sues ab illis nos accepturos speramus; ita quoque, si viderimus pennatos angelos pictos, prædicantes apostolos, martyres tormenta patientes, nullum ab imaginibus quas aspicimus auxilium sperare debemus; quia nec male possunt facere, nec bene. Recte nimirum, ob hujusmodi evacuandam superstitionem, ab [c] orthodoxis patribus definitum est picturas in Ecclesia fieri non debere : *Ne quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur.*

XXXIV. Illud vero qua præsumptione fit, ut sine basilica, sine altari, absque sanctorum reliquiis, super hujusmodi figmenta missæ celebrentur; cum sancti Patres in concilio Carthaginensi statuerint (*Cod. Canon. Eccl. Afric.*, *tit.* 83) : « Ut altaria quæ passim per agros aut vias tanquam memoriæ martyrum construuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab episcopis qui iisdem locis præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent; ut qui recte sapiunt, nulla sibi superstitione devicti teneantur; et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia et inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicunque constituuntur altaria, omnimodo improbentur. » Fuerunt illis diebus sufficientia hæc statuta. Necdum enim error emerserat, quo nunc de carbonibus, minioque, vel sinopide figuratæ effigies, sanctæ imagines vocarentur, et adorandæ prædicarentur.

XXXV. Nec iterum ad sua latibula fraudulenta recurrat astutia, ut dicat se non imagines sanctorum adorare, sed sanctos. Clamat enim Deus : *Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus*. Et Apostolus de Domino nostro mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*. Quale vero hoc nomen sit, consequenter exponit : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. Hanc potestatem, laudem, dominationem, hoc nomen quod est super omne nomen, nullus sanctus angelus, nullus sanctus homo sibi usurpat. Angelus enim qui usurpavit, vel homo quem usurpare suasit, uterque corruit. Si autem aliquis homo adoratur, vel angelus, præter eum qui et Deus et homo et summi esse consilii angelus, Propheta testante, perhibetur, non est aliud nomen quod sit vel super hoc nomen quod est super omne

BALUZII NOTÆ.

[a] *Gesta synodalia*. Hinc discimus, illic solitos olim pingi consessus episcoporum, ubi habita fuerant concilia, ut tantæ rei memoria inhæreret animis mortalium, fidemque faceret erroris prostrati.

[b] *Anthropomorphit. hæresi*. Hos Epiphanius in hæresi LXX *Audianos* vocans, non inter hæreticos recenset, sed inter schismaticos, dans veniam rusticitati. Nam eorum error hic erat, ut Deum sibi fingerent humana specie, secundum quam creaverit hominem ad imaginem et similitudinem suam. Tum Pascha, more Judæorum, luna XIV celebrari debere aiebant. Ejus sectæ auctor Audæus e Mesopotamia, vir plane sanctus, ac prisci moris, ut constat ex eodem Epiphanio. Vide Prædestinatum, libro I, cap. 50.

[c] *Orthodoxis Patribus*, episcopis in synodo Eliberitana congregatis circa annum 305, qui picturas decreverunt in Ecclesia esse non debere : « Ne quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur; » qui canon mire torsit ingenia hominum eruditorum.

nomen, aut æquale illi. Sed quia nullus Deo æqualis, nullus alius essentialiter Jesus, id est, Salvator, existit, credamus Apostolo, cedamus divinæ auctoritati; flectamus genu in nomine solius Jesu, quod est super omne nomen; ne si alteri hunc honorem tribuimus, alieni judicemur a Deo, et dimittamur secundum desideria cordis nostri ire in adinventionibus nostris.

*Finit de Picturis Agobardus episcopus.*

# LIBER

## DE DISPENSATIONE ECCLESIASTICARUM RERUM.

I. Significavit mihi fidelis ac veneranda dilectio tua, quod clari et honorati viri per [a] Septimaniam et [b] Provinciam consistentes, de me incessanter obtrectando loquantur; quanquam nec cæteris parcant, dicentes movisse nos, ac præcipue me, inauditam contentionem atque discordiam, pro ecclesiasticis rebus; idque inter eos, non solum detrahendo, sed et comminando, et versutiarum insidias machinando, omnibus modis ac sine intermissione agitari. Ais etiam nullam eos satisfactionem vel excusationem velle recipere: sed si qua illis rationabiliter, satisfaciendi gratia, a quolibet opposita fuerint, sera hæc et nuper adinventa calumniari. Cujus rei quoniam vult fraternitas tua puram cognoscere veritatem, qualiter videlicet motum asseveratumque fuerit, maxime de me, quantum vel qualiter in tali dispensatione interfuerim, audierim, vel suggesserim, scribo hæc tibi veraciter, prout vis a me. Ac primum ipse scire potes, me nunquam inter majores nostros et meliores nobis tanti loci vel honoris fuisse, ut aut incentor discordiæ, aut pacis conciliator esse potuerim. Quippe qui, ut insuetus et timidus, inter tales ac tantos raro loqui valeam. Tamen, in quantum recordari queo, de quibus inquiris, ut ipse novi, faciam et te similiter nosse.

II. In illis diebus, quando sacer et religiosus dominus noster imperator evocato conventu [c] in Attiniaco agebat, strenue providens de omnibus utilitatibus commissorum sibi populorum, pervenit ad sublimiorem inquisitionem pernecessarii consilii, cupiens scilicet invenire, qualiter congruentissimæ profectum doctrinæ, et abolitionem negligentiarum sacerdotibus et cunctis honoratis suis commendare potuisset: quod utique laudabiliter inspirante Dei gratia quæsivit, eleganter invenit, fideliter ore suo annuntiavit. Quæ cuncta nunc replicare nimis prolixum est; quia et tunc [d] distinctis capitulis comprehensa sunt, et omnibus nota esse debent.

III. Hanc igitur rem cum miris tunc laudibus adhuc inchoatam magistri nostri efferrent, et præcipue venerandus senex [e] Adalardus, qui etiam dicebat se nunquam sublimius vel gloriosius causam profectus publici moveri et cogitari vidisse [f] a tempore regis Pippini usque ad diem illum; tantum ne respondentium et obedientium negligentia humiliaretur, addidit ipse et cæteri primores, dicentes omni concilio: Quidquid utile potuerit reperire sagacitas vestra ad cavenda peccata, ad vitanda pericula, ad erigendam religionem, ad illustrandam doctrinam, ad corroborandam fidem, ad excolendum studium sanctitatis, confidenter edicite, et ad explenda pariturum Deo dominum imperatorem minime dubitetis. Qui (quoniam, ut Scripturæ sacræ docent, peccata contrahunt infelicitates, perturbationes, clades et sterilitates in populos) tota sollicitudine curat, ut bona quidem statuendo, mala vero destruendo, obtineat una vobiscum apud Dominum, ut remotis adversis

BALUZII NOTÆ.

[a] *Septimaniam.* Septimaniæ nomine hic, ut et apud Jonam Aurelianensem, intelligi puto, non solum primam Narbonensem, sed Urgellensem quoque diœcesim, quæ tum sub metropolitano Narbonensi erat. Nam in præceptis Ludovici Pii et Caroli Calvi, ecclesiæ et monasteria illius tractus accensentur Septimaniæ; ut alibi dictum est a nobis. Et constat Felicem episcopum Urgellensem, virum sanctissimæ vitæ, magis laborasse pro erudiendis in vera fide, ut putabat, plebibus sibi subjectis, quam cæteris populis Galliæ Narbonensis. Et tamen Jonas in libro primo de Cultu Imaginum ait: « Felix, cum multis apud Septimaniam eumdem haustum pestiferum propinaverit, cum tamen Galliæ Germaniæque, quantum in illo fuit, propinare voluit. » Porro Septimaniæ vocabulum recens, et sero repertum, nimirum post pulsos a Gothis Romanos, non a Biterra Septimanorum sumpsit originem, ut plerique putant, sed ab ea Septem Provinciarum portione quæ Gothis cesserat jure belli; quam Sidonius, hujus vocis auctor, ob hoc ipsum vocat Septimaniam Gothorum. Sed novam hanc de Septimaniæ vocabulo opinionem, quæ est illustrissimi viri Petri de Marca, fuse ipse exsecutus est in libro primo Marcæ Hispanicæ.

[b] *Provinciam*, id est, secunda Narbonensis, quæ nunc quoque Provincia dicitur, vulgo *Provence*. Et ex epistola 67 Cypriani fortassis tentari posset jam tum sic dictam fuisse.

[c] *In Attiniaco.* Synodum illam fuisse celebratam anno 822 mense Augusto tradit Eginhardus, itemque auctor Vitæ Ludovici Pii.

[d] *Distinctis capitulis*, numero 28, editis in Attiniaco, quæ nunc quoque exstant. Assentior enim Sirmondo, qui de his capitulis hic agi putat.

[e] *Adalardus*, abbas Corbeiensis; de quo vide quæ diximus ad librum de Baptismo Judaicorum mancipiorum.

[f] *A tempore regis Pippini.* Nam in hujus aula educatus est Adalardus, ut supra diximus. Unde constat verissimum esse quod ait Agobardus, Adalardum tunc fuisse valde senem cum synodus illa habita est apud Attiniacum. Nam eum vocat *venerandum senem;* quod epitheton vulgo non tribuitur senibus, nisi qui ævi sunt longævi. Pippinus porro rex mortuus est anno 768.

casibus, regnum sibi commissum prospere, Deo favente, valeat gubernare.

IV. Hæc et his similia cum primores nostri jucundissime loquerentur, ego, ut scilicet humillimus omnium et extremus, cœpi quodammodo pedetentim, ut pote magnis viris, ita suggerere. Ecce omnipotens Deus præparavit animos domini imperatoris, ut sollicite velit agnoscere temporis vires, consonas vel dissonas æquitati. Expedit vero, ut ea quæ dissona sunt, si possibilitas suppetit, emendentur; in quantum autem possibilitas non suffragatur, cum timore Dei tolerentur: quatenus dum illicitum quidpiam ex necessitate agitur quod declinari non potest, timor saltem faciat excusabilem quem exsecutio non constituit absolutum. Necesse est ergo ut vestra industria magnanimitati ejus suggerat pericula [a] de rebus ecclesiasticis, quas contra vetitum et contra canones tractant et in usus proprios expendunt homines laici. Postquam enim diffusa est Ecclesia Dei toto orbe terrarum, et cœpit exaltari ac magnificari per omnes regiones et nationes, cœperuntque templa erigi a fidelibus imperatoribus ac regibus atque episcopis, et cæteris potentibus, ditarique rebus, et thesauris ordinari, fuit etiam consequens, ut principum providentia leges promulgarentur, et episcoporum sollicitudine canones statuerentur de rebus sanctificatis, id est, sacris locis deputatis; qualiter tuerentur ab improbis, tuerentur a gubernatoribus, vel expedirentur. Convenerunt episcopi, viri sancti, quibus tunc abundabat Ecclesia. Statuerunt [b] illibatos conservari debere sacros canones, qui firmati sunt Spiritu Dei, consensu totius mundi, obedientia principum, consonantia Scripturarum. Ex quo tempore acceptum et receptum est non aliud esse agere cuiquam adversus canones quam

A adversus Deum, et adversus ejus universalem Ecclesiam; neque sensum est unquam a quibusque fidelibus, ut talia statuta absque periculo religionis violarentur. Quod ergo Deo auctore statutum est, nova necessitate, quæ tunc temporis non accidit, excusabilem facere non potest violatorem: quia omnipotenti Deo omnia tempora omniaque volumina sæculorum præsentia sunt, et stantia; neque aliquid præteriti potest recordari, nec futurum aliquid exspectare. Quamobrem [c] istæ, quas nunc homines prætendunt necessitates, et quarum causa se impune putant res sacras in usus communes vertere, licet tunc hominibus futuræ essent, Deo tamen præsentes erant; quodque Spiritu suo statuit Ecclesia, tenendum cunctis diebus usque in finem sæculi voluit custodiri.
B Sed quoniam quod de sacris rebus in laicales usus illicite translatis dicimus, non fecit iste dominus imperator sed [d] prædecessores ejus, et propterea isti impossibile est omnia emendare quæ antecedentes male usurpata dimiserunt; saltem admonentibus vobis cogitare dignetur periculum, quod licet et vitare nequeat, tamen dum pensat, timet ac dolet, apud misericordem Dominum fiat per hæc excusabilis. Et vos communicate pondus periculi, sublevateque portantem, in quantum fieri potest; ut dum vos illi communicantes in periculis, et ille vobis compatiens exstiterit in tristibus, ac defensor in persuasionibus, dumque unum sapitis, tantumque periculum communiter toleratis, avertatur ab illo nec non et a vo-
C bis hujuscemodi prævaricationis vindicta. Cum hæc igitur a me dicerentur, responderunt pie reverentissimi viri Adalardus et Helisacar abbates. Utrum vero audita retulerint domino imperatori, nescio.

V. Sequenti autem anno, cum adessent jussi [e] in Compendio palatio, et de his inter eos sermo habe-

BALUZII NOTÆ.

[a] *De rebus Eccles* Hæc omnium per eas tempestates querela, quam graviter in hoc libro inculcat Agobardus, res ecclesiasticas injuste possideri a laicis, cum id vetuerint canones. Respicit autem, opinor, præter Gallicanos canones, ad synodum Romanam sub papa Symmacho; quæ distractionem bonorum ecclesiasticorum prohibuit, edixitque ne laicis traderentur.

[b] *Illibatos cons. deb. canones.* Agnosco vehemens studium antiquitatis in Agobardo. Cuncta enim revocari cupit ad normam priorum regularum. Et patet hominem fuisse peritum canonum ac disciplinæ ecclesiasticæ. Nulli autem magis cupiunt illibatos servari canones, quam qui studium operamque suam ponunt in sacrorum canonum discendis sententiis. Gravissimam porro rationem affert Agobardus, cur canones debeant esse intemerati et illibati. « Quia, inquit, firmati sunt Spiritu Dei, consensu totius mundi, obedientia principum, consonantia Scripturarum. » Unde discimus quænam patribus nostris mens fuerit per illas tempestates, quoad legitimam conciliorum auctoritatem. Primum necesse erat canones decerni, ea moderatione servata, ut nihil in eis sanciretur quod sacræ Scripturæ contrarium esset. Deinde necessarius erat fidelium consensus, et principum auctoritas, (quam modestiore vocabulo obedientiam vocat Agobardus) ut rerum definitarum exsecutio sequeretur. Nam in causis disciplinæ, magni ponderis semper visa est auctoritas principum et populorum consensus. Denique multa posteriores
D synodi, in quibus etiam Romani pontifices præsidebant, constituerunt, quæ observata non fuere etiam ab iis ipsis quorum ævo constituta fuere; ut alibi adnotatum est a nobis. Et quoad sæculum Agobardicum, constat eos solos Gallicanos canones fuisse observatos, qui principibus placuerant, cæteros non admissos: id quod vel unico synodi Meldensis, quæ sub Carolo Calvo habita est, exemplo probari posse nemo negaverit.

[c] *Istæ necessitates.* Aiebant enim principes se necessitate quadam adactos tribuere laicis res ecclesiasticas, ut his bonis adjuti, facilius morari possent in servitio principum, id est, militare officium exercere: de qua re paucis diximus in notis ad Lupum Ferrariensem. Vide librum v Capitularium, cap. 181; Capitula Caroli Calvi titulo 23, cap. 7; Lupum Ferrariensem epist. 71; et Flodoardum lib. III, cap. 4, Historiæ Rhemensis.

[d] *Prædecessores ejus*, id est, Carolus Martellus, novi hujusce juris repertor, tum Pippinus, et Carolus Magnus.

[e] *In Compendio palatio.* Anno itaque sequenti post conventum Attiniacensem, id est, anno 823, habita est synodus apud Compendium, in qua rursum actum est de rebus sacris illicite usis: quam synodum miror a nemine hactenus agnitam fuisse. Certe conventus habiti in Compendio palatio anno 823 mense Novembri, ut edictum fuerat in conventu Francofordiensi, mentionem facit Eginhardus, in coque legatos papæ Paschalis auditos fuisse Cujus

-retur, ad hunc modum, post multa colloquia, in A quantum ego intellexi, ratiocinia sunt perducta, ut primum quidem intellectibus omnium inculcarentur delicta de rebus sacris illicite usis, post vero cum Dei timore in illis quas habent laici cautiores effecti, etiam in his quæ remanserunt Ecclesiis fideliores atque clementiores exsisterent; ita ut et suis adhiberent pietatem, ut et Ecclesiis defensionem; fieretque compatienti concordia remediabilis ac veniabilis, offensioque comitante pietate de indulgentia quoque esset secura.

VI. Hanc rem cum dominus imperator audiret atque perpenderet, volens eam ducere ad tranquillitatem pacis, quæ ad modicum turbata fuerat, quantum in se fuit, fecit uniri episcopos et comites in consensum et pacem. Ex hoc itaque putavi ego, quod B eodem modo quo dominus imperator pensavit atque intellexit rationem, sopirique fecit dissensionem, omnes etiam comites vel honorati ejus intellexissent atque voluissent. Sed e contrario, ut audio, isti de quibus nobis sermo est inchoatam discordiam magnificant, et de discordia in conspectu domini imperatoris nihil se audisse vel intellexisse dicunt. Verum quia in his neminem illorum aut mitigare possumus, aut exasperare voluimus, [a] dimittamus causam Deo, qui omnia dispensat, et ei cui commissa sunt ad regendum, ut faciat quod Deo inspirante eventus rerum tulerit. Et quod ad nos non pertinet omittentes, transeamus ad ea quæ ad omnes fideles, qualiter credenda, vel intelligenda sint, pertinent; ac juxta quod exiguitas sensus nostri attingit, ex C auctoritate Scripturarum vel canonum nostris oculis consideranda proponamus, ut petisti.

VII. Licet indignum ducatur nos melioribus insinuare quid sentiendum sit de dispensatione ecclesiasticarum rerum, neque a talibus quales nos sumus, id potentes sæculi inquirendum putent; tamen quia inter tales conversamur ut velimus nolimus, crebro de hoc audiamus et loquamur, recte, ut puto, tibi frater charissime, visum est ut de sacris libris et canonibus auctoritatem sumentes, pariterque exempla sanctorum ad medium deducentes, humanos errores, qui summopere vitandi sunt, caveamus, et veritatem Dei, a qua qui recesserit in tenebris maneat necesse est, teneamus. Sane cum nos ad hanc roborandam de Testamento Veteri plura sumpserimus, erunt fortasse qui dicant aliarum rerum figuras esse, nec per hæc contentionem posse finiri. Hujusmodi ergo homines, si qui erunt, videtur mihi ut interrogare studeas, unde Patres doceant non posse quemquam ad sacerdotium promoveri, [b] si viduam, vel repudiatam, sive meretricem, et, ut compendiosius dicam, non virginem in conjugium sumpserit; etiamsi secundum Apostolum unius uxoris vir esse doceatur. Cumque hoc in Novo non potuerint demonstrare, fateantur necesse est [c] decreto veteri contineri: neque hoc solum, sed et multa forsan hujusmodi. Tum consequens erit, arbitror, ut et istas ratiocinationes inchoatas in Veteri Testamento, ex ipso etiam firmitatem obtinere posse et debere concedant; præsertim cum et litteris evangelicis et apostolicis confirmetur quod ubicunque lex mortalitatem docet, ita ut dicitur intelligenda sit ac tenenda. Videtur mihi præterea, ut quoniam omnia testimonia quæ ad præsentis quæstionis absolutionem inde sumuntur, et omni omnino parte non conveniunt eis rebus quibus defendendis aptantur, tam breviter a nobis perstringantur, ut piis quidem sufficientia videantur, illis vero qui quæstionibus magis quam ædificationi inservire parati sunt, laboriosam loquacitatem proprio libitu reservent.

VIII. Notum est cunctis Scripturas legentibus, ab initio humani generis sacerdotes fuisse et altaria, victimas et sacrificia; nec solum hæc Deo oblata, sed et decimas votas et sacerdotibus redditas, ipsis denuo sacerdotibus primitias diligenter datas, cæte-

BALUZII NOTÆ.

rei meminit etiam auctor Vitæ Ludovici Pii, itemque auctor Annalium S. Bertini. Ne quis vero causetur conventum fuisse mere politicum, non autem ecclesiasticum, adeoque nec synodum, testis est Agobardus in capite sequenti, ei conventui interfuisse etiam episcopos. Vigebat autem hic mos per eas tempestates, ut episcopi in conventibus illis regiis tractarent D de rebus sacris et ad religionem pertinentibus, seorsum a laicis, si res esset mere spiritualis; simul vero, si res ad disciplinam ecclesiasticam pertineret. Quo fiebat ut decreta dein in publicum ederentur, quæ concilii episcopalis auctoritate et dignitate erant instructa, ut pluribus ostendit Marca in libro VI De Concordia, cap. 25. Quare dubium non est quin hic Compendiensis conventus, in quo actum docet Agobardus de rebus sacris illicite usis, referri debeat inter synodos ecclesiasticas, non secus ac aliæ quæ sæculo illo celebratæ fuerunt.

[a] *Dimittamus causam Deo*, id est: Quoniam illi cedere nolunt veritati, cedamus nos tempori. Deus porro, cui omnia nota sunt, veritatem patefaciet, cum ita rebus humanis expedire viderit.

[b] *Si viduam*. Sumptum istud ex canone XVIII apostolico, in quo sic scriptum est: « Si quis viduam et ejectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de his quæ publicis spectaculis mancipantur, non potest esse episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut ex eo numero qui ministerio sacro deserviunt. » Innocentius I in epistola ad Victricium episcopum Rothomagensem: « Ut viduam clericus non ducat uxorem; quia scriptum est. Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non ejectam. Utique qui ad sacerdotium labore suo et vitæ probitate contendit, cavere debet, ne hoc præjudicio impeditus pervenire non possit. » Hilarius papa in synodo Romana: « Cavendum ergo in primis est ne ad sacros gradus, sicut gestis prioribus ante præscriptum est, quisquam, qui uxorem non virginem duxit, aspiret. » Gregorius Magnus lib. II, epist. 25: « Præcipimus autem, ne unquam illicitas ordinationes facias, ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem. »

[c] *Decreto veteri*, id est, in Veteri Testamento, ubi ista præcepta sunt, non in Novo. Levitici cap. XXI: *Virginem ducet uxorem*, nimirum sacerdos. *Viduam autem, et repudiatam, et sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo.* Ezechielis cap. LXIV: *Et viduam et repudiatam, non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel.* Nam in Novo Testamento nihil aliud præscriptum est, nisi ut episcopus sit vir unius uxoris, ut recte notatum est ab Agobardo.

risque ministris ab omni populo cunctarum rerum decimas tributas, qui etiam acceptis ex ipsis decimis decimas persolverent sacerdotibus. Illud quoque manifestum est, quod præter eas quas ministris, id est Levitis, populus exsolvebat, jussi sunt a Domino alias rerum suarum in tertio anno decimas sumere; et non in quibuscunque locis, sed in sacris, id est, juxta altare Domini, viduis, pupillis, orphanis, et Levitis comedere. Jussit etiam Dominus ut sacerdotibus et Levitis darentur ab omnibus filiis Israel urbes ad habitandum. Et datæ sunt quadraginta duæ, et sex confugii, id est, simul quadraginta et octo civitates; pariterque in circuitu uniuscujusque civitatis spatium cubitorum duum millium ad pastum pecorum. Permansitque hoc inconvulsum omni tempore judicum et regum; ita ut nec impius Achab, nec sceleratus Manasses, nec filius ejus Ammon, temerare ausi sint. Sed postquam separatus est Israel a domo David per Jeroboam, qui peccare fecit Israel; tunc primum ejecti sunt sacerdotes Domini, sicut ipsi Jeroboam improperatur per Abiam regem Juda.

IX. Post mortem Moysi, tulit Josue omnem multitudinem filiorum Israel, et venit in Galgala. Cumque circumdedissent urbem Jericho, dixit Josue ad omnem Israel: *Tradidit vobis Dominus civitatem, sitque civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt, Domino.* Et post pauca: *Cavete ne de his quæ præcepta sunt contingatis, et sitis prævaricationis rei, et omnia castra Israel sub peccato sint, atque turbentur. Quidquid autem auri et argenti fuerit, et vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus.* Et iterum: *Urbem et omnia quæ in ea inventa sunt succenderunt absque argento, et auro, et vasis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini consecrarunt.* Mirumque in modum, cum unus homo hoc prævaricatus fuisset, omnes dicuntur prævaricati esse et usurpasse de anathemate; Dominusque iratus refertur contra filios Israel.

X. Præceptum est a Domino per Moysen ut animal quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum sit, et mutari non possit, id est, nec melius malo, nec pejus bono: quod si mutatum fuerit, *et ipsum,* ait, *quod mutatum est, et illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino.* Itemque de domibus et agris dicitur: *Homo si voverit domum suam, et sanctificaverit Domino, considerabit eam sacerdos, et juxta pretium quod ab eo fuerit constitutum venundabitur. Sin autem ille qui voverat, voluerit eam redimere, dabit quintam partem æstimationis supra.* Similiter quoque jubetur et de agro; quem si is qui vovit noluit *redimere, sed alteri fuerit venundatus, ultra eum qui voverat redimere non poterit; quia cum jubilæi venerit dies, sanctificatus erit Domino, et possessio consecrata, ad ejus pertinet sacerdotem.* Et post pauca: *Omne quod Domino consecratur, sive homo erit, sive animal, sive ager, non venundabitur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum erit Domino.* Si omnipotens Deus con- A secrari sibi homines, animalia, vel agros, aut domos nollet, nunquam hoc vel in Veteri præciperet vel in Novo fieri permitteret Testamento.

XI. Quanta autem reverentia consecrata Domino debeant custodiri, ex multis Scripturæ locis potest colligi, ex innumerabilibus divinæ defensionis ultionibus, quæ ab universo mundo unquam scribi potuerint; sicut magnopere atque evidenter in verbis Dominicis per prophetas denuntiatis prudens lector valeat intelligere: quale est illud quod per Jeremiam, sicuti mos est per similitudinem eorum quæ magis nota sunt occulta significari, proverbialiter dicitur: *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus. Omnes qui devorant eum delinquunt: mala venient super eos, dicit Dominus.* Quorum verborum, ut beatus Hieronymus B ait, hic sensus est: « Quomodo qui primitias devorant nequaquam de genere sacerdotali, sceleris rei sunt; sic qui contaminant Israel, malis subjicientur. » Malachias quoque sub exhortatione decimarum retributionem et vindictam diligentibus pariter ac negligentibus ex verbis Domini proponens quasi interrogantibus Deum, et dicentibus, *In quo configimus te?* respondit dicens: *In decimis et primitivis. In penuria vos maledicti estis, et me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea; et probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperiero vobis cataractas cœli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam,* et cætera. His similia in libro leguntur Esdræ. Ait enim: *Statuemus super nos præcepta, ut demus tertiam partem sicli per* C *annum ad opus domus Dei nostri, et panes propositionis, et ad sacrificium sempiternum.* Et iterum: *Sortes misimus super oblatione lignorum inter sacerdotes et Levitas et populum, ut inferantur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, per tempora, a temporibus anni usque ad annum; ut arderent super altare Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi; et ut afferremus primogenita terræ nostræ, et primitiva universi fructus omnis ligni, ab anno in annum in domum Domini, et primitiva filiorum nostrorum, et pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege; et primitiva boum nostrorum, et ovium nostrarum, ut offerantur in domo Dei nostri sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri; et primitiva ciborum nostrorum, et libaminum, et poma omnis ligni, vindemiæ quo-* D *que, et olei, afferamus sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, et decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum. Erit autem sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, et Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri ad gazophylacium in domo thesauri. Ad gazophylacium enim deportabunt filii Israel et filii Levi primitias frumenti, vini et olei; et ibi erunt vasa sanctificata, et sacerdotes, et cantores, et janitores, et ministri, et non dimittemus domum Dei nostri.* In quibus verbis evidenter apparet, quanta illius populi cura et diligentia esset erga domum Dei, et cuncti generis sacrificia vel donaria: qui non solum decimas, ac

primitias, sed etiam tertiam partem sicli omni studio religionis ferventes curabant exsolvere; adimplentes procul dubio præceptum legis, quæ dicit: *Cum voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illum Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

XII. Quæ verba idcirco hic ponenda putavi, ut religiose fidelis quisque consideret, quia si illi qui vovet et tarde reddit, tarditas ipsa in peccatum reputabitur, multo utique majoris criminis reus est, qui nec tarde quod vovit exsolvit. Si vero is qui propria vota non reddit, infidelis esse convincitur, juxta Ecclesiastem, qui dicit displicere Deo infidelem et stultam promissionem, et omnium melius esse non vovere quam post vota, promissa non reddere; quanto majoris impietatis reus est, qui ea quæ alii voverunt B ac reddiderunt usurpat, invadit, diripit, et diripienda concedit, perverseque judicando, vel fallaciter testificando, atque impie perjurando, a domo Dei alienare festinat. ubi ab aliis vota et reddita ac delegata sunt!

XIII. Legimus in Libris Regum, quod non modo laudabiles, verum etiam reprehensibiles reges, ea quæ patres illorum voverant nec reddiderant, ipsi intulerunt in domum Domini, et in thesauros ejus. Si ergo laudatur pietas filiorum paterna vota reddentium, e contrario omni est exsecratione dignissimum si patris votum filius subtrahat, quodque ille contulit, hic auferre non metuat. Legitur in volumine Jeremiæ prophetæ, quod tempore illo principes et C universus populus inierunt pactum, ut dimitteret unusquisque servum suum, Hebræum videlicet et Hebræam, qui tamen in sequentibus amici et proximi ac fratres dicuntur, et ultra eis non dominarentur, conversique deinceps retraxerint servos et ancillas suas, quos dimiserant liberos, et subjugaverint in famulos ac famulas. Quam ob causam graviter adversum eos Dei ira succensa, tali illos perculit comminationum procella: *Vos,* inquiens, *reversi estis, et commaculastis nomen meum, et reduxistis unusquisque servum suum et ancillam, quot dimiseratis ut essent liberi, et subjugastis eos. Propterea hæc dicit Dominus: Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri et amico suo. Ecce ego prædico libertatem, ait Dominus, ad gladium, et* D *pestem, et famem, et dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ.* Et post pauca infert: *Et erit morticinium eorum in escam volatilibus cœli, et bestiis terræ.*

XIV. Itaque si illi qui servos Hebræos dimissos juxta legem liberos, iterum in servitium retraxerunt, et suos utique, non alienos, nomen Domini commaculasse dicuntur, et ob hoc gravissima ultione plectuntur; fideliter religiosus quisque consideret, quanto irremediabiliori furore digni sunt, qui non solum proprios olim servos a se vel a parentibus suis libertate donatos [a] in servitium revocant, verum etiam ab aliis libertos factos, et a liberatoribus suis patrocinii et defensionis causa Ecclesiæ delegatos, contra fas multipliciter affligunt, omnique servitute deprimunt, nulla Ecclesiæ vel sacerdotibus relicta potestate, qui eos patronorum vice tueri debuerant. Vehementer prorsus nomen Domini a talibus commaculatur; domusque ejus, quæ est Ecclesia, violenter prædatur, et mater fidelium exhonoratur; hujus injuria, procul dubio et Dei est. Et de hac quidem sententia, absque aliorum læsione, forsan loqui non possumus. Si cui tamen libeat considerare patienter, valet inspicere quanto hæc tempora sint pejora, quam fuerunt antea etiam illa quæ sub infidelibus transierunt. Illi namque diis suis, qui non erant dii, sed opera manuum eorum, honorem exhibebant, nec eorum sacra ausi erant violare. Nunc autem hi quibus dictum est, *Honora Dominum de tua substantia,* versa vice exhonorant Dominum de sua; cum non solum ecclesiasticæ familiæ abutuntur servitiis, sed et libertos ejus miserabili deprimunt servitute.

XV. Porro quod ignorantes Deum verum, falsosque colentes, diligentius deferant sacris ac sacerdotibus suis, quam nunc plerique, in sacra historia manifestissime demonstratur: quæ narrat beatum Joseph totam terram Ægypti subjecisse Pharaoni, præter terram sacerdotum, quæ a rege eis tradita fuerat; quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. Qua in re pensandum est, quanta diligentia sacerdotes suos venerarentur, quibus non solum donaria sacra ministrabant, sed et communes cibos tam sollicite præbebant, ut nec comparare eos paterentur. At nunc in quibusdam locis, nullus ordo hominum, sive sint liberi, sive servi, de habitatione sua tam infidus est ut sacerdotes; ut pote qui nullo modo securi esse possint, nec scire quot diebus Ecclesiam vel habitaculum suum eis habere sit licitum. Certe cum populus Judaicus in templo Domini, præter res sacras, etiam communes ageret, atque in sacratis atriis venalia diversa collocaret; quanquam et ipsum licite sacrorum causa fieri putaretur, ut oblaturi sacrificia, nec de suo habentes, facile comparanda invenirent; tamen Dominus, ut domus suæ et patris curam se habere monstraret, quod nullo alio in loco fecisse

BALUZII NOTÆ.

[a] *In servitium revocant.* Vetitum illud. Servum enim libertate donatum revocare in servitutem non licet, nisi titulo ingrati. Verum nullo modo posse revocari eos qui Ecclesiæ delegati sunt, decrevit synodus Arausicana prima can. 7: « In Ecclesia manumissos, vel per testamentum Ecclesiæ commendatos, si quis in servitutem, vel obsequium, vel ad colonariam conditionem imprimere tentaverit, animadversione ecclesiastica coerceatur; » qui canon postea repetitus est in concilio Arelatensi secundo. Manumissum porro in Ecclesia, a domino non potuisse ad servitutem revocari, etiam titulo ingrati, docet nos canon 34 ejusdem concilii Arelatensis. Impium enim est, ut quod in Ecclesia Dei consideratione a vinculo servitutis absolvitur, irritum habeatur; ut loquitur canon 7 concilii v Aurelianensis. Vide etiam concilium Matisconense secundum.

legitur, flagellis talia agentes eliminavit de templo. Penset igitur cui placet ex factis et verbis Domini, si in ejus domo aliud aliquid vendere non licet, quanto magis ipsam domum facere nefas est venalem. Sacerdotes Ægyptiorum, tempore famis, ita aluntur stipe publica, ut possessiones suas vendere non compellantur. Nunc non solum possessiones ecclesiasticæ, sed ipsæ etiam [a] Ecclesiæ cum possessionibus venundantur. Nec de illis quam maxime audemus dicere, quorum proavi aut abavi construxerunt ecclesias, ac ditaverunt, et testamentis scriptis atque firmatis nullos se habituros hæredes nisi ecclesiam et rectores ejus denuntiaverunt; et nunc ipsi contra pietatem majorum, si parietes sibi vendicare potuerint, non tantum ea quæ a constructoribus collata sunt, sed et multa quæ plerique fidelium [b] pro sepulturis aut qualibet devotione alia ibidem sacraverunt, cum ipsis ecclesiis vendere licitum putant, nullo prohibente.

XVI. Verum quia ex domo Domini, quæ fuit in Hierusalem, occasio nobis sumpta videtur ut ista de Ecclesiis diceremus, ne forte aliquis putet ea quæ de illa referuntur non pertinere ad domos basilicarum, intelligat, cui talis subrepserit cogitatio, ea causa fieri ecclesias, qua et ipsa domus facta est, ad laudandum videlicet Deum, ad deprecandum, ad sacrificandum; sicut ipse Salomon ædificator et dedicator ejusdem templi in oratione consecrationis suæ ait Domino: *Si cœlum et cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus ista quam ædificavi? Sed ad hoc tantum facta est ut respicias orationem servi tui, et obsecrationem ejus, Domine Deus meus; ut aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus. Exaudi preces famuli tui et populi tui Israel, quicunque oraverit te in loco isto.* Quapropter omni fide omnique ratione quidquid in illa a cultoribus vel contemptoribus licitum sive illicitum gestum est, et quidquid de illa, tam ad diligentiam exstruentium, quam ad negligentiam cessantium, seu ad malitiam destruentium, pertinens, memoratur, ædificatarum basilicarum exempla, auctoritates, et cultus esse tenendum est. Consequens ergo erit ut religiose perpendamus, qualiter Dominus erga restaurationem ejusdem templi, et negligentes damnet, et devotos remuneret, ex verbis quæ per Aggæum prophetam loquitur, dicens: *Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Nunquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta? Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, et intulistis parum; comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis inebriati; operuistis vos, et non estis calefacti; et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras, ascendite in montem, portate lignum, et ædificate domum; et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus. Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus: et intulistis in domum, et exsufflavi illud. Quam ob causam? dicit Dominus exercituum. Quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem, et terra prohibita est ne daret germen suum; et vocavi siccitatem super terram, et super montes, et super triticum, et super vinum, et super oleum, et quæcunque profert humus, et super homines, et super jumenta, et super omnem laborem manuum.* Et post aliqua: *Ponite corda vestra ex die ista, et in futurum, a die vicesima et quarta noni mensis, a die qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum. Nunquid semen in germine est, et adhuc vinea, et ficus, et malogranatum, et lignum olivæ non floruit? Ex die ista benedicam.* Si filii Israel, nuper de captivitate regressi, quia negligunt restaurare templum Domini, tanta sterilitate feriuntur, itemque fundamentis jactis, mox omni benedictione cunctarumque rerum fecunditate cumulantur, constat profecto maximum religionis esse divinæ domui diligentiam adhibere; eamque negligere, causam miseriæ atque infelicitatis existere.

XVII. Sed et illud attentius considerandum quod in hac prophetia legitur: *Et suscitavit Deus spiritum Zorobabel ducis, et spiritum Jesu sacerdotis, et spiritum reliquorum de omni populo.* Ut ex hoc perspicue intelligatur, obsequentem quemlibet et amatorem templi Dei, domum esse Spiritus sancti; cum manifeste appareat, non solum fidelium spiritum suscitasse tunc Deum, ut cum omni lætitia omnique alacritate domum Dei cuperent instaurare, sed et infidelium regum, Cyri videlicet, ac Darii, et Artaxerxis: qui non tantum licentiam ædificandi dederunt, verum et adjutorium præbuerunt lignorum, frumenti, et vini, et olei, ac salis, et pecorum, et dona auri, at-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Ecclesiæ cum possess. venundantur.* Origo mali istius petenda est ex concessione rerum ecclesiasticarum, quæ viris sæcularibus facta fuerat. Nam illi ecclesias sibi datas cum possessionibus retinebant, et ad hæredes suos transferebant; ut patet ex lib. I Capitularium, cap. 110, et libro V, cap. 44. Recepto autem semel hoc jure, dubium non fuit quin, sicut inter hæredes dividi poterant, distrahi quoque et vendi possent, si res ita ferret. Quod hodie quoque in Gallia obtinet quoad decimas quas vocant infeodatas. Eas enim possessores transmittunt ad hæredes suos, aut aliis vendunt, prout animus tulerit.

[b] *Pro sepulturis.* Ex hoc fonte ut plurimum prodierunt possessiones, latifundia, et agri, ex quibus ditata et amplificata est Ecclesia. Existimabant enim fideles melius sibi futurum post hanc vitam, si virorum ecclesiasticorum precibus adjuvarentur. Atque ut id apud eos obtinerent, curabant in primis corpora sua sepeliri ad ecclesias, qua transire solebant viri ecclesiastici, ut defunctorum memoria quotidie in eorum mentibus renovaretur. Interim res suas delegabant Ecclesiæ, ut vel ex hac temporali retributione facilius homines excitarentur ad implorandam Dei misericordiam pro illis qui dederant, quique jam defuncti erant. Vide librum VI Capitularium, cap. 285, 293, 322, et librum VII, cap. 199.

que argenti, cum principibus suis. In libris etiam Machabæorum, nonnulli reges erga templum Dei munifici fuisse memorantur, in quibus et vindictæ Dei pariter leguntur in eos qui diripuerunt vel diripere conati sunt vasa sacra; sicut de Antiocho rege, et Heliodoro, qui a Seleuco missus fuerat, in promptu est meminisse. Ecce filii Israel, fundamentis templi jactis, confestim in omnibus benedicuntur; differentes opus, acriter pro negligentia flagellantur; direptores sacrorum, irrevocabili sententia damnantur. Cum ergo nobis non sufficit ad exemplum, cum tam multipliciter per totas Scripturas legamus et cognoscamus domum Dei diligere, religiosum esse, negligere, irreligiosum; diripere, impium; omnesque sua recepisse merita, et omnes principes eorum qui dixerunt: *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei*, positos aut ponendos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti?

XVIII. Sed forsitan aliquis hæc in Veteri Testamento fieri oportuisse contendat, in Novo autem non tantopere servanda. Meminerit, quisquis ille est, Dominici exempli, quod ex verbis evangelicis sancti intellexere Patres. Refert namque evangelista mulierem quamdam accessisse ad Dominum, pedesque ejus unxisse: pro qua re murmurans proditor Judas, ait: *Ut quid perditio hæc unguenti? Potuit enim venundari multo, et dari pauperibus.* Ad quod subjungens evangelista: *Hæc*, inquit, *dicebat, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur, exportabat.* Quid autem Dominus de loculis faceret, ostenditur ex parte ex eo quod cum Judæ egredienti a se, et ingresso jam Satana in se, dixisset, *Quod facis, fac citius*, audientes discipuli putaverunt quod juberet illi ut emeret necessaria ad diem festum, aut ut egenis aliquid daret: quod utique non putarent, nisi antea fieri vidissent. Verum quia quæsitum est, cur Dominus, qui discipulis dixerat: *Nolite portare aurum, neque argentum, neque æs in zonis vestris*, nec permisit eos ferre aliud in via, nisi virgam tantum, ipse in loculis thesauros habuerit; disputat de his, in quantum recordari valeo, beatus Augustinus (In Joan. Tract. L cap. 12); dicitque quod Dominus noster

A Jesus Christus, qui Ecclesiæ suæ formam et instructionem præmisit factis et dictis, sicut scriptum est; *Quæ cœpit Jesus facere et docere;* prævidens futurum esse ut in Ecclesiis thesauri fideliter a fidelibus ac laudabiliter a religiosis conderentur, atque custodirentur, et perniciosissime a furibus fraudarentur (Fures generaliter dico, sicut in Apostolo accipimus, ubi ait: *Qui furabatur, jam non furetur*, de omni scilicet inhonesto quæstu), voluit in hac re præfigere, ut dixi, formam Ecclesiæ suæ, ad quos usus haberentur, et qua fide tractarentur, vel qua damnatione digni essent fraudantes, cum tali fine Judas abierit in locum suum. In qua disputatione prædictus Pater tres, nisi fallor, differentias furtorum et furum facit, de privatis videlicet, publicis, ac divinis rebus. Nam B cum alicui homini de proprio thesauro aliquid furari procul dubio reatus sit, multo major de publico, quod et [a] leges sæculi sacrilegium vocaverunt. Jam vero de Dominicis, id est, ecclesiasticis thesauris, fraudare aliquid (quod apud nos specialiter [b] sacrilegii nomine censetur), adeo immane scelus esse manifestum est, ut qui istum committant, in sortem Judæ deputandi minime dubitentur. Cum ergo hæc ita se habeant, cumque de præfatis rebus illicite aliquid in dando, accipiendo, vel retinendo usurpare, furari sit; penset pia mens, quanta cautela res egeat.

XIX. Quæsitum est etiam, vel quæri potuit, cur Dominus exactoribus publicis, qui dixerunt Petro, *Magister vester non solvit didrachma de loculis*, non C dederit stateram, sed Petrum a mare direxit, ut de ore piscis tolleret? Responsumque est a doctoribus Ecclesiæ, quia Dominici loculi in pauperes et in dies festos expendebantur; et cum exegisset necessitas in alimenta discipulorum Domini (sicut scriptum est: *Discipuli autem abierunt in civitatem ut cibos emerent*), noluisse Dominum rem pauperum in publicam exactionem mittere, sed omnipotenti virtute, quod utique pauperum non erat, de mari tollere et fisco reddere voluisse, ut formam daret discipulis, quam Ecclesiæ commendarent. Juxta quam formam statuerunt [c] sacri canones modum res ecclesiasticas dispensandi; scilicet ut in alendis egenis

BALUZII NOTÆ.

[a] *Leges sæculi*, id est, leges civiles. Exstat autem hæc lex in libris Pandectarum, *l.* 9, *D. ad l. Juliam pecul.*, ubi hæc verba Pauli jurisconsulti referuntur ex libro singulari de Judiciis Publicis. « Sacrilegi capite puniuntur. Sunt autem sacrilegi, qui publica sacra compilaverunt. At qui privata sacra, vel ædiculas incustoditas tentaverunt, amplius quam fures, minus quam sacrilegi merentur. Quare quod sacrum, quodve admissum in sacrilegii crimen cadat, diligenter considerandum est. Labeo trigesimo octavo posteriorum peculatum definit pecuniæ publicæ aut sacræ furtum, non ab eo factum cujus periculo fuit, et ideo ædituum in his quæ ei tradita sunt peculatum non admittere. » Ad hunc locum respexisse videtur Augustinus in Tractatu quinquagesimo in Joannem. « Ecce inter sanctos est Judas, inquit, ecce fur est Judas; et, ne contemnas, fur sacrilegus, non qualiscunque fur; fur loculorum, sed Dominicorum; loculorum, sed sacrorum. Si crimina discer- D nuntur in foro qualiscunque furti et peculatus, (Peculatus enim dicitur furtum de re publica, et non sic judicatur furtum rei privatæ quo modo publicæ) quanto vehementius judicandus est sacrilegus fur, non undecunque tollere, sed de Ecclesia tollere. » Laudatur hic locus in libro VI Capitularium, cap. 302.

[b] *Sacrilegii nomine censetur.* Exstat enim ea de re lex in libro VI Capitularium, cap. 323: « Sciendum est omnibus quod sacrilegium sit res Ecclesiæ quocunque modo injuste ab Ecclesiis quibus jure debentur auferri, et in aliud transferri. » Vide libro eod. cap. 285 et 305.

[c] *Sacri canones.* Quippe veteri Ecclesiæ consuetudine, quæ et a conciliis et a Romanis pontificibus confirmata est, res Ecclesiarum quadrifariam divisæ erant, ut hic quoque notat Agobardus. Harum portionum prima pertinebat ad episcopum, altera ad clericos, tertia ad alendos pauperes, quarta demum

in sustentandis clericis, in reparandis fabricis, atque in rectorum supplendis necessitatibus expenderentur : prout sanctorum exempla commendant, et usque ad proxima tempora custoditum esse non dubium est. Ex laicis denique non solum possessores sacrarum rerum, [a] sed nec dispensatores fieri permittunt : quin potius [b] œconomos de proprio clero eligi præcipiuntur, et agros, vineas, atque mancipia ad usum tribui, non nisi clericis, monachis, peregrinisque concedunt. De qua re si quis diligentius vult agnoscere quid vel in quibus conciliis dicatur, legendo et revolvendo cognoscat.

XX. Verum quia sunt qui [c] Gallicanos canones aut aliarum regionum putent non recipiendos, eo quod legati Romani, seu imperatoris, in eorum constitutione non interfuerint, restat ut etiam sanctorum clarissimorum Patrum doctrinas, et expositiones, diversosque tractatus, ut sunt Cypriani, Athanasii, Hilarii, Hieronymi, Augustini, doceant non esse recipiendos : quia cum hæc tractarent, vel ex-

A ponerent, legati Romani sive imperatoris non aderant. Melius mihi sentire videntur, qui secundum Domini dictum, ubi duo vel tres in nomine Domini congregatos agnoscunt, Dominum quoque inter eos affuisse non dubitant, et eum qui Ecclesiam non audierit, sicut ethnicum et publicanum habendum credunt. Ubicunque enim catholici Ecclesiarum rectores pro Ecclesiarum utilitatibus cum Dei timore in ejus nomine et honore conveniunt, quidquid [d] consonanter sanctis Scripturis statuunt, nulli procul dubio spernenda, imo veneranda omnibus esse debent : quod illa quam maxime auctoritate fulcitur, quia bina per annos singulos concilia fieri et Romani pontifices decreverunt, et magna concilia sollicite commendarunt. Rectius profecto facere videtur, qui B ubicunque magnarum synodorum statuta deficiunt, propter insuetas emergentes causas antiquorum statuta, quæ merito reprehendenda non sunt, sequenda deliberat, quam qui ea quæ ipse sentit, [e] eorum sensibus anteponit. Firmissime omnino teneo quod

## BALUZII NOTÆ.

expendebatur ad reparationem ecclesiarum. Et hæc quidem sunt notissima. Sed tamen si quis ea probari velit, habet quem consulat librum clarissimi viri Joannis Launoii theologi Parisiensis de Cura Ecclesiæ pro miseris et pauperibus.

[a] *Sed nec dispensatores.* Libro VI Capitular., cap. 294 : « Laicis quamvis religiosis nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas. »

[b] *Æconomos de proprio clero.* Sumptum istud ex canone 26 concilii Chalcedonensis : qui canon postea confirmatus est ab imperatoribus, usque per omnes ubique provincias receptus; ut Marca ostendit in libro octavo de Concordia, capite 18.

[c] *Gallicanos canones.* Jam antea adnotavimus ad librum adversus Legem Gundobadi, magnam antiquitus fuisse reverentiam canonum Gallicanorum; neque nunc ea repeti est opus. Illud in præsentiarum admonuisse sufficiat, ex hoc Agobardi loco constare non credidisse majores nostros necessariam fuisse præsentiam legatorum pontificis Romani in conciliis regionalibus aut provincialibus, canonesque in eis decretos perinde valuisse, ac si illi interfuissent. Unde confirmatur interpretatio quam verbis Benedicti Levitæ adhibet Marca in lib. sexto de Concordia, cap. 27. Benedictus enim in præfatione libri quinti Capitularium ex eo quoque valde se commendare putat hæc capitula, quod et in synodis a Bonifacio Moguntino sedis apostolicæ legato celebratis condita fuerint, adeoque apostolica auctoritate firmata, et quod sequentia etiam capitula sint maxima ex parte roborata eadem auctoritate. Id enim intelligendum est de tribus postremis Capitularium libris, ut ipsemet Benedictus docet in libro VII, cap. 377 : « Maxime trium ultimorum capitula istorum librorum apostolica sunt cuncta auctoritate roborata, quia his cudendis maxime apostolica interfuit legatio. »

[d] *Consonanter sanctis Scripturis.* Itaque sic persuasum erat, nullius momenti esse regulas ecclesiasticas, etiam in synodis editas, nisi consonarent sanctis Scripturis. Quo fiebat, ut quoties Romani pontifices ad synodos mitterent epistolas in causa fidei, episcopi congregati examinarent an epistolæ illæ congruerent sacris Scripturis; ut fuse ostendit Marca in libro V de Concordia.

[e] ***Eorum sensibus anteponit.*** Agobardo consentit **vetus auctor Collectionis canonum, hactenus ineditus, quem apud me habeo : qui, postquam in præfa**tione locutus est de divisione Collectionis suæ in tres libros, demum hæc addit : « In quibus si quisquam aliquid invenit de talibus conciliis quæ aut despicienda aut non recipienda judicat, ignoscat paupertati sensus nostri. Nos tamen dignum deputamus, plurimorum sententiam, singulorum suspicionibus præferendam, et in quibuscunque rebus generalium conciliorum auctoritatem non habemus, magis earum synodorum, quæ per singulas provincias factæ sunt, quam proprium nostrum sensum sequendum. C Denique ipsa sacra et generalia canonum decreta præcipiunt, ut bis in anno per singulas provincias episcoporum celebretur concilium, et plenariam synodum dicunt esse ubi cum suis diœcesanis metropolitanus fuerit episcopus. Cum ergo ita specialia concilia ex generalium auctoritate fiunt, constat nullum posse de eorum aliquid improbare statutis, nisi eum qui apertis indiciis potuerit convincere eos aliqua contra fidem aut mores bonos constituisse. » Hactenus vetus ille collector : quem si Agobardi coætaneum fuisse dixero, fortassis non aberrabo. Nam nullos canones citat, quam eos ipsos quos laudare potuit Agobardus, id est, canones et decreta pontificum quæ tum exstabant in Codice Canonum Ecclesiæ Gallicanæ. Quod autem Agobardus et collector iste vetus, ut regionalibus et provincialibus conciliis auctoritatem addant, aiunt eorum celebrationem esse imperatam a magnis et generalibus conciliis, ut bis in anno habeantur, sumptum est ex canone 5 Nicæno, 20 Antiocheno, et 19 D Chalcedonensi. Addit vetus collector aliam rationem, nempe synodum illam esse plenariam cui metropolitanus episcopus interfuerit cum suis diœcesanis. Istud vero sumptum est ex canone 16 Antiocheno, in quo sic scriptum est : « Perfectum vero concilium illud est, ubi interfuerit metropolitanus antistes : » cujus etiam mentionem facit Ferrandus in Breviatione Canonum, tit. 144; itemque Gratianus, Burchardus, Ivo, alii. Ut valde mirum sit id non animadversum a R. P. Ludovico Cellotio, qui in notis ad caput 25 concilii Duziacensis reprehendit Hincmarum sæpiuscule, ut ipse ait, proferentem hunc canonem Antiochenum, cum tamen conceptis verbis non exstet in synodo Antiochena. Multa quidem de metropolitanorum dignitate, juribusque, sapientissime variis canonibus decrevisse synodum illam Antiochenam, sed nusquam pronuntiare, perfectum illud esse concilium, cui metropolitanus interfuerit. Hactenus Cellotius. Unde constat res quo-

omnes orthodoxi rectores quibuscunque locis vel temporibus de rebus ecclesiasticis tractandis conservandisque aliquid statuerunt, antecessorum statutis et divinarum litterarum auctoritati magnopere studuerint consonare. Jam vero de donandis rebus et ordinandis ecclesiis nihil unquam in synodis constitutum est, nihil a sanctis Patribus publice prædicatum. Nulla enim compulit necessitas, fervente ubique religiosa devotione, et amore illustrandi ecclesias ultro æstuante. Quem non ad hæc accenderet Dominicum illud factum et dictum, quod Evangelium refert, sedisse Dominum contra gazophylacium, et aspexisse quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, pauperemque viduam super omnes laudasse, quæ duo tantum minuta jactaverat? Ecce sedens Dominus aspicit offerentes, ut beneplacitum sibi demonstret munus fidelium. Satis vero consequens est, ut aspiciens offerentes, despiciat auferentes, laudans totum dantem, vituperet non dantem, imo quidpiam fraudantem, sive aliquid rapientem.

XXI. Sed et illud quod jubet et reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ Dei Deo, tanto quisque attentius penset, quanto devotius curat. Quod vere præceptum et Apostolus commendat implendum dicens: *Reddite omnibus debita; cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem.* Neque enim timorem debemus hominibus, cum præcipiatur nobis per Prophetam: *Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis.* Itemque scriptum sit: *Qui timet hominem, cito corruet.* Et: *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Sed timorem utique debemus Deo, honorem autem Deo, ac domui, omnibusque membris ejus; sicut Scriptura, quis sit justus demonstrans, dicit: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem Dominus glorificat.* Et exhibendus ergo est Deo timor, ne offendatur moribus; et exhibendus honor, ut glorificetur oblationibus. Sic nempe a Patribus intelligitur quod dictum est: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, id est, tributa, ac vectigalia. *Quæ autem sunt Dei Deo*, id est, decimas, primitias, cæteraque donaria, tam vota quam spontanea. Nam et assertio Judaica idcirco putabat illicitum esse tributum solvere Cæsari, quia supradicta Deo solvere jussi erant. Commendat autem Dominus hæc facienda, ubi ait: *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ! qui decimatis mentam, et anethum, et cuminum, et omne olus; et relinquitis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem;* cum illico subjungit: *Hæc oportuit facere, et illa non omittere.*

XXII. Oportet ergo, et semper oportebit, quod Dominus oportuisse testatur, neque parvipendendum fuit aut erit unquam quod Dominus vel fieri jussit, vel factum facientis devotione commendavit. A Certe lex non vetuit subjectos aut vinum bibere, aut in domibus habitare. Et tamen Jonadab, filius Recab, filiis suis exhortando interdixit utrumque. Qui post multa annorum curricula compulsi ab hostibus ingredi civitatem ad manendum, nullatenus compelli potuerunt, ne a propheta quidem, ad bibendum vinum; et idcirco laudati sunt a Domino pro obedientia, promittente etiam quod non esset defecturus vir stirpis Jonadab de conspectu Domini. Si quod unus homo præcepit posteris, tam attente tam religiose custoditum est usque in longinquum, ut laude etiam dignum Dei haberetur; (quod utique non ex legis sanctione, sed ex religionis fervore præceperat) quid de nostri temporis hominibus æstimandum est, quibus omnipotens Deus et generalis B Ecclesia sub nomine patris ac matris præcipere non desinit, nisi ut eorum comparatione objurgemur, sicut et Judaicus populus, Domino dicente: *Prævaluerunt sermones Jonadab sermonibus meis*, et cætera? E contrario autem credendum est quod in regimine prælatus quilibet, sine damno inobedientiæ, præcipiens, contemni non potest; sicut apertissime apparet in gestis Saulis. Nam cum filius ejus Jonathas, fide ac virtute protectoris armatus, perrexisset ad stationem Philistinorum, castraque eorum turbarentur; videns ille cum sociis insecutus est inimicos, persequens atque prosternens; cernensque quod res prospere cederet, contestatus est populum, dicens: *Maledictus qui comederit panem hodie, donec ulciscar de inimicis meis*: quod ignorans Jona- C thas, sumpto melle gustavit paululum: quam ob causam Dominus indignatus est, ita ut respondere nollet quod populus agere deberet; ac nisi eum transacta bona eripuissent, forte deprehensus absque retractatione moreretur. Qua in re cum omni timore considerandum est, quod cum ignorantia excusare non potuerit, nec tantæ fidei virtus indignationem divinam avertit, quousque ad horam moriendi ventum est: ubi adhuc mirari possemus, nisi aliqui viderent, quod mel comedit, non panem. Verum quia, more sacri eloquii, in pane, quidquid comedi potest, accipitur, pensandum est quam attente Dominus custodiri velit quidquid non irreligiose prælatus quisque præceperit, cum Saulis jussa D a nesciente transgressa, sine aliqua vindicta transire non passus sit. Quis est hodie qui se culpæ obnoxium esse crederet, si præcipientis injuncta non audiret? Et tamen ex interna regula judiciorum Dei videmus peccata subtilius et acerbius inquiri, quam nos præcavere aut formidare valeamus.

XXIII. Hæc dicta sint, ut prudentius offeratur occasio diligentius considerandi, si tam fructuose unus auditur a multis tam noxius omnibus, unus inobediens efficitur inscius, quanto merito retributionis boni vel mali obediens, aut contemptor effi-

BALUZII NOTÆ.

que minutissimas interdum excidere etiam illis qui se sapientes putant. Nam legendi tantum erant canones Antiocheni. Sed quia tum Cellotius erat occupatissimus, satis habuit titulos canonum illius synodi relegere. Ea causa fuit errandi. Nam lemma canonis 16 hæc tantum habet apud Dionysium: *De vacantibus episcopis.* Nihil de perfecto concilio.

ditur consonanter præcipientibus plurimis; maxime cum non solis apostolis, sed omnibus his qui docendi ministerium in Ecclesia sortiuntur, dixisse Dominus intelligatur : *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Illud quoque Ananiæ et Saphiræ factum occultum, tam sublimiter inventum, tam atrociter vindicatum, quis digne exaggerare prævaleat, unde contractum est tam immane crimen, ut tentasse Spiritum sanctum, et mentiri Deo convicti sint, cum tantum de pretio agri, quod adhuc in illorum erat potestate, servare sibi maluisse referantur? Certe necdum fuerat ante pedes apostolorum positum, necdum in communionem fraternitatis redactum. Qua severitate judicaretur, si qui de loculis apostolicis et omni Ecclesiæ jam oblatis aliquid persumpsisset, si sic judicatus est qui præsumpsit ex his quæ adhuc erant offerenda? Si cuicunque homini de rebus humanis furatus aliquid fuisset, præcepto legis dupli aut quadrupli restitutione multaretur. Quia vero de sacris rebus, sanctis prædicatoribus sanctisque pauperibus deputatis, vel potius deputandis, fraudavit, morte multatus est, quam mortem non intulit gladius, non exercuerunt officialium manus, sed sacri sermonis virtus inflixit. Sic fraus prima in Ecclesia de rebus ecclesiasticis perpetrata punita est. Tali pœnitentia damnatus Adam in paradiso, vetitum contingendo morti obnoxius, et habitatione paradisi indignus effectus est, Ananias cum uxore sua fraudem in Ecclesia faciendo, et societate ecclesiastica et habitatione mundana privatus est. Dixerat Dominus : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* Hinc perfectionem arripientes, et vendentes omnia quæ habebant, rerum suarum pretia non aliis pauperibus quam sanctis credentibus distribuebant, maximeque prædicatoribus sanctis distribuenda pauperibus offerebant. Tales enim pauperes in verbis Domini intellexerant. Sic et beatus Paulus, cum dextras sibi et Barnabæ cæteri darent, ut illi in circumcisione, ipsi vero in gentibus evangelizarent, testatur se etiam hujus quoque ministerii curam suscepisse, dicens : *Tantum ut pauperum memores essemus.*

XXIV. His ergo sacri canones concordantes, res ecclesiasticas, res etiam pauperum esse voluerunt. Nam et Dominus ordinavit ut hi qui evangelium annuntiant, de evangelio vivant. Ex his itaque inter fideles cœptus est sacratissimus et laudabilis usus, ut ecclesiæ ditarentur : quatenus ipsa ecclesia de suo pascat prædicatores suos, et choros ministrorum, turbasque pauperum, ac multitudinem confluentium peregrinorum. Erga quas res quanta reverentia, quantaque fides, et custodia adhibenda sit, demonstravit voluntas Dei per multitudinem miraculorum quæ gesta sunt in universo mundo per singulas regiones, loca, atque ecclesias; cum jam non unus Ananias cum Saphira uxore propter fraudem in rebus sacris perpetratam morte multati sunt, sed innumerabiles et pene mille alii, qui infirmitate percussi, dæmonibus vexati, cæcitate damnati : de quibus si ea quæ scripta sunt, studiosus aliquis in unum congregare voluisset, aut valuisset, enormia volumina confecisset. Quanto magis ea quæ facta sunt, et divulgata, ac tradita, nec tamen scripta, eo quod fuerint nimia?

XXV. Hæc idcirco dicimus, non quod divinam percussionem omnibus temerantibus temporaliter comminemur, sed magis ut ad curam Dei earum custodiam atque diligentiam pertinere monstremus : qui tantis miraculis per tot tempora terruit improbos, non solum incredulos, sed et credentes, ne facile adversus sacra loca, illicita auderent perpetrare; et ut eos saltem percussio tanquam bruta animalia cohiberet a præsumptione, quos ratio vel exsecutio divinorum mandatorum nequidquam velut homines compescebat. Debuerant etenim nosse, ut pote rationales a Deo conditi, quia si non licet concupiscere rem proximi, multo magis Domini

XXVI. Nec hoc ita dictum sit, quasi charismatum divinorum largitio, vel remissio peccatorum, ac donum regni cœlestis non sint concupiscenda; quæ utique res Domini sunt. Sed quoniam nobis de sacris rebus Ecclesiarum sermo est, secundum illud nunc loquimur quod Dominus in lege præcepit, dicens : *Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt.* In quibus verbis summopere est considerandum, quia si contra quemlibet proximum, ob quamcunque rem, falsum exsistere vel adhibere testem non oportet; multo minus licet contra Dominum, ob illius Ecclesiæ facultates ejus nomini consecratas. Simili quoque modo, si domus, aut ager, servus, aut ancilla, et cætera quæ sunt proximi, concupisci non debent; multo itaque magis ea quæ ad sustentationem pauperum Domino sunt tradita, non sunt concupiscenda.

XXVII. Apparet autem in hujuscemodi rebus multitudo miserationum Dei, qui gratanter ab homine dignatur recipere quæ ipse dedit. Hinc denique est quod ei David fideliter confitetur dicens : *Tua sunt enim omnia; et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Nequaquam igitur consecrata Deo concupisci vel auferri debent, quin potius tali mente pensari, atque ita illibata et ab omni usu communi seposita custodiri, ut ipse Dominus in Deuteronomio insinuat, ita dicens : *Loqueris in conspectu Domini Dei tui : attuli quod sanctificatum est de domo mea, et dedi illud Levitæ, et advenæ, et pupillo, et viduæ, sicut jussisti mihi. Non præteriri mandata tua, nec sum oblitus imperii. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi in qualibet immunditia mea, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei, et feci omnia sicut præcepisti mihi. Respice de sanctuario tuo, et de excelso cœlorum habitaculo, et benedic populo tuo, et terræ quam dedistis nobis.* Tali itaque, ut dictum est, nobis cordis devotione primitivæ vel decimæ consi-

derandæ sunt, tanta veneratione intactæ servandæ, A et cum hujusmodi confessionis puritate Domino offerendæ, quatenus Dei de excelso cœlorum respectus, et populi ac terræ benedictio possint facilius promereri.

XXVIII. Huic confessioni a Domino injunctæ fidelibus, illa quoque Apostoli sententia congruenter valet adjungi, qua fideli discipulo præcepit, dicens: *Si quis fidelis,* [a] *vel si qua fidelis, habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia, ut his quæ vere viduæ sunt, sufficiat. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina. Dicit enim Scriptura : Non infrenabis os bovi trituranti.* Et : *Dignus est operarius mercede sua.* In quibus verbis id præcipue arbitror considerandum, quia si vidua cujuslibet B fidelis, ab illo est sustentanda, ne gravetur Ecclesia, multo magis aliunde subministrandum est [b] canibus et cavallis, cæterisque tam hominum quam animantium ministris, quæ vel ad delicias, vel ad pompas, turpesque jocos, a divitibus possidentur. Et hoc ideo, ne Ecclesiam Dei non solum gravent, verum etiam vastent, funditusque prædentur. Id namque nimis esse illicitum non hac sola sententia ostenditur, sed multifarie in toto Scripturæ divinæ corpore demonstratur : ubi non solum prævaricantium pœnæ, sed remunerationes fideliter tractantium res Domino consecratas, multis modis describuntur.

XXIX. Quicunque autem opus hoc lectione et consideratione dignum duxerit, noverit omnino non C hæc nos de solis laicis dicere, [c] sed etiam de episcopis, abbatibus, [d] sive quibusdam clericis, qui aliud faciunt de sæpedictis sacris rebus, quam quod faciendum est, aut aliter eas quam a Deo et sanctis patribus ac rectoribus constitutum est, tractant. De qua re non est necesse, ad multa dicendum, nobis plurimum laborare. Quoniam liquido patet hominibus ratione utentibus, quanta ex his reprehensibiliter et minus decenter agantur ab his etiam quos sacer ordo ad ecclesiasticum regimen admittit. Quibus profecto omni attentione pensanda et expavescenda esset illa sententia, qua ex eorum persona beatus Job loquitur, dicens : *Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent; si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum ejus afflixi; pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.* In quibus verbis quamvis et alius inveniatur intellectus, pertinens ad murmurationem subditæ plebis, cum merito conqueritur adversus pastorem ob negligentiam prædicationis, vel impedimenta exemplorum malorum, potest tamen et ad personam ecclesiasticæ familiæ non inconvenienter aptari : quam cum inique perversus pastor opprimit, et indigne rebus Deo sacratis abutitur, cumque statum et illicitos appetitus suos ac suorum ad jactantiam pompasque mendacii exornat, imo deturpat, non sola Ecclesia, cui ipse præest, sed et omnes qui morum illius fœditatem cognoscunt, ad murmurationem derogationemque contra ejusmodi rectorem excitantur. [e] Hic talis, etiamsi prædicationis eroget pecuniam, ob carnales tamen libitus et indecentes actus non potest statutam evadere pœnam, quin pro delectationibus vitæ præsentis, æternarum pœnarum illi punctiones oriantur.

XXX. Nec tamen hæc sententia solos pravos episcopos, presbyteros, vel abbates percutit, et laicos indebite ecclesiasticis rebus utentes securos relinquit. Quibus illud summopere hoc loco pensandum est; quia si is quem utcunque ordo acceptus vel impensa prædicatio comitantur, propter lasciviam et turpis lucri appetitum malo suo easdem res in communes usus expendit; ille qui nec ministerium ecclesiasticum sortitur vel exsequitur, nec pecuniam verbi erogat, sed insuper quidquid ad pompam pertinet, sive lasciviam, quasi licentius properat, sacris

BALUZII NOTÆ.

[a] *Vel si qua fidelis.* Hæc non exstant apud Paulum. Itaque existimo peccatum esse librarii : qui cum divinare non posset quidnam potius legendum esset, *Si quis fidelis*, vel *si qua fidelis*, utrumque posuit, lectori judicium integrum relinquens. Id enim frequenter accidisse veteribus librariis admonuimus ad Salvianum et Lupum Ferrariensem.

[b] *Canibus et cavallis.* Hinc patet laicos, qui res ecclesiasticas possidebant, iis usos esse ad luxum, non ad necessitatem : haud dubie extra conscientiam principum; alioqui non erant laturi.

[c] *Sed etiam de episcopis.* Taxat episcopos et sequentes prælatos, qui rebus ecclesiasticis utuntur ad luxum, neque considerant quid de rebus Deo dicatis statutum sit a patribus. Neque solos prælatos percellit, sed etiam clericos in universum. Unde intelligere debemus, quotquot in sortem Domini ascripti sumus, nobis quidem creditam a Domino et ab Ecclesia curam proventuum ecclesiasticorum, sed ut iis utamur quemadmodum lex jubet, non in vanis sæculi pompis aut oblectamentis, sed in alendis egenis, reparandis ecclesiis, libris quoque qui ad comparandam pietatem et eruditionem necessarii aut utiles sunt emendis, aliisque id genus. In primis tamen ea mens Ecclesiæ semper fuit, ut clericus ante omnia tantum sumat de reditibus ecclesiasticis, quantum ei alendo opus est. Quod ideo dico, ne quis ad invidiam trahat ea quæ superius dicta sunt.

[d] *Sive quibusdam clericis.* Nam clericorum nomine comprehenduntur quotquot in clerum ascripti sunt, etiam presbyteri, et diaconi. Gregorius Magnus lib. D XI, indict. 6, epist. 54 : « Ne vero objiciatur, quia ecce de eodem clerico loquitur, non de presbytero, sciendum est quia in eadem constitutione capitulo 19 legitur in appellatione clericorum et presbyteros et diaconos contineri. » Tum affert verba Novellæ 123 imperatoris Justiniani, in qua hæc leguntur cap. 19 : « Presbyteros autem, et diaconos, et subdiaconos, cantores, et lectores, quos omnes clericos appellamus. » Diu tamen post hæc tempora dubitatum est apud Ruscinones, Galliæ Narbonensis populos, an clericorum nomine intelligerentur episcopi, abbates, et cæteri gradus ecclesiastici : quam dubitationem edita constitutione sustulit Guido episcopus Helenensis in synodo sua diœcesana habita anno 1339 die octava mensis Aprilis.

[e] *Hic talis.* Ait episcopum, tametsi doctus sit, ac populum diligenter instruat, æternis pœnis addictum iri, si pompis sæculi deditus sit, et sacris rebus abutatur.

rebus utitur, quanto majori malo suo convivia splendida de sacris rebus, quibus gementes et mœrentes in tribulatione paupertatis debuerant consolari, epulatur cum divitibus epulantibus, gaudens, ridensque, et opus Domini non recipiens, et quasi agens quæ Deo placeant jucundatur, satiat præterea et inebriat histriones, mimos, turpissimosque et vanissimos [a] joculares, cum pauperes Ecclesiæ fame discruciati intereant. Quam rem considerandam prudentibus offerimus, non autem exponendo aperimus, quoniam etsi dictum est divitibus : *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis, quæ advenient vobis : divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum testimonium erit vobis, et manducavit vestras carnes, sicut ignis ; thesaurizatis in novissimis diebus.* Et iterum : *Epulati estis super terram, et in deliciis enutritis corda vestra.* Non tamen præceptum est eis ut epulis quotidianis vacarent, et pretiosissimis induerentur vestibus, ne forte vel eorum divitiæ putrefactæ remanerent, vel a tineis vestimenta comederentur ; imo sicut pro avaritia, sic et pro epulis, et pro luxuriis, præsentis sententiæ comminatione feriuntur.

XXXI. Si autem hæc dicta sunt illis qui talia forsitan de propriis rebus agebant, multo magis quibusdam præsentis temporis divitibus dici potest : Ululate in miseriis advenientibus ; quoniam epulantibus vobis de rebus non vestris, et thesaurizantibus de his quæ ad sustentationem pauperum Ecclesiæ tradita sunt, ipsi pauperes et ecclesiastica familia fame cruciantur ; et qui ex eis fraudatus a vobis est vel oppressus, clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiit, qui dixit :*Non negabis mercedem indigentis et pauperis ; sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum.* Et multa hujusmodi, quæ de hac re, et de omnibus quæ superius comprehensa sunt, in divinis libris dicuntur, nec ab ullo prorsus hominum absque sui gravissimo damno negliguntur

BALUZII NOTÆ.

[a] *Joculares.* Histrionum genus, tibiis præterea fidibusque aut aliis instrumentis canentes. Hos sequens ætas Gallico tum recepto vocabulo vocavit *Jongleurs.* Dicti autem joculares a jocis et ludis quos populo faciebant.

---

# LIBER

## DE DIVINIS SENTENTIIS DIGESTUS,

CUM BREVISSIMIS ADNOTATIONIBUS, CONTRA DAMNABILEM OPINIONEM PUTANTIUM, [a] DIVINI JUDICII VERITATEM IGNE, VEL AQUIS, VEL CONFLICTU ARMORUM PATEFIERI.

I. In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi qui *est pax nostra, quique fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens inimicitiam in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipsum in uno novo homine, faciat pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso, et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem his qui prope. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem* (*Ephes.* II, 14-18). Incipiunt testimonia divina de litteris evangelicis, et apostolicis, atque propheticis, quibus luce clarius demonstratur contraria esse reconciliationi generis humani, ac reconciliatori Christo, pugnæ domesticæ et conflictus fraterni, putantium rerum labentium dubia et occulta posse patefieri, et per res contrarias veritati veritatem latentem monstrari. Nam si omnipotens Deus, mundi conditor et rector, judicii veritatem in rebus latentibus per mutuas cædes inveniri voluisset, aut permisisset, nec judices aut [b] magistros per singulas urbes constitui præcepisset, nec testibus inficiantes convinci, nec ubi testes desunt, controversiam per jusjurandum finiri. Sed nec illam legem inter virum et uxorem, si spiritus zelotypiæ virum concitaverit, daret, ut per aquas amarissimas [c] probaretur mulier adultera

BALUZII NOTÆ.

[a] Ægre ferens Agobardus iniquitatem legis Gundobadæ, quæ causis finem imponi præcipiebat singulari certamine sive duello, quod stulte prorsus ac perperam vocabant *Judicium Dei*, congerit in hoc libro sententias ex utroque Testamento, ut ostendat legem illam esse impiam, valdeque contrariam pietati ac simplicitati Christianæ. Et omnino eruditus est hic liber, et Agobardo dignus. Porro duos ex isto libro fecerat Massonus ; sententiasque distinxerat ab hoc libello contra fidem tituli, contraque testimonium Agobardi. Nos, quod res postulabat, rursum conjunximus. Sed et illud te monendum existimavi, lector, Agobardi adnotationes quæ respondent sententiis, in margine positas esse in codice Operum Agobardi. Quo factum est ut amanuensis, quo Massonus utebatur, cum non intelligeret ad quem quæque adnotatio locum esset referenda, omnia turbaverit. Nos sua quæque locis restituimus.

[b] *Magistros*, id est, magistratus : qua etiam significatione usurpatur infra in capite sexto hujus libri.

[c] *Probaretur mulier adultera*, nimirum per judicium aquæ frigidæ : quod tamen judicium a Carolo Magno vetitum est, ut patet ex Capitulari edito anno 16. Meminit autem hujus legis Hincmarus in opusculo de Divortio Lotharii et Tetbergæ, itemque in epistola 39 ad Hildegarium episcopum Meldensem, in qua ex professo tractat de judicio aquæ

esse, aut innocens. Vel etiam de invento cadavere hominis occisi juberet propinquioris civitatis principes convenire, et lavare manus, ac protestantes coram Deo dicere quod manus eorum non effuderint sanguinem innocentem. Neque sanctus et innocens vir David persecutori suo Saul diceret : *Si Deus te incitat contra me, odoretur sacrificio*, et cætera. Sed potius diceret : Mitte unum de tuis qui congrediatur mecum singulari certamine, et probet me reum tibi esse, si occiderit, aut certe : Jube ferrum vel aquas calefieri, quas manibus illæsus attrectem, aut : [a] Constitue cruces, ad quas stans immobilis perseverem.

II. Cum autem nihil tale lex divina vel etiam humana sanxerit, et vani homines nominent ista [b] judicium Dei; unde probari potest judicium esse Dei, quod Deus nunquam præcepit, nunquam voluit, nunquam denique sanctorum et quorumlibet fidelium exemplis introductum monstratur. Quasi omnipotens Deus animositatibus vel [c] adinventionibus hominum servire debeat, aut ipse sibi contraria agat; ut qui in lege et in Evangelio præcepit ut diligat homo proximum suum sicut seipsum, iterum, ac si voluntate mutata, cum cœperint homines contendere inter se de rebus insensibilibus (de parte

A videlicet agelli, aut si contentio fuerit de brutis animantibus, cavallis porcisve, vel undecunque litigaverint homines cupiditate permoti, [d] quod utique forensium est, non religiosorum), invocatus Dominus ostendit justitiam temporalem, vel potius vilissimam; quæ nec proprie dicitur justitia, quia nullus inde fit justus; et cum stat unus adversus alterum, vir scilicet adversus proximum suum, quem certe sicut seipsum diligere debet, agente Domino corruat unus coram altero, et quem per sanctam legem diligi jusserat, per legem cupiditatis occidi aut prosterni a proximo faciat. Nempe Apostolus ostendit esse legem peccati, et legem carnis, et legem mortis, ex quibus ista sunt contraria legi spiritus, et legi vitæ. Nam hi qui spiritu Dei aguntur, et idcirco sunt filii Dei, B audiunt Apostolum docentem : *Jam quidem omnino delictum est quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?*

III. Neque hoc dicimus quasi judicia inter homines necessaria non sint. Non solum autem necessaria, verum etiam bona sunt; sed illa de quibus Dominus Salomoni loquitur : *Quia postulasti*, inquit, *tibi sapientiam ad discernendum judicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens, et*

BALUZII NOTÆ.

frigidæ. Vide virum cl. Franciscum Juretum in notis ad epistolam 74 Ivonis Carnutensis, ubi multa videbis de examine aquæ frigidæ vel calidæ. Nos vero hic tibi exhibemus illustre exemplum hujus judicii editum, non in vili persona, (ut putabat Juretus istiusmodi judicia usurpari tantum solita in vulgares plebeiasque personas) sed in femina principe, quæ procurati abortus calumniam purgavit rudi hoc quærendæ veritatis experimento. Hujus rei memoriam debemus auctori libri de miraculis beatæ Mariæ Rupis-Amatoris apud Cadurcos, cui se femina voverat in hoc vitæ famæque periculo. Exstat hic liber Parisiis in bibliotheca S. Germani de Pratis, quem mecum pro singulari humanitate sua communicavit domnus Lucas Dacherius ejusdem monasterii bibliothecarius. Sic ergo loquitur hic auctor in libro I, cap. 36 : « Post decessum Guastonis de Baerne, quæ ejus fuerat uxor, soror regis Navarriæ, Leofoas nomine, gravida remansit; sed non multo post obitum viri, abortivum emisit. Nobiles, ignobiles, omneque promiscui sexus vulgus planctum nimium super eum fecerunt, et quasi jam factam, futuram populi stragem, ecclesiarum destructionem, totius denique regionis desolationem prænuntiabant. Et sicut exitus probavit acta, conjectura falsa, falso mulierem rex Pampiloniæ Sancius et regis consilium in causam vocantes, pueri ante tempus natale editi imponebant crimen. Quare diverso tormento affici, vel igne cremari, vel sub undis ligatam mergi decreverunt. Illa vero pro morte instanti, ab hoc immunis facinore, Virginem nostram Dominam Rupis-Amatoris, ut in auxilium suum intenderet, exorabat. Nec petitioni ejus defuit. Enimvero in modum subituræ judicium aquæ ligata, ab altissimo ponte castri Salvaterra nomine projecta est in profundum torrentem. Ac spectaculum illud doloris, imo immanitatis, plusquam tria millia virorum ac mulierum, naufragium non naufragantis præstolantium, convenerant, alii insultando, alii compatiendo Dominum pro ea precabantur. Illa vero super undas profundissimi torrentis miseratione Domini et ejusdem matris gloriosissimæ subventione, plusquam ter posset arcus jacere sine mersione delata consedit arenis, unde sui cum gaudio reportaverunt liberatam ad propria. Igitur autem ad laudem et glo- C riam liberatricis suæ, pannum operosum conficiens, ipsum per abbatem G. Rupis-Amatoris misit ad ecclesiam. »

[a] *Constitue cruces*. Hæc etiam est una ex vulgaribus purgationibus quæ tum in usu erant. Vocatur autem *Judicium crucis* in Charta divisionis imperii Francorum quam Carolus Magnus fecit. « Volumus ut ad declarationem rei dubiæ, judicio crucis, Dei voluntas et rerum veritas inquiratur. » Lib. I Capitularium, cap. 108 : « Sancitum est ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere præsumat; ne Christi passio, quæ est glorificatio, cujuslibet temeritate contemptui habeatur. » Libro V, cap. 125 : « De eo qui perjurium fecerit, ut nullam redemptionem solvat, sed manum perdat. Quod si accusator contendere voluerit de ipso perjurio, stet ad crucem. Et si jurator vicerit, legem suam accusator emendet. »

[b] *Judicium Dei*. Sic etiam vocatur apud Grego- D rium Turonensem lib. VII, cap. 14 : « Tu, o rex piissime, ponens hoc in Dei judicio, ut ille discernat cum nos in unius campi planitie viderit dimicare. » Sed res adeo nota est, ut non egeat testimoniis. Adversus impiam illam ac parricidalem consuetudinem fortiter hic disputat Agobardus.

[c] *Adinventionibus hominum*. Purgationum illud genus adinventionem quoque superstitiosam vocat Stephanus V papa ad Lambertum episcopum Moguntinum scribens : « Quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. »

[d] *Quod utique forensium est*. Non puto hic intelligi eos qui in foro litigant, sed eos qui foris Ecclesiam sunt, id est, non Christianos. Nam forenses opponit religiosis, id est, Christianis. Et his non interdicit litis contestationem, modo fiat coram judicibus et magistratibus. Ac dicet paulo post judicia inter homines esse necessaria.

*intelligens.* Et in alio loco: *Multitudo sapientium, sanitas est orbis terrarum; et rex sapiens, populi stabilimentum est.* Et iterum: *Melior est sapientia quam vires, et vir prudens magis quam fortis. Audite ergo, reges, et intelligite, discite, judices, finium terræ.* Itemque: *Habebo propter hanc* (haud dubium quin propter sapientiam) *claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis, et acutus inveniar in judicio.* De quo beatus quoque Job fatetur dicens: *Si contempsi subire judicium cum servo meo, et ancilla mea, cum disceptarent adversum me.* Neque enim sanctus Job cum servis ancillisque gladiis aut fustibus confligebat; cum sciret æquitatem non cædibus, sed sapientia et misericordia componendam, quæ per seipsam loquitur dicens: *Meum est consilium, et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.* Hinc autem æterna Dei sapientia indubitanti fide quærenda est, precibus et lectionibus assiduis obtinenda est, Apostolo Jacobo protestante: *Si quis*, inquit, *vestrum indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Quod vero instanti lectione sit eadem sapientia perquirenda, ita Dominus Josue contestans ostendit: *Confortare igitur, et esto robustus valde, ut custodias et facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses servus meus. Ne declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen legis hujus de ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo.*

IV. Neque putandum est quod aut in istis bellis domesticis, aut in insidiis latronum, aut quibuslibet rixis civilibus sive domesticis cadat homo, nisi Deo tradente in manus proximi sui, sicut ipse per Prophetam adversum malos pastores loquitur, dicens: *Et pastores eorum non parcebant eis, et ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus. Ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui, et in manu regis sui, et concident terram, et non eruam de manu eorum, et pascam pecus occisionis propter hoc, o pauperes gregis.* Sed et illud in hac sententia notandum est quod electi dicantur pecora occisionis, sicut et Apostolus de psalmo sumens testimonium dicit: *Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis.* Et in lege præceptum est: *Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manu ejus; constituam tibi locum quo fugere debeat.*

V. Tota namque fide credere debemus quod nihil fiat in mundo, nisi Deo aut dispensante, aut permittente; cum et capilli capitis fidelium omnes numerati sint, et unus ex duobus aut quinque passeribus non cadat in terram sine Deo, et sicut quidam sanctorum ait (Aug. *in Matth. serm.* 6): « Nec folium de arbore sine nutu Dei decidat. » Tamen quia notissimum est bonos a malis interfici, nunquam autem malos a bonis, nisi in bellis publicis et legalibus judiciis, pertinet hoc ad occulta judicia Dei, quæ sunt sicut abyssus multa, nec est datum hominibus nosse cur omnipotens ita permittat fieri. Solere autem justos ab iniquis interfici testatur et David, super Abner interitu, dicens: *Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner; sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, corruit.* Sed, ut diximus, nulli hæc investigare concessum est, quando et ipse Paulus, ad tertium cœlum raptus, et iterum in paradiso admirans, exclamet, dicens incomprehensibilia esse judicia Dei et investigabiles vias ejus. *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?*

VI. Hæc pie humiliterque considerantibus apparet non posse cædibus, ferro vel aqua, occultas et latentes res inveniri. Nam si possent, ubi essent occulta Dei judicia? Deberet ergo inter catholicos et hæreticos tali examine veritas indagari, sicut quidam superbus ac stultus [a] hæreticus Gundobadus Burgundionum rex tentabat expetere a beato Avito, egregio et orthodoxo prædicatore, qui ejus vesaniam sapientissime laudabiliterque repressit atque redarguit. Quod si talibus adinventionibus, ut sæpe diximus, valerent latentes culpæ inveniri, nec sapientia, nec sapientes, neque judices, neque magistri essent necessarii. Sed quia verissimum est quod de Deo dicitur: *Apud ipsum est fortitudo et sapientia, ipse novit et decipientem et eum qui decipitur;* ab ipso et secundum ipsum quærenda est rerum et judiciorum veritas. Jam nunc [b] ponendæ sunt ipsæ divinæ sententiæ, et perspiciendum in eis quales auctor earum velit esse, vel quid aut qualiter agere debeant reconciliati populus acquisitionis, filii resurrectionis, oves summi pastoris, et erga se invicem et erga lupos ac bestias insidiantes.

## SEQUUNTUR SENTENTIÆ.

*Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Quando stant duo altrinsecus parati ad mutuam cædem, non est eis hæc bona voluntas; et ideo angeli pacis non adsunt illis æterna gaudia offerentes.

*Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.*

BALUZII NOTÆ.

[a] *Hæreticus Gundobadus.* Vide supra in libro adversus legem Gundobadi cap. 13.

[b] *Ponendæ sunt sententiæ.* Vel unicus hic locus ostendit sententias quæ sequuntur non esse dividendas ab hoc libro: quod tamen fecit Massonus, qui tunc titulum de suo adjecit: *Agobardi expositiones hinc et illinc e Scriptura, de pace, de sedandis cordis affectibus, et apprime de tota ethica Christiana, de Antichristo, de inferis, de persecutionibus.* Nam in codice veteri nihil legitur istiusmodi, nec opus erat. Nos tamen ut viam lectori complanaremus, hic addidimus hæc verba, *Sequuntur Sententiæ.*

quibus pax multa scandalum non excludit, necdum habent plenitudinem legis, quæ charitas est.

*Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

Forsitan dicturi sunt contentiosi, ad possidendam terram viventium mansuetudinem esse necessariam; ad defendendam autem terram morientium, fraternam congressionem? Sed audiant Apostolum dicentem : *Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Christi.*

*Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

Non offertur æterna misericordia et honor filiorum Dei immisericordibus, et pacem disrumpentibus, sed facientibus.

*Audistis quia dictum est antiquis : Non occides. Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo* Racha, *reus erit consilii. Qui autem dixerit* Fatue, *reus erit gehennæ ignis,* etc. *Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo; sed si quis te percusserit in dextera maxilla tua, præbe illi et alteram. Et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium,* et reliqua.

Antiquo populo præceptum ut qualem quis alteri maculam inflixisset, talem sustinere compelleretur; novo autem, nullum malum inferre, sed illatum æquanimiter tolerare. Qui ergo non solum non resistit, sed etiam modum talionis supergrediens excedit, nec ad antiquum populum pertinet, nec ad novum. Quos jubemur diligere, non permittimur nocentes lædere.

Tribus modis peccatur, cogitatione, locutione et actione. Patet ergo in cogitatione radicem esse malorum, fructus autem in operatione. Et consequenter veteri populo fructus malorum vetantur, in novo vero radices exstirpare jubemur : ideoque apud illos homicidium in reatu erat; apud nos autem ira occulta et sermo injuriosus. Quapropter qui mentem non purgat a furore, nec manus compescit a cæde, nec cum antiquis legi subditus est, nec cum novis evangelicæ gratiæ libertate donatus.

*Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odies inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet peccata vestra. Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite eis. Hæc est enim lex et prophetæ.*

Nullo modo quis potest filius Dei esse, nisi imitetur. Qui ergo non imitando, a tanta nobilitate degenerat, non veraciter sed falso dicit : *Pater noster, qui es in cœlis.* Et ideo non tantum crudelitate, sed et falsitate damnatur. Si non intrabimus in regnum cœlorum, nisi abundaverit justitia nostra plusquam Scribarum et Pharisæorum : quanto magis nisi abundaverit plusquam publicanorum et ethnicorum?

Qui perfectionem remunerat, nihil corruptioni nisi damnationem reservat. Considera, o amator rerum periturarum, et neglector tui, quia alii in te peccanti potes dimittere, tibimetipsi non potes. Et quia ad tam grave malum nullum majus remedium invenitur, quam ut dimittas quæ potes, ut dimittantur tibi quæ committere vales, delere non potes.

*Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.*

Si ille qui patrem matremve plus amat quam Deum, non eo est dignus, quanto magis est indignus, si plus amaverit terram vel porcum? Amplius enim hæc amare convincitur, qui pro talibus charitatem, quæ Deus est, offendere non veretur.

*Amen dico vobis : Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Hujus præcepti negligentiam cruciatus irremediabilis et infinitus sequetur. Porta regni cœlestis angusta est : quæ parvulos capit, sed enormes excludit. Qui ergo stat paratus ad cædem, dum non simplicitate parvulorum humilis, sed gigantea ostentatione vult videri terribilis, ab hujus ingressu omnino rejicitur.

Festina implere, dum manus et pedes solutos habes, quia venient dies de quibus dices : *Non mihi placent;* ubi ligatis pedibus et manibus mitteris in tenebras exteriores, id est, fugiendi operandique licentia subtrahetur.

*Domine, quoties peccaverit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus : Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.*

*Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me,* usque : *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Habete inter vos salem, et pacem habete inter vos.*

Quoniam grave malum est peccanti fratri de corde non ignoscere. Quo fit ut olim per pœnitentiam dimissa peccata revocentur ad vindictam.

Quanto melior est anima corpore, tanto pejor est gladius, quo anima in æternum perimitur, quam quo corpus ad tempus occiditur.

Sicut pulmentum quodlibet absque sale non est

aptum et utile; sic omnis virtus, etiam ipsa fides, non valet ad salutem hominis sine pace.

*Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? Et ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui vera locutus sum vobis, quæ audivi a Deo. Hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me.*

Si sacerdos et levita, qui vulnerato a latronibus plagas non imposuerunt, sed quia non profuerunt, proximi non fuerunt, quanto magis illi qui plagas infligunt, proximi non sunt? Qui ergo non impertiendo misericordiam a proximitate se alienum facit, alienus est et a medicamento quod vulnerato jacenti cœlestis Samaritanus clementer infudit.

Qui domesticum fidei occidere quærit, non est filius Abrahæ, quia hoc Abraham non fecit. Facit autem opera patris, id est, diaboli, qui ab initio homicida erat. Qui summe bonum pastorem sequuntur, oves sunt; qui autem in membris suis illum insequuntur, lupi sunt.

*Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit.*

Si qui ministrat, sequitur; qui adversatur, insequitur.

[a] *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

*Non pro his autem rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat quia tu me misisti. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur.*

Si dilectione cognoscuntur discipuli Domini, rixis et contentionibus cognoscuntur discipuli diaboli.

Si unitas trahit mundum ad fidem, dissensio impellit mundum ad perfidiam.

*Quod si zelum amarum habetis, et contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum.*

Et Paulus apostolus ait : *Noli verbis contendere, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium*, de hac sapientia, quæ non est desursum, sed terrena atque diabolica sit. Et illud beatus Paulus insinuat, dicens : *Profana autem et inania loqui devita. Multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.*

Si ergo contentio cordium mendaces ostendit adversus veritatem, et contentio verborum subvertit

BALUZII NOTÆ.

[a] *Mandatum novum do vobis.* Nulla sententia mihi videtur aptior aut opportunior ad commendandam mutuam inter Christianos concordiam et dilectionem, quam suprema illa Christi Domini verba quæ hic describit Agobardus. Res autem tanti momenti visa est Christo, ut etiam velut supremæ voluntatis tabulis eam apostolis ac discipulis suis voluerit esse commendatam; idque non ob aliud toties repetierit atque inculcaverit, nisi ut ostenderet sibi maxime in votis esse ut apostoli et discipuli (in quibus omnes Ecclesiarum præsules docebantur, ut in epistola quarta ait sanctus Leo) vivant concorditer, exemploque suo populum stimulent ad mutuam dilectionem. Præsagiebat enim divinus ille animus, quod non obscure prædixit apud evangelistas, futurum ut cum ipse reliquisset terras, inimico hominis superseminante zizania, controversiæ rixæque orirentur inter Christianos, et non solum in populo, sed etiam inter ministros. Quidni, quandoquidem et ipsi apostoli, viri spiritu illo Christi pleni, et adhuc a Christo calidi, quique exemplo Domini nihil aliud spirabant ac prædicabant quam pacem et concordiam, usque adeo retrorsum abierunt, ut invicem quasdam velut inimicitias miscerent? Neque vero dico aliquem de plebe apostolorum, absit verbo invidia; sed duos illos apostolorum principes, Petrum et Paulum, quorum hic se mirum in modum gloriatur esse imitatorem Christi. Et hic tamen Christi imitator, hic ipse Paulus nos docet, se, cum venisset Petrus Antiochiam, atque id quidem post acceptum Spiritum sanctum, ei restitisse in faciem, quia reprehensibilis erat. Nunquid etiam inter Paulum et Barnabam, Antiochiæ quoque, eo usque incanduit certamen, ut desineret in divortium? Et Corinthii, novellæ adhuc Christi plantæ, nonne redarguuntur a Paulo, quod inter ipsos jam tum essent dissidia, dissensiones, æmulatio, et contentiones? Exortæ deinde sunt hæreses, exorta schismata, quæ tunicam illam inconsutilem lacerarunt, pacem Ecclesiæ turbarunt, et concordiam fraternitatis pene interfecerunt. Et hæc quidem fervente Christianismo, cum adhuc Ecclesia innocens vagiebat in cunis, cum grex adhuc esset pusillus, cum gloriæ ducebatur pro nomine Christi contumeliam pati. At postea quam fascias ablegavit Ecclesia, positaque puerili prætexta, jam facta robustior, adolescentiam ingressa est, excidit paulatim a cordibus Christianorum amor fraternitatis, irrepsitque pervicax nocendi fallendique invicem studium. Hinc ortæ lites, hinc jurgia, hinc bella, et cædes, et quidquid exitiabile esse potest concordiæ Christianorum. Ex eo fonte prodiit lex Gundobada, quæ lites certamine singulari præcepit finiri, ubi aliæ probationes desunt; adversus quam acriter, ut res postulabat, invehitur Agobardus, tanquam Christianæ pietati ac simplicitati valde contrariam. Et tamen, quæ est rerum humanarum vicissitudo, recepta est postea hæc lex per omnes ubique provincias; adeo ut etiam causæ ecclesiarum ac monasteriorum, quæ obscuræ erant, duello singulari finirentur, datis ab utraque parte campionibus : sic enim vocabant bellatores. Tandem Dei providentia factum est ut pessima hæc lex aboleretur edictis principum, et canonibus conciliorum. Sed ut mala magis vincunt, retinetur hodie, non quidem ad finiendas lites, sed ad finienda jurgia et rixas. Ac licet severissima adversus immanem consuetudinem edicta prodierint, ac nuperrime sapientissimus regum Ludovicus XIV ea renovaverit, durat tamen pertinax isthæc et insuperabilis rabies pugnandi, nemoque unus cedit legibus. Quod si monitionibus et hortationibus revocari possent homines ab ea feritate, admonendi essent multum Christo cordi esse fraternam concordiam, ac sinceram minimeque fucatam dilectionem, illumque præcepisse suis sectatoribus ut quemadmodum ipse illos dilexerat, ita ipsi invicem diligerent. Hanc enim esse veram notam discipulorum Domini, si dilectionem habeant adinvicem. Hoc fuit novum et ultimum mandatum Christi Domini.

audientes; quanto magis contentio manuum et armorum?

Non unum opus pravum, aut pars operum, sed omne opus, sicut et Paulus ostendit: *His autem qui ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum.*

*Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiæ, et fructibus bonis, judicans sine simulatione. Fructus autem justitiæ in pace seminatur facientibus pacem.*

Perpende, o judex, quia illa sapientia quæ judicat sine simulatione, dolo et fraude, pacifica est et plena misericordiæ.

*Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis, et non habetis: occiditis, et zelatis; non potestis adipisci: litigatis, et belligeratis, et non habetis, propter quod non postulastis. Petitis, et non accipitis; eo quod male petatis: ut in concupiscentiis vestris insumatis. Adulteri, nescitis quia amicitia hujusmodi, inimica est Dei?*

Unde sint bella et lites, aperte hic ostenditur.

*Quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenient vobis.*

Cum non dicat, *Quicunque est*, sed *Quicunque voluerit amicus esse sæculi hujus*, patenter ostendit quia eodem modo quo Dominus adulterum esse pronuntiat in Evangelio, *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, etiamsi ad expletionem operis nefarii non pervenerit, quicunque vult amicus esse sæculi hujus, jam adulter est, etiamsi non pervenerit ad honores et divitias sæculi, sicut et apostolus Paulus non *Qui fiunt*, inquit, sed *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli*, ac per hoc efficiuntur inimici Dei.

*Melius est enim venefacientes (si velit voluntas Dei) pati, quam malefacientes.*

Hæc sententia demonstrat et benefacientes mala hujus sæculi pati, non autem, ut plerique æstimant, solos mala facientes.

*Estote itaque prudentes et vigilate in orationibus. Ante omnia, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.*

Non habet continuam charitatem qui adversus proximum consurgit ad congrediendum. Sed et hoc notandum quia si charitas operit multitudinem peccatorum, rixæ et contentiones cumulant copiam flagitiorum.

A *Hæc enim omnia si vobiscum adsint et superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitionem. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens, purgationem veterum suorum delictorum. In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est de Deo; et qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligamus alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant; fratris autem ejus justa. Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte in vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit fratrem suum, homicida est.* B *Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus ponere.*

Aperte hic ostendit Apostolus quia cui hæ virtutes adsunt, non est infructuosus, et vacuus; cui vero non adsunt, cæcus est, et in tenebris ambulans.

*Benedicite persequentibus vos; benedicite, et nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Id ipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes; providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: non* C *vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam; ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.*

Non solum persequi persequentes non debemus, sed neque maledicere, sed e contrario, ex corde benedicere.

Væ mundo ab scandalis! Magna cæcitas et profunda miseria! Nondum cognovimus proximum nobis malum fecisse; et nostro malo conamur eum qui D forte innocens est malefactorem ostendere.

Non solum flentes facere non debemus; sed e contrario, quoscunque flentes viderimus, flere cum eis et ipsi debemus.

*Debemus autem nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit; sed sicut scriptum est; Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.*

Non vis ei in bonum placere, contra quem exserto

brachio gladium vibrans, aut [a] matarum tenens, stas paratus ad cædendum tam atrociter, ut omni virtute nudatus in terram prosternatur, et se reum fateatur, etiamsi non sit.

*Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei.*

Ubi contraria sibi homines ore, id est verbis, opponunt contentionibus, ibi unanimitas animorum esse non potest, ac per hoc a talibus non honorificatur Deus, sed semper inhonoratur.

*Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquam excidit.*

Si urgente charitate Christi congruentes et contemperati esse debemus proximis, pensandum est qui surget ad rixas et dissensiones. *Servum certe Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt.*

Patiens est et benigna, quia quos per patientiam tolerat, per benignitatem amat. Et si is qui tolerat, nec tamen diligit, non exercet opus charitatis; quanto magis qui nec tolerat? Si charitas non irritat, ad irascendum non concitatur, neque gaudet super iniquitate; pensandum omnino est, quam longe a charitate sint, qui se adversus invicem provocantes, pro terrena cupiditate confligunt. Charitas non excidit : quia semper est in profectu, nunquam autem venit in defectu.

*Sive enim mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis. Charitas enim Christi urget nos; æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est; ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.*

Ii pro quibus Christus mortuus est, non sibi debent vivere, sed Christo. Qui autem Christo vivit, nullo modo vult lædere proximum. Quapropter quærendum est, ille qui paratur ad lædendum proximum, occidendo, aut cædibus prosternendo, cui vivit, sibi, an diabolo, cum certum sit eum Christo non vivere.

*Fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete; et Deus dilectionis et pacis erit vobiscum. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus donavit nobis.*

Perfectorum est idem, id est unum, non diversa et adversa sapere, et idcirco pacem habere. Qui autem contraria agunt rixando et litigando, perpendant utrum Deus pacis cum illis sit. Et cum certum sit Deum non habentem, qui vita est animarum, mortuum esse; procul dubio colligitur mortuorum esse mortificare, proximum velle non vivere.

*Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi; et ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos. Non est nobis conluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.*

Hæc sententia regula est Christianorum, et tam aperta, ut quilibet in ea velut in speculo se valeat considerare.

*Fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc agite; et Deus pacis erit vobiscum.*

Quicunque vult Deum pacis secum habere, templum videlicet ejus esse, ista agat quæ hæc sententia docet, ut glorificet et portet Deum in corpore suo. Quia qui Deum non portat ad vitam suam, portabit inimicum velit nolit ad mortem suam.

*Rogamus vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat; sed semper quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes. Semper gaudete. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite. Hæc enim voluntas Dei est in Christo Jesu in omnibus vobis.*

Et hæc sententia regula est Christianitatis. Sed valde notandum quod [b] jubet hominem patientem esse ad omnes, non ad amicos tantum. Patientia enim maxime ad inimicos est necessaria.

BALUZII NOTÆ.

[a] *Matarum tenens.* Amanuensis quo Massonus utebatur, non intellexit quid esset matarus. Itaque vocem illam peregrinam vel potius corruptam putavit : quæ causa fuit ut pro *matarum tenens*, ediderit *manum tenens*. Matarus est teli genus, minus lancea, id opinor quod *missile* vocatur in Vita Ludovici Pii. Nam hodieque Vascones, aut saltem Basculi Vasconum portio, hujusmodi tela gestant in itinere, ac alibi.

[b] *Jubet hominem patientem*, ad exemplum Christi videlicet, cujus imitatores esse debemus, si veri illius discipuli videri volumus. Dedit enim ille profecto grande patientiæ documentum, cum nihil ad maleficia et injurias reponeret, nec in quemquam manus intentari voluerit ob vindicanda opprobria. Ut intelligeremus omnes, quanto studio quantaque cura devorare debeamus injurias, ac malorum hominum perpeti contumelias, cum et ipse Dominus et Deus noster inimicos suos reliquerit inultos. Præclare admodum Cyprianus in epistola 65 loquens de calumniis quas Christus pertulit a sacerdotibus Judæorum, ait : « Quæ omnia ab eo ideo facta sunt humiliter atque patienter, ut nos humilitatis ac patientiæ haberemus exemplum. » Sic nos videlicet efformabat ad pacem, et ad tenendam in calumniis et contradictionibus patientiam; quæ bonum Christi est, ut idem Cyprianus ait in libro de Bono patientiæ. Unde et Tertullianus in libro de Patientia Christum vocat dominum patientiæ et magistrum.

*Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant, et clamabant voce magna dicentes : Usquequo, Dominus sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant super terram? Et datæ sunt eis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis ut requiescerent adhuc modicum tempus, donec impleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut et illi.*

Hæc sententia docet tempus vindictæ fidelium non esse in præsenti. Nam si sancti pro fide passi quærunt vindictam de persecutoribus, de quibus utique vindicandi sunt, et non impetrant; quomodo isti, de quibus agimus, quotiescunque irascuntur proximis, et ad contentionem manuum prosiliunt, putant sibi Deum famulari, et amarissimis suis motibus deservire?

*Væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis, quoniam una hora venit judicium tuum!*

Si una hora venturum est judicium Babylonis, quomodo cives ejus tam frequenter pro se Deum æstimant judicare? Hæc sententia demonstrat occulta esse judicia Dei et impenetrabilia. Unde constat stultam et superbam esse præsumptionem eorum qui putant impenetrabilia judicia Dei bellis et cædibus liquido publicari.

*Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, et de manu hominis : de manu viri et fratris ejus requiram animam hominis. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo.*

Hæc prima lex, a Deo data hominibus, prohibet attentissime humanum sanguinem fundere.

Non omnis qui hominem occiderit, corporaliter occidetur. Sed secundum illud accipiendum est quod Dominus in Evangelio dicit : *Omnis enim qui gladium acceperit, peribit.* Et Apostolus ait : *Quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Quare autem hunc reatum tanta pœna sequatur, hæc causa est, quoniam ad imaginem Dei factus est homo.

*Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manu eorum. Quare ergo impii vivunt, sublimati sunt confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, et pacatæ, et non est virga Dei super eos. Bos eorum concepit, et non abortivit; vacca peperit, et non est privata fetu suo. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exsultant lusibus. Tenent tympanum, et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

Hæc sententia indicat temporalem esse malorum felicitatem. Et idcirco errant qui putant singulis hic retribui quod merentur.

*Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas? Circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus. Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo. Absconde eos in pulverem simul, et facies eorum demerge in foveam. Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua*

Qui conflictibus et congressionibus merita hominum se putant posse invenire, habeant brachium sicut Deus, et in voce simili tonent, circumdent sibi decorem, et in sublime erigantur, sintque gloriosi, et tunc poterunt sibi ipsi esse salvatores; impiorum autem et superborum dispersores, humiliatores, contritores, et in foveam demersores.

*Non enim in arcu meo confidam, neque gladius meus salvabit me; quia salvasti nos de hostibus nostris, et eos qui oderunt nos confudisti. In Deo laudabimur tota die, et nomen tuum confitebitur in æternum. Verumtamen tu confudisti et projecisti nos, et non egredieris in exercitibus nostris. Vertisti terga nostra hosti, et qui oderunt nos diripuerunt sibi. Dedisti nos quasi gregem ad vorandum, et in gentibus dispersisti nos.*

Ista sententia insinuat neminem salvum fieri, aut justum vel innocentem demonstrari per armaturam corpoream, ipsum autem Deum non semper in hac vita bonis retribuere merita justitiæ. Unde et Paulus, qui bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, repositam sibi dicit coronam justitiæ, non receptam. Nam in præsenti quinquies quadragenas una minus accepit, ter virgis cæsus, semel lapidatus est, ter naufragium fecit, et omnia illa pericula quæ ipse enumerat, sustinuit.

*Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in acervum lapidum. Dederunt cadavera servorum tuorum escam avium cœlorum, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum quasi aquam in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret. Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et derisio his qui in circuitu nostro sunt.*

Hæc sententia eadem ipsa demonstrat quæ et superior.

*Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde, qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam, loquitur veritatem in corde suo, qui non est facilis in lingua sua, neque fecit amico suo malum, et opprobrium non sustinuit super vicinum suum. Qui negligit damnum propter amicum suum, justus est; iter autem impiorum decipiet eos. Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Arma, et gladii in via perversi : custos autem animæ suæ longe recedit ab eo. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exsultet cor tuum; ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam.*

Videat bellator fraternus, si sit innocens manibus,

mundo corde, et faciat omnia quæ sequens sententia enumerat.

Non solum melior, sed nec bonus vult esse, qui per patientiam non dominatur animo suo. Qui cum proximo decertat propter animal brutum, nec modicum damnum vult negligere propter Deum.

*Erues eos qui ducuntur ad mortem, et qui detrahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris: Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua. Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiæ iniquitatem. Et dixi in corde meo: Justum et impium judicabit Deus, et tempus rei omnis tunc erit. Verti me ad alia, et vidi calumnias quæ sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et consolari eos neminem, nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos.*

Non solum debes non ducere ad mortem, verum etiam eos qui ducuntur eruere, si non vis ut reddat tibi Dominus secundum opera tua.

Quando Dominus inter justum et impium discreverit, tempus omnis rei tunc erit, non modo. Quod tempus desiderans Ecclesia, rogat Dominum, dicens: *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta.* Quam rem si homines saltem justificare valuissent, non essent mala quæ sequentes sententiæ enumerant.

*Si videris calumnias egenorum, et violenta judicia, et subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso alius excelsior, et super hos quoque eminentiores sunt alii.*

Excelsus quippe super excelsos hæc respicit Deus, qui angelos suos super judices et reges terræ præposuit: qui possunt utique prohibere injustitiam, et magis in terra valere quam quævis hominum potestates. Sed quoniam servat in fine judicium et consummationem mundi, quando matura seges fuerit, et messores venerint, jussurus est ut separetur triticum et lolium tradatur incendio; ideo nunc exspectat, et differt sententiam, quandiu ager mundi istius plenius excolatur.

*Justus perit in justitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua.*

Dei in occulto sapientia est et tribulare nunc sanctos ut recipiant mala in vita sua, et peccatores non visitare pro scelere et quasi ad vindictam reservare; ut et illis possit æterna bona restituere, et his mala inferre perpetua.

Melius est secundum voluntatem Dei ut justus pereat in justitia sua, quam ut impium occidat propter malitiam illius. Et quia ita fit, ideo provenit quod sequens sententia dicit:

*Sunt justi quibus multa proveniunt, quasi opera egerint impiorum; et sunt impii qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant.*

Inter cæteras vanitates quæ in mundo vario feruntur eventu, etiam hoc deprehendi quod justis ea frequenter eveniunt quæ impiis evenire debuerant, A et impii tam feliciter in hoc mundo degunt, ut eos putes esse justissimos.

*Nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futuro servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas, et sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic et peccator; ut perjurus, ita et ille qui verum dejerat. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt.*

Si omnia futuro servantur incerta, mira fatuitas quorumdam, qui certaminibus exsecrandis putant se de incertis facere certa.

*Verti me ad aliud; vidique sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientum panem,* B *nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus. Nescit homo finem suum. Sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves comprehenduntur laqueo, sic capiuntur homines tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.*

Hæc sententia non denegat providentiam, sed docet exitus rerum hominibus esse incertos. Epistola ad Romanos huic loco congruit: quia non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei sit. Quod autem ait: *Non est sapientibus panis,* multorum quotidie probatur exemplo, qui cum sapientissimi sint, necessariis indigent, et eruditum virum latere in obscuro, persecutiones pati, et non solum in populum gratiam non habere, sed inopia et egestate tabescere. Hæc autem fiunt, quia incerto statu fluunt omnia, C et non est in præsenti meritorum retributio, sed in futuro.

*Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis; positum stultum in dignitate sublimi, et divites cadere deorsum. Vidi servos in equis, et principes ambulantes quasi servos super terram.*

Et hanc ergo iniquitatem se in sæculo perspexisse commemorat, quod videatur injustum Dei esse judicium, et sive per ignorationem, sive absque ejus fieri voluntate, ut vel in mundi potestatibus, vel in Ecclesiæ principatu, sæpe hi qui divites in sermone sunt atque sapientia, divites etiam in operibus bonis, ignobiles sedeant, et imprudens quisque in Ecclesia teneat principatum: hoc autem fieri a vultu D ejus qui in sæculo habet potestatem, dum potentes quosque et doctos premat, nec eos in populis apparere permittat; illos vero quos scit esse imprudentes, in Ecclesiis faciat esse majores, ut cæci a cæcis ducantur in foveam.

*Quare ostendisti mihi iniquitatem, et laborem, videre prædam, et injustitiam contra me? et factum est judicium et contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium: quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.*

Hæc loquuntur nescientes judicia Dei investigabilia et profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ ejus, quod non ita videat Deus, ut videt homo. Ho-

mo tantum præsentia respicit, Deus futura et æterna A cognoscit. Communis ad Deum querela sanctorum est, quare contra eos injustum judicium fiat, et innoxium in persecutionibus sanguinem fundant; ac si quando ante tribunal steterint judicum sæcularium judex acceptis muneribus condemnet insontem, et reum liberet: quod quidem non solum de judicibus sæculi, sed interdum de ᵃ Ecclesiæ quoque principibus dici potest, quod propter munera lacerent legem, et non perducant usque ad finem judicium, et impius prævaleat adversus justum, et magis in judicio peccatum divitis quam pauperis veritas defendatur, unde querimonia est judicium exire perversum. Non debemus super hac rerum inæquitate turbari, videntes et in principio mundi ab impio Cain interfectum Abel justum, et postea exsulante B Jacob regnare in domo patris Esau. Ægyptii luto et latere affligunt filios Israel.

*Quare non respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem.*

Dominus noster sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, ut eum probet, et magis provocet ad rogandum, et quasi igne excoctum, justiorem et puriorem faciat. Quod intelligens Apostolus, *secundum id quod misericordiam consecutus a Domino*, ait, *non deficimus;* C et benedicit Deum in omni tempore, et scit quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

*De Sion egredietur lex, et verbum Domini de Hierusalem, et judicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum, et conflabunt gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones, non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent ultra belligerare. Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ. Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.*

Heu, proh dolor! jam in multis gentibus factum est ut bellandi studio cessante, agriculturæ operam dent, propter quam etiam arma in utensilia versa sunt; et adhuc Burgundionibus necesse est, propter assidua domestica bella, ut falces, ligones ac vomeres conflentur in gladios.

*Vacate et videte quoniam ego sum Deus. Mei autem pene vacillaverunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. Quia æmulatus sum contra iniquos, pacem peccatorum videns, quod non recogitaverunt de morte sua, et firmata sint vestibula eorum. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Idcirco nutriti sunt ad superbiam, circumdederunt iniquitatem sibi, processerunt a pinguedine oculi eorum, transierunt cogitationes cordis, irriserunt et locuti sunt in malitia, calumniam de Excelso loquentes.*

Quæ et ista sententia dicit, etiam corporaliter ex parte facta fuissent, si Burgundiones acquievissent.

BALUZII NOTÆ.

ᵃ *De Ecclesiæ principibus*, id est, episcopis. Sic enim vocantur episcopi a veteribus et ab ipsis pontificibus Romanis, ut dictum est ad Lupum Ferrariensem.

# SERMO EXHORTATORIUS AD PLEBEM

## DE FIDEI VERITATE ET TOTIUS BONI INSTITUTIONE.

I. Audite, fratres nostri, familia Christi, grex summi pastoris, populus pascuæ ejus, et oves manus ejus. Introite portas æterni regis in confessione, et atria ejus in hymnis, ut vobis dicatur: *Ecce nunc benedicite Domino, omnes servi Domini, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* D *Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est.* Et quam prope est! *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.* Est enim cunctis mentibus interior, cunctis corporibus interior, ipse intus replet, exterius circumdat, inferius portat, superius protegit. Ipse qui nunc sic prope est, veniet tempus quando inveniri non poterit. Et quare non invenietur qui ubique est, qui nusquam deest? Quia jam non erit tempus Dominum quærendi, sed pœnas luendi eos qui nunc eum non inveniunt. Agite quod psalmus dicit: *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant tibi.* Benedicite cum ipsis, aut confitemini cum universis operibus Domino.

II. Non vobis necesse est transmigrare de locis ad loca, de regno ad populum alterum, ad quærendum Dominum. Ipse se vobis ultroneus offert, et dicit: *Ecce sto ad ostium, et pulso. Si quis audierit vocem meam et aperuerit januam, introibo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Quid unquam tam dulce? quid tam jucundum? Adjungit etiam, et dicit: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Ecce vult intrare ad te, ut cœnes cum illo; non te pigeat aperire. Non solum in mente tua vult cœnare tecum, verum etiam te vult levare in thronum suum, ut sedeas cum illo. Cui talia promittuntur, quid amplius desiderare debet? Promittit adhuc Dominus, et dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Sint ergo lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati

servi illi, ad quos veniunt Pater et Filius, et mansionem apud eos faciunt. Væ autem illis qui talem hospitem a se repellunt; quoniam in malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Et ideo nolite cogitare inania, nolite desiderare peritura; ineptas autem et aniles fabulas devitate, exercete vos ipsos ad pietatem. Aperite Domino pulsanti, ut intret ad vos, et cœnet vobiscum, et mansionem apud vos faciat. Nec tacens pulsat, sed loquitur unicuique animæ pulsans: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Vos autem curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam. Si enim meditando de fide vestra et spe, crescitis in scientia et cognitione Dei, non vacui nec sine fructu vivitis, et ita Dominum hospitem tenetis.

III. Fides est, qua credimus unum Deum omnipotentem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, veram Trinitatem, veram Unitatem. O quam vera Trinitas, ubi nullus nascitur ex se, nullus procedit a se, sed alter ex altero! Filius videlicet nascitur ex Patre, Spiritus sanctus procedit ex Patre et Filio. Procul dubio igitur apparet quod alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque procedit. O quam vera Unitas, ubi non est alius spiritus Patris, alius Filii, sed unus utriusque; nec prius procedit ex Patre in Filium, deinde ex Filio ad diffundendum in cordibus fidelium charitatis donum; sed simul ex utroque. Non est alia deitas Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, sed una trium deitas; et idcirco vere unus Deus. Nam si esset alia et alia, non esset unus. Una ergo deitas, una æternitas, una majestas, una potentia, una voluntas, una operatio, una pietas, una gloria. Et quia est omnino alius et alius, ideo Trinitas; et quia non est aliud et aliud, ideo Unitas; quia non est ipse Pater qui Filius, non ipse Filius qui Pater, aut Spiritus sanctus, ideo vera Trinitas. Quia vero hoc est Pater quod Filius, hoc Filius quod Pater et Spiritus, ideo vera Trinitas [*Leg.* Unitas]. Nativitatem Filii non præcessit potestas aut voluntas Patris. Sic processionem Spiritus sancti nihil fuit quod præcederet. Patrem confitemur genitorem Filii, factorem autem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium rerum. Filium confitemur ingenitum Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, ὁμοούσιον Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt quæ in cœlo, et quæ in terra, per quem majestatem Patris laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, cœli et cœlorum virtutes. Spiritum sanctum confitemur vivificantem, ex Patre et Filio procedentem, cum Patre et Filio adorandum et glorificandum, qui locutus est per prophetas. Donum dantes simul tres, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum confitemur, sine confusione indivisos, sine tempore sempiter-

A nos, sine differentia æquales. Unus Dominus magnus et laudabilis nimis, cujus magnitudinis non est finis, et sapientiæ non est numerus. Magnus certe non mole, sed virtute; qui dum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest.

IV. Hanc veram Trinitatem, veramque Unitatem, unum Dominum, laudant de cœlis, laudant in excelsis omnes angeli, omnes virtutes, sol et luna, stellæ et lumen, cœli cœlorum, et aquæ quæ super cœlos sunt. Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Laudant de terra dracones et omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, montes et colles, ligna fructifera, et omnes cedri, bestiæ, et universa pecora, serpentes, et volu- B cres pennatæ, reges terræ, et omnes populi, principes, et omnes judices terræ, juvenes et virgines, senes cum junioribus, quia exaltatum est nomen ejus solius. Et confessio ejus super cœlum et terram, et laus in Ecclesia sanctorum. Laudantur enim in sanctis suis, in firmamento virtutis suæ, in virtutibus suis, secundum multitudinem magnitudinis suæ, in sono tubæ, in psalterio et cithara, in tympano et choro, in chordis et organo, in cymbalis bene sonantibus, in cymbalis jubilationis.

V. Cum ergo ista omnia simul, rationabilia et irrationabilia, incessanter laudent Deum, quomodo homines, ad imaginem et similitudinem Dei conditi, et ad laudem gloriæ ejus vocati, debent esse pigri, aut tardi, aut otiosi? Et illa quidem laudant Dominum C semper. Nos autem, etsi non possumus semper, laudemus saltem frequenter; quibus per Apostolum dicitur: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.* Et per prophetas: *Narrate omnia mirabilia ejus, annuntiate inter gentes studia ejus, notas facite in populis adinventiones ejus.* De quibus virtutibus et mirabilibus, qualia sint, sanctæ Scripturæ verbis sic prædicatur: *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem. Qui fundavit terram super basim suam; non commovebitur in sæculum sæculi. Qui demisit lapidem angularem ejus, cum laudarent simul eum astra matutina, et jubila-* D *rent omnes filii Dei. In fortitudine ejus, repente maria congregata sunt; et prudentia ejus percussit superbum. Qui extendit aquilonem super vacuum, et appendit terram super nihilum. Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum. Qui aufert stillas pluviæ*, et sicut alia translatio dicit, *innumerabiles illi stillicidia. Qui mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit. Qui appendit tribus digitis molem terræ, et liberavit in pondere montes, et colles in statera. Cujus thronus flammæ ignis et rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egreditur a facie ejus. Millia millium ministrant ei, et decies millies centena millia sistunt ei.* Omnes namque exercitus cœli assistunt ei, non solum a dextris, sed etiam a sinistris: de quibus propheta vidit egredi

spiritum dicentem : *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus*, id est, decepti et decipiendi regis, ut ascenderet ad locum ubi ei paratus erat interitus.

VI. Istius sinistri exercitus aut princeps aut magnus, invidendo sancto viro Job, expetivit eum ut sibi concederetur a Domino, non ad probandum quod factum est per eum nolente illo, sed ad reprobandum quod multitudini malitiæ suæ desiderabat. Hujus sinistri exercitus princeps accessit ad primum hominem, bene et bonum a bono Deo conditum, igne invidentiæ succensus; et decepit ac prævaricatorem fecit, atque omnimodæ corruptelæ subjecit, et de societate angelorum depositum, socium sibi fecit, atque de luce angelica abstractum, tenebris suis subjugavit, et æternæ morti obnoxium reddidit. Dominus autem summe bonus et pius, ut tam magnam ruinam repararet, tam magnum vulnus, misit Filium suum Deum Verbum, ut caro fieret, id est, homo verus, et habitaret in nobis, id est, in humanitate perfecta, quam sumpsit pro nobis (Aug. *in Joan.*, *Tract.* IV) ex nobis, id est, ex sancta Virgine ad hoc præparata et custodita; habitaret autem corporaliter, non spiritaliter, ut in sanctis cæteris, id est, dono gratiæ, sicut scriptum est : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est*. Qui licet Domino adhæreant, et Deus in illis habitet, non tamen exinde efficitur ut illi sint naturaliter, sicut in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut Deus sit substantialiter. Quæ humanitas, ex quo esse cœpit, non aliud esse potuit quam Deus et unicus Filius, quia unigenitus caro factus est, ut sit verus Deus, verus homo, unus Deus. Et licet aliud sit caro, aliud divinitas; non tamen ipse alius est in carne, alius in divinitate ; sed utroque unus Christus Deus homo , permanente utriusque naturæ veritate et integritate; id est, non mutata humanitate in divinitatem, neque conversa divinitate in humanitatem : qui ex utroque unus Christus Deus, ita adoratur cum Patre et Filio ab omni creatura, ut superius diximus, sicut adorabatur antequam Verbum caro fieret: quia inconvertibilis deitas, quæ inconvertibiliter infirmitatem nostram, in qua mori possit, suscepit incarnatione sua, nec minui potuit, nec augeri.

VII. Verus Deus ergo et verus homo, unus Dominus noster Jesus Christus, venit ad passionem, ut perferret omnia illa quæ de illo prænuntiata sunt per Scripturas. Unde comprehensus, et ligatus, flagellatus, irrisus, et in cruce suspensus, cum veniret hora ut potestate propria poneret animam suam, potestate iterum eam sumpturus, clamans voce magna, dicit : *Consummatum est :* et inclinato capite tradidit spiritum. Natus autem vera nativitate, veræ carnis sustinuit veram passionem, suscepit veram mortem, vera carnis resurrectione *præbuit se ipsum vivum discipulis in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei*, manducavit et bibit coram eis, non necessitate, sed potestate. *Et videntibus illis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum , ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum ? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis ad cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Sedet ergo in ea carne quam assumpsit pro nobis, ad dextram Patris, et venturus est in gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, qui est testis fidelis; primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ, Agnus Dei qui tollit peccata mundi: qui ita laudatur cum Patre ab angelis : *Sedenti in throno et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum.* Et quando venerit in majestate sua et Patris, sic timebitur ab eis quos judicaturus est, ut dicant montibus et petris: *Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis supra thronum, et ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsius, et quis poterit stare ?* Transacto, omnes electi ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, erunt stantes ante thronum in conspectu Agni, et amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum, et clamabunt voce magna dicentes : *Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et Agno.* De quibus dicitur : *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die et nocte in templo ejus; et qui sedet in throno, habitat super eos. Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus; quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet illos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ex oculis eorum. Et lætitia sempiterna super caput eorum, gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* Hæc civitas Dei, id est universitas omnium sanctorum, *non eget sole, neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.* Et dicetur ei : *Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et postes tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te ; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur: quia Dominus erit tibi in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram. Et videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum ; et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata; sed vocaberis voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata; quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur. Habitabit enim juvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus. Non intrabit in*

*eam aliquid coinquinatum, et faciens abominationem et mendacium:* nec fatuæ virgines, quæ non sumpserunt oleum secum: nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni, et regnabunt in sæcula sæculorum.

VIII. Hæc præclara testimonia sanctæ Scripturæ ostendunt unitatem et æqualitatem sedentis super thronum et Agni, Patris videlicet et Filii, cum et unus dicitur dies magnus iræ ipsorum. Mansit enim æqualis Patri, etiam postquam factus est minor Patre. Unde et Patres sancti, doctores videlicet Ecclesiæ, in brevissimo hymno quem Psalmis, Antiphonis et Responsoriis subjungimus, cantandum tradiderunt: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto; sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum.* Et cum electi ex omnibus populis et linguis stare dicuntur ante thronum in conspectu Agni, et una salus cantatur ei qui sedet super thronum et Agno, et pariter illuminant civitatem suam: hoc ipsum ostenditur, ut sciamus unum esse Patrem et Filium, etiam postquam minor factus, obediens exstitit usque ad mortem, mortem autem crucis. *Propter quod Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Ostendit etiam caput exaltatum ad quantam sublimitatem elevat corpus suum, et unitatem capitis et corporis, sponsi videlicet et sponsæ. Unde dicitur: *Induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Se enim dixit sponsum, se sponsam. Hæc tanta unitas est illud inæstimabile et ineffabile bonum, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus diligentibus se; cum Agnus ille est sponsus gregis sui, pastor ovium suarum; et qui est agnus in passione, leo in resurrectione, aquila in ascensione, lapis quoque angularis, lapisque abscissus de monte sine manibus, et factus est mons magnus implens omnem terram. Hoc est regnum quod in æternum non dissipabitur, et populo alteri non tradetur, et ipsum stabit in æternum. De hac unitate et ineffabili sublimitate capitis et corporis per Danielem prophetam dicitur: *Aspiciebam in visione noctis; et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit; et in conspectu ejus obtulerunt eum; et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient; potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur; et regnum ejus, quod non corrumpetur.*

IX. Hæc unitas et sublimitas capitis et corporis, quæ futura est in specie et re, omni intentione pietatis jam nunc tenenda est in fide et in spe. Hanc sublimiter commendat Apostolus, cum dicit: *Qui descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem* A *sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionem Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: cujus totum corpus compactum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Et iterum: *Caput ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum.* Et alio loco: *Sollicite* B *servate unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus est et Pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.* Item de unitate membrorum: *Sicut enim corpus unum est,* inquit, *et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi, et omnes in uno Spiritu potati sumus. Nam corpus non est unum membrum, sed multa.*

X. Quod autem mediatio mediatoris Dei et hominum Domini nostri Jesu Christi conjungat Patri omnem electam creaturam, ita ut ista ineffabili unitate C spiritus, nulla sit diversitas generis, conditionis et sexus, sed tam ex angelis, quam ex hominibus, una domus et una civitas Dei fiat, atque hujus tantæ et tam mirabilis unitatis unum caput sit Christus, ita docet Apostolus: *Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit eum: ubi non est gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus.* Et iterum: *Quicunque in Christum baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis* D *in Christo Jesu.* Et alibi: *Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris, vir; caput vero Christi, Deus.* Itemque: *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Et alio loco: *Quid est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quia in ipso condita sunt omnia in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum; pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ*

*in terris, sive quæ in cœlis.* Et iterum : *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis.*

XI. Pro hac ineffabili unitate ipse mediator Dei et hominum, Deus homo, Christus Jesus, tempore passionis suæ rogavit Patrem, dicens : *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me : ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, et ipsi in nobis, unum sint; ut mundus credat, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me; ut sint consummati in unum; et cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* Quando autem perficietur ista tanta et tam sublimis unitas, Apostolus diligentissime ostendit, dicens : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur; unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde hi qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus.* Et iterum : *Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati, lex. Deo autem gratias, qui nobis dedit victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Ad hanc victoriam non pervenitur, nisi certando : quoniam non oportet coronari, nisi qui legitime certaverit.

XII. Hujus unitatis pars, quæ adhuc peregrinatur in terra, habet adversantes contra quos incessanter confligat : quia omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur. Sunt in primis diabolus et angeli ejus hostes nostri, contra quos armari nos vult Apostolus, dicens : *Induite vos armaturα Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli : quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ, in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die*

A *malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti lorica justitiæ, et calceati pedes in præparationem Evangelii pacis; in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere; et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem, et obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu.* Sunt etiam homines publice persequentes, de quibus ipse Dominus loquitur : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos; et ad præsides et ad reges deducemini propter me, in testimonium illis et gentibus.* Sunt quo-
B que alii persecutores qui persequuntur inimicitiis, odiis, detractionibus, accusationibus, damnis, rixis et diversis asperitatibus : contra quos non armis pugnandum est, sed patientia et tolerantia; sicut Apostolus docet nos patientes esse debere ad omnes : et Dominus jubet non resistere malo. *Sed si quis te percusserit in dextera maxilla tua, præbe illi et alteram.* Et iterum : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est.* Et iterum : *Si dimiseritis enim hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet peccata vestra.* Sunt etiam inimici fidei, et quibus Apostolus loquitur : *Quia in*
C *novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium.* Contra quos pugnandum est non armis corporalibus, sed spiritualibus, exemplis videlicet, Scripturarum auctoritate, ratiociniis fidei et veritatis. Sunt etiam inimici quotidiani, quos nec loco nec tempore possumus declinare : quos Apostolus enumerat, dicens : *Desideria carnis non perficiatis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt forni-*
D *catio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia : quæ prædico vobis, sicut prædixi : quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Contra quos pugnandum est, non solum ratione, sed et labore, abstinentia, continentia, vigiliis; sicut Apostolus suo nos exemplo informat, dicens : *Castigo corpus meum et servituti subjicio; ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar.* Unde et discipulum instruens, et de se jam securus, juxta finem vitæ suæ, ita gloriatur, dicens : *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple. Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In*

*reliquo, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus.*

XIII. Inter hæc omnia caveat fidelis, ne omnino vel in modico in propriis viribus præsumat, sed de Dei adjutorio, ut ad finem bonorum pervenire, vel in bono possit opere perdurare : quia Dominus ait : *Sine me nihil potestis facere.* Et Apostolus : *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Et iterum : *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis.* Et iterum : *Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et Dominus : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo. Suam namque voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati; quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est a quo et præparatur et jubetur quod volunt. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito. Sua bona Deus prævidet, præscit, adjuvat, et remunerat in nobis. Nemo bonus nisi solus Deus, qui non est alterius bono bonus. Homines autem, non proprio, sed Dei bono, sunt boni; qui est fons et origo bonitatis; imo qui est bonitas : a quo omne bonum, et sine quo nihil boni.

XIV. Hæc est fides et spes catholicæ Ecclesiæ, quæ est columna et firmamentum veritatis, in lege et prophetis, psalmis et hymnis prædicata, per apostolos evangelizata, per martyres testificata, per doctores exposita. Quidquid huic fidei contrarium invenitur, et quæque dissona et discrepantia, inepta sunt, et profana, atque inaniloquia, quæ multum proficiunt ad impietatem, ac per hoc doctrina dæmoniorum et antichristorum, de quibus Apostolus ait : *Filioli, novissima hora est; et sicut audistis quia Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt.* De quibus alius apostolus : *Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os illorum loquitur superbiam, quorum omnium caput est Antichristus.* De quo Apostolus : *Rogamus vos autem, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi et nostræ congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat illo modo. Quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium jam operatur iniquitatis : tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum; cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* De hoc tempore et Dominus in Evangelio ait : *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ; et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis.* De antichristo et Daniel propheta sic dicit : *Sermones contra Excelsum loquetur, et sanctos Altissimi conteret, et putabit quod possit mutare tempora et leges, et tradentur in manu ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis. Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem. Regnum autem, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi, cujus regnum sempiternum est.* Et iterum : *De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum; et factum est grande contra meridiem, et contra orientem, et contra fortitudinem; et magnificatum est usque ad fortitudinem cœli; et dejecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas. Et usque ad principem fortitudinis magnificatum est, et ab eo tulit juge sacrificium, et dejecit locum sanctificationis ejus. Robur autem datum est contra juge sacrificium propter peccata; et prosternetur veritas in terra, et faciet, et prosperabitur.* Et iterum : *Et post regnum eorum, cum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie, et intelligens propositiones; et roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis; et supra quam credi potest, universa vastabit, et prosperabitur, et faciet. Et interficiet robustos, et populum sanctorum, secundum voluntatem suam : et dirigetur dolus in manu ejus, et cor suum magnificabit, et in copia rerum omnium occidet plurimos, et contra principem principum consurget, et sine manu conteretur.* Et iterum : *Et faciet juxta voluntatem suam rex, et elevabitur, et magnificabitur adversum omnem Deum; et adversum Deum deorum loquetur magnifica, et dirigetur, donec compleatur iracundia : perpetrata quippe est definitio. Et Deum patrum suorum non reputabit, et erit in concupiscentiis feminarum, nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget.* In libro Apocalypsi : *Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem cornua septem, et capita decem, et super cornu ejus decem diademata; et super capita ejus nomen blasphemiæ. Et bestia*

*quam vidi, similis erat pardo, et pedes ejus similes ursi, et os ejus sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam et potestatem magnam. Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam. Et adoraverunt draconem qui dedit potestatem bestiæ; et adoraverunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ? et quis poterit pugnare cum ea? Et datum est ei os loquens magna, et blasphemiam, et data est illi potestas facere menses quadraginta duos. Et aperuit os suum in blasphemias, ad Deum blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos qui in cœlo habitant. Et datum est ei bellum facere cum sanctis, et vincere illos.* Et iterum : *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra; et habebat cornua duo similia agni, et loquebatur sicut draco. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus; et fecit terram et inhabitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum. Et seduxit habitantes terram, propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ.* Et iterum : *Ego tibi dicam sacramentum mulieris, et bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem, et cornua decem. Bestia quam vidisti fuit, et non est, et ascensura est de abysso, et in interitum ibit; et mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ a constitutione mundi), videntes quæ erat, et non est. Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt. Quinque ceciderunt, unus est, alius nondum venit; et cum venerit, oportet illum breve tempus manere. Et bestia quæ erat et non est, ipsa octava est, et de septem est, et in interitum vadit. Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges una hora accipiunt post bestiam. Hi consilium unum habent et virtutem, et potestatem suam bestiæ tradent. Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos : quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum, et qui cum illo sunt vocati, electi et fideles.* Et iterum : *Et vidi bestiam, et reges terræ, et exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus. Et apprehensa est bestia, et cum ipso pseudopropheta qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adorant imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphuris, et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius.* Et iterum : *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exiet, et seducet gentes quæ sunt super angulos terræ Gog et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super altitudinem terræ; et circumierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam. Et descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit illos; et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum*

A *ignis et sulphuris, ubi bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.*

XV. Tres hic dicuntur, diabolus videlicet, et bestia, quæ est Antichristus, et pseudopropheta, quæ omnem potentiam Antichristi ostensura est in signis et prodigiis mendacibus. Et duæ bestiæ, operante diabolo, eminentiores sunt in universo corpore perditorum. Et diabolus quidem est inventor et causa omnis mali, tanquam hominibus mortaliter viventibus invisibilis. Est et homicida est ab initio. Universa mala quæ operatus est, maxime per homines exercuit et exercet. Illum autem primum malum quod in deceptione primorum hominum perpetratus est, per serpentem fecit; quia nec erat homo, per quem primi homines deciperentur. Per serpentem

B locutus Evæ, per Evam Adæ. Deinde per Cain occidit Abel. Et deinceps pullularunt omnia mala, et creverunt iniquitates, et crescunt adhuc, donec perveniant ad summum mali; quando Deo permittente et ordinante assumpturus est sibi diabolus vas aptissimum, hominem videlicet illum damnatum et perditum, caputque perditorum; qui in tantam excrescet malitiam, ut homo omnium pessimus ostentare se possit, et audiat tanquam fit Deus, et contra universa consurgat, et extollat se ac jactet super omne quod dicitur Deus et quod colitur : ita ut de illo jam dictum sit a Domino : *Non est super terram potestas quæ comparetur ei qui factus est ut nullum timeret. Omne sublime videt. Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Ut sciamus de illo dictum esse,

C superius ostenditur, ubi dicitur : *Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta, neque thorax.*

XVI. Quod autem unum corpus sit omnium perditorum, cujus isdem Antichristus caput sit, superius ostenditur, ubi dictum est : *Membra cohærentia sibi carnium ejus.* Et iterum : *Corpus illius quasi scuta fusilia; compactum squamis se prementibus. Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas : alteri una adhærebit, et tenentes se nequaquam separabuntur.* De quo corpore et capite ejus, id est, diabolo, vel Antichristo, et per Ezechielem prophetam dicitur : *Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum. Et po-*

D *nam frænum in maxillis tuis, et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis; et extraham te de medio fluminum tuorum, et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt, et projiciam te in desertum, et omnes pisces fluminis tui.* De cujus potentia et in psalmo, secundum Hebraicam tamen translationem, dicitur : « Impius secundum altitudinem furoris sui non requiret, nec est Deus in omnibus cogitationibus ejus. Parturiunt viæ ejus in omni tempore. Longe sunt judicia tua a facie ejus. Omnes inimicos suos despicit. Loquitur in corde suo. Non movebor de generatione in generationem, ero sine malo. Maledictione os ejus plenum est, et dolis, et avaritia; sub lingua ejus dolus et iniquitas. Sed et insidiatur

justa vestibula in absconditis, ut interficiat innocentem. Oculi ejus robustos circumspiciunt; insidiatur in abscondito, quasi leo in cubili. Insidiatur ut rapiat pauperem, dum attraxerit eum ad rete suum, et confractum subjicit, et irruet viribus suis valenter. »

XVII. Hoc corpus diaboli atque Antichristi, quale in præsenti sit, et quid illi in futuro maneat, demonstratur in alio psalmo, ubi dicitur : *Quid gloriaris in malitia. qui potens es iniquitate?* et cætera. De hoc corpore perditorum loquitur et liber qui inscribitur Sapientiæ, qualiter in fine temporum oppressum æternis miseriis gerat seram et infructuosam pœnitentiam, dicens : *Tunc stabunt justi in magna constantia*, et cætera quæ subsequuntur. *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non ortus est nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis; et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens, et tanquam navis quæ pertransiit fluctuantem aquam.* Quod autem ex angelis et hominibus perditis unum corpus sit, uno cruciatui deputatum, Dominus ostendit in Evangelio, ubi ait se dicturum in judicio : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* De hoc cruciatu malignorum angelorum et hominum Isaia propheta in fine libri sui ait : *Egredientur* (haud dubium quin sancti) *et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Hæc pœna et locus pœnarum nominatur in Evangelio tenebræ exteriores, ubi jactatur servus ille qui non arguitur de fraude, sed de inutilitate, quia acceptum talentum negotiando multiplicare noluit; et alter, qui ad nuptias vestitus veste nuptiali non interfuit, ligatis manibus et pedibus projicitur. Ipse locus frequenter in Scripturis nominatur infernus; sicut est illud in Parabolis : *Semita vitæ super eruditum, ut declines de inferno novissimo :* et Ezechias rex justus Domino ait : *Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.* Et in psalmo : *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Et iterum : *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* Et beatus Job : *In profundissimum*, ait, *infernum descendunt omnia mea.* Nominatur et aliis nominibus, sicut isdem beatus Job iterum ait Domino : *Dimitte ergo me ut plangam paululum antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine; terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Quid enim terræ tenebrosæ nomine nisi terra tartari clausa signatur? Nec immerito infernus terra dicitur : quia quicunque ab eo capti fuerint, stabiliter tenentur. Ergo qui a conspectu districti judicis expulsus tenetur, miseriæ et tenebrarum terra cohibetur : quia foris dolor cruciat quos divisos a vero lumine intus cæcitas obscurat : transactorum illa ultrix flamma vitiorum concremationem et lumen non habet.

XVIII. Sciendum tamen quia sicut *in domo Patris mansiones multæ sunt pro diversitate virtutis;* sic damnatos diverso supplicio, gehennæ ignibus subjicit disparilitas criminis : quæ scilicet gehenna, quamvis cunctis una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate succendit : quæ tamen supplicia in se demersos et ultra vires cruciant, et in eis vitæ subsidium exstinguentes servant; ut sic vitam terminus puniat, quatenus semper sine termino cruciatus vivat, quia et ad finem per tormenta properat, et sine fine deficiens durat. Fit ergo miseris [a] mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia et mors vivit, et finis semper incipit, et deficere defectus nescit; quamvis illic ignis et ad consolationem non lucet, et tamen ut magis torqueat ad aliquid lucet. Nam sequaces quoque suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt : quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverant, ipsorum quoque eos interitus in augmento suæ damnationis affligat. Hic locus suppliciorum dicitur et lacus, sed in quo non est aqua, sicut per Zachariam dicitur : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Et per Ezechiam regem justum : *Non exspectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.* Dicuntur novissima laci, et fundamenta laci, et novissima abyssi.

XIX. Vos ergo abluti aqua baptismatis, et honorati nomine Christiano, signoque salutis signati, pensate attente, et perpendite diligenter, si habemus quod merito timeamus, si est quod omni sollicitudine mentis cavere debeamus; et inde cogitare nullatenus negligamus, sicut et sacer psalmus docet, dicens : *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.* Et iterum : *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper :* et non solum mentes nostras cogitando, sed et linguas nostras loquendo, ibi occupemus. Cætera pericula temporalia quanto minora sunt, tanto minus nos sollicitent. Ista autem quanto majora sunt, tanto magis nos conturbent et contristent, et profundis doloribus, suspiriis atque gemitibus compungant; ut fiat nobis quod scriptum est : *Confige, Domine, timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui.* Pensate fideliter quod beatus Job de se fatetur, dicens . *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui.* Si ille qui sic timebat, potuit unquam vanis cogitationibus occupare mentem, aut otiosis verbis

BALUZII NOTÆ.

[a] *Mors sine morte.* Sumptum est istud ex sancto Gregorio in libro IX Moralium in Job, cap. 48. Vide notas nostras ad librum III Salviani de Gubernatione Dei.

linguam; circumferte oculos mentis vestræ per vicinas regiones, et considerate mortales nostris temporibus. Ad quid eos videtis vacare? quid cogitare, loqui et facere? quanti sunt qui conentur agere quod Apostolus præcipit, dicens : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Et iterum : *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, canticis spiritalibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.* Et iterum : *Quid ergo est, fratres? Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet; omnia ad ædificationem fiant.* Et iterum : *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud aliquid facitis, omnia in gloria Dei facite.* Vere omnino, sicut Dominus ait : *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* Sicut ego verissimum est quia qui thesaurum bonitatis habet in corde, non potest aliter nisi ut bona cogitet et loquatur; ita qui inania et inutilia loquitur, demonstrat se inanem et vacuum esse a gratia spiritali. Nam si non esset, curreret; et procul dubio se audientes ædificaret in fide et gratiarum actione ad gloriam Dei.

XX. Ecce audistis nunc et bona, quæ ex toto corde amare et desiderare debeatis; audistis et mala, quæ ex tota virtute et omni conamine fugere debeatis. Propter quod pensate quem locum habere possit inter utrumque periturarum rerum amor, et transitorii damni et periculi timor. Sciendum omnino quia sicut amare illicita aut immoderata bona temporalia, peccatum est; ita timere inordinate, peccatum omnino est; et tam grande peccatum, ut inter cætera peccata annumeretur, et a regno cœlorum excludat, et æternis pœnis addicat, sicut in Apocalypsi legitur : *Timidis autem, et incredulis, et exsecratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardente igne et sulphure, quod est mors secunda.* Beatus quoque Petrus apostolus non solum docet non timendum persecutores, sed nec læsionem putare quidquid mali persecutores inferre possunt, duo conjungens testimonia psalmi et prophetæ Isaiæ, dicens : *Oculi Dei sunt super justos, et aures ejus ad preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala.* Et, *Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Hoc ipsum et per prophetam Dominus præcepit, dicens : *Nolite timere opprobria hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis; et sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit.* Similiter et per semetipsum in Evangelio jubet : *Nolite timere*, inquiens, *eos qui corpus occidunt, et post hæc non habent amplius quid faciant.*

XXI. Non timere autem corporis persecutores magnum Dei esse munus Dominus ostendit, cum loquitur ad Jeremiam, dicens : *Tu ergo accinge lumbos tuos; et surge, et loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides a facie eorum : nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æneum, super omnem terram.* Similiter et ad Ezechielem : *Ecce dedi*, ait, *faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem, et ut silicem, dedi faciem tuam. Ne timeas eos, neque metuas a facie eorum; quia domus exasperans est.* Et quia timere inimicum, qui solum corporale damnum inferre potest, grave crimen est; idcirco instruit nos psalmus ita orandum : *Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor : a timore inimici eripe animam meam.* Quasi dicat : A timore inimici libera me, et subde timori tuo. Tale est quod in alio psalmo dicitur : *Quoniam multi bellantes adversum me, ab altitudine diei timebo, ego vero in te sperabo.* Quod sic accipiendum est, quasi diceret : Multi quidem pugnant contra me. Ego autem auxilio gratiæ tuæ firmatus, sperans in te, non multitudinem eorum, sed tuum excelsum timebo lumen. Illi ergo qui bellantur adversum me, non possunt penetrare altitudinem diei, cujus apostoli duodecim sunt ore [*F.*, horæ] fulgentes.

XXII. Qui autem veraciter in Domino confidunt, securi se dicunt in Deo : *Laudabo sermones meos, in Deo speravi. Non timebo quid faciat mihi caro.* Et iterum : *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Quis enim accusabit adversus electos Dei, ut ait Apostolus? Et iterum : *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius* (*sicut scriptum est : Quia pro te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis*)? *sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.* Perfecte itaque Christiani non solum non timent tribulationes, verum etiam gloriantur in tribulationibus; scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus eorum per Spiritum sanctum, qui datus est eis; et omne gaudium existimant, cum in tentationes varias incidunt : absque ulla ambiguitate noverunt se tribulationibus et angustiis conflari, examinari et purgari, sicut aurum et argentum in fornace ignis, non sicut paleas, aut fœnum. Quia ad hoc illis ignem tribulationis adhibet Pater cœlestis, ut sordes abluat, non ut in cinerem convertat. Sanctorum itaque vox est in psalmo dicentium : *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Hæc omnia patiuntur variis persecutionibus. Tolerant plerumque superiores, quasi super capita impositos, quos noverunt esse pejores. Tolerant autem, non solum tribulatio-

nes, sed et tentationes, quasi ignem et aquam, per A adversa scilicet et prospera. Cavent omnino ne eos aut ignis exurat, aut aqua corrumpat. Transeuntes autem per ignem et aquam, hoc est, per prospera et adversa, educuntur in refrigerium; ubi jam nullum timent inimicum, nullam sustinent molestiam, quia perpetuum refrigerium et perpetua quies perseverat.

XXIII. Ut autem ad hoc perveniant, quid agendum est omnibus fidelibus inter tot mala et transitura et mansura, toleranda et fugienda, nisi quod Dominus et Redemptor noster, liberator, et moderator, cum de ultimis tribulationibus instrueret discipulos, præcepit, dicens : *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.* Simi- B liter et cum de sua jam instanti passione eos moneret, dicit : *Orate ne intretis in tentationem.* Nam et antea interrogatus a Pharisæis quando venit regnum Dei, cum respondisset, subjunxit, dicens : *Quoniam oportet semper orare, et non deficere :* ostendens hoc per parabolam de judice duro, et vidua interpellante importune. Nam et in alio loco, cum per parabolam diceret quemdam importune rogantem impetrasse commodo dari sibi panes a quodam, subjecit, dicens : *Et ego vobis dico, Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur.* Et post paululum : *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto* C *magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?*

XXIV. De qua re, id est assiduitate vel potius importunitate orationum, quam solliciti et intenti esse debeant fideles, plena est omnis sacra Scriptura Novi et Veteris Testamenti exemplis et præceptis, in quibus (quod incomprehensibile est hominibus) aliqua quæ omnipotens Deus promisit futura, sic distulit, ut orationibus obtinerentur. Unde et Petro apostolo detento ab Herode, et in carcere truso, oratio ab Ecclesia fiebat sine intermissione ad Deum. Et Paulus exhortatur auditores suos, dicens : *Orantes omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione, pro omnibus sanctis, et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei* D *cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii, pro quo legatione fungor in catena ista, ita ut in ipso audeam prout oportet me loqui.* Et in alio loco similiter : *Orationi instate,* ait, *vigilantes in ea gratiarum actione; orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum) ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui.*

XXV. Quod autem non tantum pro se unusquisque, aut pro sanctis, debeat sollicitus esse in oratione, sed et pro omnibus hominibus, idem beatus Paulus sic ostendit, præcipiens : *Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate.* Quod vero non solum in omni tempore, sed et in omni loco, hoc fieri debeat, ostendit, post pauca subjungens : *Volo ergo viros orare omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate.*

XXVI. Sciendum ante omnia quia oratio sicut esse debet sine ira et disceptatione, ita et sine hæsitatione, cum tota fiducia et fide. Quod in multis quidem locis ostenditur; sed præcipue in illo, ubi Petrus Domino dicit : *Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit. Et respondens Jesus, ait illis : Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti : Tolle te et mitte te in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petieritis, credite quia accipietis, et venient vobis.* Hoc modo orandum et beatus Jacobus apostolus admonet, dicens : *Si quis sapientiam postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, et non improperat, ei dabitur. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est tempestati maris, quæ a vento movetur, et circumfertur. Non ergo æstimet ille homo quod accipiat aliquid a Domino. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.* Tantam fidem et fiduciam præstat magna multitudo dulcedinis Dei, cui in alio psalmo dicitur : *Quia, tu Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.* Et nobis per prophetam dicitur : *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet te; clamabis, et dicet : Ecce adsum.* In quibus versibus aperte demonstrat quod qui pie audit Dominum, misericorditer auditur a Domino. Sed hos propheticos versus alia translatio sic inchoat : *Dissolve obligationes violentarum cautionum, dimitte fractos in remissionem, et omnem scripturam iniquam conscinde, et in fine, adhuc loquente te, dicet, Ecce adsum.* Quod valde necesse est, ut prædicetur, audiatur et impleatur.

XXVII. Hanc multitudinem dulcedinis suæ omnipotens et misericors Dominus per Ezechielem prophetam annuntiat clementer, et dicit : *Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum. Et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus. Revertimini, et vivite.* Sic et per Isaiam ostenditur, cum dicit : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum*

*nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Hanc suavitatem misericordiæ suæ Dominus nobis offert per eumdem prophetam, dicens : *Memento horum Jacob et Israel, quoniam servus meus es tu. Formavi te, servus meus es tu, Israel, non oblivisceris mei : delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua : revertere ad me, quoniam redemi te.* Et iterum : *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor.*

XXVIII. Qui autem has dulcissimas vocationes Dei neglexerint in præsenti tempore, dum inveniri potest, et dum prope est, et venerit tempus jam non operandi, sed recipiendi unumquemque secundum opera sua, audiens amaras improperationes : *Vocavi, et renuistis ; extendi manus meas, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Tunc erit eis illa infructuosa conversio, de qua Dominus per prophetam loquitur omnibus dicens : *Convertimini, et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus; et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula : et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem et germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus, et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento, et calcabitis impios, cum fuerit cinis sub planta pedum vestrorum in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.*

# AGOBARDI FLEBILIS EPISTOLA

## [a] DE DIVISIONE IMPERII FRANCORUM INTER FILIOS LUDOVICI IMPERATORIS

I. Domino gloriosissimo Ludovico imperatori Agobardus servulus.

Cum unusquisque fidelis omni fideli fidei sinceritatem debeat, dubium non est quod præcipue fideli prælato, cui res publica ad gubernandum commissa est, fides servanda sit ab omnibus, qui divinæ dispositioni fideliter subjecti sunt, sicut Apostolus docet : *Omnis,* inquiens, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit :* quanquam circa nullum infideliter agendum sit. Propter quod et alius apostolus dicit : *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum :* et docemur orare pro omnibus hominibus, pro regibus et his qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate. Et in alio loco dicitur : *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

II. Cum autem hæc ita sint, et omnes vobis fideles esse debeant, quomodo quisquam fidelis vobis esse poterit, si videns aut intelligens vestrum periculum, non se ingerit quantum potest, ut vobis indicet et cognitum faciat, si tamen locus aut facultas penitus illi non denegatur ? Testor omnipotentem Deum, qui scrutator est cordium et renum, quia nulla alia exstat causa, pro qua hæc scribere præsumo, nisi quia doleo, quantum dicere non possum, de periculis quæ vobis imminere videntur, et maxime animæ. Nam quanto excellentior substantia est anima corpore, tanto excellentiori sollicitudine curam animæ gerere debemus, quam corporis; ita Domino docente in Evangeliis, sicut ipsi optime nostis.

III. [b] Anno itaque præsenti, in attritione et commotione, agitatione et afflictione terræ et habitantium in ea quanta mala increbuerint, nemo hominum est qui enumerare possit, nulla exigente causa, nulla compellente necessitate ut ita fieri oporteret certamina quæ tenemus : quia si voluissetis, tranquillam et quietam vitam ageretis cum filiis vestris, non minus quam [c] pater vester, et avus. Adsit omnipotens et misericors Deus, qui habitator est pectoris vestri, adsit etiam patientia vestra, qua cæteros homines præcellitis, ut hæc quæ suggero tranquille audire et perpendere dignemini.

IV. In illo tempore, quando filium vestrum [d] participem nominis vestri facere curastis, ita in publicum vestrum interrogando hoc inchoastis, dicen-

BALUZII NOTÆ.

[a] In codice regio nullus hoc loco titulus exstat. Itaque eum retinuimus qui a Massono inventus est. Quanquam animus erat istud quoque mutare. Sed quia titulus hic jam prævaluit, et flebilis epistolæ nomine citari consuevit hic libellus, visum est mutari non debere.

[b] *Anno præsenti,* id est, anno 833. Tunc enim Ludovicus filiorum rebellionem compescere meditatus, exercitum adversus eos collegit, infelici prorsus eventu, ut tradunt scriptores illorum temporum.

[c] *Pater vester et avus,* Carolus Magnus et Pippinus.

[d] *Participem nominis vestri.* Contigit istud anno 817, ut Eginhardus tradit. Ludovicus imperator, inquit, « generalem populi sui conventum Aquisgrani more solito habuit; in quo filium suum primogenitum Lotharium coronavit, et nominis atque imperii sui socium sibi constituit. » Sed fusius ista prosequitur auctor Chronici Moissiacensis, qui fidem etiam astruit rebus quas hic enarrat Agobardus. « An. 817 Ludovicus imperator, inquit, apud Aquis palatium celebravit Pascha. Et in ipsa æstate jussit esse ibi conventum populi de omni regno vel imperio suo, apud Aquis sedem regiam, id est, episcopos, abbates, sive comites et majores natu Francorum. Et manifestavit eis mysterium consilii sui quod cogitaverat, ut constitueret unum de filiis suis imperatorem. Habebat enim tres filios ex uxore Ermengarda regina. Nomen uni Clotarius, nomen secundi Pippinus, et nomen tertii Ludovicus. Tunc omni populo placuit ut ipse, se vivente, constitueret unum ex filiis suis imperare, sicut Carolus pater ejus fecerat ipsum. Tunc tribus diebus jejunatum est ab omni populo.

tes : Quod ad stabilimentum regni pertinet, et ad A robur regiminis, debet homo differre, an non? Cumque omnes respondissent quod utile et necessarium est, non esse differendum, sed potius accelerandum; statim vos, quod cum paucissimis tractaveratis, omnibus aperuistis; et dixistis vos velle propter fragilitatem vitæ, cui incerta est mors, ut dum valeretis, nomen imperatoris uni ex tribus filiis vestris imponeretis, in quo voluntatem Dei quoquomodo cognoscere potuissetis. Propter quam cognoscendam injunxistis ut facerent omnes jejunium triduanum, offerrent sacerdotes sacrificia omnipotenti Deo, qui suavis et mitis et multæ misericordiæ est omnibus invocantibus se; fieret quoque ab omnibus eleemosyna per illud triduum solito largior, ut omnipotens Deus, qui summa benignitate regit cor- B da in se sperantium, infunderet in corde vestro voluntatem suam, et non sineret super alium inclinari voluntatem vestram, nisi super eum qui sibi placuisset. Itaque perfecistis omnia quæ in tali re facienda erant, tali fide et spe, ut hoc a Deo vobis infusum et inspiratum nemo dubitaret. Cæteris filiis vestris [a] designastis partes regni vestri; sed ut [b] unum regnum esset, non tria, prætulistis eum illis quem participem nominis vestri fecistis; ac deinde gesta scribere mandastis, scripta signare, et roborare, et consortem nominis vestri factum, [c] Romam misistis a summo pontifice gesta vestra probanda et firmanda; ac deinde [d] jurare omnes jussistis ut talem electionem et divisionem cuncti sequerentur ac servarent. Quod juramentum nemini visum est spernendum, aut superfluum, sed potius opportunum atque legitimum, eo quod ad pacem et concordiam pertinere videretur. In processu quoque temporis, quotiescunque aut quocunque imperiales litteræ mitterentur, [e] amborum imperatorum nomina continebant. Postea vero mutata voluntate, convulsa sunt statuta, et de litteris [f] nomen omissum est, et in omnibus contraria attentata sunt; cum neque per seipsum Deus, neque per angelum, neque per prophetam vobis dixerit, *Pœnitet me ita constituisse*, sicut de Saule dixit Samueli : adhuc quoque nescitis qualiter in secretis Dei consiliis definitum sit. Et ecce, sine ulla ratione et consilio, quem cum Deo elegistis, sine Deo repudiatis, et cujus voluntatem in eligendo quæsitis, non exspectato exitu voluntatis ejus, rem probatam reprobatis. Non ignorat prudentia vestra, quod sequendus est Deus, non præcedendus. Nam qui præcedere vult, tentat quod non est ex fide, dicente ipso Domino : *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

V. Oro, domine mi, adsit benignissima pietas vestra, ne aspernanter ista accipiatis; sed potius ingredimini sacrarium mentis vestræ cum Deo, et loquimini cum illo mediante fidei pietate; et invenietis vos dixisse Deo, non verbis, sed rebus :

BALUZII NOTÆ.

ac litaniæ factæ. Post hoc jam dictus imperator C Clotarium, qui erat major natu, imperatorem elegit, ac per coronam auream tradidit ei imperium, populis acclamantibus, et dicentibus, *Vivat imperator Clotarius.* Facta est autem lætitia magna in populo die illo. Et ipse imperator benedixit Dominum, dicens : Benedictus es Dominus Deus noster, qui dedisti hodie ex semine meo consedentem in solio meo, videntibus oculis meis. » Actum id. III Kal. Augusti scribit auctor ineditus Annalium Anianensium.

[a] *Designastis partes regni.* Pippino videlicet Aquitaniam, Ludovico Bajoariam.

[b] *Ut unum regnum esset, non tria.* Aliter tamen dein evenit. Nam triplex ex uno Francorum regnum factum est, post Ludovici mortem, uti dictum est ad epistolam Lupi Ferrariensis.

[c] *Romam misistis.* Ne quis existimet id factum fuisse statim post conventum Aquisgranensem, neque ideo missum Lotharium ut coronam imperii a pontifice Romano acciperet, ac si tum necessaria D novo imperatori fuisset approbatio summi pontificis, afferam verba Eginhardi, viri in aula educati, et negotiorum publicorum gnari, majestatisque jurium callentissimi ac temperantissimi scriptoris. Postquam ergo dixit Lotharium a patre in Italiam missum fuisse an. 822, ut rem publicam illic administraret, hæc demum ait ad annum 823 : « Lotharius vero cum secundum patris jussionem in Italia justitias faceret, et jam se ad revertendum de Italia properaret, rogante Paschale papa Romam venit; et honorifice ab illo susceptus, in sancto Paschali die apud sanctum Petrum regni coronam et imperatoris et Augusti nomen accepit. Inde Papiam regressus, mense Junio ad imperatorem venit. » Idipsum scribit etiam auctor Vitæ Ludovici Pii, itemque alii.

[d] *Jurare omnes jussistis.* Ex isto præcipue loco evincere conatur R. P. Theophilus Raynaudus Agobardum debere eximi a culpa, tametsi rebellionem Lotharii foverit adversus patrem. « Nullo modo ferenda est, inquit, procacitas et petulantia recentiorum, qui metientes de suo ingenio cæteros, Agobardum tanquam factiosum et seditiosum traducunt, iisque eum floribus conspergunt, ut, si illos audimus, maligna omnino ac pessima voluntate versatus sit in negotio proposito; contra quam aperte habetur ex ipsiusmet Agobardi epistola ad Ludovicum imperatorem; ex qua manifeste liquet Agobardum, metu potius violandi numinis et temerandi juramenti auctore ipso Ludovico præstiti filio, quam malo erga Ludovicum affectu, aliquid molitum. » Quasi vero non constet neminem se reum fateri, et quicunque rebellionem cœptant aut fovent, justis se de causis facere non profiteantur. Denique si deest prætextus boni publici, obtenditur infractio pactionum, violatio jurisjurandi, aut aliquid simile. Quod si illa Theophili Raynaudi argumentatio valeret, facile ostenderem extra culpam esse episcopos omnes qui exauctorationem Ludovici peregere. Quid enim in speciem sanctius, quid religiosius, quid episcopali gravitate dignius, quam Acta impiæ illius ac nefandæ exauctorationis? Et tamen posteritas istos culpavit, neque quisquam hactenus infamem illam principis optimi dejectionem excusare aggressus est, eorum nimirum qui post illos vixere. Nam vel unus Agobardus exemplo erit, non destitutas fuisse Lotharii partes viris eruditis, qui manu linguaque rebellionem foverent. Ego veneror Agobardum ex animo; sed hominem fuisse credo : et quæ perperam egit, ea neque probo, neque excusare conor.

[e] *Amborum imperatorum nomina.* Earum litterarum hoc initium erat : *Hludouvicus et Hlotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti.*

[f] *Nomen omissum est.* Accendit haud dubie contumelia illa animum Lotharii. Cur enim se consortem imperii fecisset pater, si postea nomen suum in consortio paterni, quod per multos annos usurpatum fuerat, nollet admitti.

Domine, rogavimus et deprecati sumus faciem respectus tui suppliciter, ut tua illuminatione et gubernatione eligeremus participem imperii : sed quia tecum bene non fecimus, sine te melius consilium invenimus. Absit, absit. Avertat Deus a vobis ut inspirationem Dei repudietis, et voluntatem hominum carnalia tantum sapientium statuatis, ut in errorem inducamini, et deducamini. Obsecro clementiam vestram, ut secundum a Deo vobis collatam prudentiam perpendatis quomodo beatus Jacobus Apostolus reprehendat eos qui propriis animorum motibus proponunt aliqua se facturos sine prospectu divinæ permissionis, dicens : *Ecce nunc qui dicitis : Hodie aut cras ibimus in illam civitatem, et faciemus quidem ibi annum, et mercabimur, et lucrum faciemus : qui ignoratis quid erit in crastinum. Quæ enim est vita vestra ? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit, et, Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.* Et cavete ab hominibus qui sequuntur spiritum suum, quia non omnium est fides.

VI. Cognovit Dominus qui sunt ejus ; et quicunque ejus sumus, quantulacunque veritatis luce fruimur, et veritate illuminante sinceriter vos amamus, fideliter vestram sempiternam felicitatem exoptamus ; et idcirco tanta mala, tanta scelera isto anno ex hac occasione perpetrata dolemus, et timemus valde ne in vos furor Dei concitetur. Recordamur namque ardentissimæ religionis vestræ, quam cognovimus semper in assiduitate orationum, in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus cantantem et psallentem Deo in corde puro, in contritione cordis, in compunctione placidæ mentis, in sollicitudine misericordiarum et omnium bonorum strenuitate. Et ideo, ut dictum est, timendum nobis videtur, ne tepescat, ne frigescat, optandum vero ut fervescat et augeatur perseverando usque in finem, ut salus sempiterna sequatur.

VII. Et quia superius de legitimo et opportuno juramento mentio facta est, videtur mihi non celandum excellentiæ vestræ, quod multa murmuratio est nunc inter homines propter contraria et diversa juramenta, et non sola murmuratio, sed et tristitia, et detractio adversum vos : quod mihi usquequaque displicet : quorum murmuratio ad illud pertinere eis videtur quod beatus Hieronymus in expositione Jeremiæ dicit in illo loco ubi propheta ait : *Et jurabis : vivit Dominus, in veritate et in judicio et justitia.* Ait ergo prædictus doctor : « Simulque animadvertendum, quod jusjurandum hos habeat comites, veritatem, judicium, atque justitiam. Si ista defuerint ; nequaquam erit juramentum, sed perjurium. »

## [a] DE COMPARATIONE REGIMINIS ECCLESIASTICI ET POLITICI

### *Et in quibus Ecclesiæ dignitas præfulgeat imperiorum majestati.*

I. Domno clementissimo et Christianissimo ac per hoc omni laude dignissimo imperatori Ludovico Agobardus.

Jubet vestra prudentissima solertia contra [b] commotiones hujus temporis paratum esse utrumque ordinem, militarem videlicet, et ecclesiasticum ; id est, et eos qui sæculari militiæ, et illos qui sacris ministeriis inserviunt ; et illos quidem ad certandum ferro, istos autem ad disceptandum verbo ; ut similes similibus obsistere valeant. In qua re summopere sciendum est, quod in congressione armorum plus exspectanda est justitia superni regiminis, quam robur brachiorum ; in altercatione autem sermonum plus exspectanda est veritas, quam copia verborum. Propter quod orandum est ab omnibus tota intentione mentis, ut ille de quo vos dicitis, *Dominus illuminatio mea et salus mea*, quia illuminatio vestra est, illustret faciem suam super vos ; et quia salus vestra est, salvum vos faciat in sua misericordia, ut huic orationi congruenter vos subjungatis : *Domine non confundar, quoniam invocavi te.*

II. Ego igitur servulus vester, cum cognovissem ex vestro sacro præcepto jussum mihi esse ad vestram præsentiam properare ita paratum, ut cum

BALUZII NOTÆ.

[a] Liber iste in aliis editionibus, præter istam Agobardi ad Ludovicum imperatorem epistolam, complectebatur etiam epistolam Gregorii IV ad episcopos regni Francorum, et Librum apologeticum pro filiis ejusdem Ludovici. Verum et res ipsa et vetusti codicis auctoritas suaserunt ut hæc tria distingueremus. Nam certum est epistolam ad Ludovicum scriptam terminari in his verbis, *Hujus rei nisus merita vestra appropinquare faciat apostolicis meritis.* Tum sequi debuit, sed non in eodem libro, epistola seu verius fragmentum epistolæ Gregorii IV ad episcopos partis Ludovici : quæ vel ob hoc ipsum in eodem fasciculo alligari non debuit, quod nulla illius mentio exstet in epistola ad Ludovicum. Liber demum apologeticus procul dubio ab utraque epistola disjungi debuit. Nam nihil aliud est quam liber in publicum emissus, ac per omnes ubique provincias, ut patet, vulgatus, ad probandum justas fuisse causas quibus moti Lotharius fratresque ejus arma adversus patrem moverunt : id quod nos hodie Gallica lingua vocaremus *un manifeste*. Et, quod jugulum petit, tres illæ lucubrationes disjunctæ ac divisæ sunt in codice regio ; incipiuntque omnes a majuscula littera, ut solent initia librorum. Verum quia posteriores Agobardi lucubrationes nullum titulum habent in veteri codice, amanuensis, ad cujus fidem prodiit editio Massonica, putavit hæc conjungi debere. Cæterum, istius quoque libelli titulus nullus erat in veteri codice. Itaque retinuimus eum quem Massonus fecit, non aliam tamen ob causam, quam quia jam obtinuit ut eo titulo laudetur ab eruditis.

[b] *Commotiones hujus temporis*, id est bella et dissensiones quæ in regno Francorum erant anno 833 ob divisionem Ludovici filiorumque ejus, ceu antea diximus.

cæteris ecclesiasticis viris contra injustos reprehensores justæ reprehensionis oppositionem adhibere possem, visum mihi est ut in Dei et vestro servitio, de anteriorum Patrum actibus et sensibus hæc verba, quæ subterannexa sunt, gloriosissimæ excellentiæ vestræ mitterem; quatinus sancta religio vestra pie perpendere dignetur, [a] cujus reverentiæ debitores estis ad vestrum quotidianum profectum erga sedem apostolicam. Denique beatus [b] Pelagius papa, cum quosdam redargueret episcopos, eo quod nomen ejus reticerent in actione sacri mysterii, id est, in solemniis missarum, (in principio scilicet, ubi dicere solemus, *in primis quas tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una* [c] *cum famulo tuo papa nostro*) ait ad eosdem episcopos : « Divisionem vestram a generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non possum, vehementer stupeo. Cum enim beatissimus Augustinus, Dominicæ sententiæ memor, quæ [d] fundamentum Ecclesiæ in apostolicis sedibus collocavit, in schismate esse dicat quicunque se a præsulum earumdem sedium

BALUZII NOTÆ.

[a] *Cujus reverentiæ debitores.* Ludovicum instruit Agobardus de reverentia quæ sedi apostolicæ debetur. Verum necessaria fortassis non erat hæc Agobardi opera. Nemo enim, arbitror, in tota Gallia hactenus fuit, eorum nimirum qui communione sedi apostolicæ juncti fuerunt, qui existimaverit magnam sedi apostolicæ deberi reverentiam. Certe, ævo Agobardi, episcopi ex synodo Parisiensi scribentes anno 824 ad Ludovicum et Lotharium imperatores, ita loquuntur : « Nos his qui in sacra sede beati Petri apostoli resident, dignam honoris reverentiam jure tribuendam non dubitamus. »

[b] *Pelagius papa* hujus nominis primus. Epistola autem illa data est ad episcopos Tusciæ, exstatque in tomis conciliorum.

[c] *Cum famulo tuo papa nostro.* Vetus est in ecclesia consuetudo, ut episcopi catholici, præcipue vero Romanus, inter mysteria nominentur, ut inde constet fidelibus pontifices esse junctos communione cum sede apostolica. Istud obsequium ab episcopis illis prætermissum conquerebatur Pelagius, et merito conquerebatur. Boni enim episcopi est impatienter ferre, si quis in Ecclesia Dei schisma ac divisionem facere tentet. Manifestum autem schismatis argumentum est, cum quis se communioni subtrahit apostolicæ sedis; a qua in omnes venerandæ communionis jura dimanant, ut loquuntur Patres concilii Aquileiensis in epistola ad Gratianum imperatorem scripta.

[d] *Fundam. Ecclesiæ in apost. sedib.* Quoniam in notis ad Lupum Ferrariensem polliciti sumus plura nos ad Agobardum dicturos de dignitate et auctoritate sedium apostolicarum, res postulare videtur ut fidem nostram liberemus; præsertim cum res hæc tanti momenti sit, ut vix ulla dignior esse videatur quæ piorum ac eruditorum lectorum oculos mentesque occupet. Ecclesias igitur apostolicas, illas dico, secundum Augustinum, quæ apostolicas sedes habere et epistolas accipere meruerunt; id est, quæ et ab apostolis fundatæ sunt, et scriptæ exstant ad illas epistolæ apostolorum. Plures illæ numero fuere, ut Corinthiensis in Achaia, Thessalonicensis et Philippensis in Macedonia, Ephesina in Asia, Romana in Italia. Has enim apostolicas Ecclesias enumerat Tertullianus in libro de præscriptione hæreticorum. Præter illas vero, Alexandrinam quoque et Antiochenam inter apostolicas recenset Gelasius in decreto de libris canonicis. Neque dubium est quin et ipsæ fuerint apostolicæ: in quem numerum etiam veniunt Hierosolymitana et Ancyrana, ac etiam Colossensis in Phrygia majori. Ac sane tanti momenti visa est veteribus dignitas illarum Ecclesiarum, ut nihil grave in Ecclesia decerni posse putarent extra conscientiam episcoporum sedibus illis præsidentium, præsertim vero Romani, Alexandrini, et Antiocheni, eumque hæreticum ac schismaticum judicarent qui Ecclesiis illis communione junctus non esset. Hinc factum ut cum Orientis concilia, inconsulto episcopo Romano, damnassent Athanasium episcopum Alexandrinum et Marcellum Ancyranum, Julius objurgatoriam ad eos epistolam miserit, conquerens de hoc agendi modo, judiciumque irritum esse contendens, episcopos enim illos non esse vulgarium Ecclesiarum episcopos, sed earum Ecclesiarum quas ipsi apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Itaque Athanasii et Marcelli causam judicari non potuisse inconsulto se ac Romana synodo; sed necessarium ante omnia fuisse scribi de ea re ad Occidentales, ut communi dein omnium consensu componi possent magnæ Ecclesiæ. Hunc enim esse verum ac genuinum sensum epistolæ Julii ad Orientales ostendit Marca. Prærogativam illam Ecclesiarum apostolicarum agnoscit etiam Augustinus in epistola 162 ubi agens de Cæciliano Carthaginiensi episcopo ejusque collegis, adversus quos, tametsi absentes, synodus Donatistarum protulerat sententiam damnationis, ait judicium hoc esse irritum, episcoposque illos posse causam suam reservare judicio aliorum collegarum, præsertim vero eorum qui præsidebant Ecclesiis apostolicis ; adeoque tutum esse Cæcilianum ab insidiis inimicorum suorum, quandoquidem communione junctus erat Ecclesiæ Romanæ et aliis Ecclesiis, unde Evangelii fides fluxerat, id est, apostolicis. Hæc rursum Marca. Nam lubenter ejus auctoritate utimur, neminem honore suo fraudantes, multo minus illum, cui me tantum debere semper et ubique profiteor, quantum deberi homini potest ab homine istarum rerum studioso. Sed et Pelagius quoque I papa Romanus in epistola ad Valerianum patricium, cum ageret adversus Aquileiensem et Mediolanensem episcopos, in causis Ecclesiæ generalibus sedi suæ nihil speciale reservat, nisi quatenus una est ex sedibus apostolicis : adeo ut si quod dubium oriatur adversus constituta synodorum universalium, recurrendum esse dicat ad sedes apostolicas pro recipienda ratione. « Sed quoties, inquit, aliqua de universali synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo quod non intelligunt rationem, aut sponte hi qui salutem animæ suæ desiderant ad apostolicas sedes pro recipienda ratione conveniant, etc. » Tum paulo post addit eum citra controversiam esse schismaticum, qui ab apostolis sedibus est divisus : « Quisquis ergo ab apostolicis divisus est sedibus, in schismate eum esse non dubium est, et contra universalem Ecclesiam altare conatur erigere. » Ex his ergo constat magnam fuisse olim dignitatem et auctoritatem Ecclesiarum apostolicarum. Nec immerito; cum, ut post Augustinum Pelagius papa docet, fundamentum Ecclesiæ sit in apostolicis sedibus. Eam porro ob auctoritatem Eutyches in synodo Constantinopolitana damnatus a Flaviano an. 448 provocavit quidem ad synodum Romanam, sed non solam. Nam appellavit etiam synodos Alexandrinam, Hierosolymitanam et Thessalonicensem, ut egregie probatum est in libro VII de Concordia sacerdotii et imperii, cap. 6. Sed tamen Romana Ecclesia semper prælata est reliquis Ecclesiis apostolicis, quod eam Petrus et Paulus sanguine suo consecraverint, et apud Romam Christi martyrio fuerint consecrati. Eadem ob hoc ipsum dicta est per antonomasiam sedes apostolica, etiam a veteribus. Præcipue vero patres Occidentalis Ecclesiæ, cum sedem apostolicam simpliciter dicunt, Romanam

auctoritate vel communione suspenderit, nec aliam manifestet esse Ecclesiam, nisi quæ in pontificalibus apostolicarum sedium est solidata radicibus; quomodo vos ab universi orbis communione separatos esse non creditis, si mei inter sacra mysteria secundum consuetudinem nominis memoriam reticetis, in quo, licet indigno, apostolicæ sedis per successionem episcopatus præsenti tempore videtis consistere firmitatem. »

III. Beatissimus quoque Leo papa ad universos Viennensis provinciæ episcopos de auctoritate et privilegio apostolicæ sedis ita scribit: « Divinæ cultum religionis, quem in omnes gentes, omnesque nationes, Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Jesus Christus humani generis salvator instituit, ut veritas quæ antea legis et prophetarum præconio continebatur, per apostolicam tubam in salutem universitatis exiret, sicut scriptum est: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro, apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, ut ab ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* ut æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret; hanc Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verum hanc petræ istius sacratissimam firmitatem Deo, ut diximus, ædificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, et id quod accepit a veteribus non sequendo. » Hæc beatus Leo; sed et alii multi hujusmodi docentes, ut illius stabilis petræ sempiterna soliditas, super quam Dominus Salvator noster propriam fundavit Ecclesiam, a solis ortu usque ad occasum primatus sui apicem, successorum suorum auctoritate tam per se quam [a] per vicarios suos firmiter obtineret. Ex quibus beatus Anastasius papa ad imperatorem scribens, docet quod pro Christo fungatur legatione, qui pro pace precatur Ecclesiæ; et ipsum imperatorem admonet, ut constitutis apostolicæ sedis obtemperet.

IV. Certe, clementissime domine, si nunc [b] Gregorius papa irrationabiliter et ad pugnandum venit, merito et [c] pugnatus et repulsus recedet. Si autem pro quiete et pace populi et vestra laborare nititur, bene et rationabiliter obtemperandum est illi, non repugnandum. Si enim quod vestra voluntate et potestate cum consensu totius imperii vestri factum est, et postea [d] in apostolica sede roboratum, hoc vult in pristinum reducere statum, satis rationabilis et opportunus est ejus adventus. Quia nullatenus quod ita est constitutum a vobis, debetis mutare. Nec enim sine gravi periculo et reatu animæ fieri potest.

V. In his sacratissimis diebus Paschalibus perlatæ sunt ad me litteræ istius [e] apostolici, præcipientes

## BALUZII NOTÆ.

semper intelligunt, quod ea sola apostolica esset in Occidente. Neque tamen propterea assentior illustrissimo cardinali Baronio, qui Turonensem ac Burdegalensem Ecclesias, quæ apud Gregorium Turonensem libro quarto, cap. 26 (ubi de concilio Santonensi agitur, quod anno 566 habitum est) vocantur sedes apostolicæ, ob hoc dictas putat apostolicas, non quod ab apostolis fuerint institutæ, « sed quod eisdem ab apostolica sede Petri concessa per pallium apostolica inesset auctoritas. » Respexit videlicet Baronius ad mores posteriorum sæculorum. Nam postea persuasum fuit pallii honorem decretum fuisse metropolitanis, *propter apostolicam vicem*, id est, ut ex confessione pallii intelligerent metropolitani vicarios se esse sedis apostolicæ, ut ex Rhabano Marca observavit. Sed istud valere non potuit tempore istius synodi Santonensis, quo nondum quisquam episcoporum Gallicanorum, si Arelatensem excipias, pallium ab episcopo Romano acceperat. Conturbasset profecto Baronius, si probare coactus fuisset missum illud ante hæc tempora fuisse ad archiepiscopos Turonensem ac Burdegalensem. Sed ideo dictæ sunt apostolicæ, quod per illas tempestates Ecclesiæ omnes episcopales dicerentur apostolicæ, juxta observationem Tertulliani, quod fidem suam ab apostolica illa prima sede accepissent quam apostoli fundaverant. Unde cum vides Ruricium Lemovicensem episcopum a Fausto Reiensi dici apostolica sede dignissimum, intelligere non debes Romanam, sed Lemovicensem, cui dignissime præsidebat Ruricius, ideo sede illa dignissimus. Vide porro notas nostras ad Vincentium Lirinensem.

[a] *Per vicarios suos*, id est, per Romanos pontifices, qui frequenter vocantur vicarii apostolicæ sedis. Gelasius papa in epistola ad Anastasium Augustum: « Et qualiscunque apostolicæ sedis vicarius, quodcunque plenæ fidei catholicæ deesse comperero, pro meo modulo suggestionibus opportunis supplere contendo. » Item Symmachus in Apologetico ad eumdem Anastasium: « Ubi te, rerum humanarum princeps, qualiscunque sedis apostolicæ vicarius contestari voce non desino, etc. » Episcopi in synodo Romana congregati anno 800 in causa Leonis papæ: « Nos sedem apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes et vicario suo judicamur. » Et alibi pluries. Sic vocantur etiam vicarii beati Petri, et vicarii apostolorum Petri et Pauli; ut alibi pluribus dictum est a nobis. Quin et Cyprianus in epistola 67 Stephanum papam vocat vicarium et successorem Cornelii Luciique pontificum Romanorum.

[b] *Gregorius papa* hujus nominis quartus qui tum in Galliam cum Lothario venerat, in ejus partes transgressus contra patrem, uti dicemus infra.

[c] *Pugnatus et repulsus recedet.* Evenisse id quod ominabatur hoc loco Agobardus patet ex Hincmaro, qui sic loquitur in epistola 41 ad Adrianum II scripta. « Et quomodo Gregorius subreptus cum Lothario patre suo repugnante in Franciam venit, et pax postea in Francia ut antea non fuit, et ipse papa cum tali honore sicut decuerat, et sui antecessores fecerunt, Romam non rediit. »

[d] *In apostolica sede roboratum.* Non quod approbatio Romani pontificis esset necessaria; sed quia Paschalis papa id valde cupiit, ut supra diximus in notis ad Epistolam flebilem.

[e] *Apostolici*, id est, Romani pontificis, qui tum erat Gregorius quartus. Nam per eas tempestates

ut jejunia et orationes cum abstinentia faceremus, si forte omnipotens Dominus effectum conatui ejus præstare dignetur; quatenus apud vos obtineri possit, ut pax et concordia pristina domui et regno vestro restituatur. Quod ego audiens, compunctus, faciem cordis mei, quantum valui, ad Jesum Christum Dominum nostrum levavi, vehementer exoptans ut sine sanguinis effusione tam injustus tumultus per benignissimam omnipotentiam ejus sedaretur.

VI. Dignetur sublimis prudentia vestra pie perpendere quod Apostolus dicit: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa.* Quæ pericula beatus papa Gregorius suo jam tempore, quando adhuc status idem multo et incomparabiliter melior erat quam nunc, ita deplorat, dicens: « Tantis quippe in hoc loco hujus mundi fluctibus quatior, ut vetustam ac B putrescentem navem, quam regendam occulta Dei dispensatione suscepi, ad portum dirigere nullatenus possim. Nunc ex adverso fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt, nunc a tergo tempestas insequitur; interque hæc omnia A turbatus, cogor modo in ipsa clavum adversitate dirigere, modo curvato navis latere minas fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco, quia sentio quod negligente me crescit sentina vitiorum, et tempestate fortiter obviante, jam jamque putridæ naufragium tabulæ sonant. » Heu, heu! Si tunc jam putrescebat navis Ecclesiæ, et si ejus tabulæ jam putridæ erant, quid nunc est?

VII. Hæc verba, piissime domine, beatissimi doctoris propterea ad memoriam vestram reducere præsumpsi, ut quia nemo dubitat vos multo et ineffabiliter plus esse amatorem regni cœlestis quam terreni, permansuri quam transituri, et juxta vestram sanctam fidem, spem et charitatem, de nullo alio opere potestis tam chare Deum placare, quam de sollicitudine et administratione pacis et unitatis Ecclesiæ, vestra solertissima religio elaboret, ut omnis anima fidelis proficiat in fide et cognitione Dei: quæ res omnibus rebus Deo charior est. Hujus rei nisus merita vestra appropinquare faciat apostolicis meritis.

BALUZII NOTÆ.

hæc appellatio soli Romano pontifici competebat. Olim tamen singuli episcopi dicebantur *apostolici*, ob eam videlicet causam, quod successores apostolorum cum essent, sedes suas apostolicis præditi virtutibus regebant, ut verbis Juliani Pomerii utamur in capite 25 libri primi de Vita contemplativa; tum etiam quia cum omnes sedes vocarentur apostolicæ, consequens erat ut præsidentes dicerentur apostolici. Deinde vero paulatim titulus ille ademptus simplicibus episcopis, peculiaris factus est metropolitanorum. Tandem et his quoque demptus est, totaque hujus nominis dignitas in episcopum Romanum transfusa. Itaque jam ab aliquot sæculis solus ille vocatur *apostolicus*.

## [a] EPISTOLA GREGORII PAPÆ IV

### AD EPISCOPOS REGNI FRANCORUM.

Romano pontifici scribentes, contrariis eum in C præfatione nominibus appellastis, [b] fratrem videlicet et papam; dum congruentius esset solam ei paternam reverentiam exhibere. Adventu quoque ejus comperto, [c] lætari vos dicitis, credentes omnibus principi scilicet subjectis profuturum, et optasse: [d] occursum vestrum nobis non negandum, nisi sacra jussio imperialis præveniret. Quæ verba reprehensi-

BALUZII NOTÆ.

[a] Epistola ista, seu verius fragmentum epistolæ, magni momenti est; et quo primum tempore in publicum prodiit, exercuit industriam doctorum virorum. Massonus sane, qui primus illam edidit, scriptam putavit ab Agobardo, quem primatem Aquitaniæ vocat, adversus episcopos partis Ludovici. Goldastus iisdem vestigiis insistens, hunc ei titulum fecit: *Rescriptum ad epistolam synodalem episcoporum Francorum ex Germania et Gallia congregatorum pro causa Ludovici Pii imperatoris.* Tandem divini ingenii vir, Petrus de Marca archiepiscopus Parisiensis, deprehendit epistolam illam esse non Agobardi, sed Gregorii IV Romani pontificis: quod probavit tot argumentis, ut valde lusciosus sit oportet qui lucem veritatis hic non videat. Ea de causa nos titulum illi epistolæ sic fecimus: *Epistola Gregorii IV papæ ad episcopos regni Francorum.* Eam porro, cum multis in locis esset corrupta, diligenter ac fideliter emendavimus ad fidem codicis manu- D scripti.

[b] *Fratrem* ex veteri more, cujus retinentissimus est Cyprianus: nec aliter concilia Africæ, aut ipse Augustinus. Sed vetustiora erant exempla, quam ut hisce temporibus potuerint esse valida. Baronius porro ad annum 419 loquens de libris Augustini adversus Julianum agnoscit morem illum qui antiquitus obtinebat, ut singuli episcopi Romanum appellarent *fratrem*, nihil detrahere de dignitate ac majestate ejus. Et omnino mihi placet Erasmi observatio, qui in Commentario ad epistolam Cypriani ad Antonianum suspicatur *fratris* cognomen hic non arguere dignitatis æqualitatem, sed societatem communionis.

[c] *Lætari vos dicitis.* Ita omnino codex vetus. Sed quoniam vox *lætari* sic scripta est [la et ari] existimavit amanuensis omissam fuisse aliquam litteram, et pro *lætari* legendum esse *lamentari*, quemadmodum habet editio Massoni. Necessariam porro esse hanc emendationem patet ex iis quæ infra ait Gregorius: *Deinde, postquam dixistis vos lætatos esse de adventu nostro*, etc. Rursum paulo post editio Massoni habebat, *Principi scilicet subjectis futurum*, nullo sensu. Rectius itaque codex regius, in quo scriptum diserte est *profuturum*.

[d] *Occursum v. n. n. negandum.* Moris quippe tum erat, ut quoties Romanus pontifex ad comitatum veniebat, episcopi Francorum ei obviam procederent, honoris causa. Verum quia Gregorius non veniebat ut hospes, sed ut hostis, adeoque absque consensu Ludovici, prohibiti sunt a principe, ne obsequio illo officioque defungerentur erga pontificem. Unde et postea Romam reversus est inglorius, et non cum tali honore sicut antecessores sui fecerant, ut admonuit Hincmarus.

bilia sunt : uno quidem modo, quia jussio apostolicæ sedis non minus vobis sacra videri debuerat, quam illa quam dicitis imperialem ; deinde, quia veritate caret, quod dicitis illam prævenisse : non enim illa prævenit, sed nostra, id est, pontificalis. Neque ignorare debueratis, majus esse regimen animarum, quod est pontificale, quam imperiale, quod est temporale. Beatus Gregorius Nazianzenus non hoc timuit coram imperatoribus in Ecclesia prædicare. Sic enim ipsis imperatoribus loquitur, dicens (*De Jerem. dictis*) : « Suscipitisne libertatem verbi, libenter accipitis quod lex Christi sacerdotali vos nostræ subjicit potestati, atque istis tribunalibus subdit ? Dedit enim et nobis potestatem, dedit principatum, multo perfectiorem principatibus vestris. Aut nunquid justum vobis videtur, si cedat spiritus carni, si a terrenis cœlestia superentur, si divinis præferantur humana ? » Quare igitur vos, sicut veri sacerdotes, divini videlicet cultus ministri, non humani, non respondetis imperatori, cujus sacra vos dicitis jussione præventos, sicut idem beatus Gregorius alloquitur imperatorem præsentem, dicens : « Patienter, quæso, accipe libertatem nostram. Scio te ovem esse gregis mei a Christo mihi summo pastore annumeratam, et a sancto Spiritu consignatam ; scio te inter sacra altaria cum veneratione subjici manibus sacerdotis ; scio te beatæ Trinitatis cultum fidemque non tua, sed nostra prædicatione servare. » Et post aliqua : « Memento semper quod una tibi natura est eademque substantia cum omnibus qui tibi subjecti sunt. Tu tamen animo esto cum Deo, et non tam dominari te mundo, quam dominari tibi Christum, gloriare. » Quare etiam nunc commorantes cum imperatore, intermittentes stultissimas adulationes, non ei prædicatis cum beato Augustino dicentes (*De Civitate Dei*, lib. v, cap. 24) : « Felices dicimus imperatores, si juste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium et obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, et se homines esse meminerint ; si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum majestati ejus famulam faciunt ; si Deum timent, diligunt, colunt ; si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes ; si tardius vindicant, et ignoscunt ; si eamdem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exserunt ; si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent ; si quod aspere coguntur plerumque decernere misericordiæ lenitate et beneficiorum largitate compensant ; si luxuria tanto eis castigatior, quanto posset esse liberior ; si malunt cupiditatibus quam quibuslibet gentibus imperare. Et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ ; si pro suis peccatis humilitatis et miserationis et orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt ; tales Christianos imperatores dicimus esse felices interim spe, postea re ipsa futuros, cum id quod exspectamus advenerit. » Vos autem e contrario, quia non vultis esse veri ædificatores, estis procul dubio veri deceptores, sicut scriptum est : *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.* Deinde, postquam dixistis vos lætatos esse de adventu nostro, iterum intulistis quorumdam relatione magno mœrore affectos : quod utique facit instabilitas mentis. Verum est omnino quoniam qui hæsitat, similis est fluctui maris qui a vento movetur. Sed inter has hæsitationes nimis stolide nos judicatis immemores esse pastoralis officii et districtissimæ moderationis. Deinde, sicut scriptum est : *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnata* (*Sap.* xvii, 10) ; adjungitis quod omni verecundia dignum est, dicentes nos venire propter quamdam præsumptuosam et omni ratione carentem [a] excommunicationem faciendam ; et admonetis nos nimis involutis et confusis sermonibus et sensibus, ut neque nostra voluntate neque alterius hortatu præsumptione prorumpamus ; eo quod, ut dicitis, pertineat ad injuriam ac dehonestationem imperialis potestatis, et ad [b] minorationem et reprehensionem nostræ auctoritatis. Dicite, quæso, quæ sunt ista portenta verborum ? Et quid potius pertinet ad dehonestationem imperialis potestatis, opera digna excommunicatione, an ipsa excommunicatio ? Sed quia hæc verba vestra exaggerare laboriosum est, eo quod plena sint nauseæ ; tantum illud flagito, ut dicatis quomodo potest fieri, ut [c] manente apostolicæ sedis honore, mea tantum persona in causa repre-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Excommunicationem.* Ea tum fama erat venire Gregorium, ut tam Ludovicum quam episcopos ei faventes excommunicaret, nisi prompta obedientia implerent mandata ejus. Sed invenit Gregorius episcopos haud ignavos, suique gradus memores. Itaque palam edixerunt, irritam fore eam excommunicationem, et in auctorem recasuram. Insignis est ea de re locus, a viris doctis sæpe laudatus, in Vita Ludovici Pii, in qua sic scriptum est : « Cum vero rumor usquequaque diffusus sereret de cæteris quod verum erat, de papa vero Romano, quod ideo adesset, ut tam imperatorem quam episcopos excommunicationis vinculis irretire vellet, si qui inobedientes essent suæ filiorumque imperatoris voluntati ; parum quid subripuit episcopis imperatoris præsumptio audaciæ, asserentibus nullo modo se velle ejus voluntati succumbere ; sed si excommunicaturus adveniret excommunicatus abiret, cum aliter se habeat antiquorum canonum auctoritas. » Recte profecto. Nam excommunicatio illa caritura erat omni ratione, imo contra rationem facta fuisset.

[b] *Minorationem.* In editione Massoni legitur *domini rationem*, nullo, ut arbitror, sensu. Codex regius habet *diminurationem* : ex quo veram lectionem nos confecimus ; quam tamen si quis non probat, pro *minorationem* reponere potest *diminutionem*. Alterutrum enim legi necesse est.

[c] *Manente apost. sed. honore.* Jam tum ergo distinguebant inter sedem et sedentem, id est, inter cathedram Romanam et pontificem huic sedi præsidentem. Neque nova est hæc distinctio. Illius enim manifesta claraque indicia exstant apud Leonem Magnum in epistola 53 : « Aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes. » Item in epistola 62 : « Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen jura permanent sedium. » Ita sentiebant episcopi in synodo Parisiensi congregati anno 824. Scribentes enim ad Ludo-

hensionis et vituperationis remaneat? Nullo modo enim fieri potest, ut si is qui locum beati Petri tenet, exhonoratur, [a] sine crimine duntaxat, cathedra ejus honorata permaneat. In tantum autem honoranda est cathedra pontificalis, et propter cathedram sedens in illa, ut etiam de Caipha crudelitate et incredulitate impio dicat Evangelista : *Hoc autem a semetipso non dixit: sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Jesus moriturus erat pro gente.* Unde constat etiam impium Caipham propter cathedram honoratum esse prophetia. Vos autem fidelem et cultorem pietatis pontificem dehonestandum prædicatis absque injuria sedis: quod omnino falsum est. Bene autem subjungitis, memorem me esse debere [b] jurisjurandi causa fidei facti imperatori. Quod si feci, in hoc volo vitare perjurium, si annuntiavero ei omnia quæ contra unitatem et pacem Ecclesiæ et regni committit: quod si non fecero, perjurus ero, sicut et vos, si tamen juravi. Vos tamen, quia procul dubio jurastis et rejurastis, promittentes ei erga illum omnia fideliter vos agere, et nunc videntes illum agere contra fidem, et præcipitari in perniciem, non revocatis eum quantum ex vobis est, [c] perjuri estis : quia pro ejus salute secundum fidem promissam non laboratis. Deinde promittitis mihi venerabilem receptionem, si tamen ita ad illum venero, ut ejus vo-

A luntas est. Hæc non in libris divinis, sed in vestris conscientiis legitis, quia omnia facitis propter temporalem retributionem, eo quod sitis arundines vento agitatæ, et omnes auræ vos flectant. Pensate, pensate fratres, quam longe est mens vestra ab illa petitione, qua in celebrationibus missarum soletis dicere Deo, non voluntate, sed voce : *Da nobis pro amore tuo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare.* Nam si ex corde hæc peteretis, jam dedisset ille qui dicit : *Petite, et dabitur vobis.* Deinde dicitis illam primam divisionem regni, quam inter filios suos fecerat imperator, nunc juxta [d] rerum opportunitatem esse mutatam, quod omnino dupliciter falsum est : uno quidem modo, quia non est opportunitas, sed importunitas, eo quod sit B causa et origo conturbationis et dissentionis, commotionis et deprædationis, et omnium malorum quæ per singula dicere longum est, extra perjuria innumera et fidei ac pacis expulsiones : alio vero modo, quia necdum scitis, utrum sit commutata, an per verum regem et Dominum maneat illibata. Ista enim commutatio, quam vos dicitis juxta rerum opportunitatem factam, inde cognoscitur quia non fuerit per Deum, quia multorum peccatorum origo existit. Illud namque quod per voluntatem Dei fit, plerumque causa est pressuræ et persecutionis; sicut factum est adversum sanctos apostolos. et mar-

BALUZII NOTÆ.

vicum et Lotharium imperatores, loquentesque de Romano pontifice, quem fama erat favere eorum opinioni qui adorandas putabant imagines, aiunt: « Credimus sane, quia quanquam aliqua ex parte superstitiosam sibi consuetudinem forte vindicare velint, nullatenus tamen ab eadem sede aliter quam auctoritas et veritas se habet, mandare in aliquam partem præsumet. Verebitur siquidem potestatem vestram, *auctoritatem sedis*, et testimonia veritatis. » Auxilius, qui sub Formoso papa floruit, libro II De ejus Ordinationibus, cap. 18 : « Aliud sunt pontificales sedes, aliud præsidentes. » Discrimen illud agnovit etiam Baronius in causa Marcellini papæ, dum ait lapsum ejus, quantumlibet evenisse putetur, nullum præjudicium afferre catholicæ veritati; affertque locum Tertulliani, ex libro de Præscriptione hæreticorum, ubi sic scriptum est: « Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? » Quæ Baronii scriptio absurda vanaque esset, nisi constaret jura sedium permanere, tametsi interdum diversa sint merita præsidentium, id est, nisi sedes distingueretur a sedente in ea. Hinc Ferrerius, Francorum regis in Tridentina synodo legatus, conquerens de Pio IV papa, dignitatem tamen et auctoritatem Romanæ sedis disjungit a Pio. Hæc sunt ejus verba: « Sedem apostolicam, summum pontificem, sanctam Romanam Ecclesiam, pro cujus dignitate augenda majores nostri sanguinem fuderunt, et adhuc hodie in Gallia acriter pugnatur, veneramur, reveremur, suspicimus, et maximis ad cœlum laudibus efferimus. Pii autem quarti imperium detrectamus, quæcunque sint ejus judicia et sententias rejicimus, respuimus et contemnimus. »

[a] *Sine crimine duntaxat.* Ita omnino vetus codex. Pro quo Massonus sic edidit : *Exhonoratur sine crimine, dum taxatur, cathedra ejus,* etc. Sed præterquam quod audacia illa Massoni in re tanti momenti tolerari non potest, manifestum est sensum etiam ipsum auctoris repugnare huic emendationi. Ludit enim auctor epistolæ in vocibus *honoratur* et *honora-* C *ta.* Ait enim: *Nullo enim modo fieri potest, ut si is qui locum beati Petri tenet, exhonoratur, cathedra ejus honorata permaneat.* Sed addit hanc clausulam, quæ est magni momenti, *sine crimine duntaxat;* ac si diceret : *Præsertim quando sine crimine est is qui exhonoratur.* Nam etiamsi malus esset pontifex, honoranda tamen semper est cathedra, et propter cathedram sedens in illa : quod probat exemplo Caiphæ.

[b] *Jurisjurandi causa fidei.* Contendebant ergo episcopi Francorum, Gregorium papam in initiis pontificatus sui fecisse Ludovico sponsionem fidei, interposito etiam jurejurando. Neque vero id negat pontifex, neque fatetur verum esse. Sed nos ostensuri mox sumus valde probabile esse id factum a Gregorio. Hunc porro locum male de Agobardo interpretatur vir alioqui eruditissimus Franciscus Florens, ad titulum 6, *De electione et electi potestate.*

[c] *Perjuri estis.* Quid? Juramentum fidelitatis, quod episcopi tum præstabant principi, hoc etiam caput complectebatur, ut intelligerent episcopi se jure- D jurando obstrictos esse ne quid adversus Christi fidem fieri paterentur a principe? Joannes Saresberiensis in epistola 170 : « Nunquid enim fideles opinaris, qui peccandi vias domino regi expediunt, et in eo studiosi sunt, ut prosperetur in his quæ adversus Domini justitiam præsumuntur? Uter tibi videtur fidelior, an qui ad nutum erronei ministrat culpas, an qui perniciosas abigit voluptates? Sentiat unusquisque quod voluerit. Ego nunquam domino regi (*Sic omnino legendum; non autem,* Dominum et ) amicum reputabo fidelem, qui sic illius obtemperat voluptati, ut salutis et vitæ dispendium afferat. » Et videndæ omnino Jureti observationes ad epist. 35 Ivonis Carnutensis.

[d] *Rerum opportunitatem.* In veteri codice, itemque in editione Massoni, scriptum est, *juxta regum opportunitatem.* Verum hunc locum esse depravatum vel sensus evincit. Præterea paulo post, cum ista retractantur, ait Gregorius : *Ista enim commutatio, quam vos dicitis juxta rerum opportunitatem factam,* etc. Itaque visum est emendari debere.

tyres, qui non propter aliud passi sunt, nisi propter A defensionem et confirmationem evangelicæ veritatis. Causa autem peccatorum et scelerum esse non potuit, sicut vestra divisio est, quam dicitis fuisse opportunam. Deinde, quando grandi supercilio dicitis, quia si reverenter venerimus ad imperatorem, per ipsum cognoscemus omnem rei veritatem, quare opportune et utiliter mutata sit divisio : hoc loqui cogit vos magnitudo superbiæ, æstimantes solos vos posse rerum cognoscere causas. Vere dico vobis, quia non solum stultus, sed et infelix est, qui non intelligit quantos et quales fructus malorum protulit vestra commutatio, et de cujus thesauro maligni cordis processit et pro qua re vos laudatores et defensores estis hujus malignitatis. Deinde subjungitis, quia nisi secundum voluntatem vestram venero, B non habeo Ecclesias vestras consentaneas, sed in tantum contrarias ut nihil mihi [a] in vestris parochiis agere vel disponere liceat, nec quempiam excommunicare vobis obsistentibus. Vere verum est quod Veritas dicit : *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Quare mihi contrarii cum Ecclesiis vestris esse debetis [b] in legatione pacis et unitatis, quod Christi donum et ministerium est? An ignoratis angelorum cantu promissam esse pacem in terra hominibus bonæ voluntatis, per Apostolum autem tribulationem et angustiam in omnem animam hominis operantis malum? Hic apparet quod congruat vobis illud quod Scriptura dicit : *Arma et gladii in via perversi.* Vos conamini obsistere perversitatibus vestris nobis, qui legatione C fungimur pacis. Nam quicunque inter vos membra Christi sunt, non eum potestis abscindere a corpore capitis, quod est Christus. Nam etsi vos datis operam separandi a corpore vos ipsos, tamen sicut semper fuit, est, et erit; ut unguentum illud (Aug., *contra litt. Petil.*, c. 104), Spiritus videlicet sanctus (qui descendit a capite Christi in barbam, quæ est apostolorum chorus; et de hac barba in ora vestimenti, quæ est capitium tunicæ, Ecclesiæ scilicet Christi, quod capit caput, ut inhabitet Christus per fidem in corde ejus), in omnibus ubique fidelibus servet unitatem spiritus in vinculo pacis. Hæc idcirco dicimus, ut noveritis non vos posse dividere [c] Ecclesiam Gallicanam et Germanicam ab unitate tunicæ quæ subjacet capitio, sublimioribus videlicet membris Ecclesiæ, qui proximiores sunt barbæ, apostolis scilicet, ac per hoc apostolicis sedibus, sicut barba non potest esse nisi in capite. Deinde dicitis, rem ridiculam subinferentes, *et quod potius tacere quam dicere maluimus; si autem non egeritis, assensum consilio nostro non præbueritis, honoris vestri periculo subjacebitis;* si potius maluistis, id est, magis voluistis tacere quam dicere, quare non tacuistis? Consuetudo est in vobis ut id quod minus est, vincat quod majus est. Major voluntas exstitit in vobis tacere, minor autem dicere; et tamen minor vicit majorem. Credendum est omnino, quoniam in discordiarum amatoribus victrix est cupiditas, victa continentia. Illud vero quod minari vos cognoscimus [d] periculum gradus, quis explicare poterit quantum sit absurdum, quantumque inconveniens et stultum; cum vestra comminatio non sit propter crimen, [e] homicidium scilicet, sacrilegium, aut furtum, vel aliquid hujusmodi; sed nisi ita venerimus, sicut ipsi vultis : cui rei in argumento adjungitis juramentum; et non recordamini erubescentes, quia [f] perjuri pejeratum degradare non possunt,

BALUZII NOTÆ.

[a] *In vestris parochiis*, id est, diœcesibus, uti pluribus diximus in notis ad Lupum Ferrariensem. Porro, quis non hic miretur libertatem episcoporum Gallicanorum Romano pontifici minitantium impedituros se ne quid agat in suis diœcesibus, si se ab eorum communione subtrahat? Sed et illud valde notatu dignum est, quod etiam dicere palam et aperte ausi sunt, et quidem Romano pontifici scribentes, non toleraturos se, si papa Gregorius aliquem principi subjectum aut fidelem velit excommunicare. Qui locus utilis esse potest ad defendendam Galliam a sententia interdicti, si eam ferri contingeret.

[b] *In legatione pacis.* Sic enim aiebat Gregorius, seu vera seu falsa promeret, venisse se in Galliam, ut concordiam Ludovicum inter et filios revocaret. Verum istud persuaderi non potuit episcopis partis Ludovici, qui omnino putabant Gregorium in partes filiorum transisse contra patrem : quod et sequens quoque ætas verum putavit.

[c] *Eccl. Gallic. et Germanicam.* Utramque Ecclesiam conjungit ob eam causam, quod cum regnum Francorum ex utraque gente constaret, quoties synodus congregabatur, ad eam episcopi ex utraque gente conveniebant. Quod contigerat in synodo e qua missa est epistola episcoporum partis Ludovici ad papam Gregorium, cujus ista responsoria est.

[d] *Periculum gradus*, id est, depositionem ac dejectionem e Romana cathedra. Recte vero miratur Gregorius hanc episcoporum Gallicanorum confidentiam, Romano pontifici minitantium depositionem.

[e] *Propter homicidium.* Respicit ad canonem 25 apostolicum; in quo, ut quidem citatur a Gregorio Turonensi, sic legitur : « Episcopus in homicidio, adulterio et perjurio deprehensus, a sacerdotio divellatur. » Sed apud Dionysium Exiguum aliosque veteres collectores nihil de homicidio. Unde Marca coactus est suspicari corruptum fuisse hunc canonem ad premendum Prætextatum episcopum Rothomagensem, qui se designati homicidii reum esse, spe veniæ professus est in synodo Parisiensi. Et fieri potest ut hæc quoque clausula, quod æquissima D sequentibus temporibus visa fuerit, recepta dein vulgo sit in novis editionibus canonum apostolicorum, addito etiam nomine sacrilegii. Nam hanc quoque clausulam habuisse videtur Gregorius in suo codice. Itaque graviter errant correctores Romani, qui clausulam de homicidio primum adjectam putant ab episcopis in synodo Triburiensi congregatis anno 895, eamque fuisse causam cur Gratianus, qui post ea tempora vixit, eam quoque clausulam addiderit huic canoni apostolico, dist. 81, cap. *Presbyter.*

[f] *Perjuri pejeratum.* Jure apud omnes ubique gentes recepto, episcopi qui fidem principi jurejurando obligatam violant, deponendi sunt. Nam episcopus in perjurio deprehensus, deponi jubetur in canone 25 apostolico. Prudentissime enim justissimeque viderunt prisci illi legum Christianarum conditores, « in episcopos, qui suum transgressi sunt juramentum, tanto gravius esse vindicandum, quanto majori præeminent dignitate, et eorum exemplo facilius alii possunt ad similia provocari; » ut verbis utamur Ur-

etiamsi essem. Denique vos non me scitis esse pejeratum. De vobis autem nemo qui dubitet hoc esse. In hac re memor esse debuerat solertia vestra, quia quicunque cloacam commovet quanto amplius com- [A] moverit, tanto ampliorem fetorem exhalari facit. Quod autem de sequentibus me fratribus et coepiscopis similiter promittitis agendum, et additis, *irretractabiliter*, miranda in hoc præsumptio vestra

BALUZII NOTÆ.

ban. III ad archiepiscopum Pisanum scribentis in libro tertio Decretalium. Quod si episcopis nunquam licet pejerare, multo minus licet fidem principibus jurejurando obstrictam violare, quos colere nos jussit Deus et honore prosequi. Itaque nunquam dubium fuit, quin episcopus violatæ in principem fidei reus, a gradu suo dejiciendus esset. Eo porro jure tenebatur etiam episcopus Romanus, quandiu papa tantum urbicus fuit, hoc est, ante quam dominium Romanæ urbis in eum transfunderetur. Unde et ordinationes episcoporum Romanorum, non secus ac aliorum, fieri antiquitus non poterant absque consensu eorum qui variis temporibus apud Romam imperitarunt. Multum enim interest principum, ut in civitatibus imperio eorum subjectis tales instituantur episcopi, qui populos verbo et exemplo doceant jura majestatis non esse violanda. Hinc ex jure quoque ubique recepto sequebatur ut novus pontifex Romanus sponsionem fidei faceret principi : id quod ab ipsis factitatum esse veteres loquuntur historiæ. Ad Francorum reges quod attinet, exstat illustre hujus rei testimonium in epistola 84 (*Patrol. tom. XCVIII, col.* 907) Alcuini, quæ est Caroli Magni ad Leonem III papam Romanum. Is, postquam factus est pontifex, ordinationis suæ Carolum monuit per litteras, in quibus etiam continebatur juramentum fidelitatis. Hæc sunt verba Caroli : « Perlectis excellentiæ vestræ litteris, et audita decretali chartula, valde, ut fateor, gavisi sumus, seu in electionis unanimitate, seu in humilitatis nostræ obedientia, et in promissionis ad nos fidelitate. » Sed ante Leonem, Constantinus quoque papa, qui post Paulum I Romæ sedit, sic scripsit ad Pippinum regem : « Nos quidem, ita testis nobis Deus noster, cui occulta cordis manifesta sunt, ut plus etiam quam præfati nostri prædecessores pontifices, in vestra a Deo protecti regni vestri Francorum charitate et dilectione, atque sincera fidelitate, cum omni nostro populo firma constantia erimus permansuri. » Hinc factum ut Paschalis I timens ne si vera ostenderentur quæ de ipso ad imperatorem Ludovicum Pium perlata erant, scilicet eo auctore Theodorum Romanæ Ecclesiæ primicerium et Leonem nomenclatorem fuisse occisos *ob fidelitatem Lotharii*, quem Ludovicus nuper fecerat imperii consortem; timens, inquam, ne si vera hæc ostenderentur, ipse de gradu suo dejiceretur, placandum statim censuit principem; ad eumque legatos mittens, expurgaturum asseveravit suspiciones de se injectas : id quod paulo post præstitit Romæ coram legatis Ludovici, *ab interfectorum nece*, inquit auctor Vitæ Ludovici Pii, *se cum plurimis episcoporum purgans*, id est, adhibito, ut Theganus tradit, 34 episcoporum juramento, qui testarentur Paschalem cædis illius reum non esse. Quam historiam narrat etiam auctor Annalium Bertinianorum. Mortuo tandem Paschali successit Eugenius II qui juramentum fidelitatis Ludovico et Lothario Augustis præstitit more majorum, atque insuper clerum populumque Romanum eo inter alia jurejurando teneri voluit, hauddubie ex pactis : « Et quod non consentiam ut aliter in hac sede Romana fiat electio pontificis, nisi canonice et juste, secundum vires et intellectum meum : et ille qui electus fuerit, me consentiente consecratus pontifex non fiat, priusquam tale sacramentum faciat in præsentia missi domini imperatoris et populi, cum juramento, quale Dominus Eugenius papa sponte pro conservatione omnium factum habet per scriptum ; » ut docet continuator Pauli Diaconi, editus a Marquardo Frehero. Existimandum tamen non est, tum primum inventum esse hoc jusjurandum. Antea enim fieri solitum patet ex Eginhardo ad an. 817, ubi sic legitur : « Cui (id est, Stephano papæ) Paschalis successor electus, post completam solemniter ordinationem suam, et munera et excusatoriam imperatori misit epistolam; in qua sibi non solum nolenti, sed etiam plurimum renitenti, pontificatus honorem velut impositum asserebat. » Excusavit videlicet præcipitationem ordinationis, quod ea peracta esset inexspectato misso sive legato imperatoris. Verum quia Eugenius eadem præcipitatione fuerat ordinatus, occurrere huic audaciæ volens [B] imperator, exemplumque statuere in futurum, « Lotharium filium imperii socium (verba sunt Eginhardi), Romam mittere decrevit, ut vice sua functus ea quæ rerum necessitas flagitare videbatur, cum novo pontifice atque Romano populo statueret ac firmaret. » Itaque tum revocatum jusjurandum de non ordinando pontifice Romano extra conscientiam principis, præstitumque ab Eugenio papa juramentum fidelitatis. Valde autem probabile est sequentes tum pontifices, qui vivo Ludovico vixere, non omisisse hanc partem sui obsequii, adeoque verum esse quod Gregorio IV objiciebant episcopi Gallicani, eum in initiis sui pontificatus fecisse Ludovico sponsionem fidei, interposito etiam jurejurando; tametsi ille factum illud neque fateatur, neque neget : nam in ambiguo relinquit. Sed cur agimus conjecturis in re manifesta? Ecce quomodo loquuntur Annales Bertiniani de electione et ordinatione ejusdem Gregorii : « Eugenius papa mense Augusto decessit. In cujus locum Valentinus diaconus a Romanis electus et [C] ordinatus, vix unum mensem in pontificatu complevit. Quo defuncto, Gregorius presbyter tituli sancti Marcelli electus; sed non prius ordinatus est, quam legatus imperatoris Romam venit, et electionem populi qualis esset examinavit. » Et manifestum est, ni fallor, non consensisse legatum ordinationi Gregorii, donec is scripto juramentum fecisset de fide erga principem, juxta exemplum Eugenii. Itaque cum defensionem suam titubare ex eo capite intelligeret Gregorius, ac tamen gradum suum retinere vellet, ad alias artes confugit, nimirum ad incompetentiam judicum. Nam, quod in primis observandum est, non ait degradari se non posse ob violatam fidem principi obligatam; sed episcopos illos, qui perjuri sunt, esse judices incompetentes. Episcopos enim partis Ludovici perjuros esse contendebat Gregorius. Itaque si nihil nævi fuisset in illis episcopis, non negasset Gregorius quin ad illos pertinuisset cognitio criminis quod ei objectabatur. Adeo autem verum [D] est jus illud principum fuisse constantissimum, ut etiam centum triginta post annis Joannes XII ob violatæ fidei Ottoni imperatori præstitæ crimen depositus fuerit in synodo Romana, ut docet continuator Luitprandi, lib. VI, cap. 10. At posteaquam imperatorum auctoritas eviluit, in nomenque illi Germanorum transiere, tum vero Romani pontifices movere cœperunt lacertos, et a capite suo summoverunt potestatem principum : quod non contigerat imperantibus Francis. Paulatim dein intravit in Ecclesiam regnum, et qui per multum ævi fuerant subjecti principibus, eis postea illuserunt, calcantes etiam pedibus colla dominorum. Rerum humanarum Euripum! Sed antequam discedam ab hoc loco, res postulare videtur, ut quoniam diximus ordinationes Romanorum pontificum fieri olim non potuisse extra præsentiam legatorum imperatoris, hanc quoque observationem probemus aliquot exemplis posteriorum temporum. Illustre hujus rei testimonium exstat in Annalibus Bertinianis ad annum 844 : « Gregorius

cognoscitur. Nunquid quod in parte agitur, retractari apud universitatem non poterit? Nunquid quod apud homines a rectitudine deviantes agitur, apud meliores, recti videlicet tenaces, retractari non debet? Aut quod in præsenti malitiose judicatur, Dei judicio retractandum non erit? Quod vestræ minæ continent, nunquam adhuc ab initio Ecclesiæ factum est. Nam etiamsi ego fuissem perjurus, aptandum vobis erat illud evangelicum : *Neque tu times Deum, cum in eadem damnatione sis?*

BALUZII NOTÆ.

Romanæ Ecclesiæ pontifex decessit. Cui Sergius succedens in eadem sede substituitur. Quo in sede apostolica ordinato, Lotharius filium suum Hludouvicum Romam cum Drogone Mediomatricorum episcopo dirigit, acturos ne deinceps decedente apostolico quisquam illic præter sui jussionem, missorumque suorum præsentiam, ordinetur antistes. Qui Romam venientes, honorifice suscepti sunt. Peractoque negotio, Hludouvicum pontifex Romanus unctione in regem consecratum cingulo decoravit. » Gravis tamen semper duraque Romanis visa est hæc lex; ideoque eam variis temporibus infringere tentarunt. Itaque non multo post hæc tempora, cum mortuo Nicolao I Romana sedes vacaret, ei Adrianus II substiturus est invocatis inconsultisque missis imperatoris : qui tum erat Ludovicus hujus nominis secundus, Pii nepos. Quod audientes missi Ludovici imperatoris, moleste tulerunt, indignati scilicet quod dum præsentes essent, non fuerunt invitati, nec optatæ a se futuri præsulis electioni interesse meruerunt. Qui accepta ratione, quod non causa contemptus Augusti, sed futuri temporis prospectu omissum hoc fuerit (ne videlicet legatos principum in electione Romanorum præsulum exspectandi mos per hujusmodi fomitem inolesceret), omnem indignationem medullitus sedaverunt, et ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt. « Apud Gratianum Dist. 63, cap. *Cum Adrianus;* et apud Ivonem parte v, cap. 16. Sed, ut hoc quoque obiter moneam, sublestæ ac valde dubiæ fidei apud me est ista narratio. Nam quomodo fieri potuit ut legati omnem indignationem medullitus sedaverint, quod dicerent Romani ita factum esse ne præsentia missorum imperatoris verteret in necessitatem, cum hic esset querelæ eorum fundus? An existimamus viros in aula educatos, et longo Cæsarum sacramento imbutos, adeo jurium majestatis incuriosos ac desertores fuisse, ut ea tam facile sinerent convelli et oblitterari? Probabilius est excusasse Romanos præcipitationem ordinationis, quod raptus potius fuerit Adrianus quam electus, neque modum potuisse poni ardori cleri ac populi. Addiderunt haud dubie scire se jus quod imperator haberet in electione, neque contemnere, et provisuros ne deinceps talia attentarentur, tolerarent modo missi electionem Adriani, ad eumque salutandum venirent. His verbis, obsequii et reverentiæ in Augustum plenis, crediderim delinitos missos, ad Adrianum salutandum accessisse. Tum Ludovicum imperatorem, ne schisma in Ecclesia Dei faceret, hanc electionem approbasse ac laudasse. Hæc est mea conjectura. Verum quia Romani frequenter post ista tempora silentio transmiserunt missos imperatorum in electione pontificum, placuit eam audaciam reprimere in concilio Ravennatensi habito anno 904, quod a Baronio editum est, in quo Joannes IX pontifex Romanus hoc decretum promulgavit : « Quia sancta Romana Ecclesia, cui præsidemus, plurimas patitur violentias, pontifice obeunte : quæ ob hoc inferuntur, quia absque imperatoris notitia, et suorum legatorum præsentia, pontificis fit consecratio, nec canonico ritu et consuetudine ab imperatore directi intersunt nuntii, qui violentiam et scandala in ejus consecratione non permittant fieri; volumus ut id deinceps abdicetur; et constituendus pontifex, convenientibus episcopis et universo clero, eligatur, expetente senatu et populo qui ordinandus est, sic in conspectu omnium celeberrime electus ab omnibus, præsentibus legatis imperialibus, consecretur. »

---

# AGOBARDI LIBER APOLOGETICUS [a]

## PRO FILIIS LUDOVICI PII IMPERATORIS ADVERSUS PATREM.

I. Audite hæc, omnes gentes, audiat terra et plenitudo ejus a solis ortu usque ad occasum, ab aquilone et mari, et sciant et recogitent pariter domni et imperatoris Ludovici filios juste fuisse et esse indignatos, et bene sentire et intendere ad expurgandum paternum palatium a sordibus facinorum et iniquis factionibus, et regnum ab amarissimis et tumultuosis inquietudinibus; tantum ut inter eos germana fides et fraterna sinceritas Deo digna et omni fideli populo beneplacita persistat et inviolabiliter perseveret.

II. Igitur cum prædictus domnus et imperator quietus esset in domo, et florens in palatio suo, cum adhuc [b] juvenem conjugem sub sui reverentia custodiret, et [c] secundum Apostolum, uxorium debitum illi persolveret, in processu vero dierum cum cœpissent hæc primum tepescere, deinde frigescere, ac per hoc et [d] mulier resolvi in lasciviam, cessan-

BALUZII NOTÆ.

[a] Huic libro nullus est titulus in veteri codice. Itaque istum facere placuit. Est enim revera Apologeticus pro Lothario fratribusque ejus adversus Ludovicum Pium.

[b] *Juvenem conjugem*, Juditham, postremam Ludovici Pii conjugem, Caroli Calvi matrem, quam Ludovicus duxit anno 819.

[c] *Secundum Apostolum.* Exstat hæc Pauli admonitio ad maritos in capite septimo epistolæ primæ ad Corinthios. Adeo autem magnæ auctoritatis est hic locus, ut dein statutum fuerit in synodo Liptinensi, dirimendum esse matrimonium, si vir ejus sit frigiditatis, ut uxori debitum reddere non possit, ut observatum est ad epistolam 81 Lupi Ferrariensis.

[d] *Mulier resolvi in lasciviam.* Ea fuit bellorum civilium occasio. Judith Augusta plurimum auctoritatis habebat apud Ludovicum, ut conjux. Movit istud bilem Lothario, dum gratiam illam novercæ ferret impatienter. Conquisitis ergo causis querelarum, objectum est mulieri crimen adulterii. Forte Bernardus comes maxima apud eam gratia flagrabat. Hinc vulgatum, hunc esse qui thorum Augusti commaculaverit. Et quia obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur, ut Tacitus observavit, sparsa primum apud

tibus licitis conversa imo adversa ad illicita, adscivit sibimet aptas personas ad perpetranda turpia, et primum latenter, deinde impudenter. Cognoverunt autem hoc initio pauci, deinde plures; ad postremum autem multitudo palatii, et regni, ac finium terræ, quam rem irridebant minores, dolebant majores, omnes autem clari viri intolerandum judicantes. Concitati itaque sunt spiritus filiorum imperatoris rationabili zelo, videntes maculatum stratum A paternum, sordidatum palatium, confusum regnum, et obscuratum nomen Francorum, quod hactenus clarum fuerat in toto orbe. Et surgentes singuli uno et pio consensu in emundatione scelerum, convenerunt simul; et [a] aliis comprehensis, [b] aliis effugatis, [c] auctricæ vero malorum exclusa a palatio, inclusa custodiæ, mutato habitu regali, [d] induto habitu sanctimoniali, reddiderunt patrem quieti et [e] aliquantulæ honestati. Cumque per nimiam filiorum

## BALUZII NOTÆ.

nonnullos opinio hæc, magna illico fama surrexit. Ventum est ad arma. Capta mulier, et in monasterio conclusa. Bernardus sibi fuga consuluit. Theganus in capite 36 de Gestis Ludovici Pii : « Et voluerunt dominum imperatorem de regno expellere : quod prohibuit dilectus æquivocus filius ejus. Supradicti impii objicientes ei multa contraria, dixerunt Judith reginam violatam esse a quodam duce Bernardo, qui erat de stirpe regali, et domini imperatoris ex sacro baptismate filius. Mentientes omnia, suscipientes reginam Judith, eamque vi velantes, et in monasterium mittentes. »

[a] *Aliis comprehensis.* Conrado nimirum et Rudolfo, reginæ fratribus, ut idem Theganus tradit. Item Heriberto Bernardi fratre, et Odone consobrino illius, ut est in Vita Ludovici Pii.

[b] *Aliis effugatis,* præcipue vero Bernardo duce; qui fuga sibi consulens, in Marcam Hispanicam, cujus ipsi custodia commissa erat, se contulit. Annales Fuldenses ad annum 830 : « Commotio contra imperatorem a primoribus Francorum in Compendio exorta propter Bernardum, quem in palatio esse noluerunt. Quo inde depulso atque fugato, in gratiam cum eo redierunt. » Auctor Vitæ Ludovici Pii : « Adfuit etiam Bernardus, qui modo prædicto, fugiendo se salvans, diu in finibus Hispaniæ exsulaverat. » Fines Hispaniæ dicit, id est, Marcam Hispanicam, quæ nunc Catalonia dicitur; ob hoc dicta confinium Hispaniæ, quod tum temporis ea Hispaniarum portio pertineret ad regnum Francorum, ut alibi dictum est a nobis. Sed de Bernardo, quoniam occasio incidit, res poscere videtur ut nonnulla dicamus, ne qui tot motuum ac bellorum occasio fuit, diutius lateat in obscuro. Virum magnæ nobilitatis fuisse hinc constat, quod eum Theganus tradit ex stirpe regali ortum esse, et Ludovici Pii imperatoris ex sacro baptismate filium. Filium fuisse constat Gulielmi comitis, qui monasterium Gellonense fundavit in prima Narbonensi, quod nunc ex ipsius nomine vocatur monasterium sancti Gulielmi de Desertis. Anno 820 Bera comite Barcinonensi dejecto ob crimen majestatis, Bernardus ei comitatui præfectus est ab imperatore Ludovico Pio. Anno undecimo imperii Ludovici (id est, anno 824, ut manifeste colligitur ex Eginhardo), Kalendis Julii, uxorem in Aquisgranensi palatio duxit Duodenam, nobilissimam feminam; exque ea biennio post suscepit filium Willelmum, natum III Kalend. Decembris. Interim furentibus Ludovici filiis adversus Judithnam reginam, filiumque ejus Carolum, civiliaque bella meditantibus, Ludovicus, « ut subsidium aliquod in aula haberet (Transcribo hic, et quidem lubens, verba magni viri Petri de Marca, archiepiscopi Parisiensis ex libro tertio Marcæ Hispanicæ), consiliorum suorum participem et regni administrum, *Bernardum quemdam ducem Septimaniæ,* inquit Nithardus, *in supplementum sibi assumens, camerarium constituit, eique Carolum commendavit, secundumque a se in imperio præfecit.* At vero quidam ex aulicis perfidi, tres fratres eo sceleris adegerunt, ut coacta valida rebellium manu, depellendo a regno patre cogitarent. Odio quæsitus color, Bernardi comitis cum Juditha familiaritas, quam in perversum interpretabantur, cum tamen ex muneris palatini necessitate sequeretur, tum quia Bernardus datus erat rector Carolo. » Hactenus Marca. Pulsus ergo Bernardus, Barcinonem se contulit anno 830. Sed anno sequenti revocatus est a Ludovico, et pristino honori redditus. Anno 842 nova prole auctus est XII Kal. Aprilis; quo die Duodena alterum Bernardo filium peperit apud Ucetiam civitatem in prima B Narbonensi. Cum autem bellum exarsisset inter filios Ludovici, Bernardus in partes transgredi noluit. Hinc mota Caroli ira. Tandem cum Tolosam venisset Carolus anno 844, Bernardum ad se accersiit, nihilque ab eo mali suspicantem occidit, ut tradit auctor Annalium Fuldensium. Sed plenius hanc cædem exsequitur Odo Aribertus, cujus hoc nobis fragmentum ex veteri codice pro singulari sua humanitate suppeditavit vir clarissimus Gulielmus Masnavius senator Tolosanus. « Pace itaque cum sanguine eucharistico separatim per regem et comitem firmata et obsignata, Bernardus comes Tolosanus ex Barcinonensi Tolosam venit, et regem Carolum in cœnobio sancti Saturnini juxta Tolosam adoravit. Cumque rex manu læva, tanquam sublevandi gratia, comitem apprehendisset, altera pugione in latus ejus adacto eum crudeliter interemit, non sine crimine fidei et religionis violatæ, nec sine suspicione patrati parricidii. Filius quippe Bernardi vulgo credebatur, et os ejus mire C ferebat, natura adulterium maternum prodente. Post tam nefandam necem, rex de solio sanguine maculato discedens, et pede cadaver percutiens, sic exclamavit : Væ tibi, qui thalamum patris mei et domini tui fœdasti. » Vide Catellum in Historia comitum Tolosanorum cap. 8.

[c] *Auctrice malorum.* Juditha Augusta

[d] *Induto habitu sanctimoniali.* Actum istud anno 830, ut patet ex Vita Ludovici Pii. Sed tamen adnotandum est, eam tametsi velum sibi super caput posuerit (seu volens id fecit, ut tradit auctor Vitæ Ludovici, sive per vim, ut Theganus scribit), attonsam non fuisse. Inclusa autem fuit in monasterio sanctæ Radegundis Pictaviensis. Illic femina tot tantaque pietatis argumenta præbuit sanctimonialibus, ut illæ publice profiterentur velle se Augustæ exemplum sequi. Ita enim docet auctor Annalium Metensium : « Quæ in Pictavensem urbem compulsa est ire, ibique in monasterio Sanctæ Crucis est retrusa : D ubi et ipsa Domino nostro Jesu Christo studiosissime famulari die noctuque totis nisibus studuit; atque inibi Domino famulantibus ita placuit, ut omnes profiterentur se eam velle imitari. »

[e] *Aliquantulæ honestati.* Hic fuit belli civilis prætextus : Dehonestari palatium adulterio Augustæ cum Bernardo; quod adeo publicum esset, ut ne silentio quidem aut dissimulatione tegi posset. Purgandum palatium a sordibus facinorum; et Ludovicum reddendum menti ac dignitati suæ, ac si dementatus fuisset uxoris veneficio. Porro, Lotharium non debere ferre tantum dedecus paterno nomini illatum. Auctor Vitæ Ludovici : « Oportere ergo dicebant bonum filium indigne ferre dedecus paternum, ablatisque e medio, restituere patrem et menti et dignitati; et hoc agentem non solum fama virtutis prosequeretur, sed etiam amplificatio regni terrestris, hoc nomine prætexentes culpam. His ergo incitamentis allectus juvenis, etc. »

remissionem bene acta dissolverentur, per carnalium blandimenta et cupidorum scelestos favores, atque indecoras adulationes, iterum mulier, tanquam legitima domina, [a] revocata est in palatium, et prælata consiliis et consiliariis; cujus instigationibus mutata est mens rectoris, et cœpit duris cornibus ventilare filios, et conturbare populos. Sicque factum est inauditum antea mortalibus, ut non tam persecuti injuste sustinerent persecutiones, quam persecutores inviti et coacti exercerent, et non solum exercerent, sed et sustinerent, dum violentissime in diversa et contraria juramenta compelluntur.

III. Attendite et videte si factum est unquam hujusmodi. Juratum est ergo imperatori seniori, et eodem jubente iidem ipsi juraverunt imperatori juniori; et iterum ipso faciente, aliqui ex ipsis juraverunt [b] regi fratri, et ad postremum pene omnes compulsi sunt jurare [c] puero. Et ne ibi quidem remansit. Sed quasi nihil horum fuisset, adhuc exorta sunt juramenta. *Nunquid super his non* A *visitabo, dicit Dominus?* Et inulta remanebit despectio Dei, et pollutio nominis ejus? sicut scriptum est : *Non pejerabis, nec pollues nomen Domini Dei tui*. Ecce patefactis abyssis stultitiarum, ad quid perventum est? Cum enim deberent exercitus mitti adversus exteras gentes, et ipse imperator adversus barbaras nationes dimicare, ut eas fidei subjugaret ad dilatandum terminum regni fidelium (Sic namque orat universalis Ecclesia in solemnibus illis orationibus, diebus Passionis Dominicæ, pro imperatoribus : *Ut Deus illis subjectas faciat barbaras nationes*); nunc e contrario omne regnum cum extremitatibus suis conglobatur in unum in medio sui, diversa tamen intentione, dum alii parantur ad intestina viscera disrumpenda, alii ad pacandam, si fieri potest, injustissimam B discordiam : qui omnes pia mente perpendere debuerant quod dicitur in prædictis orationibus, ubi sacerdos admonet, dicens : *Oremus et pro Christianissimo imperatore nostro, ut Deus et Dominus noster subditas illi faciat omnes barbaras nationes, ad nostram perpetuam pacem*. Domus ergo Dei, quæ est

## BALUZII NOTÆ.

[a] *Revocata est in palatium*, anno 831, ut tradit auctor Vitæ Ludovici, et auctor Annalium S. Bertini. Æquissimum sane erat ut Juditha, « quæ injuste ac sine lege et judicio ei ablata fuerat, » ut tradit auctor eorumdem Annalium, Ludovico restitueretur. Itaque misit qui eam ex Aquitania reducerent. « Quam tamen conjugis honore non est dignatus, inquit auctor Vitæ ejus, donec se legali præscripto modo ab objectis purgaret. » Congregata ergo synodo apud Noviomagum ad Vahalim fluvium, jussione imperatoris, et apostolica auctoritate, mense Octobri, cum C nullus adversus eam accusator existeret, illaque se jurejurando purgasset secundum legem Francorum, judicatum est ab episcopis eam reddi marito debere velut legitimam conjugem. Auctor Annalium S. Bertini ad annum 831 : « Ad quod placitum domna imperatrix, sicut jussum fuerat, veniens, et in conspectu domni imperatoris ac filiorum ejus assistens, de cunctis se objicientibus purificare velle aiebat. Percunctatusque est populus, si quislibet in eam aliquod crimen objicere vellet. Cumque nullus inventus esset qui quodlibet illi malum inferret, purificavit se secundum judicium Francorum de omnibus quibus accusata fuerat. » Auctor Annalium Metensium : « Postea tenuit imperator placitum suum mense Octobrio in villa Niumaga. In eodem ergo placito, per auctoritatem apostolicam, et per consensum episcoporum, consideratum et canonice definitum est ut imperator suam reciperet conjugem. » Infra : « Peracto quoque placito in Niumaga, imperator inde reversus, ad D Aquasgrani palatium ad hiemandum pervenit; ubi et suam conjugem prædictam Judith imperatricem recepit, atque eam pristino honori restituit. » Theganus capite 37 : « Inde venit dominus imperator Aquis ad sedem suam; et supradicta conjux venit ibi obviam ei : quam honorifice suscepit, jubente Gregorio Romano pontifice cum aliorum episcoporum justo judicio. » Hunc Thegani locum laudat illustrissimus archiepiscopus Parisiensis in libro tertio Marcæ Hispanicæ, ut ostendat Juditham marito redditam fuisse judicio ecclesiastico, non autem ex decreto conventus publici. Hæc sunt ejus verba : « Enim vero quia velo imposito detrusa fuerat in monasterium, pœnitentiæ publicæ causa, post crimen per sacramenta dilutum, necesse erat ut pœnitentiæ indictio injusta rescinderetur. Id autem fieri non poterat auctoritate regia, ex decreto conventus publici, sed judicio et potestate ecclesiastica. Quod factum quoque Theganus observavit, cum ait reginam Aquis ab imperatore honorifice susceptam, jubente Gregorio Romano pontifice, cum aliorum episcoporum justo judicio. » Tum, ne quis ex eo facto præjudicatum putaret in omnibus causis ecclesiasticis principum necessariam esse interventionem auctoritatis Romani pontificis, hæc prudenter eruditeque pro more suo subdit idem archiepiscopus : « Romani pontificis auctoritas adjuncta est judicio episcoporum Franciæ, solo Augustorum intuitu, quorum dignitas causam istam majorem efficiebat. De majoribus autem causis sedem apostolicam consulendam docuit olim Innocentius primus. Ex eadem personarum dignitate profectum, ut de divortio Lotharii regis et Theutpergæ actum fuerit coram Nicolao I. Adeo ut quæ hodie fiunt in causis regum ecclesiasticis ad summum pontificem relationes, non careant suis exemplis : quæ crebriores factæ, postquam pontificum rescriptis a jurisdictione ordinaria principes exempti sunt : quibus tamen privilegiis, si res ita ferat, quin ad tempus renuntiare possint, et ratio juris et exempla dubitare non sinunt. Olim quoque perpetuum non erat ut in causis omnibus ecclesiasticis principum exspectaretur auctoritas summi pontificis, ut patet ex pœnitentia publica per vim indicta ab aliquot episcopis Ludovico Pio imperatori; quæ ab episcopis aliis soluta est, non consulto Romano pontifice, restitutis principi armis et corona et vestibus regiis, quibus ob pœnitentiam privatus fuerat : quæ restitutio confirmata est a synodo plenaria an. 835, ut docet auctor Vitæ Ludovici, Nithardus, et Annales Bertiniani. » Hactenus Marca. In eadem porro Noviomagensi synodo, cujus auctoritate Judith marito reddita est, Jesse Ambianensis episcopus, ut Theganus tradit, « justo judicio episcoporum depositus est. » Quam Jesse depositionem ab Ebbone Rhemensi archiepiscopo peractam fuisse docet Flodoardus lib. II Hist. Rom. cap. 20, idque « pro infidelitate imperatoris. »

[b] *Regi fratri*, id est, Ludovico regi Germaniæ, qui Lotharii frater erat.

[c] *Puero*, Carolo cognomento Calvo, qui tum erat admodum puer, ut patet ex Vita Ludovici Pii ad annum 833 : « Ipsum vero Lotharius ad suà cum Carolo admodum puero deduxit. » Natus autem erat anno 823, mense Junio, ut tradit idem auctor Vitæ Ludovici.

Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis, orat ut Christianissimo imperatori barbari subjiciantur, non ut subjecti conturbentur et barbarizentur. Neque enim Christianissimi imperatoris est subjectos exturbare et unitos dividere.

IV. O Domine Deus cœli ac terræ, cur permisisti fidelissimum et Christianissimum servum tuum imperatorem nostrum in tantam devenire negligentiam, [a] ut videre nolit quibus malis circumdatus sit? Diligit enim odientes se, et odit diligentes se. Quid si verum est quod plerique, qui subtilius intelligere videntur, affirmant; quod scilicet sint aliqui in latere ejus, qui inhianter exspectant exterminium filiorum ejus? Quod si viderint, collatum habent inter se ut in imperatorem mittant manum, et [b] dispertiant sibi regnum. Hoc utrum verum sit, ipsi norunt. Multi tamen sunt, qui non ambigunt illos de quibus dicitur, ita incumbere regno, tanquam parieti inclinato et maceriæ impulsæ. Unde constat, quia nisi Deus subvenerit, aut exteris dabitur regnum, aut in multos tyrannos dispertietur; quod in hoc assimilatur : quoniam imperator, qui adversus barbarorum reges bella justa disponere debuerat, adversus dilectores sui filios injusta agere parat.

V. Dicunt etiam aliqui quod [c] domina palatii senioris, extra illa quæ de ejus occultis et non occultis dicuntur, ludat pueriliter, spectantibus etiam aliquibus de ordine sacerdotali, et [d] plerisque colludentibus, qui (secundum formam quam Apostolus scribit de eligendis episcopis, dicens : *Domus suæ bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate; quia si quis domus suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*) prædicare debuerant dominæ ludenti : Si qua regina semetipsam regere non novit, quomodo de honestate palatii curam habebit? aut quomodo gubernacula regni diligenter exercet? Reducere quoque ei ad memoriam debuerant, quod supradictæ sententiæ congruenter aptari potest, quantum tamen ad exteriorem sensum pertinet, quod in alio loco sacra Scriptura dicit : *Mulier diligens corona est viro suo; et putredo in ossibus ejus quæ confusione res dignas gerit.* Et iterum : *Tecta perstillantia in die frigoris et litigiosa mulier comparantur. Qui retinet eam quasi qui ventum teneat, et oleum dexteræ suæ evacuet.* Sed forte dicturus est aliquis : Hæc non est litigiosa, sed [e] suavis, et blanda. Quibus verbis respondendum est, non est majus litigium, quam boni patris bonos filios irritare, exacerbare, exhonorare, et penitus a patre alienare velle : quæ quia [f] propter solam pulchritudinem a viro inofficiose diligi fertur, inculcandum utrique fuerat quod iterum eadem

BALUZII NOTÆ.

[a] *Ut videre nolit quib. malis.* Hæc tum in vulgus jactata. Auctor Vitæ Ludovici : « Porro patrem adeo quibusdam præstigiis elusum, ut hæc non modo non vindicare, sed nec advertere posset. »

[b] *Dispertiant sibi regnum.* Sic Capito Cossutianus, vir animo ad flagitia præcipiti, dum Neronem excitaret ad mortem Thraseæ, hæc inter alia ait apud Tacitum in libro xvi Annalium : « Ut imperium evertant, libertatem præferunt. Si perverterint, libertatem ipsam aggredientur. » Proprium sane humani ingenii est, vitia sectari sub nomine virtutum, consiliaque mala tegere sub specie boni. Et qui bella civilia movent, bonum semper publicum prætexunt. Sallustius in Catilina : « Namque, uti paucis verum absolvam, per illa tempora quicunque rempublicam agitavere, honestis nominibus, alii, sicuti jura populi defenderent, pars, quo senatus auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabat. »

[c] *Domina palatii senioris*, id est, palatii Ludovici Pii, qui paulo ante dictus est imperator senior; Lotharius vero, imperator junior. Nam postquam Lotharium Ludovicus imperii consortem fecit, Irmingardique Augustæ sociavit, divisa est familia regnatrix; Ludovicusque citra Alpes remanens, Lotharium regere Italiam jussit. Hinc duplex domus, sive palatium : palatium senius, domus Ludovici : aliud Lotharii domus. Judith ergo, quæ Ludovici conjux erat, domina fuit palatii senioris.

[d] *Plerisque colludentibus.* Damnat episcopos qui cum Juditha ludebant pueriliter, itemque eos qui puerilia illa oblectamenta spectabant, ac fortassis laudabant. Istud ipsum etiam in presbyteris hac ipsa ætate damnavit Romana synodus sub Eugenio II celebrata, quæ sic sancivit cap. 11 : « Sacerdos enim sedule divina debet perscrutari et admonere eloquia, ut inveniatur beatus de quo Psalmista ait : *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Quamobrem ludos aliquos coram se fieri non delectetur. Transgressor quippe inventus, admonitione episcopi ulterius agere desinat. Sin autem, canonice judicetur. »

[e] *Suavis et blanda.* Hinc patet Judith feminam fuisse insignis comitatis et urbanitatis; non vero ferocem ac superbam, ut feminis contingere solet quæ in summam fortunam evehuntur. Sed videtur hæc Agobardus commemorare augendam ad invidiam, ac si hinc colligi posset Judith esse adulteram ac meretricem. Nam et apud Senecam lib. I, Controv. 2, Junius Gallio de puella quadam, quæ in prostibulo fuerat, sic ait : « Si quis dubitat an meretrix esset, audiat quam blanda sit. » Hinc illud Juvenalis :

Vox blanda et nequam digitos habet.

[f] *Propter solam pulchritudinem.* Formosa ergo erat Judith. Theganus capite 26 de ea loquens : « Erat enim pulchra valde. » Annales Metenses ad annum 829 : « Imperator Ludovicus habebat quamdam reginam pulchram nimis nomine Judith, et sapientiæ floribus optime instructam, sociatam sibi in conjugio. » Ex quo interim loco patet eam a marito cultam non fuisse propter solam pulchritudinem, ut ait Agobardus, sed etiam ob præclaras virtutes quibus ornata erat. Sed aculeata illa scriptio condonanda est studio partium. Sane magnam ac peculiarem feminarum gloriam esse pulchritudinem apud omnes ubique gentes in confesso est. Itaque nemo hactenus fuit qui formam corporis accusaverit in mulieribus. Præclare Tertullianus in libro secundo de cultu feminarum : « Nam etsi accusandus decor non est, inquit, ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis bona; timendus est tamen propter injuriam et violentiam sectatorum, quam etiam pater fidei Abraham in uxoris suæ specie pertimuit. » Venditanda ergo non est forma, ut paulo ante docuit idem Tertullianus his verbis : « Primo quod non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus. » Ac nescio quo fato semper factum est, ut ex eo quod femina quæpiam formosa visa est, in suspicionem venerit vulgati corporis. Unde interrogatus a quodam Bias deberetne uxorem ducere, an vitam ducere cælibem, respondit : Aut pulchram duces, aut deformem. Si pulchram, habebis communem. Sin tur-

Scriptura dicit : *Fallax gratia, et vana est pulchritudo. Mulier timens Dominum ipsa laudabitur.*

VI. Nunc igitur omnes timentes et amantes Deum, regem quoque et regnum, pacata societate, rebus mundi utentes, rebus divinis fruentes, omni conamine dare operam debent ut exprimatur vulnus iniquitatis, et obducatur cicatrix sanitatis, absque sanguinis effusione, absque strage interfectionis, absque amaritudine jurgiorum, absque turbulenta et fetida commixtione spirituum immundorum. Ut vere dicatur de Ecclesia hujus regni : *Hæc est domus Dei, et porta cœli. Portæ autem inferi non prævalebunt adversus eam.* Et iterum : *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit. Gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua, et exsultabit super te in laude. Nugas, qui a lege recesserant, congregabo, quia ex te erant; ut non ultra habeas super eis opprobrium : et* [a] *dicat omnis populus : Amen, amen, et hymnum Deo.*

VII. Sicut veritas non est tantum in dictis, sed et in factis, (sic enim Apostolus demonstrat, dicens : *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Et alius Apostolus : *Filioli, non diligamus verbo, nec lingua, sed opere et veritate.* Et iterum : *Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et non facimus veritatem*), ita quoque mendacium non est tantummodo verborum, sed et factorum; sicut in Apocalypsi loquitur Dominus, dicens : *Non intrabit in eam* (haud dubium quin civitatem cœlestem) *aliquid coinquinatum, et faciens abominationem et mendacium.* Et paulo post : *Omnis qui amat et facit mendacium.* Et Dominus in Evangelio de inventore omnium malorum ait : *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.* Si ergo illa veritas (de qua et in Psalmis cantamus : *Prope esto, Domine, et omnes viæ tuæ veritas*) omnium hominum mentes possideret, etiam sine rectoribus et principibus res mundi concordi societate pacatæ manerent. Nunc autem quia ille qui in veritate non stetit, contra veritatem agere nunquam desistit, et dormientibus hominibus scandalorum zizania seminare non cessat, apta sibi corda satis inveniens, quæ foveant et nutriant semina ejus; redundat malum commotionis, quod quietem pacis et unitatis insano furore conturbet. Propter quod sollicite vigilandum est et sagaciter agendum contra corruptores veritatis et pacis, lingua et manu, ut aut cohibeantur, aut comprimantur.

VIII. Commotio itaque hujus temporis et harum regionum, quæ mira omnipotentis Dei suavitate et dulcedine sine conflictu armorum sedata est, non segniter memoranda est; sed debet corda fidelium in laudibus Dei et gratiarum actione alacriter succendere, et ad solertiam cautelæ sollicita reddere. Quæ commotio et conturbatio quale habuerit initium, vel originem, non est penitus reticendum. Igitur cum Christianissimus et piissimus imperator domnus Ludovicus [b] bonæ conjugis fide et moribus sibi congruentis consortium amisisset, necesse fuit ut aliam sibi acciperet, quæ ei posset esse adjutrix in regimine et gubernatione palatii et regni. Sed occulto Dei judicio talis assumpta est, quæ licet in primis annis viri et domini sui virtute et potestate pressa, subdita fuerit, tamen in processu temporis talis inventa est, quæ magnorum fluctuum commotio et conturbationis largus thesaurus esse posset; quæ non solum plebes, ac populos, sive principes, verum etiam elegantissimos filios imperatoris, etiam conjugatos, et [c] gubernacula regnorum possidentes, affligeret, contristaret, et conturbaret, et pene attereret et exterminaret. Cumque talibus incrementis viderent hi quibus curæ erat de statu et honore regni, ac tranquillitate pacis, et quiete populi, dehonestari palatium, obscurari claritatem regni, et ad ignominiam deduci nomen regnantium, cœperunt queri, et murmurare, ac dolere, et deplorare. Inter hæc concitati sunt spiritus virorum honoratorum, et filiorum regis; et crescente colludio, accedente etiam consilio, convenerunt singuli de loco suo, et conjuncti ad palatium, effugaverunt ministros sceleris; et reginam, quæ totius mali causa erat, excluserunt de domo et honore regni, et constituerunt [d] in retrusionem exsilii; ac deinceps quasi jam liberatum bonum patrem de laqueo ruinæ, gaudebant se implesse quod inscriptum est : *Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ.* Hoc tam irreprehensibile factum et omni laude dignissimum cum complessent filii, redierunt ad sua, restituto patre honori et gloriæ suæ.

IX. His ita transactis, inimicus omnis boni, auctorque omnis mali, qui non reliquerat corda possessa, sategit instaurare et redintegrare malum suum; et regina (quæ mutato habitu regali putabatur perdurare in habitu sanctimoniali, sicut ordo poscebat et [e] rectitudo judicii docebat) reducta est

BALUZII NOTÆ.

pem, habebis pœnam. Apud Aulum Gellium lib. v, cap. 11 Noctium Atticarum. Quanquam istud ipsum de Bione deque Antisthene narrat in eorum Vita Diogenes Laertius, et de Socrate Valerius Maximus lib. VII, cap. 2.

[a] *Dicat omnis populus.* Sic omnino legendum est, non autem *apostolus*, ut editum est a Massono. Similem errorem nos ante hoc biennium emendavimus apud Salvianum in libro tertio de Gubernatione Dei.

[b] *Bonæ conjugis.* Irmingardis, quæ anno 818 mortua est v Non. Octobris.

[c] *Gubernacula regnorum possidentes.* Lotharium videlicet Italiæ, Ludovicum Bajoariæ, Pippinum Aquitaniæ.

[d] *In retrusionem exsilii*, in Aquitaniam videlicet eam deportantes, et in monasterio Pictaviensi includentes, uti jam diximus.

[e] *Rectitudo judicii poscebat.* Æquissima esset expostulatio Agobardi, si judicata adultera fuisset Judith, atque ob hoc ipsum publicæ pœnitentiæ addicta in monasterio. Verum jam antea vidimus istud per vim factum fuisse, ac sine lege et judicio.

in palatium, et assumpta in consortium quasi legitima conjux, [a] quod esse jam nullatenus poterat. Collocata itaque turpiter et indecenter in fastigio regali, prius malum auxit et multiplicavit. Ad quod bonus filius quid agere debuit? Nunquid dissimulare? Nunquid silere? Nunquid quiescere. Non ita placuit illi indormitabili oculo, qui custodit Israel suum; sed suscitavit spiritus filiorum, et convenerunt iterum ad succidendam recidivam malorum stirpem. Timebant enim ne patri eveniret illud quod de quodam rege Scriptura sancta loquitur, dicens : *Igitur non fuit alter talis ut Achab, qui venundatus est ut faceret malum in conspectu Domini. Concitavit enim eum Jezabel uxor sua, et abominabilis factus est.*

X. Sed forte aliquis diversæ voluntatis homo amovere nitatur hæc verba Scripturæ sanctæ, tanquam inconvenientia, eo quod sequatur, *in tantum, ut sequeretur idola Amorrhæorum.* Noverit quisquis ille est, non posse evacuari congruentiam in hoc loco. Quoniam tempore legis in veteri populo idola et simulacra significabant omnes errores in novo populo, tempore videlicet gratiæ. Nam et ipse ordo horum verborum ita intelligendus est : Abominabilis factus est diversis cupiditatibus et illecebris, ut etiam evidenter ad cultum rueret idolorum. Quisquis autem

A aliter hic sentire vult, penset qualiter contradicat Apostolo dicenti : *Et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus;* et videat quam veraciter dictum sit : *Radix omnium malorum est cupiditas : quam quidam appetentes, erraverunt a fide.* Si ergo cupiditas errare facit a fide, et avaritia simulacrorum est servitus; quod malum remanet, quod non de radice cupiditatis oriatur? Propter quod fideliter colligendum est, omnes appetitores divitiarum, gloriæ, et honoris sæcularis, atque primatus, quam non longe absint ab idolorum cultura.

XI. Hæc propterea dicimus, ut ostendamus mala et bona antiquorum, malis et bonis congruenter aptari, et his qui errant in novo populo. Et quanquam Achab concitante se uxore sua erraverit a

B fide; et ea auctrice perpetraverit facinus illud de morte Naboth Jezrahelitæ, correptus tamen ab Elia propheta, non correctus, compulsus est agere pœnitentiam : qua actione pœnitentiæ mala sibi imminentia distulit, non abstulit. Hoc si recte perpendatur, liquido demonstrat quantum noceant uxores malæ viris suis. Jehu autem, quem Dominus suscitavit in regem ad puniendam domum Achab et ejus deceptricem uxorem, licet æternam vitam non promeruerit, eo quod a peccatis Jeroboam non recesserit, quia studiose exercuit ultiones Domini de Jezabel, et domus

BALUZII NOTÆ.

[a] *Quod esse nullatenus poterat.* Exstat sane in libro quinto Capitularium lex, qua cavetur ne mulier, quæ sponte, aut invita, velum sanctum in caput acceperit, illud unquam dimittat. Hæc sunt verba capitis 113 ejusdem libri : « Qualicunque modo mulier, permittente canonice viro suo, aut eo defuncto, velum sanctum in caput acceperit, aut sponte, aut invita, in eo permaneat omnino, nec dimittat. » Sed istud, opinor, intelligendum est de vidua quæ se sponte velavit, non autem de muliere per vim velata. Nam quod ait lex, eam resilire non posse quæ etiam invita velata est, plane necessarium est ut intelligamus de ea quæ adulterii perpetrati convicta est, atque ob hoc ipsum in monasterio concludi jussa, volente marito. Nam nulla lex sinit uxores castas abduci a maritis, nisi ex consensu partium, ut vacent orationi, juxta consilium Apostoli. Sed tametsi daremus legem non esse ambiguam, nihil officeret causæ imperatoris. Nam neque Judith canonice velum susceperat, neque consentiente marito, sed per vim et metum. Itaque dubium non erat quin eam maritus repetere posset, si vellet. Aliud obtinebat de viduis. Nam illis deponere velamen sanctum non licebat, præsertim apud Langobardos cujus rei clara exstant documenta. Et quandoquidem occasio tulit, afferam exemplum istorum ferme temporum, de femina quadam Langobarda, quæ imperante Ludovico II Pii nepote multata est amissione bonorum suorum, ob eam videlicet causam, quod post susceptum velamen religionis, nubere præsumpserat. Res ita habet. Justo Gaustaldio, natione Francus, inter Langobardos habitabat, ibique uxorem duxerat nomine Gundi. Licebat sane ei vivere lege patria, si in initio habitationis suæ inter Langobardos professus fuisset apud judices, velle se vivere secundum legem Francorum. Sed maluit eligere legem Langobardorum, fortassis vi victus amoris, quod Gundi nollet alias ei nubere. Nam lex Langobardorum valde favorabilis erat uxoribus. Hæc ergo cum virum extulisset, desideriumque exstincti non posset pati, sanctimonialem habitum induit in monasterio sanctæ Mariæ, velumque sibi super caput imposuit, cum

C consensu Grimaldi Pinnensis episcopi, juxta legem Lotharii imperatoris, quæ exstat in libro II Legis Langobardor., tit. 6, cap. 4. Interim Sisenandus, homo Francus, cœpit ambire nuptias istius mulieris, uxoremque postea duxit. Hujus rei fama cum ad judices imperiales pervenisset, intentata lis est adversus Sisenandum uxoremque ejus a Maione advocato Ludovici imperatoris, qui feminam illam adulterii accusavit, juxta legem Langobardorum, quod post susceptum sacrum velamen, rursum viro se conjunxerat, ideoque personam substantiamque ejus parti palatii pertinere debere asserebat, *secundum legem.* Ea autem exstat in libro secundo Legis Langobardorum, tit. 6, cap. 1, et lib. II, tit. 37, cap. 1. At Sisenandus negavit eam induisse vestem religionis. Verum cum postea Maio probasset eam fuisse velatam, judices imperiales pronuntiarunt et Gundi ipsam et bona ejus fisco addicta ; indicta etiam multa solidorum sexcentorum Sisenando, et solidorum centum quinquaginta Amelfredo filio Justonis et Gundi, qui huic matrimonio consenserat : quæ multa Amelfredo indicta est juxta legem Luitprandi, quæ

D exstat in libro secundo Legis Langobardorum, tit. 37, cap. 1. Datum est autem judicium istud adversus Gundi in monasterio sanctæ Trinitatis Casauriensis anno 24 Ludovici II imperatoris, mense Decembri. Dein Ludovicus bona quæ fuerant Gundi, monasterio Casauriensi dedit III Kal. Maias, anno vigesimo quinto imperii sui, id est, anno 875. Verum quia bona quæ Justo dederat uxori suæ, non bene discreta erant a bonis liberorum, res iterum coram judicibus ventilata est in Teate anno 877 mense Augusto ; et curtis de Monactiano adjudicata est monasterio, peractaque præterea est bonorum Justonis divisio inter filios ejus et monasterium. Hanc historiam, quæ plurimas res continet notatu dignas, placuit paucis enarrare ; quam eruimus e veteribus actis illius ævi, quæ exstant in chartulario ejusdem monasterii, quæque post notas edita reperies, lector, beneficio Antonii Vionis Herovallii, viri clarissimi, horumque studiorum bono nati.

ejus quem illa concitaverat, concessum est ei ut filii ejus usque ad quartam generationem regnarent. Post eum beatus quoque Joiada et sanctus pontifex, qui Athaliam impiissimam interfici jussit, et Joas in solio patris collocavit, et Hierusalem a sordibus et immunditiis purgavit, tali eum laude exornat Scriptura divina, dicens : *Senuit autem Joiada plenus dierum, et mortuus est cum centum triginta esset annorum; sepelieruntque eum in civitate David cum regibus, eo quod fecisset bonum cum Israel, et cum domo ejus.* Ecce iste pius sacerdos, et temporali et æterna retributione remuneratus est; Jehu autem tantum temporali.

XII. Videamus quoque quid Samson contigerit, quem Apostolus in catalogo virorum justorum enumerat. B Amavit itaque mulierem non amantem se; quæ plus obtemperavit inimicis ejus, quam amico amanti se. Et quia ille vir justus credidit mulieri infideli, ideo et lumen oculorum amisit, et ducatum Israeliticæ gentis perdidit. Cui licet postea restituta sit virtus pristina, et ignominiosam vitam gloriosa morte finierit; æterna quidem vita non caruit, tamen ducatum pristinum non recuperavit. Sic ergo dignetur [a] domnus dudum imperator pie perpendere, ut cœleste et sempiternum regnum non perdat : qui deceptus a muliere, terrenum et temporale amisit. Cedat divinis judiciis, quia nihil in terra sine causa. Voveat et reddat Domino Deo terribili et ei quæ aufert spiritum principum. Bonorum enim regum est dicere : *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* C Hæc dicit beatus Job : qui conanti se decipere uxori suæ non consensit, sed rigida invectione redarguit dicens : *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Qui et in alio loco de Deo dicit : *Apud ipsum est fortitudo et sapientia. Ipse novit et decipientem, et eum qui decipitur.* Et : *Baltheum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum.* Et iterum : *Qui immutat cor principum populi terræ, et decipit eos ut frustra incedant per invium.* Quod et ipsi beato Job contingeret, si suasionem uxoris suæ libenter audisset. Ideo ergo terribilis Dominus, non tantum populis terræ, sed et ipsis principibus populi : A de quo quidam rex superbus et humiliatus confitetur coactus dicens : *Altissimo benedixi, et viventem in sempiternum laudavi, et glorificavi : quia potestas ejus potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt : juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ, et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei : Quare fecisti?* Et post pauca : *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico regem cœli : quia omnia opera ejus vera, et viæ ejus judicia, et gradientes in superbia potest humiliare.*

XIII. Neque ullo modo hæc idcirco dicimus, ut domnum quondam nostrum imperatorem impiis et infidelibus regibus comparemus. Sed quia permisit se a muliere iniqua decipi, contigit illi quod scriptum est : *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos.* Per quam conturbationem, et ventorum possessionem, perpetrata sunt innumerabilia perjuria, et deprædationes immensæ, cum homicidiis, adulteriis et incestis : pro quibus omnibus pœnitentiis necessarium est religiosissimo quondam imperatori, ut redeat ad cor suum, agatque pœnitentiam, humiliatus sub potenti manu Dei, cui non est impossibile tribuere illi exaltationem æternæ vitæ : quia exaltatio temporalis vitæ jam non congruit illi, qui conturbata domo et mente, divina dispensatione et judicio cessit alteri, et locum dedit non cuilibet inimico aut extraneo, sed charissimo filio. Propter quod in omni jucunditate et exsultatione cordis sui summas gratiarum actiones summo omnipotenti Deo indesinenter persolvere debet; quia, sicut semper optavit, non successit illi in regnum inimicus expugnator, sed filius amator. Nunc ergo audiant omnes in commune tumultuosi et quieti Prophetam dicentem : *Sileat omnis terra a facie Domini.* Et Psalmistam : *Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt,* et cætera.

BALUZII NOTÆ.

[a] *Domnus dudum imperator.* Vel hic locus ostendit librum hunc apologeticum fuisse scriptum, haud ita multo post exauctorationem Ludovici Pii, id est, D anno 833. Nam anno sequenti imperator restitutus est in conventu episcoporum habito Kalendis Martiis in monasterio sancti Dionysii.

## AGOBARDI CHARTULA

*Porrecta Lothario Augusto in synodo Compendiensi, anno 832* [a].

In nomine Dei ac Domini nostri Jesu Christi. Anno incarnationis ejus octingentesimo tricesimo tertio, ego Agobardus Lugdunensis Ecclesiæ indignus episcopus interfui venerabili conventui apud

BALUZII NOTÆ.

[a] Titulum hunc nos fecimus huic libello, pro eo quod editio Massoni sic habebat : *Publica L. imperatoris coram amplissimo episcoporum conventu pœnitentia Agobardo præside :* qui titulus non exstat in veteri codice. Sane vel ex eo fallit hic titulus, quod huic conventui præfuisse ait Agobardum. Nos itaque hunc librum *Chartulam* inscripsimus, propter auctoritatem Actorum exauctorationis Ludovici; in quibus, post enarrata quæ in Compendiensi synodo acta sunt adversus optimum principem, demum hæc leguntur : « His itaque gestis, placuit ut unusquisque episcoporum, qualiter hæc res acta fuerit, in propriis

palatium quod nuncupatur [a] Compendium : qui uti- A que conventus exstitit ex reverentissimis episcopis, et magnificentissimis viris illustribus, collegio quoque abbatum et comitum, promiscuæque ætatis et dignitatis populo, præsidente serenissimo et gloriosissimo Lothario imperatore, et Christi Domini amatore; quo protegente et adjuvante subter annexa disposita sunt anno imperii primo, [b] mense quarto. Quibus omnibus vehementer incumbebat vera necessitas, ut sollicite tractarent de periculo regni in præsenti, et statu in futuro : quod regnum, quia jamdiu nutabat, et impellebatur ad ruinam per negligentiam, et (ut verius dicam) [c] per ignaviam domni Ludovici venerandi quondam imperatoris, in quibus ille irretitus est per corruptas mentes et corrumpentes, et secundum apostolicum di- B ctum : Quia erant ipsi errantes, et alios in errorem mittentes. A quo conventu quidquid utiliter et laudabiliter tractando et conferendo inventum est, et necessario statuendum, et judicantibus consensi et consentiens ipse judicavi. In primis videlicet quæ ad commoditatem et soliditatem regni et regis pertinere videbantur, deinde quæ ad ereptionem et purgationem animæ domni Ludovici, manifestissime noscebantur : quæ in prædicto conventu fideliter quæsita, et veraciter inventa, et ordinabiliter exsecuta sunt, in eo scilicet quod prædictus conventus deliberavit, ut [d] per legatos et missos admoneretur domnus Ludovicus de suis erroribus, et exhortaretur ut secundum propheticum dictum rediret ad cor, et recognosceret acta sua, quæ adversus Deum C currens per vias pravitatis et injustitiæ exegerat, ac deinceps susciperet consilium vitæ et salutis suæ; quatenus apud omnipotentem Judicem et Dominum, qui clementissimus indultor est criminum, indulgentiam et remissionem iniquitatum impetrare posset; ut qui per multiplicatas negligentias regnum terrenum amiserat, per impensas supplices confessiones regnum cœleste adipisceretur per eum apud quem est misericordia et copiosa redemptio. Propter quod et [e] libellus editus est a viris diligentioribus, et ei oblatus, de manifestatione criminum suorum ; in quo velut in speculo perspicue conspiceret feditatem actuum suorum, et fieret in illo quod per pœnitentem perfectum dictum est : *Iniquitatem meam ego agnosco, peccatum meum coram me est semper.* Pro qua re accesserunt ad eum denuo omnes qui in prædicto conventu aderant episcopi, condolentes et compatientes infirmitatibus et miseriis ejus, exhortantes atque exorantes et postulantes ut omnipotens Deus manu pietatis suæ educeret eum de lacu miseriæ et de luto cœni. Quod clementissimus Dominus non solum non abstulit, sed nec distulit. Sed mox resuscitata in mente ejus contritione humiliati cordis, prostratus coram eis, non semel, vel iterum, sed tertio, aut amplius, crimina cognoscit, veniam poscit, auxilium orationum precatur, consilium recipit, pœnitentiam postulat, injunctam sibi humilitatem libentissime impleturum promittit. Innotescitur ei lex et ordo publicæ pœnitentiæ. quam non renuit, sed ad omnia annuit ; ac demum [f] pervenit in ecclesiam coram cœtu fidelium, ante altare et [g] sepulcra sanctorum. Et prostratus super cilicium, bis terque quaterque confessus in omnibus clara voce cum abundanti effusione lacrymarum, depositis armis manu propria, et ad crepidinem altaris projectis, suscepit mente compuncta pœnitentiam publicam [h] per manuum episcopalium imposi-

BALUZII NOTÆ.

chartulis insereret, eamque sua scriptione roboraret, et roboratam memorato principi Lothario ob memoriam hujus facti offerret. Ad extremum, omnibus nobis qui interfuimus visum est, omnium chartularum, imo tanti negotii summam in unum breviter strictimque congerere, etc. » Unde patet unumquemque episcopum chartulam suam porrexisse Lothario ante solutam synodum : quod nos quoque factum monuimus ab Agobardo in titulo libelli istius.

[a] *Compendium*, in diœcesi Suessionensi situm, ad Isaram fluvium.

[b] *Mense quarto*, id est, mense Octobri, quo peracta est nefanda illa optimi principis exauctoratio. D

[c] *Per ignaviam domni Ludovici.* Hæc perfidorum querela, regnum Francorum, quod sub Carolo Magno immensum fuerat amplificatum, regnante Ludovico ruere. Sic enim habent Acta exauctorationis ejus : « Et quomodo in processu temporis, per ejus improvidentiam vel negligentiam in tantam venerit ignominiam et vilitatem, ut non solum amicis in mœstitiam, sed etiam inimicis venerit in derisionem. »

[d] *Per legatos et missos.* Ita enim inquiunt episcopi in eisdem Actis : « Nos tamen memores præceptorum Dei, ministeriique nostri, atque beneficiorum ejus, dignum duximus ut per licentiam memorati principis Lotharii legationem ad illum ex auctoritate sacri conventus mitteremus, quæ eum de suis reatibus admoneat. »

[e] *Libellus editus est.* Acta exauctorationis : « Super quibus chartulam, summam reatuum suorum, unde illum specialiter redarguerent, continentem, ei dederunt, quam ille in manibus gestabat. » Exstat eadem chartula, sive libellus, ut vocat Agobardus, in eisdem Actis, ubi in octo capitula divisus est.

[f] *Pervenit in ecclesiam.* Acta exauctorationis : « Veniens igitur idem dominus Lodeuvicus in basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, ubi sanctorum corpora requiescunt Medardi videlicet confessoris Christi atque pontificis, nec non Sebastiani præstantissimi martyris, etc. » Verum, ne quis in hoc erret, istud peractum non est apud Compendium, tametsi illic habita fuerit prædatoria illa synodus ; sed in civitate Suessionensi, in monasterio sancti Medardi, ubi Ludovicus in custodia detinebatur jussu Lotharii.

[g] *Sepulcra sanctorum*, Medardi videlicet et Sebastiani.

[h] *Per manuum episc. impos.* Acta exauctorationis : « Deinde cingulum militiæ deposuit, et super altare collocavit ; et habitu sæculi se exuens, habitum pœnitentis per impositionem manuum episcoporum suscepit. » Peractum id facinus ab Ebbone archiepiscopo Rhemensi, ut patet ex Narratione clericorum Rhemensium de depositione ac restitutione Ebbonis : « Lotharius veniens per imperialia palatia, adduxit secum patrem suum usque Suessionis ad monasterium S. Medardi. Ibique, hortantibus et jubentibus cæteris episcopis seu primoribus regni, coactus est Ebbo, quia in diœcesi ejus erat, illi imponere publicam pœnitentiam. Unde nimiam et perpetuam ejus incurrit offensam. » Vide etiam Theganum cap. 44.

tionem, cum psalmis et orationibus. Sicque deposito habitu pristino, et assumpto habitu pœnitentis, congratulans et confidens, postulat piissimi pastoris humeris reduci se ad inventæ et redemptæ ovis unitatem. His gestis ego Agobardus indignus episcopus interfui, et melioribus consonans et consentiens judicavi, et manu propria signans subscripsi.

# AGOBARDI

## EPISTOLA AD EBBONEM EPISCOPUM RHEMENSEM, DE SPE ET TIMORE.

Magnificentissimo ac desideratissimo domno patri et fratri Ebboni Ecclesiæ Rhemorum episcopo Agobardus in Domino Deo æternam salutem.

Cum quadam die valde diligenda, honoranda atque laudanda devotio tua præcipue mihi (cui gratis, id est, absque merito, sola tua te benignitate instigante, piam amicitiam impendis) et manibus gestaret et ore proferret ea quæ ad ædificationem bonarum mentium pertinent, cognoverunt qui præsentes aderant solertissimam intentionem tuam velle secum semper habere de Scripturis divinis aliqua, in quibus non solum in equum ascendens, sed etiam de equo descendens, pro locis et temporibus congruæ quantitatis secundum beatum virum, *qui non abiit in consilio impiorum*, in lege Domini meditareris die ac nocte; quatenus vere esse possis tanquam lignum juxta fluenta Scripturarum plantatum, cujus omnia prosperantur quæ facit : et quæ facit? utique poma et folia, quæ intelliguntur facta et dicta; ut poma sint in actibus, folia in verbis; cujus ligni folium non defluit : quia (secundum quod scriptum est de Samuele, *Non cadit de omnibus sermonibus ejus in terra*) curat sollicite, ne quid frivolum vel inane proferat, quod oblivione potius quam memoria dignum sit. Sic enim Apostolus unanimem comitem instruit, dicens : *Ineptas autem et aniles fabulas devita* ; et iterum præcipit denuntiare quibusdam, *ne intendant fabulis et genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem quæ est in fide*. Et iterum : *Profana autem et inaniloquia devita. Multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.*

Igitur Deo devota et fidelis sanctitas tua cum mihi dignaretur talia pandere, suggestum est a me ut in primis juberes tibi scribere in eodem quod gestabas Enchiridion, de divinis libris arduas et difficiles sententias ad observandum, quæ præcipuæ sunt ad deprimendas per timorem mentes hominum, ne elevari possint in vanam præsumptionem; et his diu diligenterque perspectis, juberes demum talia quæ viderentur congrua, [a] proprio inserere manuali. Cumque hæc ego suggessissem, dignatus es præcipere, ut ego inchoarem sicut mihi videbatur, et sanctitati tuæ dijudicanda transmitterem. *Omnis* itaque *Scriptura divinitus*, ut ait Apostolus, *inspirata, utilis est ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Quæ Scriptura, tantæ perpetuitatis est, ut auctor illius, sempiterna Veritas, Verbum et sapientia Patris, Dominus et Redemptor noster testetur de illa, dicens : *Facilius est cœlum et terram transire, quam de lege unum apicem cadere*. Et iterum : *Cœlum et terra transibunt, verba vero mea non transient*. Cumque hæc perennia verba, plena sint regulis morum, ac disciplinarum, atque virtutum, operis, et fidei, inter cætera exstant duæ res penitus necessariæ moderationi mentium humanarum, id est, spes et timor, de quibus sacerdotibus et omnium plebium doctoribus Dominus mystice per legem præcipit dicens : *Non auferes loco pignoris superiorem et inferiorem molam*. Quæ molæ licet utrumque testamentum recte figurare possint, intelliguntur tamen utiliter spes et timor; ut inferior dicatur timor, superior spes. Cui autem una defuerit, farinam facere non potest : quia in mente sua nihil sanum pertractare potest, quem aut timor sine spe premit, aut spes sine timore levat. Unde Psalmista in utrumque conjungens dicit : *Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus*. Judas denique proditor, post Dominicam traditionem, quia sine spe timuit, dicens : *Peccavi tradens sanguinem justum*, ideo abiens laqueo se suspendit, et crepuit medius, atque effusa sunt viscera ejus. E contrario autem, quia sine timore sola spe elevabantur illi qui Domino respondebant, *Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam*, dedignati sunt credere in Salvatorem, quia præsumebant non se esse salvandos, sed salvatos : cujus rei exemplis tota est plena Scriptura divina. Semper autem necesse est ut hæ duæ molæ fidelium mentibus incessanter adsint; ut quia spes animum semper erigit, metus autem pre-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Proprio inserere manuali*, id est, libro qui semper est in manibus. Unde sic loquitur ipse Agobardus in fine istius epistolæ : « Maxime quia et vos tale fieri jussistis opus, quod paulisper manu gestetur, non quod in armario vel in scrinio reservetur. » Quamobrem Duodena, Bernardi ducis uxor, cum monita scriberet ad filium suum Willelmum, librum illum monitorum inscripsit Manuale, hoc modo : *Liber Manualis Duodenæ, quem ipsa misit ad filium suum Willelmum*. Viderat unum libri istius exemplar vir clarissimus Gulielmus Catellus senator Tolosanus. Aliud vero nos diu habuimus in potestate, vivente illustrissimo viro Petro de Marca archiepiscopo Parisiensi, qui illud postea dono dedit clarissimo viro domno Lucæ Dacherio monacho Benedictino congregationis sancti Mauri.

nit, et metus spem et spes temperet metum; ac ne spes in superbiam erigat, metus continuo adjacens mentem premat; rursum, ne immoderatus metus animum in desperationem obruat, hunc confestim spes erigat. Metus namque, si sine spe fuerit, desperatio rectius vocatur. Spes vero, si fuerit sine metu, vana præsumptio esse monstratur. Tali namque temperamento, quasi quodam antidoto, vult nos cœlestis medicus uti; ut pote qui solus est scrutator et cognitor internarum infirmitatum, cui dicitur: *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Quique dicit: *Ego sum scrutans renes et corda.* Cujus sermo est vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et est discretor cogitationum et intentionum cordis; sciens mentem humanam his duabus virtutibus in meditullio stabiliter posse servari. Cum hæc ergo ita sint, visum mihi est ut primum de illis sententiis quæ ad inferiorem molam pertinent, id est, ad ineffabilem terrorem mentium, quoniam sunt nimis arduæ, aliqua describam; ut quia præceptum nobis est ut cum timore et tremore nostram ipsorum salutem operemur, et omnes fideles salutem desiderant, prius illa cum quibus salus operatur, id est, timor et tremor, in studiis nostris fundentur; ut superponenda, quia faciliora sunt, istarum impulsione necessario requirantur. Nam et naturale est animæ humanæ, ut timorem non sine quadam molestia tolerans, rursum sponte ad spem recurrere festinet, quæ lætior putatur; quanquam timor non sit minus necessarius et utilis. Quia igitur si de omnibus divinis libris hujusmodi sententias excerpimus, nimis prolixum opus efficitur, illas nunc nobis assumere sufficiat quæ in promptu habentur; et magis in usu; maxime quia et vos tale fieri jussistis opus, quod paulisper manu gestetur, non quod in armario vel in scrinio reservetur. Hæc mihi igitur [a] inchoanti obtulit se prima illa sententia septimi psalmi, quam cantamus, dicentes: *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi malum, decidam merito ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus meus animam meam, et comprehendat et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.*

Multa desunt.

BALUZII NOTÆ.

[a] *Inchoanti obtulit se.* Vel ex eo loco constat multa hic deesse, et inchoationem hoc potius libri esse, quam librum. Quo factum est ut in fine hæc addi voluerimus, tametsi in manuscripto codice non existent, *Multa desunt.*

## AGOBARDI LIBER DE DIVINA PSALMODIA.

Quia [a] nuper stultus et improbus, ipsaque stultitia et improbitate sua omnibus notus calumniator erupit, qui sanctam Ecclesiam nostram, id est, Lugdunensem, non solum verbo, sed etiam scriptis lacerare non cessat, quasi non recte, nec more paterno sive usu, divinæ decantationis solemnia peragentem, necesse fuit omnem sacrorum officiorum seriem, quæ solito cantorum ministerio per totum anni circulum in ecclesiasticis conventibus exhibetur, sicut in eadem Ecclesia favente Dei gratia custoditur, diligentius et plenius in libello quem usitato vocabulo Antiphonarium nuncupant, colligere, atque digerere; præmissa scilicet præfatione [b] pii et orthodoxi Patris, cujus probatissima fides atque doctrina in munere Domini Dei nostri omnibus examinata ac declarata celebriter innotuit; ut omnes pacifici et prudentes Ecclesiæ filii, in quorum manus ejusdem libelli textus venerit, verissime et evidenter agnoscant præfatam Christi Ecclesiam, eodem Christo Domino gubernante ac protegente, nec a recto fidei tramite deviasse, et paternum morem, quem statuta ecclesiastica declarant, fideliter custodire, ac per hoc ab antiquo Ecclesiæ Dei usu nullatenus discrepare, [c] nec contemnere alicujus diversum morem, si constat esse probabilem; sed, juxta Apostolum, ea quæ utiliora et potiora sunt sequi. Ait namque.

BALUZII NOTÆ.

[a] *Nuper stultus et improbus.* Aut valde fallor, aut intelligit Amalarium diaconum. Quo factum est, ut cum postea Amalarius libros quatuor edidisset de divinis Officiis, eum talione momorderit Agobardus, libros illos ad vivum excutiens. Hunc porro affectum adversus Amalarium Floro Lugdunensique Ecclesiæ inspiravit hic noster episcopus. Nam eo defuncto, Florus acriter invectus est in Amalarium in epistola nomine Ecclesiæ Lugdunensis scripta in causa prædestinationis. Hæc sunt verba Flori, sane multum aculeata: « Multum moleste et dolenter accipimus ut ecclesiastici et prudentes viri Amalarium de fidei ratione consulerent; qui et verbis et libris suis, mendaciis et erroribus et phantasticis atque hæreticis disputationibus plenis, omnes pene apud Franciam Ecclesias et nonnullas etiam aliarum regionum, quantum in se fuit, infecit atque corrupit; ut non tam ipse de fide interrogari quam omnia scripta ejus saltem post mortem debuerint igne consumi. » Amalarius ergo nonnulla reprehenderat in cantu Ecclesiæ Lugdunensis, intemperantia haud dubie linguæ stylique, seu quia magnis interdum ingeniis pro ludo est aliorum facta dictaque carpere. Pupugit ista audacia Agobardum, neque dissimulavit. Itaque ea fuit scribendi libri istius causa et occasio.

[b] *Pii et orthodoxi Patris*, Leidradi archiepiscopi Lugdunensis; qui cantum in Ecclesia Lugdunensi disposuerat, ut patet ex epistola ab eo scripta ad Carolum Magnum.

[c] *Nec contemnere al. div. morem.* Præclare admodum. Nam unaquæque Ecclesia peculiares suas consuetudines habere potest, quæ tamen fidei contrariæ non sint; uti pluribus diximus ad epistolam ad Nibridium Narbonensem. Vide Gratianum dist. 12.

*Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi.* Et alio loco : *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* Et alibi : *Æmulamini autem charismata meliora.* Et iterum : *Nolite pueri effici sensibus.* Sed et reverenda concilia Patrum decernunt nequaquam [a] plebeios psalmos in Ecclesia decantandos, et [b] nihil poetice compositum in divinis laudibus usurpandum. Inter quos etiam beatus papa Gregorius docet quod non pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sint. Et fortius commendans nobis, quod sicut nequaquam pro locis, ita nec pro quibuslibet personis, sive consuetudinibus temporum, res sectari debeamus, non est veritus in ipsa Romana Ecclesia quædam in sacris officiis et ministeriis reprehensibilia etiam sub anathematis damnatione resecare; sicut ejus decreta palam ostendunt (Vide lib. *Correct. Antiph.*, cap. 15, infra). Quod si prædictus calumniator humiliter et obedienter pensare studuisset, nequaquam ad tantam deveniret fatuitatem, ut verba quorumlibet hominum, quorum nec nomina, nec sensum, nec fidem novit, tanquam divinas Scripturas defenderet, et per phantasticas ac ridiculosas allegorias explanare conaretur. Certe si quid sanum cogitare vellet, sufficeret ei ad omnem emendationem et silentium, quod sicut in diebus ad missas non nisi divina generaliter eloquia decantantur, ita et in noctibus ad sacras Deo vigilias exhibendas eadem procul dubio lex debeat observari. Unus nempe omnipotens Dominus utroque tempore laudatur, uni Domino tempus utrumque famulatur, cui dicitur : *Tuus est dies, Domine, et tua est nox. Tu fabricatus es auroram et solem.* Sed ejus stultus et irritus labor prudentibus et minime contentiosis ac Deum timentibus majorem incutit sollicitudinem, ut propter hujusmodi nævos et errores cavendos vivacius et attentius divinæ auctoritati et ecclesiasticis statutis inhæreant. Hæc namque fidei cautela, et sincerissima observantiæ disciplina, ut in templo Dei et coram divino altari divinorum tantummodo eloquiorum melodia celebretur, etiam Veteris Testamenti auctoritate et exemplis nobis firmissime commendatur : ubi in libro Para-

A lipomenon legitur, quod beatus David rex et propheta Dei primus choros Levitarum laudantium Dominum in tabernaculo sive in templo constituerit, eisque psalmos et hymnos et cantica divinitus sibi et cæteris, qui cum eo prophetabant inspirata tradiderit, ac mane et vespere inter divina holocausta et sacrificia decantanda decreverit. Quem morem a sanctis prophetis traditum, et a sequentibus patribus diligentissime custoditum, usque ad tempus Novi Testamenti, quo jam templum illud destrui oportebat, religiosa constat observatione perductum. Unde summopere necesse est, ut si vere absque offendiculo vel hæsitatione divinas laudes cupimus celebrare, totos nos divinis sermonibus, in quibus nullus est error, nulla ambiguitas, coaptemus; sicut

B de præfatis Levitis, antiquis divinæ laudis cantoribus, idem Paralipomenon liber replicat, dicens : *Levitæ vero ut stent mane ad confitendum et canendum Domino, similiterque ad vesperam, tam in oblatione holocaustorum Domini, quam in sabbatis, et kalendis, et solemnitatibus cæteris.* Et iterum in dedicatione templi sub Salomone dicitur : *Et dedicavit domum Domini rex et universus populus. Sacerdotes autem stabant in officiis suis, et Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David rex ad laudandum Dominum, quoniam in æternum misericordia ejus, hymnos David canentes per manus suas.* Item in emendatione et purificatione ejusdem templi sub Ezechia scriptum est : *Præcepitque Ezechias et principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus Da-*

C *vid, et Asaph videntis, qui laudaverunt eum magna lætitia.* Similiter etiam sub Josia in celebratione Phase. *Porro cantores*, inquit, *filii Asaph stabant in ordine suo juxta præceptum David, et Asaph, et Heman, et Idithim prophetarum regis.* Quod totum quam sancte et religiose fuerit institutum, quam dulciter ac reverenter sit imitandum inter cætera beati David magnifica, ita liber Ecclesiasticus in ejus laudibus prosequitur, dicens: *In omni opere dedit confessionem sancto et excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum, qui fecit illum, et dedit illi contra inimicos potentiam; et stare fecit cantores contra altare, et in*

D *sono eorum dulces fecit modos. Et dedit in celebra-*

BALUZII NOTÆ.

[a] *Plebeios psalmos.* Sumptum est istud ex canone ultimo concilii Laodiceni, in quo sic scriptum est: *Quod non oporteat plebeios psalmos in Ecclesia cantare, nec libros, præter canonem, legi; sed sola sacra volumina Novi Testamenti, vel Veteris.* Prohibet ergo canon, ne psalmi plebeii, id est, a privatis imperitisque hominibus compositi, in Ecclesia recitentur. Invaluerat enim hæc consuetudo, (quemadmodum ad hunc canonem Laodicenum observavit Justellus, et Henricus Valesius ad librum VII, cap. 24 Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii) ut multi psalmos et hymnos in honorem Christi componerent, eosque in Ecclesia cantari facerent : quod ex variis Eusebii locis probant. Hujusmodi ergo psalmos in Ecclesia deinceps cani vetuit synodus Laodicena, indignum majestate Dei credens, si aliis quam sacrorum librorum verbis Deum laudaret populus Christianus.

[b] *Nihil poetice compositum.* Censet Agobardus levia carmina et faciles versus, cujusmodi sunt quæ *moteta* hodie dicimus, non esse canenda in Ecclesia. Neque Agobardo solum displicuit usus ille. Displicuit enim etiam magno viro Gulielmo Durandi, episcopo Mimatensi; cujus hæc sunt verba ex libro secundo de Modo generalis concilii celebrandi, cap. 19 : « Videretur valde honestum esse quod cantus indevoti et inordinati motetorum et similium non fierent in ecclesia, cum reprobetur 92 dist. *Cantores.* » Verum durat adhuc in Ecclesia mos ille, quem tolli abolerique debere senserunt magni illi viri. Quid enim vulgatius, quam ut levia carmina, et modulationi apta, cantentur in Ecclesia ? Neque id tantum aliquoties, ut casu videri possit ; sed vertente anno quolibet, in die natali Domini nostri Jesu Christi. Unde et carmina illa recepto jamdiu vocabulo nominantur *Noëls*, id est, Natalia carmina.

*tionibus decus*, *et ornavit tempora usque ad consummationem vitæ, ut laudarent sanctum nomen Domini, et amplificarent mane Dei sanctitatem.* Sed et in Libro Samuelis hæc psallendi gratia spiritalis in eodem rege sanctissimo prædicatur, ubi legitur : *Dixit David filius Isai : Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel : Spiritus Dei locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.* Huic igitur tam sanctæ auctoritati et tam perspicuæ veritati non est dubium quod fidelis et A disciplinatus quisque libenter acquiescat. Si quis autem contentiosus et pertinax contradicere conatur, et de turbulento magis rivo, quam de purissimo fonte potare voluerit, viderit ne illo ægrotet languore nimis pernicioso, quem quidam antiquorum patrum sapienter et breviter cavendum admonuit, dicens : *Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est et malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus, cujus inspiratione Ecclesia ejus instruitur.*

# AGOBARDI LIBER DE CORRECTIONE ANTIPHONARII.

I. Dilectissimis in Christo fratribus et præcipue [a] cantoribus Ecclesiæ Lugdunensis Agobardus in eodem Christo Domino et Salvatore nostro sempiternam salutem.

In divinis laudibus exsolvendis quanto studio fugienda sit levitas, gravitasque sectanda, frequenter dilectioni vestræ in mutua collocutione suggessimus; scilicet ut rationabili consideratione, sicut prudentes Ecclesiæ filii, et rationabili ejus lacte ab incunabulis enutriti, quod Deo displicet refugientes, concordi studio id quod gratum acceptumque ei, verbis sicuti et factis sectaremini. Si enim apud graves et sapientes viros, non solum morum, sed etiam verborum levitas reprehensibilis judicatur, quanto magis apud Deum totius sanctæ gravitatis ac sapientiæ auctorem, cui Psalmista dicit : *In po-* C *pulo gravi laudabo te*, et cui nos Apostolus rationabile obsequium admonet exhibere. Neque vero passim, et absque diligenti examinatione, quod cuique visum fuerit in Dei laudibus usurpandum est, cum dicat Apostolus : *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.* Unde et apostoli humanæ ignorationis conscii, orandi formulam a Deo petiere, dicentes : *Domine, doce nos orare.* Certe manifestum est majus esse Deo quempiam digne laudes exsolvere, quam pro infirmitate propria exorare ; præsertim cum hoc præsentis vitæ fine terminetur, illud vero hic inchoetur, in futuro autem perficiatur, juxta quod Psalmista ait : *Beati qui habitant in domo tua, Domine ! in sæcula sæculorum laudabunt te.*

II. Si ergo orantes doctrina sancti Spiritus indi- B gemus, multo magis cum Deo laudes offerimus : quia sicut nemo nisi ipso inspirante secundum Deum postulat, ita nullus nisi eo erudiente Deum digne collaudat. Non ergo cujuscunque figmentis, sed Spiritus sancti eloquiis majestas divina laudanda est. Denique et filii Aaron ignem alienum Domino offerentes, non obsequii remunerationem, sed damnationem præsumptionis experti sunt. Unde hoc nos exemplum summopere vitantes, illud sollicite attendamus quod vel in Proverbiis scriptum est : *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se. Ne addas quidquam verbis illius, et arguaris, inveniarisque mendax.* Nihil itaque Dei verbis addentes, et timentes argui invenirique mendaces, verbo Dei ignito, qui clypeus spei est, tempore orationis et laudis inflammemur pariter et muniamur. Cumque Dominus dicat : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*, omnia humana figmenta, quæ vanitate sui mortua judicanda sunt, respuentes, viventibus Christi eloquiis in ipsius obsequiis personemus ; quatinus voces nostræ, non quasi alienæ ab eo respui, sed ut propriæ cum supernis virtutibus, quæ majestate Dei trementes adorant atque collaudant, mereantur admitti.

III. Hac de causa et Antiphonarium pro viribus nostris magna ex parte correximus, amputatis his quæ vel superflua, vel levia, vel mendacia, [b] aut blasphema videbantur. Et vos frequenter admonuimus, et tenorem admonitionis nostræ propter aliquorum præsentes seu futuras querimonias in fronte D ejusdem libelli ponere necessarium duximus : non generale aliquid statuentes, sed juxta mediocritatem sensus nostri in domo Dei, cujus nobis cura commissa est, quod possumus offerentes : nec de sensu

BALUZII NOTÆ.

[a] *Cantoribus ecclesiæ lugdun.* His commendatio accessit ex cura Leidradi : qui, ut ipse ad Carolum Magnum scribit, tanta cura procuravit sacra ministeria in Lugdunensi ecclesia, ut etiam haberet scholas cantorum, ita eruditorum, ut alios etiam erudire possent.

[b] *Aut blasphema.* Fuere qui Agobardum nimiæ in hoc argumento scrupulositatis arguerent, damnantem nimis facile nonnullas antiphonas, nonnullaque responsoria, quæ licet ex sacris libris desumpta non sint, pia tamen potius sunt quam impia. Et audio easdem antiphonas, quas hic damnat Agobardus, hodie quoque exstare in Breviario Lugdunensi. Certo exstant in Breviario Ecclesiæ Parisiensis. Unde constat, res semel receptas in Ecclesia, non facile mutari, cautosque in his rebus debere esse pontifices, ne ministerium eorum vituperetur. Quidni? quandoquidem et Agobardi cura irrita fuit. Sic Urbanus VIII hymnos correxit. Et tamen semper hymni antiqui canuntur in Ecclesia, neque hactenus inventus est quisquam qui notas apponeret hymnis ab Urbano correctis.

nostro aliquid præsumentes; sed Scripturæ sanctæ A auctoritatem, et sacrorum canonum sanctionem, catholicorumque patrum instituta et exempla sectantes. De quibus antequam aliquid proferamus, congruum videtur, exempli gratia, nonnullas ineptias quæ præfato continebantur libello, notare breviter, ac leviter redarguere; ut ex his perpaucissimis evidentius agnoscatur quam necessario quæ in sequentibus dicturi sumus, a patribus constituta sint, quantoque timore ac sollicitudine eorum scita nobis expediat observare.

IV. Ac primum, quale illud est, quod in vigilia Natalis Domini in choro fidelium et fidelium eruditorum cantabatur: *Dum ortus fuerit sol de cœlo, videbitis Regem regum procedentem a Patre tanquam sponsum de thalamo suo?* Certe fides catholica ha- B bet Verbum Dei, quod in principio erat apud Patrem, in thalamo uteri virginalis conjunxisse sibi sponsum; cujus naturam in unitate personæ suscipiens, caro factum est ut habitaret in nobis. Naturæ enim nostræ unitus, tanquam sponsus de thalamo virginali, processit ex utero; et non eam de cœlis attulit, sicut hæretici affirmare ausi sunt. Ac per hoc non tanquam sponsus de thalamo processit ex Patre. Verbum quippe Dei, Filius Dei, processit a Patre, et venit in mundum. Nec aliud fuit venire in mundum, quam in utero Virginis naturæ humanæ veritatem assumere, in qua visibilem se præberet mundo. Hanc igitur humanitatis nostræ naturam, cui unitus sponsus Ecclesiæ factus est, non de sinu Patris traxit, sed de carne Virginis sumpsit. C

V. Est præterea in prædicta antiphona notanda temeritas, evidensque mendacium; dum et sacræ Scripturæ verba sui sensus perversitati coaptat, et nativitatem Salvatoris, qua vel de Patre ante sæcula, vel de matre in plenitudine temporum natus est, tanta confusione permiscet, ut de qua loqui velit, intelligi omnino non possit. Quod summopere ubique cavendum est, ne divinorum verborum ordo mutetur, et de scriptura veritatis labyrinthus texatur erroris.

VI. Illud etiam responsorium, quod in eisdem vigiliis cantabatur, quanta fidei severitate rejiciendum est, in quo ait vanus ille præsumptor: *De illa occulta habitatione sua egressus est Filius Dei, descendit visitare et consolare omnes qui eum de toto* D *corde desiderabant.* Quod cum sermonum imperitia, tum sensus quoque absurditate ac falsitate turpatur. Nam et occultam Filii habitationem summa levitate dixit; et eum omnes desiderantes se visitasse, consolatumque esse mendaciter asseruit, cum potius eos quos visitare dignatus est, se agnoscentes ac desiderantes effecerit.

VII. Considerentur etiam verba alterius responsorii, quod quasi de mysterio nativitatis Christi compositum, contra morem nocturni officii ab eminentiori loco pompatice concrepabat: *Descendit de cœlis missus ab arce Patris* [a] *introivit per aurem Virginis in regionem nostram, indutus stola purpurea, et exivit per auream portam lux et decus universæ fabricæ mundi.* Ubi primum, qui descenderit non designat. Arcem vero Patris quid dixerit, ipse quoque penitus ignoravit. Nunquid est aliquod ædificium cœleste, aut percœleste, quod factum sit ab eo, aut aliud aliquid quod non est ipsum quod Pater, aut est ipse Pater? Quod si est, quomodo sibi est arx? Nec per aurem Virginis Verbum Dei introisse, catholicæ aures ferunt: quia cum sit incorporeum, et totum ubique præsens, nec localiter accedit, nec aditu corporeo indiget. Nisi forte nobis persuadere voluit angelicorum sono verborum sacram Virginem Dei Filium concepisse. Quod quantum a fidei veritate discordet, ex verbis ipsius angeli perspicuum est; qui ipsi Virgini interroganti: *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* Respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quomodo autem virginalis uterus regio nostra possit intelligi, cum et virgo illa unici Filii mater sit, et nos omnes non ex virginea sed ex corrupta carne nascamur, prorsus inveniri non potest. Deinde quod eum stola indutum purpurea aurem dicit Virginis introiisse, sive humano more cultu regio indutum, sive humanam formam non ex Virgine suscepisse, sed de cœlo Dei Verbum attulisse putaverit, eamque stolam purpuream appellarit, apertissimæ blasphemiæ est. Jam vero per auream portam eum exiisse, quanta vanitate proferre ausus est; cum nativitas Christi ex Virgine non supervacuis verbis adumbrari, sed confessione simplici debeat declarari; qui non, ut ille ait, universæ fabricæ mundi, sed juxta veritatem evangelicam rationalis tantummodo creaturæ lux est.

VIII. Aliud quoque responsorium de verbis Evangelii, sed non ordine evangelico, quod jam utique correctum a vestra dilectione psallitur, nescio quis composuit, dicens: *Tenebræ factæ sunt dum crucifixissent Jesum Judæi; et circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna: Deus, Deus, ut quid me dereliquisti? Tunc unus ex militibus lancea latus ejus perforavit, et inclinato capite emisit spiritum.* Nempe omnibus fidelibus certum est, quod Salvator noster non aliqua doloris violentia coactus, sed spontanee pro nobis est mortuus; nec animam necessitate amisit, sed potestate posuit, sicut ipse ait: *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam a me ipso ut iterum sumam eam.* Sed iste evangelici ordinis et fidei veritatis ignarus, prius dixit lancea a militibus latus Domini perforatum, et tunc ab eo spiritum emissum: quod

BALUZII NOTÆ.

[a] *Introivit per aurem Virginis.* Mutata sunt verba istius responsorii in posterioribus editionibus Breviarii Parisiensis, ubi sic hodie legitur: *Descendit de cœlis missus ab arce Patris, introivit per virginem matrem in regionem nostram, indutus stolam purpuream, et exivit per clausam portam, lux et decus universæ fabricæ mundi.*

omnino paganum est, Christum non benignitate propriæ voluntatis, sed vi doloris mortuum opinari; cum e contrario in Evangelio referatur quod Dominus voce magna clamaverit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et hæc dicens, exspiravit.* Quam mortem Christi in tantum milites qui aderant admirati sunt, ut continuo Deum glorificasse, eumque Dei Filium confessi esse referantur, ac postea Judæis petentibus latronum crura, qui cum eo fuerant crucifixi, Pilatus frangi concesserit, Jesu autem jam mortui non crura confracta, sed militis lancea latus narraretur apertum, non, ut iste imperite protulit, perforatum.

IX. Jam vero quanta illa sunt vaticinia, ut ita dictum sit, falsa in responsoriis et antiphonariis, quæ quasi ex voce Domini pronuntiantur, cum in nullis divinis Scripturis reperiantur. Ut est: *Octava decima die decimi mensis jejunabitis, dicit Dominus, et mittam vobis Salvatorem et propugnatorem pro vobis, qui vos præcedat et introducat in terram quam juravi patribus vestris.* Et iterum: *Coronam gloriæ ponam super caput ejus, dicit Dominus, et induam illum stolam candidam, quia servavit mandata mea, et propter nomen meum effusus est sanguis ejus in terra.* Et iterum: *Sancti estis, dicit Dominus, multiplicabo numerum vestrum, ut oretis pro populo meo in loco isto.* Et multa hujusmodi ridiculosa et fantastica. Quorum inventoribus congruere mihi videntur illa, quæ Dominus per Ezechielem prophetam adversus falsos prophetas loquitur, dicens: *Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.* Et post pauca: *Vident nova et divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos, et perseveraverunt confirmare sermonem. Nunquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? Et dicitis, Ait Dominus, cum ego non sim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti estis vana, et dixistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, ait Dominus Deus. Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana, et divinant mendacium. In concilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, nec terram Israel ingredientur.*

X. Sed hæc et similia, quorum in præfato libro infinita erat copia, quia indignum est scribere, et vestræ prudentiæ fastidiosum audire, facilius colloquendo et fideliter pertractando dijudicari possunt. Nunc superest ut sacrorum statuta canonum, catholicorumque Patrum sententias, sicut superius promisimus, exsequamur; ut ex his perspicue declaretur qua cautela levissimorum hominum excogitationes vitandæ sint, quæ nulla veritate subnixæ, nulla ratione ornatæ, contemptui patent.

XI. [a] In concilio Africano talis constitutio promulgata est: « Ut preces et orationes, nisi probatæ fuerint in concilio, non dicantur; nec aliqua ex his omnino cantentur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractata et comprobata in synodo fuerint; ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per studium, sit compositum. » Ubi breviter considerandum, quod non solum ea quæ studio perfidiæ, sed etiam illa quæ [b] simplicitate ignorantiæ contra fidei regulam composita fuerint, pari animadversione repudiantur.

XII. Beatus Hieronymus (*Comment. in cap.* v *Epist. ad Ephes.*) cum exponeret præceptum Apostoli, ubi ait: *Implemini Spiritu loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino*, non tacuit quod in cantoribus Ecclesiæ reprehendendum videbat. « Canere igitur, ait, et psallere et laudare Dominum magis animo quam voce debemus. Hoc est quippe quod dicitur: *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* Audiant hæc adolescentuli, audiant hi quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum; nec in tragœdorum modum guttur et fauces dulci medicamine colliniendæ sunt, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica; sed in timore, in opere, in scientia Scripturarum. Quamvis sit aliquis, ut solent illi appellare, *cacophonos*, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est. Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant quæ leguntur; ut spiritus malus qui erat in Saule, ejiciatur ab his qui ab eo similiter possidentur, et non introducatur in eos qui de domo Dei scenam fecere populorum. » In quibus verbis magnopere pensandum est, quod eos qui in morem psallentis David cum timore et gravitate spiritali canunt, malignum spiritum etiam ab auditoribus suis excludere posse confirmat; eos vero qui theatralibus sonis et scenicis modulationibus, et quamvis in divinis verbis, vocis dulcedine intemperantius delectantur, eum non solum ab aliis non excludere, sed, quod est terribile, in seipsos introducere testatur. Unde et in alio loco idem doctor cum sententiam Isaiæ (Cap. 1) exponeret, *Iniqui sunt cœtus vestri*, ait: « Omnis conventus qui non offert hostias spiritales, nec audit illud quod in quinquagesimo psalmo canitur, *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicit*, abominabilis Deo est. » Mens ergo libera, id est, sensibus corpo-

BALUZII NOTÆ.

[a] *In concilio Africano.* Exstat hic canon in concilio Africano, cap. 70, et in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, tit. 103. Sed utrobique diversus est paulo ab editione Agobardi. Sic enim illic legitur: « Placuit etiam hoc, ut preces, quæ probatæ fuerint in concilio, sive præfationes, sive commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino contra fidem præferantur, sed quæcunque a prudentioribus fuerint collectæ, dicantur.

[b] *Simplicitate.* In manuscripto legitur *inplacitate:* pro quo Massonus edidit *imbecillitate.* Nos vero reposuimus *simplicitate*, ut res postulare videbatur.

ris non succumbens, ita resistere debet vanæ ac A noxiæ delectationi aurium, sicut et delectationibus sensuum cæterorum, visus videlicet, et olfactus, gustus, et tactus; quorum perturbationibus anima prægravatur, et capitur. Quantum denique oblectationes aurium virtutem mentis enervent, testatur præfatus doctor, qui ait : « Auditus vario organorum cantu, et vocum inflexionibus delinitur, et in carmine poetarum et comœdiarum, mimorumque urbanitatibus, et strophis, et quidquid per aures introiens virilitatem mentis effeminat. »

XIII. Sed et beatus martyr Cyprianus (*Serm. de zelo et livore*) simili modo dicit, exponens illud Apostoli, *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret*. Ait ergo : « Circuit ille nos singulos, et tanquam hostis clausos ob- B sidens, muros explorat, et tentat an sit pars aliqua membrorum minus stabilis et minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices et faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. Aures per canoram musicam tentat, ut soni dulcioris auditu solvat et molliat Christianum vigorem. »

XIV. Quod et beatus Augustinus ad tentationem diaboli intelligens pertinere, in libris Confessionum suarum (Lib. x, cap. 33) Deo gratias refert quod ab hoc vitio liberatus sit. « Voluptates, inquit, aurium tenacius me implicaverant, et subjugaverant; sed resolvisti et liberasti me. Nunc in sonis, quos animant eloquia tua, cum suavi et artificiosa voce cantantur, fateor aliquantulum acquiesco, dum ipsis sanctis dictis religiosius et ardentius sentio C moveri animos nostros in flammam pietatis, cum ita cantantur, quam si non ita cantarentur. » Et rursus post aliqua de utilitate psallendi in Ecclesia discretam proferens sententiam, dicit : « Tutius quidem mihi videtur quod de Alexandrino episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, quia tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset quam canenti. Verumtamen cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, et nunc ipso commoveor, non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce et convenientissima modulatione cantantur, magna instituti utilitatem rursus cognosco; magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi D consuetudinem approbare in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi accidit ut me amplius cantus quam res quæ canitur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. » Ecce vir sanctissimus, atque doctissimus, et approbat institutum cantandi propter infirmos, quos in affectum pietatis facit assurgere; et tamen cum accidit ut plus moveat animum cantus, quam res quæ canitur, pœnale dicit esse peccatum, ita ut melius sit non audire cantantem, utique in cantu et sonis quos divina eloquia animant, ac vivificant; ut vita cantuum ac sonorum in sententiis sit divinorum eloquiorum. Cæterum, si in diebus suis audisset aliquos non de divinis eloquiis, sed de humanis adinventionibus cantantes, nunquid non mortuum et sine vita talem cantum judicaret?

XV. Verum quia [a] Gregorii præsulis nomen titulus præfati libelli prætendit, et hinc opinione sumpta putant eum quidam a beato Gregorio Romano pontifice et illustrissimo doctore compositum; videamus quod sanctus ille vir de cantu ecclesiastico ordinaverit, vel quid ejus tempore Romana Ecclesia decantarit. Ait igitur in Decretis suis (Lib. IV, indict. 13, epist. 44) : « In sancta hac Romana Ecclesia, cui divina dispensatio præesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, et in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis officium eleemosynarumque studium vacare congruebat. Unde fit plerumque, ut ad sacrum ministerium, dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur, et cantor minister Domini moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Qua de re præsenti decreto constituo, ut in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque evangelicæ lectionis officium inter missarum solemnia exsolvant; psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentaverit, anathema sit. Et responderunt omnes, Anathema sit. » Ecce vir apostolicus reprehendit consuetudinem, qua diaconibus cantandi officium injungebatur, nec in eis blandam vocem, sed congruam vitam dicit esse requirendam; stimularique Deum talium ministrorum moribus asserit, etiamsi populum vocibus delectent. Damnata vero tali consuetudine, psalmos ac reliquas lectiones per subdiaconos vel per minores ordines censet exhiberi; solo videlicet evangelicæ lectionis officio diaconibus delegato. Ex quibus perspicue demonstratur psalmos tunc in Ecclesia decantari solitum, unde maximam partem divinorum officiorum etiam nunc constat esse compositam, et non figmenta quorumlibet hominum, quæ a tanto illo viro non esse composita, nemo nisi qui sincerissimæ ejus fidei et excellentissimæ eruditionis ignarus est, dubitat.

XVI. Igitur quia sanctorum Patrum dictis satis ostensum est quantum humanæ levitates et mendacia devitanda, quantumque divinorum eloquiorum veritas ac sinceritas amplectenda sit, libet pauca ex verbis beati martyris Cypriani subnectere, quibus

BALUZII NOTÆ.

[a] *Gregorii nomen titulus*. Exstat enim inter Opera sancti Gregorii papæ Antiphonarius sive Gradualis liber ordinatus per circulum anni. Verum hunc librum non esse Gregorii contendit Agobardus. Nisi si revera Gregorii erat, sed corruptus tractu temporis.

ostendatur qua gravitate et modestia divina officia celebranda sint : « Sit, inquit (*Serm. de Orat. Dom.*) orantibus sermo et precatio cum disciplina, quietem continens et pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare. Placendum est divinis oculis et habitu corporis, et modo vocis. Nam ut impudentis est clamoribus strepere, ita congruit verecundo modestis precibus orare. Et quando in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Domini sacerdote celebramus, verecundiæ et disciplinæ memores esse debemus : non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeste, Deo tumultuosa loquacitate jactare. Quia Deus non vocis sed cordis auditor est ; nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt, probante Domino et dicente : *Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes et corda.* Sonet psalmus. Convivium sobrium sit nobis spiritualis auditio, prolectet aures religiosa mulcedo. »

XVII. His ergo et hujusmodi Patrum monitis informati, et eorum sequentes vestigia quos ad Dominum præcessisse non ambigimus, cunctas adinventiones hominum quasi superfluas respuentes, verbis Domini quæ ad omnia sufficiunt, in ejus laudibus personemus, ut cum beato David dicere valeamus : *Et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Quia, ut beatus Augustinus ait, « Nihil Deo recte offertur, nisi quod ab eo accipitur. » Qui et alio loco præcepit suis : « Nolite cantare nisi quod legistis esse cantandum. » Quod quidam religiosi viri sequentes subjectis sibi fratribus præceptum tale dederunt : Nullus præsumat responsoria, aut antiphonas, quæ solent aliqui composito sono pro suo libitu non ex canonica Scriptura assumpta canere, in congregatione ista vel meditari vel dicere. Oportet enim nos sanam et simplicem apostolicam et patrum nostrorum imitari doctrinam, et gratiam stabilire, cor moresque subdere disciplinæ. Ea igitur cantare debemus quæ, sicut beatus Augustinus dicit, ita scripta sunt ut cantantur. « Quæ autem non ita scripta sunt, non cantemus ; quia nec alio modo quam quo ipse Dominus jussit per prophetas et apostolos suos manifestari ea hominibus debent. A nobis obedientiæ quam victimarum sacrificium quærit ; nec cantilenæ artificioso studio, sed observantia mandatorum et cordis munditia delectatur. »

XVIII. Hæc sincerissima Patrum statuta, omni diligentia et veneratione observanda sunt. Quia per hoc et fidei puritas, ac religionis disciplina saluberrime custoditur, et duo mala nimis pietati contraria utiliter resecantur ; videlicet, dum et vanissimorum hominum præsumptio, qui non solum inepta, et superflua, sed etiam profana et hæretica in Ecclesiis decantare audent, funditus excluditur ; et adolescentis, atque omnibus generaliter quibus cantandi officium injunctum est, magna occasio stultæ et noxiæ occupationis aufertur. Ex quibus quamplurimi ab ineunte pueritia usque ad senectutis canitiem omnes dies vitæ suæ in parando et confirmando cantu expendunt ; et totum tempus utilium et spiritalium studiorum, legendi videlicet, et divina eloquia perscrutandi, in istiusmodi occupatione consumunt ; quodque animabus eorum procul dubio valde est noxium, ignari fidei suæ, inscii Scripturarum sanctarum, et divinæ intelligentiæ inanes ac vacui, hoc solum sibi sufficere putant ; et ob hoc, etiam ventosi et inflati incedunt, si sonum et vocem decantationis utcunque addiscant, et in numero cantorum deputari videantur. Quibus omnino (dum, sicut beatus Gregorius supra ait, *Deum moribus stimulant, cum populum vocibus oblectent*) metuendum est ne etiam ipsa illa Dei increpatione feriantur, qua dicit : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Et iterum : *Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam.* Nam et beatus Hieronymus, ut supra memoratum est, de hujusmodi hominibus manifeste dicit, quod de Ecclesia Dei scenam fecerint populorum. Hanc enim occupationem superfluam in eisdem sacris officiis devitantes antiqui, cum eis profecto suppeteret ex divinis libris et multiplex copia laudationis, et peritia modulationis, maluerunt tamen eadem sæpe repetere, quam infinitis et non necessariis psallentium animos occupare, vel gravare.

XIX. Quapropter, auxiliante Dei gratia, omni studio pietatis instandum atque observandum est, ut sicut ad celebranda missarum solemnia habet Ecclesia [a] Librum Mysteriorum fide purissima et concinna brevitate digestum, habet et Librum Lectionum ex divinis libris congrua ratione collectum, ita etiam et hunc tertium Officialem Libellum, id est, Antiphonarium, habeamus omnibus [b] humanis figmentis et mendaciis expurgatum, et per totum anni circulum ex purissimis sanctæ Scripturæ verbis sufficientissime ordinatum ; quatinus in sacris officiis peragendis, juxta probatissimam fidei regulam, et paternæ auctoritatis venerabilem disciplinam, una a nobis atque eadem custodiatur forma orationum, forma lectionum, et forma ecclesiasticarum modulationum ; quæ a boni ingenii adolescentibus quam celerrime imbibita, eos et divinis laudibus concinendis sufficienter et graviter idoneos reddat, et a potioribus ac spiritalibus studiis non impediat. Quis enim ita contentiosus, imo insanus, et ab omni veritatis ratione aversus est, ut non hoc rectius, et convenientius, ac salubrius fateatur in Dei laudibus decantari, quod ex divinis dictis et libris videat fideliter assumi? quatinus sicut in Symbolo catholico fidem nostram non nostris sed apostolicis verbis profitemur, et in Dominica Oratione non nostris sed ipsius Domini et Sal-

BALUZII NOTÆ.

[a] *Librum Mysteriorum*, id est, Librum Sacramentorum : de quo libro supra diximus ad caput 30 libri de Imaginibus.

[b] *Humanis figmentis.* Ad ea fortassis ipsa, quæ hic culpat Agobardus, respiciebat Alcuinus, cum hæc ad fratres Lugdunenses scriberet in epistola 69 : « In ecclesiasticis officiis inauditas priscis temporibus traditiones nolite diligere. »

vatoris nostri sermonibus supplicamus; ita etiam in divinæ laudis honore, non humanis, sed divinis, et spiritalibus, juxta Apostolum, psalmis, hymnis, et A canticis personemus. Superfluo namque alia quærantur, ubi ista sufficere et superabundare noscuntur.

# INCIPIT [a] LIBER VENERABILIS AGOBARDI

## ARCHIEPISCOPI LUGDUNENSIS

## CONTRA LIBROS QUATUOR AMALARII ABBATIS [b].

I. Amalarius in libro suo primo, capitulo tricesimo septimo, dicit ita: « Romana consuetudo unum diem, id est, VII Kalendas Maii interponit, quem vocat in Litania majore, non in jejunio. Litania, ut prædiximus, deprecatio est apud nos. Potest enim serena B mens, et aliena a voluntate mala, precari Deum, quamvis manducet sobrie carnem meridie, et lætetur de resurrectione Domini. Tamen majorum Patrum, id est, apostolicorum usus sequendus est. Forsitan ex ipso officio poterimus intelligere quid deprecandum sit tali in tempore. Prima oratio ad Missam dicit: *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra adversa omnia tua semper protectione muniamur.* Huic concordat offertorium, dicens: *Adjuva me, Domine Deus meus, salvum me fac propter misericordiam tuam. Qui insurgunt in me, confundantur.* Eo tempore, id est, VII Kalendas Maii, possunt inimici commovere bella adversus vicina regna. Ut reor, caute providit sancta Ecclesia Deum rogare, ut qui C destruxit olim consilium Achitopel, nunc destruat consilia eorum qui volunt irruere super pacem ejus. Intendit et hoc, quod dicit Epistola: *Multum enim valet deprecatio justi assidua.* Evangelium alteram petitionem sonat, dicens: *Quis autem ex vobis patrem petit panem*, et iterum, *aut piscem*, et iterum, *aut si petierit ovum.* In istis tribus temporalia petenda possumus intelligere: per panem, omnia bona quæ de terra nascuntur; per piscem, quæ de agris; per ovum, animalia quæ coeunt simul. Hæc enim memorato tempore in aliquo profectu sunt: germina messis pullulant, arborum fructus ex flore prodeunt, vineæ atque olei liquor suis arboribus se erumpit, pullorum animantia campos tundunt. Quoniam hæc necessaria sunt nostris usibus, petenda sunt a Domino ut conserventur. »

II. In his verbis Amalarii facile quilibet potest deprehendere quæ sint inutilia, et quæ noxia. Dicit namque posse fieri Litanias, id est, Rogationes, sine jejunio et carnis abstinentia: quod nunquam dictum est neque a parum sapientibus. Nempe Ninivitæ, quando conversi sunt ad prædicationem Jonæ prophetæ, non habebant doctores, qui eos docerent sacrificium Deo esse spiritum contribulatum, cor contritum et humiliatum. Et tamen ratione naturali intelligentes per hæc flectendam Dei pietatem, contra subversionem sibi imminentem ad quæ arma concurrerint, dicit ita eadem Scriptura: *Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius, et clamavit, et dixit: Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. Et crediderunt viri Ninivitæ in Domino, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem.* Videlicet usque ad lactentem, sicut senserunt qui de hac laudabili pœnitentia scribere voluerunt; ex quibus unus, Prudentius, vir doctus inquit:

Nullus bibendi, nemo vescendi memor.
Jejuna mensas pubes omnes liquerat.
Quin et negato lacte, vagientium
Fletu madescunt parvulorum cunulæ.
Succum papillæ parca nutrix derogat.

BALUZII NOTÆ.

[a] Monuimus jam ad librum de Divina Psalmodia, libro isto Agobardum talione remordere Amalarium. Neque sententiam muto. Porro nunc primum editus D est hic liber ex veteri codice ms. viri clarissimi Petri Marnæsii senatoris Gratianopolitani, ceu dictum est in præfatione. Neque est in eo aliquid valde notatu dignum.

[b] *Amalarii abbatis.* Ita diserte codex vetus. Quod confirmatur auctoritate peranitqui codicis bibliothecæ Thuanæ, in quo continentur ejusdem Amalarii libri de Divinis Officiis. In codice itaque illo sic legitur: *Thomus Amallarii abbatis de divinis officiis.* Item: *Continentia secuturæ causæ Amalharii abbatis scriptionis de officiis divinis incipit.* Itaque quærendum est, cujus monasterii abbas fuerit. Alibi vocatur chorepiscopus. Exstat enim in bibliotheca monasterii Epternacensis in Ducatu Luxemburgico vetus codex ms. his sexcentis annis non scriptus, ex quo ista descripsit R. P. Alexander Wilthemius e Soc. Jesu, Lutetiamque misit ad R. P. Philippum Labbeum, qui mecum lubenter pro amicitia nostra communicavit. *Incipit liber officialis Amalarii corepiscopi, id est, de ecclesiastico ordine cæterisque officiis, quatuor libri, ad Hludovicum imperatorem.* Porro, præter edita Amalarii opera, exstant Lutetiæ in duobus pervetustis codicibus bibliothecæ sancti Germani a Pratis quinque illius epistolæ, quæ brevi prodibunt in lucem in tomo VII Spicilegii domni Lucæ Dacherii. Prima est ad Jeremiam archiepiscopum Senonensem, de nomine Jesu, quomodo scribi debeat. Item responsio Jeremiæ archiepiscopi. Secunda, ad Jonam episcopum Aurelianensem, de eadem causa. Item responsio Jonæ. Tertia ad Rantgarium episcopum Noviomensem, quomodo intelligenda sint illa verba ex Evangelio: *Hic est calix sanguinis mei novi et æterni testamenti*, etc. Quarta, ad Hettonem monachum, (illum, opinor, qui Fuldensis abbas fuit post Rhabanum) de nomine *Seraphim*, quando sit neutrius generis, quando masculini. Quinta demum ad Guntardum: Utrum spuere liceat illico post consumptum sacrificium. Et priores quidem, itemque responsiones Jeremiæ et Jonæ, exstant etiam in codice monasterii Epternacensis, et inde penes virum clarissimum Philippum Labbeum.

Sequitur in eadem Scriptura : *Et pervenit verbum* A *ad regem Ninive, et surrexit de solio suo, et ejecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere, et clamavit, et dixit in Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens : Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, et jumenta, et clament ad Deum in fortitudine : et convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate quæ est in manibus eorum. Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala : et misertus est super malitia quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.* Sed per Joel prophetam ipse Dominus demonstrat quales rogationes velit sibi exhiberi, dicens : *Convertimini* B *ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu ; et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra ; et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens, et multus misericordia, et deprecabilis super malitia.* Illud etiam quod subjungit, propterea septimo Kalendas Maii legendam lectionem Evangelii, in qua datur exemplum de pane, ovo, et pisce, quia eo tempore proficiunt, et pro illis eo tempore Dominus deprecandus sit, ut nostris usibus conserventur, quis non videat quanto risu dignum sit, eo quod nunquam Dominus pro his orationes publicas fieri jusserit; cum e contrario præceperit : *Nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis, et nolite in sublime tolli. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit* C *quoniam his indigetis. Verumtamen quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.* Nam etsi pro frugibus terræ et pro animantibus quibusque orandus Deus; nunquid et pro piscibus rogationes faciendæ sunt, ut conserventur propter nos?

III. Dicit iterum Amalarius in libro primo, capitulo vicesimo septimo : « Eum quem superius precatus est pontifex ut mitteret Spiritum sanctum, in sequentibus petit ut suscipientem dignetur consignare in vitam æternam ; id est, eumdem Spiritum non amittat suscipiens, usque dum perducat hospitem suum ad vitam æternam. » Et post pauca : « Sine isto signaculo non oportet nos præsentari ante Deum. De quo quasi de aliquo vestimento dicebat D Paulus ad Corinthios : *Etenim qui sumus in isto corpore, ingemiscimus gravati; eo quod nolumus spoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur mortale a vita.* De quo vestimento dicat, in sequentibus monstrat : *Qui autem perficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus.* »

IV. Hæc verba Amalarii qualia sint, omnis qui erga sinceritatem fidei sollicitus est, dijudicare potest. Tamen hoc quod subjungit dicens : *De quo signaculo quasi de aliquo vestimento dicebat Paulus ad Corinthios : Etenim qui sumus in isto corpore, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita*, talem sensum habere qualem ille intromittit si alicubi legit, illius forsitan error est qui scripsit. Si autem ex semetipso excogitavit, nimia præsumptio est. Quid namque ingemiscit gravatus? Certe eo quod non vult spoliari, sed supervestiri. Et si non vult spoliari vestimento Spiritus sancti, quid vult vestire super Spiritum Dei? Sed quoniam laboriosum est refutare sensum ejus, hoc nobis dixisse sufficiat, quod doctor catholicus beatus Augustinus hoc vestimentum mortalitatem carnis esse dicit, quam gestamus in hoc corpore viventes. Et propterea ingemiscimus gravati, quia timemus per mortem temporalem spoliari vestimento carnis : et, si fieri posset, vellemus supervestiri immortali vita ; non deposita per mortem ipsa mortalitate, sed potius absorpta a vita.

V. Dicit iterum Amalarius in libro primo, capitulo quadragesimo : « Solet quæri inter vulgares quanto tempore debeant unctionem chrismatis observare in capite, ut non laventur qui accipiunt manus impositionem, absque tempore baptisterii. Quibus potest responderi, quanto tempore generaliter ab Ecclesia celebratur adventus Spiritus sancti super apostolos, tanto tempore celebretur apud unumquemque qui eum accipit, hoc est, septem diebus. Et non immerito. Quoniam in septem mulieribus venit ad hospitem suum, fas est ut unicuique mulieri convivium suum paretur per singulos dies : de quibus mulieribus dicit Isaias : *Apprehendent septem mulieres virum unum.* Convivium illarum mulierum est, quando ipsæ de se satiant hospitem suum. Talia convivia exercebat Christus apud convivas suos, talia et Spiritus sanctus exercet. Hospes Spiritus sancti, mens est hominis. Mens tanto amplius satiatur a sagina Spiritus sancti, quanto minus fuerit dedita carnalibus delectationibus. Ita observet accipiens tempus adventus Spiritus sancti, ut solet charus amicus circa charum amicum observare. Quando aliquis charus ad amicum charum venit, in nullo vult ille qui suscipit, illum offendere, sed quidquid novit ei placitum esse, hoc ex corde benigno ei adhibet. Ita quidquid cognoverit suscipiens Spiritum sanctum, placitum ei esse, hoc illi exhibeat quandiu cum illo est. Si hoc fecerit, forsitan citius poterit ei conciliari, quando aliqua offensa recesserit ab eo. Quando Christus recordatur unctionem chrismatis sibi adesse, tunc potissimum recolit debere se esse sub disciplina Spiritus sancti. Unctio illa ideo fit, ut sciamus quod invisibiliter operetur Spiritus sanctus in nobis. Oleum solet fessorum membra fovere. Balsamus solet redolere. Fessa sunt membra animæ nostræ, quando pœnitet se egisse quod contra Dei voluntatem est : ad quam solet Spiritus sanctus venire, et ei monstrare dimissa peccata, sive dimittenda. Unde et ipse Spiritus consolator dicitur. »

Hæc verba Amalarii confusa et inutilia unusquisque qui audit, videat quomodo corrigat, qualiter derideat : quia non ædificant fidem, sed destruunt ; nec plantant virtutes in mentibus audientium, sed

evellunt: maxime ubi in postremis dicit: *Quando Christus recordatur unctionem chrismatis sibi adesse, tunc potissimum recolit debere se esse sub disciplina Spiritus sancti.*

VI. Item Amalarius in eodem capitulo: « Non enim frustra Spiritus sanctus super apostolos venit in die Pentecostes in vento et igneis linguis. Voluit futuræ Ecclesiæ demonstrare quid operatus esset in apostolis per adventum suum. Venit in vento vehementi, ut ostenderet se excussurum esse ab apostolorum cordibus omnem cupiditatem terrenam. Sicut enim ventus vehemens projicit pulverem a facie terræ, sic adventus Spiritus sancti a corde hominis ejicit omnem terrenam cupiditatem. In igneis linguis apparuit, ut demonstraret quales facturus erat linguas apostolorum; hoc est loquentes, et ignita verba infundentes in corda credentium. Hæc enim verba ignita consumunt peccata, et accendunt corda ad amorem æternæ patriæ. Ipsa est charitas quæ diffunditur in corda credentium, et facit ea unum cor esse ad imitationem suæ propriæ substantiæ; hoc est, ut unum velint, sicut sancta Trinitas unum vult. »

VII. De his verbis Amalarii perpendant prudentes quid judicent. Manifestum tamen est, quod in eo quod dicit: *Venit in vento vehementi ut ostenderet sese excussurum esse ab apostolorum cordibus omnem cupiditatem terrenam*, objiciendum illi sit. Si eadem hora quando repleti sunt Spiritu sancto, adhuc discutiendæ erant ab apostolorum cordibus omnes cupiditates terrenæ, quid operatus in eis est per tres annos mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus? Et quare illis dicit: *Jam vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis?* Et iterum: *Et vos mundi estis, sed non omnes?* Nunquid non erant jam utres novi, parati et capaces ad recipiendum vinum novum, id est, Spiritum sanctum, qui eos induceret in omnem veritatem? In eo autem quod subinfert, dicens: *In igneis linguis apparuit, ut demonstraret quales facturus erat linguas apostolorum, hoc est, loquentes et ignita verba infundentes in corda credentium. Hæc enim verba ignita consumunt peccata:* Non satis attendit quomodo dicat. Nam apostoli jamdudum fuerant loquentes, jam prædicaverant, jam multa et magna signa fecerant; ita ut dicerent Domino: *Etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Non autem, sicut iste dicit, verba consumunt peccata; sed fidem ministrant, fidem ædificant, quæ audientes aptat ad gratiam baptismi, ex tunc et deinceps. Quod autem subjungit, dicens quod verba ignita apostolorum accendant corda ad amorem æternæ patriæ. *Ipsa est charitas quæ diffunditur in corda credentium, et facit ea unum cor esse ad imitationem suæ propriæ substantiæ; hoc est, ut unum velint, sicut sancta Trinitas unum vult:* si bene sentit, bonum bene non loquitur. Nam multum differt inter verba prædicantium, et unctionem Spiritus sancti. Si enim verba apostolorum facere potuissent quod iste somniat in cordibus auditorum, verba Domini potius id fecissent in cordibus Judæorum. Sed quia non est hoc opus verborum, sed divini interni muneris, sic debet intimari qui docet in doctrina. Sed e contra Amalarius docens non in doctrina, sentire cognoscitur, quod sicut charitas, id est, Spiritus sanctus, corda fidelium per gratiam facit unum esse, et unum velle, ita in sancta Trinitate gratia ejusdem Spiritus ipsam sanctam Trinitatem faciat unum esse, et unum velle, sicut Ariani dogmatizare solebant.

VIII. Item Amalarius in libro primo, capitulo tertio decimo, dicit: « Dominus noster est agnus, qui incipiente quintadecima luna traditus est; et crucem ascendit Parasceve. Sequitur responsorius cum quatuor versibus. Nullique dubium quin Christus homo ex quatuor elementis consisteret. Naturale est homini ut ex terra, et aqua, et aere, et igne consistat. Quando naturam hominis assumpsit, hæc quatuor elementa assumpsit. Illa pendebant in cruce inter medios duos latrones. Unde unus versus: *In medio duorum animalium cognosceris: quod ita Hieronymus in Habacuc.*

IX. In his verbis Amalarius quanta vagatione discurrat, qui erroribus insanæ mentis mederi per charitatem vult, prudenter perpendat. Homines qui cantum composuerunt ex verbis Scripturarum, arbitrio suo, prout illis congruum visum est, fecerunt. Et per diversas regiones diversis modis. Non Spiritu Dei acti, sicut beatus Petrus de prophetis et prophetia futurarum rerum loquitur, dicens: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Et ideo si homo uni responsorio quatuor versus adjungit, non est umbra alicujus ænigmatis, sicut iste putat, et mendacissime putari cogit. In hoc autem autem quod dicit, *Sequitur responsorius cum quatuor versibus. Nullique dubium quin Christus homo ex quatuor elementis consisteret. Naturale est homini ut ex terra, et aqua, et aere, et igne consistat. Quando naturam hominis assumpsit, hæc quatuor elementa assumpsit:* opponenda est sententia Apostoli his stultissimis et blasphemis sermonibus, qua dicit: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.* Dicat Amalarius quomodo Christus homo ex quatuor elementis consistat. Nempe veri fideles, id est, catholici, Christum ita tenent, sicut eum beatus Augustinus confitetur, dicens (*Serm. 8 de diversis*): « Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua æqualis est Patri; humanam, qua major est pater. Utrumque autem simul, non duo, sed unus Christus; ne sit quaternitas, non trinitas Deus. Sicut enim unus est homo, anima rationalis, et caro; sic unus est Christus, Deus et homo. Ac per hoc, Christus est Deus, et anima rationalis, et caro. » Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo per quem

factus est mundus? Christus Jesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Jesus, sed in forma servi. Item de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Jesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus, triduo jacuit in sepulcro? Christus Jesus, sed in carne sola. Subinfert etiam Amalarius, dicens : *Naturale est homini, ut ex terra, et aqua, et aere, et igne consistat.* Quod multum a puræ mentis intelligentia discrepat. Hoc enim commentum est philosophorum; quod licet ecclesiastici doctores ex toto non evacuent, non eis tamen ex omni parte consonant, nec dicunt hoc naturale esse in exordio originis. De qua re nunc longius aliquid dicere ineptum est : quoniam auctoritas Scripturæ aliter sentiendum demonstrat ; illo videlicet loco, ubi omnipotens Creator hominis, homini quem de limo terræ formaverat, (vel, sicut alia translatio habet, de pulvere) ait : *Pulvis es, et in pulverem reverteris :* quod non possunt facere aqua, aer, ignis, sed nec anima quam Creator inspiravit in faciem homini formato de pulvere : sed ita fit ut alio loco Scriptura loquitur, dicens : *Revertatur pulvis in terram suam unde erat : et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Si autem de homine quolibet nimis insulse dicitur quod ex elementis naturaliter subsistat, quanto magis de Christo Domino, cujus caro nullam habet originem, nisi operationem Patris et Filii et Spiritus sancti, et susceptionem solius Verbi? Verbum enim caro factum est ut habitaret in nobis. Sicut ergo dicit beatus Augustinus, Christus est Deus, et anima, et caro : sed Deus non est ex elementis, neque anima. Veritas autem carnis, de corpore sumpta est Virginis, sine ullo opere humano vel angelico, sed opere, ut dictum est, tantum divino. Quod autem dicit Amalarius, *Quando Christus naturam hominis assumpsit, hæc quatuor elementa assumpsit;* respondendum est illi, quod non erant redimenda elementa a morte peccati, sicut homo qui per prævaricationem sub diabolo captivus tenebatur. Erraverat enim sicut ovis quæ periit : propter quem venit pastor bonus, ut quæreret et inveniret, et reduceret ad supernam patriam ; ubi sine administratione elementorum corporalium vivat, fruendo Deo per eumdem Redemptorem, sicut scriptum est : *Et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, et vita æterna.* Nam de elementis illud credendum est quod princeps apostolorum beatus Petrus ait : *Adveniet autem dies Domini ut fur : in qua cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur.* Subjungit quoque Amalarius : *Illa*, id est elementa, *pendebant in cruce inter medios duos latrones. Unde unus versus : In medio duorum animalium cognosceris.* Quid ridiculosius dicere potuit, quam ut aer et ignis de cruce penderent, quorum natura est, ut sursum versus ferantur? Et subjungit dicens, *quod ita Hieronymus in Habacuc.* Dic, rogo, quid Hieronymus et Habacuc? Nunquid dicit, in medium duorum animalium cognoscentur elementa pendere?

X. Item Amalarius in libro primo, capitulo duodecimo : « Si se exinanivit, juxta Apostolum, postquam formam servi accepit, quanto magis cum factus est Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis? »

Dicendum est Amalario, non sic dicere Apostolum ut ille ait; id est, Postquam formam servi accepit, seipsum exinanivit; sed, *semetipsum exinanivit formam servi accipiens :* id est, in ipsa acceptatione formæ servilis, et non postea factus est obediens usque ad mortem.

XI. Dicit item Amalarius in libro tertio, capitulo vicesimo tertio : « Nunc de *Te igitur* dicendum est. Ab initio orationis usque ad locum ubi dicitur : *Et in electorum tuorum jubeas grege numerari*, celebratur sacrificium electorum, qui non habent in carne quod eis repugnet, neque in conscientia quod conturbet. Sicut enim duo altaria erant in tabernaculo Moysi, sive in templo Salomonis, unum thymiamatis, alterum holocausti : ita sunt duo sacrificia sanctæ Ecclesiæ. » Et post pauca, iterum capitulo vicesimo quarto subinfert, dicens : « Immolato priore sacrificio quod constat orationibus perfectorum, et est conjunctum sacrificio angelorum, descenditur ad universale sacrificium, immolationem scilicet Christi, quod celebratur ante *Nobis quoque peccatoribus.* » Et post paulum subjungit : « Quoniam una hostia Christus oblata est pro justis et injustis. »

XII. Contra hæc verba Amalarii confusa et turbulentos sensus respondendum est, quod nec Pelagius nec Cœlestius ausi sunt tam irreverenter suam hæresim prædicare. Nam illi possibilitatem tantum astruebant, dicendo posse esse hominem sine peccato si velit : non tamen audebant dicere, se sine peccato esse. Amalarius autem multo pejus dicere audet, qui asserit plures esse qui nec in corpore habent quod repugnet, nec in conscientia quod conturbet. Et licet pejus iste quam illi, tamen in commune contradicunt apostolo Joanni, dicenti : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos decipimus, et veritas in nobis non est.* Et apostolo Paulo, qui ait : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in legem peccati, quæ est in membris meis.* Ubi et turbatus subjungit, dicens : *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Psalmista quoque ex voce perfectorum, qui dicere possunt, *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus,* subjungens ait : *Ad me ipsum anima mea conturbata est.* Et iterum : *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?*

XIII. Dicit adhuc idem Amalarius : *Sicut enim duo altaria erant in tabernaculo Moysi, sive in templo Salomonis, unum thymiamatis, alterum holocausti : ita sunt duo sacrificia sanctæ Ecclesiæ.* Ad quæ respondendum est illi. Ecclesia catholica sicut non habet duas fides, aut duo baptismata ; sic non habet duo altaria, aut duo sacrificia. Ita namque et beatus

Hieronymus in expositione Isaiæ prophetæ, ubi dicitur : *In die illo erit altare Domini in terra Ægypti*, docet dicens : « Ita autem unum altare dicitur quomodo una fides, et unum baptisma, et una Ecclesia. » Et iterum : « Unum autem altare Ægypti, id est, mundi istius, dicitur; ut cuncta altaria, quæ contra Ecclesiæ eriguntur altare, sciamus non esse Domini. » Audiat etiam hoc Amalarius, quia sicut unum altare Ecclesiæ, ita unus panis corporis Christi, et unus calix sanguinis ejus. Sic enim Apostolus accepit a Domino, et tradidit Ecclesiæ : « *Quoniam Dominus noster Jesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit, et dixit : Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque sumitis in meam commemorationem.* Unde et Ecclesia ex traditione apostolorum his verbis consecrans mysterium sacri corporis et sanguinis Domini, designanter dicit Dominum dixisse apostolis : *Accipite et manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum. Simili modo et postea quam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum calicem.* Attendat fidelis quisque quid est quod dicit *hunc*. Videlicet quia calix quem sacerdos sacrificat, non est alius nisi ipse quem Dominus apostolis tradidit. Sicut ergo de sanguine, sic quoque de corpore sentiendum est.

XIV. Deinde subjungit Amalarius, dicens : « Immolato priore sacrificio, quod constat orationibus sanctorum, et est conjunctum sacrificio angelorum, descenditur ad universale sacrificium. » Hæc verba Amalarii non consonant sinceritati catholicæ. Cum enim dicit *priore sacrificio*, ostendit se aliud sacrificium sapere, quod sit posterius. Cum vero subjungit, *quod constat orationibus perfectorum, et est conjunctum sacrificio angelorum;* mirum si vel ipse intelligit quid loquatur. Nam quomodo constat sacrificium orationibus perfectorum ? Nunquid aliud constat orationibus peccatorum ? Et si sacrificium quod constat orationibus perfectorum, conjunctum est sacrificio angelorum, quod constat orationibus peccatorum, nunquid conjungitur sacrificio dæmoniorum ? Deinde infert dicens : *Descenditur ad universale sacrificium , immolationem scilicet Christi.* Quid est quod loquitur ? Unde descenditur ? Et quo descenditur ? Aperte dicit : *Descenditur ad universale sacrificium.* Si descenditur ad universale, id est, catholicum (quod enim Latine dicitur universale, hoc Græce catholicum), descenditur ergo de non catholico ad catholicum, immolationem scilicet Christi. Si posterius sacrificium, ipsum est universale, et immolatio Christi. Ergo prius sacrificium, nec universale est, nec immolatio Christi. Et quomodo constabit orationibus perfectorum , et erit conjunctum sacrificio angelorum, si non est universale et immolatio Christi ? Dic, ergo, quale sacrificium est melius, utrum illud prius, constans orationibus perfectorum, quod tamen non est universale, nec immolatio Christi ? An posterius, quod constat orationibus peccatorum, nec

A est conjunctum sacrificio angelorum, et tamen est universale et immolatio Christi ? Quis audivit unquam tale ? Aut quæ unquam hæresis in tam irrationabilem se demersit confusionem ?

XV. Subjungit autem adhuc his verbis, dicens : « Quoniam una hostia Christus oblata est pro justis et injustis. » Non ita dicunt primi apostoli, Petrus et Paulus, quorum prior : *Christus*, ait, *semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis.* Alter vero : *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est.* Et post pauca : *Quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est ; multo igitur magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Et Dominus in Evangelio : *Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam.* Nam etsi ante passionem Domini fuerunt multi justi ; illa fide salvati sunt, qua crediderunt Christum moriturum pro injustis et impiis, et ipsa fides liberavit eos ab injustitia et impietate.

XVI. Dicit iterum Amalarius in quarto libro, capitulo quarto : « Est sacerdos in terra, cui quotidie necesse est pro se et pro populo Dei intercedere. Est sacerdos in cœlo, cui non est necesse intercedere, sed tamen vult, et interpellat quotidie pro nobis. Sacerdos qui est in terra, non vult neque potest dicere quod absque peccato sit, dicente Joanne : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Qui tamen quamvis sit peccator, non debet a conscientia sua morderi ut tantum sit peccator, quantum multos cognoscit esse in populo terræ. »

XVII. In his verbis Amalarii vagis et furibundis, et omni despectione dignis, illa pessima sunt quibus ait : *Qui tamen* (id est, sacerdos), *quamvis sit peccator, non debet a conscientia sua morderi, ut tantum sit peccator, quantum multos cognoscit esse in populo terræ.* Hæc verba non tantum inutilia sunt; sed multum noxia, et veritati contraria. Catholica namque fides sic se habet, ut nullius credat acceptari a Deo sacrificium vel orationem, nisi ejus qui cognoverit iniquitatem suam; sicut manifeste demonstrat David in oratione pœnitentiæ suæ, dicens : *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* Ac si diceret : Ideo merear indulgentiam tuam, quia cognovi iniquitatem meam. Nam si ego non agnovero, tu non ignosces. Sic et Dominus per Moysen præcipit, dicens : *Si peccaverit princeps, et fecerit unum e pluribus per ignorantiam quod Domini lege prohibetur, et postea intellexerit peccatum suum, offerat hostiam Domino.* Et post pauca : *Rogabit pro eo sacerdos, et pro peccato ejus, ac dimittetur ei.* Et iterum : *Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, et peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offerat arietem immaculatum de gregibus*

*sacerdoti, juxta mensuram æstimationemque peccati: qui orabit pro eo quod nesciens fecerit; et dimittetur ei qui per errorem deliquit in Domino.* Salomon quoque in dedicatione templi orans dicit: *Si quis cognoverit plagam cordis sui, et extenderit manus suas in domo hac, tu exaudies in loco habitationis tuæ, et repropitiaberis.* Perpendat prudens fidelis, quam contrarium sit veritati divinæ consilium Amalarii, et quantum congruat suasioni diaboli.

XVIII. In libro quarto, capitulo ultimo, dicit Amalarius: « Nuperrime monstratum est mihi, ut puto, ab eo qui quod aperit, nemo claudit, quid rationabiliter possit dici de corpore Domini posito in altari, et de calice ex latere ejus, salvo magisterio eorum qui alias et melius mihi volunt aperire, quomodo et quare aliter panis ponendus sit in altari, et calix juxta eum. Altare, crux Christi est, ab eo loco ubi scriptum est in canone: *Unde et memores sumus,* usque dum involvitur calix de sudario diaconi, vice Joseph, qui involvit corpus Domini sindone, et sudario. » Et post pauca: « Panis extensus super altare, corpus domini monstrat extensum in cruce, quod nos manducamus. Vinum et aqua in calice, monstrat sacramenta, quæ de latere Christi in cruce fluxerunt, id est, sanguinem et aquam, quibus nos potat Dominus noster. »

XIX. Ad hæc verba Amalarii respondendum est: Si putat ab eo sibi demonstratum qui aperit et nemo claudit, cui subjungit, dicens: *Salvo magisterio eorum qui alias et melius mihi volunt aperire?* Ubi iterum putat invenire qui melius illi possit aperire quam Dominus, qui aperit, et nemo claudit? Quare non est recordatus evangelicæ sententiæ, quæ dicit: *Ne vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus.*

# S. AGOBARDI CARMINA.

## I.

[a] *Epitaphium Caroli Magni imperatoris.*

Aurea cœlorum postquam de Virgine Christus
Sumpserat apta sibi mundi pro crimine membra,
Jam decimus quartus post centies octo volabat
Annus, fluctivagi meruit per fervida cœli
Ætherei Carolus, Francorum gloria gentis,
Æquora transire, et placidum comprendere portum.
Qui deciesque quater per sex feliciter annos
Sceptra tenens regni, et regno rex regna rejungens,
Febru migravit quinto arii ex orbe Kalendas,
Septuaginta senex vitæ qui terminat annos.
Quapropter flagito, precibus si flecteris ullis,
Quique hujus relegis versus epigrammata lector,
Astriferam Caroli teneat, dic, spiritus arcem.

## II.

[b] *De translatione reliquiarum sanctorum martyrum Cypriani, Sperati, et Pantaleonis ad urbem Lugdunensem.*

Rector magnificus piusque princeps,
Augusto Carolus decore fultus,
Sceptrum nobile Francorum regebat,
Subjectos populos pie gubernans.
Lectos æquora jusserat secare
Ac jam propitio sibi tonante,
Post multos nimiæ viæ labores,
Ingressu reduci salum petentes,
Intrarunt Libycos repente fines:
Qua Carthago gravi jacens ruina
Deflet præteritæ decus juventæ.
Hic dum basilicas Deo dicatas
Et Christi subeunt veneranda templa,
Cernunt ut tua, Cypriane martyr,
Servaret loculus neglectus ossa.
Tum vero nimio dolore moti,
Et magno gemitu polum intuentes,
Poscunt auxilium Dei perennis,
Pro quo sancte tibi caput recisum est.
Et mox poplitibus precando flexis,
Pandunt sarcophagum, studentque sacros
Artus stringere linteis paratis,
Committuntque sacro corpus locello.
Sperati quoque martyris beati,
Nec non Pantaleonis ossa raptim
Tollunt cuncta simul, ligantque pannis.
Conscendunt celeres ratem paratam,
Nec sævi metuunt pericla ponti.
Egressis Arelas opima portu
Occurrit placido, sinuque læto
Fessos excipit, ac fovet benigne.
Hæc mox cum audiit optimus sacerdos,
Lugduni placidam tenens cathedram,
Sanctorum eximio calore flagrans,
Intendensque sacris ubique rebus,
Ledradus specimen decusque cleri,
Orat, postulat, impetratque raptim,
Ut sanctissima martyrum piorum
Nostris mœnibus ossa conderentur,
Lugduni ad placidam Joannis aram,
Qui Christum vitrea rigavit unda.
Illic cum sociis honore claro
Florens, inclite Cypriane dormis.

### BALUZII NOTÆ.

[a] *Epitaphium Caroli.* Huic carmini nos titulum fecimus, secuti auctoritatem Chronici Novaliciensis, in quo reperitur insertum: cujus etiam ope correximus errata quæ irrepserant in editione Massoni.

[b] *De translatione.* Historia hujus translationis exstat in Martyrologio Adonis Viennensis, unde edita est inter Elogia. Sed posteriores quatuor et viginti versus, qui in superioribus editionibus desiderabantur, supplevimus ex editione Pamelii, qui illos edidit inter Prolegomena Operum sancti Cypriani.

Sed quæso vigiles, vigilque nostris
Intendas precibus; flasque nobis
Clemens et validus Dei patronus;
Solvas crimina, conferasque vota.
Sic, quæso, memor illa lingua nostri,
Quæ confessa Dei perenne verbum,
Cervicem gladio dedit secandam;
Sed Christum cecinit, silere nescit.
Hanc Christus jugiter benignus audit,
De sacros populos stylo excitantem,
Hæresesve pravas, deosve falsos,
Verbi fulmine fandiitus cremantem.
A Hanc et pro populo et patrono nostro
Semper quæsumus audiat rogantem;
Pastorem foveat, gregem propaget;
Det munus fidei decus salutis.
O doctor sacer, o beate martyr,
Serva pontificem pius Agobardum,
Qui nomen, meritum, tuumque festum
Dictis extulit, et honore comsit.
O triplex honor, o triforme culmen!
O tres magnifici piique testes!
Sit nobis triplici o! favens precatu
B Pollens unica Trinitas per ævum.

---

ANNO DOMINI DCCCXL.

# EGINHARDUS,

## ABBAS.

## NOTITIA HISTORICA IN EGINHARDUM

Ex Fabricio, Biblioth. med. et inf. Latinitatis.

Eginhardus, Eynardus, Einartus, Æginardus, Agenardus, Egvinardus, Einchardus, Emchardus, Heinardus, Eginerius [a], Germanus Œdenwaldensis, [b] cognomento *Sapiens* [c], Carolo Magno anno 814 defuncto, cujus gener, archicapellanus, cancellarius et palatii regalis notarius [d] fuit, per multos annos superstes, Lotharium Ludovici Pii filium instituit, variasque gessit abbatias, Blandinensem, Fontanellensem, S. Joannis Ticinensis, Gandensem, aliasque, defunctus post annum 840. Epitaphium ei positum a Rabano Mauro, legitur inter Rabani opera tomo VI, pag. 228. Plura de Eginhardo, præter editores ac præcipue C. V. Joannem Hermannum Schminckium, Mabillonius sæc. IV Benedictin., parte I; Joannes Weinskensius [e] in Navarchia Seligenstadiana et in Eginharto illustrato ac vindicato, Francof. 1714, fol.; Franciscus Dionysius Camusatus ad Bibliothecam Alphonsi Ciacconii [f], et Nicolaus Hieronymus Gundlingius secundo tomo Otiorum, cap. 5.

Inter ejus scripta primum locum meretur *Vita Caroli Magni*, non minus accurate et fideliter scripta quam cultiore stylo, ita ut Suetonii et meliorum imitatorem scriptorum facile agnoscas. Edita primum in lucem est dicataque Carolo V imperatori a C comite Hermanno a Nuenare, Coloniæ 1521, in-4° cum Annalibus ab anno 741 ad 829. Paucaque admodum sunt et a codicis ms. varietate profecta potius [g], quæ aliter ille exhibet, quam ut interpolatoris sibi partes sumere, vel auctori suo fidem vel testimonium detrahere voluisse possit jure argui. Prodiit hinc in collectione antiquissima Historicorum Hervagiana, cujus notitiam hoc loco in gratiam lectoris subjungere liceat. Offeruntur igitur in illa: Witichindi Saxonis, monachi Benedictini, rerum ab Henrico et Otthone I imperatoribus gestarum libri III, una cum annotationibus in eumdem, per Martinum Frechtum scriptis pag. 1. Vita Henrici IV imperatoris Augusti a quodam coætaneo scripta, pag. 53. Ducis Bavariæ septem epistolæ, aliquot Henrici IV ad pontificem Romanum et alios principes, pag. 73. Conradi Vecerii, regii secretarii, libellus de rebus gestis imperatoris Henrici VII, pag. 84. Hermanni, comitis Nuenarii, brevis narratio de origine et sedi- D bus priscorum Francorum, ad Carolum V Cæsarem, pag. 102. Vita et gesta Caroli Magni, Francorum regis fortissimi, et Germaniæ suæ illustratoris imperatorisque optime meriti, per Eginhardum, sive, ut alii habent, [h] Alcuinum conscripta pag. 107. Æneæ Sylvii, tit. S. Sabinæ cardinalis Senensis, de Bohe-

[a] Vide illustris Leibnitii Epistolas ad diversos, pag. 391.

[b] D. Nicolai Hieronymi Gundlingii Otia, tom. II, pag. 302 seq.

[c] Ita vocatur ab Odilone in historia translationis S. Sebastiani martyris.

[d] D. Teulet, in sua editione Eginhardi Operum, quæ Parisiis duobus voluminibus in lucem prodiit an. 1840, negat Eginhardum Caroli Magni unquam fuisse generum, archicapellanum, cancellarium et palatii regalis notarium, sed operum publicorum ducem (*chef des travaux publics*). Consule, si placet Notitiam in Eginhardum tom. II editionis supradictæ, pag. V. EDIT.

[e] Acta Eruditorum, edita Germanice parte 26 et 27, tom. III, p. 143, 210.

[f] Bibliothèque Raisonnée, tom. VII, pag. 114 seq.

[g] Confer laudati Gundlingii Otia, tom. II, p. 213 seq.

[h] Sunt nonnulli, inquit laudatus Schminkius, qui hanc Vitam Caroli Eginhardo abjudicant, et Alcuino tribuunt, ut ms. Cajogonvillense, Albericus monachus ad annum 770. Blondus, Petrarcha, etc. Sed in errorem deducti videntur, quod et Alcuinus res gestas Caroli conscripserit, ut doctissimus Duchesnius ex ms. Moissiacensi in fine hujus libri notavit, quos fetus ignorantia inter se permutarunt ac confuderunt, tot enim exstant mss. quæ Eginharti nomen præferunt, tot scriptores, qui in rebus Caroli

morum, et ex his imperatorum aliquot origine et gestis. Opus et integris periodis locupletatum, et ab innumeris repurgatum mendis, idque ex fide manuscripti exemplaris bonæ notæ. Ad Alphonsum, regem Arragonum, pag. 126. Luitprandi, Ticinensis Ecclesiæ levitæ, rerum ab Europæ imperatoribus ac regibus gestarum libri VI. Ad Raymundum, Liberitanæ Ecclesiæ in Hispania episcopum, pag. 219. Epitome Imperatorum Germanicorum, opera Jacobi Wimphelingii, Selestadiensis et suorum contexta, ac nuper per eruditum quemdam recognita. Ad Thomam Wolphium juniorem, pontificii juris interpretem, p. 315. Chronicon rerum Moguntiacarum, per Conradum episcopum conscriptum, cum præfatione Joannis Hervagii Ad Beatum Arnoaldum Selestadiensem, Caroli V Cæsaris secretarium, Basil., 1532, fol., apud Joannem Hervagium, cum præmisso rerum memorabilium indice.

Ab eo tempore Eginhardus de Caroli Magni Vita iterum subjectus prælis cum Beati Rhenani an. 1542 defuncti libris III rerum Germanicarum, Basileæ, 1551, fol., et cum anonymi Benedictini Annalibus regum Francorum Pippini, Caroli Magni et Ludovici Pii ab anno 751 ad 829, Coloniæ, 1561, 1562, in-12; nec non in limine scriptorum de rebus Germanicis editorum a Justo Reubero, Francofurti, 1584, recusorumque Hanov., 1619, et Georgio Christiano Joannis curante, qui Reuberianam syllogen variis auctariis ornavit, et Eginhardo ex Schminckiana varias lectiones addidit, Francof., 1726, fol.; cujus tamen editionis Joanneæ exempla plura [a] in incendio Francofurtensi ejusdem an. 1726 feruntur periisse. Vita et gesta Caroli Magni per Eginhartum, illius quandoque alumnum et scribam adjuratum, in Marquardi Freheri Corpore Francicæ historiæ veteris atque sinceræ, pag. 435, Hanov. 1613, fol. Præter editionem Lips. 1616, in-4°, cum Annalibus ab anno 741 ad 829, et præfatione comitis Nuenarii. Dicitur etiam Eginhardum edidisse et commentario illustrasse an. 1631 Christophorus Helwich, vicarius Moguntinus, qui an. 1632 rebus humanis valedixit, et Francofurti an. 1631, in-4°, vulgavit Antiquitates cœnobii Laurishamensis, recusas in laudati Georgii Christiani Joannis tomo novo Scriptorum historiæ Moguntinensi inservientium, Francofurti, 1727, fol. Exstat vero Vita Caroli Magni Eginhardiana in Andreæ du Chesne Scriptoribus Rerum Francicarum, tomo II, pag. 93, Parisiis, 1636, fol., recensita ad quinque codices mss. Vita et conversatio gloriosissimi imperatoris Caroli regis Magni atque invictissimi Augusti, edita ab Eginhardo sui temporis impense doctissimo, nec non liberalium experientissimo artium viro, educato a præfato principe, propagatore et defensore religionis Christianæ. Et cum notis Joannis Bollandi in Actis Sanctorum 28 Januarii, tom. II, pag. 877, Antwerpiæ, 1643, fol., collatis duobus ms. et variis editionibus. Joannes etiam Joachimus Frantzius Argentoratensis, historiæ Caroli Magni, quam ipse juvenis adhuc ex scriptoribus illorum temporum concinnavit, Eginhardi Carolum pag. 97, sed sine notis, addidit, Argentin., 1644, in-4°, cum præfatione Joannis Henrici Bœcleri. Singulariter autem laudandum studium Joannis Friderici Besselii Filsena Prussi, qui Eginhardum cum eruditis annotationibus publicavit Helmstadii 1667, in-4°, ad quem deinde præstantissimus Meibomius misit lectiones codicis ms. Florentini, cujus varias lectiones annota-

vit etiam V. C. Tobias Eckartus in vita Alberti Stadensis, pag. 54 seqq., quem observat ex Eginhardo multa repetere ad verbum, ita ut emendando illi vel constituendæ genuinæ lectioni interdum utiliter inserviat. Obvia quoque Vita et gesta Caroli Magni Eginhardo scriptore in Joannis Michaelis Heineccii et Joannis Georgii Leukfeldii Scriptoribus rerum Germanicarum Francofurti, 1707, fol. Denique optimam hujus Vitæ editionem debemus clariss. viro Joanni Hermanno Schminkio [b] excusam nitide et emendate Trajecti ad Rhenum 1711, in-4°. Post præmissam historicam dissertationem de vita et scriptis Eginhardi, sequitur Eginhardus ipse distributus in capita 34 cum notis integris Besselii, Bollandi atque editoris. Deinde post ineditas antea Goldasti animadversiones, et Marquardi Freheri diatribam de statura Caroli Magni ad caput Eginhardi 22 cum florum sparsionibus et notis Henrici Guntheri Thulemarii, ex editione 1682, in-12, volumen claudit Hermanni comitis Nuenarii brevis narratio de origine et sedibus priscorum Francorum, et præfatio ejusdem primæ Eginhardi editioni an. 1521 præmissa ad Carolum V, et variantes lectiones ad Eginhardum ex variis ms. In bibliotheca Hohendorfiana, quæ in Cæsaream nuper transiit, parte III, pag. 282, memoratur Eginhardus cum notis mss. et pag. 269, *Lettre de M. Pean à M. Schmincke au sujet de son édition d'Eginhard, écrite en* 1712. *Notes et Observations du Sr. Pean sur ladite édition d'Eginhard.* In eadem Cæsarea bibliotheca codices mss. Eginhardi, e quibus plura loca emendavit Lambecius tomo II, pag. 263, 323 seq., 390, atque alibi. Præclari viri Joannis Davidis Kœleci dissertatio de bibliotheca Caroli Magni ad Eginhardi, cap. 33, prodiit Altdorfii, 1727, in-4°. Germanica [c] versione Eginhardum donavit Joannes Augustinus Egenolfus, Lipsiæ, 1728, in-12°.

Cætera Eginhardi scripta sunt: *Epistolæ* 62 editæ ex codice ms. Laudunensi ab Andrea du Chesne, tomo II Scriptorum de rebus Franc., pag. 695 seq., et in Joannis Weinkensii Eginhardo Vindicato et illustrato, Francofurti, 1714, fol.

*De translatione sanctorum martyrum Marcellini et Petri*, quorum sub Diocletiano et Maximiano circa annum 303 passorum corpora ad abbatiam Seligstadensem diœceseos Mogunt. Ordinis Benedictin. ex urbe Roma circa annum 826 adducta esse feruntur, *libri IV* prosa scripti, quos edidit Surius, 2 Junii, unde repetita in Actis Sanctorum, tom. I Junii, pag. 181, collata cum ms. Christinæ, reginæ Suecorum. Conferenda quoque eadem Acta tom. VI, pag. 1 seq., et qui libros Eginhardi quatuor carmine epico reddidit Johannes Weinckens., Francofurti, 1714, fol.

*Acta Martyrii* eorumdem sanctorum, expressa carmine trochaico, quod incipit: *Erat quidam exorcista (sanctus) Petrus nomine.* Hoc sine nomine auctoris in eodem codice repertum Eginhardo tribuit Surius, ex quo idem offertur in Actis Sanctorum, Tomo I Junii, p. 174.

*Annales* ab anno 741 ad 829, qui sub *Chronici Laureshamensis* nomine quibusdam veniunt, a Nuenario, aliisque sed sine nomine auctoris editi cum Eginhardo de Vita Caroli Magni, parum probabili conjectura ad Eginhardum tanquam auctorem ab Andrea du Chesne referuntur.

*Breviarium Chronologicum*, sive *Abbreviatio Chronici* ex *Beda* ab orbe condito ad annum Christi 809,

cum κατὰ πόδα sequuntur et auctorem agnoscunt, ut nullum de genuino hujus libelli parente relinquatur dubium. Quibus accedit Lupus, abbas Ferrariensis, testis omni exceptione major, qui in Epistola sua prima ad Eginhartum, quam certissime librum hunc vero suo auctori vindicat.

[a] *Gelehrte Zeitungen* anno 1726, pag. 553 et 741.

[b] Acta Eruditorum an. 1711, pag. 529. Memoirs of Literature, tom. I, pag. 229. History of the works of the learned, 1711, p. 429.

[c] Metaphrasis Vitæ Caroli Magni versibus Teutonicis, sed ex alio Latino scriptore quam Eginhardo adornata ante annos quadringentos, ms. in Bibliotheca Cæsarea teste Lambecio tomo II, pag. 385 seq. In Bibliotheca Gothana vide Rev. D. Ernesti Sal. Cypriani Catalogum mss. pag. 104 seq. Titulus libri: *Daz ist der Kunc Karl, dem dient Rome unde Art.*

res brevissime percurrens ac perstringens, quam A ex codice Cæsareo edidit Lambecius tom. II, pag. 395, 398, atque Eginhardo deinceps vindicare conatur argumentis quibus pro captu suo vel tribuet quisque vel denegabit fidem.

*Rodolphi* monachi *de miraculis sancti Alexandri*, sanctæ Felicitatis filii, liber a M. Eginhardo absolutus, cum ejusdem Eginhardi *Epistola ad Sundroltum* presbyterum ms. apud Federicum Pacium, Lugduni Batavorum tantæ antiquitatis, ut ipsum *Meginharti* (ita enim nomen exprimit in schedio, quod publicavit hoc ipso anno 1734) autographum esse et sæculo IX exaratum non dubitet.

Diploma donationis loci in silva Odonawalda, an. 815, a Ludovico Pio ad Eginhardum exstat apud Reuberum in præfatione: et in Actis Sanctorum tom. I Junii, pag. 177.

Deperdita Eginhardi sunt: Liber *De adventu, moribus, bellis et superstitione Saxonum*, ex quo fragmenta quædam apud Adamum Bremensem lib. I B Hist. Eccles., cap. 6 seqq.

Libellus *De Cruce adoranda* ad Lupum Ferrariensem, qui epistola quarta ad Eginhardum, « libellum, inquit, De adoranda cruce, meo judicio utilissimum, quam meo nomini dedicastis, ut par fuit, amplexus sum. »

*Indiculus eorum ad quos exstant Eginhardi epistolæ.*

A misso Dominico, 22.
Amalhario, 3.
Ansgiso, 1.
Blidtrhut sorori, 15.
Magno Domino servus modicus, 42.
Dominæ, 40.
Egilolfo et Humberto, 6.
Episcopo, 31.
Eremberto vicedomino et Luithardo presb., 12.
Ev. S. S., 26.
G. comiti atque optimati, 45. N. W. et G., 61.
Gobeino comiti, 9. C
Gerwardo, 14.
Gozberto abbati, 2.
Hattoni comiti, 16.
Hermengardi imperatrici Augustæ, 62.
Hetti archiepiscopo, 10.
Hludovici imp., 19, 20, 21, Ad Emeritanos, 39.
Hrabano abbati (Fuldensi), 17.
Hruotberto comiti, 11.
Humberto et Egilolfo, 6.
Jacobo episcopo, 5.
Ad Lotharium imperatorem admonitio, 34.
Luithardo presbytero et Eremberto vicedomino, 12.
Lupo Ferrariensi. Eginhardi epistola tertium locum occupat inter epistolas Lupi a Baluzio illustratas, ut Lupi ad Eginhardum, quem præceptorem suum vocat, sunt prima, secunda, quarta, quintaque.
Magistro et præcipuo capellano domnæ imperatricis, 59.
Marchrado vicedomino, 18. Hunc puto Marcwardum, cujus mentio in Lupi epistola quinta.
Missis imperatoris comiti, judici. 33.
N. 24, 32, 36, 38, 47, 48, 50, 51, 53, 55, 56, 58. Venerabili, 25. Comiti, 27, 28, 56, 57. Summi Dei sacerdoti, 29. Abbati. 35, 46, 54, Vicedomino, 37. Episcopo, 43. Optimati, 49. Presbytero et vicedomino, 52.
R. G. R. O. episcopo, 8.
Otgario archiepiscopo, 4.
Popponi comiti, 7, 13.
E. E. S. S., 44.
M. V., 60.
Vicedomino, 23. *Vide* Eremberto.
Vussin, 30.
N. W. et G. 61.

Nemo hucusque prodidit, quid rei sit libellus Eginhardi de Psalmis, qui legitur in catalogo vetustissimo Bibliothecæ Bobiensis vulgato a Muratorio Antiq. med. ævi tom. III, pag., 822, his verbis, *Libellus Einardi de Psalmis.* In bibliotheca Cæsarea vidi ego libellum Psalmorum dono missum a Carolo Magno rege ad Adrianum papam I, cui apparatus quidam in libros sacræ Scripturæ præmittitur. Præcedunt omnia versus more epistolæ, quam dedicatoriam dicimus. Num forte hæc omnia præter versus ab altero utique auctore dictatos Alcuino tribuenda sunt? Viderint docti.

# VITA ET CONVERSATIO

## GLORIOSISSIMI IMPERATORIS CAROLI REGIS MAGNI.

(*Vide inter Opera beati Caroli Magni, hujusce Patrologiæ tom. XCVII, col.* 25.)

# MONITUM
# IN ANNALES LAURISSENSES
# ET EGINHARDI.

(Apud Pertzium, Monumenta Germ. hist.)

Annales Laurissenses et Eginhardi tanta invicem D affinitate conjunguntur, ut de utrisque disquisitio separari nequeat. Utrique ab anno 741 ad annum usque 829 pertingunt, atque easdam fere res, sententiarum ordine non multum diverso, et majore sui parte, scilicet inde ab ultimo octavi sæculi decennio, iisdem plane verbis (paucissimis tantum exceptis) enarrant: ita ut vel alteros ex alteris, vel utrosque ex communi fonte derivandos esse pateat. Annales Laurissenses, qui primum a Canisio, deinde a Chesnio et Bouqueto editi, huc usque sub *plebeiorum* vel *Loiselianorum* appellatione veniebant, eo nomine donavimus, quod primam operis originem ad monasterium Laureshamense referendam esse, non solum ejus cum Annalibus Laurissensibus minoribus affinitas, sed et quod antiquissimum ejus exemplar in

eo monasterio repertum sit, clare ostendat. Habentur in ipso usque ad annum 788, quem primum auctorem non excessisse eo apparet, quod duplex inde continuatio, altera quam et in Annalibus Laureshamensibus deprehendas, ab anno 789-793 in codice Laureshamensi, altera ab anno 788 ad an. 829 in reliquis succedat. Utriusque pariis ratio valde diversa; nam cum priori stylus incompositus et rudis atque scribendi ars plane nulla plebeiorum olim vel rusticorum annalium nomen pepererint, et veritatis studium, in rebus saltem Saxonicis satis suspectum, haud integram ei apud viros doctos fidem conciliaverit, altera e contra eodem quo Eginhardi Annales stylo eademque opinione nobilitatur: quamvis et prioris auctorem, si non omnibus, rebus tamen post annum 768 narratis æqualem fuisse dubitari nequeat. Nam licet Pippinum regem nunquam vocabulo *magni* aut *gloriosissimi* ut filium ejus donet, totius tamen scripti ratio, illud circiter anno 768 inceptum, et singulis annis auctum esse persuadet; et anno 774 sanctum Bonifacium *novissimum martyrem* vocat, et anno 776 multos *usque adhuc* manere, qui ea se vidisse dicant, testatur. Eginhardi Annales, cum per septuaginta et novem annos quos complectuntur, unum eumdemque stylum, idem ubique videndi scribendique genus ostendant, ab uno auctore, Eginhardo ipso, profectos esse oportet. Nomen ejus prodidit anonymus (quem Mabillonius Odilonem S. Medardi monachum esse putat) scriptor libri de translatione et miraculis sancti Sebastiani, initio sæculi decimi editi, in præfatione sua ad Ingrannum S. Medardi Suessionensis abbatem ita locutus: « Agenardus cognomine Sapiens ea qui tempestate habebatur insignis, hujus reverentissimi cœlicolæ mentionem in gestis Cæsarum Caroli Magni et filii ipsius Ludovici faciens, inter alia quæ annotino cursu dictabat, non inoperosum duxit mortalia acta immortali astipulatione roborare, ita dicens: « Dum hæc aguntur, Hilduinus abba monasterii sancti Dionysii Romam mittens, annuente precibus ejus Eugenio sanctæ sedis apostolicæ tunc præsule, ossa beatissimi martyris Christi Sebastiani accepit, et ea apud Suessionem civitatem in basilica sancti Medardi collocavit. Ubi dum inhumata in loculo, in quo allata fuerant, juxta tumulum sancti Medardi jacerent, tanta signorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per divinam gratiam in nomine ejusdem beatissimi martyris enituit, ut a nullo mortalium eorumdem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas verbis valeat explicari. Quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, ut humanæ imbecillitatis fidem excederent: nisi certum esset Dominum nostrum Jesum Christum, pro quo idem beatissimus martyr passus esse dignoscitur, omnia quæ vult per divinam omnipotentiam facere posse, in qua illi omnis creatura in cœlo et in terra subjecta est. » Quæ cum iisdem omnino verbis in Annalibus nostris sub finem anni 826 legantur, nec de auctore, nec de summa operis fide dubitari amplius posse quisque intelligit, et ejusdem testimonii a Chesnio (*a*) primum prolati vis Mabillonium, qui in Annalibus Benedictinis anno 774 Cointii rationibus in adversam se partem abduci passus fuerat, anni 826 historiam contexere aggressum ita perstrinxit, ut et ipse Eginhardum auctorem operis agnosceret. Contra Trithemii locus, quo Eginhardus « Vitam et gesta Caroli imperatoris Magni, lib. III; translationem quoque prædictorum martyrum, lib. I; historiam transacti temporis, lib. I; et quædam alia » scripsisse legitur, quamvis ne ab adversariis quidem impugnatus, frustra tamen a Chesnio in medium adducitur, cum Trithemii opinionem solida ratione nulla niti, sed errorem potius vocandam esse, initium sententiæ *vitam et gesta Caroli... lib.* III, satis ostendat: hinc enim Trithemium codicem (quales hodieque Hannoveræ, Vindobonæ, Monachii, Cassellæ et Modenæ supersunt) nactum fuisse patet, in quo Eginhardi Vitæ Caroli et Annales nostri et duo monachi Sangallensis de gestis Caroli libri subjuncti essent, eaque omnia male confusa in unum Eginhardi nomen transtulisse. Nec tamen Odilonis testimonium unicum, quo Eginhardus operi auctor asseratur, argumentum habemus; nam ut primum a Cointio, omnium adversæ opinionis duce, in Annalibus eccles. Francorum ad annum 774, § 127-133, objecta breviter refellamus, illa cui plurimum tribuit, quæque vel Mabillonium initio abripuerat, narratio de monasterii Laureshamensis consecratione anno 774, in omnibus hucusque editionibus, Nuenariana, Freheriana, Chesniana, Bouquetiana et reliquis inde derivatis conspicua, a nullo omnino codice agnoscitur, sed Nuenariano libro a monacho quodam Laureshamensi inserta est; quin imo nec fontem, unde eam accepit, ignoramus, cum eamdem plane sententiam supra in Annalibus Laurissensibus minoribus efferri meminerimus. Ita et altera illa sententia in Eginhardi laudem composita: *Heinardus sui temporis prudentissimus virorum sanctæ devotionis incitatus ardore*, etc., quam in Reuberi editione anno 827 legimus, ex anonymi Vita Ludovici Pii deprompta est. Præcipuo igitur Cointii argumento convulso, quid reliqua ab eo collata valeant, judicare proclive est. In id enim redeunt, quod Vitæ auctor Pippinum a Stephano papa coronatum, de Caroli infantia nihil sibi compertum, Carolomannum biennio post regni sui initia obiisse, et biennio post Saxonicum Langobardicum bellum incœpisse dicat, annalista vero Zachariam papam regiæ dignitatis Pippino conferendæ auctorem prædicet, nec Carolum puerum una cum patre coronatum, nec Carolomannum anno 771 fatis concessisse ignoret, et belli Langobardici principium ad annum 773 referat: quæ nullius momenti esse facile intelligitur. Contra cum modestia, tali viro digna, qua annalista anno 827 translationis sanctorum Marcellini et Petri auctorem reticet, cum tamen anno 826 in re simili Hilduinum nominavisset, quaque anno 806 nomen suum tantum non plane intercidere patitur, tum tota operis institutio, stylus multo purior solito nec nisi cum Vita Caroli conferendus, eadem videndi ac narrandi ratio, a reliquis ejus ævi scriptoribus plane aliena, sed quæ vel maxime historicum deceat (Cf., exempli gratia, anno 778, locum de pugna cum Wasconibus, qui statim tibi Vitæ Caroli caput 9 in mentem revocabit, an. 787, 789, 792, 793, narrationem de Tassilonis ruina, de bello Wiltzico, quæ et cap. 12 Vitæ Caroli habetur, de conjuratione Fastradæ crudelitate excitata, de hæresi Feliciana), incorruptus denique veritatis amor, annales istos æque ac Caroli Magni Vitam Eginhardo vindicant. Quæ cum ita sint, in fontes operis non diu inquirendum erit. Prior siquidem pars inde ab anno 741 ad annum usque 788 Annalibus Laurissensibus nititur, ita tamen, ut, mendaciis vel minus recte dictis correctis, parvis omissis et majoribus additis, totum opus a tali viro diligenter recognitum, emendatum meliusque dispositum, multo perfectius inde evaserit. Annorum vero 789-829, quibus ipse regni negotiis a Carolo et Ludovico adhibitus et in summo fere fastigio versatus esset, historiam propriis auspiciis absolvit. Quod num inter ipsa reipublicæ administrandæ negotia, an per otium Seligenstadense fecerit, non satis in aprico est; magis tamen in eam partem inclino, ut per singulos annos, dum ipse rebus gerendis magna ex parte præesset, scripsisse existimem. Nam licet et post voluntariam rerum sæcularium abdicationem, tam vivente quam defuncto Ludovico Augusto, rebus publicis se immiscuisse exploratum habeamus, ideo-

(*a*) Nuenarius, quemdam Benedictinæ religionis monachum; Freherus, præfatione in Anonymi Vitam Ludovici Pii, ut opinor, ductus, Adelmum sive Adhemarum auctorem prædicaverat.

que nec ab historia scribenda temperare debuisse credendus sit, tamen in annalibus anno 806 de eclipsibus, annis 823 et 825 de puella Commerciacensi dicta, ipsis annis composita esse apparet. Dumque circa Rhenum scripsisse eo intelligimus, quod anno 821 de glacie fluviorum in Gallia et Germania, Rheni, Danubii, Albis ac Sequanæ locutus, adjiciat « cujus resolutio non modicum villis juxta Rheni fluenta constitutis damnum intulit, » hoc non Seligenstadi fuisse, constans de Germania quasi trans Rhenum sita sermo (exempli gratia, an. 795, 826) nobis persuadet. Secundam igitur operis partem per singulos annos, dum ipse aulæ imperatoriæ adhæreret, et Aquisgrani præcipue, ab Eginhardo compositam esse propono. Hinc et altum de Adalhardi et Walæ abbatum ruina (nam restitutionem memorat) silentium, et cur opus ultra annum 829 non excreverit, declaratur.

Ut igitur paucis sententiam meam de utroque opere absolvam, Annales Laurissenses, usque ad an. 788 in monasterio sancti Nazarii compositos, ultimo sæculi octavi decennio ad manus Eginhardi, magni Laureshamensium amici, devenisse, et ab eo continuatione annorum 788-829, qualem Annalium Laurissensium codices exhibent, donatos, opere vero ad finem perducto, priorem etiam partem monacho debitam, quam opera sua plurimum indigere intellexisset, ab Eginhardo recognitam, atque una cum continuatione paucis vérbis immutata suo sub nomine editam esse censeo. Quæ si cui minus placuerint, alia nos docere non supersedeat.

Ad temporum rationem quod pertinet, annum suum Laureshamensis monachus et Eginhardus a nativitate Domini inchoant, quod iis annis quibus per hiemem etiam res gestæ sunt, exempli gratia, 768, 776, 781, 785, 787, 800, 801, 802, 806, 807 initio et fine, 808, etc., extra dubitationem venit; hieme tamen per quietem ducta, uterque recentem annum nonnisi post veris initium inchoare, et Natalem Domini et Pascha anno proxime elapso adjungere videtur; quod neminem in errorem ducere potest.

Editionem ita institui, ut cum utrique Annales inde ab anno 801 ad litteram fere consentiant, exinde secundam tantum editionem, quam ultimam auctori placuisse existimo, typis exprimerem, diversis alterius lectionibus non solum servatis, sed et uncinarum ope textui insertis. Monendum restat, in annotationibus annorum 801-829 littera A Annalium Eginhardi, littera B Annalium Laurissensium codices significari.

Editiones anteriores omnes codici tum Laureshamensi, Loiseliano et Baronis de Crassier, tum Nuenariano, cardinalis d'Armagnac et Casselano innituntur; præter quæ si nulla subsidia alia nactus fuissem, scriptores qui posterioribus sæculis annales nostros in usum suum verterunt, in auxilium vocare animus fuit, sed multo melioribus potitus sum, cum Societatis beneficio codices præstantissimos per Germaniam et Italiam inspicere, aliorumque lectionibus uti mihi contigerit. Editionis igitur nostræ Annalium Laurissensium subsidia fuerunt:

1. Codicis Laureshamensis « membranacei pervetusti » apographum, a Canisio Lectt. Antiqq. tom. III, p. 187 seqq., vulgatum. Pertingit usque ad finem anni 788, continuatione annorum 789, 790, 791, 792, 793, subjecta, quam cum, ab altera continuatione plane diversam, in Annalibus Laureshamensibus reperire liceat, hic tantum ultima ejus verba, satis corrupta, exhibenda sunt : » Sed et in Burgundia et Francia pervalida fuit. Et cum dominus Pippinus rex inde pergeret, Sarraceni qui in Hispania erant, existimantes quod Avari contra regem dimicassent, egressi de finibus suis in aliquam Indiæ partem, conjungentes se invicem ad partem nostram, multi ibidem ceciderunt de utraque parte. » De fide editionum Canisii cum alias jam satis constet, non est quod miremur, stylum et alia non pauca (si quidem A certa conjectura ducimur) ab illo bonæ Latinitatis nimium studioso immutata esse. Quod ut clarius prodeat, pauca exempla vel uno anno 787 desumpta sufficient.

| *Ubi Codices legunt :* | *Canisius edidit :* |
|---|---|
| Et tunc rebellati sunt iterum Saxones, | Saxones tunc iterum rebellarunt, |
| Quo audito a supradicto filio domni Caroli regis, obviam eis accessit, | Quo audito, supradictus filius domni Caroli regis obviam ivit eis, |
| ut in Benevento non introisset, et omnes voluntates praefati domni regis adimplere cupiebant, | ne Beneventum intraret, quia vellet omnes voluntates regis adimplere, |
| unde et domnus apostolicus multum se interponens postolando iamdicto domno rege. Et ipse domnus rex respondit apostolico hoc se voluisse, | unde et domnus apostolicus multum se interponens precando domnum regem, qui respondit se voluisse, |
| apostolicus vero cum cognovisset de instabilitate vel mendacia eorum, statim supra ducem eorum vel suis consentaneis anathema posuit, | apostolicus vero cum cognovisset instabilitatem mandati eorum, statim supradictum ducem cum consentaneis suis anathemate feriit. |

B

Quæ cum ita sint, hanc editionem, ob nominis Laureshamensis reverentiam primo certe loco collocandam, minus tamen presse secutus sum.

2. Plurimum e contra codici bibliothecæ Christinæ reginæ num. 617 signato tribuendum erat, quem ab excellentissimo domino libero barone de Stein detectum, Romæ in usus nostros verti. Est membranaceus, formæ quam dicunt in octavo, sæculi noni, ut ectypon huic paginæ adjectum testatur, manu fida et diligenti, quæque raro a vero aberraret, exaratus.

C Excidit initium operis usque ad anni 777 vocem *placitum hoc vocabulo*, tum folium unum anno 787, alterum annis 791-794, et finis Annalium post anni 813 vocem *recesserunt*. Opus inde ab anno 741 incœpisse, ex numero cuilibet anno adjecto apparet, cum, exempli gratia, annus 778 pro capitulo 37 computetur; iidem numeri in codicibus 5 et 7 occurrunt. De origine codicis nihil constat; ego eum a

3. Petaviano, cujus aliquot lectiones Chesnius in margine editionis suæ excerpsit, non alium esse, persuasum mihi habeo; nam omnes lectiones illæ cum Vaticanis accuratissime concordant, nec dubium movere debet quod anno 778 ordiri dicitur, cum ultima quæ exstant anni præcedentis verba a Chesnio neglecta esse possint. Alexandri Petavii libros magna ex parte in Christinæ reginæ bibliothecam transisse satis constat, et codex 617 Petavii nomine inscriptus est. Chesnii tamen tempore folium, quod jam an. 791-794 desideratur, nondum exciderat.

D 4. Primum Annalium Fuldensium auctorem ex codice Annalium, qui proxime ad codicem 2 sive 3 accederet, hausisse, ex iis quæ anno 792 et 804 referunt patet. Cum vero consilio et dictione opus plane diversum a nostro habendi sint, raro ad eorum auctoritatem recurrimus.

5. Codex bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, in catalogo historiæ ecclesiasticæ numero 90 signatus atque sub finem sæculi IX scriptus, præter Annales nostros gesta Romanorum pontificum, gesta regum Francorum cum continuatione usque ad annum 741, et nonnulla alia minoris momenti complectitur, a scriptore rubricis appositis ita conjuncta, ut ecclesiasticam inde civilemque historiam ab exordio Romanæ Ecclesiæ et gentis Francorum usque ad Lotharii imperatoris tempora effingeret. Hoc fuit, quod, cum de Caroli majoris domus obitu in fine Continuationis Fredegarii jam relatum esset, annus Annalium 741, quo alia de re nulla sermo est, omitteretur,

# Annales Laurissenses.

1, ex cod. bibl. Christinae reginae No 617 membr. in 8° fol. 16

fecissent cum exercitu
in saxonia ingressus est
et usque ad fluuium albi
per venit ad locum
qui dicitur hliuni in
quo tunc zuuit zin



2, ex cod. bibl. palat. Vindobon. hist. eccl. No 90.

maligna adorantes se sicut meruit lapidibus digne mobres sint.
unt. In haec vero dum magna persecutio a langobardorum

3, ex cod. bibl. palat. Vindobon. hist. prof. No 989 fol. 12 b

vna cum sociis eorum. Et tunc tota saxonia
subiugata est. Coniuratio hardradi et orien
talium francorum qui contra regem conspirauerant.
deprehensa est. et auctores eius partim morte
partim exilio damnati sunt. et in eadem uilla cele
bravit supradictus gloriosissimus rex natalem domini. et
pascha similiter. et inmutauit se numerus
annorum iii.
Tunc dominus Karolus rex misit exercitum suum
partibus brittanniae. vna cum misso suo au
dulfo siniscalco. et ibi multos brittones
conquisierunt. vna cum castellis et firmitates
eorum locis palustribus seu et incesos. et sic

annoque 768, cui ab initio idem quod in cæteris Annalium codicibus legitur, ascriptum esset, una linea erasa, rubrica *Incipit Gesta Caroli Magni regis et Carlomanni fratris eius* insereretur. Anno 814 vocem *excessit* excipit rubrica *Finivnt Gesta domini Karoli Magni et praecellentissimi Francorum imperatoris*, sequiturque pars secunda Vitæ ab Eginhardo scriptæ et reliqua pars Annalium, rubrica *Incipit Gesta Hludovvici imperatoris filii Karoli Magni imperatoris* insignita.

6. Alter codex Vindobonensis, catal. historiæ profanæ num. 989, item membranaceus in quarto, sæculi undecimi, omissis annis 741-770, reliquis titulum *Incipiunt certamina Magni Karoli regis contra Saxones et alias multas gentes* præponit. Est ejusdem ordinis ac codex quintus, uterque una cum Annalibus Eginhardi et Fuldensibus anno 785 conjurationem Hardradi a cæteris omnibus omissam recenset, atque anno 793 Pippini conjurationem eo quo illi loco collocat. Quoad scribendi rationem et orthographiam nonnunquam codicis secundi lectionem fideliter refert, aliquoties tamen longius ab ea recedit.

7. Quem Chesnius nactus erat codicem vetustum Antonii Loiselii, postea Francisci Thuani, codicis secundi apographum esse, nemini dubium erit, qui utrumque in verbo *recesserunt* anno 813 deficere resciverit; nobis igitur Chesnianæ editionis auctoritas quasi nulla, præcipue cum non integrum codicem suum exhibeat, sed Canisii temeritatem secutus, haud raro pannos ejus novos mutuatus togæ vetustæ assuat. Exemplo sunt voces anno 776 *adhuc et*, 778 *grassati*, 778 in fine *reliqui*, in nullo codice obviæ, et a Canisio, relicto antiquo vocabulorum ordine vel sensu auctoris non intellecto, perperam introductæ.

7b. Cum in codicibus jam enumeratis narratio de oppugnatione Buriaburgensi, quæ tota codici Laureshamensi deest, anno 774, in cæteris autem anno 773 ascripta sit, Reginonis Chronicon, quod illos sequitur, hoc loco attingamus necesse est.

8. Perpaucæ codicis baronis de Crassier lectiones a Bouqueto prolatæ, eum codicibus nostris 2, 5, 6, persimilem esse evincunt.

9. Annales Bertiniani nostros perpaucis adjectis integre describunt, ita ut vel anno 807 verba *adnotare potuimus* de stella Mercurii dicta retineant, ideoque, ubi Chesnii manus effugerunt, genuinæ lectioni, qualis in codicibus 2, 5, 6, 8, servatur, confirmandæ conducunt.

9b. Idem locum habet in Annalibus Metensibus, qui ex Bertinianis et Reginone prodierunt;

10. In Caroli Magni Vita, ex *veteri* codice manuscripto bibliothecæ Thuanæ a Chesnio, tom. II, p. 50-67, edita;

11. In Caroli Magni Vita auctore monacho cœnobii sancti Eparchii Engolismensis, a Chesnio ex codice *vetustissimo* bibliothecæ Thuanæ, tom. II, p. 68-87, vulgata;

12. In Annalista Saxone, apud Eccardum in Corp. SS. medii ævi, tom. I, p. 133 sqq.

Tribus præterea fragmentis uti licuit:

13. Chisiano membranaceo sæculi x exeuntis. Chronico Benedicti monachi sancti Andreæ, fragmenta annorum 760-64, 766-768, 773, 774-776, 780, 781, 783, 786-788, 794, 796, 799, 804, 805, 808, 810, 814, 815-824, 826, 827, 829, inspersa sunt, oratione in pessimum versa.

14. Florentino membranaceo in fol. majori sæc. xi. Est appendix ad Gesta regum Francorum, annosque 741-749 complectitur. Exemplum ejusdem est.

14b. Codex bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis in catalogo historiæ profanæ num. 477, sæc. xv.

15. Vindobonensi membranacco sæculi xii ineuntis in 4°. Est alia appendix ad Gesta regum Francorum, annorum 741-755, 758-759 et 775.

Quorum ope an genuinam operis lectionem restituerimus, penes lectorem judicium esto.

In edendis Eginhardi Annalibus hi codices et editiones ad manus fuerunt:

1. Codex bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, in Catalogo historiæ profanæ n. 654 signatus, membranaceus, in 4°, sæculi x, Vitam Caroli Annalibus præmittit. Est omnium quos videre licuit ætate, arte et diligentia scriptoris præstantissimus, cujus igitur lectionem semper aut adoptavimus, aut in notis retulimus. Ut plurimum scribit *adspirare*, *adgredi*, etc.; *conpono*, *contemno* aut *contempno*, *inmaturus*, etc.; *operiri*, *opidum*, *incolomis*, *hii*, sæpius *regi* loco *rei*; anno 777 *privare* loco *carere*; 779 *revertisset*; 798-799 *verteretur* et *versio* loco *reverteretur* et *reversio*. Anno 822 et 823 duo folia exciderunt; aliam lacunam an. 824 et 825 offendimus. De origine codicis nihil comperi; apographum ejus exstat in bibl. Cæsarea in catal. hist. prof. n. 154 chart. in fol.

2. Codex olim monasterii celebris Beccensis, jam bibliothecæ Regiæ Parisiensis n. 5924, cujus collationem diligentissimam D. Carolo Weber debemus. Excidit initium usque ad vocem an. 743 *Carlomannus et Pippinus junctis copiis*, tum folium unum an. 773, 774, 775, et voces *graviter fuerant desolati* an. 824. Quæ cum et in codicem Beccensem, cujus apographa chartacea in bibl. Cæsarea Vindobonensi catal. Theologorum n. 269 anni 1540, et in bibliotheca Vaticana n. 3849 sæculi xvi cum editis contuli, et in regium Parisiensem, et in Duchesnii lectiones ex codice cardinalis d'Armagnac excerptas cadant, codicem illum Beccensem primum in cardinalis tum in regis bibliothecam illatum esse conjicimus. Cui quidem sententiæ firmandæ cæteræ omnes lectiones conferunt, præter paucas a Chesnio allatas, quas editori vitio vertas. Ipse vero codex sæculo x aut xi scriptus, a Vindobonensi raro et nonnisi in minimis recedit.

3. Codex bibliothecæ publicæ Trevirensis, cujus collationem vir. cl. Wyttenbach, bibliothecario Trevirensi et socio rei nostræ studiosissimo debemus, membranaceus, sæculi xi in universum cum anterioribus concordat, nonnunquam tamen lectionem minus sinceram exhibet. Anno 751 et 752 loco vacuo dedicationem monasterii Laureshamensis multo post perfectam refert.

4. Codex bibliothecæ regiæ Hannoveranæ, membr., in 4°, sæculi xii, Vitam Caroli, Annales et monachum Sangallensem continet. Codici primo adhæret, scribendi modus in vocibus *iustitia*, *opportunus*, *sollempnis* et his similibus paulo diversus.

5. 6. Eadem exhibent codices bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis sæculi xiv, membranacei, in 4°, Catal. hist. ecclesiasticæ n. 110, et historiæ profanæ n. 990, qui Hannoverani vestigia tam presse legunt, ut si non ex eo, saltem ex eodem eum illo fonte fluxisse judicandi sint. Ratione enim habita quod in sæculi xiv codicibus lectiones degenerare par erat, plerumque tamen tam quartus cum quinto, et quintus cum sexto, quam sextus cum quarto vel in vitiis suis concordant. Qua de re, exempli gratia, quæ in lectionibus ad an. 800, 813, 819, 820, 822, 824, 826, retulimus, conferenda sunt.

7. Freheri editio in corpore Francicæ Historiæ, tom. II, p. 381 sqq., codice monasterii sancti Germani Parisiensis nititur, qui ejusdem quidem ordinis ut codices 1, 2, 3, 4, nonnullas tamen interpolationes, tam de rebus S. Germani, quam ex anonymi Vita Ludovici Pii desumptas, præfert. Dictionem aut scriba aut editor aliquoties immutavit; singulas præterea lectiones, ut ex libro bibliothecæ Guelferbytanæ ab Eberto nostro mecum communicato apparet, Freherus nunc Nuenarianas servavit, nunc ex codice suo alias substituit, ita ut, exempli gratia, an. 768 lectio marginalis, *al. Orowicus*, ad codicem S. Germani, an. 753, *al. Viburg*, ad editionem principem pertineat.

8. Codex bibliothecæ regiæ Monacensis a sociis

1. *Ex Einhardi annalibus in cod. bibl. Palat. Vindob. catal. historiae prof. nro 654.*

In qua expeditione hildigarius archiepiscopus inter
fectus est in monte qui dicitur iuburg; Reuertenti
uero regi de saxonia nuncius uenit de morte
fratris sui griphonis et a quo uel qualiter fuis
ser interfectus; Eodem anno stephanus papa
uenit ad pippinum regem in uilla quae uocatur
carisiacus suggerens ei ut se et romanam eccle
siam ab infestatione longobardorum defenderet;
Uenit et karlomannus frater regis iam mo

2. *Ex Einhardi annalibus in cod. reg. Paris. Nro. 5942. fol. 2 recto.*

Hoc anno pippinus rex cum exercitu magno saxoniam ingressus est et
quamuis saxones ei obstinatissime resisterent pulsi tamen cesserunt et
et ipse usque ad locum qui dicitur rimi qui est sup fluuium uisuram accessit.
In qua expeditione hildegarius archiepiscopus interfectus est in monte qui di
citur iuburg. Reuertenti uero regi de saxonia nuncius uenit de morte

3. *Ex codice poetae Saxonis Guelferbytano fol. 15.*

ANNO DCCLXXXVII. INDICT. VIIII
Adhuc romuleam dum rex mansisset in urbe
Tassilo legatos adrianum misit ad almum
Pontificem. quorum fuit unus episcopus unus.
Abbas alter erat hunricus nomine dictus.
Obnixe rogitans idem mediator ut esset.
Inter se et carolum pacis fideique sequester: :gr reduuard

4. *Ex chronico Moissiacensi. Cod. Paris. reg. nro 5941. fol. 2 recto.*

Incip. genealogia ... fuit Quam karoli gloriosi atque piissimi
imperatoris temporibus ... In anno ab incarnatione imperatoris.
tione dni DCLXXX. decedentibus regibus de gallia
pippinus et martinus potentissimi duces dominabantur
in austria. Hi duces in hodium uersi contra ebroi
num praefectum galliae aciem dirigunt. Contra quos
theodericus rex francorum et ebroinus praefectus
cum hoste occurrerunt loco nuncupante luco fao similiq.
coniuncti se inuicem caede magna prosternunt. corruitque
ibi infinita turba populi. Austrasii uicti in fugam uersi

quidem nostris collatus erat, sed collationis ipsius miro fortunæ lusu hucusque compotes fieri non potuimus, nec tamen eapropter editionem parum inde utilitatis percepturam reprimere visum est. Liber, ut Docenius refert (*Archiv. d. G.*, tom. II, *p.* 89 *sqq.*) olim monasterii S. Mangi in Stadt-am-Hof sæculi XII, in 4°, foliorum 167', quatuor libris Eginhardi Vitam Caroli, Annales et monachi Sangallensis Gesta Caroli et alia nonnulla continet, quamobrem haud magis Annalium quam monachi Sangallensis lectionem a codicibus 4, 5, et præcipue 6, discrepare, credo.

9. Nuenarii editio princeps, an. 1521 Coloniæ in 4° vulgata, anno 774 ex annalibus Laurissensibus minoribus eadem de monasterio Laureshamensi addit, quæ in codice Treverensi annis 751 et 752 adjecta sunt; nec in aliis, dictione excepta, quam Nuenarius pro voluntate sua formaverit, ita longe inter se distant; verbi gratia anno 811 in utroque *Bernardus comes* deest, anno 820 utrobique *Carniolenses qui Carcasavum fluvium habitant* legitur.

10. Fragmentum Ambergense, viri cl. Moritz, professoris et bibliothecarii publici, manu descriptum et nobiscum summa humanitate communicatum, codicibus 1 et 2 constanter adhæret. Est membranaceum, et inde a voce *in terram Sclavorum qui dicuntur Sorabi* anno 806 usque *filios suos regni* anno 821 pertingit.

11. Codex chartaceus sæculi XV, quem anno 1823 in bibliotheca Modenensi lustravi, Caroli Vitam, Annales et monachum Sangallensem pro quatuor libris computatos continet; una anni 743 lectio *Ochsenburg*, quominus in eo conferendo oleum et operam perderem, suffecit.

12. Codex bibliothecæ electoralis Casselanæ inter historicos n. 5 signatus, præter alia eosdem quatuor libros eodem ordine anno 1498 scriptos exhibet, nec vox *Ochsenburg* desideratur. Aliquot ejus lectiones margini secundæ editionis Reuberianæ adjectæ sunt.

Cæteræ editiones, Coloniensis anni 1561 (1562) in 12°, Lipsiensis an. 1616 in 4°, Reuberiana prima et secunda an. 1584, et 1726, Chesniana an. 1636, Leukfeldiana an. 1707, nec non Bouquetiana an. 1744, Nuenarianam rursus exprimunt. Lectiones aliquot codicis cardinalis d'Armagnac a Chesnio primum excerptas Bouquetus textui subjecit, quibus tamen raro ad textum emendandum usus est. Nostræ editionis ratio ea est, ut codicum quos recensuimus auctoritate textum genuinum restitueremus, lectiones præcipuas, cum editionum Nuenarii et Freheri, tum codicibus, 1, 2, 3, 4, 5, 6, proprias afferremus, parvipensis quæ editorum arbitrio innovata essent. Notas ex instituti nostri consilio paucas adjecimus.

Ex scriptoribus medii ævi, quorum non pauci opere nostro, quale in Annalium Laurissensium continuatione usque ad an. 829 exhibetur, usi sunt, hic tantum præter Eginhardum, Annalium Fuldensium usque ad annum 838, quo obiisse existimandus est, scriptorem, subæqualem Vitæ Ludovici Pii auctorem adducimus, in narratione annorum 814-829 nostros aperte secutum : Eginhardi annales poeta Saxo Lamspringensis Arnulfo regnante versibus expressit.

# ANNALES LAURISSENSES ET EGINHARDI.

### ANNALES LAURISSENSES.

#### DCCXLI.

Carlus [1] maior domus defunctus est [2].

VARIANTES LECTIONES.

[1] carlus etc. *pro scriptoris consilio deest* 5. [2] Carolus Martellus m. d. defunctus 1. *ubi vox* Martellus *certe intrusa. In codd.* 14. 14 *b loco anni* 741 *perperam* 745 indict. XII. *positum, et sic usque ad a.* 748. (752.) *continuatum.*

### ANNALES EGINHARDI.

#### DCCXLI.

Hoc anno Karlus [1] maior domus diem obiit, tres filios heredes relinquens, Karlomannum [2] scilicet et [3] Pippinum [4] atque Grifonem [5], quorum Grifo, qui ceteris minor natu erat, matrem habuit nomine Swanahilde [6], neptem [7] Odilonis [8] ducis Baioariorum [9]. Haec illum maligno consilio [10] ad spem totius regni concitavit, in tantum, ut sine dilatione Laudunum [a] civitatem occuparet, ac bellum fratribus indiceret. Qui celeriter exercitu collecto Laudunum obsidentes, fratrem in deditionem accipiunt, atque [11] inde ad regnum ordinandum ac provincias, quae post mortem patris a Francorum societate desciverant, reciperandas [12] animos intendunt. Et ut in externa [13] profecti [14] domi omnia tuta di-

VARIANTES LECTIONES.

[1] *ita ubique fere codices* 1. 2. 3; *ceteri* karolus *aut* carolus, *et aliquotiens* carlus. [2] *sic aut cum* c *constanter codd.* 1. 2. 5; carlomannum 3. 4; karolomannum 6. 7. [3] *deest* 7. [4] pipimum 5. 7. [5] griffonem 6. [6] suaniehild 3. swanahildem 4. 6. swanihildem 5. suanihildem 7. [7] neptim 7. [8] odilosis 3. ůdilonis 5. udilonis 6. *ita et a* 743. [9] bauariorum 5. [10] m. c. *deest* 7. [11] atque ad ea quae post mortem patris a francorum societate desciverant recipienda animos intendunt 7. [12] *ita* 1. *reliqui* recuperandas. [13] extrema 3. [14] profecturi o. d. 7.

NOTÆ.

[a] *Laon.*

A

ANNALES EGINHARDI.

mitterent, Karlomannus Grifonem sumens, in Novo-castello [a], quod iuxta Arduennam situm est, custodiri fecit, in qua custodia usque ad tempus quo idem Karlomannus Romam [1] profectus est, dicitur permansisse [b].

DCCXLII [2].

Karlomannus et Pippinus Francorum regno [3] potiti, primo Aquitaniam recipere volentes, contra Hunoldum [4], illius [5] provinciae ducem, cum exercitu eandem Aquitaniam ingrediuntur, et capto quodam castello quod Luccas [c] vocatur [6], priusquam ex ea [7] provincia secederent, regnum quod communiter habuerunt [8], diviserunt inter se in loco qui vocatur Vetus Pictavis [9] [d] : eodemque anno postquam domum [10] regressi sunt, Karlomannus B Alamanniam [11] quae et [12] ipsa a Francorum societate defecerat, cum exercitu ingressus, ferro et igni [13] vastavit.

DCCXLIII.

Karlomannus et Pippinus iunctis copiis contra Odilonem ducem Baioariorum profecti sunt, proelioque commisso exercitum eius fuderunt; et postquam inde [14] reversi sunt, Karlomannus solus in Saxoniam profectus est, et castrum quod dicitur Hohseoburg [15] [e] et in eo Theodericum [16] Saxonem, illius loci primarium, in deditionem accepit.

DCCXLIV.

Item [17] idem fratres Karlomannus et Pippinus iuncta manu Saxoniam ingressi sunt, praedictum- C que Theodericum [18] iterum [19] in deditionem acceperunt.

DCCXLV [f].

Hoc anno Karlomannus, quod diu ante [20] praemeditatus est, patefecit fratri suo Pippino, saecularem conversationem se velle dimittere et habitu monachico Deo servire. Propter hoc dimissa expeditione [21] anni praesentis, ad vota Karlomanni

VARIANTES LECTIONES.

[1] *deest* 7. 3? [2] *numero anni* 741. *superius deficiente, codex* 1. *hic* DCCXLI, *anno* 743. DCCXLII. 745. DCCXLIII. 746. 747. 748. DCCXLVIII. *legit.* [3] r. F. 7. 3? [4] honoldum 6. [5] ipsius 7. 3? [6] cui lucas nomen est 7. q. L. dicitur 6. [7] ea *deest* 7. [8] habuerant 4. administrabant 7. [9] in loco qui vetus pictavium dicitur inter se diviserunt 7. [10] domi 6. [11] alemanniam 7. 3? [12] et *deest* 7. [13] igne 7. [14] in cede 4. a cede 5. [15] *sic* 1. 3. 6; hohseburg 2, *cuius apographum viennense* herochseburg, hohseobur 4. hohseburc 5. hochsigburg 7. [16] thedericum 7 theodoricum 2. [17] *deest* 7. [18] teodericum 4. theodoricum 5. thedericum 7. [19] *deest* 7. [20] k. i. l quod dudum secum p. est 7 [21] dimisit expeditionem 7.

ANNALES LAURISSENSES.

DCCXLII.

Quando Carlomannus [1] et Pippinus maiores domus [2] duxerunt exercitum contra Hunoldum [3] ducem Aquitaniorum [5], et ceperunt castrum quod vocatur Luccas [6]. Et in ipso itinere [7] diviserunt regnum Francorum inter se [8] in loco, qui dicitur Vetus-Pictavis [9]; eodemque anno Carlomannus Alamanniam [10] vastavit.

DCCXLIII.

Tunc Carlomannus et Pippinus contra Odilonem [11] ducem Baiovariorum [12] inierunt pugnam, et Carlomannus per se in Saxoniam [13] ambulabat [14] in eodem anno [15], et cepit [16] castrum quod dicitur Hoohseoburg [17] per placitum, et Theodericum Saxonem placitando [18] conquisivit [19]

DCCXLIV.

Iterum Carlomannus et Pippinus perrexerunt in Saxoniam, et captus est Theodericus Saxo [20] alia vice.

DCCXLV.

Tunc Carlomannus confessus est Pippino germano suo [21], quod voluisset saeculum [22] relinquere;

VARIANTES LECTIONES.

[1] Quando *deest* 1. [2] karolus magnus 14. 14 b. carlmannus et pipinus 1. [3] maiorum domus 5. 15, *hic et infra saepius compendio* maior *non intellecto;* um *postea in* 5. *erasum est.* maior domus 14. 14 b. [4] huvaltum. 1. hunaldum 7. 9 b. 14. 14 b. [5] aquitaniarum 1. aquitanorum 14. [6] lucras 1. lucas 7. (8). 9. 9 b. [7] ipso tempore 1. 7. [8] inter se r. F. 1. 7. [9] loco vocatus Pictavis 1. [10] Germaniam 1. alemanniam 9. [11] Vodilonem 15. [12] baioariorum 1. 7. 8. 9. vaiobariorum 14. bauuariorum 15. [13] saxo- D nia 1. [14] ambulavit 14. [15] In eodem anno cepit et castrum 1. 7. [16] coepit 5. [17] hohoseoburg 5. odiserburg 7. hocseoburc, hocseoburh, hocseoburch, hoeseoburk, hoeseoburc, ochsenbrug 7 b. ohserburg 9. hocseoburch 12. sigiburc 15; ohseburg *Ann. Lauriss. et Fuld.* [18] theodoricum saxone placando 1. [19] conquesivit 14. [20] theodoricus saxus 14. [21] P. fratri suo 1. 7. [22] voluisset mundum r. 1.

NOTÆ.

[a] Videtur esse *Neufchâteau* in ducatu Luxemburgico, ab oriente oppidorum *Charleville* et *Mézières*.

[b] Hæc ex eodem fonte quo Ann. Metenses ad hunc annum, derivata esse videntur.

[c] *Loches* in finibus Turonum transligeritanis ad Andriam vel Angerim. Vales. Notit. Gall. p. 288.

[d] *Vieux-Poitiers* ad Clennum, non longe ab ejus et Vigennæ confluentibus l. c. p. 601.

[e] *Hoch-Seeburg* in pago *Hohsi*, jam *Seeburg* in comitatu Mansfeldico, ad confinia Saxoniæ et Thuringiæ Francicæ, inter occidentem et meridiem Halæ Saxonum.

[f] Narratio anni 745 excidisse videtur, nam quæ jam sequuntur non annis 745, 746, 747, 748, 749, 750, sed sequentibus 746, 747, 748, 749, 750, 751 assignanda sunt. Cf. annales breves et narrationem de translatione sancti Germani apud Bouquet V, 426, qua eventuum series accurate definitur.

quidem nostris collatus erat, sed collationis ipsius miro fortunæ lusu hucusque compotes fieri non potuimus, nec tamen eapropter editionem parum inde utilitatis percepturam reprimere visum est. Liber, ut Docenius refert (*Archiv. d. G.*, tom. II, *p.* 89 *sqq.*) olim monasterii S. Mangi in Stadt-am-Hof sæculi XII, in 4°, foliorum 167', quatuor libris Eginhardi Vitam Caroli, Annales et monachi Sangallensis Gesta Caroli et alia nonnulla continet, quamobrem haud magis Annalium quam monachi Sangallensis lectionem a codicibus 4, 5, et præcipue 6, discrepare, credo.

9. Nuenarii editio princeps, an. 1521 Coloniæ in 4° vulgata, anno 774 ex annalibus Laurissensibus minoribus eadem de monasterio Laureshamensi addit, quæ in codice Treverensi annis 751 et 752 adjecta sunt; nec in aliis, dictione excepta, quam Nuenarius pro voluntate sua formaverit, ita longe inter se distant; verbi gratia anno 811 in utroque *Bernardus comes* deest, anno 820 utrobique *Carniolenses qui Carcasavum fluvium habitant* legitur.

10. Fragmentum Ambergense, viri cl. Moritz, professoris et bibliothecarii publici, manu descriptum et nobiscum summa humanitate communicatum, codicibus 1 et 2 constanter adhæret. Est membranaceum, et inde a voce *in terram Sclavorum qui dicuntur Sorabi* anno 806 usque *filios suos regni* anno 821 pertingit.

11. Codex chartaceus sæculi XV, quem anno 1823 in bibliotheca Modenensi lustravi, Caroli Vitam, Annales et monachum Sangallensem pro quatuor libris computatos continet; una anni 743 lectio *Ochsenburg*,

A quominus in eo conferendo oleum et operam perderem, suffecit.

12. Codex bibliothecæ electoralis Casselanæ inter historicos n. 5 signatus, præter alia eosdem quatuor libros eodem ordine anno 1498 scriptos exhibet, nec vox *Ochsenburg* desideratur. Aliquot ejus lectiones margini secundæ editionis Reuberianæ adjectæ sunt.

Cæteræ editiones, Coloniensis anni 1561 (1562) in 12°, Lipsiensis an. 1616 in 4°, Reuberiana prima et secunda an. 1584, et 1726, Chesniana an. 1636, Leukfeldiana an. 1707, nec non Bouquetiana an. 1744, Nuenarianam rursus exprimunt. Lectiones aliquot codicis cardinalis d'Armagnac a Chesnio primum excerptas Bouquetus textui subjecit, quibus tamen raro ad textum emendandum usus est. Nostræ editionis ratio ea est, ut codicum quos recensuimus auctoritate textum genuinum restitueremus, lectiones præcipuas, cum editionum Nuenarii et Freheri, tum codicibus, 1, 2, 3, 4, 5, 6, proprias afB ferremus, parvipensis quæ editorum arbitrio innovata essent. Notas ex instituti nostri consilio paucas adjecimus.

Ex scriptoribus medii ævi, quorum non pauci opere nostro, quale in Annalium Laurissensium continuatione usque ad an. 829 exhibetur, usi sunt, hic tantum præter Eginhardum, Annalium Fuldensium usque ad annum 838, quo obiisse existimandus est, scriptorem, subæqualem Vitæ Ludovici Pii auctorem adducimus, in narratione annorum 814-829 nostros aperte secutum : Eginhardi annales poeta Saxo Lamspringensis Arnulfo regnante versibus expressit.

---

# ANNALES LAURISSENSES ET EGINHARDI.

C

### ANNALES LAURISSENSES.

#### DCCXLI.

Carlus [1] maior domus defunctus est [2].

### ANNALES EGINHARDI.

#### DCCXLI.

Hoc anno Karlus [1] maior domus diem obiit, tres filios heredes relinquens, Karlomannum [2] scilicet et [3] Pippinum [4] atque Grifonem [5], quorum Grifo, qui ceteris minor natu erat, matrem habuit nomine Swanahilde [6], neptem [7] Odilonis [8] ducis Baioariorum [9]. Haec illum maligno consilio [10] ad spem totius regni concitavit, in tantum, ut sine dilatione Laudunum [a] civitatem occuparet, ac bellum fratribus indiceret. Qui celeriter exercitu collecto Laudunum obsidentes, fratrem in deditionem accipiunt, atque [11] inde ad regnum ordinandum ac provincias, quae post mortem patris a Francorum societate desciverant, reciperandas [12] animos intendunt.
D Et ut in externa [13] profecti [14] domi omnia tuta di-

VARIANTES LECTIONES.

[1] carlus etc. *pro scriptoris consilio deest* 5. [2] Carolus Martellus m. d. defunctus 1. *ubi vox* Martellus *certe intrusa. In codd.* 14. 14 *b loco anni* 741 *perperam* 745 indict. XII. *positum, et sic usque ad a.* 748. (752.) *continuatum.*

VARIANTES LECTIONES.

[1] *ita ubique fere codices* 1. 2. 3; *ceteri* karolus *aut* carolus, *et aliquotiens* carlus. [2] *sic aut cum* c *constanter codd.* 1. 2. 5; carlomannum 3. 4; karolomannum 6. 7. [3] *deest* 7. [4] pipinum 5. 7. [5] griffonem 6. [6] suaniehild 3. swanahildem 4. 6. swanihildem 5. suanihildem 7. [7] neptim 7. [8] odilosis 3. ůdilonis 5. udilonis 6. *ita et a* 743. [9] bauariorum 5. [10] m. c. *deest* 7. [11] atque ad ea quae post mortem patris a francorum societate desciverant recipienda animos intendunt 7. [12] *ita* 1. *reliqui* recuperandas. [13] extrema 3. [14] profecturi o. d. 7.

NOTÆ.

[a] *Laon.*

ANNALES EGINHARDI.

mitterent, Karlomannus Grifonem sumens, in Novo-castello [a], quod iuxta Arduennam situm est, custodiri fecit, in qua custodia usque ad tempus quo idem Karlomannus Romam [1] profectus est, dicitur permansisse [b].

DCCXLII [1].

Karlomannus et Pippinus Francorum regno [2] potiti, primo Aquitaniam recipere volentes, contra Hunoldum [4], illius [5] provinciae ducem, cum exercitu eandem Aquitaniam ingrediuntur, et capto quodam castello quod Luccas [c] vocatur [6], priusquam ex ea [7] provincia secederent, regnum quod communiter habuerunt [8], diviserunt inter se in loco qui vocatur Vetus Pictavis [9] [d] : eodemque anno postquam domum [10] regressi sunt, Karlomannus Alamanniam [11] quae et [12] ipsa a Francorum societate defecerat, cum exercitu ingressus, ferro et igni [13] vastavit.

DCCXLIII.

Karlomannus et Pippinus iunctis copiis contra Odilonem ducem Baioariorum profecti sunt, proelioque commisso exercitum eius fuderunt; et postquam inde [14] reversi sunt, Karlomannus solus in Saxoniam profectus est, et castrum quod dicitur Hohseoburg [15] [e] et in eo Theodericum [16] Saxonem, illius loci primarium, in deditionem accepit.

DCCXLIV.

Item [17] idem fratres Karlomannus et Pippinus iuncta manu Saxoniam ingressi sunt, praedictumque Theodericum [18] iterum [19] in deditionem acceperunt.

DCCXLV [f].

Hoc anno Karlomannus, quod diu ante [20] praemeditatus est, patefecit fratri suo Pippino, saecularem conversationem se velle dimittere et habitu monachico Deo servire. Propter hoc dimissa expeditione [21] anni praesentis, ad vota Karlomanni

VARIANTES LECTIONES.

[1] *deest* 7. 3? [2] *numero anni* 741. *superius deficiente, codex* 1. *hic* DCCXLI, *anno* 743. DCCXLII. 745. DCCXLIII. 746. 747. 748. DCCXLVIII. *legit.* [3] r. F. 7. 3? [4] honoldum 6. [5] ipsius 7. 3? [6] cui lucas nomen est 7. q. L. dicitur 6. [7] ea *deest* 7. [8] habuerant 4. administrabant 7. [9] in loco qui vetus pictavium dicitur inter se diviserunt 7. [10] domi 6. [11] alemanniam 7. 3? [12] et *deest* 7. [13] igne 7. [14] in cede 4. a cede 5. [15] *sic* 1. 3. 6; hohseburg 2, *cuius apographum viennense* herochseburg, hohseobur 4. hohseburc 5. hochsigburg 7. [16] thedericum 7 theodoricum 2. [17] *deest* 7. [18] teodericum 4. theodoricum 5. thedericum 7. [19] *deest* 7. [20] k. i.l quod dudum secum p. est 7 [21] dimisit expeditionem 7.

A

ANNALES LAURISSENSES.

DCCXLII.

Quando [1] Carlomannus [2] et Pippinus maiores domus [3] duxerunt exercitum contra Hunoldum [4] ducem Aquitaniorum [5], et ceperunt castrum quod vocatur Luccas [6]. Et in ipso itinere [7] diviserunt regnum Francorum inter se [8] in loco, qui dicitur Vetus-Pictavis [9]; eodemque anno Carlomannus Alamanniam [10] vastavit.

B

DCCXLIII.

Tunc Carlomannus et Pippinus contra Odilonem [11] ducem Baiovariorum [12] inierunt pugnam, et Carlomannus per se in Saxoniam [13] ambulabat [14] in eodem anno [15], et cepit [16] castrum quod dicitur Hoohseoburg [17] per placitum, et Theodericum Saxonem placitando [18] conquisivit [19].

DCCXLIV.

C

Iterum Carlomannus et Pippinus perrexerunt in Saxoniam, et captus est Theodericus Saxo [20] alia vice.

DCCXLV.

Tunc Carlomannus confessus est Pippino germano suo [21], quod voluisset saeculum [22] relinquere;

VARIANTES LECTIONES.

[1] Quando *deest* 1. [2] karolus magnus 14. 14 b. carlmannus et pipinus 1. [3] maiorum domus 5. 15, *hic et infra saepius compendio* maior *non intellecto;* um *postea in* 5. *erasum est.* maior domus 14. 14 b. [4] huvaltum. 1. hunaldum 7. 9 b. 14. 14 b. [5] aquitaniarum 1. aquitanorum 14. [6] lucras 1. lucas 7. (8). 9. 9 b. [7] ipso tempore 1. 7. [8] inter se r. F. 1. 7. [9] loco vocatus Pictavis 1. [10] Germaniam 1. alemanniam 9. [11] Vodilonem 15. [12] baioariorum 1. 7. 8. 9. vaiobariorum 14. bauuariorum 15. [13] saxonia 1. [14] ambulavit 14. [15] In eodem anno cepit et castrum 1. 7. [16] coepit 5. [17] hohoseoburg 5. odiserburg 7. hocseoburc, hocseoburh, hocseoburch, hoeseoburk, hoeseoburc, ochsenbrug 7 b. ohserburg 9. hocseoburch 12. sigiburc 15; ohseburg *Ann. Lauriss. et Fuld.* [18] theodoricum saxone placando 1. [19] conquesivit 14. [20] theodoricus saxus 14. [21] P. fratri suo 1. 7. [22] voluisset mundum r. 1.

D

NOTÆ.

[a] Videtur esse *Neufchâteau* in ducatu Luxemburgico, ab oriente oppidorum *Charleville* et *Mézières*.

[b] Hæc ex eodem fonte quo Ann. Metenses ad hunc annum, derivata esse videntur.

[c] *Loches* in finibus Turonum transligeritanis ad Andriam vel Angerim. Vales. Notit. Gall. p. 288.

[d] *Vieux-Poitiers* ad Clennum, non longe ab ejus et Vigennæ confluentibus l. c. p. 601.

[e] *Hoch-Seeburg* in pago *Hohsi*, jam *Seeburg* in comitatu Mansfeldico, ad confinia Saxoniæ et Thuringiæ Francicæ, inter occidentem et meridiem Halæ Saxonum.

[f] Narratio anni 745 excidisse videtur, nam quæ jam sequuntur non annis 745, 746, 747, 748, 749, 750, sed sequentibus 746, 747, 748, 749, 750, 751 assignanda sunt. Cf. annales breves et narrationem de translatione sancti Germani apud Bouquet V, 126, qua eventuum series accurate definitur.

ANNALES LAURISSENSES.

et in eodem anno nullum [1] fecerunt exercitum [2], sed [3] præparaverunt se uterque, Carlomannus ad iter suum, et Pippinus quomodo germanum suum honorifice direxisset cum muneribus.

DCCXLVI.

Tunc Carlomannus Romam perrexit, ibique se totondit [4], et in Serapte [5] monte [6] monasterium aedificavit in honore [7] sancti Silvestri [8] [a]. Ibique aliquod tempus moram faciens, et inde ad sanctum Benedictum in Casinum [9] [b] usque pervenit, et ibi monachus effectus est.

DCCXLVII.

Grifo [10] fugivit [11] in Saxoniam [12], et Pippinus iter faciens per Toringam [13], in Saxoniam introivit usque ad fluvium Missaha [14], in loco qui dicitur Scahaningi [15]; et Grifo collectam [16] fecit una [17] cum Saxonibus supra fluvium Obacro [18], in loco qui dicitur [19] Orhaim [20].

DCCXLVIII.

Grifo [21] de Saxonia [22] iter peragens, fugiendo in Baioariam [23] usque pervenit, ipsum ducatum sibi subiugavit, Hiltrudem [24] cum Tassilone [25] conquisivit. Swidger [26] ad eum venit in solacio [27] supradicti Grifonis. Haec [28] audiens Pippinus, iter illuc arripiens cum exercitu suo, supra nominatos [29] totos sibi subiugavit; Grifonem secum adduxit [30],

VARIANTES LECTIONES.

[1] nullum *deest* 1. [2] fecerunt bellum 15. [3] et 1. [4] tondit 1. totundit 7. 14 b. [5] sarapte 7 b. sirapti 9. serapti 15. soracte 9 b. soracti 12. [6] monte *deest* 1. [7] honorem 5. 9. [8] sylvestri 1. [9] cassinum 7. 8. 9. 9 b. 12. *certe editorum vitio, non codicum*; cassinum montem perrexit 15. [10] griffo *semper* 15. [11] fugit 1. 7. 8. 9. 12. 15. [12] saxonia 14. [13] turingiam 1. 9 b. 12. thoringiam 9. toringuam 7. [14] misaha 1. missacha 5. mesaha 15. [15] scahanigi 1. sachaningi 5. schahaningi 7. 8. 9. scanigge 12. [16] collecta *Bouquet*. [17] facit 1. [18] obodoro 1. abarro 9. obacra 9 b. ovacro 15. [19] qui dicitur *deest* 15. [20] ordum 9. orchaim 14. [21] Griffo autem de saxonia fugiens 15. [22] in saxonia 5. [23] baguariam 5. 8. baugauriam 7. vaiobariam 14. bawariam 12. [24] hilttruden 1. hiltrudam 15. [25] thessilone 1. hiltrudem civitas silonem conquisivit et lanfridus ad eum 14. 14 b. [26] conq. lantfridus ad 1. lanfridus 9 b. uuidger 5. suidger 9. 12. suuitker ergo quidam venit ad solatium supradicto griffoni 15. [27] solario 1. solatio 7. 9. solatium 12. [28] Hoc 1, [29] nominatus tassilo sibi s. 14 [30] abduxit 1. 7. 14.

ANNALES EGINHARDI.

perficienda et iter illius disponendum — nam Romam proficisci statuerat — et Pippinus vacabat, dans operam, ut frater [1] honorifice ac decenter illo, quo desiderabat, perveniret.

DCCXLVI.

Karlomannus Romam profectus, dimissa saeculari gloria habitum mutavit, et in monte Soracti [2] [a] monasterium in honorem sancti Silvestri aedificavit, ubi quondam tempore persecutionis, quae sub Constantino imperatore [3] facta est, sanctus Silvester latuisse fertur. Ibique aliquandiu commoratus, meliori consilio hoc loco dimisso, ad monasterium sancti Benedicti in Samnio provincia iuxta Casinum [4] [b] castrum [5] constitutum Deo serviturus venit, ibique monachicum habitum suscepit.

DCCXLVII.

Frater Karlomanni et Pippini, nomine Gripho [6], Pippino fratri suo subiectus esse nolens, quamquam sub illo honorifice viveret, collecta manu in Saxoniam profugit, collectoque Saxonum exercitu super fluvium Ovacra [7] in loco qui dicitur Orheim [8] [c] consedit: et Pippinus [9] cum exercitu Francorum per Thuringiam [10] profectus, contra fratris dolos Saxoniam ingressus est, conseditque super fluvium Missaha [11] in loco qui vocatur Skahningi [12] [d]. Proelium tamen non est inter eos [13] commissum, sed ex placito discesserunt

DCCXLVIII.

Gripho Saxonum fidei diffidens, Baioariam petiit, et copiis, quae de Francia ad eum [14] confluebant, ipsum ducatum in suam redegit potestatem, Tassilonem [15] et Hiltrudem [16] in deditionem accepit, Swithgerum [17] ad auxilium sibi [18] venientem suscepit. Haec cum ad Pippinum perlata fuissent, cum maximo [19] exercitu Baioariam [20] profectus est, fratremque suum Griphonem cum omnibus qui cum ipso [21] vel ad ipsum [22] venerant coepit, Tassilonem in ducatum restituit, domumque reversus, Griphonem more ducum [23] duodecim comitatibus [24] donavit. Sed ille tali beneficio contentus non erat, nam

VARIANTES LECTIONES.

[1] frater suus 7. 3? [2] soracte 7. [3] *deest* 7 [4] cassinum 2. 3. 4. 5. 6. *Inter omnes Casinensium rerum peritos, celeberrimum nomen non nisi uno s scribi, constat.* [5] Cassinam arcem 7. [6] *ita hic et deinceps* 1 *reliqui* grifo. [7] super fluvio obacro 7. *ceteri ut supra, excepto quod* 5 onacra *legat.* [8] horbeim 7. [9] c. pipinus autem cum 7. [10] turingiam 3? 4. 7. [11] missaham 7. [12] scahningi 4. 5. skachningi 6. schaninge 7. [13] non est tamen inter eos 6. inter eos non est 3? 5. 7. [14]. ad eum de Francia 7. [15] thassilonem 5. [16] hildrudem 5. hiltthrudim 7. [17] suidgerum 4 swikerum 5. [18] sibi in auxilium 3 ? 7. [19] magno 3. [20] in baioariam 7. [21] cum eo 7. [22] ipsum eo v. 7. [23] ducatum 5. [24] comitibus 4. 5. 6.

NOTÆ.

[a] Monasterium *San Silvestro* in monte Soracti quem Romani *monte Oreste* vocant, hodieque exstat.

[b] Sacellum in sancti Carlomanni honorem in ecclesia monasterii Montis Casini exstructum, ac picturis et opere musivo splendidum, anno 1822 integrum et religiose a Patribus servatum inveni.

[c] Jam *Orum* ad Obacrum supra Guellerbytum.

[d] *Schoeningen* ad rivulum *Meissau*, in ducatu Brunsvicensi.

ANNALES EGINHARDI.

eodem anno ad Waifarium [1] ducem Aquitaniae, profugit

DCCXLIX.

Burchardus [2] Wirziburcgensis [3] episcopus, et Folradus presbiter [4] capellanus [5] missi sunt Romam ad Zachariam papam, ut consulerent pontificem de causa regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum regis, sed nullam potestatem regiam [6] habuerunt; per quos praedictus pontifex mandavit, melius esse illum vocari [7] regem, apud quem summa potestatis consisteret; dataque auctoritate sua, iussit Pippinum regem constitui.

DCCL.

Hoc anno secundum Romani pontificis sanctionem Pippinus rex Francorum appellatus est, et ad huius dignitatem honoris unctus [8] sacra unctione manu sanctae memoriae Bonifatii [9] archiepiscopi et martiris [10], et more Francorum elevatus in solium regni, in civitate Suessona. [11] Hildericus [12] vero, qui falso regis nomine fungebatur, tonso capite in monasterium missus est.

DCCLI. [13] DCCLII.
DCCLIII.

Hoc anno Pippinus rex cum [14] exercitu magno Saxoniam ingressus est, et quamvis Saxones ei obstinatissime resisterent, pulsi tamen cesserunt, et ipse usque ad locum qui dicitur Rimi [b], qui est super fluvium Wisuram [15], accessit. In qua expeditione Hildigarius archiepiscopus [c] interfectus est, in monte qui dicitur Iuburg [16]. Revertendi vero regi [17] de

VARIANTES LECTIONES.

[1] wifarium 5. [2] burkardus 2. burckhardus 5. [3] wirziburgensis 2. 5. wirciburgensis 4. wirtziburgensis 7. 3? [4] presbyter 7. [5] *scribendum fuerat* cappellanus *in nullo codice obvium.* [6] *deest* 3. [7] *deest* 7. [8] u. est 5. [9] bonifacii *hic et a.* 754 *reliqui praeter* 1. [10] martyris 7. [11] suessiona 7. [12] hidericus 5. hyldericus 6. [13] Karlus ab Italia regrediens dedicationem ecclesiae sancti Nazarii martyris et translationem corporis ipsius in monasterio nostro Lauresham, celebravit anno incarnationis domini DCCLXXIIII. die kal. Septembris *codex* 3; *idem annis* 753 *et* 754 *numeros* DCCLII et DCCLIII *adponit.* [14] *deest* 1. [15] wisaram 5. 6. wiseram 5? 7. [16] viburg 3? 5. 6. duburg 7. [17] revertente v. rege 5. 6.

ANNALES LAURISSENSES.

A Lantfridum similiter, Tassilonem [1] in ducatu Baioariorum [2] conlocavit per suum beneficium, Grifonem vero partibus [3] Niustriae [4] misit, et dedit ei 12 comitatos. [5] Inde iterum Grifo [6] fugiens Wasconiam petiit [7], et ad Waipharium [8] ducem Aquitaniorum [9] pervenit.

DCCXLIX

* Burghardus [10] Wirzeburgensis [11] episcopus et Folradus [12] capellanus [13] missi fuerunt ad Zachariam papam, interrogando [14] de regibus in Francia [15], qui illis temporibus [16] non habentes regalem potestatem, si bene fuisset, an non. Et Zacharias papa mandavit [17] Pippino, ut melius esset illum regem vocari, qui potestatem haberet, quam illum, B qui sine regali potestate manebat; ut non conturbaretur ordo [18], per auctoritatem apostolicam [19] iussit Pippinum regem fieri.

* [Pippinus [a] coniugem duxit Bertradam cognomine Bertam, Cariberti Laudunensis comitis filiam. Burchardus etc. 9.]

DCCL

Pippinus [20] secundum morem Francorum electus est ad regem, et unctus per manum sanctae memoriae Bonefacii [21] archiepiscopi, et elevatus a Francis in regno [22] in [23] Suessionis [24] civitate. Hildericus vero, qui false [25] rex vocabatur, tonsoratus [26] est, et in * monasterium missus.

* [in Sithiu monasterium missus. Pippinus, monente sancto Bonifacio, quibusdam episcopatibus vel medietates vel tertias rerum. . . . . [27] promittens C in postmodum omnia restituere 9.]

DCCLI. DCCLII.
DCCLIII.

Pippinus rex in Saxonia [28] iter fecit, et Hildegarius episcopus [29] occisus est a Saxonibus in castro

VARIANTES LECTIONES.

[1] thessilonem 1. tassilonem vero 7. 9. [2] vaiobariorum 14. ducatum bauuariorum 15. [3] pactionibus in Austriam 1. [4] niustriae *correct.* neustriae 5? [5] comitatus 1. 7. (8.) 9. 12. [6] inde tamen idem grifo 15. [7] petit 1. [8] wapharium 1. waffarium 7. waifarium 14. wafarium 15. weifarium 8? [9] equitaniorum 15. [10] Episcopus burchartus wurzenburgensis 1. burgardus 7. 8. burchardus 9. 12. 15. [11] wirzeburgenensis 5. [12] vollradus 1. volradus 15. folleradus 14. [13] cappellanus 14. D [14] interrogandum 15. [15] in franciam. Amen. *his verbis desinit codex* 14; 14 b. *vero ita* : regibus instantiam. Amen. [16] qui in francia illis temporibus erant non 15. [17] mandante 1. [18] ut ergo non perturbaretur ordo per 15. [19] Per auctoritatem ergo a 7. (8.) 9. [20] P. vero secundum 15. [21] bonifacii 1. 9. manus sancti bonifacii 15. [22] regno suo 7. [23] in *deest* 15. [24] swessionis 1. [25] falso 15. [26] tonsuratus 1. [27] reddidit? [28] saxoniam 1. 7. 7 b. (8.) 12. [29] episcopus Coloniensis (*ex glossa*) 1.

NOTÆ.

[a] Pippinus uxorem ante an. 742 duxerat, quo Carolum Magnum natum fuisse comperimus; uxoris pater et avia, Charibertus (Heribertus) et Bertradana, monasterium Prumiense fundaverunt, a Pippino et Bertha muneribus postea adauctum. Cf. dipll. apud Martene et Durand. Coll. ampl. I, 23, et Mabillon. Ann. Bened. II, 705.

[b] *Remen* supra Mindam.

[c] Coloniensis.

ANNALES LAURISSENSES.

A quod dicitur Iuberg [1] [a], et tamen Pippinus rex victor extitit, et pervenit usque ad locum, qui dicitur Rimie [2]. Et dum [3] reversus est de ipso itinere, nuntiatum est ei [4], quod Grifo, qui in Wascouiam fugatus est [5], germanus eius occisus fuisset [6]. Eodemque anno Stephanus papa venit in Franciam, adiutorium et solacium [7] quaerendo [8] pro iustitiis sancti Petri; similiter et Carlomannus, monachus et germanus supradicti Pippini regis, per iussionem abbatis sui [9] in [10] Franciam venit, quasi ad conturbandam petitionem apostolicam. [Hoc [11] anno natalem Domini in Theodone villa, pascha in Carisiaco celebravit.]

DCCLIV.

B Supradictus [12] apostolicus Stephanus confirmavit Pippinum unctione sancta in regem, et cum eo inunxit [13] duos filios eius [14], domnum Carolum, et Carlomannum in regibus. [15] * Et domnus Bonefacius [16] archiepiscopus in Frisia [17], nuntians [18] verbum Dei [19] et praedicando [20], martyr Christi effectus est.

* [anno Domini 754. 6. Kal. Augusti. 9.]

DCCLV.

Pippinus rex [21] per apostolicam invitationem in Italiam iter peragens, iustitiam beati Petri apostoli quaerendo, Haistolfus [22] Langobardorum [23] rex supradictam iustitiam vetando [24] clusas [25] Langobardorum petiit, obviam Pippino regi et Francis venit [26]. Et inierunt bellum, et Domino auxiliante, C beatoque Petro apostolo intercedente [27], Pippinus rex cum Francis victor [28] extitit, eodemque anno [29] Stephanus papa reductus est ad sanctam sedem [30] per missos [31] domni regis Pippini, Folradum [32] et reliquis [33] qui cum eo erant. Incluso vero Haistulfo [34] rege in Papia civitate, iustitiam sancti Petri pollicitus est faciendi, unde rex Pippinus, obsides 40 re-

ANNALES EGINHARDI.

Saxonia nuntius venit [1] de morte fratris sui Griphonis, et a quo vel qualiter fuisset interfectus [2]. Eodem anno Stephanus papa venit ad Pippinum regem in villa quae vocatur Carisiacus [b] suggerens ei, ut se et Romanam ecclesiam ab infestatione [3] Langobardorum [4] defenderet. Venit et Karlomannus frater regis, iam monachus factus, iussu abbatis sui, ut apud fratrem suum [5] precibus Romani pontificis obsisteret; invitus tamen hoc fecisse putatur, quia nec ille abbatis sui iussa contempnere, nec abbas ille [6] praeceptis regis Langobardorum, qui ei hoc imperavit [7], audebat resistere.

DCCLIV.

Stephanus papa postquam a rege Pippino ecclesiae [8] Romanae defensionis [9] firmitatem accepit, ipsum sacra unctione ad regiae dignitatis honorem consecravit, et cum eo duos filios eius, Karlum et Karlomannum; mansitque [10] hiberno tempore in Francia. Eodem anno [c] Bonifatius, archiepiscopus Magontiacensis [11], in Frisia verbum Dei praedicans a paganis interfectus, martirio coronatus est.

DCCLV.

Pippinus rex, invitante atque suggerente praedicto Romano pontifice, propter iustitiam beati Petri apostoli a rege Langobardorum exigendam [12] Italiam cum valida manu [13] ingreditur. Resistentibus Langobardis et claustra Italiae tuentibus, ad ipsas montium clusas [14] acerrime pugnatum est; cedentibusque Langobardis, omnes copiae Francorum quamvis difficilem viam [15] non magno labore superarunt. Heistulfus [16] vero, rex Langobardorum, manum conserere non ausus, in civitate Papia a rege Pippino obsessus est; qui ante obsidionem non solvit, quam firmitatis causa pro reddenda sanctae Romanae ecclesiae iustitia [17] obsides 40 recepisset. Datis vero 40 obsidibus promissisque iureiurando firmatis, ipse quidem in regnum suum regressus [18] est, et Stephanum papam cum Folrado [19] presbytero capellano et non minima Francorum manu Romam remisit. Karlomannus autem [20] monachus, frater regis, qui cum

VARIANTES LECTIONES.

[1] viberg 1. 7. (8?) 9 b. vigberg 7 b. 12. luberg *exscriptoris vitio loco* iuberg 9. qui dicitur iuburgo 15. [2] dicitur.... Et dum 1. rime 7. [3] et cum 15. [4] ei *deest* 1. [5] fugit 1. 7. (8.) 9. fugerat 9 b. [6] fuisset. Igitur eodem 15. [7] solatium 1. 7. [8] quaerens D 15. [9] sui *deest* 1. [10] in *deest* 5. [11] Hoc anno etc. *legitur in uno codice* 5. [12] S. autem a. 15. [13] eo coniunxit 1. [14] eius *deest* 1. [15] in reges. Dominus 1. in reges 15. [16] bonifacius 1. 15. bonifatius 5. [17] fresia 15. [18] nuncians 1. [19] domini 1. 7. 8. 9. [20] praedicatione 1. predicans v. d. martir 15. [21] P. itaque rex 15. [22] haistolfus 5. 7. 8. 15. [23] longobardorum 1. rex long. 15. [24] iusticiam probibendo 15. [25] clausas 1. 7. 15. [26] venit. Inito igitur bello 15. [27] et b. Petro interc. 15. [28] victor cum francis 15. [29] Ipso anno 15. [30] ad suam sedem *Bouquet*. [31] per legatos d. p. r. 15. [32] volradum 15. [33] reliqui 9. reliquos 1. 7. [34] haistolfo 7.

VARIANTES LECTIONES

[1] nuntium accepit 7. [2] interemptus 6. [3] infestationibus 7. [4] longobardorum, 1. 4. 5. 6. *postea vero codex 1 meliorem lectionem exhibet.* [5] *deest* 7. [6] illius 7. ille abbas 6. [7] imperaverat 7. 3? [8] aecclesiae 4. *ita saepius.* [9] *deest* 6. [10] mansit autem 6. [11] mogontiacensis 2. 5. mogonciacensis 3, 6. moguntiacensis 7. [12] propter erepta Romanae ecclesiae per regem Longobardorum dominia Italiam 7. [13] manu valida 4. cum *deest* 6. [14] clausas 3. 6. montium angustias quas clusas vocant 7. [15] viam quamvis difficilem 7. [16] haistulfus 5. haistolfus 7. *ita et deinceps.* [17] pro restituendis quae Romanae ecclesiae ablata fuerant 7. [18] reversus 6. [19] florado 5. 6. [20] *deest* 7.

NOTÆ.

[a] *Iburg* in principatu Osnabrugensi.

[b] *Quiersy* ad Isseram.

[c] Lis de S. Bonifacii obitus anno a Mabillonio Ann. Bened. an. 755 expensa est, qui Wilibaldo æquali, annum 755 et indictionem octavam proferenti, astipulatur.

A

ANNALES EGINHARDI.

Berthrada [1] regina in Vienna civitate remansit, priusquam rex de Italia reverteretur febre correptus, diem obiit; cuius corpus iussu regis ad monasterium sancti Benedicti, in quo monachicum habitum susceperat, relatum est.

## DCCLVI.

Heistulfus rex Langobardorum, quamquam anno superiore [2] obsides dedisset, et de reddenda sanctae Romanae ecclesiae iustitia [3] tam se quam optimates suos iureiurando obstrinxisset, nihil de promissis [4] opere complevit. Propter hoc Pippinus rex iterum cum exercitu Italiam intravit, et Heistulfum in Papia civitate se includentem obsedit, et obsidione ad impletionem promissorum suorum conpulit. Redditamque sibi Ravennam et Pentapolim et omnem Exarchatum ad Ravennam pertinentem ad sanctum Petrum tradidit; atque his [5] peractis, in Galliam reversus est [6]. Heistulfus autem post abscessum [7] eius, cum meditaretur, quomodo sua promissa non tam impleret, quam dolose ea quae impleta fuerant conmutaret, in venatione de equo suo casu [8] prolapsus est; atque ex hoc aegritudine contracta, intra paucos dies vivendi terminum [9] fecit. Cui Desiderius, qui comes stabuli eius erat, successit in regnum.

B

## DCCLVII.

Constantinus imperator misit Pippino regi multa [10] munera, inter quae et organum [11]; quae ad eum in Conpendio villa pervenerunt, ubi tunc populi sui generalem conventum habuit. Illuc et Tassilo [12] dux Baioariorum cum primoribus gentis suae venit, et more Francico [13] in manus regis in vassaticum manibus suis [14] semetipsum commendavit, fidelitatemque tam ipso regi Pippino quam filiis eius Karlo et Karlomanno iureiurando supra [15] corpus sancti Dionisii promisit; et [16] non solum ibi, sed [17] etiam super corpus sancti Martini et sancti Germani simili sacramento, fidem se praedictis dominis suis [18] diebus vitae suae servaturum, est pollicitus. Similiter et [19] omnes primores ac maiores natu Baioarii, qui cum eo in praesentiam regis pervenerant [20], fidem se regi et filiis [21] eius servaturos, in praedictis venerabilibus locis promiserunt.

C

### VARIANTES LECTIONES.

[1] berhtrada 5. berchtrada 6. bertrada 7. [2] superiori 5. [3] et ad reddendum ea quae Romanae ecclesiae abstulerat 7. [4] nihil promissorum 7. [5] iis 7. [6] est reversus 2. [7] abcessum 1. [8] *deest* 6. [9] finem 7. [10] multa *deest* 2; p. regi multa misit 7. [11] organa 7. 3? [12] thassilo 5. [13] francorum 4. [14] in manibus suis 4. [15] super 7. 3? [16] Sed 7, 3? [17] verum 7. 3? [18] *deest* 5. 6. [19] *deest* 7. [20] pervenerunt 6. [21] filios 6.

ANNALES LAURISSENSES.

ceptos [1], et cum sacramenta firmata [2] reversus est in Frantiam [3]. Carlomannus monachus [4] Vienna [5] civitate remansit una cum Bertrandane [6] reginae [7] infirmus, languebat [8] dies multos et obiit [9] in pace.

## DCCLVI [10].

Dum prospexisset Pippinus rex, ab Haistulfo Langobardorum rege ea non esse vera, quod [11] antea [12] promiserat de iustitiis sancti Petri, iterum iter peragens in Italiam, Papiam obsedit, Haistulfum inclusit, magis magisque de iustitiis sancti Petri confirmavit [13], ut stabiles permanerent, quod antea promiserat [14], et insuper Ravennam cum Pentapolim [15] et omni Exarcatu [16] conquisivit et sancto Petro tradidit [17]. Et dum reversus est Pippinus rex, cupiebat supradictus Haistulfus [18] nefandus rex [19] mentiri quae antea pollicitus fuerat, obsides dulgere [20] [a], sacramenta inrumpere [21]. Quodam die venationem fecit, et percussus est [22] Dei iudicio, vitam finivit. [23] Et quomodo et qualiter missus est Desiderius rex in regno, postea dicamus [24]

## DCCLVII.

Misit Constantinus imperator regi Pippino cum aliis donis organum, qui [25] in Franciam usque pervenit. Et rex Pippinus tenuit placitum suum in Conpendio [26] cum Francis, ibique Tassilo venit, dux [27] Baioariorum, in vasatico [28] se commendans per manus, sacramenta iuravit multa et innumerabilia, reliquias [29] sanctorum martyrum [30] manus inponens [31], et fidelitatem promisit regi Pippino et supradictis filiis eius, domno Carolo et Carlomanno, sic ut vassus [32] recta mente et firma devotione per iustitiam [33], sicut vassus [34] dominos suos [35] esse deberet [b]. Sic confirmavit supradictus Tassilo [36] supra corpus sanctorum

### VARIANTES LECTIONES.

[1] susceptos 15. [2] sacramento 1. sacramenta firmata haberet 7. sacramenta firmata essent 9. sacramentis confirmatos 15. [3] franciam 1. 7. 8. 9. [4] C. autem monachus 1. 7. [5] in Vienna 1. [6] bernnadana 1. bertrada 9. berhtrade 15. [7] regina 1. 7. (8.) 9. [8] languebatque 7. (8.) 9. [9] et sic obiit in pace 7. (8.) 9. [10] *Anni* 756 *et* 757 *desunt in cod.* 15. [11] quae 1. 7. (8.) 9. 12. [12] ante 1. [13] confirmavit, instabi-
D lis semper maneret 1. [14] antea semper p. 7. [15] pentapoli 1. 7. 9. 12. [16] exarchatu 1. 7. 9. 12. [17] reddidit 1. [18] haistolfus 7. [19] nefandus rex h. 1 [20] obsides denegare 1. [21] irrumpere 1. 7. 9. [22] est *iam in* 5. *erasum*, *deest* 7. 9. 12. [23] finivit vitam 1 [24] dicemus 7. (8.) 9. [25] organum quod 1. 7. (8?) o. quae 12. [26] compendio 1. 7. 8. 9. 12. [27] thessilo dux venit 1. [28] vassatico 7. 9. [29] reliquia 5. 6. reliquiis 1. 7. (8.) 9. [30] *deest* 5. [31] imponens 1. 7. (8). 9. [32] vasallus 1. [33] iustitiam sicut vasallus 1. [34] sicut vassus *excidit in* 7. (8.) 9. [35] domino suo 1. 7. (8.) 9; *iam* s *finale in* 5 *erasum*, dominos suos *loco* dominis suis *non intellecto; pluralem tamen singulari numero praeferre antecedentia suadent.* [36] thessilo 1.

### NOTÆ.

[a] Relinquere, deserere.

[b] Sententia est : Tassilo Pippino et filiis fidelitatem promisit, ita ut, quemadmodum vassus dominis suis esse deberet, sic ipse vassus recta mente et firma devotione per justitiam (ut justum erat) esset in futuro.

ANNALES LAURISSENSES.

Dionisii [1], Rustici et Eleutherii, nec non et sancti Germani seu sancti Martini [2], ut omnibus diebus vitæ eius [3] sic conservaret, sicut sacramentis promiserat [4] : sic et eius homines maiores natu, qui erant cum eo, firmaverunt, sicut dictum est, in locis superius nominatis, quia [5] et in aliis multis. Natalem Domini et pascha Corbonaco [a] celebravit.

DCCLVIII.

Pippinus rex in Saxoniam ibat [7], et firmitates Saxonum per virtutem introivit [8], in loco qui dicitur Sitnia [9] [b], et multae strages [10] factae sunt in populo Saxonum [11] : et tunc polliciti sunt contra Pippinum omnes voluntates eius faciendum [12], et honores in placito suo praesentandum [13], usque in equos trecentos per singulos annos. Et [14] inmutavit se numerus annorum in

DCCLIX.

Natus est Pippino regi filius, cui supradictus rex nomen suum inposuit [15], ut Pippinus vocaretur sicut et pater eius; qui vixit annos duos, et in tertio defunctus est. [16] Eodem [17] anno celebravit natalem Domini in Longlare [18] [c] et pascha in Iopila [19] [d]. Et inmutavit [20] se numerus annorum in

DCCLX.

Tunc Pippinus rex, cernens Waipharium [21] ducem Aquitaniorum minime consentire iustitias ecclesiarum partibus quae erant in Francia, consilium fecit cum Francis, ut iter ageret [22] supradictas iustitias quaerendo in Aquitania. Et pervenit usque in locum, qui dicitur Tedoad [23] [e]. Et cum haec vidisset Waipharius, misit missos suos, Adotbertum [24] et Dadinum [25], et dedit obsides Adalgarium [26] et Eitherium

VARIANTES LECTIONES.

[1] dionisi 5. [2] Germani et sancti Martyris 1. [3] vitae suae 7. (8.) 9. [4] sacramentis constrictus p. 1. 7. (8?) [5] quia *deest* 1. 7. (8?) 9. [6] Natalem etc. *desunt in omnibus codd. excepto* 5. *et* 9., *in quo tamen ita reperitur :* Eodem anno celebravit natalem domini in Corbonaco et pascha. Et immutavit se numerus annorum in 758. [7] ibi 1. [8] civitates saxonum cum virtute bellica introivit 15. [9] sithma 1. situnna 7. sitina 12. [10] multas trages 5. [11] in populo saxonum factae sunt. Et post haec polliciti sunt pippino se omnes v. e. facturos et honore suo se praesentandos usque ad equos 15. [12] faciendas 1. [13] praestandum 1. [14] Et etc. *deest* 15. [15] imposuit 1. 7. 9. [16] defunctus e. i. tertio 1. 7. [17] Eodem etc. *omnia usque ad a.* 775 *desunt* 15. [18] longlase 1. [19] topila 1. [20] mutavit 1. [21] wapharium 1. waffarium 7. waifarium 7 b. 9. 12. gnaifarium 13. *ita deinceps fere semper.* [22] ut quae ageret 1. [23] thedoad 1. theodoad 12. tedoat. 13. [24] dotbertum 1. otbertum 8. autbertum 9. otherium 12. atbertus 13. [25] dawinum 12. [26] ad Algarium Ce-

ANNALES EGINHARDI.

DCCLVIII.

Pippinus rex cum exercitu Saxoniam adgressus [1] est; et quamvis Saxonibus validissime resistentibus et munitiones suas tuentibus, pulsis proelio propugnatoribus, per ipsum, quo patriam defendere conabantur, vallum intravit. Commissisque passim prœliis, plurimam ex ipsis multitudinem occidit [2], coëgitque ut promitterent, se omnem voluntatem illius esse facturos [3], et annis singulis [4] honoris causa ad generalem conventum equos 300 pro munere daturos. His ita compositis, et more Saxonico, ut rata esse deberent, confirmatis, in Galliam sese cum exercitu suo [5] recepit.

DCCLIX.

Natus est Pippino regi filius, quem suo nomine Pippinum vocari voluit. Sed puer inmatura morte praeventus, tertio post nativitatem suam anno decessit. Hoc anno celebravit rex natalem Domini in Lonclare [6], et pascha in Iopila ; neque extra regni sui terminos aliquod iter fecit.

DCCLX.

Waifarius dux Aquitaniae, cum res, quae in sua potestate erant, et ad ecclesias sub manu Pippini regis constitutas pertinebant, rectoribus ipsorum venerabilium locorum reddere noluisset, ipsumque regem pro his se [7] per legatos suos commonentem audire contemneret, contumacia sua ad suscipiendum contra se bellum concitavit. Nam rex contractis undique copiis Aquitaniam ingressus, bello se res et iustitias ecclesiarum exacturum [8] pronuntiavit. Cumque in loco, qui Tedoad [9] vocatur, positis castris consedisset, Waifarius bello certare non ausus, missa [10] ad regem legatione, spondet se imperata facturum, ecclesiarum iustitias [11] redditurum, obsides qui imperarentur daturum : dedit etiam duos de primoribus gentis, Adalgarium et Itherium. [12] Et hoc facto, commotum contra se [13] regis animum adeo [14] mitigavit, ut statim bello desisteret. Nam acceptis obsidibus, qui ad fidem promissionibus faciendam dati sunt, rex bello abstinuit, domumque reversus,

VARIANTES LECTIONES.

[1] ingressus 4. [2] *ita* 1; *celeri* cecidit. [3] voluntatem eius facturos 7. [4] s. a. 7. [5] suo exercitu 2. [6] longlare 7. [7] regem de hisce per 7. [8] se res ecclesiarum bello exacturum 7. [9] tedo 4. thedoad 3? 5. 6. 7. [10] emissa 4. [11] ecclesiis sua iura 7. [12] iterium 5. 6. [13] ita contra se commotum 7. [14] *deest* 7.

NOTÆ.

[a] *Cherbonne* ad Axonam contra Attiniacum posita, aut *S. Marcou*, olim Corbeni nuncupatum, Vales. Notit. Gall. p. 160.

[b] desertum Senda, Sinedi, Sinidi *die Sende?*

[c] Valesio p. 283, *Glaire* in Arduenna.

[d] *Jupille* contra Leodium et Haristallium, in dextra Mosæ ripa.

[e] *Doué*, vicus 15000 passuum a fluvio Ligeri remotus, in finibus Pictonum et Andium prope *Saumur*. Vales. l. c. p. 552.

ANNALES EGINHARDI. A

dimisso exercitu, in villa Carisiaco [1] hiemavit, in qua et natalem Domini et pascha celebravit.

DCCLXI.

Waifarius dux, quamquam obsides dedisset, sacramenta [2] iurasset, satius tamen ratus, si [3] de inlato sibi anno superiore bello ultionem exigeret [4], exercitum suum, qui Francorum possessiones popularetur, usque ad Cabillonem civitatem fecit accedere. Quod cum [5] Pippino regi generalem conventum agenti in villa Duria [a] fuisset nunciatum, coactis undique auxiliis [6], cum magno belli apparatu Aquitaniam ingressus, quaedam opida [7] atque castella manu cepit : in quibus praecipua fuere Burbonis, B Cantilla, Clarmontis [b]. Quaedam [8] se victori ultro dediderunt [9], maximeque Arvernorum [10] castella, quae tunc bello premebantur. Rex tamen cuncta quae extra munitiones invenit, ferro et igni [11] devastans, postquam ad Limovicas [12] [c] oppidum venit, reversus est, et in villa Carisiaco hibernis habitis, natalem Domini ac pascha celebravit. In hac expeditione fuit cum rege filius eius [13] primogenitus Karlus, ad quem post patris obitum totius imperii summa conversa est [14].

DCCLXII.

Pippinus rex suscepto a se bello finem inponere cupiens, iterum Aquitanicam provinciam cum magnis copiis intrat : captisque Biturica [15] [d] civitate C et castello Toarcis [e], revertitur. Hiemavitque in villa Gentiliaco [f], atque in ea [16] natalem Domini ac paschalis festi sollemnia [17] celebravit.

DCCLXIII.

Redeunte anni congruo tempore, conventu in Nivernis [18] [g] habito, et contractis undique copiis, rex Pippinus Aquitaniam repetit, et omnia quae extra munitiones erant ferro et igni depopulatus, usque ad Cadurciam [h] opidum accessit. [19] Inde cum integro exercitu [20] in Franciam se recepturus, per Lemovicam [21] regreditur. De qua expeditione Tassilo [22] Baioariae [23] dux, aegritudine per dolum simulata, patriam [24] reversus est, firmatoque ad defectionem animo, ad regis conspectum [25] ulterius se [26] venturum

VARIANTES LECTIONES. D

[1] carisiaca 6. [2] sacramentaque 7. [3] *deest* 7. [4] exigere 7. [5] dum 6. [6] consiliis 4. confiniis 6. [7] oppida 2-7. [8] quae 1. [9] dederunt 3? 5. 6. 7. [10] aruenorum 4. aruennorum 5. 6. avernorum 7. [11] igne 7. *constanter.* [12] lemovicas 5. 6. limovicam 7. [13] *deest* 5. 6. [14] pervenit 7. [15] beturica 4. [16] eadem 4. [17] sollempnia 2. 4. solempnia 3. solennia 5. solennitatem 7. [18] niversis 3. [19] venit 4. [20] e. i. 7. [21] limovicam 7. [22] thassilo 5. [23] dux baioariae 4. [24] in patriam 7. [25] aspectum 7. 3? [26] se u. 7.

ANNALES LAURISSENSES.

regi Pippino, ut omnia redderet [1], quicquid supradictus rex quaerebat in causis ecclesiasticis. Et celebravit natalem Domini in Carisiago [2] et pascha. Et inmutavit [3] se numerus annorum in

DCCLXI.

Waipharius dux Aquitaniorum, minime cogitans de obsidibus vel de sacramentis [5] suis, quasi in vindictam [6] supra Pippinum regem exercitum misit, qui ad Cavalonum [7] civitatem venerunt. Dum et supranominatus rex synodum suum [8] teneret in villa qui [9] dicitur Dura [10], nuntiatum est ei, quod Waipharius in omnibus mentitus est; iterum rex [11] Pippinus illuc cum exercitu iter peragens, et eius filius primogenitus nomine Carlus [12] cum eo, et multa castella coepit [13], quorum nomina sunt, Burbonnis [14], Cantela, Clarmontis [15]. Istas [16] per pugnam coepit, et in Alverno [17] alia multa [18] castella coepit per placitum, quae se subdiderunt in eius dominio, et pervenit usque Limovicas [19], vastando et desertando [20] supradictam provinciam propter neglegentiam [21] Waifarii ducis. Et celebravit natalem [22] Domini in Carisiago [23] villa, et pascha [24] similiter. Et iumutavit se [25] numerus annorum in

DCCLXII.

Tertio in Aquitania [26] Pippinus rex iter faciens, et coepit civitatem Bituricam et castrum quod dicitur [27] Toarcis [28]. Et celebravit natalem Domini in Gentiliaco villa [29], et pascha similiter. Et [30] inmutavit se numerus annorum in

DCCLXIII.

Pippinus rex habuit placitum suum in Nivernis, et quartum iter faciens in Aquitaniam, ibique [31]

VARIANTES LECTIONES.

therium 1. Adalgarium et Aiterium 7. A. et Itherium 8. et Adalgarium et dedit obsides iterum regi P. 9. A. et itherium 13. [1] redderet et q. 1. 7. [2] carisiaco 7. (8.) 9. 12. 13. [3] et immutatus est 7. [4] waifarius *hic et infra* 5. [5] vel sacramentis 1. [6] vindictam suam in P. 1. v. super P. 7. 9. vindicta supra 13. [7] calualdonum 1. cabilonum 7. cavalonnum 8. cavallonum 9. cabilonem 12. [8] synodum suam 1. 7. (8.) 9. [9] villa quae 1. 7. (8.) 9. [10] duria 7 b. 12. [11] tunc iterum rex 7. t. rex it. 9. [12] carolus 1. 7. (8.) 9. karolus 12. *ita deinceps.* [13] cepit 1. 7. (8.) 9. 12. 13. *ubique.* [14] burbonis 1. 13. [15] darmoantis 1. claramontis 13. [16] istos 1. istas 5. ista 7. (8.) 9. [17] auernen 1. [18] multa alia 7. [19] lemonicas 1. lemovicas 7. (8.) 9. lemodicas 12. limodicas 13. [20] destruendo 1. 7. [21] negligentiam 1. neglegentias 7. negligentias 9. [22] natale 1. [23] carisiaco 7. 12. [24] domini et pascha in carisiaco villa anno domini 762. 9. [25] immutatus est n. 1. [26] aquitaniam 7. 9. [27] *deest* 1. [28] toaras 1. toarciis 12. [29] villa similiter et p. 1. [30] Et inm. etc. *deest* 1 [31] ibi 1. 7. (8.) 9.

NOTÆ.

[a] *Duren* inter Coloniam et Aquas.
[b] *Bourbon, Chantelle-le-Chastel et Clermont.*
[c] *Limoges.*
[d] *Bourges.*
[e] *Thouars.*
[f] *Gentilly*, prope Parisios
[g] *Nevers.*
[h] *Cahors.*

ANNALES LAURISSENSES.

A Tassilo [1] dux Baioariorum postposuit sacramenta et omnia quae promiserat, et per malum ingenium se inde seduxit, omnia benefacta, quae Pippinus rex avunculus eius ei fecit, postposuit; per ingenia fraudulenta se subtrahendo Baioariam petiit, et nusquam amplius faciem supradicti regis videre voluit. Rex Pippinus iter peragendo per Aquitaniam [2], usque ad Cadurciam [3] pervenit, Aquitaniam vastando, et revertendo per Limovicas [4] in Franciam [5] reversus est. Et facta est hiemps [6] valida, et tenuit rex [7] Pippinus natalem Domini in villa, qui [8] dicitur Longlar [9], et pascha similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCLXIV

B Tunc Pippinus rex [10] habuit placitum suum [11] ad Wormatiam, et nullum iter aliud [12] fecit, nisi in Francia [13] resedit, causam [14] pertractabat inter Waifarium et Tassilonem [15], et celebravit natalem Domini in [16] Carisiago [17] villa, et pascha [18] similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCLXV [19].

Tunc Pippinus rex [20] habuit placitum [21] suum [22] ad Attiniacum, et nullum fecit aliud iter, et celebravit natalem Domini in Aquis villa, et pascha similiter. Et inmutavit [23] se numerus annorum in

C

DCCLXVI.

Tunc Pippinus rex perrexit iter faciens in Aquitaniam; et placitum suum habuit in Aurelianis civitate, et restauravit Argentomo [24] [a] castro, quod antea Waifarius destruxit. Supradictus Pippinus rex castrum nominatum [25] reaedificavit, ibi [26] Francos misit [27] Aquitaniam continendo [28], similiter et in Biturigas [29] Francorum [30] scaram conlocavit. Et celebravit natalem Domini in Salmunciagum [31] [b] villam [32], et pa-

VARIANTES LECTIONES.

[1] thessilo *ita et deinceps* 1. [2] aquitaniam u. ad c. pervenit *deest* 5. [3] ad durcia 13. [4] lemovicas 7. (8.) 9. 12. legemodicas 13. [5] francia 13. [6] hyems 1. 9. hiems 7. 12. [7] rex *deest* 1. [8] quae 1. 7. (8.) 9. [9] longlaar 1. longolare 12. [10] rex *deest* 1. rex pippinus 7. 9. [11] suum *deest* 1. [12] et nihil tunc aliud 1. 7. [13] franciam 7. 9. [14] caussam 1. causamque 7. 9. [15] wapharium tessilonem 1. [16] in *deest* 1. [17] carisiaco 7. 12. [18] domini et pascha in parisiaco villa anno domini 765. 9. [19] *anni* 764 *et* 765 *desunt in* 13. [20] rex p. 1. 7. 9. (8.) [21] placitum habuit 1. 7. [22] suum *deest* 1. [23] Et inmutavit etc. *deest* 1. [24] argentonio castrum 1. argentomum castrum 7. (8.) 9. argentomachum castrum 12. [25] nominatum *deest* 1. [26] ibique 7. 9. [27] dimisit 7. [28] convivendo 1. ad aquitaniam continendam 9. [29] biturgiis 1. bituricas 7. (8.) 9. 12. uituricas 13. [30] francorum *deest* 1. [31] salmonigo villa 1. salmongiagum villam 7. salmoniaco 12. [32] villam *deest* 9.

ANNALES EGINHARDI.

abiuravit. Rex, dimisso in hiberna exercitu [1], ad hiemandum [2] in villa Longlare [3] consedit, atque ibi natalem Domini ac pascha celebravit. Facta est autem eo [4] tempore tam valida atque aspera hiemps, ut inmanitate frigoris nullae [5] praeteritorum annorum hiemi videretur posse [6] conferri.

DCCLXIV.

Rex Pippinus, distracto [7] in diversa animo propter duo bella, Aquitanicum [8] iam olim susceptum, et Baioaricum [9] propter Tassilonis ducis defectionem suscipiendum, populi sui generalem conventum habuit in Wormacia civitate. Dilataque in futurum expeditione, illo anno domi se continuit. Hiemavitque in villa Carisiaco, atque in ea natalem Domini et sanctum paschalis festi sollemne [10] celebravit. Eodem anno [11] eclipsis [12] solis facta est primo die [13] Non. Iun. hora sexta.

DCCLXV.

Hoc anno rex Pippinus domi se continuit, neque propter Aquitanicum bellum, quamvis nondum finitum, regni sui terminos egressus est, sed generalem populi sui conventum in Attiniaco [14] villa, hiberna [15] Aquisgrani habuit [16], ubi et [17] natalem Domini et pascha celebravit.

DCCLXVI.

Pippinus rex propter conficiendum Aquitanicum bellum conventu [18] Aurelianis habito, in Aquitaniam profectus, distructum [19] a Waifario Argentomagum [20] castrum reaedificat [21], depositoque [22] ibi necnon et in [23] Biturica civitate Francorum praesidio, regreditur, natalemque [24] Domini Salmonciaci [25], pascha vero Gentiliaci [26] celebravit.

VARIANTES LECTIONES.

[1] e. in b. 7. 3? [2] himandum 2. [3] longlare 7. [4] hoc 7. [5] nulli 7. [6] *deest* 2. [7] dictracto 4. [8] A. scilicet 7. 3? [9] baioariorum 2. [10] sanctum pascha cel. 7. sanctam paschalis festi solennitatem 5. 6. D [11] eodem anno *deest* 2. [12] eclypsis 1. 4. [13] II. non iun. 3. 4. 5. primo die *deest* 2. [14] atiniaco 2. [15] hieberna 1. [16] Attiniaco villa habuit. hibernum tempus aquisgrani fuit 5. [17] ubi 3. 5. ibi et 6. [18] c. in 7. 3? [19] destructum 2-7. [20] argentum magnum 5. [21] reparat 7. 5? [22] dispositoque 2-7. [23] in *deest* 2. 4. et ibi et in 7. [24] natalem 7. [25] salmontiaci 4. salmontiaco 5. 6. [26] gentiliaco 5. 6.

NOTÆ.

[a] *Argenton*, a meridie et occidente oppidi *Châteauroux*.

[b] *Samoussy* prope Lugdunum-Clavatum.

ANNALES EGINHARDI. A

### DCCLXVII.

Orta quaestione [1] de sancta Trinitate et de sanctorum imaginibus inter orientalem et occidentalem ecclesiam, id est Romanos et Graecos, rex Pippinus, conventu in [2] Gentiliaco villa congregato [3], synodum de ipsa quaestione habuit; eoque peracto [4], ad bellum praedictum conficiendum post natalem Domini in Aquitaniam proficiscitur. Et per Narbonam iter agens, Tolosam [5] adgressus coepit [6], Albiensem et Gavuldanum [7]. [a] pagos in deditionem accepit. Et Viennam reversus, postquam ibi et paschalis festi sacra peregit, et exercitum a labore refecit, iam prope aestate confecta, mense Augusto B ad reliquias belli profectus est; et Bituricam veniens, conventum more Francico [8] in campo egit [9]. Indeque [10] ad Garonnam [11] fluvium accedens [12], castella multa et petras atque [13] speluncas, in quibus se hostium manus plurima defendebat, coepit, inter quae praecipua fuere Scoralia [14], Torinna [15] et [16] Petrocia. Reversusque [17] Bituricam, exercitum in hiberna [18] dimisit, ipse [19] ibi considens [20] natalem Domini celebravit. Eo anno Paulus papa Romanus defunctus est, cuius rei nuntius ibi ad regem pervenit.

### DCCLXVIII.

Rex Pippinus cum primum ad bellum gerendum tempus congruum esse videret, evocato undique exercitu, ad Santonicam [21] civitatem contendit. Captoque [22] in itinere Rimistaino [23], cum ad urbem praedictam venisset, mater et soror et neptes [24] Waifarii ducis [25] ad conspectum eius adductae sunt. Quas cum pie susceptas [26] servari iussisset, ad Garonnam fluvium proficiscitur, ubi ei Erowicus [27] cum alia praedicti ducis sorore occurrit, in loco qui Montes vocatur, seque et illam regi tradidit. Rebus igitur aliquot prospere gestis, rex [28] revertitur, et in castello quod dicitur Sels [29] pascha celebravit.

#### VARIANTES LECTIONES.

[1] quaestio 4. [2] in *deest* 5. [3] pipp. gentiliaco villa congregacio 6. [4] eaque peracta 4. [5] tholosam 6. [6] caepit 4; cepit 2. 3. 5. 6. 7. [7] gavuldianum 3. gavuldensem 7. [8] franciaco 5. 6. [9] habuit vel egit 4. D [10] ibique 6. [11] garonam 2. garongam 4. [12] acedens 2. [13] adque 2. [14] scolaria 3. 4. [15] tifrinna 4. torrinna 5. 6. [16] atque 4; *deest* 7. [17] reversus 4. [18] hybernia 7. [19] ipse vero ibi 3. ipse autem ibi 6. [20] moratus 7. [21] sattonicam 4. [22] capto 4. [23] rimastamo 6. [24] neptesque 7. 3? [25] regis 6. [26] *deest* 6. [27] eberwicus 7. eworwicus 3. [28] *deest* 3. [29] fels 2.

ANNALES LAURISSENSES.

scha [1] in Gentiliaco [2]. Et inmutavit se numerus annorum in

### DCCLXVII

Tunc habuit domnus Pippinus rex [3] in supradicta villa synodum magnum [4] inter Romanos et Graecos de sancta Trinitate [5] vel de sanctorum imaginibus, et postea perrexit iter peragens partibus [6] Aquitaniae per Narbonam, Tolosam coepit, Albiensem similiter necnon et Gavuldanum [7]; et sanus reversus est in patriam, et celebravit pascha in Vienna [8] civitate. Et in eodem anno in mense Augusto iterum perrexit [9] partibus [10] Aquitaniae, Bituricam usque venit, ibi synodum fecit cum omnibus Francis solito more in campo, et inde iter peragens, usque ad Garonnam [11] pervenit, multas roccas [12] [b] et speluncas conquaesivit [13], castrum Scoraliam [14] [c], Torinnam [15], Petrociam [16], et reversus est Bituricam, ibique nuntiatum est de obitu Pauli papae, et ibi celebravit natalem Domini [17]. Et inmutavit se numerus annorum in

### DCCLXVIII.

Domnus Pippinus rex iter faciens, et Remistagnum [18] coepit, ad Sanctones civitatem usque pervenit, C et [19] ibi captam [20] matrem Waipharii et sororem eius et neptas [21] eius [22], usque ad Garonnam; inde perrexit in loco qui dicitur Montis [23] [d]. Ibi Herowicus [24] veniens cum illa alia sorore Waipharii ducis, et inde sanus reversus, pascha celebravit in castra qui [25] dicitur Sels [e]. Iterum iter adsumens [26] cum domna Bertradane regina ad Sanctones [27] civitatem pervenit, ibique domna Bertra-

#### VARIANTES LECTIONES.

12. [1] pascha similiter. *cetera desunt* 1. [2] gentiliaco anno q. 767. 9. [3] rex *deest* 1. rex pippinus 7. 9. [4] magnam 1. [5] sancta ciuitate 1. [6] in partibus 1. 9. [7] gwaldanum 1. gavaldanum 7. gavaldanam 12. galuuldanum 13. [8] bienna 13. [9] perexit *saepius* 5. [10] ad partes 1. [11] usque a garonnam civitas pervenit 13. [12] rockas 1. [13] conquisivit 1. 7. (8) 9. [14] scoram 1. [15] torvinam 12. [16] perotiam 1. [17] natalem domini anno 768. 9. [18] et Rhenum stagnum 1. herimstagnum 13. [19] et *deest* 7. 9. 12. [20] capit 1. 12. [21] capta matre... sorore... nepti 7. 9. [22] eius et venit 1. 7. [23] montis (*alii* Mortis) 1. [24] heronicus 1. herovicus 7. hibi erohunicus 13. [25] castro quod 1. 7. (8.) 9. [26] assumens 1. 7. 9. 12. [27] xanctones 1.

#### NOTÆ.

[a] *Le Gévaudan*, pagus antiquus Gabalorum in Arvernis. Vales. p. 213.

[b] Rocca hodieque in Italia castellum montanum audit, exempli gratia, Rocca del Papa in monte Albano, et quam plurima in Apennino.

[c] *Scorailles*, *Turenne*. *Peyrusse*. BOUQUET.

[d] Locus Valesio et Bouqueto incognitus.

[e] Aut *Seltz* in Alsatia aut locus quidam Aquitaniæ. Vir cl. Guizot in Gallica annalium nostrorum versione (Collection des mémoires relatifs à l'histoire de France. Annales d'Eginhard, p. 11.) *Selles* vertit; Valesius duo ejus nominis loca recenset, *Selles en Berry* aut potius *Celle*, Cella S. Eusicii, et *Selles sur Nahon* seu potius *Celle*, Cella S. Genulphi; cum vero *Sels* non a *Cella* originem ducat, viro de historia maxime merito hac in re assentiri non possumus.

ANNALES LAURISSENSES.

A dane regina [1] cum familia dimisit, et partibus Petrogorigo [2] perrexit: et interempto Waiphario, cum triumpho victoriae ad Sanctones [3] reversus est. Ibique moram faciens aliquod [4] dies, aegrotare coepit, partibus Turonorum [5] revertendo perrexit [6], orationem ad sanctum Martinum [7] fecit [8], ad sanctum Dionysium [9] usque pervenit, ibique diem obiens [10] finivit 8. Kalend. Octob [11]. Domnus vero Carolus et Carlomannus elevati sunt in regnum, et domnus Carolus 7. Idus Octob. in Noviomo [12] civitate, Carlomannus in Suessionis civitate similiter; et celebravit praedictus gloriosus domnus Carolus rex natalem Domini in villa quae dicitur Aquis, et pascha in Rodomo [13] civitate. Et inmutavit [14] se numerus annorum in [15]

ANNALES EGINHARDI.

Adsumptaque secum uxore atque familia sua iterum ad urbem Santonicam [1] venit. Dimissaque ibi uxore et [2] familia, cum omnibus copiis ad persequendum Waifarium ducem animum intendit, nec [3] [prius destitit, quam aut caperet aut interficeret rebellantem.][4] Interfecto igitur duce Waifario [5] in territorio [6] Petragorico [a], confectoque, ut sibi videbatur, Aquitanico bello, Santonas reversus est. Cumque ibi aliquantum temporis moraretur, aegritudine decubuit. In ipsa [7] tamen valitudine [8] Turonos delatus, apud sancti Martini memoriam oravit. Inde cum ad Parisios venisset [9], 8 Kal. Octob. diem obiit; cuius corpus in basilica beati Dionisii martiris humatum est. Filii vero [10] Karlus et Karloman-

B nus consensu omnium Francorum reges creati, et Karlus in Noviomo [11] [b] civitate, Karlmannus in Suessona [12] insignia regni susceperunt [c]. Karlusque, qui maior natu erat, Aquasgrani [13] profectus, ibi natalem Domini, et in Ratumago [14] civitate pascha celebravit.

DCCLXIX.

Domnus Carolus gloriosus [16] rex iter peragens partibus Aquitaniae, eo quod Hunaldus [17] voluit rebellare totam Wasconiam etiam et [18] Aquitaniam, et cum paucis Francis [19] auxiliante Domino dissipata iniqua consilia [20] supradicti Hunaldi; et in ipso itinere iungens se supradictus [21] magnus rex cum germano suo Carlomanno [22] in loco qui dicitur Duosdives [23]. Inde Carlomannus se revertendo Franciam [24] iter arripiens, domnus Carolus benignissimus

C rex ivit ad Aequolesinam [25] civitatem *, et inde

* [iter procedens ad Petrogoricum. Cuius partibus constituit basilicam iuxta fluvium nomen Dronam in honore beati Petri apostolorum principis, in qua post non multum temporis unum de innocentibus

DCCLXIX.

Postquam hii duo fratres patri [15] succedentes regnum inter se partiti sunt, Aquitania provincia, quae in sortem maioris natu Karli regis cesserat, remanentibus in ea transacti belli reliquiis, conquiescere non potuit [16]. Nam Hunoldus [17] quidam regnum adfectans, provincialium animos ad nova molienda concitavit. Contra quem ipse, cui eadem provincia sorte obvenerat, rex Karlus cum exercitu profectus est. Sed cum fratris auxilium habere non posset, qui procerum suorum pravo consilio ne id faceret inpediebatur, conloquio tantum cum eo habito in loco qui Duasdives [d] vocatur, fratre in regnum suum remeante, ille Egolisenam [18] [e] Aquitaniae civitatem proficiscitur, et inde, contractis undique [19] copiis, fugientem Hunoldum persequitur [20], paulumque [21] abſuit [22], quin caperet. Sed ille notitia locorum, in quibus regis exercitum latere poterat,

VARIANTES LECTIONES.

[1] ibique dictam reginam 1. 7. ibique domna bertradam reginam 9. [2] petragorico 9. [3] xanctones civitatem 1. sanctones civitatem 7. [4] aliquot 1. 7. (8.) 9. 12. [5] thuronum 1. [6] perrexit Orceronem ad sanctum Martinum et 1. [7] martynum 5. [8] fecit et ad 7. [9] dyonisium 5. [10] obiit octavo Caendas Octobris 1. [11] VII. kal. 7. [12] noviomis 1. [13] rodoma 9. [14] Et inmutavit etc. *hic ut saepius deest* 1. [15] *Anni* 768 *finis cum a.* 769, 770, 771, 772 *deest in* 13. [16] gloriosus 1. 7. (8.) 9. 11. gloriosissimus 5. *deest* 10. 12. [17] hunoldus 8. 9. [18] et etiam venit ad aquit. 1. [19] Francis *deest* 1. [20] dissipata sunt

D 1. 10. dissipavit 7. 9. 12. dissipatum est iniquum consilium 11. [21] praedictus 1. [22] carlomano germano suo 1. [23] ducischius 1. duasdives 7. (8.) 9. 10. 11. [24] in franciam 1. 7. (8?) 10. 11. [25] eguosesinam 1. equolesimam 7. equolesmam 9. equolesinam 10. egolismam 11. ecolensinam 12.

VARIANTES LECTIONES.

[1] santonicum 1. 2. 5. 6. sattonicam 4. [2] ac 7. 3? uxore sua et 6. [3] neque 7. [4] et caperet et rebellantem quoque interficeret 7. [5] w. d. 7. 3? [6] territurio 2. [7] illa 5. 6. [8] invalitudine 5. valetudine 7. [9] veniset 2. [10] vero eius 7. [11] noviomago 4. 5. 6. 7. [12] suessona civitate 4. 5. 6. suessiona 7. [13] karolus aquasgrani 7. [14] ratumagno 6. rotoimago 2. rotomago 7. [15] *deest* 2. [16] poterat 5. [17] hunholtus 7. *ita deinceps*. [18] ergo lisenam 6. lisenam 5. [19] undique contractis 7. undique *deest* 3. [20] prosequitur 7. 3? 2? [21] paululumque 7. 3? [22] afuit 1.

NOTÆ.

[a] *Périgueux*

[b] *Noyon.*

[c] Carolo præter dimidiam Aquitaniam borealis, fratri meridionalis regni Francorum portio obvenit. Carolo, exempli gratia, Andegavi, Rothomagum, Noviomum, Audriaca villa, monasteria S. Bertini et Corbeiense, Valentinianæ, Leodium, Haristallium, Aquæ, Duria, Trajectum inferius, Gorzia, Moguntia et Wormatia, ideoque Neustriæ et Austrasiæ pars borealis, Frisia, certe et Thuringia cum Baioaria cesserunt; in Carlomanni ditione, verbi causa, monasterium Argentoilum, Parisii, Suessiones, Salmontiacum, Corbonacum, Attiniacum, Pontio, Theodonis villa, Mettæ, Viridunum, Calmuntiacum, Brocomagum, Neustriæ et Austrasiæ pars meridionalis, Septimania, Burgundia, Provincia, Alsatia et Alamannia occurrunt.

[d] Ejus situs ignoratur, ultra Rhenum in regno Carlomanni fuisse videtur, non vero in Pictonibus.

[e] *Angoulême.*

A

ANNALES EGINHARDI.

liberatus est, dimissaque Aquitania Wasconiam [1] petiit, tutum se ibi fore arbitratus Erat tunc Wasconum dux, Lupus nomine, cuius fidei se Hunoldus committere non dubitavit. Ad quem rex missa [2] legatione, iubet sibi perfugam reddi, ea conditione mandata, si dicto audiens sibi non fuisset [3], sciret se bello Wasconiam ingressurum, neque inde prius digressurum, quam illius inoboedientiae finem inponeret. Lupus minis [4] regis perterritus, Hunoldum et uxorem eius sine cunctatione reddidit, se quoque quaecumque imperarentur facturum spopondit. At [5] rex, donec legati quos miserat reverterentur, castellum quoddam [6] iuxta Dornoniam [7] [a] fluvium vocabulo [8] Fronciacum [9] [b] aedificat. Reversis igitur legatis, reducto perfuga, aedificato [10] castello, in regnum suum regreditur [11]; celebravitque natalem Domini in villa Duria, et pascha apud sanctum Lantbertum [12] in vico Leodico [c].

ANNALES LAURISSENSES.

sumpsit plures Francos [1] * cum omni utensilia et praeparamenta [2] eorum [3] **, et ibat [4] super flumen Dornoniam [5], et aedificavit ibi castrum qui [6] dicitur Fronciacus [7]; et inde missos suos mittens post Hunaldum et uxorem eius ad Luponem Wasconem, dum et ibi moram fecisset [8] una cum Francis, adductus est [9] supradictus Hunaldus una cum uxore sua. Et *** castro praeparato [10] et Hunaldo recepto, reversus est in Francia [11], et celebravit natalem Domini in villa quae dicitur Duria [12], et pascha in Leodico vico [13] publico [14]. **** Et [15] inmutavit se numerus annorum in

collocavit datum patri suo a domno papa Romano, cuius meritis et auxiliis dicebat se victorem bello fuisse multoties. Locus autem quo basilica fundata B est, Brantosmis dicitur. Postea de Petrogorico et Engolesima aliisque locis sumens plures 7.]

* [qui civitatem ipsam aspiciebant 11.]

** [simulque Launum, episcopum eiusdem civitatis, qui fuerat capellanus domni Pippini regis patris sui, quem ipse rex Pippinus episcopum fecerat de ipsa civitate. 11.]

*** [recepto Unaldo et praeparato castro Fronciaco, rediit ad Egolesimam, ubi postulante Launo episcopo fecit in Monasterio sancti Eparchii auctoritatem praecepti de terris quae ibi sine contentione erant, id est super fluvium Tolveram, Magnacum, Iuvenacum, Vasnacum, Monterionem, Visacum, Roliacum; super fluvium Notram, Baudidanem villam, Camilon, Cavannacum, Ulciacum, Roliacum minorem, Torciacum, Sertis, Tomolatum; super fluvium Dornoniam, Montem villam, Baciacum, Triacum, Marlevam. Quod praeceptum Bartholomaeus cancellarius C eius scripsit, et ipse domnus rex manu sua firmavit, et de anulo suo sigillavit. Erat eo tempore in ipso monasterio sancti Eparchii canonicalis habitus. Inde gloriosus rex Carolus reversus est in Franciam. 11.]

**** [ubi sanctus Lambertus martyr in corpore requiescit 9 b.]

## DCCLXX.

Domnus [13] Karlus rex habuit populi sui conventum generalem [14] in Wormacia [15] civitate. Berthrada [16] vero, mater regum, cum Karlomanno minore filio apud Salusiam [d] locuta [17], pacis causa in Italiam proficiscitur, peractoque propter quod illo profecta

## DCCLXX.

Tunc domnus Carolus rex habuit synodum [16] in Warmatiam [17] civitatem, et Carlomannus et Berta

### VARIANTES LECTIONES.

[1] vasconiam 7. *constanter*. [2] missa ocius 7. [3] idque ea conditione ut nisi dicto obediens fuisset 7. sibi audiens 4. [4] nimis 1. minas 2. [5] Ad. 2. [6] *deest* 7; quod 3. [7] dornaniam 5. dordoniam 2. [8] nomine 7. 4. [9] franciacum 1. 3. fronctiacum 5. n. F. *deest* 2. [10] aedificatoque 4. 5. 6. [11] revertitur 2. 5. [12] lanbertum 2. [13] dominus 7. 3. *ita deinceps*. [14] generalem conventum 7. 3? [15] worcia 4. [16] berhtrada 5. berchtrada 6. bertharda 1. bertrada 7. [17] *comma in editione non hoc loco sed perperam post* causa *demum positum, sensum valde diversum reddit; lectionem nostram omnium quos ipse inspexi, et, ut mihi persuasum est, reliquorum etiam codicum auctoritas tuetur.*

### VARIANTES LECTIONES.

[1] et insumpsit populos francos 1. [2] omnibus utensilibus et praeparamentis 1. 11. omnibus utensilibus et praeparamenta 7. omni utensilio et praeparamenta 8. cum omnis generis apparatu 10. armis et utensilibus 12. [3] ipsorum et ibi super 1. [4] eorum ivit 7. [5] dernouicem 1. dordoniam 7. 9. D dordonam 10. dorhdoniam 12. [6] castrum quod 1. 7. (8.) 9. 10. 11. 12. [7] frontiacus 12. [8] fecisset venit cum 1. [9] adductus et 1. [10] praepartito 1. [11] franciam 1. 7. (8.) 9. 10. 11. 12. [12] dura 1. [13] leako vico 1. [14] puplico 5. [15] *anni huius finis ex Einh. vita Caroli paululum immutatus est in* 9 b. [16] synodum suum 7. [17] warmatia civitate 1. 7. (8.) 10. 12. *in codice* 5 *iam* m *in fine utriusque vocis erasum.*

### NOTÆ.

[a] *Dordogne.*

[b] *Fronsac.*

[c] *Lüttich.*

[d] *Seltz* in Alsatia; quamvis enim Schöpflinus in Alsatiæ Illustr. T. I, p. 706, 707, Valesium qui idem censuit, male habeat, et locum quemdam pagi Wormatiensis ad flumen Salusium prope Ingelheim intelligat, quod Carolus, Wormatiæ conventu celebrato, non in Alsatiam usque ascendisse videri possit, locum tamen non infra Wormatiam et in regno Caroli, sed in regno Carlomanni, ad quod Alsatia pertinebat, quærendum esse, omnes consentiant, qui annales nostros bene inspexerint; nam hic non de conventu Caroli, sed Carlomanni cum matre in Italiam profectura agitur.

ANNALES LAURISSENSES.

A

regina iungentes se ad * Salossa [1], et in eodem anno perrexit domna Berta regina per Baioariam partibus Italiae [2]. Et domnus Carolus rex celebravit natalem Domini in Mogontiam [3] civitatem et pascha in Haristallio [4]. [a] Et inmutavit se numerus annorum in

* [castro quod dicitur Salussa 9 b.]

DCCLXXI.

Tunc domnus Carolus rex synodum habuit [5] ad Valentianas [6] [b], et eodem anno Carlomannus [7] rex defunctus est in villa quae dicitur Salmonciacus [8], prid. Non. Dec. * Domnus rex Carolus venit [9] ad Corbonacum [10] villam, ibique venientes Wilcharius [11] archiepiscopus et Folradus [12] capellanus cum aliis episcopis et sacerdotibus [13], Warinus et Adalhardus [14] comites cum aliis primatibus qui fuerunt Carlomanni [15] **; uxor vero Carlomanni cum aliquibus paucis Francis partibus Italiae [16] perrexerunt [17]. Et praeclarus ac gloriosus [18] Carolus [19] rex celebravit natalem Domini in villa quae dicitur Attiniacus [20] et pascha in Haristallio [21] villa [22]. Et inmutavit se numerus annorum in

* [sepultusque est iuxta urbem Remorum in basilica beati Remigii confessoris 9 b.]

** [et unxerunt domnum Karolum super se in regem, et obtinuit feliciter monarchiam regni Francorum. Girberga vero uxor 9 b.]

DCCLXXII.

Tunc domnus Carolus mitissimus rex [23] sinodum [24] tenuit ad Warmatiam [25], et inde perrexit partibus Saxoniae prima vice, Aeresburgum [26] [c] castrum coepit, ad Ermensul [27] usque pervenit, et ipsum fanum

VARIANTES LECTIONES.

[1] salossen 1. salona 9. salussa 9 b. polassa 11. salussam 12. [2] in partes italiae 1. 10. 11. [3] moguntia civitate 1. mogunciam civitatem 7. (8.) mogunciam 9. magoncia civitate 10, magontia 12. et celebravit domnus carolus natale et pascha in warmatia 11, [4] haristalho 1. heristallio 7. harestallio 9. heristellio 12. [5] Egrefius (*Egregius*) Karolus rex sinodum habuit etc. *prima verba codicis* 6. [6] valentinianas 1. valaentianas 5. valentinas 6. [7] karlomannus 6. *ita et constanter* karolus. [8] salmuntiacus 4. salmanciacus 6. [9] dominus carolus 1. domnus carolus rex 5. d. r. karolus 6. carolus vero rex 7. (8.) 9. deinde rex karolus 10. et domnus rex karolus 11. venit autem rex karolus 12. [10] carbonam 1. corbanacum 4. 9. carbonacum 10. 11. [11] vulcarius 7. willarius 9. 12. wilbarius 10. wailerius 11. [12] fuldradus 1. fulradus 6. 7. (8.) 9. 10. folcarius 12. [13] episcopis ac sac. 6. [14] adalhartus 1. adalardus 7. (8.) 9. 11. adelardus 10. [15] fuerunt Caroli Magni 1. [16] ad partes italiae 1. in partes italiae 10. 11. [17] perrexit 1. 6. 7. (8.) 11. discessit 12. [18] et praeclarus et g. rex 1. gloriosus vero rex 9. et gloriosus rex 10. [19] carolus *deest* 1. [20] atquiacus 1. [21] haristelho 1. heristallio 7. [22] villa anno domini 772. 9. [23] Tunc carolus rex 1. Deinde karolus rex 10. [24] synodum 1. 7. 9. 10. 11. [25] vurmatiam 5. vurmaciam 6. wormatiam 9. warmaciam 10. [26] heresberg 1. heresburgum 7. 9. heresburch 12. [27] ermensil 1. hermensul 10. 12.

ANNALES EGINHARDI

est [1] negotio, adoratis etiam Romae sanctorum apostolorum liminibus, ad filios in Galliam [2] revertitur. Karlus autem rex natalem Domini Mogontiaci [3] sanctumque pascha in villa Haristallio celebravit.

DCCLXXI.

Peracto secundum morem generali conventu super fluvium Scaldiam [4] in villa Valentianas [5], rex Karlus ad hiemandum proficiscitur. Cumque ibi aliquamdiu moraretur, Karlomannus frater a. d. 2 Nonas [6] Decembris decessit in villa Salmontiaco [7]. Et rex ad capiendum ex integro regnum animum

B

intendens, Carbonacum [8] villam venit [9]. Ibi Wilharium episcopum Sedunensem [10] et Folradum presbiterum [11] et alios plures [12] sacerdotes, comites etiam atque primates [13] fratris sui, inter quos vel praecipui [14] fuere Warinus et Adalhardus [15] ad se venientes suscepit. Nam uxor eius et filii cum parte [16] optimatum in Italiam [17] profecti sunt. Rex autem profectionem eorum in Italiam quasi supervacuam patienter [18] tulit. Celebravitque natalem Domini Attiniaco [19] et pascha Haristallio [20].

DCCLXXII.

Romae Stephano papa defuncto, Hadrianus [21] in pontificatu [22] successit. Rex vero Karlus, congregato

C

apud Wormaciam [23] generali conventu, Saxoniam bello adgredi statuit, eamque sine mora ingressus, ferro et igni cuncta depopulatus [24], Aeresburgum [25] castrum coepit, idolum [26] quod Irminsul [27] a Saxonibus vocabatur [28] evertit. In cuius destructione cum in eodem loco per triduum moraretur, contigit ut, propter continuam caeli serenitatem exsiccatis [29] omnibus illius loci [30] rivis ac fontibus, aqua ad biben-

VARIANTES LECTIONES.

[1] erat 7. [2] in Galliam ad filios 4. 5. i. G. revertitur a. f. 6. [3] mogonciaci 2. mogonciaco 3. 5. 6. mogontiaci 4. in moguntiaco 7. [4] scaldim 7 [5] valentiana 7. valenciana 5. 6, [6] frater ad pridie Non. 1. frater ad pridie . . . 2. frater ad II. Non. 3. frater ad VI. non. 4. frater pridie non . 5. 6. frater

D

eius pridie Non. 7; *nos igitur mutato* ad *in* a. d. *veram lectionem* « ante diem II. Nonas Decembris decessit » *restituisse credimus.* [7] salmonciaco 7. 2? 3? salmotiaco 5. salmociaco 6. [8] carboniacum 2. [9] venit villam 4. [10] wlharium seduciensem 6. [11] brbm 1. [12] plurimos 5. [13] primatos 1. 2. 3. primates 4. 5. 6. 7. [14] praecipue 6. [15] adelhartus 7. [16] patre 5. [17] autem hanc eorum profectionem 7. [18] impatienter 7. [19] in attiniaco 7. 3? antiniaco 4. [20] in haristallio 7. 3? [21] adrianus 3. 4. 5. 6. 7. *ita deinceps.* [22] pontificatum 3-7. [23] wormaciam civitatem 4. [24] d. c. 4. 5. depopulatis cuncta 6. [25] *hac vice* eresburg *ceterum ut in textu* 1. [26] idolumque 7. [27] irminsula saxonibus 1. yrminsul saxonibus 6. [28] vocatur 5. 6. [29] exiccatis 7. exsiccatus 2. [30] l. i. 4.

NOTÆ.

[a] Infra Leodium situm est.

[b] *Valenciennes.*

[c] *Stadtberg* ad Timellam.

ANNALES EGINHARDI.

dum inveniri non posset. Sed ne diutius siti confectus laboraret exercitus, divinitus factum creditur, ut quadam die, cum iuxta morem tempore meridiano cuncti quiescerent, iuxta [1] montem qui castris erat contiguus, tanta vis aquae [2] in concavo [3] cuiusdam torrentis [a] eruperit, ut cuncto exercitui [4] sufficeret. Tum [5] rex, idolo destructo, ad Wisuram fluvium accessit, ibique [6] a Saxonibus duodecim obsides accepit. Inde in Franciam reversus, in villa Heristallio [7] et natalem Domini et sanctam paschalis festi solemnitatem [8] celebravit.

DCCLXXIII.

Hadrianus papa cum insolentiam Desiderii regis et Langobardorum [9] oppressionem [10] ferre [11] non posset, decrevit ut [12] legationem ad Karlum regem Francorum mitteret [13], eumque sibi [14] atque Romanis adversus Langobardos opem ferre rogaret [15]. Et quia id terreno itinere per Italiam fieri non poterat, eum quem miserat legatum, nomine Petrum, Romae navem [16] conscendere et Massiliam usque [17] per mare ire, atque inde terreno itinere in Franciam fecit pervenire. Qui cum ad regem in Theodone [18] villa [b], ubi tunc hiemaverat, pervenisset, et ei legationis suae causam aperuisset, eadem, qua venerat, via Romam regressus [19] est. Rex vero [20] rebus, quae inter Romanos ac Langobardos gerebantur, diligenti cura pertractatis, bellum sibi contra Langobardos pro defensione Romanorum suscipiendum ratus, cum toto Francorum exercitu Genuam [21] [c], Burgundiae civitatem iuxta Rhodanum sitam venit. Ibique de bello suscipiendo deliberans, copias quas secum [22] adduxerat [23] divisit, et unam partem cum Bernhardo [24] patruo suo per montem Iovis [d] ire iussit; alteram ipse ducens [25], per montem Cinisium [26] Italiam intrare [27] contendit. Superatoque Alpium iugo, Deside-

VARIANTES LECTIONES.

[1] prope montem 7. 3? [2] aquarum 3? 7. [3] concavitate 7. [4] e. c. 7. 3? [5] tunc 2? 3? 7. [6] ibi 1. [7] baristallio 7. [8] sanctum pascha 7. [9] longobardorum 4. 5. 6. *constanter*. [10] *deest* 7. 3? [11] ferret non posset 2. [12] *deest* 7. 3? [13] mittere 7. 3? [14] ut sibi 7. 3? [15] ferret rogare 7. 3? [16] navim 7. 3? [17] usque massiliam 4. 5. 6. [18] thedone 5. thedonis 7. [19] reversus 6. [20] *deest* 7. [21] gebennam 7. geneuam civitatem 3. [22] *uno folio exciso, sequentia usque ad voces anni* 775 virtute compulsi eas *in codice* 2. *desunt*. [23] duxerat 4. [24] bernharto 7. [25] *deest* 3. [26] cynisium 6. cinisum 7. [27] *deest* 7.

A ANNALES LAURISSENSES.

destruxit, et aurum vel argentum [1], quod ibi repperit [2] abstulit. Et fuit siccitas magna, ita ut aqua deficeret [3] in supradicto loco, ubi Ermensul [4] stabat et dum voluit ibi duos aut tres praedictus gloriosus [5] rex stare dies [6] fanum ipsum ad perdestruendum [7], et aquam non haberent; tunc subito divina largiente gratia media die, cuncto exercitu quiescente, in quodam torrente, omnibus hominibus [8] ignorantibus, aquae effusae sunt largissimae, ita ut cunctus exercitus sufficienter [9] haberet. Tunc super Wisoram [10] fluvium venit suprascriptus magnus [11] rex [12], et ibi cum Saxonibus placitum habuit, et recepit obsides duodecim [13], et reversus est in Franciam [14], et caelebravit natalem Domini in Haristallio [15], et pascha
B similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCLXXIII

Tunc domnus Carolus [16] rex [17] perrexit ad hiemandum [18] in villa quae dicitur Theodone [19] villa [20]; ibique veniens missus domni Adriani apostolici, nomine Petrus, per mare usque ad [21] Massiliam [22], et inde terreno [23] ad domnum [24] Carolum regem [25] usque [26] periungens [27] invitando scilicet supranominatum gloriosum [28] regem una cum Francis pro Dei servitio et iustitia sancti Petri seu solatio [29] ecclesiae super Desiderium regem et Langobardos [30]. Et ideo [31] maritime venit, quia viae clausae fuerunt [32] Romanis a Langobardis. Tunc domnus ac praecelsus Carolus rex consiliavit [33] una cum Francis, quid perageret [34]; et sumpto consilio [35], ut ita [36] sicut missus apostolici [37]

C

VARIANTES LECTIONES.

[1] aurum et arg. 1. [2] ibi retulit 1. [3] magna et tanta quod deficeret 1. deficeret ut sup. 5. [4] ermenstil 1. hermensul 10. [5] gloriosus *deest* 6. [6] dies *deest* 1. [7] perdistruendum 5. [8] hominibus *deest* 6. [9] suffitienter 6. [10] wiseram 9. wisaram 10. *ita deinceps*. [11] suprascriptus magnus *deest* 6. [12] rex magnus 1. [13] duodecim *deest* 7. [14] frantiam 5. [15] haristalho 1. domini et pascha in haristallio et in numeris mutatus est annus domini 773. 9. [16] Tunc rex karolus 6. [17] carolus mitissimus rex 7. [18] hyemandum 1. [19] teodone 6. [20] villa *deest* 1. [21] ad *deest* 1. 7. [22] maxiliam 5. arelatum 11. [23] inde cum Reno 1. inde terreno gressu 9. i. itinere terreno 10. inde per terram 11. [24] domnum *deest* 6. [25] regem *deest* 1. 7. 10. [26] usque *deest* 1. 6. [27] coniungens 1, perveniens 6. pervenit 9. [28] gloriosum *deest* 6. [29] per dei servicium et iusticiam
D sancti petri seu solatio 6. [30] longibardos 1. [31] et inde [32] clausae erant 6. [33] consilium iniit cum 1. consiliatus est una cum 6. consilium habuit una cum 10. [34] peraget 1. ageret 6. [35] consilio iussit sicut 1. c. iussit ut sicut 7. [36] ita *deest* 10. [37] adriani papae 7. 9. missus domni apostolici adriani per verbum ipsius post 6.

NOTÆ.

[a] De torrente isto prope Oldenbeke pagum haud multum a Fontibus Lippiæ distantem, qui jam fons resonus *der Bullerborn* audit, cf. Furstenbergii principis Monumenta Paderborn. p. 216. sqq. Cujus fontis natura cum ita comparata sit, ut eum ipsum torrentem nostrum esse ambigere non liceat, Irminsul quoque non Eresburgi, sed aliquot passuum millibus a Lippiæ fontibus orientem et meridiem versus constitisse patet. Hinc et Irminsul sive Ermensul Irmini sive Arminii columnam fuisse, et verum Varianæ cladis locum doceri videmur. Signum vero immortalis herois et fanum in quo consisteret, magnæ fuisse molis, ita ut vel hodie ejus fundamenta superessent, ex eo colligitur, quod Carolus cum toto exercitu suo triduum ad minus in ejus destructione consumpsit.

[b] *Thionville*, Diedenhofen.

[c] Genf, *Genève*.

[d] Summus Penninus, modo mons S. Bernardi major.

ANNALES LAURISSENSES. A

per verbum domni Adriani apostolici postolavit [1], ita fieret [2], tunc sinodum [3] suprascriptus [4] gloriosus rex [5] tenuit generaliter [6] cum Francis Ienuam [7] civitatem; ibique exercitum dividens [8] iam fatus domnus [9] rex, et perrexit ipse per montem Caenisium [10], et misit Bernehardum [11] avunculum suum per montem Iovem [12] cum aliis eius [13] fidelibus. Et tunc ambo exercitus ad clusas [14] se coniungentes [15], Desiderius ipse obviam domni Caroli regis venit [16]. Tunc domnus [17] Carolus rex una cum Francis castra metatus est ad easdem clusas; et [18] mittens scaram suam per montana [19], hoc sentiens [20] Desiderius [21], clusas [22] relinquens [23] supradictus [24] domnus Carolus rex una cum Francis, auxiliante Domino et intercedente beato Petro apostolo, sine laesione vel B aliquo conturbio clusas apertas, Italiam introivit ipse et omnes fideles sui; et Papiam [a] civitatem usque pervenit [25] et Desiderio incluso, ipsam civitatem obsedit. Ibique domnus Carolus in sua castra [26] natalem Domini celebravit, et pascha in Roma [27]. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCLXXIV.

Et dum [28] propter defensionem sanctae Dei Romanae ecclesiae eodem anno, invitante [29] summo pontifice, perrexisset [30], dimissa marca contra Saxones, nulla omnino foederatione suscepta [31], ipsi vero [32] Saxones exierunt cum magno exercitu super confinia Francorum [33], pervenerunt usque ad castrum quod nominatur Buriaburg [b]; attamen ipsi confiniales de hac causa solliciti, cum [34] hoc cernerent, C castellum [35] sunt ingressi. Dum igitur ipsa [36] Saxo-

VARIANTES LECTIONES.

[1] postulatum 1. postulavit 6. 7. 9. postulaverat 10. [2] fieri 1. [3] synodum 1. 7. etc. [4] supradictus 1. *deest* 6. 9. [5] rex gloriosus 7. [6] generaliter *deest* 1. [7] lernein civitate 1. in ienuina civitate 6. apud ienuam civitatem 7. 9 in ianuensi civitate 10. in genua civitate 11. iebam civitatem 13. [8] diuidens tam factus rex d. et p. 1. dividens perrexit ipse 7. 9. 10. 11. [9] domnus *deest* 6. [10] canisium 1. cenisium 7. (8.) 9. cinisium 10. cesusium 11. [11] bernardum 1. 7. (8.) 9. 10. 11. [12] iovis 1. 7. 10. 12. [13] aliis suis f. 1. 7. (8.) 10. [14] sclusas *constanter* 9. [15] coniugentes 5. [16] desiderius domno carolo regi obviam ivit 1. des. i. o. domno carolo regi venit 7. (8.) 9 (regi *deest*), 10. 11. [17] domnus *deest*. 1. 6. [18] et *deest* 7. [19] montes 1. 7. montanis 8. 9. [20] hos sequens D 1. [21] desiderius rex 7. (8.) 9. [22] clausas 5. [23] reliquit 7. (8.) 9. 10. [24] supradictus *deest* 6. supradictus vero d. 7. 9. [25] pervenit. *Hic in codd.* 8. 9. 9*b*. 10 11. *inseruntur quae infra a.* 774 *legimus* « Et dum...... voluisset. » [26] castris suis 1. 6. 7. in ipsa castra 9. intra sua castra 10. [27] in roma pascha 1. [28] Et dum..... voluisset *desunt* 1. 13. *anno* 773 *habentur* in 8. 9. 9 b 10. 11. [29] incitante 7. orante 10. [30] perrexit 6. [31] suscepta ipsi Saxones 7. suscepit. Ipsi vero saxones 9. [32] vero *deest* 9. 10. [33] francorum et p. 7. 9. f. perveneruntque 11. [34] cumque 6. [35] castello 6. [36] ipsa *deest* 6.

ANNALES EGINHARDI.

rium regem frustra sibi resistere conantem citra congressionem [1] fugavit, Ticenoque [2] inclusum obsedit, et in obpugnatione civitatis, quia difficilis erat, totum hiberni temporis spacium multa moliendo consumpsit.

DCCLXXIV.

Dum haec in Italia geruntur, Saxones velut peroportunam [3] de absentia regis nancti [4] occasionem, contiguos sibi Hassorum [5] terminos ferro et igni populantur. Cumque in eo loco qui nunc Frideslar [c] ab incolis nominatur, basilicam a beato Bonifatio martire dedicatam incendere molirentur, atque hoc efficere casso labore conarentur, inmisso sibi divinitus pavore subitaneo, turpi [6] trepidatione confusi, domum fugiendo revertuntur. At rex, dimisso ad obsidionem atque expugnationem Ticeni [7] exercitu, orandi gratia Romam proficiscitur. Et cum, peractis votis, inde ad exercitum fuisset reversus [8], fatigatam longa obsidione civitatem ad [9] deditionem compulit; quam caeterae civitates secutae, omnes se regis ac [10] Francorum potestati subdiderunt. Et [11] rex, subacta et pro tempore ordinata Italia, in Franciam revertitur, captivum ducens Desiderium regem. Nam Adalgis [12] filius eius, in quo Langobardi [13] multum spei habere videbantur, dissperatis [14] patriae rebus, relicta Italia in Graeciam ad Constantinum imperatorem se contulit, ibique in patritiatus [15] ordine atque honore consenuit. [16] Rex autem domum regressus, priusquam eum Saxones venisse [17] sentirent, tripertitum [18] in eorum regiones misit exerci-

VARIANTES LECTIONES.

[1] congressum 7. [2] ticinoque 7. ticinioque 4. tycinoque 6. [3] oportunam 7. 3? [4] nacti 7. 3? [5] assorum 5. [6] turpi *recentiore manu in* a *mutatum* 3. [7] tyceni 6. ticini 7. [8] regressus 3. [9] in d. 7. [10] deest 7. [11] At 7. 3? [12] adalgisus 5. 6. 7. [13] langoberdi 1. [14] desperatis 3—7. [15] patriatus 1. [16] permansit *recenti manu in cod.* 3. *additum*. [17] venire 3. [18] tripartitum 3. 4. 7.

NOTÆ.

[a] Pavia.

[b] Mons *Bierberg*, ad dextram Adarnæ ripam, prope villam Ungedanken contra Fridislariam, hodie desertus. CHRONICON GOTTWIC. ex Schminkii dissertat. de episcopatu Buraburg.

[c] *Fritzlar*.

ANNALES EGINHARDI.

tum, qui incendiis ac direptionibus cuncta devastans, compluribus etiam Saxonum, qui resisſere conati sunt, interfectis, cum ingenti praeda regressus [1] est [2].

A ANNALES LAURISSENSES.

norum [1] gens coepisset saeviens domos [2] forinsecus incendio cremare, venerunt ad quandam basilicam in loco qui dicitur Friedislar [3], quam sanctae memoriae Bonefacius novissimus martyr consecravit, atque per spiritum prophetiae [4] praedixit, quod nunquam incendio [5] cremaretur. Coeperunt autem idem [6] praefati Saxones cum nimia intentione adversus eandem certare basilicam, quemadmodum eam per quodlibet ingenium igni [7] cremare [8] potuissent. Dum haec igitur [9] agerentur, apparuerunt quibusdam christianis qui erant in castello, similiter [10] et quibusdam paganis qui in ipso aderant exercitu, duo iuvenes in albis, qui ipsam basilicam ab igne protegebant [11], et propterea ibidem non potue-

B runt neque interius neque exterius ignem accendere, nec aliquod damnum [12] eidem [13] inferre basilicae: sed nutu divinae maiestatis pavore perterriti, in fugam conversi sunt, nemine persequente. Inventus est autem postea unus ex eisdem Saxonibus mortuus iuxta ipsam basilicam, genibus curvis adclinis supra [14] pedes, habens ignem et ligna in manibus, velut ore flando eandem basilicam igni tradere voluisset [15]. Et revertente domno [16] Carolo rege a Roma, iterum [17] ad Papiam pervenit [18], ipsam [19] civitatem cepit, et Desiderium regem cum uxore et filia, vel cum [20] omni thesauro eius palatii [21]. Ibique venientes omnes Langobardi de cunctis [22] civitatibus Italiae, subdiderunt se in dominio [23] domni gloriosi Caroli

C regis et Francorum. Adalghisus [24] filius Desiderii regis, fuga lapsus mare introit [25], et Constantinopolim perrexit. Tunc gloriosus domnus [26] Carolus rex, ipsa Italia [27] subiugata et ordinata, custodia [28] Francorum in Papia civitate dimittens, cum uxore et reliquis Francis Deo adiuvante cum magno triumpho Franciam reversus est. Et dum [29] pervenisset ad locum [30] qui dicitur Ingilinhaim [31] [a], mittens [32] quatuor [33] scaras in Saxoniam, tres [34] pugnam cum Sa-

VARIANTES LECTIONES.

[1] reversus 6. [2] est. Karolus ab Italia regrediens, dedicationem ecclesiae sancti Nazarii martyris et translationem corporis ipsius in monasterio nostro Lauresheym celebravit, anno incarnationis Domini DCCLXXIV. Cal. Sept. 7.

VARIANTES LECTIONES.

[1] saxonum 6 — 12. [2] domos *deest* 6. [3] fridislar 7. 12. fredislar 9. friedislar 10. 11. [4] per spiritum prophetiae *deest* 6. [5] incendia 6. [6] iidem 7. etc. [7] igne 7. 9. etc. *deest* 6. [8] concremare 6. [9] igitur *deest* 6. [10] simul 5. [11] protegebant propterea 7. [12] neque aliquod dampnum 6. [13] hisdem

D 5. iisdem 9. 10. 11. [14] super 7. 9. [15] voluisset. Revertens vero domnos carolus rex 7. [16] domno *deest* 6. [17] et iterum 1. [18] pervenit 1. 7. 9. 10. [19] et ipsam 7. 9. [20] filia et cum 1. 7. 10. 11. [21] palatii eius 1. 7. 10. 11. [22] de eis civ. 1. [23] se dominio 5. 6. 10. [24] adaigulfus 1. adalgisus 6. 10. adalgisus vero 7 (8.) 9. 11. [25] intravit 1. introivit 7. 9. 11. [26] domnus *deest* 6. [27] italia sibi s. 7. 9. [28] custodiam 1. 7. custodias 5. ordinata custodia 9. 10. custodia relicta 11. [29] Et cum 1. 7. 10. [30] in locum 6. 10. 11. in loco 7. 9. [31] ingelheim 1. ingilinheim 6. ingelhaim 7. 9. ingilheim 11. [32] misit 1. 7. 10. 11. [33] quatuor 5. [34] saxoniam quarum tres 1. 7. saxoniam. At illi tres 9.

NOTÆ.

[a] De Ingelheimensi palatio Cæsareo cf. Schoepflini dissertationem in Commentationibus academiæ Theodoro Palatinæ, t. I, pag. 300.

ANNALES LAURISSENSES.

xonibus inierunt, et auxiliante Domino victores extiterunt; quarta vero scara non habuit pugnam, sed cum praeda magna inlaesi [1] iterum reversi sunt ad propria. Et caelebravit praefatus gloriosus [2] rex natalem Domini [3] in villa, quae dicitur Carisiacum, similiter et pascha [4]. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCLXXV.

Tunc pius atque [5] praeclarus domnus [6] Carolus rex habuit sinodum [7] in villa quae dicitur Duria [8], et inde iter peragens [9] partibus Saxoniae, Sigiburgum [10] castrum cepit, Aeresburgum [11] reaedificavit [12] super Wisoram [13] fluvium venit in loco [14] qui dicitur Brunisberg [15]; et [16] ibi praeparabant Saxones [17] bellum, volentes ripam supradicti fluminis defendere; auxiliante Domino et Francis decertantibus fugati [18] Saxones, Franci ambas ripas obtinuerunt, et multi Saxones ibi occisi sunt [19]. Tunc domnus Carolus rex dividens exercitum suum, sumpsit secum quos voluit, perrexit [20] usque Obaccrum [21] fluvium. Ibi omnes [22] Austreleudi [23] Saxones venientes cum Hassione [24], et dederunt [25] obsides iuxta quod placuit [26], et iuraverunt sacramenta, sed fideles esse partibus supradicti domni Caroli [27] regis. [28] Similiter inde revertente [29] iam dicto mitissimo [30] rege [31], venerunt Angrarii [32] in pago [33] qui [34] dicitur Bucki [35] una cum Brunone et reliquis optimatibus [36] eorum, et dederunt ibi obsides [37] sicut Austrasii. Et inde re-

VARIANTES LECTIONES.

[1] illaesi 1. 7. etc. [2] gloriosus *deest* 6. [3] domini et pascha in carisiaco villa anno 775. 9. [4] *Hinc inde in codice* 5. *scriptura* karolus *obtinet.* [5] ac 1. [6] domnus *deest* 6. rex domnus karolus 15. rex karolus 6. [7] synodum 1. 6. [8] duria iter tunc p. 1. [9] agens 15. [10] sigisburgum 7. 10. [11] heresburgum 7. 9. 11. [12] reedifficavit 6. [13] wisaram 10. 15. wiseram 9. [14] in locum 1. 6. 15. ad locum 10. 11. [15] brunisberc 15. brunisburg 10. brunisburgo 11. [16] et *deest* 15. [17] se saxones ad b. 15. [18] fugientibus saxonibus 1. 7. 9. fugati sunt saxones 5. vagantibus saxonibus 6. fugantibus saxones 8. fugatis saxonibus 10. fatigatis saxonibus 15. [19] multique saxones ibi occisi sunt. Domino adiuvante franci victores extiterunt. Amen. *ita desinit codex* 15. [20] voluit et perrexit 1. 7. 9. etc. [21] obacerum 1. abocerum *correctum* abodcrum 5. obaccrum 6. obacrum 7. 9. 10. 11. [22] auctores saxonum venientes cum hassionibus 1. [23] austreleudi saxoniam 7. a. saxonum 10. [24] cum bassione 5. cum hasione 6. cum mansione 9. cum assione 11. cum bassion 10. cum hussinon 12. [25] hassione dederunt 9. [26] placuit regi 9. [27] caroli *deest* 1. [28] regis karoli 6. [29] inde iam revertente m. 1. revertendo 6. [30] mittissimo regi 6. [31] m. domno rege 1. 7. [32] angarii 6. 11. [33] bago 5. [34] quod 1. [35] buckhi 1. buki 7. bocki 8. bachim 10. bocensi 11. [36] obtimatibus 6. [37] d. obsides 1. d. obsides ibi 7.

ANNALES EGINHARDI.

DCCLXXV.

Cum rex in villa Carisiaco hiemaret, consilium iniit, ut perfidam ac foedifragam Saxonum gentem bello adgrederetur, et eo usque perseveraret, dum aut victi christianae religioni subiicerentur [1], aut omnino tollerentur. Habitoque apud Duriam villam generali conventu, Rheno quoque [2] transmisso, cum totis regni viribus Saxoniam petiit, et primo statim impetu Sigiburgum [a] castrum [3], in quo [4] Saxonum praesidium erat [5], pugnando coepit. Aeresburgum aliud castrum a Saxonibus destructum munivit [6], et in eo Francorum praesidium posuit. Inde ad Wisuram fluvium veniens, in eo loco qui Brunesberg [7] [b] vocatur, congregatam Saxonum multitudinem offendit, quae eum transitu [8] fluminis arcere conabatur. Sed frustra. Nam in prima congressione pulsi fugatique sunt, et magnus eorum numerus ibidem interfectus est. Et [9] rex, amne traiecto, cum parte exercitus ad Ovacrum [10] fluvium contendit, ubi ei Hessi [11], unus e [12] primoribus Saxonum, cum omnibus Ostfalais [13] occurrens, et obsides quos rex imperaverat dedit, et sacramentum fidelitatis iuravit. Inde regresso [14], cum in pagum qui Bucki [15] [c] vocatur pervenisset, Angrarii [16] cum suis primoribus occurrerunt, et sicut Ostfalai, iuxta quod [17] imperaverat, obsides ac sacramenta dederunt [18]. Interea pars exercitus quam ad Wisuram dimisit, in eo [19] loco qui Hlidbeki [20] [d] vocatur castris positis, incaute se agendo [21] Saxonum fraude circumventa atque decepta est. Nam cum pabulatores Francorum circa nonam diei horam reverterentur in castra, Saxones eis, quasi et ipsi eorum socii essent [22], sese miscuerunt, ac sic

VARIANTES LECTIONES.

[1] *ita constanter codices medii aevi fere omnes, editores* subiicere, traiicere, *etc. ex suo ingenio receperunt.* [2] renoque 4. [3] arcem 7. [4] qua 7. [5] erat praesidium 6. [6] muniunt 4. [7] brunesberc 4. brunnesberg 5. 7. [8] a transitu 7. [9] tunc rex 6. [10] ouacerum 4. 5. obacrum 6. 7. [11] hesso 7. hesuuinus e 4. esswinus e 5. hessumus e 6. [12] ex 7. 3? [13] ostfalis 3? 7. ostflais 5; *reliqui constanter ut in textu.* [14] reversus 7. [15] buchi 3? 5. 6. 7. [16] angarii 4. 5. 6. ungarii 3. [17] quod rex i. 7. [18] obsides dederunt et sacramenta iuraverunt 7. [19] *deest* 3. 7. [20] hudbeki 1. 2. 3. 4. 7. hudbechi 5. 6. *utrumque ex hlidbeki corruptum esse patet.* [21] incaute agens 5. 7. [22] s. essent eorum 3? 7.

NOTÆ.

[a] Sigiburgum nec Sigeberg, nec ut V. Cl. Wigand in libro *Die Vorzeit, ein Taschenbuch für 1824*; p. 79. sqq. vult, Sigburg seu Segburg ad Dimelam, sed castrum jam destructum, in rupe præcisa ad confluentes Ruræ et Lennæ. Fossas ibi antiquas adhuc conspici, ex D. Moller commentatione *Über Hohensyberg* Dortmund, an. 1804, didici.

[b] Prope Huxaram, de quo Monumenta Paderbornensia et D. Wigandi dissertationem modo laudatam conferas. Anno 1295 ab Ottone episcopo Paderbornensi et Adolfo et Alberto comitibus Swalenbergicis funditus eversum est, cum eo usque abbatum Corbeiensium castrum et sedes nonnunquam fuisset. Mons est altus, præruptus, fossis compluribus, quarum nonnullæ *Sachsengräben*, id est fossæ Saxonum audiunt, munitus.

[c] In quo mons *der Bükkeberg* et oppidum principale *Bückeburg*, Wilhelmo comite suo apud exteras quoque gentes nobilitatum.

[d] Hodie *Lidbach*, ad occidentem Mindæ.

ANNALES EGINHARDI.

Francorum castra ingressi sunt ; dormientesque ac semisomnos adorti [1], non modicam incautae multitudinis caedem ſecisse dicuntur. Sed vigilantium ac viriliter resistentium virtute repulsi [2], castris excesserunt, et ex pacto quod inter eos in [3] tali necessitate fieri poterat, discesserunt. Quod cum regi fuisset adlatum, quanta potuit celeritate adcurrens, fugientium terga insequutus [4], magnam ex eis prostravit multitudinem [5] ; et tum demum Westfalaorum [6] obsidibus acceptis, ad hiemandum in Francia [7] revertitur.

DCCLXXVI.

Regi domum revertenti nuntiatur, Hruodgaudum [8] Langobardum [9], quem ipse [10] Foroiuliensibus [11] ducem dederat, in Italia res novas moliri, et iam conplures [12] ad eum civitates defecisse. Ad quos motus comprimendos cum sibi festinandum iudicaret, strenuissimum quemque [13] suorum secum ducens, raptim Italiam [14] proficiscitur, Hruodgaudoque [15] qui regnum adfectabat interfecto, civitatibus quoque, quae ad eum defecerant, sine dilatione [16] receptis, et in eis Francorum comitibus constitutis, eadem qua venerat velocitate [17] reversus est. Cui vix Alpes transgresso occurrerunt [18], qui nunciarent, Aeresburgum castrum [19] a Saxonibus expugnatum, ac praesidium Francorum quod in eo posuerat expulsum; Sigiburgum aliud castellum oppugnatum quidem, sed, non captum, eo quod hii qui in eo causa praesidii [20] fuerant constituti, facta eruptione incautos atque obpugnationi intentos Saxones a tergo invaserunt [21], et plurimis interfectis reliquos non solum oppugnationem dimittere, sed etiam fugere compulerunt, palantesque ac dispersos ad Lippiam [22] usque fluvium persecuti sunt. Haec cum regi adlata

VARIANTES LECTIONES.

[1] dormientesque aggressi 7. [2] compulsi 3. 7. [3] ex 3? 7. [4] insecutus 2—7. [5] m. p. 7. p. ex eis magnam multitudinem 3. [6] *hac quidem vice* westſalorum, *in sequentibus autem ut in textu scribitur* 1. [7] franciam 3. 4. 5. 6. 7. [8] hyuodgaudum 3. ruodgaudum 4. hrudgaudum 5. rodgaudum 6. rotgaudum 7. [9] langobardorum 2. 5. [10] *deest* 7. [11] foroviniensibus 6. [12] cum plures 5. [13] quendam 4. 5. 6. [14] r. in italiam 7. 3? [15] hyuodgaudoque 3. ruotgaudoque 4. rudgaudoque 6. rotgaudoque 7. [16] dilatatione 2. [17] velocitate venerat 4. veloci 2. [18] occurrerunt ei qui 4. 5. 6. [19] arcem—expugnatam -- ea 3? 7. [20] praesidii causa 3 — 7. [21] invasere 3. [22] lipiam 1. 5. libiam 2.

A ANNALES LAURISSENSES.

vertente [1] praefato rege, invenit aliam partem de suo exercitu super fluvium Wisora, continentes ripam quam iussi fuerant [2]. Saxones cum ipsis pugnam fecerunt in loco, qui dicitur Lidbach [3], et Franci Deo volente victoriam habuerunt, et plures ex ipsis [4] Saxones [5] occiderunt. Hoc audiente domno Carolo rege, iterum super Saxones cum exercitu irruens, et [6] non minorem stragem ex eis [7] fecit, et praedam multam conquisivit super Westfalaos [8], et obsides dederunt, sicut et alii [9] Saxones; et tunc obsidibus [10] receptis, et praeda multa adsumpta [11], et praeter ter stragem Saxonum factam [12], supradictus domnus [13] Carolus rex ad propria reversus est, auxiliante Domino, in Franciam. Tunc audiens,
B quod Hrodgaudus [14] Langobardus [15] fraudavit fidem suam, et omnia sacramenta rumpens, et voluit [16] Italiam rebellare, tunc illis in partibus cum aliquibus Francis [17] domnus Carolus rex iter peragens, et caelebravit natalem Domini in villa quae dicitur Scladdistat [18] [a]. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCLXXVI.

Tunc domnus [19] Carolus rex Italiam ingressus est partibus [20] Foroiulensium petens [21], Hrodgaudus occisus est, et supradictus domnus [22] Carolus rex ad [23] Tarvisium [24] civitatem pascha caelebravit, et captas civitates [25] Foroiulem, Taravisium [26] cum reliquis civitatibus quae [27] rebellatae [28] fuerant : et disposuit eas omnes per Francos, et iterum cum pros-
C peritate et victoria reversus est in Franciam. Tunc nuntius veniens, qui [29] dixit [30] Saxones rebellantes [31], et omnes obsides suos dulgtos [32], et sacramenta rup

VARIANTES LECTIONES.

[1] revertendo 6. [2] quam iussi ſuerant *deest* 6. [3] lidpach 1. liddach 5. diddach *corr.* lidbach 6. lidbad 7. lidbah 8. 9. 10. litca 11. [4] ex ipsis *deest* 1. 7. 11. [5] saxonibus 9. de saxonibus 11. [6] irruens et *deest* 1. et *deest* 7. 9 [7] ex ipsis 1. 7. [8] westphaleos 1. westſalos 6. [9] et illi alii s. 7. 9. [10] et cum aliis obsidibus 1. [11] assumpta 1. 6. 9. sumpta 7. [12] et pariter strage s. ſacta 1. 7. et ter stragiae saxonum ſacta 6. et tertio ſacta strage saxonum 11. *in* 10. *deest ; in* 5. *syllaba* ter *deest*. [13] supradictus domnus *deest* 6. [14] ruodgandus 1. rodhgaudus *et* rodgaudus 5. rotgaudus 7. 9. 11. rodgaudus 10. *ita et infra*. [15] longibardus 1. [16] rumpens voluit 7. 9. [17] francis tunc carolus 1. [18] scladistat 7. 9. scladdistath 8. sclezistat in elisatio 9 b. selexeis-
D tat et pascha in Elizatio 12. domnus *et alia similia hic et aliis in locis desunt* 6. [19] domnus *deest* 1. rex ut praediximus ad Papiam civitatem venit et sub festinatione in partibus Foroiulensium iter direxit *Ann. Mett. in narratione de Aeresburgi oppugnatione Ann. Mett. Reginonem sequuntur*. [20] est per partes ſori iulii iter peragens 1. [21] pergens 6. 7. (8.) 9. cum partes foroiuliensium peragrasset 10. [22] supradictus domnus *deest* 1. 6. [23] apud 1 7. [24] taravisium *hic et infra* 7. 11. tarwisium 9 tharvisum 10. [25] captis civitate foro iulii tarvisio 1. [26] foroiulensem 7. foroiulium 10. [27] et quae 5. [28] rebellarant 1. rebellatae erant 6. [29] qui *deest* 1. 7. 9. etc. [30] venit et dixit 5. [31] rebellare 1. rebellasse 5. 10. rebellatos 6. 9. [32] dulgtos et *deest* 1. dultos 6. tultos 9.

NOTÆ.

[a] *Schletstadt* in Alsatia.

ANNALES LAURISSENSES.

A

ta [1] et Aeresburgum castrum per mala ingenia [2] et iniqua placita, Francos exinde suadentes exiendo [3]; sic Aeresburgum [4] a Francis derelictum, muros et opera [5] destruxerunt [6]. Inde pergentes voluerunt de Sigiburgi [7] similiter facere; auxiliante Domino Francis eis [8] viriliter repugnantibus nihil praevaluerunt. [Dum enim [9] per placita eos, qui infra ipsum castrum custodes erant, inludere [10] non potuissent, sicut fecerunt alios qui in aliud castellum [11] fuerant, coeperunt pugnas et machinas praeparare, qualiter per virtutem potuissent illud capere, et Deo volente, petrarias [12] [a] quas praeparaverunt [13] plus illis damnum [14] fecerunt, quam illis qui infra castrum residebant. Cum enim vidissent, quod eis non proficeret, praeparaverunt etiam clidas [15] [b] ad debellandum per virtutem ipsum castellum. Sed Dei virtus, sicut iustum est, superavit illorum virtutem, et quadam die cum bellum praeparassent adversus christianos qui in ipso castro residebant, apparuit manifeste gloria Dei supra domum ecclesiae quae est infra ipsum castrum [16], videntibus illis [17] tam aforis, quam etiam [18] et deintus, ex quibus multi manent usque adhuc; et dicunt vidisse [19] instar duorum scutorum colore rubeo flammantes et agitantes supra ipsam ecclesiam: et cum hoc signum vidissent pagani qui aforis erant, statim confusi sunt, et magno timore perterriti, coeperunt fugere ad castra [20], et omnis multitudo eorum in pavore concussi fugam arrepti [21], alii ab aliis se invicem [22] interficiebant. Qui enim retro propter pavorem aliquem [23] C respiciebant, infigebant [24] se lanceis eorum, qui ante illos fugiebant [25] et in humeris portabant, et alii

VARIANTES LECTIONES.

[1] rumpere 1. [2] malum ingenium 6. [3] suadendo exire ab ipsis francis 1. [4] heresburgo... derelicto 7. [5] opera saxones d. 7. 9. [6] destruxerunt. Et inde 8. 9. (10.) (11.) [7] sigiburgo 1. sigisburgo 7. 8. 9. 10. [8] eis *deest* 7. (8.) 9. 10. 11. [9] Dum enim... servos suos. *deest* 1. *et in ann. Einhardi, Fuld. et Til. Hinc apparet, totam hanc narrationem, quae praeterea in diversis codicibus diverso loco collocata legitur, non pro genuino textu habendam, sed a quodam rerum perito exemplo suo, unde codices* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *fluxerunt, post annum* 788, *in margine adiectam esse. In cod.* 5. 6. 7. *non post secundum inde sed post primum inseritur* « destruxerunt inde. Dum enim ..... servos suos pergentes. Inde vo- D luerunt, » *in codicibus* 8. 9. 10. 11. 12. *post* similiter facere, *utrobique minus recte. In codice* 13. *omnia huius anni post* est in Franciam *una cum annis* 777. 778. 779. *desunt.* [10] includere 7. [11] alium castellum 7. alio castello 6. [12] petrariae 7. [13] praeparaverant 6. [14] damni 6. [15] clidos 7. [16] basilicam infra ipsum castrum constitutam 6. [17] vid. multis 6. 7. 9. vid. cunctis 10. [18] etiam *deest* 6. [19] vidisse se 7. [20] ad castrum 5. [21] fugam arripientes 7. fuga arrepta 5. [22] seab invicem 5. [23] aliquem *deest* 6. [24] infligebant 6. [25] infigebant lanceas eorum, quos in humeris portabant in corpora antecedentium 9. propter pavorem, ab antecedentibus lanceis confodiebantur 11. fugebant 5.

[a] Tormenta lapidibus jaciendis.
[b] Crates.

ANNALES EGINHARDI.

fuissent [1], conventu apud Wormaciam habito, Saxoniam sine mora statuit cum exercitu esse petendam, contractisque ingentibus copiis [2], tanta celeritate ad destinatum a se in Saxonia [3] locum pervenit, ut omnes hostium conatus, quibus ei resistere parabant [4], illa festinatione praeverteret [5]. Nam ad fontem Lippiae veniens, inmensam illius perfidi populi multitudinem velut devotam ac [6] supplicem, et quam erroris sui poeniteret [7], veniam poscentem invenit. Cui cum et [8] misericorditer ignovisset, et eos qui se christianos fieri velle adfirmabant, baptizari fecisset, datis et acceptis pro fide servanda fraudulentis eorundem promissionibus, obsidibus quoque quos imperaverat receptis, Aeresburgo caB stro quod dirutum erat restaurato, alioque castello [c] super Lippiam constructo [9], et in utroque non modico praesidio relicto, ipse [10] in Galliam reversus, in villa Heristallio [11] hiemavit.

VARIANTES LECTIONES.

[1] regi nuntiarentur 7. [2] saxoniam petere statuit, contractisque copiis 7. [3] saxoniam 2. 5. [4] conabantur 7. [5] perverteret 3? 5. 6. 7. [6] et 7. [7] ac quasi e. s. veniam p. 7. 3? [8] et cum 3. [9] exstructo 3. [10] *deest* 2. [11] haristallio 3? 7.

NOTÆ.

[c] In loco Lippstadt fuisse existimo.

ANNALES EGINHARDI.

## DCCLXXVII.

Rex prima veris adspirante temperie Noviomagum profectus est, et post celebratam ibidem paschalis festi sollemnitatem, propter fraudulentas Saxonum promissiones, quibus fidem habere non poterat, ad locum qui Padrabrun [1] vocatur generalem populi sui conventum in eo habiturus, cum ingenti exercitu in Saxoniam profectus est. Eo cum venisset, totum perfidae gentis senatum ac populum, quem ad se venire iusserat, morigerum ac fallaciter [2] sibi devotum invenit. Nam cuncti ad eum venerunt [3] praeter Widichindum [4], unum ex [5] primoribus Westfalaorum, qui multorum sibi facinorum conscius, et ob id regem veritus [6], ad Sigifridum [7] Danorum regem profugerat. Ceteri qui venerant, in tantum [8] se regis potestati [9] permi-

### VARIANTES LECTIONES.

[1] padrabrunno 2. padabrunno 3. patherbrunno 4. padrabunno 5. 6. padrabrunna 7. [2] faclaciter 2. [3] venerant 4. [4] winichindum 4. windichinum 6. widikindum 7. [5] e 3? 7. [6] v. r. 4. 5. 6. [7] sigefridum 2. [8] ita 7. [9] potestate 3.

A ANNALES LAURISSENSES.

diversis ictibus inter se sunt percussi [1] et divina ultione iudicati. Et quantum super Dei eos virtus propter salutem [2] christianorum operata est, nullus narrare potest; attamen quantum illi plus pavore perterriti fuerunt, tanto magis christiani confortati omnipotentem Deum laudaverunt, qui dignatus est suam manifestare potentiam super servos suos.] Et inde fugam arripientes Saxones, persecuti sunt eos Franci, interficientes illos usque ad flumen [3] Lippiam, castro salvato; et cum victoria reversi sunt Franci. Et cum pervenisset domnus Carolus rex Wormatiam, et omnes istas causas [4] audiens [5], coniunxit sinodum ad eandem civitatem: et ibi placitum publicum tenens, et consilio [6] facto, cum Dei B adiutorio sub celeritate et [7] nimia [8] festinatione Saxonum caesas [9] [a] seu [10] firmitates subito introivit. Et [11] Saxones perterriti [12], omnes ad locum ubi Lippia consurgit venientes ex omni parte, et [13] reddiderunt patriam per wadium [14] omnes [15] manibus eorum, et spoponderunt se esse christianos, et sub dicioni [16] domni Caroli regis et Francorum subdiderunt. Et [17] tunc domnus Carolus rex una cum Francis reaedificavit [18] Aeresburgum castrum denuo [19], et aliud [20] castrum super Lippiam, ibique venientes Saxones una cum uxoribus et infantibus innumerabilis [21] multitudo baptizati sunt [22], et obsides, quantos iamdictus domnus rex eis [23] quaesivit, dederunt, et perfecta supradicta castella et disposita [24] per Francos scaras [25] [b] residentes et ipsa custodientes [26], rever- C sus est domnus rex [27] in Franciam, et caelebravit natalem Domini in Haristallio [28], et pascha in villa quae dicitur Niumaga [29] [c]. Et inmutavit se numerus annorum in

## DCCLXXVII.

Tunc domnus Carolus rex sinodum publicum [30] habuit ad Paderbrunnen [31] prima vice; ibique [32] convenientes [33] omnes Franci, et ex omni parte Saxoniae undique [34] Saxones convenerunt [35], excepto quod Widochindis [36] rebellis extitit [37] cum paucis aliis [38]: in [39]

### VARIANTES LECTIONES.

[1] sunt perpessi 6. 7. 8. 9. [2] dei v. p. s. ch. super eos 7. [3] usque flumen 5. fluvium 1. 7. (8.). [4] causas istas 5. [5] audisset 6. [6] concilio 1. 7. [7] celeritate et *deest* 6. [8] nimia et 1. [9] casas 7. 9. terras 10. [10] caesas seu *deest* 1. [11] Tunc Saxones 7. 9. [12] saxones per terras 1. [13] et *deest* 7. [14] waidium 1. D wadimoniam 9. [15] omnibus 1. 7. omnem in 9. [16] dicione 1. 6. 7—9. etc. [17] et *deest* 1. 6. [18] rectificavit 1. reedifficavit 6. [19] denuo *deest* 1. [20] alium 6. [21] et in numerabilis 6. innumerabilibus 1. [22] baptizata est 6. [23] eis *deest* 1. de eis 6. ab eis 7. 9. 10. [24] perfectis supradictis castellis et dispositis 1. 7. 9. (10.). [25] scaros 6. [26] scaris residentibus et ipsas custodientibus 7. (10.). [27] domnus rex *deest* 1. [28] haristalho 1. aristallio 5. [29] niomaga 1. neumaga 7. [30] publicam 1. 5. [31] apud padesbrunnen 1. [32] venientes 1. [33] convenientesque ibi 6. [34] saxoniae undique *deest* 1. [35] convenerunt *deest* 1. [36] vindobundis 1. witochindis 7. windochinus 9. widochindus 8. [37] rebellis restaret 1. [38] aliis *deest* 1. [39] et in 7. 9. 10.

### NOTÆ.

[a] Munimenta ex arboribus stratis.
[b] Scara, nostrum *Schaar*, turma.

[c] *Nimwegen.*

ANNALES LAURISSENSES. A

partibus Nordmanniae [1] confugium fecit una cum sociis suis. Etiam ad eundem [2] placitum [3] venerunt Sarraceni de partibus Hispaniae [4], hii [5] sunt Ibinalarabi et filius Deiuzefi [6], qui et latine Ioseph nominatur, similiter et [7] gener eius, ibique multitudo Saxonum baptizati sunt [8], et secundum morem illorum omnem ingenuitatem et alodem [9] manibus dulgtum [10] fecerunt [11], si amplius inmutassent [12] secundum malam consuetudinem eorum, nisi conservarent [13] in [14] omnibus christianitatem, vel fidelitatem supradicti [15] domni Caroli regis et filiorum eius vel Francorum. Et [16] celebravit natalem Domini in villa quae dicitur Dotciacum [17] [a], et pascha in Aquitania [18], et [19] in villa [20] Cassinogilo [21] [b]; et inmutavit se numerus annorum in B

DCCLXXVIII.

Tunc [22] domnus Carolus rex * iter peragens [23] partibus [24] Hispaniae [25] per duas vias; una [26] per Pampilonam [27], per quam ipse supradictus magnus rex perrexit usque Caesaraugustam; ibique venientes de partibus Burgundiae et Austriae [28], vel Baioariae, seu Provinciae [29] et Septimaniae [30], et pars Langobardorum **, et coniungentes [31] se ad supradictam civitatem ex [32] utraque [33] parte exercitus, ibi obsides receptos de Ibinalarabi et de Abutauro [34] et de multis Sarracenis, Pampilona [35] distructa, Hispani [36] Wascones [37] subiugatos, etiam et Nabarros [38], reversus [39] in partibus [40] Franciae. Et cum audissent Saxones, quod domnus Carolus rex et Franci tam longe fuissent [41] partibus Hispaniae, per suasio- C

* [motus precibus et querelis christianorum, qui erant in Hispania sub iugo Sarracenorum, cum exercitu Hispaniam intravit 9 b.]

** [His innumerabilibus legionibus Hispania tota contremuit 9 b.]

VARIANTES LECTIONES.

[1] nordmaniae 5. normanniae 7. 9. [2] ad idem 1. 7. 10. [3] placitum *hoc vocabulo incipit codex* 2. [4] hispaniae scilicet ibinalakabe 1. [5] hi 5. 7. etc. [6] de vizosi 1. diuzefi 5. deiuzevi 6. [7] similiter et 1. 5. 6. 7. 8. 9. 10. nominatur et gener eius Alaruiz 11. *vocem* alarviz *nonnisi repetitum* alarabi *esse persuasus sum*, *lectionem codicis* 2 simile dedit et *pro corrupta habeo*. [8] baptizata est 1. [9] alodum 7. 9. hereditatem 9 b. [10] dulgium 1. dultum 7. [11] fecere 1. [12] mutassent 7. [13] conservassent 7. 9. [14] in *deest* 1. [15] supradicti *deest* 1. [16] et rex 1. celebravit rex 7. [17] doriacum 1. dorciacum 7. dociacum 9. [18] equitania 6. [19] et *deest* 1. 5. 6. 7. etc. [20] et uilla in 1. [21] villa quae dicitur cassiuogila 1. [22] *Hic incipit codex* 3. [23] agens 6. [24] in partes 1. [25] partibus italiae 5. [26] unam 7. [27] pampilonem 1. 6. [28] austrasiae 9. [29] provintiae 5. [30] septimanaae 1. [31] langobardorum coniungentes 7. [32] et ex 7. [33] unaque 1. [34] receptos Derbanalambi et Drabatauro 1. [35] pampilonea 2. destructa 1. 5. 6. 7. 8. 9. etc. [36] hispanis wasconibus subiugatis... nabarris 1. [37] hispanos et wascones 7. 9. [38] navarros 7. [39] Reversus.... et cum 2. reversus est 1. 7. [40] in partes 1. [41] essent in p. 6.

ANNALES EGINHARDI.

sere [1], ut ea condicione tunc veniam accipere [2] mererentur, si [3] ulterius sua statuta violarent, et patria et libertate privarentur [4]. Baptizata [5] est ex [6] eis ibidem maxima multitudo, quae se, quamvis falso, christianam fieri velle promiserat. Venit in eodem loco ac tempore [7] ad regis praesentiam de Hispania [8] Sarracenus [9] quidam nomine Ibinalarabi [10] cum aliis Sarracenis sociis suis, dedens se ac civitates, quibus eum rex Sarracenorum praefecerat. Idcirco rex, peracto memorato conventu, in Gallia reversus [11], natalem Domini in Dutciaco [12] villa, pascha vero in Aquitania apud Cassinoillum [13] celebravit [14].

DCCLXXVIII.

Tunc ex [15] persuasione praedicti Sarraceni spem capiendarum quarundam in Hispania civitatum haud frustra concipiens, congregato exercitu, profectus est [16], superatoque in regione Wasconum Pyrinei [17] iugo, primo Pompelonem [18] Navarrorum [19] oppidum adgressus, in deditionem accepit. Inde Hiberum [20] amnem vado traiciens, Caesaraugustam [21] praecipuam illarum partium civitatem accessit, acceptisque quos Ibinalarabi [22] et Abuthaur [23], quosque alii quidam Sarraceni obtulerunt [24] obsidibus, Pompelonem [18] revertitur. Cuius muros [25], ne rebellare posset, ad solum usque destruxit, ac regredi statuens, Pyrinei saltum ingressus est. In cuius summitate Wascones [26] insidiis conlocatis, extremum agmen adorti, totum exercitum magno tumultu perturbant [27]. Et licet Franci Wasconibus tam armis quam animis praestare viderentur, tamen et iniquitate locorum et genere inparis pugnae inferiores effecti sunt. In hoc certamine plerique [28] aulicorum, quos rex copiis praefecerat, interfecti sunt, direpta impedimenta, et [29] hostis propter notitiam locorum statim [30] in di-

VARIANTES LECTIONES.

[1] submisere 7. [2] percipere 3. [3] ut si 7. [4] privarent 1. 2. carerent (*aperte ex emendatione*) 3. privarentur 4. 5. 6. 7. [5] baptisata 2? 3? 7. [6] cum 5. [7] venit iisdem et l. et t. 7. tenpore 2. [8] ispania 2. [9] saracenus 2? 7. [10] Ebinalarabi 5. 6. Abenalarabi 9. (vid. *ibid. p.* 170. *lin.* 18. *quod et Chesnium et Bouquetum effugit*) [11] in galliam reversus 2. 3. 7. in galliam conversus 4. 5. 6. in franciam D 9. [12] ducciaco 5. duciaco 2. 3. 9. duniaco, *al.* ducciaco, *ms.* dutcia 7. [13] cassinoilum 2. 3. 7. cassinoildum 6. cassinogilum 9. [14] celebravit. In qua villa natus est ei filius ex Hildegarde regina, quem ex sacro fonte Hludouicum nominauerunt 7. [15] rex 3? 7. 9. [16] c. e. p. est *desunt* 7. [17] pyrenei 3? 6. 9. pirynei 4. pyrenaei montis 7. [18] pampelonem 2? 9. [19] navarnorum 3. navarorum 6. [20] iberum 7. 9. hyberum 5. [21] caesaraugustanam 5. [22] quos sibinalarabi 2. quos abenalarabi 9. quos ibnalarabi 7. [23] abithaur 9. abittahur 6. [24] dederunt 7. [25] murum 9. 3. [26] w. s. 4. 5. 6. [27] perturbabant magno tumultu 9. [28] plurimi 7. [29] et dir. imp. 7. [30] *deest* 9.

NOTÆ.

[a] *Douzy* in pago Mosomagensi, prope *Sedan*. Cf. Vales. l. c. p. 182, 183.

[b] *Cassneuil* in pago Aginnensi. Ibid. p. 151.

ANNALES EGINHARDI.

versa dilapsus est. Cuius vulneris acceptio [1] magnam partem rerum feliciter in Hispania [2] gestarum in corde regis obnubilavit. Interea Saxones, velut occasionem nancti [3], sumtis armis ad Rhenum usque profecti sunt. Sed cum amnem traicere non possent, quicquid a Diutia [4] [a] civitate usque ad fluentem [5] Mosellae vicorum villarumque fuit, ferro et igni depopulati sunt. Pari modo sacra profanaque pessumdata. Nullum aetatis aut sexus [6] discrimen ira hostis fecerat, ut liquido appareret, eos non praedandi, sed ultionem [7] exercendi gratia Francorum terminos introisse. Cuius rei nuncium cum rex apud Autesiodorum [8] civitatem accepisset, extemplo [9] Francos orientales [10] atque Alamannos [11] ad propulsandum hostem festinare iussit: Ipse caeteris copiis dimissis, Heristallium [12] villam, in qua hiemare constituerat [13], venit. At Franci et [14] Alamanni qui contra Saxones missi erant, magnis itineribus ad eos ire contendunt, si forte in finibus suis eos invenire possent. Sed illi, iam re peracta, revertebantur ad sua. Quorum vestigia sequuti qui a rege missi fuerunt, in pago Hassiorum super fluvium Adernam iter agentes invenerunt [15], eosque statim in ipso fluminis vado adorti, tanta strage ceciderunt [16], ut ex ingenti multitudine ipsorum vix pauci domum fugiendo [17] pervenisse dicantur.

DCCLXXIX.

At rex de Heristallio, ubi hiemaverat et ubi natalem Domini ac sanctum pascha celebraverat, prima veris temperie movens, Compendium [b] venit. Et cum inde, peracto propter quod venerat negotio, revertisset [18], occurrit ei Hildibrandus [19] dux Spolitinus [20] cum magnis muneribus in villa Wirciniaco [21] [c]. Quem et benigne [22] suscepit [23], et muneribus donatum in ducatum suum remisit. Ipse animo ad Saxonicam expeditionem intento, Duriam venit, habitoque iuxta morem generali conventu, Rhenum in eo loco qui Lippeham [24] [d] vocatur, cum exer-

VARIANTES LECTIONES

[1] accepti 1. 2. 4. 5. 6. accepti dolor 7. accepti recordatio 3? 9; *cum hoc loco substantivum desideretur, reiectis codicum 7. et 9. coniecturis, una o littera addita sensum restituendum censui.* [2] in hispania 2. [3] nacti 3-10. [4] diucia 6. duicia 5. 9. duitia 7. [5] fluenta 3? 9. flumen 7. [6] sexus seu sacrarum virginum 7. [7] ultionis exercendae 9. [8] antesiodorum 1. 9. autisiodorum 4. 5. 6. auteroderum 3. altissiodorum 7. [9] exemplo 1. extimplo 4. 5. 6. [10] or. fr. 4. 5. 6. [11] alemannos 7. 9. [12] haristallium 3. 9. *ita constanter.* [13] hyemaret 9. [14] atque 9. ac 6. [15] repererunt 9. reppererunt 3. [16] cecidere 7. [17] fuendo 1. [18] reverteretur 3? 9. [19] hildebrandus 2. 3. 6. 7. 9. hiltibrandus 5. [20] spoletanus 3. 5. 7. 9. spolitanus 6. [21] wirtiniaco 3. [22] quem benignissime 3. 9. [23] recepit 3. 9. [24] lippehan 2. lipphean 3. lippiam 4. lippia 5. 6. 7.

ANNALES LAURISSENSES.

nem [1] supradicti Widokindi [2] vel [3] sociorum eius secundum consuetudinem malam iterum rebellati sunt [4], et nuntiatum est hoc [5] domno rege [6] Carolo ad Autosiodorum [7] civitatem. Tunc praedictus domnus rex mittens scaram [8] Franciscam, ut sub velocitate festinaret ad resistendos supradictos Saxones [9]: sed illi rebelles ad Renum usque Diviciam [10] pervenerunt, tunc praedantes secus Renum [11], et multas malitias facientes, ecclesias Dei incendentes in sanctemonialibus [12], et quod fastidium generat enumerandi [13]. Et cum [14] subito audientes de reversione domni Caroli regis, et de scara eius quam misit obviam [15] illis, tunc a Saxonibus dimisso Reno, reversi sunt per Logenehi [16] [e] partibus [17] Saxoniae, et scarae [18] Francorum non [19] occurrerunt obviam eis, sed vestigium eorum [20] observantes, consecuti sunt eos super fluvium, cuius vocabulum est Adarna [21], in loco qui dicitur Lihesi [22] [f]. Ibi pugna [23] incepta et valde [24] bene finita, auxiliante Domino Franci victores extiterunt; et multitudo Saxonum ibi occisi [25] sunt, et fugientes [26] cum magno contumelio [27] reversi sunt Saxoniam [28]. Et caelebravit supradictus [29] clementissimus rex natalem Domini in villa quae dicitur [30] Haristallio [31], et pascha similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCLXXIX.

Tunc domnus Carolus rex iter peragens partibus Niustriae [32], et [33] pervenit [34] usque in villa [35] quae dicitur Conpendio [36]; et tunc iterum revertendo partibus [37] Austriae, obtulit se Hildebrandus [38] dux

VARIANTES LECTIONES.

[1] suassionem 2. [2] vindekindi 1. widokindi *corr.* widokingi 2. widokingi 3. widukindi 4. widochindi 5. widichindi 6. withochindi 7. widechinni 9. widochindi 10. 11. widikindi 12. [3] w. et sociorum 1. 7. etc. [4] rebellaverunt 5. [5] hoc *deest* 5. [6] regi 1. 5. 6. 7. [7] annosiodorum 1. authisiodorum 5. autisiodorum 6. 7. etc. [8] scaram francorum velociter et festinanter ad resistendum supradictis saxonibus ad 1. [9] francorum ut sub festinatione curreret ad resistendum saxonibus, sed illi rebelles pervenerunt usque diuciam 6. [10] diucam 1. diuiciam 2. 3. diutiam *corr.* dutiam 5. diuciam 6. dureciam 7. duitiam 8. duitium 9. [11] renum *constanter in codicibus quos ipse inspexi* 2. 5. 6. [12] sanctimonialibus grassati (et) quod 1. 7. cum sanctimonialibus 9. [13] numerandi 6. [14] Tum subito 7. [15] eius. Misit obviam 2. [16] longenhri 1. loinahi 5. loginahi 6. longenehi 7. longene 8. 11. lingonem 9. logene 10. [17] partes 1. [18] scara 2. [19] non *deest* 9. [20] ipsorum 1. [21] adarnia 7. [22] liesi 5. liesu 6. [23] L. in pugna 2. [24] valde *deest* 6. [25] occisa et reliqui 1. [26] et reliqui 7. [27] contumelia magna 5. magna contumel a 1. 6. [28] in saxoniam reversi sunt 1. [29] supradictus *deest* 7. [30] villa quae dicitur *deest* 6. [31] haristalhio 1. [32] neustriae 7. niustriae *corr.* austriae 6. [33] et *deest* 6. 7. [34] pervenerunt in 1. [35] villam 5. 6. [36] compendium 1. [37] per partes 1. [38] hiltibrandus 6.

NOTÆ

[a] *Duitz* contra Coloniam.

[b] *Compiègne.*

[c] Situs ejus nec Valesio nec Bouqueto exploratus; quod si non Virisiacum, *Verzy*, prope Rhemos sit, certe in itinere Compendio Duriam quærendum.

[d] In confluente Lippiæ et Rheni.

[e] Pagus ad Loganam, *Lahngau.*

[f] Poeta Saxo ad hunc annum Battenfeld vocat.

A

### ANNALES LAURISSENSES.

Spolitinus[1] cum multa munera[2] in praesenciam[3] supradicti magni regis, in villa qui[4] vocatur Virciniacum[5], et fuit sinodus in villa nuncupantem[6] Duria, et iter actus est[7] in[8] partibus Saxoniae. Ad Lippeham[9] transitur[10] Renus fluvius[11], et Saxones voluerunt resistere in loco qui[12] dicitur Bohholt[13] [a]. Auxiliante Domino, non praevaluerunt, sed abinde fugientes, reliquerunt omnes firmitates eorum, et Francis aperta est via, et introeuntes in Westfalaos[14], et[15] conquesierunt[16] eos omnes. Reliqui[17] qui ultra Wisora[18] fuerunt[19], cum se iunxisset domnus Carolus rex ad locum qui dicitur Medofulli[20] [b], ibi dederunt obsides, et denuo[21] sacramenta firmantes; et tunc[22] reversus est suprascriptus gloriosus rex in Francia[23]. Et celebravit nata- B lem Domini in Wormatiam civitatem[24], et pascha similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCLXXX.

Tunc domnus Carolus rex iter peragens ad disponendam Saxoniam, ad Aeresburgum pervenit, et inde ad locum ubi Lippia consurgit, ibique sinodum tenens, inde iter peragens partibus Albiae fluvii, et in ipso itinere omnes Bardongauenses[25] [c] et multi de Nordleudi[26] [d] baptizati sunt in loco qui dicitur Orhaim[27], ultra Obacro fluvio. Et pervenit usque ad supradictum fluvium, ubi Ora[28] [e] confluit in Albia[29], ibi omniaque[30] disponens[31] tam Saxoniam quam et Sclavos[32], et[33] reversus est supradictus praeclarus rex in Francia[34]. Tunc sumpto consilio, C ut iter peragens[35] orationis causae[36] partibus Romae, una cum uxore sua domna Hildegarde[37] regina. Et celebravit natalem Domini in Papiam civitatem[38]. Et immutavit se numerus annorum in

#### VARIANTES LECTIONES.

[1] spoletanus 1. spolitanus 6. 7. 9. [2] multis muneribus 1. 5. 6. 7. etc. [3] praesentia 1. 5. 6. 7. etc. [4] quae 1. 5. 6. 7. etc. [5] wirciniacum 1. 5. 7. etc. irciniacum 6. [6] villa quae dicitur 1. nuncupante 5. 7. nuncupata 6. [7] peregit 1. 6. peractum est 6. peractus est 7. [8] in *deest* 1. 5. 6. 7. etc. [9] lippeam 5. lippaham 7. [10] transito rheno flumine 1. [11] transitu 2. transitus 5. tr. r. fl. *deest* 6. [12] que 2. [13] buoholz 1. bobholz 5. bohholtz 6. bohholz 8. hocholz 9. bolhoz 10. botolz 11. [14] westualahos 1. westfaluos 2. westualos 6. [15] et *deest* 5. 7. [16] conquisierunt 1. 5. 7. etc. [17] reliquis 7. [18] wisora *deest* 2. wisoram 6. 7. etc. [19] reliqui quidem wisore fuerunt 1. [20] medofuldi 1. [21] et dein 1. et deinde 5. 6. denuo *deest*. 7. [22] f. denuo reversus 7. [23] franciam 1. 7. etc. frantiam 6. [24] wormatia civitate 1. 6. 7. etc. [25] bardoganenses 1. bardogavenses 7. [26] nordilendis 1. nortleudi 5. nortelendi 6. [27] orcheim 1. orthaim 5. orahim 7. [28] ubi obacrum fluit 7. [29] albiam 1. [30] ibique omnia 7. ibi omnia 1. [31] desponens 2. [32] tam sclavoniam quam saxoniam 1. [33] et *deest* 1. 5. 6. 7. etc. [34] franciam 1. 5. 6. 7. [35] perageret 1. 5. 7. ageret 6. [36] causa 1. 5. 6. etc. [37] Hildegarda 6. [38] papia civitate 1. 6.

### ANNALES EGINHARDI.

citu[1] traiecit. Cui cum Saxones in quodam[2] loco qui Buocholt[3] vocatur, vana spe ducti resistere temptarent, pulsi fugatique[4] sunt. Et[5] rex Westfalaorum regionem ingressus, omnes eos in deditionem accepit. Inde ad Wisuram veniens, castris positis in loco nomine Midufulli[6], stativa per aliquot dies habuit. Ibi Angrarii[7] et Ostfalai venientes, et obsides dederunt, et sacramenta iuraverunt. Quibus peractis, rex trans Rhenum Wormaciam[8] civitatem in hiberna[9] se recepit.

DCCLXXX.

Inde, cum primum temporis oportunitas adridore[10] visa est, iterum cum magno exercitu Saxoniam[11] profectus est, transiensque per castrum[12] Aeresburgum, ad fontem Lippiae venit, ubi castrametatus, per aliquot dies moratus est. Inde ad orientem itinere converso, ad Ovacrum[13] fluvium accessit. Cui cum ibi omnes[14] orientalium partium Saxones, ut iusserat, occurrissent, maxima eorum multitudo in loco qui Orheim[15] appellatur, solita simulatione baptizata est. Profectus inde ad Albiam, castrisque in eo loco, ubi Ora[16] et Albia confluunt, ad habenda stativa conlocatis, tam ad res Saxonum qui citeriorem[17], quam et Sclavorum[18] qui ulteriorem fluminis ripam incolunt, conponendas operam inpendit. Quibus tunc pro tempore ordinatis atque dispositis, in Franciam reversus est; initoque consilio, orandi ac vota solvendi causa Romam statuit proficisci, sumptisque secum uxore ac liberis, sine mora in Italiam profectus est, celebravitque natalem Domini Ticeni[19], atque ibi[20] residuum hiemis manendo complevit[21].

#### VARIANTES LECTIONES.

[1] in eo l. q. l. v. c. exercitu *desunt* 9. [2] in eo 4. 5. 6. [3] bucholt 6. 9. [4] fagatique 1. fatigatique 5. [5] *deest* 9. [6] medufulli 9. nudufulli *al.* midufulli *al.* medufulli 7. [7] angarii 2. 7. angeri 9. ungarii 3. [8] in W. 7. ad W. 9. [9] c. hybernatum 7. [10] arridere 3. 4. 5. 6. adesse 9. [11] in saxoniam 7. 9. [12] arcem 9. [13] obacrum 9. [14] omnium 3? 9. omnes *deest* 6. [15] horheim 6. 9. oreheim *al.* horheim 7. [16] hora 3. 5. 6. 9. [17] ceteriorem 1. exteriorem 9. [18] quam ad sclavorum 7. quam a sclavorum 4. q. et sicavorum 6. [19] ticini 3. 4. 5. 6. 7. 9. [20] *deest* 1. [21] mansit 3? 9.

D

### NOTÆ.

[a] *Bocholt*, ad fluvium Aa, a septentrione loci Lippeham.

[b] In toto Wiseræ cursu nonnisi *Mul-beke* prope Rinteln et Polle, regni Hannoverani castrum, aliquam vocis Medofulli similitudinem referunt.

[c] Pagi Bardengo incolæ, qui magnam ducatus Luneburgensis partem complectebatur; vicus ejus principalis tum Bardenwich erat.

[d] Id est Saxones transalbiani, Nordalbingi.

[e] *Die Ohre*: non procul ab ejus cum Albia confluentibus hodie oppidum Wolmirstadt situm est.

ANNALES EGINHARDI.

DCCLXXXI.

Inde Romam veniens, honorifice ab Hadriano papa susceptus est. [1] Et cum ibi sanctum pascha celebraret, baptizavit idem pontifex filium eius Pippinum [2], unxitque eum [3] in regem. Unxit etiam et Hludewicum [4] fratrem eius, quibus et coronam [5] imposuit. Quorum maior, id est Pippinus, in Langobardia, minor vero, id est Hludewicus [6], in Aquitania rex constitutus est. Rege vero Roma digresso ac Mediolanum veniente, Thomas eiusdem urbis archiepiscopus [7] baptizavit ibi filiam eius nomine Gislam [8], et de sacro fonte suscepit. Quibus gestis, in Franciam reversus est. Sed cum Romae esset, convenit inter ipsum atque Hadrianum pontificem, ut simul legatos mitterent ad Tassilonem Baioariae ducem [9], qui eum commonerent de sacramento, quod Pippino regi et filiis [10] eius ac Francis iuraverat, scilicet ut subiectus et oboediens eis esse deberet. [11] Electi ac directi sunt in hanc legationem de parte pontificis Formonsus [12] ac Damasus [13] episcopi, et de parte regis Richolfus [14] diaconus atque Eberhardus [15] magister pincernarum. Cui cum, ut [16] iussi erant, cum memorato [17] duce loquuti essent [18], in tantum cor eius emollitum est, ut diceret, se statim velle ad regis properare praesentiam, si sibi tales obsides dentur [19], sub quibus de sua salute dubitare nulla sit necessitas. Quibus datis, sine cunctacione apud Wormaciam ad regem venit, sacramentum quod iubebatur iuravit [20], obsides duodecim qui imperabantur sine mora dedit, quos Sindbertus [21], Reginensis episcopus de Baioaria, in Carisiaco ad conspectum regis adduxit. Sed idem dux domum reversus, non diu in ea quam promiserat fide permansit. Rex autem in eadem villa hiemem transiens [22], et natalem Domini et pascha eodem in loco [23] celebravit [24].

ANNALES LAURISSENSES.

DCCLXXXI.

Et supradictum iter peragens [1], celebravit pascha in Roma. Et ibi baptizatus est [2] domnus Pippinus, filius supratitulati [3] domni Caroli magni regis, ab Adriano papa, qui et ipse eum [4] de sacro fonte suscepit, et duo filii supradicti domni Caroli regis inuncti [5] sunt ad regem [6] a supradicto pontifice; hii sunt domnus Pippinus et domnus Hludowicus [7] reges; domnus Pippinus rex [8] in Italiam, et domnus Hludowicus rex in Aquitaniam [9]. Et inde revertente domno Carolo rege, Mediolanis civitate [10] pervenit, et ibi baptizata est filia eius domna Gisola [11] ab archiepiscopo nomine Thoma [12], qui et ipse eam a sacro baptismate [13] manibus suscepit [14]. Et ab inde reversus est in Franciam. Et tunc missi sunt duo missi [15] ab apostolico supradicto [16], hii sunt Formonsus [17] et Damasus [18] episcopi, ad Tassilonem [19] ducem una cum missis domni Caroli regis [20], his nominibus, Riculfum [21] diaconem et Eborhardum [22] magister [23] pincernarum, ad commonendum et contestandum, ut reminisceret [24] priscorum sacramentorum suorum, ut [25] non aliter faceret, nisi sicut [26] iureiurando iam dudum promiserat ad partem [27] domni Pippini regis et [28] domni Caroli magni regis vel [29] Francorum. Et tunc consensit Tassilo [30] dux Baioariorum, ut sumptos obsides a domno rege Carolo, et tunc [31] veniret [32] ad eius praesenciam; quod et domnus praefatus rex non rennuit [33]. Et coniungens se supradictus dux in praesenciam piissimi regis ad Wormaciam [34] civitatem, ibi renovans sacramenta, et dans duodecim obsides electos, ut omnia conservaret [35], quicquid domno Pippino regi [36] promiserat iureiurando, in causa supradicti domni Caroli regis vel fidelium suorum; qui et ipsi obsides recepti sunt in Carisiacum villa [37] de manu Sinberti [38] episcopi. Sed non diu praefatus dux Tassilo promissiones quas fecerat conservavit. Et celebravit praedictus domnus gloriosus rex natalem Domini in supradictam villam [39] Carisiacum [40], et pascha similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

VARIANTES LECTIONES.

[1] *deest* 7. [2] P. e. f. 7. [3] *deest* 3. 9. [4] hludowicum 7. lovdewicum 5. ludewicum 4. 6. ludovicum 9. *ita et insequentibus fere constanter* [5] corona 1. [6] id est Hludewicus *deest* 9. idem — idem 3. [7] episcopus 9. [8] gisilam 5. 6. [9] d. B. 3. 4. 6. 9. [10] filii 1. [11] ut subiectus eis esset et obediens 3. ut subiectus esset ac obediens 9. ut eis s. e. ac o. *Bq.* [12] formosus 5. 6. 7. 9. [13] damasius 6. [14] ricolphus 3. [15] eburhardus 2. 3. 4. eberhartus 9. [16] cum quae iussi 7. [17] commemorato duci 9. [18] locuti fuissent 9. [19] darentur 5. 7. dentur obsides 3? 9. [20] sacramentum q. i. iuravit *deest.* 1. [21] sindberdus 1. suidbertus *Bq.* [22] transiens *idem ac codicum* 3? 4. 5. 6. 7. 9. transigens. [23] e. i. loco *deest* 7. [24] celebravit. Hisdem diebus defuncto Guichardo abbate coenobii sancti Germani, Robertus in regimine substituitur 7.

VARIANTES LECTIONES.

[1] Et rex carolus s. i. p. 1. 7. [2] est *deest* 2. [3] supradicti 1. 5. 6. 7. etc. [4] eum *deest* 2. [5] uncti 1. [6] in regem 5. in reges 1. 7. [7] hlodowicus 6. lodouicus 1. [8] rex *usque* rex *deest* 1. [9] hludow. in aquit. 2. hlodowicus rex in equitania 7. [10] mediolanum civitatem 1. [11] gistola 1. gisola 7. [12] dioma 1. [13] sacro fonte 6. 7. baptismo 1. 5. [14] fonte levavit 6. [15] missi duo 1. [16] supradicto scilicet f. 1. [17] formosus 5. [18] damansus 1. [19] thassilonem 1. tessilonem 6. [20] regis scilicet richolfus diaconus et eberhartus munere pincernario 1. [21] ruculfum 6. [22] eberaldum 7. [23] magistrum 5. 6. 7. [24] reminisceretur 5. [25] et ut non 1. 5. 6. 7. etc. [26] nisi ut 1. 6. [27] ad partem *deest* 5. [28] domni pippini regis et *deest* 6. [29] vel *deest* 1. [30] tesilo 6. [31] carolo tunc 7. [32] veniet 2. veniret *deest* 6. [33] renuit 1. 7. [34] vurmatiam 5. vurmaticam 6. warmaciam 7. [35] conservare 1. conseruarent 2. [36] domnus pippinus rex 2. [37] carisiaca uilla 1. [38] simberti 1. sinberti 2. 3. 5. 6. ingberti 7. [39] villam *deest* 2. [40] supradicta civitate carisiaca 1.

ANNALES LAURISSENSES. A

## DCCLXXXII.

Tunc domnus Carolus rex iter peragens, Renum transiens [1] ad Coloniam, et synodum [2] tenuit ubi Lippia consurgit. Ibique omnes Saxones venientes [3], excepto rebellis Widochindus [4], etiam illuc convenerunt [5] Nordmanni [6] missi Sigifridi [7] regis [8] : id est Halptani [9] cum sociis suis. Similiter et Avari illuc convenerunt, missi a Cagano et Iugurro. [10] Ibi peracto placito, reversus est domnus Carolus rex in Franciam. Et cum reversus fuisset, statim iterum Saxones solito more rebellati sunt, suadente Widochindo. [11] Et ignorante hoc domno Carolo rege, misit missos suos Adalghisum [12] et Gailonem [13] atque Woradum, ut moverent exercitum Francorum et Saxonum super Sclavos paucos, qui rebelles fuerant [14]. B Et supranominati missi in via audientes, quod Saxones rebellati fuissent [15], coniungentes supradictam scaram, inruerunt super Saxones [16], et nullum mandatum exinde fecerunt domno Carolo rege [17]. Et commiserunt bellum cum Saxonibus, et fortiter pugnantes, et multos Saxones interementes [18], victores extiterunt [19] Franci. Et ceciderunt ibi duo ex ipsis missis, Adalgisus et Gailo, in monte qui dicitur Sundal [20] [a]. Hoc audiensque [21] domnus Carolus rex, una cum Francis quos sub celeritate coniungere potuit, illuc perrexit, et pervenit usque ad locum ubi Alara [22] confluit in Wisora. Tunc omnes Saxones iterum convenientes, subdiderunt se sub potestate supradicti domno rege [23], et reddiderunt omnes malefactores [24] illos, qui ipsud [25] rebellium maxime terminaverunt, ad occidendum, quatuor C milia quingentos; quod ita et factum est, excepto Widochindum [26], qui fuga lapsus [27] est [28] partibus [29] Nordmanniae [30]. Haec omnia peracta [31], reversus est praefatus domnus rex in Francia. Et celebravit natalem Domini in villa quae dicitur Teodone-villa [32] et pascha similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

### VARIANTES LECTIONES.

[1] pertransiens 6. [2] coloniam synodum 7. [3] venerunt e. rebelle vindikinde 1. [4] rebelle uuidochindo 5. windochindus 7. [5] venerunt postlimani 1. [6] nortmani 5. northmanni 6. [7] sifridi 1. sigifredi 5. 7. godefridi 7b. 9b. [8] regis, halbdani D cum sociis suis similiter. et 1. [9] haltani 5. haltoni 7. halptani 2. 3. 6. [10] vigerio 1. vigurro 7. iugurno 5. [11] vindekindo 1, widichindo 2. [12] adalgisum 1. 5. 6. 7. [13] algonem 1. galonem 5. gaiolonem 6. wailonem 7. [14] fuerunt 1. [15] rebellassent 1. 5. [16] irruerunt in s. 1. [17] regi 1. 5. 6. 7. etc. [18] interimentes 1. 5. 6. 7. [19] extitere 1. [20] suntal 1. sumptdal 5. siimptal 6. suntdal 7. [21] audiens quod 2. audiens *reliqui*. [22] alacra 6. [23] domni regis 1. 5. 6. 7. etc. [24] malefactores illos rebelles et occiderunt excepto vindikindo 1. [25] ipsum 1. 5. 6. 7. etc. [26] widochindo 5. 6. 7. etc. [27] elapsus 1. 7. [28] exc. W. q. f. l. est *deest*. 6. [29] ad partes 1. [30] normanniae 7. [31] iis peractis 1. [32] theodonis 1. theodone 7.

ANNALES EGINHARDI.

## DCCLXXXII.

Aestatis initio, cum iam propter pabuli copiam exercitus duci poterat, in Saxoniam eundum, et ibi, ut in Francia quotannis [1] solebat, generalem conventum habendum censuit. Traiectoque apud Coloniam Rheno, cum omni Francorum exercitu ad fontem Lippiae venit, et castris ibi [2] positis, per dies non paucos ibidem moratus est. Ubi inter cetera negotia etiam [3] legatos [4] Sigifridi [5], regis Danorum, et quos ad se [6] Caganus et Iugurrus, principes [7] Hunorum, velut pacis causa miserunt, et audivit et absolvit [8]. Cumque, conventu completo, trans Rhenum in Galliam se recepisset, Widokindus [9], qui ad Nordmannos [10] profugerat, in patriam reversus, vanis spebus Saxonum animos [11] ad defectionem concitavit. Interea regi adlatum [12] est, quod Sorabi Sclavi, qui campos inter Albim [13] et Salam interiacentes incolunt, in fines Thuringorum [14] ac Saxonum, qui eis erant contermini, praedandi causa fuissent ingressi, et direptionibus atque [15] incendiis quaedam loca vastassent. Qui, statim accitis ad se tribus ministris suis, Adalgiso camerario [16] et [17] Geilone [18] comite stabuli et [19] Worado comite palatii, praecepit, ut sumptis secum orientalibus Francis atque Saxonibus, contumaciam Sclavorum audatiam quanta potuissent celeritate [20] conprimerent. Qui cum iussa facturi Saxoniae fines ingressi fuissent [21], compererunt Saxones ex consilio Widukindi [22] ad bellum Francis inferendum esse praeparatos [23]; omissoque itinere, quo ad Sclavos ituri erant, cum orientalium Francorum copiis ad locum, in quo Saxones audierant [24] congregatos, ire contendunt. Quibus in ipsa Saxonia obviavit Theodericus [25] comes, propinquus regis, cum his [26] copiis, quas audita Saxonum defectione raptim in Ribuaria [27] congregare [28] potuit. Is festinantibus legatis consilium dedit, ut primo per exploratores, ubi Saxones essent vel quid aput [29] eos ageretur, sub quanta fieri posset [30] celeritate cognoscerent, tum, si loci qualitas pateretur, simul eos adorirentur. Cuius consilio conlaudato, una cum illo usque ad montem qui Suntal [31] appellatur, in cuius septentrionali latere Saxonum

### VARIANTES LECTIONES.

[1] *deest* 5. [2] *deest* 2. 4. 5. 6. 7. [3] et 3. 9. [4] legatis 1. 2. [5] sigefridi 7. 9. [6] ad se *deest* 2. [7] princeps. 2. [8] solvit 9. [9] widochindus 5. widocindus 6. widikindus 3. 7. 9. [10] normannos 2. (*secunda manu*); 7. [11] a. s. 3? 9, [12] nuntiatum 7. [13] albino 1. [14] euringorum (*typographi vitio*) *Chesn.* [15] et 7. [16] camerario suo 4. 5. 6. cubiculario 9. [17] *deest* 9. [18] gedone 5. [19] *deest* 7. [20] quanta possent cel. 3. 7. quam celerrime 9. [21] fuissent fines ingressi 7. [22] widokindi 4. widikindi 3. 7. 9. [23] paratos 3. 5. 6. 9. [24] a. s. 9, a. s. esse *Bq.* [25] teodericus 4. thederichus 9. thedericus *Bq. ita deinceps.* [26] iis 9. hiis 5. 6. [27] ripuaria 2. 3. 9. [28] quam — congrega 2. [29] apud 2 — 9. [30] ageretur quanta possent celeritate. [31] sunttal 2. sultal 4. sontal 9.

### NOTÆ.

[a] *Der Sündel*, *Süntel*, in septentrionali Wiseræ ripa, inter Münderam et Rintelam, in cujus latere septentrionali *das Dachtelfeld*, id est campus in quo quis vapulavit.

ANNALES EGINHARDI. A

castra erant posita, pervenerunt. In quo loco cum Theodericus castra posuisset, ipsi, sicut cum eo convenerat [1], quo facilius montem circumire [2] possent, transgressi Wisuram, in ipsa fluminis ripa castra posuerunt. Habitoque inter se conloquio, veriti sunt ne ad [3] nomen Theoderici victoriae fama transiret, si eum in eodem proelio secum haberent. Ideo [4] sine illo [5] cum Saxonibus congredi decernunt, sumptisque armis, non quasi ad hostem in acie stantem, sed quasi ad fugientium terga insequenda spoliaque diripienda [6], prout quemque [7] velocitas equi sui tulerat, qua Saxones pro castris in acie [8] stabant, unusquisque eorum summa festinatione contendit.[9] Quo cum esset male [10] perventum, male etiam pugnatum est; nam commisso [11] proelio B circumventi a Saxonibus, paene omnes interfecti sunt. Qui tamen evadere potuerunt, non in sua, unde profecti sunt, sed in Theoderici castra, quae trans montem erant, fugiendo pervenerunt. Sed maior Francis quam pro numero iactura fuit, quia legatorum duo, Adalgisus et Geilo, comitum quattuor [12], aliorumque clarorum atque nobilium usque ad viginti interfecti, praeter caeteros, qui hos sequuti, potius cum eis perire quam post eos vivere maluerunt. Cuius rei nuntium cum rex accepisset [13], nihil sibi cunctandum arbitratus, collecto festinanter exercitu, in Saxoniam proficiscitur, accitisque ad se cunctis Saxonum primoribus, de auctoribus factae defectionis inquisivit. Et cum omnes Widokindum [14] huius [15] sceleris auctorem proclamarent, eum [16] tamen tra- C dere nequirent, eo quod is [17] re perpetrata ad Nordmannos se contulerat, caeterorum [18], qui persuasioni eius morem gerentes tantum facinus peregerunt [19], usque ad quattuor milia quingenti traditi, et super Alaram [20] fluvium, in loco qui Ferdi [21] [a] vocatur, iussu regis omnes una die decollati sunt. Huiusmodi vindicta perpetrata [22], rex Theodone villa [23] in hiberna concessit, ibique [24] natalem Domini, ibi [25] et pascha more solito celebravit.

DCCLXXXIII.

Adridente veris temperie, cum ad expeditionem Saxonicam se praeparasset — nam de omnimoda eorum [26] defectione ad eum [27] perlatum fuerat — priusquam de memorata villa moveret [28], Hildigar- D dis [29] regina uxor eius decessit 2. Kal. Maias. Cuius

VARIANTES LECTIONES.

[1] convenerant 3 — 9. [2] circuire 3. 4. 7. 9. [3] in 7. [4] ideoque 3? 6. 9. [5] eo 3. 9. [6] ad fugientem contendunt. Terga insequi spoliaque diripere 9. [7] quemquam 9. [8] in a. p. c. 9. [9] adoriuntur 9. [10] *deest* 3. 9. [11] cum misso 1. [12] quatuor 2—9. [13] suscepisset 9. [14] widikindum 3. 5. 9. [15] cuius 1. [16] ipsum 3. 9. [17] his 2 *deest* 3. 9. [18] caeterorumque 1. [19] peregere 7. [20] alarum 2. 7. [21] ferdia 2. fredi 7. [22] patrata 6. 7. [23] in theodonem villam 7. theodonis villam 9. [24] ibique et 3. 9. [25] *deest* 7. 9. [26] *deest* 4. [27] ad eum *deest* 9. [28] se moveret 9. [29] hiltigardis 5. hildegardis 7.

ANNALES LAURISSENSES.

DCCLXXXIII.

Tunc obiit domna ac bene merita Hildegardis regina pridie Kal. Mai. [1], quod evenit in die tunc in tempore vigilia [b] ascensionis Domini. * Et domnus rex Carolus iter fecit partibus [2] Saxoniae, eo quod Saxones iterum rebelles fuissent [3], et cum paucis Francis ad Theotmalli [4] [c] pervenit. Ibi Saxones praeparaverunt pugna [5] in campo, qui [6] viriliter domnus Carolus rex et Franci solito more super eos inruentes [et Saxones terga vertentes [7]], et Domino [8]

VARIANTES LECTIONES

[1] maii quae erat vigilia 1. [2] per partes *ita constanter, ex coniectura ni fallor Canisii* 1. [3] rebellarent 1. [4] theotwaldi 1. theodmali 6. theotmallim 7. theodmalli 9. [5] pugnam 1. 5. 6. 7. [6] quo 7. *deest* 1. [7] et saxones terga vertentes *deest* 2. [8] vertentes domino 7.

NOTÆ.

[a] *Verden.*

[b] Recte, quia pascha in diem 23 Martii cecidit.

[c] *Detmold.*

ANNALES LAURISSENSES.

auxiliante, Franci victores extiterunt. Et cecidit ibi [1] maxima [2] multitudo Saxonum, ita ut pauci fugam [3] evasissent. Et inde cum victoria venit suprascriptus gloriosus rex ad Paderbrunnen [4], ibi coniungens exercitum suum. Et perrexit ubi iterum [5] Saxones se coniunxerunt ad fluvium cuius vocabulum est Hasa [a]. Ibi [6] iterum pugna inita, non minor numerus Saxonum ibi cecidit, et Domino auxiliante Franci victores extiterunt. Et iter peragens iam dictus domnus [7], Wisoram fluvium transiit, ad Albiam [8] fluvium usque pervenit; et inde reversus praefatus magnus rex in Franciam. Et in eodem anno obiit bonae memoriae domna Berta regina 4 Idus Iul. ** Et cum Wormaciam [9] pervenisset domnus rex Carolus, sociavit sibi in matrimonium [10] domna Fastradane regina [11]. Et celebravit natalem Domini in villa quæ dicitur Haristallio [12], et pascha similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

* [et sepulta est iuxta urbem Mettensem in basilica apostolorum et beati Arnulfi. 9 b.]

** [et sepulta est in Causiaco. Sed inde translata Parisius, sepulta est iuxta virum suum in ecclesia sancti Dionysii martyris. 9 b.]

ANNALES EGINHARDI.

funeri cum [1] more solemni iusta persolveret [2], in Saxoniam, sicut dispositum habebat [3] duxit exercitum. Cumque Saxones in eo loco qui Theotmelli [4] [a] vocatur, ad pugnam se praeparare [5] comperisset [6], ad eos quanta potuit [7] celeritate contendit; commissoque cum eis proelio, tanta eos caede prostravit, ut de innumerabili eorum multitudine perpauci evasisse dicantur. Cumque de loco proelii ad Padrabrunnon [8] se cum exercitu recepisset, atque ibi castris positis partem exercitus, quae adhuc de Francia venire debuerat, operiretur, audivit Saxones in finibus Westfalaorum super fluvium Hasam ad hoc congregari, ut ibi cum eo, si venisset, acie [9] confligerent. Quo nuntio commotus, adunatis quae tum ad se venerant, quasque ante secum habebat, Francorum copiis, ad locum ubi [10] congregati erant, sine dilatione profectus est, congressusque cum eis, eadem qua et prius felicitate dimicavit. Caesa est eorum infinita multitudo, spoliaque direpta, captivorum quoque magnus abductus est numerus. Inde victor ad orientem iter [11] convertit, primoque usque ad Wisuram, deinde usque ad Albiam [12] cuncta devastando peragravit. Inde reversus in Franciam, duxit uxorem filiam Radolfi [13] comitis natione Francam, nomine Fastradam, ex qua duas filias procreavit. Eodem anno defuncta est bonae memoriae mater regis Berhtrada [14] 4. Id Iul. Ipse in Heristallio villa ibidem [15] hiematurus consedit, ibique natalem Domini ac sanctum pascha celebravit.

## DCCLXXXIV.

Et tunc [13] rebellati sunt [14] iterum Saxones solito more, et cum eis pars [15] aliqua Frisonum. [16] Tunc deinde domnus Carolus rex iter peragens, Renum transiit ad Lippiham [17], et ingressus est Saxoniam circuiendo [18] et vastando, usque quod [19] pervenit [20] ad Huculvi [21] [b]. Ibi consilio inito, eo, [22] quod nimium inundaciones aquarum fuissent [23], ut per Toringiam [24] de orientale parte introisset super Ostfalaos [25], et filium suum domnum Carolum dimisisset una cum scara contra Westfalaos [26]: quod et ita [27] factum est. Domnus rex Carolus perrexit per Toringiam [28] usque ad fluvium Albiam, et inde ad Sta-

## DCCLXXXIV.

Cum primum oportunitas temporis advenit, ad reliquias belli Saxonici conficiendas rex animo intento, cum exercitu in loco qui Lippeham [16] vocatur, Rhenum traiecit [17], et vastatis Westfalaorum pagis, venit ad Wisuram. Cumque in eo loco qui Huculbi dicitur, castris super fluvium positis consedisset, vidit se in aquilonales [18] Saxoniae partes, sicut statuerat, propter nimias aquarum inundationes, quae tum [19] subito ex iugitate pluviarum acciderant, transire non posse. Idcirco iter in Thuringiam convertit, et filium suum Karolum [20] cum parte exercitus in Westfalaorum finibus sedere [21] iussit. Ipse per Thuringiam [22] iter faciens [23], venit in campestria Saxoniae, quae Albi atque Salae fluminibus adiacent

### VARIANTES LECTIONES.

[1] ibi *deest* 2. [2] maxime 2. [3] fuga 5. 7. [4] padenbrun 1. [5] iterum *deest* 1. [6] ibi *deest* 1. 7. [7] domnus rex 1. 7. [8] albium 5. [9] uurmaciam 5. warmaciam 7. [10] sibi matrim. 5. [11] dominam Fastradam reginam 1. domnam fastradanem reginam 7. [12] haristalho 1. [13] Saxones tunc iterum rebellarunt 1. [14] rebellaveruut 5. [15] par 2. [16] fresonum 5. forisonum 6. [17] lippiam 1. 2. 7. lippiaham 5. lippiham 6. [18] circuendo 1. [19] quod *deest* 1. 6. usque quo 7. [20] pervenit *deest* 1. [21] huculum 1. huculin. 7. hucului 2. 3. 5. 6. 8. 9. [22] eo *deest* 6. [23] quod minime essent i. a. 1. [24] thuringiam 1. durringiam 6. thoringiam 7. [25] hostfalaos 5. ostualaos 1. [26] westualos 1. wetfalaos 5. [27] quod ita 1. 2. 7. et quod ita 6. [28] turingiam 1. toringam 2. durringam 6. thoringiam 7.

### VARIANTES LECTIONES.

[1] postquam 7. [2] persolverat 7. persolvisset 9. [3] disposuerat 9. [4] teotmelli 4. theothmelli 7. theotinelli 6. thietmelle 9. [5] praeparasse 7. [6] cognovisset 9. [7] eos summa cel. 9. [8] patherbrunnon 4. padrabrunnam 9. padrabunnum 7. [9] acre 9. [10] quo 7. [11] *deest* 3? 9. [12] albim *Bq*. [13] radulfi 3. 7. radoldi 4. rădolfi 5 [14] berthrada 3. 5. 9. bertrada 4. 7. berchtrada 6. [15] *deest* 5. [16] lippeam 3. 4. lippea 5. 6. lippia 7. lippeheim 9. [17] transivit 5. 6. [18] aquilonares 3? 9. [19] tam 3? 9. [20] karolum 1. [21] subsistere 9. [22] thorginam *hac vice* 2. [23] agens 7. perciens (perficiens?) 2.

### NOTÆ.

[b] In cujus ripa Osnabrück.

[a] Oppidum *Petershagen*, olim *Hockeleve*, nomen hodiernum una cum jure civitatis sortitum.

ANNALES EGINHARDI.

A

depopulatisque orientalium Saxonum agris ac villis incensis, de Scahningi [1] [a] — hoc loco nomen erat [2] — in Franciam regressus [3] est. Karlus vero filius eius, cum ei iter agenti in pago Draigni [4] [b] iuxta Lippiam fluvium Saxonum [5] occurrisset exercitus, commisso cum eis equestri proelio, felici ac prospero eventu dimicavit [6]; nam magno eorum numero interfecto, caeteris [7] in diversa fugatis, victor ad patrem Wormaciam reversus est. Rex autem, congregato iterum exercitu, in Saxoniam profectus est, celebratoque in castris natalicio Domini die super Ambram [c] fluvium in pago Huettagoe [8] [d]. iuxta castrum Saxonum quod dicitur Skidroburg [9] [e], ad locum vocabulo [10] Rimi [11], in quo [12] Wisura et Waharna [13] confluunt, populabundus accessit. Cumque [14] eum ulterius progredi tam hiemalis temporis asperitas quam aquarum inundatio prohiberet, Aeresburgum castrum [15] in hiberna concessit.

DCCLXXXV.

Cum ibi hiemare decrevisset, accitis atque adductis ad se uxore ac [16] liberis, relictoque [17] cum eis in eodem castro [18] satis fido ac firmo praesidio, ipse cum expedita manu ad Saxonum pagos vastandos ac villas diripiendas egressus, inquietam satis hiemem, ubique discurrendo et cuncta caedibus atque incendiis permiscendo, tam per seipsum, quam per duces quos miserat, Saxonibus reddidit. Cumque huiusmodi vastationibus per totum hiberni temporis spatium [19] omnes fere Saxonum regiones ingenti clade adfecisset, transacta tandem hieme et advectis [20] ex Francia commeatibus, publicum populi sui conventum in loco qui Padrabrunno [21] vocatur, more solemni habuit. Ac peractis his [22], quae ad illius conventus rationem pertinebant, in pagum vocabulo [23] Bardengoo [24] proficiscitur, ibique audiens

VARIANTES LECTIONES.

[1] scaningi 2. scanigni 3. schaningi 5. 6. schannico *al.* schahningi 7. schaninge 9. [2] h. l. n. e. *deest* 9. *in* 3 *nonnisi* loco *legitur*; hoc enim erat nomen loci 7. [3] reversus 4. 6. [4] daigno 7. [5] *deest* 9. [6] d. e. 3. 4. 9. [7] exteris 9. [8] weltagoe 6. huthagoe *ms.* huettagoe 7. [9] quod dicitur kidroburg 3. q. d. skidroburc 4. q. d. skridoburg 5. 6. quod dekidroburg 9. [10] nomine 9. [11] rum 7. [12] qua 3. 9. [13] warharna 2. waharnna 3. vagarna 9. [14] conque 2. [15] in E. c. 7. E. arcem 9. [16] et 9. [17] reductoque 9. [18] castra 2. intra eadem castra 7. in eadem arce 9. [19] s. t. 7. [20] adductis 7. [21] patherbrunno, padrabunno 7. padrabrunna 9. [22] iis 9. [23] nomine 9. [24] bardengo 2. bardengoum 7. bardengau 9.

ANNALES LAURISSENSES.

gnfurd [1] [f] et inde ad Scahiningi [2], ibique conventionem factam [3], reversus est in Franciam [4] supradictus gloriosus rex. Westfalai vero voluerunt se congregare ad Lippiam. [5] Quo audita a [6] supradicto filio domni Caroli regis, obviam eis accessit [7] una cum scara quae cum eo dimissa fuit, in pago qui dicitur Dragini [8], et inierunt bellum. Auxiliante Domino, domnus Carolus, filius [9] magni regis Caroli, victor extitit una cum Francis, multis Saxonibus interfectis. Volente Deo, inlaesus remeavit ad genitorem suum in Wormaciam civitatem: ibique [10] inito consilio cum Francis, ut iterum hieme [11] tempore iter fecisset [12] supradictus domnus rex in Saxoniam; quod ita et factum est. Et celebravit natalem

B

Domini iuxta Skidrioburg [13] in pago Waizzagawi [14] super fluvium Ambra [15] in villa Liudihi [16] [g]. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCLXXXV.

Tunc domnus Carolus rex [17] supradictum iter peragens, usque ad Rimie [18] pervenit super fluvium Wisora [19], ubi confluit Waharma [20] [h]. Et propter nimias [21] inundationes [22] aquarum inde reversus est Aeresburgum [23]: uxorem suam domnam Fastradanem [24] reginam una cum filiis et filiabus suis ad se venire iussit. Ibi tota hieme resedens [25], et ibi pascha iam fatus excellentissimus rex celebravit. Et dum ibi resideret, multotiens scara [26] misit, et per semetipsum iter peregit [27]: Saxones, qui rebelles [28]

C

fuerunt [29], depraedavit, et castra coepit, et loca eo-

VARIANTES LECTIONES.

[1] stainfurt 1. stagnfrud 2. stangfurt 5. stagnfurt 6. stangfurd 7. stagnfurd 8. stangford 9. [2]. schalingi 1. scainingi 5. 6. scaingi 7. scaningi 9. [3] conventione facta 1. 5. 6. 7. etc. [4] frantiam 5. 6. [5] ad philippiam 6. [6] auditu co (*ortum ex forma tunc usitata litterae*) 2. audito a 1. 5. 6. 7. etc. [7] Q. a supradictus filius d. c. r. obviam ivit eis 1. (eis accessit) 7. 9. [8] oragmi 1 dragani 6. [9] filium 2. [10] ibi 1. [11] hiemis 1. 7. [12] faceret 1. 7. inter fecisset 2. [13] kidrioburg 1. kydrioburg 6, bidrioburg 9. [14] vuazzaganni 1. waizzagawi 2. 3. waizzagavi 5. wazzagaiuu 6. wauzanaga 7. waizzgawi 8. waisagawi 9. [15] ambram 1. [16] lutundi 1. liudihi 2. 3. liuhidi 5. 8. liuthildi 6.

D

luidi 7. luichidi 9. [17] rex carolus 1. 5. 6. 7. [18] rimee 1. 5. 7. rimee 6. rimie 2. 8. 9. [19] wisoraha 1. wisoram 7. [20] vinharna 1. [21] nimiam 1. 2. 6. 7. [22] inundationem 1. 7. [23] eresburgam 6. [24] fastradam 1. fastradanam 6. [25] residens 1. 5. 6. residens ibidem 7. [26] scaras 1. 5. 6. 7. scaram 2. [27] peragit 5. [28] qui rebelles *deest* 2. [29] rebelles erant 1.

NOTÆ.

[a] *Schoningen.*

[b] In eo, Falkio Tradit. Corbei. p. 318, 319, teste, loca *Hertfeld*, *Lisborn*, *Werne*, imo et *Capoenberg*.

[c] *Die Emmer.*

[d] In comitatu Pyrmontano, Swalenbergico et adjacentibus terris. cf. Falke l. c. p. 6.

[e] *Schieder* ad Ambram.

[f] *Stasfurt* ad Budam? Certe locus in vado fluminis cujusdam inter sylvam Hercyniam et Albiam investigandus est, nec alius tam commodus occurrit, cum et Pippinus anno 748 eadem via per Hochseeburg et Stagnfurt ad loca Scahaningi et Orbaim accessisse videatur.

[g] *Olden-Lüde* jam desolatum secundum Falkium p. 349, qui vicum hodie exstantem Lüde prope Pyrmontum serius constructum fuisse contendit; quod ita se habere, eo probatur, quod Schieder longius a Lüde distat, quam ut juxta illud situm fuisse dici possit.

[h] *Die Werne.*

ANNALES LAURISSENSES.

rum munita intervenit [1], et vias mundavit [2], ut [3] [4] dum tempus congruum venisset, sinodum publicum tenuit ad [5] Paderbrunnen. Et inde iter peragens, vias apertas [6], nemini [7] contradicente, per totam Saxoniam quocumque [8] voluit. Et [9] tunc in Bardengawi [10] venit, ibique mittens post Widochindum [11] et Abbionem, et utrosque [12] ad se conduxit, et firmavit, ut non se subtrahissent [13], nisi [14] in Franciam [15] ad eum pervenissent : petentibus illis, ut credentias haberent, quod inlaesi fuissent : sicut et factum est. [16] Tunc domnus rex reversus est in Franciam, et mittens ad supradictum [17] Widochindum [18] et Abbionem obsides per missum suum [19] Amalwinum [20]; qui cum recipissent [21] obsides illos secum deducentes [22], coniunxerunt [23] se ad [24] Attiniacum villa [25] ad domnum regem Carlum. [26] Et [27] ibi baptizati sunt supranominati Widochindus [28] et Abbi [29] una [30] cum sociis eorum. Et [31] tunc tota Saxonia subiugata est. Coniuratio [32] Hardradi et orientalium Francorum, quas contra [33] regem conspiraverant, deprehensa est, et auctores eorum [34] partim morte partim exilio damnati sunt. Et in eadem villa celebravit saepedictus [35] gloriosus rex natalem Domini, et pascha similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCLXXXVI.

Tunc domnus Carolus rex misit exercitum suum partibus Brittaniae [36] una cum misso suo Audulfo [37] sinescalco [38], et ibi multos Brittones conquesierunt [39] una cum castellis et firmitates [40] eorum [41] locis palustribus, seu et [42] in caesis. [43] Et sicut supra diximus, in multis firmitatibus Brittonum praevaluerunt Franci, et cum victoria, Domino volente.

VARIANTES LECTIONES.

[1] intravit 1. [2] inundavit 1. [3] ut *deest* 7. [4] sinodum vero publicam 5. Sinadum vero publicum 6. [5] celebravit apud 1. 7. [6] apertas, faciens 7. [7] nemine 1. 5. 6. 7. [8] quodcumque 7. [9] Et *deest* 1. [10] bardunganice 1. bardingawi 5. padangowi 6. [11] vindikindem 1. windochindum 7. widichindum 6. [12] abbionem utrosque 2. 7. [13] subtraherent 1. subtraxissent 5. 7. [14] s. priusquam in f. 1. [15] francia 5. 6. 7. [16] sicut factum 1. [17] supradictos 1. 5. 6. 7. [18] windekindem 1. windochindum 5. 7. [19] suum *deest* 6. [20] amulwinum 2. amalwionem 7. [21] recepissent 1. 5. 6. 7. [22] ducentes 1. deduxerunt 6. [23] iunxerunt 6. [24] apud 1. [25] villam 1. 5. 7. [26] carlum 2. [27] et *deest* 7. [28] windikind. 1. windochindus 5. widichindus 6. [29] abbio 1. 7. abbion *corr.* abbio 6. *in codice* 6. bb. *e. g. in voce* abba *ubi nullum ea de re dubium* lb (*ut alias* pp = lp) *scribitur*, *ita* et *vocabulum* abbi *et* abbio, *quod qui nesciebat* albio *legendum esse putavit.* [30] una *deest* 1. [31] Et *deest* 1. [32] Coniuratio.... damnati sunt *deest in omnibus codicibus exceptis* 5. *et* 6; *legitur in Annal. Einhardi et Fuldens.* [33] quae contra 5. quia contra 6. [34] eius 6. *auctores eorum h. e. duces, incentores Francorum.* [35] supradictus 6. [36] brittaniae 1. 2. brittanniae 5. 6. britanniae 7. *ita deinceps.* [37] andulfo sinestalco 1. [38] sinescalvo 6. [39] conquisierunt 5. 6. 7. [40] firmitatibus 1. 7. [41] firm. brittonum in locis 1. [42] et *deest* 1. [43] incessis 1. incesis 2. 7. incesos 6.

ANNALES EGINHARDI.

Widokindum [1] ac [2] Abbionem [3] esse in transalbiana [4] Saxonum regione, primo eis [5] per Saxones, ut omissa perfidia ad suam fidem venire non ambigerent [6], suadere coepit. Cumque ipsi, facinorum suorum sibi [7] conscii, regis fidei se committere [8] dubitarent, tandem accepta ab eo, quam optabant, inpunitatis sponsione, atque impetratis, quos sibi dari precabantur, suae salutis obsidibus, quos eis Amalwinus, unus aulicorum, a rege missus adduxerat, cum eodem ipso [9] ad eius præsentiam in Attiniaco [10] villa venerunt, atque ibi baptizati [11] sunt. Nam rex, postquam ad eos accersiendos [12] memoratum Amalwinum direxit, in Franciam reversus est, quievitque illa Saxonicae perfidiae pervicacitas [13] per annos aliquot [14], ob hoc maxime, quoniam occasiones deficiendi ad rem pertinentes invenire non potuerunt. Facta est eodem anno trans Rhenum apud orientales Francos adversus regem immodica coniuratio, cuius auctorem Hardradum [15] comitem fuisse constabat. Sed huius indicium cito ad regem delatum est, eiusque sollertia tam valida conspiratio citra ullum grande periculum in brevi conquievit, auctoribus eius partim privatione luminum, partim exilii deportatione [16] condemnatis.

DCCLXXXVI.

Cum et hiemis tempus expletum, et sanctum pascha in Attiniaco villa fuisset a rege celebratum, exercitum in Brittanniam [17] cismarinam [18] mittere constituit. Nam cum ab Anglis ac Saxonibus Brittannia insula fuisset invasa [19], magna pars incolarum eius mare traiciens, in ultimis Galliae finibus Venetorum et Coriosolitarum [20] regiones occupavit. Is populus a regibus Francorum subactus ac tributarius factus, inpositum sibi vectigal, licet invitus, solvere solebat. Cumque eo tempore dicto audiens non esset, missus illuc regiae mensae praepositus Audulfus, perfidae gentis contumatiam mira [21] celeritate compressit, regique apud Wormaciam et obsides quos acceperat, et complures ex populi primoribus adduxit. Rex, pace undique parta, statuit Romam proficisci, et partem Italiae quae nunc Beneventus [22] vocatur [23] adgredi, conveniens esse arbitratus, ut illius regni residuam portionem suae

VARIANTES LECTIONES.

[1] Widogindum 2. widikindum 3. 7. 9. [2] ad *omnes praeter* 9. *qui* et *legit*; ad abbionem *loco* apud abbionem *dici posse non videtur*, *quare* ac *recipiendum statui. Poeta etiam Saxo aut* ac *aut* et *legisse videtur.* [3] albionem, *facili corruptela*, 3. 4. 5. 6. 7. 9. [4] transalbiona 9. transalbinam — regionem 7. [5] eos *omnes praeter* 7. et 9. [6] ambierent 1. 2. 5. 6. [7] *deest* 7. [8] c. se 7. [9] *deest* 9. [10] attinico 1. [11] baptisati 2. 7. 9. [12] accersendos 7. 9. [13] perversitas 2. [14] aliquot annos 2. [15] hartradum 3. 9. [16] poena 9. [17] brittaniam 4. britanniam 3. 7. britaniam 9. *ita fere constanter.* [18] ac maritima 7. [19] inversa 9. nam ab anglis ac saxonibus cum brittannia insula occupata fuisset 6. [20] corosolitarum 7. [21] in ira 2, [22] beneventana 7. [23] in qua beneventum situm est 9.

ANNALES EGINHARDI.

potestati subiceret, cuius caput in [1] capto Desiderio rege, maioremque [2] partem in Langobardia iam subacta teneb at. Nec diu moratus [3], sed contractis celeriter Francorum [4] copiis, in ipsa hiemalis temporis asperitate Italiam ingreditur. Cumque in Florentia Tuscorum civitate natalem Domini celebrasset, quanta potuit [5] celeritate Romam ire contendit. Quo cum venisset, ac de profectione sua in [6] Beneventum tam cum Hadriano pontifice quam cum suis optimatibus deliberasset, Aragisus [7], dux Beneventanorum, audito eius adventu compertaque in terram suam intrandi voluntate, propositum eius avertere conatus est. Misso enim Rumoldo [8], maiore filio suo, cum muneribus ad regem, rogare coepit, ne terram Beneventanorum intraret. Sed ille longe aliter de rebus incohoatis faciendum sibi iudicans, retento secum Rumoldo [9], cum omni [10] exercitu suo Capuam Campaniae civitatem [11] accessit, ibique castris positis consedit [12], inde [13] bellum gesturus [14], ni memoratus dux intentionem [15] regis salubri consilio praevenisset. Nam relicta Benevento [16], quae caput illius terrae habetur, in Salernum, maritimam civitatem, velut munitiorem [17] se cum suis contulit, missaque legatione, utrosque filios suos regi obtulit, promittens, se ad omnia quae imperarentur libenter oboediturum. Cuius precibus rex adnuens, divini etiam timoris respectu bello abstinuit, et minore ducis filio, nomine Grimoldo [18], obsidatus gratia [19] suscepto, maiorem patri remisit. Accepit insuper a populo obsides undecim [20], misitque legatos, qui et ipsum ducem et omnem Beneventanum populum per sacramenta firmarent [21]. Ipse post haec cum legatis Constantini [22] imperatoris, qui propter [23] petendam filiam suam ad se missi fuerant, locutus est, atque illis dimissis Romam reversus, sanctum paschale festum [24] magna cum hilaritate celebravit.

DCCLXXXVII.

Cum rex [25] adhuc Romae ageret [26], Tassilo, dux Baioariae [27], misit legatos suos, Arnum videlicet episcopum [a] et Hunricum [28] abbatem [b], ad Hadrianum papam, petens ut inter regem atque [29] illum mediator pacis fieri dignaretur. Nec pontifex precibus eius censuit abnuendum, sed quanta po-

VARIANTES LECTIONES.

[1] *deest* 9. [2] maioreque 1. [3] ratus 2. [4] cofrancorum 3. [5] cum maxima 9. cum q. p. 3. [6] *deest* 4. 5. 6. [7] aragissus 7. [8] rumoaldo 9. rumuldo 3. runoldo 7. [9] rumoldum 2, *reliqui quemadmodum litt. praeced.* [10] *deest* 2. 7. [11] *deest* 1. civ. camp. 9. [12] ibique c. p. consedit *deest* 3. 9. [13] et inde 4. 5. 6. [14] aggressurus 9. gessurus 3. [15] propositum 9. [16] beneventana urbe 7. [17] munitionem 2. [18] grimoaldo 9. [19] obsidis loco 9. [20] XI. obsides 7. [21] obstringerent 9. [22] constantino 2. [23] ad 9. [24] pascha. 3. 9. [25] adhuc rex 3. 4. 5. 6. 7. 9. rex *deest* 2. [26] esset 3. 5. 9. permaneret 6. [27] baioariorum 5. 9. [28] hunrichum 9. heinricum 4. bainricum 5. [29] et 9.

ANNALES LAURISSENSES.

reversi sunt. Et capitaneos eorum ad sinodum repraesentabant supradicto domno rege [1] Carolo in Wormaciam. [2] Tunc domnus rex Carolus perspiciens [3], se ex omne parte Deo largiente pacem habere, suscepit [4] consilium orationis [5] causae [6] ad limina beatorum apostolorum iter peragendi et caussas Italicas disponendi, et cum missis imperatoris placitum [7] habendi de convenentiis [8] eorum; quod ita factum est. Tunc supradictus [9] domnus rex natalem Domini celebravit in Florentia civitate. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCLXXXVII.

Tunc domnus Carolus rex supradicto itinere iter peragens [10]. * Romam venit, et valde honorifice ante domno [11] apostolico Adriano [12] receptus est: et aliquod [13] dies ibi moratus est cum domno apostolico. Et Harichis [14], dux Beneventanus, misit Romaldum [15] filium suum cum magnis muneribus, postolare [16] de adventu iamdicti domni regis [17], ut in Benevento [18] non introisset [19], et omnes voluntates praedicti [20] domni regis adimplere cupiebant [21]. Sed hoc minime apostolicus credebat neque obtimates [22] Francorum, et consilium fecerunt cum supranominato domno Carolo rege, ut partibus Beneventanis causas firmando advenisset; quod ita factum est. Et dum Capuam venisset [23], Harichisus [24] dux reliquid [25] Beneventum civitatem [26], et in Salernum se reclusit: et timore perterritus non fuit auxus [27] per semetipsum faciem domni regis Caroli videre. Sed mittens missos, et ambos filios suos proferens, id est Rumaldum [28] quem domnus Carolus rex secum habebat, et Grimoaldum [29] quem supradictus Areghis [30] secum habebat [31]; et offerens multa munera et alios obsides, ut petitionem [32] eius obtemperasset. [33] Tunc domnus ac [34] gloriosus rex Carolus perspexit [35] una

* [peragens eclipsis solis [36] facta est 15. Kal. Octob. ab hora diei prima usque ad horam quintam. Romam venit et valde, etc. 6.]

VARIANTES LECTIONES

[1] regi 1. 5. 7. [2] wormatia 1. vurmatiam 5. wormatiam 6. warmatiam 7. [3] prespiciens 2. prospiciens 6. 7. [4] sumpsit 1. 5. 6. 7. [5] devotionis causa 1. 7. [6] causa 5. [7] palatium 6. [8] convenientiis 1. 5. conveneciis 6. [9] suprascriptus 5. 6. 7. [10] supradictum iter 1. itinere ita peragens 6. [11] a domno (1.) 5. 6. 7. [12] hadriano 7. [13] aliquot 1. 5. 7. [14] ariglus 1. arighis 5. 6. 8. arigis 7. harichis 2. 3. [15] rumaldum 7. [16] postulare 1. 5. 6. 7. [17] regis ne beneventum intraret, quia vellet omnes voluntates regis adimplere 1. [18] beneventano 6. [19] introiret 5. [20] praefati 5. 6. 7. [21] cupiebat 5. 6. 7. [22] optimates 1. 5. 7. [23] caupua uenisset aregisiis dux reliquid 6. [24] ariglus 1. areghisus 5. 7. harichisus 2. 3. [25] reliquit 1. 5. 7. [26] beneventanum civ. 2. [27] ausus 1. 5. 6. 7. [28] rumoldum 1. 8. romaldum 6. [29] grimaldum 5. 6. [30] ariglus 1. areghis 2. 5. 6. 7. [31] penes se continebat 1. secum retinebat 7. [32] petitioni 1. 5. 7. [33] obtemperaret 1. [34] ac *deest* 2. [35] prospexit 1. 5. 7. prespexit 2. [36] eclipsis solis facta est XV. kal. octob. *legitur etiam in Ann. Fuld.*

NOTÆ.

[a] Salisburgensem.

[b] Lunælacensem seu Monseeensem.

ANNALES LAURISSENSES

cum sacerdotibus vel ceteris obtimatibus suis, ut non terra deleretur illa, et episcopia vel monasteria [1] non desertarentur [2], elegit duodecim obsides, et tertium decimum [3], filium supradicti ducis [4] nomine Grimoaldum [5]. Et accepta munera [6], iuraverunt omnes Beneventani, tam supradictus dux quam et Rumaldus [7]. Et reversus est saepenominatus piissimus [8] rex, et celebravit pascha cum domno apostolico in Roma. * Ibique venientes missi [9] Tassiloni [10] ducis, hii sunt Arnus episcopus et Hunricus [11] abba [b], et petierunt [12] apostolicum, ut pacem terminarent [13] inter domnum Carolum regem et Tassilonem ducem. Unde et domnus apostolicus multum se interponens, postolando [14] iamdicto domno rege [15]. Et ipse domnus rex respondit apostolico, hoc se voluisse et per multa tempora quaesisse, et minime invenire potuit [16], et proferebat statim fieri. Et voluit supradictus domnus rex in praesentia domni apostolici cum ipsis missis pacem firmare: et rennuentibus supradictis missis [17], quia non auxi [18] fuissent de eorum parte ullam firmitatem facere. Apostolicus vero cum cognovisset de instabilitate [19] vel mendacia [20] eorum, statim supra ducem [21] eorum vel suis consentaneis anathema posuit [22], si ipse [23] sacramenta, quae promiserat domno Pippino rege [24] et domno Carolo itemquae [25] rege [26] non adimplesset. Et obtestans supradictos missos, ut contestarent Tassilonem, ut non aliter fecisset, nisi in omnibus oboediens fuisset domno Carolo rege [27] et filiis eius ac genti [28] Francorum, ut ne forte sanguinis effusio [29] provenisset [30] vel laesio

* [Et reversus est rex piissimus Carolus, et celebravit Romae pascha cum domno apostolico. Ecce, orta est contentio per dies festos paschae inter cantores Romanorum et Gallorum. Dicebant se Galli melius cantare et pulchrius quam Romani. Dicebant se Romani doctissime cantilenas ecclesiasticas proferre, sicut docti fuerant a sancto Gregorio papa: Gallos corrupte cantare, et cantilenam sanam destruendo dilacerare. Quae contentio ante domnum regem Carolum pervenit. Galli vero propter securitatem domni regis Caroli valde exprobrabant cantoribus Romanis. Romani vero propter auctoritatem magnae doctrinae eos stultos, rusticos et indoctos, velut bruta animalia, affirmabant,

VARIANTES LECTIONES.

[1] monasteria desolarentur 1. [2] et episc. vel m. n. des. *deest* 2. [3] et duodecimum 5. [4] filium scilicet p. d. 1. [5] grimaldum 5. [6] acceptis muneribus fecit iurare omnes beneventanos una cum duce et reversus 1. [7] romaldus 5. 6. [8] piissimus *deest* 7. [9] misi 5. [10] tassilonis 1. 5. 6. 7. [11] hunrichus abbas ut ponerent apostolicum 1. [12] abba petierunt 7. [13] terminaret 1. 5. 6. 7. [14] postulando 6. 7. precando 1. [15] regi 7. regem 1. [16] potuisse 1. 6. 7. [17] missis dicendo quia 7. [18] ausi 1. 5. 6. 7. [19] instabilitatem mandati 1. [20] mendacio 7. [21] supra dictum ducem 7. [22] supradictum ducem cum consentaneis suis anathemate feriit 1. [23] ipsa 1. 7. [24] regi 1. 5. 6. 7. [25] item 7. [26] rege 1. 5. 7. [27] regi 1. 5. 6. 7. [28] et genti 7. *deest* 1. [29] profusio 1. 7. [30] veniret 1. proveniret 7.

A

ANNALES EGINHARDI.

tuit [1] instantia apud regem intercedere curavit, ut inter eos pax et concordia ex suae apostolicae auctoritatis ammonitione atque interventione proveniret. Cui cum rex idem se magnopere velle respondisset, simulque a legatis memorati ducis inquireret, quam [2] huius pacationis [3] firmitatem facere deberent, responderunt, sibi de hac re nihil esse commissum, nec se hoc negotio aliud facturos [4], quam ut responsa regis atque pontificis domino suo reportarent. Quorum verbis papa commotus, velut fallaces ac fraudulentos anathematis gladio statuit feriendos, si ab olim regi promissa fide discederent, atque ita, infecto pacis negotio [5], reversi sunt. Rex autem, adoratis sanctorum apostolorum [6] liminibus votis-

B que solutis [7], apostolica benedictione percepta, in Franciam reversus est. Et cum uxorem suam Fastradam filiosque ac filias et omnem comitatum, quem apud eos dimiserat, Wormaciae invenisset, generalem populi sui conventum ibi habere statuit. In quo [8] cum omnia, quae in Italia gesserat, coram optimatibus suis narrando commemorasset, et ad extremum de legatis Tassilonis, qui ad se Romae venerant, mentio facta fuisset, iniit [9] consilium ut experiretur, quid Tassilo de promissa sibi fidelitate facere [10] vellet, congregatoque ingenti exercitu atque in tres parte diviso, Baioariam [11] petere constituit. Cumque Pippinum filium cum Italicis copiis in Tredentinam [12] vallem venire iussisset, orientales quoque Franci ac Saxones, ut iussi fuerant, ad Da-

C nubium in loco qui Pferinga [13] vocatur accessissent, ipse cum exercitu quem secum duxerat, super Lechum fluvium, qui Alamannos et Baioarios dirimit [14], in Augustae civitatis suburbano consedit, inde Baioariam cum tam valida manu procul dubio petiturus, nisi Tassilo sibi ac populo suo ad regem veniendo consuleret [15]. Nam videns se undique circumsessum, venit supplex, ac veniam de ante gestis sibi dari deprecatus [16] est. Sed et rex, sicut erat natura mitissimus, supplici ac deprecanti pepercit, acceptisque ab eo praeter filium eius Theodonem aliis, quos ipse imperavit [17], duodecim obsidibus, et populo terrae per sacramenta firmato, in Franciam reversus est. Et in suburbano Mogon-

D tiacense [18], in villa quae vocatur Ingilunheim [19], quia

VARIANTES LECTIONES.

[1] sed sedula admodum 9. [2] quando 3. 9. [3] pacis 4. 5. 9. [4] futuros 1. [5] n. p. 7. [6] *deest* 9. [7] salutis 1. [8] qua 9. [9] inivit 3. 9. [10] promissa fide praestare 3. 9. [11] baioariam atque ipsum tassilonem 9. [12] tridentinam 3. 5. 6. 7. 9. [13] feringa 5. 6. [14] dividit 3. 9. [15] consuluisset 7. [16] precatus 3. 9. [17] quos ipse imperavit *deest* 9. imperaverat 3. [18] mogontiacensi 7. 9. magonciacense 3. magontiense 4. [19] ingilumheim 2. ingillunheim 3. ingilinheim 4. 6. 7. ingelheim. 9.

ANNALES EGINHARDI.

ibi hiemaverat, et natalem Domini et pascha celebravit.

et doctrinam sancti Gregorii praeferebant rusticitati eorum. Et cum altercatio de neutra parte finiret, ait domnus piissimus rex Carolus ad suos cantores : *Dicite palam, quis purior est et quis melior, aut fons vivus, aut rivuli eius longe decurrentes ?* Responderunt omnes una voce fontem, velut caput et originem, puriorem esse ; rivulos autem eius, quanto longius a fonte recesserint, tanto turbulentos et sordibus ac immunditiis corruptos. Et ait domnus rex Carolus : *Revertimini vos ad fontem sancti Gregorii, quia manifeste corrupistis cantilenam ecclesiasticam.* Mox petiit domnus rex Carolus ab Adriano papa cantores, qui Franciam corrigerent de cantu. At ille dedit ei Theodorum et Benedictum, Romanae ecclesiae doctissimos cantores, qui a sancto Gregorio eruditi fuerant : tribuitque antiphonarios sancti Gregorii, quos ipse notaverat nota Romana. Domnus vero rex Carolus revertens in Franciam, misit unum cantorem in Metis civitate, alterum in Suessionis civitate, praecipiens de omnibus civitatibus Franciae magistros scholae antiphonarios eis ad corrigendum tradere, et ab eis discere cantare. Correcti sunt ergo antiphonarii Francorum, quos unusquisque pro arbitrio suo vitiaverat, addens vel minuens : et omnes Franciae cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam ; excepto quod tremulas vel vinnulas [a], sive collisibiles vel secabiles voces in cantu non poterant perfecte exprimere Franci, naturali voce barbarica frangentes in gutture voces potius quam exprimentes. Maius autem magisterium cantandi in Metis civitate remansit : quantumque magisterium Romanum superat Metense in arte cantilenae, tanto superat Metensis cantilena ceteras scholas Gallorum. Similiter erudierunt Romani cantores supradicti cantores Francorum in arte organandi. Et domnus rex Carolus iterum a Roma artis grammaticae et computatoriae magistros secum adduxit in Franciam, et ubique studium literarum expandere iussit. Ante ipsum enim domnum regem Carolum in Gallia nullum studium fuerat liberalium artium. Per ipsos dies paschae venerunt Romam ad domnum piissimum regem Carolum missi Tassilonis ducis, etc..... His verbis expletis, missi Tassilonis absoluti sunt. Tunc in invicem sibi domnus apostolicus et domnus rex gloriosus Carolus vale dicentes, benedictione assumpta et oratione peracta, in Franciam cum gloria reversus est, adducens secum cantores Romanorum et grammaticos peritissimos, et calculatores. Perveniteque idem mitissimus rex Carolus ad coniugem suam domnam Fastradam reginam in civitate Warmatia, et ibi ad invicem gavisi sunt laetificantes ac Dei misericordiam conlaudantes. 11.]

ANNALES LAURISSENSES.

terrae illius ; et si ipse dux [1] obdurato corde verbis supradicti apostolice [2] minime oboedire voluisset, tunc domnus Carolus rex et suo [3] exercitus absoluti fuissent ab omni periculo peccati, et quicquid in ista [4] terra factum eveniebat [5] in incendiis [6], aut in homicidiis, vel in qualecumque [7] malicia, ut hoc super Tassilonem [8] et eius consentaneis [9] evenisset, et domnus rex Carolus ac Francis [10] innoxii ab omni culpa exinde permansissent. Haec verba expleta, missi Tassiloni [11] absoluti sunt. Et tunc in invicem sibi domnus apostolicus adque [12] domnus gloriosus rex Carolus valedicentes, benedictione adsumpta, oratione peracta, Franciam iamdictus praecellentissimus rex reversus est. Et pervenit idem [13] mitissimus rex ad coniugem suam domnam Fastradanem [14] reginam in civitate Wormatia : et ibi ad invicem gaudentes et laetificantes, ac Dei misericordia [15] conlaudentes, sinodum namque [16] congregavit suprascriptus domnus rex ad eandem civitatem, sacerdotibus suis et aliis obtimatibus nuntiavit, qualiter omnia in itinere suo peragebantur, et cum venisset ad hunc locum [17], quod omnia explanasset de parte Tassilonis, sicut enim erat [18], tunc prespiciens [19] idem rex, ut missus [20] mitteret, et iussit [21] Tassilonem [22], ut omnia adimpleret [23] secundum iussionem apostolici, vel sicut iusticia erat : eo quod [24] sub iureiurando promissum habebant [25], ut in omnibus oboediens et fidelis fuisset domno rege [26] Carolo et filiis eius vel Francis, et venirent [27] ad eius praesentiam : quod rennuit, et venire contempsit [28]. Tunc domnus rex Carolus una cum Francis videns iusticiam suam, iter coepit peragere partibus Baioariae cum exercitu suo, et per semetipsum venit in loco, ubi Lechfeld [29] [b] vocatur, super civitatem Augustam. Et iussit alium exercitum fieri, id est Franci [30] Austrasiorum, Toringi [31], Saxones [32], et coniungere super Danubium fluvium, in loco qui dicitur Faringa [c]. Et tertium exercitum iussit fieri

VARIANTES LECTIONES.

[1] Et saepedictus dux 1. Et si per se dux 7. [2] apostolici 1. 5. 6. 7. [3] suus 1. 5. 6. 7. [4] in ipsa 1. 5. 6. 7. [5] eveniret 7. [6] eveniebat incendiis 2. [7] qualicumque 5. 6. [8] thassilonem 1. (7.) [9] consentaneos 6. [10] franci. 1. 5. 6. 7. [11] tassilonis 1. 5. 7. [12] atque 1. 5. 6. 7. [13] idem *deest* 2. [14] fastradanam 6. [15] misericordiam 1. 5. 6. 7... civitatem. Et sacerdotibus 1. 7. [16] sinodum vero c. 6. [17] pervenisset ad locum 1. [18] sicut actum erat 1. 5.6. 7. sicut enumerat 2. *quod quidem veram lectionem satis indicat.* [19] perspiciens 1. 5. 6. 7. [20] missos 1. 5. 6. 7. [21] mitteret mandaretque tassiloni 7. [22] tassiloni 5. 6. [23] adimplere festinaret 7. [24] erat et quod 1. [25] habebat 1. 5. 6. 7. [26] regi 1. 5. 6. 7. [27] veniret 1. 5. 6. 7. [28] *post* contempsit *unum folium codicis* 2. *excidit, sequens incipit egisse.* Tunc demo etc. [29] loco qui lechfeldt *supra* 1. loco qui lecfel 7. [30] francorum 1. 7. [31] thuringorum 1. Turingi 6. thoringorum 7. [32] et saxonum 1. 7.

NOTÆ.

[a] *Vinnolata vox* est lenis et mollis atque flexibilis, et *vinnolata* dicta a *vinno*, hoc est cincinno molliter flexo. Isidori Orig. lib. III, cap. 19.

[b] *Das Lechfeld bei Augsburg.*

[c] *Phoring* seu *Pföring* intra Ingolstadt.

ANNALES LAURISSENSES.

A partibus Italiae, ut domnus Pippinus rex venisset usque [1] ad Trianto [2] [a], cum exercitu suo, et ipse ibi maneret, et exercitum suum pleniter [3] in ante mitteret usque ad Bauzanum [4] [b]. Tunc prespiciens [5] se [6] Tassilo ex omni parte esse [7] circumdatum, et videns quod omnes Baioarii plus essent fideles domno rege [8] Carolo quam ei, et cognovissent iustitiam iamdicti domni regis, et magis [9] voluissent iustitiam [10] consentire, quam contrarii esse: undique constrictus [11] Tassilo venit per semetipsum, tradens se in manibus [12] domni regis Caroli in vassaticum, et reddens ducatum sibi commissum a domno Pippino rege, et recredidit [13] se in omnibus peccasse et male egisse. Tunc denuo renovans sacramenta, et dedit obsides electos duodecim [14], et B tertium decimum filium suum Theodonem. Receptis obsidibus [15] vel sacramenta, tunc reversus est praefatus gloriosus rex in Franciam. Et celebravit natalem Domini in villa quae dicitur Ingilenhaim [16], similiter et pascha. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCLXXXVIII.

Tunc domnus rex Carolus congregans sinodum [17] ad iamdictam villam Ingilenhaim [18], ibique veniens Tassilo [19] ex iussione domni regis, sicut et caeteri eius vassi [20], et coeperunt fideles Baioarii dicere, quod Tassilo fidem suam salvam non haberet, nisi postea [21] fraudolens [22] apparuit [23], postquam filium suum dedit cum aliis obsidibus et sacramenta [24], suadente uxore sua Liutbergane. [25] Quod et Tassilo C denegare non potuit, sed confessus est postea ad Avaros [26] transmisisse [27], vassos [28] supradicti domno rege [29] ad se adortasse [30], et in vitam eorum consiliasse: et hominis [31] suos, quando iurabant, iubebat, ut aliter in mente retinerent et sub dolo iurarent: et quid [32] magis, confessus est dixisse, etiamsi decem filios haberet, omnes voluisset perdere, antequam placita sic manerent, vel stabile permitteret, sicut iuratum habuit [33]; et etiam dixit, melius [34] se mortuum [35] esse [36] quam ita vivere: et de haec om-

ANNALES EGINHARDI.

DCCLXXXVIII.

Cum in eadem villa generalem [1] populi sui rex conventum fieri decrevisset [2], ac Tassilonem ducem sicut et caeteros vassos suos in eodem conventu adesse iussisset, atque ille, ut ei fuerat imperatum, ad regis praesentiam pervenisset, crimine maiestatis [4] a Baioariis accusatus est. Obiciebant [5] ei, quod postquam filium suum obsidem regi dederat, suadente coniuge sua Liutberga [6], quae filia Desiderii regis Langobardorum fuit, et post patris exilium Francis inimicissima semper extitit, in adversitatem regis, et ut bellum contra Francos susciperent, Hunorum gentem concitaret [7]. Quod verum fuisse, rerum in eodem anno gestarum probavit eventus. Obiciebantur ei et alia conplura et dicta et facta, quae non nisi ab inimico et irato vel [8] fieri vel proferri poterant, quorum ne unum quidem infitiari coepit. Sed noxae [9] convictus, uno omnium adsensu ut maiestatis [10] reus capitali sententia damnatus est. Sed clementia regis licet morti addictum liberare curavit. Nam mutato habitu in monasterium missus est, ubi tam religiose vixit, quam libenter [11] intravit. Similiter et Theodo [12], filius eius, D tonsus et monasticae conversationi mancipatus est [13]. Baioarii quoque, qui perfidiae ac fraudis eorum conscii [14] et consentanei fuisse reperti sunt [15], exilio

VARIANTES LECTIONES.

[1] usque... usque *deest*. 2. [2] triantum 7. [3] pleniter mane m. 1. [4] banzanum 1. bauzarum 7. [5] perspiciens 5. prospiciens 1. 6. 7. [6] se *erasum* 5. [7] esse se 5. esse se (*eraso* se) 6. [8] regi 1. 5. 7. [9] regis ut magis 7. [10] iusticiae 6. [11] contristatus 7. [12] in manus 1, manibus 5. 7. manibus eius ut servus 9 b. [13] et cognovit 1. 7. [14] duodecim *deest*. 6. [15] obsidibus et praestitis sacramentis 1. 7. [16] ingilinheim 6. ingelheim 1. [17] sinadum 6. [18] ingelhaim 1. ingilinhaim 6. [19] tassilo.... quod tassilo *deest* 2. [20] vasalli 1. [21] haberet sed postea 7 [22] fraudulans 1. fraudulens 5. 6. fraudolans 7. [23] appareret 7. [24]. sacramenta fefellit 1. 7. sacramente 2. [25] luitburge 1. [26] avaros 1. 5. [27] transivisse 1. [28] vasallos 1. [29] domni regis 1. 7. [30] ad se fortasse 1. ad se hortasse 6. ad se adhortasse 7. [31] homines 1. 5. 6. 7. [32] quod 1. 7. [33]. iuratum habuit 2. 3. 5. 6. iuravit 7. inita fuerunt 1. [34]. mulier se mortuum 2. [35] moriturum 7. [36] melius esse mortuum 6.

VARIANTES LECTIONES.

[1] generale 2. [2] fieri decrevisset conventum 9. [3] *deest* 9. [4] laesae maiestatis 9. [5] obicientibus 7. [6] liutberga *manu correctoris posterioris mutatum in* litberga 1. liuthburga 3. lutberga 6. luitburga 9. luitkarda 5. [7] concitarat 7. [8] *deest* 7. [9] noxiae 3. [10] laesae maiestatis 9. [11] ipsum libenter 7. libens 9. [12] teodo 4. [13] *deest* 7. [14] consocii 7. [15] fuisse perhibebantur 9. fuisse perhibentur 3.

NOTÆ

[a] *Trento*, Trident.

[b] *Botzen*, *Bolzano*, oppidum celebre æque in Tyroli comitatu.

ANNALES EGINHARDI.

per diversa loca religabantur. [1] Huni vero, sicut Tassiloni promiserunt [2], duobus exercitibus comparatis, uno marcam [3] Foroiuliensem, altero Baioariam adgressi sunt; sed [4] frustra. Nam in utroque loco victi fugatique sunt, et multis suorum amissis, cum magno damno ad loca sua se receperunt. Quam iniuriam velut vindicaturi, iterum Baioariam [5] maioribus copiis petierunt, sed in prima congressione [6] pulsi a Baioariis, et innumera multitudo eorum [7] caesa, multi etiam ex eis, qui per fugam evadere conati, Danubium tranare voluerunt [8], gurgitibus fluminis [9] absorbti sunt. Interea Constantinus imperator propter negatam sibi regis filiam iratus, Theodorum [10] patricium, Siciliae praefectum, cum aliis ducibus suis fines Beneventanorum vastare iussit. Qui cum imperata exsequerentur, Grimoldus [11] qui eodem anno post mortem patris dux Beneventanis [12] a rege datus est, et Hildibrandus [13], dux Spolitinorum [14], cum copiis quas congregare potuerunt, in Calabria eis occurrerunt, habentes secum legatum regis Winigisum [15], qui postea [16] in ducatu Spolitino [17] Hildibrando successit. Commissoque proelio, inmodicam ex eis multitudinem ceciderunt, ac sine suo suorumque gravi dispendio victores facti, magnum captivorum ac spoliorum numerum in sua castra retulerunt. Rex autem in Baioariam profectus, eandem provinciam cum suis terminis ordinavit atque disposuit, atque inde regressus, in Aquisgrani [18] palatio suo, ubi hiemaverat, et [19] diem Domini natalicium sanctumque pascha more solemni celebravit.

ANNALES LAURISSENSES.

A nia [1] comprobatus [2], Franci et Baioarii, Langobardi et Saxones, vel ex omnibus provinciis qui ad eundem [3] sinodum congregati fuerunt, reminiscentes priorum malorum eius, et quomodo domnum Pippinum regem in exercitu [4] derelinquens [5], et ibi quod theodisca lingua harisliz [6] dicitur, visi sunt [7] iudicasse se [8] eundem Tassilonem ad mortem. Sed dum omnes una voce adclamarent capitale [9] eum ferire sententiam [10], iamdictus domnus Carolus piissimus rex motus misericordia ab [11] amorem Dei, et quia cumsanguineus [12] eius erat, contenuit [13] ab ipsis Dei ac suis fidelibus, ut non moriretur. Et interrogatus [14] a iamfato [15] clementissimo domno rege praedictus Tassilo, quid agere voluisset; ille vero

B postolavit [16], ut licentiam haberet sibi tonsorandi et in monasterio [17] introeundi et pro tantis peccatis poenitentiam agendi, et ut suam salvaret animam. Similiter et filius eius Theodo deiudicatus [18] est, et tonsoratus et in monasterio [19] missus, et pauci Baioarii qui in adversitate domni regis Caroli perdurare voluerunt [20], missi sunt in exilio. Eodemque [21] anno commissum est bellum inter Græcos et Langobardos, id est duce [22] Spolitino [23] nomine Hildebrando, seu duce Grimoaldo [24], quem domnus rex Carolus posuit ducem super Beneventanos, et fuit missus Wineghisus [25] una [26] cum paucis Francis, ut praevideret eorum omnia quae gessissent. Et auxiliante Domino, victoria est facta a Francis seu supranominatis Langobardis. Idem [27] similiter et alia

C pugna commissa est inter Avaros in loco [28] cuius vocabulum est..... et Francis [29] qui in Italia [30] commanere videntur; opitulante Domino, victoriam obtinuerunt Franci, et Avari cum contumelia reversi sunt, fuga lapsi sine victoria. Tertia pugna commissa est inter Baioarios et Avaros in campo [31] Ibose [32] [a], et fuerunt ibi missi domni Caroli regis Grahamannus [33] et Audacrus [34] cum aliquibus Francis. Domino auxiliante, victoria fuit Francorum seu Baioariorum. Et ista omnia supradictus dux Tassilo seu malivola uxor eius, Liutberga [35] Deo odi-

VARIANTES LECTIONES.

[1] relegantur 7. relegabantur 9. [2] promiserant 3. 9. Huni vero, *etc. usque* sed frustra *deest* 2. [3] marcham 7. marchiam 9. [4] *deest* 7. [5] b. i. 3. 9. [6] primo congressu 9. [7] e. m. 7. [8] noluerunt 9. [9] *deest* 7. [10] teodorum 4. [11] grimoaldus 9. [12] beneventanus 7. [13] hildebrandus 2. 3. 7. 9. [14] spoletanorum 7. 9. [15] winnigisum 7. [16] posita 2. [17] spolitano 3. spoletano 7. 9. [18] aquisgrano 9. [19] *deest* 7.

VARIANTES LECTIONES

[1] his omnibus (1.) 5. 7. [2] et omnia conprobata 6. [3] vel (et) omnes ex aliis provinciis qui ad eandem 1. 7. [4] regem exercitum 5. [5] derelinques 2. [6] harislig 1.
D haristalliz 2. 3. herisliz 6. harislit. 7. [7] iussi sunt 6. [8] se *deest* 1. 5. 6. [9] capitalem 6. [10] capitali... sententia 1. 5. 7. [11] ad 1. ob. 5. 6. 7. [12] consanguineus 1. 5. 6. 7. [13] obtinuit 1. 5. 6. [14] int. est 5. [15] iam dicto 6. [16] postulavit 1. 6. 7. [17] in monasterium 7. [18] diiudicatus 1. 5. 7. [19] monasterium 6. [20] volebant 5. 6. 7. [21] Eodem quoque 1. 7. [22] L. sub duce 1. [23] spoletano 1. spolitano 7. [24] grimaldo 1. 5. 6. 7. [25] winegisus 1. *deest* 2. winecbisus 7. [26] una *deest* 7. [27] id est similiter 2. idem (item) *deest* 1. 5. 6. 7. [28] in loco *deest* 2. [29] francos 7. franci 1. [30] qui italiam 7. [31] in campo ibose *deest* 1. [32] hibose 7. ibosę 6. 8. [33] gramannus 6. [34] audacerus 1. audaccrus 5. audraccus 6. [35] thassilo cum Malmola uxore Luitberga 1.

NOTÆ.

[a] Oppidum Austriæ *Ips* ad Danubium, supra Pechelarn et monasterium Mellicense.

ANNALES LAURISSENSES. A

bilis, per fraudem consiliaverunt [1]. Quarta pugna fuit commissa ab Avaris, qui voluerunt vindictam peragere contra Baioarios. Ibi similiter fuerunt missi domni Caroli regis, et Domino protegente, victoria christianorum aderat. Avari fugam incipientes, multa stragia [2] ibidem facta est occidendo, et alii in Danubio fluvio vitam necando amiserunt [3].

---

## ANNALIUM LAURISSENSIUM
### CONTINUATIO USQUE AD AN. DCCCXXIX.
## AUCTORE EGINHARDO.

Post haec omnia domnus rex Carolus per semetipsum ad Reganesburg pervenit, et ibi fines vel marcas Baioariorum disposuit, quomodo salvas [4], B Domino protegente, contra iamdictos Avaros esse potuissent. Inde vero reversus celebravit natalem Domini in Aquis palatio, et pascha similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCLXXXIX.

Inde iter permotum partibus Sclavaniae [5], quorum vocabulum [6] est Wiltze [7], Domino adiuvante; et [8] una cum consilio Francorum et Saxonum perrexit, Renum ad Coloniam transiens, per Saxoniam; usque ad Albiam fluvium venit; ibique duos pontes construxit, quorum uno ex utroque capite castellum ex ligno [9] et terra aedificavit. Exinde promotus inantea [10], Domino largiente, supradictos Sclavos sub suo dominio conlocavit. Et fuerunt cum C eo in eodem exercitu [11] Franci, Saxones; Frisiones [12] autem navigio per Habola [13] [a] fluvium cum quibusdam Francis ad eum coniunxerunt. Fuerunt etiam Sclavi cum eo, quorum vocabula sunt [14] Surbi [15] [b], nec non et Abotriti, quorum princeps fuit Witzan [16]. Ibique obsides receptos, sacramenta conplurima [17], Domino perducente, Franciam pervenit. Et celebravit natalem Domini in Wormacia [18], et pascha similiter [19]. Et inmutavit se numerus annorum in

ANNALES EGINHARDI.

DCCLXXXIX.

Natio quaedam Sclavenorum [1] est in Germania, sedens super litus oceani, quae [2] propria lingua Welatabi, francica [3] autem Wiltzi [4] vocatur [5]. Ea Francis semper inimica; et vicinos suos qui Francis vel subiecti vel foederati erant, odiis insectari, belloque premere ac lacessire [6] solebat. Cujus insolentiam rex longius [7] sibi non ferendam ratus [8], bello eam adgredi statuit, comparatoque ingenti exercitu, Rhenum apud Coloniam traiecit. Inde per Saxoniam iter agens, cum ad Albiam pervenisset, castris in ripa positis, amnem duobus pontibus iunxit, quorum unum ex utroque capite vallo munivit, et imposito praesidio firmavit. Ipse fluvio transito, quo constituerat exercitum duxit, ingressusque Wiltzorum terram, cuncta ferro et igni vastari iussit. Sed gens illa, quamvis bellicosa et [9] in sua numerositate confidens, impetum exercitus regii diu sustinere non valuit [10], ac proinde, cum primum civitatem [11] Dragawiti [12] ventum est — nam [13] is [14] ceteris Wiltzorum regulis et nobilitate generis et auctoritate senectutis [15] longe [16] praeminebat [17] —

VARIANTES LECTIONES.

[1] consiliaverunt et peregerunt 7. [2] strages 1. 5. 7. stragis 6. [3] emiserunt 5. 6. 7. et alios in Danubio flumine submerserunt. 1. *Quae reliqui codices addunt, Laureshamensis* (1.) *non agnoscit, cuius continuationem, cum iisdem fere verbis constet ac chronici Moissiacensis anni* 789, 790, 791, 792, *et pars anni* 793, *quorum auctor eam secutus est, iis adiungendam censuimus.* [4] salvum 2. salvae 7. [5] sclaviniae 5. [6] cui voc. 7. [7] wilze 5. 6. 7. [8] adi. una 2. [9] ex lino 2. [10] inante 5. 6. 7. [11] in eodem in exercitu 6. [12] franci et saxones 7. franci. saxones frisiones 2. [13] labola 7. albola *Bouq.* [14] sunt haec 7 [15] suurbineo non 2. suburbi 7. [16] wintzan 5. wizzan 7. [17] receptos et s. quamplurima 7. [18] uurmatia pascha 5. wormatia pascha 6, warmatiam 7. [19] pascha similiter *deest* 2.

D

VARIANTES LECTIONES.

[1] sclauorum 4. 5. 6. 7. sclauonorum 9. [2] qui 2. 3. 9. [3] franciaca 4. [4] uultzi 5. 6. 7. *in marg.* wilsi 9. [5] vocantur. 1. 9. [6] lacessere 7. 9. [7] diutius 7. [8] iratus 3. [9] *deest* 9. [10] potuit 2. [11] in civitatem 2. 9. ad civ. 5. [12] dragamutinam 7. *in marg.* « dragawiti habet MS. » [13] *deest* 7. est, Wiltzan, nam-is 9. 3 (?) *Vocem* Wiltzan, *theotiscam vocabuli* Wiltzorum *versionem, huic a scriba aliquo in Nuenarii codice superpositam, editoris vitio in textum irrepsisse, eo confidentius contendam, quod in nullo eam codice offenderim; quod si in Trevirensi forte legatur, vitium certe antiquius foret, sed eodem modo coepisse constaret. Ceterum omnia criticorum historicorumve argumenta loco hucusque corrupto superstructa, vera lectione codicum auctoritate restituta, concidunt.* [14] is qui ceteris 7. [15] senatus 7. [16] *deest* 3? 9. [17] praeeminebat 3? 9

NOTÆ.

[a] *Die Havel.*

[b] *Sorabi.*

ANNALES EGINHARDI.

A

extemplo [1] cum omnibus suis ad regem de civitate processit, obsides qui imperabantur dedit, fidem se regi ac Francis servaturum iureiurando promisit. Quem ceteri Sclavorum primores ac reguli [2] omnes secuti [3], se regis dicioni subdiderunt. Tum ille, subacto illo populo et obsidibus quos dare iusserat [4] acceptis, eadem via qua venerat ad Albim [5] regressus est, et exercitu per pontem reducto, rebus quoque ad Saxones pertinentibus secundum tempus dispositis, in Franciam [6] reversus est, et in Wormacia [7] civitate et natalem Domini et pascha celebravit.

DCCXC.

Hoc anno nullum iter exercitale [8] a rege factum; sed in Wormacia residens, legatos Hunorum

B

et audivit, et suos vicissim ad eorum principes misit. Agebatur inter eos de confiniis [9] regnorum suorum, quibus in locis esse deberent. Haec contentio atque [10] altercacio, belli, quod postea cum Hunis gestum est, seminarium et origo fuit. Rex autem, ne quasi per otium torpere [11] ac tempus terere videretur, per Moenum fluvium ad Saltz [12] [a], palatium suum in Germania iuxta Salam fluvium constructum, navigavit, atque inde iterum per eundem amnem secunda aqua Wormaciam [13] reversus est. Cumque ibi hiemaret, ipsum palatium in quo conversabatur, casu accidente, nocturno incendio concrematum est. Ibi tamen permanens, et natalem Domini et pascha more solemni [14] celebravit.

C

DCCXCI.

Transacta verni [15] temperie [16], circa aestatis initium rex de Wormacia movens, Baioariam [17] profectus est, ea meditatione [18], ut Hunis factorum suorum vicem redderet, et eis [19], quanto celerius [20] posset, bellum inferret. Comparatis igitur ad hoc ex omni regno suo quam validissimis copiis, et commeatibus congregatis [21], bipertito [22] exercitu iter agere coepit. Cuius partem Theodorico [23] comiti et Meginfrido camerario [24] suo committens, eos per aquilonalem [25] Danubii ripam iter agere iussit. Ipse cum alia [26] parte quam secum retenuit [27], australem eiusdem fluminis ripam Pannoniam petiturus occupavit, Baioariis cum commeatibus exercitus, qui navibus devehebantur [28], per Danubium secunda

VARIANTES LECTIONES.

[1] exemplo 1. extimplo 4. 5. eximplo 6. [2] regali, *ut supra* regalis 5. 6. [3] *deest* 1. 2. 3 ? 5. 6. sequentes 4. secuti omnes 9. [4] iuserat 1. [5] albiam 2. 3. 7. 9. [6] francia 2. [7] warmatia 7. *ita aliquotiens in sequentibus.* [8] nulla expeditio — facta est 9. [9] confinibus 7. de c. i. eos 7. 3. [10] *deest* 1. [11] torpescere 7. [12] salz 3. salzt 5. 6. salae 9. [13] per wormaciam 6. in wormaciam 9. [14] et sanctum pascha celebravit 9. [15] veris 5. [16] transacto vere 9. [17] in b. 7. [18] conditione 4. 5. 6. [19] redderet utque eisdem 7. [20] quam primum 9. [21] *deest* 9. [22] bibertito 5. bipartito 2. 3. 5. 6. 7. 9. [23] *cf. a.* 782 *not.* p. [24] cubiculario 9. [25] aquilonarem 9. [26] *deest* 3. 9. [27] retinuit 2—9. [28] deuebantur 1. 2.

ANNALES LAURISSENSES.

DCCXC *.

In sequenti vero anno nullum fecit iter, sed ibi in iamdicta [1] civitate iterum natalem Domini celebravit, et pascha similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

* [Huius anni principio rex Carolus primigenitum filium suum Carolum ultra Sequanam direxit, dans ei ducatum Cenomannicum; qui eodem anno aestatis tempore ad patrem revertitur. Rex autem conventum Francorum habuit in Wormatia civitate, disposuitque ea quae utilia videbantur esse in regno suo. In illo vero anno, etc. 9 b.]

DCCXCI.

Inde autem itinere permoto, partibus Baioariae perrexit, ad Reganesburg [2] pervenit [3], ibi exercitum suum coniunxit, ibique consilio peracto Francorum, Saxonum, Frisonum, disposuerunt propter nimiam maliciam et intollerabilem [4], quam fecerunt Avari contra sanctam ecclesiam [5] vel populum cristianum, unde iusticias per missos impetrare non valuerunt, iter [6] peragendi [7]. Cum Dei adiutorio partibus iamdictis Avarorum perrexerunt [8]; ad Anisam [9] [b] vero [10] fluvium properantes, ibi constituerunt letanias faciendi triduo [11]; missarumque sollemnia celebrando [12] Dei solatium postulaverunt [13] pro salute exercitus, et adiutorio domini nostri Iesu Christi, et pro victoria et vindicta super Avaros.

D

Supradictus vero princeps de australi parte Danubio [14] iter peragens, Saxones autem cum quibusdam Francis et maxime plurima Frixonum [15] de

VARIANTES LECTIONES.

[1] ibi iamdicta 6. [2] regnesburch 5. reganesbug 6. [3] pervenit *deest* 7. [4] intolerabilem 5. 6. 7. [5] ecclesiam ut pop. *Chesn.* [6] iter fuit consilium peragendi 7. [7] iter pergentes 5. iter peragendi *h. e. iter peragendum.* [8] avarorum. Et perrexerunt 7. [9] enisam 6. [10] vero *deest* 7. [11] triduum 5. per triduo 7. [12] celebrandi 5. 6. [13] praestolaverunt 6. [14] danubii 7. [15] frisonum 5. 6. 8. frixorum 7. *num legendum* et manus plurima ? 9 b. *habet* et multitudo plurima.

NOTÆ.

[a] *Königshofen*, ad Salæ Francicæ caput.

[b] *Die Ens.*

ANNALES LAURISSENSES.

aquilonale [1] parte Danubii similiter iter peragentes [2], ubi ad loca [3] pervenerunt, ubi iamdicti Avari firmitates habuerunt praeparatas: de australi vero parte Danubii ad Cumeoberg [4] [a], de alia vero ripa in loco qui dicitur Camp [5] [b], quia sic nominatur ille fluvius, qui ibi confluit in Danubio [6]. Avari enim [7], cum vidissent utrasque ripas exercitum continentes, et navigia [8] per medium fluvium venientes, a Domino eis terror pervenit: dereliquerunt eorum loca munita quae supra nominata [9] sunt firmitatesque eorum vel machinationes dimiserunt, fuga lapsi, Christo perducente populo suo, utrosque exercitus sine laesione [10] introduxit. Supradictus exercitus [11] sic iter peragens [12] usque ad fluvium, cui [13] vocabulum est Raba [c]; et exinde uterque exercitus de ambabus [14] ripis ad propria reversi sunt, magnificantes Deum de tanta victoria. Et celebravit [15] domnus rex Carolus [16] natalem Domini in Reganesburg [17], et pascha similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

ANNALES EGINHARDI.

aqua descendere iussis. Ac sic [1] inchoato itinere [2], prima castra super Anesum [3] posita sunt. Nam is [4] fluvius inter Baioariorum atque Hunorum terminos medius currens, certus duorum regnorum limes habebatur. Ibi subplicatio [5] per triduum facta, ut id bellum prosperos ac felices haberet eventus. Tum demum castra mota, et bellum genti Hunorum a Francis indictum est. Pulsis igitur Hunorum praesidiis, ac distructis [6] munitionibus, quarum una super Cambum fluvium [7], altera iuxta Comagenos civitatem in monte [8] Cumeoberg [9] vallo firmissimo erat exstructa [10], ferro et igni cuncta vastantur. Cumque rex cum eo quem ducebat exercitu usque ad Arrabonis [c] fluenta venisset, transmisso eodem fluvio, per ripam eius usque ad locum in [11] quo is Danubio miscetur accessit, ibique per aliquot dies stativis [12] habitis, per Sabariam [13] [d] reverti statuit. Alias vero copias, quibus Theodoricum et Meginfridum praefecerat, per Beehaimos [14], via qua venerant [15], reverti praecepit. Sic peragrata ac devastata [16] magna parte Pannoniae, cum incolomi exercitu Francorum in Baioariam se recepit. Saxones autem et Frisiones [17] cum Theodorico et Meginfrido per Beehaimos, ut iussum erat [18], domum regressi sunt. Facta est [19] haec expeditio sine omni rerum incommodo, praeter quod in [20] illo quem rex ducebat exercitu, tanta equorum [21] lues exorta est, ut vix decima pars de tot milibus equorum remansisse dicatur. Ipse autem cum, dimissis copiis, Reginum [22] civitatem, quae nunc Reganesburg [23] vocatur, venisset, et in ea hiematurus consedisset, ibi natalem Domini et pascha celebravit.

VARIANTES LECTIONES.

[1] aquilone 5. 6. 7. [2] peragens 2. 6. [3] locum 7. [4] cummeoberg 7. comeoberg 9. [5] campa 6. [6] danubium 6. [7] alteri enim 2. [8] et navigia..... supradictus exercitus *deest* 7. [9] nominati 2. [10] laesione in pannoniam introivit 9 b. [11] introduxit supradictus rex. Sicque 7. [12] peragentes 6. peregerunt 7. [13] cuius 5. 7. [14] ambobus 2. 6. [15] *post* celebravit *in codice* 2 *folium deest, rursus incipit anno* 794 *in syllabis* sencia iam fati. [16] Carolus *deest* 5. 6. [17] reginesburg pascha 6. regansburg pascha 6.

VARIANTES LECTIONES.

[1] si 2. [2] itenere 2. [3] anisum 7. [4] Nanis 2. [5] subplantatio 1. [6] destructis 2—9. [7] fluvium fuit. Altera 2. [8] montem 9. [9] cumeberg 9. quioberg 6. [10] extructa erat 7. [11] *deest* 6. 9. [12] st. p. a. d. h. 9. [13] sabaniam 1. sarabiam 5. 6. baioariam 9. [14] bohemos 6. begaminos 7. behamannos 9. [15] ierant 7. [16] devasta 1. [17] frisones 3. 7. 9. *in marg*. Phrygiones [18] iusserat 7. [19] est autem 3. 5. 9. [20] *deest* 9. [21] tantę quorum 1. [22] in regimini *al*. reginum 7. [23] reganeburg 5. ratispona 6.

NOTÆ.

[a] Civitas antiqua et in Vita S. Severini aliquoties memorata, quæ jam tota interiit. De situ ejus et montis Cumeoberg disputatur, nam qui hodie Kaumberg audit vicus, recto itinere quinque ad minimum miliaria Germanica a Danubio remotus, in mediis montibus consistit. Aut igitur viam militarem eo ævo montes transiisse, qualis hodie et via lata a campo Liliorum (Lilienfeld) per Kaumberg Sanctam Crucem ducit, aut vocabulum Kumeoberg olim latius ad ultimos in Danubii ripa montes usque pertinuisse existimandum est. Quod quidem et loco nostro, et antiquo viæ militaris ductui Danubium prosequenti magis congruum, diplomate Hludowici Germaniæ regis anni 836 ab ill. Fr. Ulr. Kopp. in Tachygraphiæ T. I, p. 394, 395, publici juris facto, et ipso locorum situ, quem æque ac viam illam montanam anno 1821 exploravi, confirmatur. Montes enim continui inde a Styriæ confinibus ad Danubium usque protenduntur, ad quem arcta tantum via, castello Greifenstein desuper imminente, relinquitur, qua munitionibus vel in extremo monte vel prope Königsstädten — quam pro Commagenis habeo — defensa, iter transeuntibus intercluditur. Annales quoque Fuldenses anno 884 Caroli imperatoris et Zuentibaldi colloquium monte Comiano (id est *Cumeoberg*) prope Tullinam memorant, quod minime in vicum Kaumberg, montibus a fonte Tullinæ discretum, optime autem in Königsstädten quadrat.

[b] *Der Kamp*, in Bohemiæ montibus ortus, Claram-vallem (Zwelt) præterfluit, et paulo infra Kremisam Danubio miscetur.

[c] *Die Raab*.

[d] *Sarwar*.

ANNALES EGINHARDI. A

## DCCXCII.

[a] Orgellis est civitas [1] in Pyrinei montis iugo sita, cuius episcopus nomine Felix, natione Hispanus, ab Elipando, Toleti episcopo, per litteras [2] consultus, quid de humanitate salvatoris dei et domini nostri Iesu Christi sentire deberet, utrum secundum id quod homo est, proprius an adoptivus Dei filius credendus esset ac dicendus, valde incaute atque inconsiderate, et contra antiquam catholicae [3] ecclesiae doctrinam, adoptivum non solum pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum episcopum libris, quanta potuit pertinacia [4] pravitatem intentionis [5] suae defendere curavit. Huius rei [6] causa ductus [7] ad palatium regis — nam [8] is tunc apud Reginum, Baioariae civitatem, in qua [9] hiemaverat B residebat — ubi congregato episcoporum concilio [10] auditus est, et errasse convictus, ad praesentiam Hadriani pontificis Romam [11] missus, ibi [12] etiam coram ipso [13] in basilica beati Petri apostoli haeresem [14] suam damnavit [15] atque abdicavit. Quo facto, ad civitatem suam reversus est. Rege vero ibidem aestatem agente, facta est contra illum [16] coniuratio a filio suo maiore, nomine Pippino, et quibusdam Francis, qui se crudelitatem Fastradae [17] reginae ferre non posse adseverabant [18], atque ideo in necem regis conspiraverant. Quae cum per Fardulfum [19] Langobardum detecta [20] fuisset, ipse ob meritum fidei servatae monasterio sancti Dionisii donatus est, auctores vero coniurationis ut rei maiestatis [21] partim gladio caesi, partim patibulis suspensi, ob meditatum scelus tali morte multati sunt. C Rex autem propter bellum cum Hunis susceptum in Baioaria sedens, pontem navalem, quo in Danubio ad id bellum uteretur, aedificavit, ibique natalem Domini et sanctum pascha celebravit.

ANNALES LAURISSENSES.

## DCCXCII.

[c] Haeresis Feliciana primo [1] ibi condemnata [2] est, quem Anghilbertus [3], ad praesentiam Adriani apostolici adduxit [4], et confessione facta suam haeresim iterum abdicavit. Coniuratio contra regem a filio eius Pippino facta, detecta et conpressa est. Eodem anno nullum iter exercitale factum est. Pons super navigia flumina transeuntia factus est, anchoris et funibus ita cohaerens, ut iungi et dissolvi possit. Et celebravit domnus rex natalem Domini ibi, similiter pascha celebratum est [5]. Et inmutavit se numerus annorum in

## DCCXCIII.

Cum rex bellum a se inchoatum [22] conficere [23] cuperet, et Pannoniam iterum petere disposuisset [24] allatum [25] est, copias quas Theodericus comes per Frisiam [26] ducebat, in pago Hriustri [27] [b] iuxta Wisuram fluvium [28] a Saxonibus esse interceptas atque deletas. Cuius rei nuntio accepto, magnitudinem damni dissimulans, iter in Pannoniam intermisit [29].

## DCCXCIII.

Rex autumnali tempore de Reganesburg [6] iter navigio faciens, usque ad fossatum magnum inter Alcmana [7] [d] et Radantia [e] pervenit, ibique missi apostolici cum magnis muneribus praesentati sunt. Ibi missus nuntiavit [8], Saxones iterum fidem suam fefellisse. Inde per Radantia in Mohin [9] navale [10] iter peragens, natalem Domini celebravit ad sanctum

### VARIANTES LECTIONES. D

[1] c. e. 7. [2] literas 7. 9. *constanter.* [3] *deest* 7. [4] pertinacissime 9. [5] opinionis 9. [6] regi 1. [7] ductus est 7. [8] *deest* 7. qui tunc 9. [9] qua et h. 9. [10] consilio 5. 7. [11] romani 7. [12] ubi 3. 7. 9. [13] *deest* 4. 5. 6. [14] heresim 3. 4. 5. 6. 7. 9. [15] confessus est 9. [16] eum 9. [17] fastradanae 7. [18] asserebant 7. [19] ardulfum 7. [20] detacta 1. [21] rei laesae m. 9. [22] inchoandum 2. [23] perficere 5. 6. [24] decrevisset 9. constituisset 7. [25] nuntiatum 9. a. est ei 7. [26] phrisiam 7. [27] hruistri 3. hiriustri 5. riustri 6. rustri 4. hrinstri *al.* hriusti 7. rhiustri 9. [28] *deest* 9. [29] intermisit. Persuasum tunc regi erat si 9.

### VARIANTES LECTIONES.

[1] primitus audita et in reganesburg primo condemnata est 3. [2] condempnata 5. [3] angibertus 6. angilbertus 7. [4] abdicavit 6. [5] possit. Ibi natalem domini et pascha celebravit carolus rex. Et 7. [6] ragnesburg 5. regausburg 6. ragenisburg 7. [7] alimanna *correct.* alemanna 6. Alcmanum 7. [8] ibi nuntius nuntiavit 7. [9] mochin 7. mohim 8. [10] navali 6.

### NOTÆ.

[a] *La Seu d'Urgel*

[b] *Rustringen*, in sinistra Wiseræ marc influentis ripa.

[c] Locus de conjuratione detecta deest in 7, 8? 9, 9 b, 10, 11. In Annal. Eginhardi, Fuld. 5, 6, 12, narrationi de hæresi subjicitur; ubinam loci in codice 2 collocatus fuerit, folio exciso ignoratur. Primus eum Chesnius ex codice 3 in textum receptum toti narrationi præposuit, perperam ut opinor, hæc enim causa fuerit quod sequenti sententiæ vocem *Reganesburg* intruderet et alia quoque immutaret.

[d] *Die Altmühl.*

[e] *Die Rednitz.*

ANNALES LAURISSENSES.

Chilianum in Wirzinburg [1]. Et inmutatus est numerus annorum in

### DCCXCIV.

Pascha celebratum est in Franconofurt [2], ibique congregata est [3] sinodus magna episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum [4], in praesentia iamfati principis et missorum domni apostolici Adriani, quorum nomina haec sunt, Theofilactus et Stephanus [5] episcopi. Ibi tertio condemnata [6] est haeresis [7] Feliciana, quam damnationem [8] per auctoritatem sanctorum patrum in libro conscripserunt, quem librum omnes sacerdotes manibus propriis subscripserunt [9]. Ibi obiit Fastrada [10] regina, et in sancto Albano honorifice sepulta est [a]. Pseudosinodus [11] Graecorum, quam falso septimam vocabant, et pro [12] adorandis imaginibus fecerunt, reiecta est a pontificibus. Inde motus est exercitus partibus Saxoniae per duas turmas; in una [13] fuit [14] domnus Carolus gloriosissimus rex : in aliam [15] misit domnum

VARIANTES LECTIONES.

[1] uursinburg 5. wirzeburg 6. wirsinburg 7. wirzinburg 8. [2] fracnofurd 5. franchenfurd 6. francnofurt 7. [3] est *deest* 6. [4] itàliorum 6. [5] sthefanus 2. [6] condempnata 5. 6. [7] cresis 2. [8] dampnationem 6. [9] conscripserunt 5. [10] fastradana 6. fastradane 7. [11] pseudasinodus 2. [12] vocabant pro 2. 5. 6. [13] unam 7. [14] fuit ipse d. 7. [15] alium 2.

ANNALES EGINHARDI.

A Et cum ei persuasum esset a quibusdam, qui id [1] sibi compertum esse dicebant, quod si inter Radantiam [2] et Alomonam [3] fluvios eiusmodi [4] fossa duceretur, quae esset navium capax [5], posse percommode [6] a [7] Danubio in Rhenum navigari, quia horum fluviorum alter [8] Danubio, alter Moeno miscetur, confestim cum omni comitatu suo ad locum [9] venit, ac magna hominum multitudine congregata [10], totum autumni tempus in eo opere consumpsit [11]. Ducta est itaque [12] fossa inter praedictos fluvios duum milium passuum longitudine, latitudine trecentorum pedum; sed in cassum. Nam propter inges pluvias et terram, quae palustris [13] erat, nimio humore [14] naturaliter infectam [15], opus quod fiebat [16] B consistere non potuit; sed quantum interdiu terrae a fossoribus fuerat egestum, tantum noctibus, humo iterum in locum suum relabente [17], subsidebat. In hoc opere occupato [18] duo valde displicentia de diversis terrarum partibus adlata sunt; unum erat Saxonum omnimoda defectio, alterum quod Sarraceni Septimaniam ingressi, proelioque cum illius limitis custodibus atque comitibus conserto, multis Francorum interfectis, victores ad sua regressi sunt [19]. Quibus rebus commotus, in Franciam reversus est, celebravitque natalem Domini apud sanctum Chilianum [20] iuxta [21] Moenum fluvium, pascha [22] vero super eundem fluvium in villa Franconovurd [23], in qua et hiemaverat.

### DCCXCIV.

C Rex propter [24] condemnandam [25] haeresim Felicianam aestatis initio, quando et generalem populi sui conventum habuit, concilium [26] episcoporum ex omnibus regni sui provinciis in eadem villa congregavit [27]. Adfuerunt etiam in eadem synodo [28] et [29] legati sanctae Romanae ecclesiae [30], Theophylactus [31] ac Stephanus episcopi, vicem tenentes eius a quo missi sunt [32], Hadriani papae. In quo [33] concilio et haeresis memorata condemnata est, et liber contra eam communi episcoporum auctoritate conpositus, in

VARIANTES LECTIONES.

[1] quid 1. 2. [2] radantia 1. 2, adantiam 6. [3] alamonam 3. 5. alimonam 4. alomoneam 6. almonum 9. [4] *deest* 9. [5] fossa navium capax duD ceretur 9. [6] commode 9. [7] e 9. [8] quod alter 9. [9] suo eo 9. [10] congregataque hominum multitudine (magna *deest*) 9. [11] conceptum — ossa — qua — danubio moeno — multitudo 2. confestim autem cum 6. [12] *deest* 9. [13] plaustris 1. 2. [14] umore 1. [15] humore suapte natura imbutam 9. nataliter 3. infecta 4. 5. 6. [16] coeptum opus 3. 9. [17] relabante 7. relabentes 2. [18] occupato regi 7. [19] essent 7. [20] kilianum 3. 4. 5. 9. kylianum 6. [21] in Wirtziburgo iuxta 9. [22] paschalis vero festi solemnitatem 9. [23] franconouurt 3. 4. franconouuro 5. 6. franconofurt 9. [24] ad 9. [25] condempnationem 2. [26] consilium 6. [27] eandem villam convocavit 7. [28] synodo 1. [29] *deest* 3. 9. [30] legati romani pontificis 9. [31] theophilactus 6. teophilactus 4. 5. [32] fuerant 9. [33] eo 7.

NOTÆ.

[a] Epitaphium, quod hodie ibi conspicitur, recentius est, et inter Inscriptiones nostras referetur.

ANNALES EGINHARDI.

quo omnes propriis manibus [1] subscripserunt. Synodus etiam, quae ante paucos annos in [2] Constantinopoli sub Herena [3] et Constantino filio eius congregata, et ab ipis non solum [4] septima, verum etiam universalis est [5] appellata, ut nec septima nec universalis haberetur diceretur ve [6], quasi supervacua in totum, ab omnibus abdicata est. Mortua est ibi et [7] Fastrada regina, et Mogontiaci [8] apud sanctum Albanum sepulta. Quibus peractis, rex bipertito exercitu Saxoniam petere statuit, eo videlicet modo, ut ipse cum dimidia parte copiarum ab australi parte intraret, Karlus [9] vero filius eius cum alia medietate Rhenum apud Coloniam traiceret, et in eandem regionem ab occidente veniret. Quo facto, licet Saxones in campo qui Sinotfeld [10] [a] vocatur, quasi B proelium cum rege commissuri consedissent, ibique adventum eius opperirentur [11], amissa victoriae spe, quam sibi paulo ante falso [12] pollicebantur, ad deditionem omnes conversi sunt, victique sine proelio, regis victoris potestati se subdiderunt. Dederunt igitur [13] obsides, et iureiurando fidem se regi servare velle [14] promiserunt. Sic omisso proelio, et Saxones domum reversi sunt, et rex, transmisso Rheno, in Galliam se recepit, et cum Aquasgrani venisset, ibidem hibernis habitis, et natalem Domini et pascha celebravit.

A

ANNALES LAURISSENSES.

Carolum nobilissimum filium suum per Coloniam. Saxones autem congregantes se in campo, qui dicitur Sinitfelt [1], praeparantes se quasi ad pugnam, cum vero audissent se ex duabus partibus esse circumdatos, dissipavit Deus consilia eorum, et, quamvis fraudulenter, et christianos [2] se et fideles [3] domno regi [4] fore promiserunt. Rex ad palatium quod Aquis [5] vocatur rediit [6], ibique [7] natalem Domini celebravit et pascha. Et inmutavit se numerus annorum in

## DCCXCV

Quamquam Saxones aestate praeterita et obsides dedissent, et secundum quod iussi erant sacramenta iurassent, rex tamen [15] illorum perfidiae non inme- C mor, conventum generalem trans Rhenum in villa Cuffesstein [16] [b], quae super Moenum contra [17] Mogontiacum [18] urbem sita est, more solemni habuit, atque inde cum exercitu Saxoniam ingressus, pene totam populando peragravit. Cumque in pagum Bardengoi [19] pervenisset, et iuxta locum qui Bardenwih [20] [c] vocatur positis castris, Sclavorum, quos ad se venire iusserat, expectaret adventum, subito ei nuntiatum est, Witzinum [21], regem Abodritorum [22], cum Albim [23] traiceret, in dispositas a Saxonibus insidias in ipso flumine incidisse, et ab eis esse interfectum. Quod factum animo [24] regis [25] ad Saxones

## DCCXCV.

In quo rex etiam venit ad locum qui dicitur Cuffinstang [8] et in [9] suburbium [10] Maganciacensis [11] urbis, et tenuit ibi placitum suum. Audiens vero, quod Saxones more solito promissionem suam, quam de habenda [12] christianitate et fide regis [13] tenenda fecerant [14], irritam fecissent, cum exercitu in Saxoniam ingressus est, et usque ad fluvium Albim pervenit, ad locum qui dicitur Hliuni [15] [d], in quo tunc Witzin [16] Abodritorum [17] rex a Saxonibus occisus est: ibi etiam venerunt missi Tudun, qui in gente et regno Avarorum magnam potestatem habebat [18], qui dixerunt, quod idem [19] Tudun [e] cum terra et populo suo se regi [20] dedere vellet, et eius ordinatione [21] christianam fidem suscipere [22] vellet. Rex vero, afflictis magna ex parte Saxonibus, eorumque [23] terra vastata, acceptisque eorum obsidibus, in Gallias rediit, et in palatio quod vocatur [24] Aquis [25] natalem

D

VARIANTES LECTIONES.

[1] p. m. *deest* 9. [2] *deest* 7. [3] harena 5. helena 3. 4. 6. 7. irene 9. [4] tantum 7. [5] erat 3. 9. [6] diceretur habereturque 7. [7] *deest* 3. 4. 9. [8] mogontiaci 2. 9. mogontia 3. magontiaci 4. mogonciaco 5. monciaco 6. [9] carolus 1. 4. 7. [10] sinotfeldus 2. sinotfeldum 5. 6. sinofeld 4. smetfeldus *ms*. sinotfeld 7. sintfelt 9. [11] operirentur 5. 6. [12] f. p. a. 7. [13] dederuntque 7. [14] v. s. 3. 9. regi servare se velle 7. [15] autem 1. [16] cuffestein 2. 5. 6. 7. cuffesten 3. cuffenstein 9. [17] circa *al.* contra 7. iuxta 4. [18] *cf.* 794 *not.* [19] bardengau 9. hardengum *ms*. bardengoe 7. [20] bardemwih 2. bardenwic 4. bardenwig 3. 9. bardembumh 7. [21] wizinum 7. uurzinum 6. wiltzan 9. [22] abotritorum 2? 9. [23] albiam 7. [24] animum 1. 2. 3? 4. 5. 6. [25] eius 7.

VARIANTES LECTIONES

[1] sinistfelt 5. 9. sinitsfelt 6. sinaisfelt 7. sinitfelt 2. 8. [2] fraudulenter christianos 5. 7. [3] fidele 2. [4] rege 2. 6. [5] aquisgrani 7. [6] reddit 2. [7] ibi 2. [8] cussinstang in 5. chusstagn in 6. cuffinstain in 8. [9] et in 2. [10] suburbio 7. [11] mogontiacensis 5. 6. moguntiacensis 7. [12] habendi 2. [13] regi 7. [14] fecebant 2. [15] libum 5. lunis 7. [16] wizzin 5. 6. wizin 7. [17] abadritorum 5. [18] habeat 2. [19] isdem 7. [20] rege 2. [21] ordinationem 2. 6. [22] suscipere. Rex 7. [23] eorum *deest* 7. [24] qui vocatur 2. 6. 7. [25] aquisgrani 7.

NOTÆ.

[a] Campus *Sendfeld* prope Wunnenberg, a meridie Paderbornæ et septentrione Eresburgi. Cf. Fürstenbergii Mon. Pad. p. 185.

[b] *Kostheim*.

[c] *Bardowik* propre Lüneburg.

[d] *Lüne* prope Lüneburg.

[e] Tudun nomen dignitatis, non hominis, quod et noster innuit. Cf. Historiam miscellam, pag. 144.

ANNALES LAURISSENSES.

Domini celebravit, et pascha similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

## DCCXCVI.

Adrianus [1] papa obiit, et Leo, mox ut in locum [2] eius successit, misit legatos cum muneribus ad regem, claves etiam confessionis [3] sancti Petri et vexillum Romanae [4] urbis eidem direxit. Sed et [5] Heirichus [6] dux Foroiulensis [7], missis hominibus suis [8] cum Wonomyro [9] Sclavo in Pannonias [10], hringum [11] gentis Avarorum longis retro temporibus quietum, civili bello fatigatis inter se principibus, spoliavit — Chagan [12] seu [13] Iugurro [14] intestina clade addictis [15] et a suis occisis —, thesaurum priscorum regum multa saeculorum prolixitate collectum [16] domno Carolo regi [17] ad Aquis palacium misit. Quo accepto, peracta [18] Deo largitori omnium bonorum gratiarum actione [19], idem vir prudentissimus adque [20] largissimus et Dei dispensator magnam inde partem Romam ad limina apostolorum misit per Angilbertum [21] dilectum abbatem suum; porro reliquam partem optimatibus, clericis sive laicis, ceterisque fidelibus suis largitus est. In eodem anno Tudun [22] secundum pollicitationem suam cum magna parte Avarorum [23] ad regem venit, se cum populo suo et patria regi dedit; ipse [24] et populus baptizatus est, et honorifice muneribus donati redierunt. Rex, collectis exercitibus suis, Saxoniam ingressus est, filium suum Pippinum regem Italiae in Pannonias cum exercitu suo [25] misso. [26] Cuius legationes ad eum in eadem Saxonia venerunt, una quae dixit, occurrisse [27] ei Kagan cum ceteris obtimatibus, quem sibi Avares post interfectionem priorum constituerunt: altera quae dixit, Pippino [28] cum exercitu suo in hringo [29] sedere. Et domnus rex, peragrata Saxonia, cum integro exercitu in Gallias se recepit [30] et in [31] Aquis palatio filium suum Pippi-

ANNALES EGINHARDI.

citius debellandos velut quosdam stimulos addidit, et in odium perfidae [1] gentis amplius excitavit. Terra igitur magna ex [2] parte vastata, et obsidibus, quos dare iusserat, acceptis, in Franciam reversus est. In hac expeditione, dum castra super Albim haberet, venerunt ad eum legati de Pannonia unius [3] ex primoribus Hunorum, qui apud suos Tudun [4] vocabatur [5]. Is et suum adventum [6], et se christianum fieri velle promisit. Rex autem Aquasgrani [7] veniens, sicut et anno superiore [8], ibi temporibus suis et natalem Domini et pascha celebravit.

## DCCXCVI.

Romae [9], Hadriano defuncto, Leo pontificatum suscepit, et mox per legatos suos claves confessionis sancti Petri ac vexillum Romanae urbis [10] cum aliis muneribus regi misit, rogavitque ut aliquem de suis optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subiectionem per sacramenta firmaret. Missus est ad hoc Angilbertus [11], abbas monasterii sancti Richarii [12] [a], per quem [13] etiam tunc ad sanctum Petrum magnam partem thesauri, quem Ericus [14] dux Foroiuliensis, spoliata Hunorum regia quæ Hringus [15] vocabatur, eodem anno regi de Pannonia [16] detulerat, misit, reliquum vero inter optimates et aulicos caeterosque in palatio suo militantes liberali manu distribuit. Atque his [17] expletis, ipse cum exercitu Francorum [18] Saxoniam petiit, Pippinum vero filium suum cum Italicis ac Baioaricis [19] copiis in Pannoniam ire iussit. Et ipse quidem, Saxonia ex magna [20] parte vastata, ad hiemandum Aquasgrani [21] revertitur; Pippinus autem, Hunis trans Tizam [b] fluvium fugatis, eorumque regia, quae, ut [22] dictum est, Hringus [c], a Langobardis autem Campus vocatur [23], ex toto destructa, direptis pene omnibus Hunorum opibus, ad patrem Aquisgrani [24] hiberna habentem venit, ac spolia regni quae secum detulit, eidem praesentavit. Tudun [25] etiam ille [26], de quo superius mentio facta est, fidem dictis suis adhibens, ibidem ad regem venit, ibique cum omnibus qui secum venerant baptizatus [27] ac remuneratus [28], post datum servandae

### VARIANTES LECTIONES.

[1] Hadrianus 7. [2] ut ad locum 2. [3] confessiones 2. [4] rome 2. [5] Sed heiricus 5. [6] heinricus 6. [7] furinlensis 6. foroiuliensis 7. [8] suis *deest* 5. [9] uunomyro 5. wonouuiro 7. [10] sclavo cum pannonias 2. [11] hrigun 7. hirigum principem avarorum 7 b. [12] clagan 2. [13] se 2. sive 5. 6. 7. [14] iuguro 5. 6. [15] ac dictis 6. [16] prolixitate quetum 2. [17] rege 2. regis 6. [18] peracto 5. [19] peractis... actionibus 7. [20] atque 5. 6. 7. [21] anghibertum 6. [22] thudun 2. [23] avarum 5. 6. [24] ipseque et 7. [25] suo *deest* 5. 6. 7. [26] misit 7. [27] hoccurrisse 2. [28] pipinum 7. [29] ringo 7. [30] recipit 2. [31] in *deest* 2.

### VARIANTES LECTIONES.

[1] perfidiæ 1. [2] *deest* 9. [3] unus 3? 7. 9. [4] thudun 9. tudum2. tudmi 5. tridun *al.* tudun 7. [5] vocatur 4. 5. 6. [6] ventum 1. 2. a. significavit 7. [7] aquisgrani 5. 6. [8] priori 3. 9. [9] *totus hic annus deest* 6. [10] aecclesiae 4. 5. [11] angilberdus 1. engilbertus 5. 9. [12] s. r. m. 7. [13] que 2. [14] *deest* 3. erichus 9. heinricus 5. henricus 7. (*ita et in cod. Arman.*) [15] rhingus 2. 7. hritigus 5. ringus 4. 9. [16] de p. r. 3. 4. 9. [17] hiis 5. iis 3. 9. [18] frangorum 2. [19] baioariis 7. [20] m. ex p. 3. 4. 9. [21] aquisgrani 5. aquasgrani palatium 9. 3? [22] quae ab eis ut 7. [23] autem campus vocatur *deest* 4. 5. 7. [24] aquasgrani 4. aquis 5. [25] thudun 5. 9. [26] *deest* 3. 9. [27] baptisatus 2. 3. 9. [28] remuneratus est 3? 9.

### NOTÆ.

[a] *S. Riquier*, ad ostia Summæ.

[b] Hodie *Theiſs*.

[c] *Ring* lingua nostra circulus, annulus; de Avarorum regione cf. Monachum Sangallensem, lib. II cap. 1.

ANNALES EGINHARDI.

fidei sacramentum domum rediit; sed in promissa fidelitate [2] diu manere noluit, nec multo post perfidiae suae poenas dedit. Rex vero [3], ut dictum est, Aquisgrani in hibernis considens, ibi et natalem Domini et pascha more solito [4] celebravit.

## DCCXCVII.

Barcinona civitas in limite Hispanico sita, quae alternante rerum eventu nunc Francorum nunc Sarracenorum dicioni subiciebatur [5], tandem per Zatum Sarracenum, qui tunc eam invaserat, regi reddita est. Nam is aestatis initio Aquisgrani [6] ad regem venit, seque cum memorata [7] civitate spontanea deditione illius potestati permisit [8]. Qua recepta, rex filium suum Hludewicum ad obsidionem [9] Oscae [10] [a] cum exercitu in Hispaniam [11] misit, et ipse more solito propter [12] contundendam perfidae gentis contumaciam Saxoniam vastaturus intravit. Nec prius destitit, quam omnes terminos eius peragrasset. Nam usque ad ultimos fines eius, qua inter Albim et Wisuram oceano alluitur [13], accessit. Inde regressus, cum Aquasgrani [14] venisset, ibique Abdellam Sarracenum, filium Ibin-Mauge [15] regis, de Mauritania ad se venientem suscepisset, legatumque Nicetae [16] patricii qui tunc Siciliam procurabat, nomine Theoctistum [17], litteras imperatoris de Constantinopoli missas deferentem audisset, consilium iniit, ut propter [18] conficiendum Saxonicum bellum [19] in ipsa regione hiemaret. Sumpto igitur secum [20] comitatu suo, Saxoniam petiit, castrisque super Wisuram positis consedit, et locum castrorum Heristelli [21] vocari iussit, qui locus ab incolis usque in praesens [b] ita nominatur. Exercitum vero, quem secum adduxit, per totam Saxoniam in hiberna divisit. Illuc Pippinum de Italia [22] et Hludewicum de Hispanica expeditione regressos [23] ad se venire iussit, ibi legatos Hunorum cum magnis muneribus ad se [24] missos audivit et absolvit, ibi legatum Hadefonsi [25], regis Asturiae [26] atque Galleciae [27], dona sibi [28] deferentem suscepit. Inde iterum Pippinum ad Italiam, Hludewicum ad Aquitaniam remisit [29], cum quo et Abdellam [30] Sar-

ANNALES LAURISSENSES

num e Pannonia redeuntem, et partem thesauri quae remanserat [1] adducentem, laetus aspexit, adque ibi [2] natalem Domini ac pascha celebravit. Et inmutavit se numerus annorum in

## DCCXCVII.

Barcinona [3] civitas Hispaniae, quae iampridem a nobis desciverat, per Zatum praefectum [4] ipsius nobis est reddita. Nam ipse ad palacium veniens, domno regi [5] semetipsum cum civitate commendavit. [6] Expeditio [7] facta in Saxoniam, et usque ad oceanum trans omnes paludes [8] et invia loca transitum est, et rex de Haduloha [9] [b] regressus [10] — hoc enim loco nomen, ubi oceanus Saxoniam alluit. [11] — tota Saxonum gente in dedicionem per obsides accepta, trans Renum in Gallias reversus est, et in Aquis palacio Abdellam Sarracenum filium Ibin-Maugae [12] regis, qui a fratre regno pulsus [13] in Mauritania exulabat, ipso [14] semetipsum commendante [15], suscepit. Illuc et legatus Nicetae qui tunc Siciliam regebat, nomine Theoctistus [16], venit imperatoris epistolam portans, quem magnifice suscipiens, post paucos dies absolvit. Et Novembrio mense mediante ad hibernandum cum exercitu Saxoniam intravit, positisque castris apud Wisoram [17] fluvium, locum castrorum Heristelli [c] vocari iussit. Illuc legati gentis Avarum [18] cum muneribus magnis venerunt, inde Abdellam Sarracenum cum filio suo Hludowico [19] in Hispanias reverti fecit, et filium suum Pippinum in Italiam [20] misit; ipse ad disponendam Saxoniam totum hiemis tempus impendens, ibi natalem Domini, ibi pascha celebravit [21]. Et inmutavit se numerus annorum in

### VARIANTES LECTIONES.

[1] f. s. 2. 3. 7. 9. [2] fide 3. 9. [3] *deest* 3. 9. [4] m. s. *deest* 3. 9. [5] subiciebat 1. subiacebat 2. [6] aquasgrani 3. 9. [7] cum commerata 3. [8] submisit 9. [9] opsidionem 1. [10] osee 3. [11] in h. *deest* 2. 7. [12] ad 7. 9. [13] abluitur *Bq.* 3? [14] aquisgrani 5. 6. [15] ibiinmauge 2. ibimmauge 3. ibiminaugae *al.* ibinmauge 7. [16] nicetis 7. [17] theotistum 1. teoctistum 4. [18] ut ad 9. [19] s. b. c. 7. [20] *deest* 9. [21] heristalli 6. herisiallum 7. [22] italica 5? 7. 9. [23] regressum 2. 4. 5. 6. [24] ad se *deest* 4. [25] haidefonse 6. adelfonsi 9. [26] asturicae 2? 9. austrie 6. [27] galetiae 9. galliciae 3. 4. 5. calabrie 6. [28] s. d. 3. 9. [29] misit 3. 9. [30] adbellum 6.

### VARIANTES LECTIONES.

[1] remanserant 2. [2] ibidem 5. 6. 7. [3] Parcinona 6. Barzinona 7. [4] per ialim in prefectum 2. [5] rege 2. [6] cum vitate commandavit 2. [7] expeditione 7. [8] plaudes 2. [9] baduloha 5. hadulocha 6. hadulobar 7. haduloa 9. [10] regressus est 5. [11] adluit 7. [12] ibinmaugae 2. 3. 5. 6. ibimaugae 7. [13] est in 2. [14] ipsorum 2. [15] commendantem 6. [16] theoctis 5. [17] wisuram 5. 6. [18] avarorum 5. 6. 7. [19] luduwicho 5. ludwico 6. [20] ad italam 5. 6. 7. [21] domini celebravit et pascha 7.

### NOTÆ.

[a] *Huesca.*

[b] *Das Land Hadeln*, regni Hannoverani pars, ad quam olim et Ritzebüttel, Hamburgensis ditionis præfectura, in extrema terræ ora sita, pertinebat.

[c] *Herstelle* vel hodie audit; est infra Carlshafen et supra Huxaram.

ANNALES LAURISSENSES.

### DCCXCVIII.

Venit etiam et legatus Hadefonsi regis Gallaeciae et Asturiae [1], nomine Frola [2], papilionem mirae pulchritudinis praesentans. Sed [3] in ipso [4] paschae tempore Nordliudi [5] trans Albim sedentes, seditione commota, legatos regios qui tunc ad iustitias faciendas apud eos [6] conversabantur, conprehendunt, quosdam [7] ex eis statim trucidantes, ceteros [8] ad redimendum reservant; ex quibus aliqui effugerunt, ceteri redemti sunt. Rex [9] collecto exercitu de Haristallio [10] ad locum [11] qui Minda [12] [a] dicitur perrexit : et facto consilio, in [13] desertores arma corripuit, et totam inter Albim et Wisoram [14] Saxoniam populando [15] peragravit. Nordliudi [16] contra Thrasuconem [17], ducem Abodritorum, et Eburisum [18] [b] legatum nostrum conmisso proelio, acie victi sunt. Caesa sunt ex eis in loco proelii quattuor milia, ceteri qui fugerunt et evaserunt, quanquam multi et ex illis cecidissent, de pacis [19] condicione tractaverunt. Et rex acceptis obsidibus, etiam et his, quos perfidissimos primores Saxonum consignabant, in Franciam reversus est, et Aquasgrani [20] palatium pergens, legationem Graecorum a Constantinopoli missam suscepit. Erant enim legati Michahel, patricius quondam Frigiae [21], et Theophilus presbyter, epistolam Herenae [22] imperatricis ferentes; nam filius eius Constantinus imperator anno superiore [23] a suis conprehensus et excaecatus est. Haec tamen legatio tantum de pace fuit. Quos cum absolvisset, absolvit etiam cum eis et Sisinnium [24], fratrem [25] Tarasii [26] Constantinopolitani episcopi, iamdudum in Italia proelio captum. Hoc anno [27] sidus [28], quod dicitur Martis, a superioris anni Iulio usque ad huius

ANNALES EGINHARDI.

racenum ire iussit, qui postea, ut ipse voluit, in Hispaniam ductus, et illorum fidei, quibus se credere non dubitavit, commissus est. Rex autem in Saxonia [1] residens, ibi et natalem Domini et pascha celebravit.

### DCCXCVIII.

Cum iam ver adpeteret [2], nondum tamen propter inopiam pabuli [3] exercitus de hibernis produci potuisset, Saxones transalbiani occasionem nancti [4], legatos regis qui ad eos ob iustitias faciendas missi erant [5], conprehensos interficiunt, paucis eorum quasi ad redimendum [6] reservatis, trucidantes cum ceteris et Godescalcum [7], regis legatum, quem ille ante paucos dies ad Sigifridum [8] regem Danorum miserat. Is cum eodem tempore [9] reverteretur [10], ab hujus [c] seditionis auctoribus interceptus atque occisus est. Quibus acceptis, rex graviter commotus, congregato exercitu, in loco, cui Mimda [11] nomen, super Wisuram castra posuit, atque in foedifragos ac desertores arma corripuit, et ultor necis [12] legatorum suorum, quicquid Saxoniae inter Albiam ac [13] Wisuram interiacet, totum ferro et igni vastavit. Transalbiani autem [14], superbia elati, eo quod regis legatos [15] inpune occidere potuerunt, arreptis armis contra Abodritos proficiscuntur. Nam [16] Abodriti auxiliatores [17] Francorum semper fuerunt [18], ex [19] quo semel ab eis in societatem recepti [20] sunt. Quorum dux Thasco [21], cognito Transalbianorum motu, eis cum omnibus copiis suis in loco qui Suentana [d] vocatur occurrit, commissoque proelio, ingenti eos caede prostravit. Nam in prima congressione quattuor milia eorum cecidisse, narravit legatus regis, Eburis [22] nomine, qui in eodem proelio fuit, et in Abodritorum acie dextrum cornu tenuit. Fusi igitur fugatique, et multis suorum amissis, cum magna calamitate ad loca sua reversi sunt. At [23] rex in Franciam regressus, cum Aquas-

VARIANTES LECTIONES.

[1] austriae 2. 5. austuriae 6. [2] flora 2. frola 3. 5. flola 6. froia 7. 9. [3] Sed *deest* 7. [4] ipsa 2. [5] noridluidi 3. nordludi 6. nurliudi 7. [6] apud regem 7. [7] et quosdam 7. [8] ceteri vero 7. [9] At rex 7. [10] haristalli 6. heristallio 7. [11] loca 2. [12] mimda 5. munda 6. [13] inde in 5. 7. [14] wisuram 5. 6. [15] populandam 7. [16] nortliudi autem 7. [17] tarsochonem 5. thrasuchorem 6. trasuconem 7. [18] eborisum 5. 6. 7. [19] cecidissem de pauci 2. [20] aquisgrani 7. [21] phrigiae 7. [22] erene 2. [23] superiori 7. [24] sisinnum 5. [25] fremen 5. [26] trasii 5. [27] anno 2. [28] sydus 7.

VARIANTES LECTIONES.

[1] saxoniam 1. 2. [2] appareret 4. 5. 6. accederet 9. [3] p. i. 3. 9. [4] nacti 1. 3-9. [5] fuerant 2. [6] remendum 1. remedium 2. remeandum 3. nunciandum 9. [7] godessclacum 1. godesscalcum 2. godeschalcum 9. goteschalchum 5. godeschalchum 6. [8] sigefridum 7. sifridum 6. [9] cum legatione functus r. 9. [10] verteretur 1. [11] mimda 1. mindam 2. minda 3. 4. 6. munda 5. 9. mitidam *ms*. minda 7. [12] neces 1. [13] et 2. [14] autem qui nordmanni vocantur 9. [15] l. r. 3. 9. [16] nam abodriti — recepti sunt *deest* 9. [17] auxiliares 2. 3. 7. [18] fuere 7. fuerant 4. [19] abs 4. [20] suscepti 6. [21] tascho 2. tasco 3. thrasico 9. [22] eberwinus 9. [23] ad 2.

NOTÆ.

[a] *Minden*.

[b] Nostrum *Ebers*, *Evers*.

[c] *Ab Hunis* 1, 2, 3, et poeta Saxo; *hujus* tamen præfero, cum primum *hujus* et *Hunis* in scribendo facillime permutentur, et sententiarum nexus *Hunis* non admittere videatur. Nam si Eginhardus, Hunos legatos, qui populum ad rebellionem concitarent, in Saxoniam misisse, et eos, quo certius voti compotes fierent, Godescalci cædem perpetrasse, dicere voluisset, alio certe modo tanti momenti rem enuntiaturus fuisset. Codices vero 1, 2, 3, licet omnium præstantissimos ex uno tamen fonte derivari, non solum hic locus, sed et lectiones paulo superius in voce *redimendum* allatæ probant, et poeta Saxo eamdem auctoritatem secutus fuerit; quam si authenticum ipsum fuisse statuas, in eo quoque nonnulla præter auctoris voluntatem scribi potuisse, quisque rei peritus concedet.

[d] Videtur esse locus *Swante*, in districtu magni ducatus Meklenburgici Schwan, ad Warnowam sito.

**ANNALES EGINHARDI.**

grani [1] venisset, primo legatos Herenae [2] imperatricis ad se de [3] Constantinopoli missos audivit — nam Constantinus filius eius propter morum insolentiam [a] a suis comprehensus et excaecatus est — quibus petentibus, Sissinium [4], fratrem Tarasii [5] Constantinopolitani episcopi, olim in proelio captum [6] domum redire permisit. Legati fuere Michael [7], cognomento Ganglianos [8], et Theofilus [9] presbyter de Blachernis [10]. Post quorum absolutionem venerunt [11] de Hispania [12] legati Hadefonsi [13] regis, Basiliscus [14] et Froia, munera deferentes quae ille de manubiis [15], quas [16] victor apud Olisiponam [17] [b] civitatem a se expugnatam coeperat [18], regi mittere curavit, Mauros videlicet septem cum totidem mulis atque loricis, quae licet pro dono [19] mitterentur, magis tamen insignia victoriae videbantur. Quos et [20] benignę suscepit, et remuneratos honorifice dimisit [21]. Insulae Baleares, quae nunc ac incolis earum Maiorica et Minorica vocitantur, a Mauris piraticam exercentibus depraedatae sunt. Rex vero Aquisgrani hiemavit, et ibi natalem Domini et pascha [22] celebravit.

DCCXCIX.

Romae Leo papa, cum, letaniam [23] processurus, de Lateranis [24] ad ecclesiam beati Laurentii, quae ad Graticulam [25] vocatur [c], equo sedens pergeret, in insidias a Romanis dispositas [26] iuxta eandem basilicam incidit [27]. Ubi equo deiectus [28], et erutis oculis ut aliquibus visum est, lingua quoque amputata, nudus ac semivivus in platea relictus est. Deinde iussu eorum qui huius facti auctores fuere, in monasterium sancti Herasmi [29] martyris velut ad curandum missus, Albini cuiusdam, cubicularii sui, cura noctu per murum dimissus [30], a Winigiso duce Spolitino [31], qui audito huiusmodi facinore Romam festinus advenerat, susceptus, ac Spoletium [32] deductus [33] est. Cuius rei nuntium cum rex accepisset,

**ANNALES LAURISSENSES.**

anni Iulium nusquam in toto coelo videri potuit. Insulae Baleares a Mauris et Sarracenis depraedatae sunt. Hadefonsus rex Galleciae [1] et Asturiae [2], praedata Olisipona [3] ultima Hispaniae civitate, insignia victoriae suae loricas, mulos [4] captivosque Mauros, domno regi [5] per legatos suos Froiam et Basiliscum [6] hiemis tempore misit. Sicque in hoc palatio et natale [7] Domini et pascha [8] a domno rege celebrata sunt. Et inmutavit se numerus annorum in

DCCXCIX.

Romani Leonem papam laetania maiore captum excaecaverunt ac lingua detruncaverunt [9]. Qui in custodia [10] missus, nocte [11] per murum evasit, et ad legatos domni regis qui tunc apud basilicam sancti Petri erant, Wirundum scilicet abbatem [d] et Winigisum Spolitinum [12] ducem veniens, Spoletium [13] est deductus. Domnus rex ad Saxoniam profectus, Rhenum [14] ad Lippeam [15] transivit, et in loco, qui vocatur Padrabrunno [16], positis castris consedit, et inde, diviso exercitu. Carlum filium suum cum medietate ad conloquium Sclavorum, adque recipiendos [17] qui de Nordliudis [18] venerunt Saxones in Bardengauwi [19] direxit; ipse, altera medietate secum retenta, eodem in loco Leonem pontificem summo cum honore suscepit. Ibique reditum Carli filii sui expectans [20], Leonem pontificem simili quo susceptus est honore dimisit, qui statim Romam profectus est, et rex Aquasgrani palacium suum reversus est. In eadem expeditione legatus Michahelis Siciliae praefecti, nomine Danihel [21], ad domnum regem venit, adque [22]

VARIANTES LECTIONES.

[1] aquisgrani 5. 6. aquisgranum 7. [2] helenae 3. 4. 5. 6. hirenae 7. irenes 9. [3] *deest* 7. a se de 4. 5. 6. [4] sisinnium 2. 5. 6. sisinium 3. sisimum *al.* sisinnium 7. sisimium 9. [5] tharasii 5. 6. fratrum tirasii 2. [6] captum in d. ire 2. [7] michahel 3. 4. 5. 6. [8] ganglianus 7. glanglianos 2. [9] theofilius 2. theophilus 7. 9. teophilus 4. [10] lachernis 2. blacernis 4. [11] venere 3. 9. [12] hispaniis 2. [13] adefonsi 5. adelfonsi 9. [14] basilicus scilicet et 7. [15] manibus 5. 6. [16] quasi 4. [17] olisipononam 1. 5. olipononam 2. olisipinam 6. olysseponam 7. olisipponam 9. [18] acceperat 4. [19] donu 1. [20] q. rex et 7. [21] remisit 3. [22] p. more solito 9. [23] laetania 3. 4. 5. letania 6. 7. litania 9. letaniam *h. l. pro* ad *vel* in letaniam *dici patet, in libro pontificali usitatum; cf. edit. Vignolii* II. 93. 243. 244; *in cod.* 7. Romae dum leo papa cum letania—pergeret. [24] laterano 7. [25] craticulam 3. 4. 5. 6. 7. 9. [26] positas 5. 4. 6. 9. [27] incidit iuxta eandem aecclesiam 4. [28] deictus 1. [29] erasmi 9. [30] demissus 2. 9. [31] spolitano 4. 6. spoletano 3. 7. 9. [32] spolecium 3. spoletum 2. 4. 5. 6. 7. 9. [33] ductus 2.

VARIANTES LECTIONES.

[1] gallatiae 5. gallaciae 6. [2] austrie 2. [3] olysipona 7. [4] multos 5. [5] rege 2. regi carolo 7. [6] basilicum 5. [7] natalem 2. 6. et *deest* 7. [8] pascha similiter a 7. [9] linguam eiusdem truncaverunt 7. [10] custodiam 2. 6. [11] noctu 5. 6. 7. [12] winichisum spolitanum 7. [13] spoletum 7. [14] renum... et *deest* 2. [15] lippeham 6. [16] paderbrunno 2. padabrunno 7. [17] sclavorum que recipendos 2. scl. et ad rec. 5. 6. 7. [18] nortliudis 7. [19] bardingauwi 5. bardingawini 6. bardingauni 7. [20] exspectans 5. [21] daniel 2. [22] atque 5. 6. 7.

NOTÆ.

[a] Ita certe legati retulerunt, veram causam videsis apud Scriptores Byzantinos.

[b] *Lissabon.*

[c] *San Lorenzo in Lucina* esse videtur; *cf.* Leonis III Vitam.

[d] Stabulensem.

ANNALES LAURISSENSES.

inde iterum cum magno honore dimissus est. Eodem anno gens Avarum [1] a fide quam promiserat defecit, et Ericus[2] dux Foroiulensis [3] post tot prospere gestas res iuxta Tarsaticam [a] Liburniae civitatem insidiis oppidanorum oppressus est, et Geroldus [4] comes [5], Baioariae praefectus, commisso contra Avares proelio, cecidit [6] [*]. At enim insulae Baleares, quae a Mauris et Sarracenis anno priori depraedatae sunt, postulato adque accepto a nostris auxilio, nobis se dedi lerunt, et cum Dei auxilio a nostris a praedonum incursione defensae sunt. Signa quoque Maurorum in pugna sublata, et domno regi [7] praesentata sunt. Wido comes [8] qui in marca Brittaniae [9] praesidebat [10], una cum sociis comitibus Brittaniam ingressus totamque perlustrans, in dedicionem accepit : et regi [11] de Saxonia reverso arma ducum, qui se dediderant, inscriptis singulorum nominibus, praesentavit. Nam his se et terram et populum unusquisque [12] illorum tradidit, et tota Brittaniorum provincia, quod nunquam antea, a Francis [13] subiugata est. Eodem anno monachus quidam de Hierosolimis [14] veniens, benedictionem et reliquias de sepulchro Domini, quas patriarcha Herusolimitanus [15] domno regi [16] miserat, detulit. Azan praefectus civitatis, quae [17] dicitur Osca, claves urbis per legatum suum cum muneribus transmisit. [18] Et celebratus est [19] dies [20] natale Domini in eodem palatio. Et inmutavit se numerus annorum in

* [cecidit, et in Augia sepelitur. De quo in visione Wettini legitur, quod inter martyres sit connumeratus. 9 b.]

ANNALES EGINHARDI.

ipsum quidem, ut vicarium sancti Petri et Romanum pontificem, cum summo honore ad se praecepit adduci, iter tamen suum, quod in Saxoniam facere constituerat, non omisit. Habito itaque generali conventu super Rhenum in loco qui Lippeham [1] vocatur, ibique eodem [2] amne transmisso, cum toto exercitu suo ad Padrabrunnon [3] accessit, ibique in castris considens, pontificis ad se properantis praestolatur adventum. Misit interea Karlum filium suum [4] ad Albim cum parte exercitus propter quaedam negotia cum Wilcis [5] et Abodritis disponenda, et quosdam Saxones de Nordliudis [6] recipiendos. Cuius reversionem [7] cum expectat, venit pontifex, et valde honorifice ab illo [8] susceptus est, mansitque apud eum dies aliquot. Et cum ei cuncta, propter quae venerat intimasset, iterum Romam cum magno [9] honore per legatos regis qui cum eo missi sunt, reductus, atque in locum suum restitutus est. Quo dimisso, rex paucos dies ibidem [10] moratus, legatum Michaelis [11] patricii de Sicilia, nomine Danihelem [12], ad se missum absolvit. Accepit etiam tristem [13] nuntium de Geroldi [14] et Erici [15] interitu, quorum alter, Geroldus [16] videlicet Baioariae praefectus, commisso cum Hunis proelio cecidit [17], alter vero, id est Ericus [18], post multa proelia et insignes victorias apud Tharsaticam [19] [a], Liburniae civitatem, insidiis oppidanorum interceptus atque interfectus [20] est [b]. Rebus itaque [21] Saxonum pro rerum opportunitate dispositis, rex in Franciam revertitur. Et cum Aquisgrani hiemaret, Wido comes ac praefectus Brittanici limitis, qui eodem anno cum sociis comitibus totam [22] Brittonum [23] provinciam perlustraverat, arma ducum qui se dediderunt [24], inscriptis singulorum nominibus, detulit. Videbatur enim, quod [25] ea provincia tum esset [26] ex toto subacta, et esset [26], nisi perfidae gentis instabilitas cito id [27] aliorsum more solito commutasset [28]. Allata sunt et signa, quae occisis in Maiorica Mauris praedonibus erepta fuerunt. Et Azan Sarracenus, praefectus Oscae, claves [29] urbis cum aliis donis regi [30] misit, promittens eam se dediturum [31], si opportunitas eveniret. Sed et monachus quidam de Hierosolima [32] ve-

VARIANTES LECTIONES.

[1] avarorum 7. [2] heiricus dux foroiuliensis 7. [3] foroiuliensis 5. 6. [4] geraldus 7. [5] comis 5. [6] ceciditatem insule 2. cecidit insulae 5. 6. 7. [7] rege 2. [8] comis 2. [9] brittaniae 6. 7. *ita et deinceps*. [10] presentabat 2. [11] rege 2. [12] uniuscuiusque 7. [13] antea a francis fuerat a francis 7. [14] h erusolimis 5. hierosolimis 7. [15] hierosolimitanus . 6. [16] rege 2. [17] qui dicitur 2. [18] transmisit *deest* 2. [19] est in die natalem 2. [20] dies *deest* 5.

VARIANTES LECTIONES.

[1] lippiam 4. lippia 5. 6. 7. lippenheim 8. [2] ibique — ibique *deest* 2. 7. [3] paderbrunnon 4. padrabrunnam 9. [4] f. s. k. 9. [5] uulcis 3. uilcis 6. [6] nordluidis *ms.* nordluinis 7. nordluidis 9. [7] versionem 1. [8] eo 7. [9] magna 1. 2. [10] i. d. 7. [11] michaelis 7. 9. [12] danielem 2—9. [13] triste 3. 4. 5. 9. [14] gerholti—gerholtus 9. [15] herici 4. herrici 5. heinrici 6. [16] geroldus 2. [17] occidit 7. [18] herricus 5. heinricus 6. [19] tarsathicam 5. tarsaticam 4. 7. 9. tharsicam 3. [20] a. i. *deest* 6. [21] autem 7. [22] totum 2. [23] brittaniam p. 3. brettonum 4. brittaniam in hiis qui se dediderunt 5. britonum 6. 7. 9. [24] dedidere 7. [25] *deest* 9. [26] et fuisset 7. fuisseque 9. [27] cito animum 7. [28] convertisset 7. [29] clavis 2. [30] *deest* 2. [31] traditurum 9. [32] hierosolyma 7. hieresolymis 9.

NOTÆ.

[a] *Tersat*, pro *Fiume* (Fumen S. Viti.)

[b] Cf. Eginhardi Vitam Caroli, cap. 13.

ANNALES EGINHARDI.

A

niens, benedictionem et reliquias de loco resurrectionis dominicae, quae patriarcha regi miserat, detulit. Et [1] rex natalem Domini in eodem palatio residens [2] celebravit, ac monachum reverti volentem absolvens, Zachariam quendam, presbiterum de palatio suo, cum eodem ire iussit, cui et donaria sua ad illa veneranda loca deferenda commisit.

DCCC.

Redeunte verna [3] temperie, medio fere Martio rex Aquisgrani [4] digressus, litus oceani Gallici perlustravit, et in ipso mari, quod tunc peratis [5] Nordmannicis infestum erat [6], classem instituit, praesidia disposuit, pascha [7] in Centulo [8] apud sanctum Richarium celebravit. Inde iterum per litus maris iter [9] agens, Ratumagum civitatem venit, ibique
B
Sequana amne transmisso, Turonos [10] ad sanctum Martinum orationis causa profectus est, moratus [11] ibi dies aliquot propter adversam Liutgardae [12] coniugis valitudinem [13], quae ibidem et defuncta et humata est: obiit autem diem [14] 2. Non. Iun. Inde per Aurelianos ac Parisios Aquasgrani [15] reversus est, et mense Augusto [16] inchoante Mogontiacum veniens, generalem conventum ibidem habuit, et iter in Italiam condixit [17]: atque inde profectus, cum exercitu Ravennam venit, ibique septem non amplius dies moratus, Pippinum filium suum cum eodem exercitu in terram Beneventanorum ire iussit; movensque de Ravenna simul [18] cum filio, Anconam usque pervenit; quo ibi dimisso, Romam proficiscitur. Cui cum [19] pridie quam illo [20] veniret, Leo papa
C
apud Nomentum [21] [a] occurrisset [22], et cum magna cum [23] veneratione ibidem suscepisset [24], post coenam, qua simul refecti sunt, illo ibi manente, pontifex ad urbem praecessit [25], et in crastinum [26] in gradibus basilicae beati Petri apostoli cum episcopis et universo clero consistens, advenientem [27] [b] equoque descendentem Deo laudes dicendo et gratias agendo suscepit, et cunctis psallentibus in ecclesiam eiusdem beatissimi [28] apostoli Deum glorificans atque magnificans introduxit. Facta sunt haec 8. Kal. Decemb. Post septem vero dies rex concione vocata,

VARIANTES LECTIONES.

[1] *Deest* 1. [2] *in* e. p. r. n. d. 4. 5. 6. [3] veris 4. 5. 6. [4] aquisgrano 7. [5] peractis 2. piratis 4. 6. pyratis 3. 6. 7. [6] ubi tunc piraticam nordmanni exercebant 9. [7] sanctum pascha 9. [8] in centulo *deest* 9. [9] *deest* 3. 9. [10] turonis 5. 6. [11] moratusque est ibi 7. [12] luitgardae 2. 3. 9. [13] valetudinem 2. 3. 4. 7. 9. [14] die II. 3. 4. 5. 6. pridie 7. 9. [15] aurelianis ac parisius aquisgrani 2. parrhisios aquisgranum 7. [16] augusti 2. [17] indixit 9. [18] *deest* 9. [19] *deest* 3. 9. [20] illuc 7. [21] numentum 9. [22] occurrit 3. 9. [23] *deest* 3. 9. [24] suscepit 3. 9. [25] processit 3? 9. [26] posteroque die 9. [27] *deest* 2. adv. regem 9. [28] b. petri a. 2.

ANNALES LAURISSENSES.

DCCC.

Rex absolutum Hierusolimitanum [1] monachum reverti fecit, mittens cum eo Zachariam [2] presbiterum de palatio suo, qui donaria eius per illa sancta loca deferret. Ipse medio mense Martio Aquisgrani palatio digrediens, litus oceani Gallici perlustravit, in ipso mari, quod tunc pyratis infestum erat, classem instituit, praesidia disposuit, pascha in Centulo apud sanctum Richarium celebravit. Indeque iterum per litus oceani Ratumagum [3] civitatem profectus est, ibique Sequana amne transmisso, Turonis ad sanctum Martinum orationis causa pervenit [*], moratus ibi dies aliquot propter adversam domnae [4] Liutgardae coniugis valitudinem, quae ibidem et defuncta et humata est. Obiit autem die 2. Non. Iun. Inde per Aurelianos ac Parisios [5] regressus Aquasgrani reversus est. Et pridie Non. Iul. insolito more aspera pruina erat, et 7. Id. Iul. similiter, quae tamen nihil incommoditatis fructibus adtulit. Et mense Augusto inchoante Mogontiacum [6] veniens, iter in Italiam condixit [7], adque inde profectus, cum exercitu Ravennam venit. Ibi [8] ordinata in Beneventanos expeditione, post septem dierum inducias Romam iter convertit, et exercitum cum Pippino filio suo in [9] Beneventanorum terras praedatum ire iussit. Romam vero cum venisset, occurrit ei pridie Leo papa et Romani cum eo apud Nomentum, duodecimo ab urbe lapide, et summa eum humilitate summoque honore suscepit, prandensque [10] cum eo in loco praedicto, statim eum ad urbem praecessit. Et in crastinum in gradibus basilicae [11] beati Petri apostoli stans, missis obviam Romanae urbis vexillis, ordinatis etiam atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum quam civium turmis qui venienti laudes dicerent, ipse cum clero et episcopis equo descendentem gradusque ascendentem suscepit, dataque [12] oratione, in
D
basilicam beati Petri apostoli psallentibus cunctis

[*] [Ibi omnium Brittonum duces et comites cum donis ad eum venerunt. 9 b.]

VARIANTES LECTIONES.

[1] hierosolimitanum 6. (7.) [2] zachariam 5. [3] rotumagam 5. ratumagnum 6. [4] domna 2. [5] perisios 2. [6] mogontiam 6. mogunciacum 7. [7] conduxit 5. 7. italia 6. [8] ibique 7. [9] filio in 5. 6. 7. [10] prandens 2. [11] in basilica 7. [12] ascendentem sub dataque 2.

NOTÆ.

[a] *Nomento.*

[b] Medio ævo imperatores ad veterum magistratuum imitationem Via Triumphali per montem Marium (in quo primum lætissimo urbis sibi subjectæ aspectu gauderent) portam Angelicam intrare soliti sunt; nam non, quibus nos utimur, via et porta Flaminia et ponte Milvio Romam petierunt. Anno tamen Christi 800 sancti Petri basilica adhuc extra Urbem sita erat; accuratam ejus descriptionem, qualem Carolus tunc invenerit, in opere jam proditurо W. Cll. Caroli Bunsen et Ernesti Plattner legere juvabit.

ANNALES LAURISSENSES

A

introduxit. Facta sunt haec [1] sub die 8. Kal. Decembris. Post septem vero dies rex, contione vocata, cur [2] Romam venisset omnibus patefecit, et exinde cotidie in [3] ea quae venerat [4] facienda operam dedit. Inter quae vel maximum, vel difficillimum [5] erat quod primum inchoatum est, de discutiendis [6] quae pontifici obiecta sunt criminibus. Qui tamen, postquam nullus probator criminum esse voluit, coram omni populo in basilica beati Petri apostoli ewangelium portans ambonem conscendit [7]; invocatoque sanctae Trinitatis nomine, iureiurando ab obiectis se criminibus purgavit. Eadem die Zacharias [8] cum duobus monachis, uno de monte Oliveti, altero de sancto [9] Saba [a], de Oriente reversus Romam venit, quos patriarcha Hierosolimitanus cum Zacharia ad

B

regem misit, qui benedictionis causa claves sepulchri dominici [10] ac loci calvariae, claves etiam civitatis et montis cum vexillo detulerunt: quos rex benigne suscipiens [11], aliquot dies secum detenuit [12], et Aprili mense remuneratos absolvit; et celebravit natalem Domini Romae. Et inmutavit se [13] numerus annorum in

DCCCI.

Ipsa die [14] sacratissima Natalis Domini, cum rex ad missam ante confessionem beati Petri apostoli ab oratione surgeret [15], Leo papa coronam [16] capiti eius [17] imposuit, et a cuncto Romanorum populo adclamatum est: *Carolo Augusto, a Deo coronato magno et pacifico imperatori Romanorum, vita et victoria!* Et post laudes ab apostolico more antiquorum

C

principum adoratus est, adque ablato [18] Patricii nomine, Imperator et Augustus est appellatus. Post paucos autem dies iussit eos, qui pontificem anno superiore [19] deposuerunt, exhiberi: et habita de eis quaestione, secundum legem Romanam [20], ut [21] maiestatis [22] rei, capitis [23] damnati sunt.

(*Reliqua usque ad annum* 829 *cum Eginhardi Annalibus ita concordant, ut varias tantum lectiones eorum ascribendas et sigliis A. L. notandas censuerim.*)

ANNALES EGINHARDI.

cur Romam venisset, omnibus patefecit, et exinde cotidie [1] propter quae venerat [2] facienda operam impendit; in quibus vel maximum vel [3] difficillimum erat, quod primo [4] inchoatum est, de investigandis videlicet quae pontifici obiciebantur criminibus. Qui tamen, postquam nullus eorundem criminum probator esse voluit, coram omni populo in basilica beati Petri apostoli evangelium ferens ambonem conscendit, invocatoque sanctae Trinitatis nomine, de obiectis se criminibus iurando [5] purgavit. Eadem die Zacharias presbiter quem rex Hierosolimam [6] miserat, cum duobus monachis quos patriarcha cum eo ad regem misit, Romam venit, qui [7] benedictionis gratia claves sepulcri domini [8] ac loci calvariae cum vexillo detulerunt. Quos rex benigne receptos [9] per aliquot [10] dies [11] secum detinuit, et redire volentes [12] remuneratos absolvit.

DCCCI.

Ipse autem cum die sacratissima natalis Domini ad missarum solemnia celebranda [13] basilicam beati Petri apostoli fuisset ingressus, et coram altari, ubi ad orationem se inclinaverat, adsisteret, Leo papa coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo adclamante: *Karolo Augusto, a Deo coronato magno et pacifico imperatori Romanorum, vita et victoria!* Post quas laudes ab eodem pontifice [14] more antiquorum principum adoratus est, ac deinde, omisso Patricii nomine, imperator et Augustus appellatus. Post paucos vero [15] dies, iubente ipso, hii qui eundem pontificem anno superiore deposuerunt [16], in iudicium adducti, et habita de eis quaestione, secundum legem Romanam, ut maiestatis rei [17], capitis damnati sunt. Pro quibus tamen papa pio affectu apud imperatorem intercessit, nam et vita et membrorum integritas eis concessa est; ceterum pro facinoris [18] magnitudine exilio deportati sunt. Huius factionis fuere principes Paschalis nomenclator [19] [b] et Campulus saccellarius [20] [c], et

D

VARIANTES LECTIONES.

[1] sunt autem haec 7. [2] vocato quur 2. [3] ad ea quae 5. 6. ad quae 7. [4] venerant 2. [5] difficillimum 2. [6] discutientibus 2. [7] conscendens 5. [8] zaccharias 5. zachariam 2. [9] sancta 2. 5. sancta *corr.* sancto 6. sancto 7. [10] claves se pulchritudo minici 2. [11] suscipiens alterum non secum detenuit 2. [12] detinuit 5. 7. [13] inmutatus est 5. 6. 7. [14] die *deest* 2. [15] surrexit 2. [16] corona 2. [17] eius *deest* 2. [18] ablatu 2. [19] superiori 5. [20] romanorum 7. [21] ut *deest* 2. [22] maiestatis ei 2. [23] capite 5. 7.

VARIANTES LECTIONES.

[1] quotidie iis 9. [2] venerat quod primo 4. 5. 6. *media desunt.* [3] quibus ut m. ita 9. [4] primum 7. cottidie p. q. v. quod primo 4. 5. 6. [5] iureiurando 4. 5. 6. 9. [6] ierosolymas 9. [7] ii 9. [8] d. sepulchri 2. 7. [9] susceptos 3. 9. [10] aliquos 1. [11] *deest* 2. [12] v. r. 2. [13] celebranda *deest* 9. [14] a pontifice 9. [15] autem 9. [16] deposuerant 9. deposuere 2. [17] romanorum ut crimine laesae maiestatis 9. [18] factioni *B* 2. [19] nomenculator *B* 5. [20] sacellarius 2. 3. 4. 6. 7. 9. *B* 2. sqq.

NOTÆ.

[a] Id est laura seu monasterio sancti Sabæ presbyteri.

[b] Nomenclator in processionibus pontificem equo sequebatur et ejus jussu convivas ad mensam papalem vocabat.

[c] Fisci custos.

multi alii Romanae urbis habitatores nobiles, qui A simul omnes eadem sententia damnati sunt. Ordinatis deinde Romanae urbis et apostolici totiusque Italiae non tantum publicis sed etiam ecclesiasticis et privatis rebus — nam tota [1] hieme non aliud fecit imperator — missaque iterum in Beneventanos expeditione cum Pippino filio suo, ipse post pascha 7 Kalend. Maias Roma profectus, Spoletium [2] venit. Ibi dum esset, 2 Kalend. Maias hora noctis secunda terrae motus maximus [3] factus est, quo tota Italia graviter concussa est. Quo motu tectum basilicae beati Pauli [a] apostoli magna ex parte cum suis trabibus decidit [4], et in quibusdam locis urbes [5] montesque [6] ruerunt. Eodem anno loca quaedam [7] circa Rhenum fluvium et in Gallia et in Germania tremuerunt. Pestilentia propter mollitiem [8] hiberni B temporis [9] facta est. Imperator de Spoletio [10] Ravennam venit, et aliquot [11] [R. veniens, a. *A. L.*] dies ibi moratus, Papiam perrexit. Ibi nuntiatur [12] ei, legatos Aaron, regis Persarum, [Aaron Amiralmumminin r. P. *A. L.*] portum Pisas [13] intrasse; quibus obviam [14] mittens, inter Vercellos [15] et Eporediam [16] [b] [Eporeiam *A. L.*] eos sibi fecit praesentari. Unus enim ex [Unus ex *A. L.*] eis erat Persa de oriente, legatus praedictique regis [legatus r. Persarum *A. L*] — nam duo fuerant — alter Sarracenus de Africa, legatus Amirati Abraham, qui in confinio Africae in Fossato [c] praesidebat; qui Isaac Iudaeum, quem imperator ante quadriennium ad memoratum regem [ad reg. *A. L.*] Persarum cum C Lantfrido et Sigimundo [17] legatis suis miserat [Sigim. miserat *A. L.*], reversum cum magnis muneribus nuntiaverunt. Nam Lantfridus ac Sigimundus [18] ambo in eodem itinere defuncti sunt [ambo defuncti erant. *A. L.*]. Tum ille misit Ercanbaldum [19] notarium in Liguriam ad classem parandam, qua [20] elefans [21] et ea quae cum [22] eo adferebantur [23] [deferebantur *A. L.*] subveherentur. Ipse vero, celebrato die natali sancti Iohannis Baptistae apud Eporediam, Alpes transgressus [24] in Galliam reversus est. Ipsa aestate capta est Barcinona, civitas in Hispania [25], iam biennio obsessa. Zatun [26] praefectus eius et alii conplures Sarraceni conprehensi. Et in Italia Teate [27] [d] civitas similiter capta et incensa est, eiusque [28] praefectus Roselmus conprehensus [29]. Castella quae ad ipsam civitatem pertinebant, in deditionem accepta sunt. Zatun et Roselmus una die ad praesentiam imperatoris deducti [30], et exilio damnati sunt. Ipsius anni mense Octobrio [31] Isaac Iudaeus de Africa cum elefanto regressus, portum Veneris [e] intravit; et quia propter nives [32] Alpes transire non potuit, Vercellis hiemavit. Imperator Aquisgrani palatio natale [33] Domini celebravit [celebr. Et inmutav. se numerus annor. in *A. L.*]

## DCCCII.

Herena imperatrix de Constantinopoli misit legatum nomine Leonem, spatharium propter pacem confirmandam [de pace confirmanda *A. L.*] inter Francos et Graecos, et imperator vicissim propter ipsum, absoluto illo, misit Iesse, episcopum Ambianensem, et Helmgaudum [34] comitem Constantinopolim, ut pacem cum ea statuerent. [35] Celebratum est pascha Aquisgrani palatio. Ipsius anni mense Iulio, 13 Kalend. Augusti, venit Isaac cum elefanto et caeteris muneribus, quae a rege Persarum missa sunt, et Aquisgrani omnia imperatori detulit. Nomen elefanto [elefanti *A. L.*] erat Abulabaz [36]. Ortona [f] civitas in Italia in deditionem accepta. Luceria [g] quoque frequenti obsidione fatigata et ipsa in deditionem venit, praesidiumque nostrorum in ea positum. Imperator aestatis tempore in Arduenna venatibus indulgens, [v. operam dedit, et *A. L.*] misso Saxonum [37] exercitu, transalbianos Saxones vastavit. Grimaldus [38], Beneventanorum dux, in Luceria [39] Winigisum [40] comitem Spoletii, qui praesidio praeerat, adversa valitudine fatigatum obsedit [41], et in deditionem accepit, captumque honorifice habuit. Imperator Aquisgrani natalem Domini celebravit. [Et inmutav. se numerus annorum in *A. L.*]

## DCCCIII.

Hac hieme circa ipsum palatium et finitimas regiones terrae motus factus, et mortalitas subse-

### VARIANTES LECTIONES.

[1] toti *B* 2. [2] spoletum 4. 5. 6. [3] *deest B* 2. [4] cecidit *B* 5. [5] urbis montes *B* 2. [6] et montes *B* 7. [7] *deest B* 2. [8] molliciem *B* 2. 5. [9] Hiberni tempore *B* 2. [10] spoleto 4. 5. 6. [11] aliquod *B* 2. [12] nunciator *B* 2. [13] portum in Pisas *B* 7. [14] oviam 1. [15] vercellis *B* 2. 7. [16] eporeiam *B* 2. 5. 6. 7. [17] sigismundo 5. [18] sigismundus 5. [19] erchembauldum 2. erchinboldum 5. erchanboldum 6. erchanbaldum *B* 6. [20] que *B* 2. [21] elefas *B* 5. [22] quae de *B* 5. 6. [23] que deferabantur *B* 2. [24] transgressus est *B* 5. [25] in spania *B* 5. in ispania *B* 6. hispaniae *B* 7. [26] zatum *B* 7. zatus 4. *ita et infra.* [27] reate 11. [28] eius *B* 7. [29] conprehensus est 2. 4. 5. *B* 7. [30] perducti *B* 5. 6. [31] octubrio *B* 2. [32] *deest* 1. [33] natalem 1. [34] helmgandum 5. helingaudum 4. 6. 7. 9. *B* 6. 8. heligaudum 3. heingaldun *B* 7. [35] statuerint *B* 2. [36] abulabat *B* 7. ambulabaz *B* 6. [37] misso in saxoniam 7. *B* 7. misso exercitu 9. [38] grimoldus 4. 5. 6. grimoaldus. 9. [39] lucerna *B* 6. [40] winegisum *B* 2. [41] fatigata sunt obsedit *B* 2.

### NOTÆ.

[a] Quæ pulcherrima omnium basilica anno 1823 mense Julio, heu! tota conflagravit.
[b] Ivrea.
[c] Regnum *Fez.*
[d] Chieti, haud procul ab Ortona.
[e] *Porto-Venere*, in ostio sinus Spezziani.
[f] Ad mare Superius, non longe a fluvio Sagro.
[g] Inter meridiem et occidentem Siponti.

quunta est. * Winigisus [1] a Grimoldo [2] redditus A est, et missi imperatoris [4] de Constantinopoli reversi sunt, et venerunt cum eis [5] legati Nicifori imperatoris, qui tunc rempublicam regebat — nam Herenam [6] post adventum legationis Francicae [7] deposuerunt — quorum nomina fuerunt Michahel [8] episcopus, Petrus abbas et Calistus [9] candidatus [a]. Qui venerunt ad imperatorem in Germania super fluvium Sala, in loco qui dicitur Saltz [10] [b], et pactum faciendae [11] pacis in scripto susceperunt [12]. Et inde [13] dimissi cum epistola imperatoris, Romam regressi atque Constantinopolim reversi sunt. ** Imperator autem in Biaoariam profectus ***, dispositis Pannoniarum causis, Decembrio mense Aquasgrani reversus est, ibique natalem Domini celebravit. [Et inmutat. est numerus annor. B in *A. L.*]

* [Imperator vero post pascha ab Aquis profectus, ad Magonciam venit, ibique solito more conventum Francorum habuit. 9 b.]

** [Venit quoque Fortunatus patriarcha de Graecis afferens secum inter cetera dona duas portas eburneas mirifico opere sculptas. 9 b.]

*** [venationem bubalorum ceterarumque ferarum per saltum Hircanum exercuit. Inde vero ad Regenesburch veniens, dispositis his quae utilia videbantur esse, adventum exercitus de Pannonia redeuntis praestolabatur. Quibus reversis, obviam illis ad Regenesburch venit. Ibi etiam cum illis Zodan princeps Pannoniae veniens, imperatori se tradidit. Multi quoque Sclavi et Huni in eodem conventu fuerunt, et se cum omnibus quae possidebant imperatoris dominio subdiderunt. Constitutisque omnibus utilitatibus, quae in illis partibus necessaria erant, C per Alemanniam et per Wormatiam hiemis tempore ad Aquis palatium venit, ibique natalem Domini celebravit. 9 b.]

## DCCCIV.

Imperator Aquisgrani [14] hiemavit *; aestate autem in Saxoniam ducto exercitu, omnes [15] qui trans Albiam [16] et in Wihmuodi [17] [c] habitabant Saxones cum [18] mulieribus [19] et infantibus transtulit in Franciam, et pagos transalbianos Abodritis dedit. Eodem tempore Godofridus, rex Danorum, venit cum classe sua necnon et omni equitatu regni sui ad locum qui dicitur Sliesthorp [20] [d], in confinio regni sui et Saxoniae. Promisit enim, se ad colloquium imperatoris venturum, sed [21] consilio suorum inhibitus [c. s. territus *A. L.*], propius [22] non accessit. D Imperator autem super [accessit sed quicquid voluit per legatos mandavit. Nam i. s. *A. L.*] Albiam fluvium sedebat, in loco qui dicitur Holdunsteti [23] [e], et missa ad Godofridum legatione pro perfugis reddendis, medio [24] Septembrio Coloniam venit. Dimissoque exercitu, primo Aquasgrani, deinde Arduennam [25] petit [26], et venationibus indulgens, Aquasgrani reversus est. Medio Novembrio allatum est ei, Leonem papam natalem Domini cum eo celebrare velle, ubicumque hoc contingere potuisset. Quem statim, misso ad sanctum Mauricium Karlo filio suo, honorifice suscipere iussit. Ipse obviam illi Remorum civitatem ** profectus est, ibique susceptum [27], primo Carislacum villam, ubi natalem Domini celebravit ***, deinde Aquasgrani [28] perduxit, et donatum magnis muneribus, per Baioariam ire volentem, deduci fecit usque Ravennam. Causa adventus eius haec erat: Perlatum est ad imperatorem aestate praeterita, Christi sanguinem in Mantua civitate fuisse repertum, propter hoc misit ad papam, petens ut huius famae veritatem inquireret. Qui accepta occasione exeundi, primo in Langobardiam, quasi pro inquisitione praedicta profectus est, indeque arrepto

* [et ab Aquis proficiscens, venit ad palatium quod dicitur Niumagum. Ibique veris tempore manens, pascha etiam ibidem celebravit. Incipienteque aestatis tempore ad Aquis palatium revertens, exercitum in Saxoniam misit. Transitoque Rheno generalem conventum Francorum habuit iuxta Lippiae fontem. Sumptoque inde itinere, per Saxoniam profectus, castra metatus est in loco qui dicitur Boldonstat (*Holdonstat*). In quibus castris etiam Sclavorum principes adfuerunt. Quorum causis discussis et secundum arbitrium dispositis, regem illis Trasiconem constituit. Missisque inde exercitibus suis per diversas partes Saxoniae, tam perfidos illos (*ad*) quos ultra Albiam transierat, quam illos qui in Wigmoti manebant, et frequentibus maleficiis populum Saxonum a via veritatis averterant, cum mulieribus et infantibus Deo auxiliante sapientissima dispositione de Saxonia per diversas vias dirigens, funditus exterminavit, et per Gallias ceterasque regiones regni sui sine ulla laesione exercitus sui dispersit. Eodem tempore Godefridus etc. 9 b.]

** [in basilica beati Remigii episcopi et confessoris. 9 b.]

*** [Inde pariter proficiscentes, pervenerunt ad Suessionis civitatem, in qua dimisso papa, ad colloquium germanae suae Gislae, quae in his diebus aegrotabat, ad Calam monasterium pervenit. Fruitusque eius colloquio, ad Carisiacum villam Leonem papam, quem apud sanctum Medardum dereliquerat, sibi obviam venire fecit. Deinde 9 b.]

### VARIANTES LECTIONES.

[1] subsequata *B* 2. [2] winegisus *B* 2. winighisus *B* 6. [3] grimaldo *B* 2. 5. grimoaldo 9. [4] missi domni imp. *B* 5. 6. [5] cum ipsis *B* 2. [6] helenam 3. 4. harenam 5. [7] franticae 4. franciae 8. B 7. 11. legationem franci *B* 2. [8] michael 1. 3. 9. *B* 7. [9] callistus *B* 7. [10] salz *B* 2. saliz *B* 6. salzt. 5. saltzt 6. [11] paciende *B* 2. [12] susciperunt *B* 2. [13] Et hic d. B 7. [14] aquasgrani *B* 5. [15] *deest* *B* 2. [16] albiam in wihcmuodi *B* 2. [17] wihinuodi 3. 7. wimodi 4. winuodi 5. wimuodi 6. wichmuodi *B* 6. wimuadi *B* 7. [18] cum *deest* 1. [19] mueribus *B* 2. [20] sliestorf 5. snesthorp 6. scliesthorp. 4. suesthor 3. liesthorp *B* 7. [21] si *B* 2. [22] propicius *B* 2. [23] holdunesteti 4. holdunstetin 9. holdunstein *B* 6. hodunsteti *B* 7. [24] reddendis mense sept. 9. *B* 7. [25] d. ad arduennam *B* 2. [26] petiit *B* 2. [27] suscepto primo carsiacum *B* 2. [28] inde aquisgrani *B* 9.

### NOTÆ.

[a] Candidati, scholarium in palatio classis, ad custodiam imperatorum adhibiti.

[b] *Königshofen.*

[c] Pagus, in quo Brema, intra Albim et Wisoram.

[d] *Schleswig; wig* enim civitatem, *thorp* villam indicat.

[e] *Hollenstedt* duobus ab Albia milliaribus Germanicis, e meridie oppidi Harburg; jam supra anno 795 Lüne cum fluvio Albi conjungi vidimus.

itinere, subito ad imperatorem usque pervenit. Mansitque apud illum dies octo, et sicut dictum est, Romam repedavit. [Et inmutat. est numerus annor. in *A. L.*] ****

**** [Rex vero reliquam partem hiemis in iam dicto palatio peragens, pascha Domini cum gaudio celebravit. 9 b.]

[Rigbodo [1] Treverum episcopus obiit Kalend. Octobris. *B* 2. 3.]

DCCCV.

Non multo post Capcanus [2], princeps Hunorum, propter necessitatem populi sui imperatorem adiit [3], postulans [4] sibi locum dari ad habitandum inter Sabariam [a] et Carnuntum [5] [b], quia propter infestationem Sclavorum in pristinis sedibus esse non poterat. [6] Quem imperator benigne suscepit — erat enim Capcanus [7] christianus, nomine Theodorus — et precibus eius annuens, muneribus donatum redire permisit. Qui rediens [8] ad populum suum, pauco [9] tempore transacto diem obiit. Et misit Caganus [10] unum de optimatibus [11] suis, petens sibi honorem antiquum, quem Caganus [12] apud Hunos [13] habere solebat. Cuius precibus imperator adsensum praebuit, et summam totius regni iuxta priscum eorum ritum Caganum [14] habere præcepit. Eodem anno * misit exercitum suum cum filio suo Karlo in terram Sclavorum, qui vocantur [15] Beheimi [16] **. Qui omnem [17] illorum [18] patriam depopulatus, ducem eorum nomine Bechonem [19] [Lechonem *A. L.*] occidit, et inde regressus, in Vosego [20] silva ad patrem [21] venit, in loco qui dicitur Camp [c]. Nam imperator Iulio mense de Aquisgrani profectus, per Theodonis villam [22] atque Mettis [profectus Theod. v. a. per Mettis. *A. L.*] transiens, Vosegum [23] petiit. Ibique venationi [24] vacans [ven. operam dans *A. L.*], post reversionem exercitus ad Rumerici [25] castellum [d] profectus, ibique aliquantum [26] temporis moratus, ad hiemandum in Theodonis-villa palatio suo consedit. Ibi ad eum [27] ambo [28] filii sui Pippinus et Hludoicus venerunt, celebravitque ibi natalem Domini. [Et inmutav. se num. annor. in *A. L.*]

* [cum esset imperator in palatio, quod situm est Aquis. 9 b.]

** [et per tres vias in eandem regionem exercitum penetrare praecipit. Partem autem exercitus cum Karolo rege, filio suo, per orientalem partem Franciae seu Germaniae ire praecepit, ut Hircano saltu transiecto, iamdictos Sclavos invaderet. Aliam vero partem per Saxoniam dirigens, ut ex altera parte cum Saxonibus et innumerabilibus Sclavis, transito ab aquilone iamdicto saltu, in Sclavos prorumperet. Tertia quoque ex parte expeditionem totius Baioariae in eandem regionem intrare iussit. Venientes autem undique in planiciem Behemi, universi principes diversarum gentium in conspectu regis Karoli pervenerunt. Castrametati sunt autem haut procul a se illi innumerabiles exercitus distantes. Karoli autem regis et principum qui cum eo erant imperio usus totus ille exercitus, ipsam regionem invasit. Sed Sclavi invia et saltus penetrantes, se minime ad pugnam praeparaverunt. Vastata autem et incensa per 40 dies eadem regione, ducem eorum nomine Lechonem occidit. Et dum nec iam pabula equis, aut cibaria exercitui superessent, vastata et ad nihilum redacta iam dicta regione, ad propria reversus est. Imperator vero ipsius aestatis tempus in venatione et iocunditate peragens, per Vosagum silvam iter faciens, pervenit ad locum qui dicitur Campus. Ibique aliquot diebus moram faciens, dilectum filium suum Karolum regem ab expeditione reversum cum gaudio suscepit. Inde vero mense Iulio de Aquisgrani profectus, Theodonis villam pervenit, atque per Mettis, etc. 9 b.]

DCCCVI.

Statim post natalem Domini venerunt Willeri [29] et Beatus, duces Venetiae, necnon et Paulus dux Iaderae [30] [e] atque [31] Donatus eiusdem civitatis episcopus, legati Dalmatarum [32], ad praesentiam imperatoris cum magnis donis. Et facta est ibi ordinatio ab imperatore de ducibus et populis [33] tam Venetiae quam Dalmatiae. Illisque absolutis, conventum habuit imperator cum primoribus et optimatibus Francorum de pace constituenda et conservanda inter filios suos, et divisione regni facienda in tres partes, ut sciret unusquisque illorum, quam partem tueri et regere debuisset, si superstes [34] illi deveniret [eveniret *A. L.*]. De hac partitione et testamentum factum, et iureiurando ab optimatibus Francorum confirmatum, et constitutiones [35] pacis conservandae causa [36] factae, atque haec omnia litteris mandata sunt, et Leoni papae, ut his sua manu subscriberet, per Einhardum [37] missa. Quibus pontifex lectis, et adsensum praebuit, et propria

VARIANTES LECTIONES.

[1] Rigbodo etc. *reperitur etiam in ann. Fuldens.* [2] capcanus 1. 2. 3. 4. (7.) *B* 2. 6. 8. 9. captanus *B* 5. capanus 5. 6. cacanus 9. caganus 7. *B* 7. [3] addidit *B* 2. [4] postolans *B* 2. [5] carnutum 6. carnotum *B* 5. cornuntum 3. carnontum *B* 7. [6] poterant 4. 5. 6. [7] capcanus 1. 2. 3. 4. (7.) *B* 2. 6. 8. 9. captanus *B* 5. capanus 5. 6. cacanus 9. caganus 7. *B* 7. [8] reddiens *B* 2. [9] paucos *B* 2. [10] caganus 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *B* 2. 5. 6. 7. 8. cacanus 9. [11] obtimatibus *B* 2. [12] caganus 1. 2. 4. 6. 7. *B* 2. 5. 6. 7. 8. capcanus 3. capanus 5. cacanus 9. [13] apud hunos *deest B* 6. [14] caganum *corr.* cagano *B* 2. [15] vocatur beheim 4. [16] behemi 7. behemanni 9. behehuni *B* 7. [17] omne 1 *B* 6. [18] omnia i. et p. *B* 7. [19] bechonem 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. lechonem 9. *B* 2. 5. 6. 7. 8. [20] vosego 1. 3. 4. 5. 6. *B* 2. 5. 6. 8. vosega 2. vosegum 7. vogesum 9. wosago *B* 7. *ita deinceps.* [21] ad imperatorem 5. *et codd. B.* [22] villa *B* 7. [23] vosagum *B.* 6. [24] venationibus *B* 2. [25] romerici *B* 6. rumorici 7. rumrichi 9. numerici 4. [26] aliquantulum *B* 6. [27] eorum *B* 2. [28] ibique ambo 2. [29] wilharius 9. willerus 7. [30] ioderae *B* 7. [31] adque *B* 2. [32] dalmatiarum *B* 7. [33] populi *B* 2. [34] superestes *B* 2. [35] constitutione *B* 2. [36] cause *B.* 2. [37] einhardum 1. 2. 4. 7. *B* 5. 7. einardum *B* 2. heinhardum *B* 6. heinlardum 3. eginhardum 9. pernhardum 6. per einhardum *deest* 5.

NOTÆ.

[a] *Sarvar.*

[b] *Heimburg* oppidum ad Danubium, in Austriæ et Hungariæ confinibus.

[c] *Champs* in Lotharingia, villa parva prope *Bruyères* ad rivum *Velogne*, a septentrione Romarici montis, et ab oriente Spinalii (*Epinal*).

[d] *Remiremont.*

[e] *Zara.*

manu subscripsit. Imperator, dimisso utroque filio [1] in regnum sibi deputatum, Pippino scilicet et Hludoico, de villa Theodonis [Th. palatio *A. L.*] per Mosellam et Rhenum secunda aqua Noviomagum [2] navigavit, ibique [3] sanctum quadragesimale ieiunium et sacratissimam paschae festivitatem celebravit. Et inde post non multos dies Aquasgrani veniens, Karlum filium suum in terram Sclavorum [4] qui dicuntur [5] Sorabi, et sedent [Sorabi qui sedent *A. L.*] super Albim [6] fluvium, cum exercitu misit, in qua expeditione Miliduoch [7] Sclavorum dux interfectus est, duoque castella ab exercitu aedificata, unum super ripam fluminis Salae, alterum iuxta fluvium Albim [a]. Sclavisque pacatis, Karlus cum exercitu regressus, in loco qui dicitur Silli [8] [b] super ripam Mosae fluminis ad imperatorem venit. Missa est et manus de Baioaria et Alamannia atque Burgundia sicut anno superiore in terram Beeheim [9], vastataque terrae non minima portione, absque ullo gravi incommodo regressa. Eodem anno in Corsicam insulam contra Mauros qui eam vastabant classis de Italia a Pippino missa est, cuius adventum Mauri non expectantes abscesserunt; unus tamen nostrorum, Hadumarus comes [10] civitatis Genuae, inprudenter contra eos dimicans occisus est. In Hispania vero Navarri [11] et Pampilonenses [12], qui superioribus annis ad Sarracenos [13] defecerant, in fidem recepti sunt. Classis a Niciforo imperatore, cui Niceta patricius praeerat, ad reciperandam [14] Dalmatiam mittitur, et legati qui ante quattuor fere annos ad [qui dudum a. *A. L.*] regem Persarum missi sunt, per ipsas Graecarum navium stationes transvecti, ad Tarvisiani [15] portus receptaculum, nullo adversariorum sentiente, regressi sunt. Imperator celebravit natalem Domini Aquisgrani. [Et inmutat. est numerus annor. in *A. L.*]

DCCCVII.

Anno superiore 4. Non. Septembr. fuit eclypsis lunae; tunc stabat sol in decima sexta parte Virginis, luna autem in decima sexta parte Piscium; hoc autem anno pridie Kal. Febr. fuit [16] luna decima septima, quando stella Iovis quasi per eam transire visa est, et 3. Id. Febr. fuit eclypsis solis media die, stante utroque sidere in vicesima quinta parte Aquarii. Iterum 4. Kal. Mart. fuit eclypsis lunae, et apparuerunt acies eadem nocte mirae magnitudinis, et sol stetit in undecima parte Piscium, et luna in undecima parte Virginis. Nam et stella Mercurii 16 Kal. Aprilis visa est in sole quasi parva macula nigra, paululum superius media [17] [nigra, tamen p. s medio *A. L.*] centro eiusdem sideris, quae a nobis [18] octo dies conspicitur. [19] Sed quando primum intravit vel exivit, nubibus impedientibus minime notare [adnotare *A. L.*] potuimus. [20] Iterum mense Augusti [21] 11. Kal. Septemb. eclypsis lunae facta est hora [22] noctis tertia, sole posito in quinta parte Virginis et luna in quinta parte Piscium. Sicque ab anni superioris Septembrio usque ad anni praesentis Septembrium ter luna obscurata est et sol semel. Radbertus [23], missus imperatoris, qui de oriente revertebatur, defunctus est, et legatus regis Persarum, nomine Abdella, cum monachis de Hierusalem, qui legatione Thomae patriarchae fungebantur, quorum nomina fuere Georgius et Felix [hic Georgius [24] est abba in monte Oliveti, et cui patria Germania est, qui etiam proprio vocatur nomine Egilbaldus [25] *Ann. Laur.*] ad imperatorem pervenerunt, munera deferentes quae praedictus rex imperatori miserat, id est papilionem et tentoria atrii [atrii vario colore facta *A. L.*] mirae magnitudinis et pulchritudinis; erant enim omnia bissina, tam tentoria quam et funes eorum, diversis tincta coloribus. Fuerunt praeterea munera praefati regis pallia sirica [26] multa et preciosa, et odores atque unguenta et balsamum; nec non et horologium ex auricalco arte mechanica mirifice conpositum, in quo duodecim horarum cursus ad clepsidram vertebatur, cum totidem aereis pilulis, quae ad completionem horarum decidebant, et casu suo subiectum sibi cimbalum tinnire faciebant, additis in eodem eiusdem numeri equitibus, qui per duodecim fenestras completis horis exiebant, et inpulsu egressionis suae totidem fenestras, quae prius erant apertae, claudebant; nec non et alia multa erant in ipso horologio, quae nunc enumerare longum est. Fuerunt praeterea inter praedicta munera candelabra duo ex auricalco mirae magnitudinis et proceritatis; quae omnia in Aquense [omnia Aquis *A. L.*] palacio ad imperatorem delata sunt. Imperator legatum et monachos per aliquantum tempus secum retinens, in Italiam direxit, atque ibi eos tempus navigationis expectare iussit; eodemque anno Burchardum [27] comitem stabuli sui cum classe misit in Corsicam, ut eam a Mauris, qui superioribus annis illuc praedatum venire consueverant, defenderet; qui iuxta consuetudinem

VARIANTES LECTIONES.

[1] filio ut regnum *B* 5. [2] naviomagum 5. [3] ibi *B* 5. [4] in terram sclavorum *his vocibus incipit codex annalium Einhardi* 10. [5] qui dicitur *B* 2. [6] albiam *B* 2. [7] miliduohc 4. miliduch 5. miliduoh 6. mibiduohc *B* 2. mibduoch *B* 6. [8] sylli *B* 8. [9] beeheim *corr.* beheim 1. beheim 4. 5. *B* 6. behemannorum 9. [10] comis *B* 2. 5. [11] navari *B* 5. [12] pampelonenses 9. [13] a sarracenis *B* 7. [14] reciperandam 1. 2. (3.) 10. recipiendam 4. 5. 6. *B* 2. 5. 6. recuperandam 7. 9. *B* 7. [15] taravisiani *B* 7. tarvisani 7. [16] Febr. luna fuit 1. [17] medio 3? 5. 7. 9. 10. [18] quae et a nobis octo dies conspiciebatur *B*. 9. [19] a nobis conspicitur dies. octo 9 b. [20] item adnotare potuimus 9. 9 b. notari potuit 5. [21] mense augusti 10 *B* 6. [22] hora *B* 2. [23] radberdus 1. rathertus. 7. 9. *B* 7. [24] hic georius *B* 6. [25] egelbaldus *B* 5. 6. engelbaldus *B* 7. [26] sirica 1. 2. 3. *B* 2. 5. 6. [27] burghardum *B* 2.

NOTÆ.

[a] *Halle* et alterum contra Magdeburg. CF. Chron. Moissiac. ad h. a.

[b] *Selle*, ad dextram Mosæ ripam, prope *Dinant*.

suam de Hispaniae gressi, primo Sardiniam adpulsi [1] sunt, ibique cum Sardis proelio commisso, et multis suorum amissis — nam tria milia ibi cecidisse perhibentur — in Corsicam recto cursu pervenerunt. Ibi iterum in quodam portu eiusdem insulae cum classe cui Burchardus [2] praeerat, proelio decertaverunt, victique ac fugati sunt, amissis tredecim navibus et plurimis suorum interfectis. Adeo illo anno in omnibus locis adversa fortuna fatigati sunt, ut ipsi sibi hoc accidisse testati sint [3], eo quod anno superiore contra omnem iustitiam de Patelaria [4] [a] insula sexaginta monachos asportatos in Hispania [5] vendiderunt, quorum aliqui per liberalitatem [6] imperatoris iterum ad sua [iterum in sua *A. L.*] loca reversi sunt. Niceta patricius, qui cum classe constantinopolitana sedebat in Venetia, pace facta cum Pippino rege, et indutiis usque ad mensem Augustum constitutis, statione soluta Constantinopolim regressus est. Hoc anno [7] imperator pascha Aquis celebravit nec non et natalem Domini. [Et immutat. est numerus annor. in *A. L.*]

DCCCVIII.

Hiemps mollissima hac pestilens fuit in illo tempore, vereque inchoante imperator Noviomagum profectus, transacto ibi quadragesimali ieiunio, celebrato etiam sancto pascha, iterum Aquas [8] regressus est. Et quia nunciabatur, Godofridum regem Danorum in Abodritos cum exercitu traiecisse, Karlum filium suum ad Albiam cum valida Francorum et Saxonum manu misit, iubens vaesano regi resistere, si Saxoniae terminos adgredi temptaret. Sed ille stativis per aliquot dies in litore habitis, expugnatis etiam et manu captis aliquot Sclavorum castellis, cum magno copiarum suarum detrimento reversus est. Nam licet Drasconem [9], ducem Abodritorum, popularium fidei diffidentem loco pepulisset, Godelaibum [10], alium ducem, dolo captum patibulo suspendisset, Abodritorum duas partes sibi vectigales fecisset, optimos tamen militum suorum et manu promptissimos amisit, et cum eis filium fratris sui, nomine Reginoldum, qui in obpugnatione cuiusdam oppidi cum plurimis Danorum primoribus interfectus est. Filius autem imperatoris Karlus [11] Albiam ponte iunxit [12], et exercitum cui praeerat in Linones [13] et Smeldingos [14] [b], qui et ipsi ad Godofridum regem defecerant, quanta potuit celeritate transposuit, populatisque circumquaque eorum agris, transito iterum flumine, cum incolomi exercitu in Saxoniam se recepit. Erant cum Godofrido in expeditione praedicta Sclavi qui dicuntur Wiltzi [15], qui propter antiquas inimicitias quas cum Abodritis [16] habere solebant, sponte se copiis eius coniunxerunt [17], ipsoque in regnum suum revertente, cum praeda quam in Abodritis capere potuerunt, et ipsi domum regressi sunt. Godofridus vero, priusquam reverteretur, destructo [18] emporio, quod in oceani litore constitutum, lingua Danorum Reric [c] dicebatur, et magnam regno illius commoditatem vectigalium persolutione praestabat, translatisque inde negotiatoribus, soluta classe ad portum qui Sliesthorp [19] dicitur cum universo exercitu venit. Ibi [20] per aliquot dies moratus, limitem regni sui qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit, eo modo, ut ab orientali maris sinu, quem illi Ostarsalt [21] [d] dicunt, usque ad occidentalem oceanum totam Aegidorae [e] fluminis Aquilonalem ripam munimentum valli praetexeret, una tantum [22] porta dimissa, per quam [23] carra et equites emitti et recipi potuissent : diviso itaque opere inter duces copiarum, domum reversus est. Interea rex Nordanhumbrorum [24] de Brittania insula, nomine Eardulf [25], regno et patria pulsus, ad imperatorem dum adhuc Noviomagi moraretur venit, et patefacto adventus sui negotio, Romam proficiscitur, Romaque rediens, per legatos Romani pontificis et domini imperatoris in regnum suum reducitur. [26] Praeerat tunc temporis ecclesiae Romanae Leo tertius, cuius legatus ad Brittaniam directus est Aldulfus [27] diaconus de ipsa Brittania [28], natione Saxo, et cum eo ab imperatore [29] missi abbates duo Hrotfridus [30] notarius [f] et Nantharius [31] abbas de sancto Audemaro [32]. Imperator vero aedificatis per legatos suos super Albim fluvium duobus

VARIANTES LECTIONES.

[1] sardiniam inpulsi *B* 2. [2] Burghardus *B* 2. [3] testati sunt 1. *B* 5. [4] patellaria *B* 5. patelaria *B* 6. [5] hispaniam *B* 7. [6] libertatem *B* 7. [7] Hoc in anno *B* 2. [8] Aquis *B* 7. [9] drasoconem *B* 8. trasconem *B* 7. thrasiconem 9. [10] godolaibum 3. [11] domnus Karlus *B* 7. [12] iuncxit *B* 2. [13] lilones 3. hilinones 9. [14] smeldignos *B* 5. [15] wilzzi *B* 5. wilzi *B* 7. [16] quam abodritis 1. [17] coniuncxerunt *B* 2. [18] distructo *B* 2. 7. [19] suesthorp. 3. fliesthorp. 4. sliestorph 5. siliestorph 6. liesthor *alii* sliesthorp. 7. sliestorff 9. sliesthrop *B* 5. sbestorb *B* 6. sciesthrop. *B* 7. liesthorp *B* 9. slieswic *B* 12. [20] Ibique *B* 2. [21] ostharsalt 2. orstalsalt 3. ostersaltus 5. ostersalt. 6. 9. ostarhsalt *alii* lestarhsalt 7. ostarsalz *B* 2. ostarsal *B* 5. estarsalt *B* 7. ostarsaltz *B* 8. etc. [22] tamen *B* 7. uno t. portu dimisso per quem 4. 5. 6. [23] per quem 1. 2. [24] nordidanhumbrorum 2. nordhumbrorum 3. 9. nordanimbrorum 4. northanimbrorum 5. nordanumbrorum 6. norddanhumbrorum 7. [25] earduf 1. eardulfus 3. 7. *B* 7. ardulf. 9. [26] deducitur *B* 2. [27] addulfus *B* 7. adolphus 9. [28] de ipsa brisinia *B* 2. [29] ad imperatorem 1. 5. 6. 9. [30] ruotfridus 3. 4. hortfridus 5. 6. rotfridus 7. rutfridus 9. hruotfridus *B* 2. 7. hrodfridus *B* 5. 6. [31] mantarius 3. nantarius 4. mancharius 6. [32] audomaro 2. 7. *B* 2. 5. audemauro 5. sancti audemauri 6. otmaro 3 *B* 7. othmaro 9.

NOTÆ.

[a] Inter Siciliam et Africam sita.

[b] Inter Wilzos et Abodritos ultra Albiam habitabant, Smeldingi Albiæ propiores. Cf. Chronici Gottwicensis Prodr., II, 660.

[c] Gebhardio, Hist. Daniæ p. 381, est Rorich, villa parva prope Wismariam, quam tamen in mappis geographicis haud invenio.

[d] *Die Ostsee.*

[e] *Die Eider*; cf. « Kieler Blätter, » tom. IV, p. 4 5.

[f] Abbas S. Amandi.

castellis, praesidioque in eis contra Sclavorum incursiones disposito, Aquisgrani hiemavit, natalemque [1] Domini et sanctum pascha ibidem celebravit. [Et [2] inmutat. est [3] numer. annor. in *A. L.*]

DCCCIX.

Classis de Constantinopoli missa primo Dalmatiam deinde Veneciam [4] appulit, cumque ibi hiemaret, pars eius Comiaclum [a] insulam accessit, commissoque proelio contra praesidium quod in ea dispositum erat, victa atque fugata Veneciam recessit. Dux autem qui classi praeerat, nomine Paulus, cum de pace inter Francos et Graecos constituenda, quasi sibi hoc esset iniunctum, apud Pippinum [5] Italiae regem agere moliretur, Wilhareno [6] et beato Venetiae ducibus omnes inchoatus eius [7] impedientibus, atque ipsi etiam insidias parantibus [8], cognita illorum fraude, discessit. At in occiduis partibus [9], domnus Hludoicus rex cum exercitu Hispaniam ingressus, Dertosam [10] [b] civitatem in ripa Hiberi [11] fluminis sitam obsedit, consumptoque in obpugnatione [expugnatione *A. L.*] illius aliquanto tempore, postquam eam tam cito capi non posse vidit, dimissa obsidione, cum incolomi exercitu in Aquitaniam se recepit. Postquam Aldulfus [12] rex Nordanhumbrorum [13] reductus est in regnum suum, et legati imperatoris atque pontificis reversi sunt, unus ex eis, Aldulfus videlicet diaconus [Ardulf. diacon. *A. L.*], a piratis captus est, caeteris sine periculo traicientibus, ductusque ab eis in Brittania [14], a quodam [15] Coenulfi [16] regis homine redemptus est, Romamque reversus. [17] In Tuscia Populonium [18], civitas maritima, a Graecis qui Orobiotae [19] [c] vocantur depraedata est. Mauri quoque de Hispania Corsicam ingressi, in ipso sancto paschali sabbato civitatem quandum diripuerunt, et praeter episcopum ac paucos senes atque infirmos nihil in ea reliquerunt. Interea Godofridus rex Danorum per negotiatores quosdam mandavit, se audisse, quod imperator ei fuisset iratus, pro eo [iratus eo *A. L.*] quod in Abodritos anno superiore duxit exercitum, et suas ultus [20] est iniurias, addens velle se purgare ab eo quod ei obiciebatur; foederis inruptionem [21]

A ab illis primo [22] fuisse inchoatam. Petebat etiam, ut conventus comitum [23] imperatoris atque suorum iuxta terminos regni sui trans Albim fieret, in quo res invicem gestae proferri et emendatione digna inter partes enumerari [24] potuissent. Non abnuit imperator; colloquiumque trans Albiam habitum cum primoribus Danorum, in loco qui dicitur Badenfliot [25] [d], multisque hinc et inde prolatis atque enumeratis rebus, negotio penitus infecto discessum est. Thrasco [26] vero, dux Abodritorum, postquam filium suum postulanti Godofrido obsidem dederat, collecta [27] popularium manu, et auxilio a Saxonibus accepto, vicinos suos Wiltzos adgressus, agros eorum ferro et igni vastat [28] regressusque domum cum ingenti praeda, accepto iterum a Saxonibus

B validiori auxilio, Smeldingorum maximam civitatem [29] expugnat, atque his successibus omnes qui ab eo defecerant, ad suam societatem reverti coegit. His ita gestis, imperator de Arduenna Aquas reversus, mense Novembrio concilium habuit de processione Spiritus sancti, quam quaestionem Ioannes [30] quidam monachus Hierosolimis primo commovit; cuius definiendae causa Bernharius [31] episcopus Wormacensis [32] et Adalhardus [33] abbas [34] monasterii Corbeiae [35] Romam ad Leonem papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem concilio de statu ecclesiarum et conversatione eorum, qui in eis Deo servire dicuntur, nec aliquid tamen definitum est propter rerum, ut videbatur, magnitudinem. Imperator autem, cum ei multa de iactantia et superbia regis Danorum

C nuntiarentur, statuit trans Albiam fluvium civitatem aedificare, Francorumque in ea ponere praesidium. Cumque ad hoc per Galliam atque Germaniam homines congregasset [36], armisque ac caeteris [37] ad usum necessariis [38] rebus instructos per Frisiam ad locum destinatum ducere iussisset, Thrasco [39] dux Abodritorum in emporio [40] Reric [41] ab hominibus Godofridi per dolum interfectus est. Sed imperator, postquam locus civitati constituendae [42] fuerat exploratus, Egbertum [43] comitem huic negotio exsequendo praeficiens, Albim traicere et locum iussit occupare. Est autem locus super ripam Sturiae [e] fluminis,

VARIANTES LECTIONES.

[1] natalem 1. 2. *etc.* *B* 6. [2] Et inm. est n. a. *deest* *B* 5. 6. 7. [3] mutatus *B* 8. [4] Veneciam 1 *B* 2. 6; *alii* Venetiam *hic et infra*. [5] apud domnum pippinum *B* 7. *B* 2? [6] wilhario 9. [7] eius *deest* 1. [8] parentibus 1. 2. *B* 5. paraverunt *B* 2. [9] occiduis regionibus 9. [10] desertosam *B* 2. [11] hiberis 1. 4. 5. 6. iberi 7. 9. [12] nordanimbrorum 4. 6. nordamhumbrorum B 5. [13] ardulfus 1. *B* 6. adolphus 9. addulfus *B* 7. adulfus 4. [14] brittania 10. [15] quadam *B* 2. [16] cenulfi 4. *B* 2. [17] reversus est *B* 2. [18] popolonium *B* 6. [19] 'Οροβιῶται 9. [20] suum ultus *B* 2. [21] inrumptionem *B* 2. [22] illo primis 1. 2. 3. 10. *B* 2. 5. 6. ab eis primum 4. 5. 6. prius 7. 9. primitus *B* 7. [23] conventus comcatum *B* 2. [24] partes emendari (7.) *B* 9. [25] badenfliot 1. 2. 3. 4. 6. 7. *B* 5. 6. badenflioth 5. badenfliet 9. batenfliot 10. melac *B* 7. *locus vacuus relictus* *B* 2. 8. [26] thrasco 1. 2. 5. *B* 2. 5. 6. trasco 4. 6. 7. *et alii*. [27] collecto 1. [28] vastavit 4. 5. 6. [29] maximum civitatem *B* 2. [30] iohannis *B* 2. [31] bernarius *B* 7. bernhardus 4. 5. bernardus 6. bernhartus 9. [32] wormacensis 1. 2. 3. 7. *B* 2. uurmacensis *B* 5. 6. *ceteri* wormaciensis, *etc.* [33] adalradus 4. adelhardus 5. alahardus 7. adelhartus 9. adhardus *B* 6. [34] abba *B* 5. abbatem *B* 2. [35] corbiae 1. 5. corbeia *B* 2. [36] homini congregasset 2. [37] armisque ceteris 2. [38] necessarias 2. [39] thrarco *B* 2. [40] abodritarum iemporio reric *B* 2. [41] rerich 5 . 6. *B* 6. [42] civitati construendae 3. 5. 6. c. exstr. 4. [43] aegbertum *B* 2. egibertum 3. 6. traiccere 2.

NOTÆ.

[a] *Comacchio.*

[b] *Tortosa.*

[c] Montium incolæ.

[d] Locus ignotus, certe prope Egidoram situs.

[e] *Die Stor* in Holsatia.

vocabulo Esesfelth [1] [a], et occupatus est ab Egberto [2] et A comitibus Saxonicis circa idus Martias, et muniri coeptus [3]. Aureolus comes [4], qui in commertio Hispaniae atque Galliae trans Pirineum contra Oscam et Caesaraugustam [5] residebat, defunctus est, et Amoroz [6], praefectus Caesaraugustae atque Oscae, locum eius [O. ministerium eius *A. L.*] invasit, et in castellis [7] illius praesidia disposuit, missaque ad imperatorem [8] legatione, sese cum omnibus quae habebat in deditionem illi venire velle promisit. Eclypsis lunae contigit 7. Kal. Ianuar.

DCCCX.

Amoroz [9], Caesaraugustae [10] praefectus, postquam imperatoris legati ad eum pervenerunt, petiit ut colloquium fieret inter ipsum et Hispanici limitis custodes, promittens se in eo colloquio cum suis omnibus B in imperatoris dicionem esse venturum; quod licet imperator ut fieret annuisset, multis intervenientibus causis remansit infectum. Mauri, de tota Hispania maxima classe [11] conparata, primo Sardiniam, deinde Corsicam appulerunt, nulloque in ea invento praesidio, insulam paene totam subegerunt [12]. Interea Pippinus rex, perfidia ducum Veneticorum incitatus, Veneciam bello terraque marique iussit appetere, subiectaque Venecia [b] ac ducibus eius in deditionem acceptis, eandem classem ad Dalmaciae litora vastanda misit. Sed cum Paulus, Cefalaniae [13] praefectus, cum orientali classe ad auxilium Dalmatis ferendum adventaret, regia classis ad propria regreditur. Hruodtrud [14], filia imperatoris quae natu maior erat [15], 8. Idus Iun. [16] diem obiit. Imperator vero C Aquisgrani adhuc agens et contra Godofridum regem expeditionem meditans, nuntium accepit, classem ducentarum navium de Nordmannia [17] Frisiam appulisse, totasque Frisiaco litori adiacentes insulas esse vastatas, iamque exercitum illum in continenti esse, ternaque proelia cum Frisionibus commisisse [18], Danosque victores tributum victis inposuisse, et vectigalis nomine centum libras argenti a Frisionibus iam esse solutas, regem vero Godofridum domi esse. Et revera ita erat. Qui nuntius adeo imperatorem concitavit, ut missis in omnes circumquaque regiones ad congregandum exercitum nuntiis, ipse sine mora palatio exiens [19], primo quidem classi occurrere [20], deinde transmisso Rheno flumine, in loco qui Lippeham [21] vocatur copias quae nondum convenerant statuit operiri; ubi dum aliquot dies moraretur, elefans ille, quem ei Aaron rex Sarracenorum miserat, subita morte periit. Congregatis tandem copiis, quanta potuit celeritate ad Alaram [22] fluvium contendit, castrisque iuxta confluentem eius, quo Wisurae flumini coniungitur, positis, minarum Godofridi regis praestolatur eventum. Nam rex ille, vanissima spe victoriae inflatus, acie se cum imperatore congredi velle iactabat. Sed dum imperator in memorato loco stativa haberet, diversarum rerum nuntii ad eum deferuntur [23]. Nam et classem quae Frisiam vastabat domum regressam, et Godofridum regem a quodam suo satellite interfectum, castellum vocabulo Hohbuoki [24] [c] Albiae flumini adpositum, in quo Odo legatus imperatoris et orientalium Saxonum erat praesidium, a Wiltzis [25] captum; et Pippinum filium eius, regem Italiae, 8. Idus Iul. de corpore migrasse; duasque legationes de diversis terrarum partibus, unam de Constantinopoli, alteram de Corduba [26], pacis faciendae causa adventare narratur. Quibus ille acceptis, disposita pro temporis conditione Saxonia, domum revertitur. Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, ut paene nullus tanto exercitui superesset, quin omnes usque ad unum interirent [27]; et non solum ibi, sed etiam super [etiam per *A. L.*] omnes [28] imperatori subiectas provincias illius generis animalium mortalitas inmanissime grassata est. Imperator Aquasgrani veniens mense Octobrio [29], memoratas legationes audivit, pacemque cum Niciforo imperatore et cum Abulaz rege Hispaniae fecit. Nam Niciforo Venetiam reddidit [30] [d], et Haimricum [31] comitem olim a Sarracenis captum, Abulaz

VARIANTES LECTIONES.

[1] esfelth 1. esfelt 4. 5. 6. esesfelth 2. 10. *B* 2. 5. esesfelt *B* 6. essesfelt 9. essesfelth *B* 8. esfelt 4. eselfelth 3. 7. esselfelt *B* 7. [2] ab egiberto 3. 6. [3] caeptus 1. [4] auriolus comis *B* 2. [5] caesaraugustum... caestaraugustus *B* 2. [6] amaroz 3. 9. *B* 8. [7] et castellis *B* 2. [8] ab imperatorem *B* 2. IN DCCCX. *B* 5. [9] Amaroz 3. Armoroz *B* 6. [10] caesaraugusto *B* 2. [11] classe 1. [12] subigerunt *B* 2. 5. 6. subiecerunt *B* 7. [13] cefalagiae 5. cefalaiae 6. cephaleniae 7. celalaniae *B* 5. celafaniae *Bouq.* [14] hruodtrut *B* 5. hruottrud 2. hruodrud 3. rhodtrudis 7. roldrudis 9. [15] natu minor erat 3. [16] III. Non. iun. *B* 5. [17] nordmannia 1. nordusmannia 2. nordmannia 3. 4. 6. 9. *B* 5. northmannia 5. nortdmannia 7. nortmannia *B* 2. 7. normania *B* 6. *Tanta vocis varietas satis indicat, codicis* 1. *lectionem genuinam esse.* [18] commissis 1. 2. 4. 6. commisse *B* 2. commisse *corr.* commisisse *B* 5. commisisse 7. 9. commissa *alii.* [19] palatio exiens *post haec verba in codice B* 2. *folium excidit*, *pergit infra in voce* eius regem italiae. [20] occurreret *B* 7. [21] lippeha 5. 6. lippeam *B* 7. lippenheim 9. [22] alraram 1. araram 9. alacram *B* 6. [23] deferunt 1. 3. *B* 7. venerunt 5. devenerunt 6. perferuntur 9. deferuntur 2. 7. *B* 5. ad se deferunt *B* 6. [24] hohbuochi 3. [25] wilzzis *B* 5. 6. [26] cordoba *B* 5. [27] perirent *B* 7. [28] per omnes 10. [29] octubrio *B* 7. octimbrio *B* 6. [30] reddit 1. [31] hamricum 1. 4. 10. amricum 2. hanricum 3. amri 5. hamri 6. henricum 7. heimrichum 9. haimricum *B* 2. 5. 8. heimricum *B* 6. adimricum *B* 7.

NOTÆ.

[a] *Itzehoe.*

[b] Pippinum non omnes Venetorum insulas obtinuisse, sed ponte navali Rivum altum aggressum, tempestate subito coorta ab incepto desistere coactum esse, ex Venetorum chronicis constat.

[c] De eo multum disputatur; alii Hamburg esse putant, quibus obstare videtur, quod Hamburg a Wilzis paulo longius distabat; alii Boitzenburg, vocabulo tamen satis adverso; Büchen potius fuerit in ducatu Lauenburgensi, non magis quam in altera ripa Holdunsteti et Hliuni ab Albia distans.

[d] Pacis hujus conditiones ex pacto Hlotharii I imperatoris cum Venetis cognoscimus, quod ex membranis archivi olim reipublicæ Venetæ, jam Cæsarei Vindobonensis, descriptum lectoribus in posterum proponemus.

remittente, recepit. Eo anno sol et luna bis [1] defecerunt, sol 7. Idus Iun. [2] et 2. Kal. Decemb., luna 11. Kal. Iul. et 18. Kal. Ianuar. [3] Corsica insula iterum a Mauris vastata est. Amoroz [4] ab Abdiraman [5], filio Abulaz, de Caesaraugustana expulsus [6], et Oscam intrare conpulsus est. Godofrido Danorum rege mortuo, Hemmingus filius fratris eius in regnum successit, ac pacem cum imperatore fecit.

## DCCCXI.

Absoluto atque dimisso Arsafio spathario — hoc erat nomen legato Nicifori imperatoris — eiusdem pacis confirmandae gratia [7] legati Constantinopolim ab imperatore [8] mittuntur, Haido [9] episcopus Baslensis [10], et Hugus [11] comes [12] Toronicus [13], et Aio Langobardus de Foroiulii [14], et cum eis Leo quidam spatharius, natione Siculus, et Willeri, dux Veneticorum, quorum alter ante annos decem Romae ad imperatorem, cum ibi esset, de Sicilia profugit, et redire volens, patriam remittitur; alter propter perfidiam honore spoliatus, Constantinopolim ad dominum suum duci iubetur. Condicta inter imperatorem et Hemmingum Danorum regem pax propter hiemis asperitatem, quae inter partes commeandi viam claudebat, in armis tantum iurata servatur, donec redeunte veris temperie [15], et apertis viis quae inmanitate frigoris clausae fuerunt [16], congredientibus ex utraque parte utriusque gentis, Francorum scilicet et Danorum, duodecim primoribus super fluvium Aegidoram, in loco qui vocatur...., datis vicissim [17] et secundum ritum ac morem suum sacramentis, pax confirmatur. Primores autem de parte Francorum hii fuere : Walach [18] comes filius Bernhardi [19], Burchardus [20] comes [21], Unrochus [22] comes, Uodo [23] comes [24], [Meginhardus comes, *A. L.*], Bernhardus comes [25], Egbertus [26] comes, Theotheri [27] comes, Abo [28] comes, Ostdag [29] comes, Wigman [30] comes; de parte vero Danorum inprimis fratres Hemmingi [31], Hancwin [32] et Angandeo [33], deinde caeteri honorabiles inter suos viri, Osfred [34] cognomento Turdimulo [35], et Warstein [36], et Suomi, et Urm [37], et alius Osfrid filius Heiligen [38], et Osfred de Sconaowe [39], et Hebbi [40], et Aowin [41]. Imperator vero, pace cum Hemmingo firmata, et placito generali secundum consuetudinem Aquis habito, in tres partes regni sui totidem exercitus misit, unum trans Albiam in Linones [42] qui et ipsos vastavit et castellum Hohbuoki [43] superiore anno a Wiltzis destructum [44] in ripa Albiae fluminis restauravit; alterum in Pannonias ad controversias Hunorum et Sclavorum finiendas; tertium in Brittones ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes, rebus prospere gestis, incolomes regressi sunt. Ipse autem interea propter classem quam [45] anno superiore fieri imperavit videndam, ad Bononiam, civitatem maritimam, ubi eaedem naves [46] congregatae erant, accessit, farumque [47] ibi ad navigantium cursus dirigendos antiquitus constitutam [48] restauravit, et in summitate eius nocturnum ignem accendit. Inde ab Scaldim fluvium veniens, in loco qui Ganda [49] [a] vocatur, naves ad eandem classem aedificatas [50] aspexit, et circa medium Novembrium Aquas venit. Obviarunt ei venienti legati Hemmingi regis, Aowin [51] et Hebbi, munera regis et verba pacifica deferentes [52]; fuerunt etiam Aquis adventum [53] eius expectantes qui de Pannonia venerunt, Canizauci [54] princeps [55] Avarum, et Tudun, et alii primores ac duces Sclavorum circa Danubium habitantium, qui a ducibus copiarum, quae in Pannoniam missae fuerunt [56], ad praesentiam principis iussi venerunt. [57] Interea Karlus filius imperatoris [filius domni i. *A. L.*] qui maior natu erat, 2. Nonas Decemb. diem obiit; et imperator Aquis hiemavit.

## DCCCXII.

Nec multo post Hemmingus Danorum rex defun-

### VARIANTES LECTIONES.

[1] bis *deest B* 7. [2] VII. idus iun. 1. 7. 10. *B* 2. 5. 8. 9. 12. VIII. id. iun. 2. 3. 4. 5. 9. *B* 7. VII. id. iul. *B* 6. VIII. id. Iul. 6. [3] VIII. kal. ianuar. 2. *B* 7. [4] amaroz *B* 6. [5] abdirama *B* 5. [6] repulsus *B* 7. [7] gratie *B* 2. greciae *B* 5. [8] ad imperatorem 1. 2. 3. 9. ab imperatore 4. 5. 6. 7. 10. *B* 2. 5. 6. 7. [9] hatto 9. [10] basilensis 3. bassensis 5. basiliensis 9. balensis *B* 6. [11] hugo 6. 7. 8. hug *B* 2. 5. 7. [12] comis *B* 2. [13] toronicus 1. 2. 4. 10. *B* 6. toringus *B* 5. turonicus *reliqui*. [14] foro Iuli 10. *B* 5. fori Iuli *B* 6. [15] veris tempore *B* 7. [16] fuerant *B* 7. [17] in loco qui uocatur. datis. uicissim et 1; in l. q. vocatur elatis vicissim 2. 7; *in codicibus* 3. 4. 5. 6. 10. *B* 2. 5. 6. *legitur* datis, *nulla lacuna relicta; in* 9. *deest* in loco qui vocatur. [18] walah *B* 2. wala *B* 7. walachus 7. [19] bernardi *B* 2. 7. [20] purchardus *B* 6. [21] comis *ubique B* 2. [22] unrocus 4. *B* 2. 5. 7. mirocus 7. [23] vado 7. wado 10. [24] *in codice B* 2. *post* meginhardus comis *quatuor lineis vacuis relictis pergitur* bernardus comis egbertus comis *etc.*; *in B* 5. meginhardus comis *deest, sed lacuna indicatur, in B* 6. *deest; in codicibus B* 3. 8. 10. 11. meginhardus comes, *in B* 9. meinhardus comes *legitur*. [25] bernhardus comes *deest* 3. 9. bernardus 7. *B* 7. [26] egberdus 1. egibertus 3. egebertus 5. 6. egilbertus *B* 6. [27] thiotheri 10. *B* 5. teotheri 2. theoderi 3. theodorus 5. 6. thothericus *B* 2. theodoricus 7. theodericus *B* 7. thederichus 9. [28] abbo 4. *deest* 5. [29] ostdagus 7. ostdach 9. estagi *B* 6. osdag 4. *B* 2. 7. 8. [30] wigmannus 7. wigman *B* 7. [31] emmingi *B* 7. himingi 6. [32] hancvin 2. hancum 7. hancwinc 9. hancwihe *B* 6 [33] agadeo 5. agandeo 6. agantheo *B* 2. [34] osfrid *B* 2. 7. offredus 7. *ita et infra*. [35] tardimulo *B* 2. [36] warsteinus 7. warsten 9. warsein *B* 7. [37] urni *B* 2. urim *B* 7. urmus 7. urin 9. [38] heligen *B* 5. heiligeni 7. heiligon 9. [39] sconaouuae *B* 5. [40] helbi *B* 6. heppi 6. [41] awin 9. aouus 7. awin 10. [42] hilinones 9. liuones 7. [43] hohbuozi 4. hohbuochi 5. [44] distructum 1. *B* 2. 5. [45] in terra propter classem quam *B* 2. 5 (classes). [46] eadem naves 1. 2. *B* 2. 6. [47] earumque ibi 2. 5. eamque ibi 4. fanumque ibi 9. [48] constitutum *B* 2. constitutos 5. 6. [49] granda 4. gand. 7. *B* 7. [50] aedificatos *B* 2. [51] aouun *B* 6 [52] regi et v. p. defirmentes *B* 2. [53] adventus eius *B* 2. [54] camzanci 7. cani, zauci 9. [55] principes *B* 7. [56] fuerant *B* 7. [57] uisi fuerunt *B* 2.

### NOTÆ.

[a] *Gent*, Gallice *Gand*.

ctus nunciatur. Cui cum Sigifridus, nepos Godofridi regis, et Anulo [1], nepos [2] Herioldi quondam regis [3] [Herioldi et ipsius regis *A. L.*], succedere voluissent, neque inter eos, uter regnare deberet, convenire potuisset, comparatis copiis et commisso proelio, ambo moriuntur. Pars tamen Anulonis adepta victoriam [4], fratres eius Herioldum et Reginfridum [5] reges sibi constituit; quam necessario pars victa secuta, eosdem sibi regnare non abnuit: iń eo proelio 10, 940 [6] viri cecidisse narrantur. Niciforus imperator post multas et insignes victorias in Moesia provincia commisso cum Bulgaris proelio moritur, et Michahel gener eius imperator factus, legatos imperatoris [legat. domni i. *A. L.*] Karli, qui ad Niciforum [7] missi fuerunt, in Constantinopoli [8] suscepit et absolvit; cum quibus et suos legatos direxit, Michahelem scilicet episcopum, et Arsafium [9] atque Theognostum [10] protospatharios, et per eos pacem a Niciforo inceptam confirmavit. Nam Aquisgrani, ubi ad imperatorem venerunt, scriptum pacti ab eo in ecclesia suscipientes, more suo, id est Graeca lingua, laudes ei dixerunt, Imperatorem eum et Basileum [11] appellantes, et revertendo Romam venientes, in basilica sancti Petri et apostoli eundem pacti seu foederis libellum a Leone papa denuo susceperunt. Quibus dimissis, imperator generali conventu Aquis solemniter habito, Bernhardum filium Pippini, nepotem suum, in Italiam misit; et propter famam classis, quae et de Africa et de Hispania ad vastandam Italiam ventura dicebatur, Walanem [12] filium Bernhardi patruelis sui cum illo esse iussit, quoadusque rerum eventus securitatem nostris adferret. Haec classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit; et ea quidem pars quae ad Sardiniam est delata, pene tota deleta est. Classis etiam Nortmannorum [13] Hiberniam Scottorum [14] insulam adgressa, commissoque cum Scottis [15] proelio, parte non modica Nordmannorum interfecta, turpiter fugiendo domum reversa est. Pax cum Abulaz [16] rege Sarracenorum facta, item cum duce Beneventanorum Grimoaldo, et tributi nomine viginti quinque milia solidorum auri a Beneventanis soluta. Expeditio facta ad Wiltzos, et ab eis obsides accepti. Herioldus [17] et Reginfridus [18], reges Danorum, missa ad imperatorem legatione, pacem petunt, et fratrem suum Hemmingum sibi remitti rogant. * Hoc anno Idibus Maii post meridiem solis eclypsis fuit.

* [Robertus abbas sancti Germani monasterii vita decessit Iruuno (*Irmino*) quoque prudentissimus vir loco eius successit. 7.

### DCCCXIII.

Imperator Aquisgrani hiemavit, et incipiente verni temperie [19] Amalharium [20] Treverensem episcopum et Petrum abbatem monasterii Nonantulas [21] propter pacem cum Michaele imperatore confirmandam Constantinopolim misit. Pons [22] apud Mogontiacum mense Maio incendio conflagravit, post quod imperator cum in Arduenna venaretur, pedum dolore decubuit, et convalescens Aquasgrani reversus est; ac deinde habito generali conventu, evocatum ad se apud Aquasgrani filium suum Hludoicum [23] Aquitaniae regem, coronam illi inposuit, et imperialis nominis sibi consortem fecit, Bernhardumque nepotem suum, filium Pippini filii sui, Italiae praefecit, et regem appellari iussit. Concilia quoque iussu eius super statu ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab episcopis celebrata sunt, quorum unum Mogontiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillione [24], quintum Arelati congregatum est, et constitutionum, quae in singulis factae sunt, collatio coram imperatore in illo conventu habita; quas qui nosse voluerit, in supradictis quinque civitatibus invenire poterit [25], quamquam et in archivo palatii exemplaria illarum habeantur. Missi sunt de hoc conventu quidam Francorum et Saxonum primores trans Albim fluvium ad confinia Nordmannorum, qui pacem cum eis secundum petitionem regum illorum facerent, et fratrem eorum redderent. Quibus cum pari numero — nam 16 [26] erant — de primatibus Danorum in loco deputato occurrissent, iuramentis utrimque factis pax confirmata, et regum frater eis redditus est. Qui tamen eo tempore domi non erant, sed ad Westarfoldam [27] [a] cum exercitu profecti, quae regio ultima regni eorum inter septentrionem et occidentem sita, contra aquilonalem Brittaniae summitatem respicit, cuius principes [28] ac populus eis subici recusabant. Quibus perdomitis, cum revertissent, et fratrem ab imperatore missum recepissent, filii Godofridi regis et ex primoribus Danorum non pauci,

VARIANTES LECTIONES.

[1] Anolo *B* 5. 8. amilo 7. 9. et anulo n. h. q. regis *deest* 2. [2] nepus... nepus *B* 2. [3] pas 1. [4] victoria 3. 4. 6. 7. 10. *B* 2. 5. 6. 8. 9. [5] reginfredum *B*. 7. reginfridum 5. 6. ragenfridum 7. [6] X DCCCXL viri *B* 5. [7] qui niciforum 1. 2. [8] in constantinopolim 2. *B* 5. [9] arfasium 2. *B* 2. [10] adque teognostrum *B* 2. theognistum 9. [11] βασιλέα eum appellantes et inde reversi 9. [12] wallonem 9. [13] nordusmannorum 2. nord-mannorum 3. 7. 9. *B* 2. 5. 6. nordamannorum 4. nortmannorum *B* 7. northanimbrorum 5. nordanumbrorum 6. [14] scotorum 1. 6. 9. *B* 7. scotthorum 2. [15] scottis 1. 2. 3. 4. 5. 7. 10. *B* 2. 5. 6. [16] abulax 2. [17] herioldus 3. 10. *B* 7. heriholdus 9. [18] regenfridus *B* 6. ragenfridus 7. reinfridus 2. [19] veris 4. 5. 6. verna 7. verno tempore 9. *B* 7. [20] Almaharium 3. [21] novantulas 6. nantulas *B* 2. [22] Pons, etc., *usque* reversus est *deest in* 7, *B* 2. (3.) 7. 8. 9. 10. 11. 12. [23] hludouuicum *B* 2. hlodowicum *B* 5. [24] cabillonis 3. 7. cabilloni 9. cabillone 5. 6. *B*. 7. [25] potuit *B* 5. [26] nam XV 6; nam VI. *B* 7. [27] werstarfoldam 4. westerfoldam *B* 6. westerfoeldam 9. [28] princeps *B* 5. 6.

NOTÆ.

[a] *Waestenland* in occidentali Chersonesi Cimbricæ latere, in Jutia meridionali. Gebhardi hist. Daniæ, p. 382.

qui iam dudum relicta patria apud Sueones [1] exulabant, conparatis undecumque copiis, bellum eis intulerunt, et confluentibus ad se passim ex omni Danorum terra popularium turmis [2], commisso cum eis proelio, etiam regno non multo eos labore pepulerunt. Mauris de Corsica [3] ad Hispaniam cum multa praeda redeuntibus Irmingarius [4], comes Emporitanus [a], in Maiorica insidias posuit, et octo naves eorum cepit, in quibus quingentos et eo amplius Corsos captivos invenit. Hoc Mauri vindicare volentes, Centumcellas [b] Tusciae civitatem et Niceam [c] provinciae Narbonensis vastaverunt. Sardiniam quoque adgressi, commissoque cum Sardis proelio, pulsi ac victi, et multis suorum amissis, recesserunt [5]. At Michael imperator Bulgaros bello adpetens, haud prosperis successibus utitur, ac proinde domum reversus, deposito diademate monachus efficitur; in cuius locum Leo, Bardae patricii [6] filius, imperator constituitur. Crumas [7], rex Bulgarorum, qui Niciforum imperatorem ante duos annos interfecit, et Michaelem de Moesia fugavit, secundis rebus elatus cum exercitu usque ad ipsam Constantinopolim accessit, et iuxta portam civitatis castra posuit. Quem moenibus urbis obequitantem Leo imperator, eruptione facta, incautum excepit, et graviter vulneratum fugiendo sibi consulere ac patriam turpiter redire coegit.

## DCCCXIV.

Domnus Karlus imperator dum Aquisgrani hiemaret, anno aetatis circiter septuagesimo primo, regni autem quadragesimo septimo [8], subactaeque Italiae quadragesimo tertio, ex quo vero imperator et Augustus appellatus est anno decimo quarto, 5. Kal. Febr. rebus humanis excessit [9] *. Cuius rei nuncium cum Hludowicus filius eius in Aquitania [10] apud Tedoadum [11] [d] villam, ubi et ipse tunc hibernabat, plurimis deferentibus accepisset, tricesimo postquam id acciderat die Aquasgrani venit, summoque omnium Francorum consensu ac favore patri successit. Et ad suscepti regni administrationem cura conversa, primo legationes gentium quae ad patrem venerant, auditas absolvit, alias deinde simili modo ad patrem quidem [12] missas, ad se vero venientes suscepit. Inter quas praecipua fuit legatio de Constantinopoli directa [13]. Nam Leo imperator qui Michaeli [14] successerat, dimisso Amalhario episcopo et Petro abbate, qui ad Michaelem quidem missi, ad se tamen venerunt [15], legatos suos, Christoforum spatharium et Gregorium diaconem, cum eis ad domnum Karlum, et per eos descriptionem et confirmationem pacti ac foederis misit. Quibus susceptis atque dimissis, domnus Hludowicus legatos suos, Nordbertum [16] Regiensem episcopum et Richowinum [17] Patavinum [18] comitem, ad Leonem imperatorem ob renovandam secum amicitiam et praedictum pactum confirmandum direxit [19]; habitoque Aquisgrani generali populi sui conventu ad iustitias faciendas et oppressiones popularium relevandas, legatos in omnes regni sui partes dimisit [20], Bernhardum regem Italiae, nepotem suum, ad se evocatum, muneribus donatum in [21] regnum remisit, cum Grimoaldo [22], Beneventanorum duce, pactum fecit atque firmavit, eo modo quo et pater, scilicet ut Beneventani tributum annis singulis septem milia solidos darent: tunc duos ex filiis suis, Hlotharium [23] in Baioariam, Pippinum in Aquitaniam misit. Harioldus et Reginfridus reges Danorum, qui anno superiore a filiis Godofridi victi et regno pulsi fuerunt, reparatis viribus, iterum eis bellum intulerunt; in quo conflictu et Reginfridus et unus de filiis Godofridi, qui maior natu erat, interfectus est. Quo facto, Herioldus [24] rebus suis diffidens, ad imperatorem venit, et se in manus

* [sepultus Aquis in basilica sanctae Dei genitricis quam ipse construxerat. Corpus eius aromatizatum est, et in sede aurea sedens positum est in curvatura sepulchri, ense aureo accinctus, evangelium aureum tenens in manibus et genibus, reclinatis humeris in cathedra, et capite honeste erecto ligato aurea catena ad diadema. Et in diademate lignum sanctae crucis positum est. Et repleverunt sepulchrum eius aromatibus, pigmentis et balsamo et musco et thesauris multis in auro. Vestitum est corpus eius vestimentis imperialibus, et sudario sub diademate facies eius operta est. Cilicium ad carnem eius positum est, quo secreto semper induebatur, et super vestimentis imperialibus pera peregrinalis aurea posita est, quam Romam portare solitus erat. Sceptrum aureum et scutum aureum quod Leo papa consecraverat, ante eum posita sunt dependentia: et clausum et sigillatum est sepulchrum eius. Nemo autem referre potest, quantus planctus et luctus pro eo fuerit per universam terram; etiam inter paganos plangebatur, quasi pater orbis. Maximus vero planctus inter christianos fuit, et praecipue per universum regnum eius. Oleo autem sancto inunctus ab episcopis, et viatico sumpto, et omnibus suis dispositis, commendans Domino spiritum suum, obiit in pace anno 814 ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi. Et regnavit gloriosissimus Ludovicus filius eius pro eo, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est gloria in secula seculorum. Amen. 11.]

### VARIANTES LECTIONES.

[1] socones 2. suucones 3. suenes 4. suenones *B* 2. suones *B* 5. [2] turbis 1. 5. 6. [3] sorsica *B* 5. [4] irmigarius 2... ingarius *B* 2. herminguarius *B* 7. [5] recesserunt. *in hac voce desinunt B* 2. 3. 7. [6] leo cabdae patricius 3. leo bap lac 9. leo papdae *Chesn.* [7] crimas 4. brumas 6. [8] XLIIII 2. [9] excessit *finis codd.* 10. 11. *quorum his pauca de sepultura imperatoris supra allata addit.* [10] acquitania *B* 6. *ita saepius.* [11] teodadum 4. *B* 5. teoadum 5. 6. theoduadum 7. thedoadum 9. [12] patrem ante quidem 9. [13] de coust missa 9. [14] michaheli *B* 2. [15] venerant *Chesn.* [16] norbertum 4. 5. nordus bertum 2. [17] richoinum 2. 4. *B* 5. richonium 3. 7. *B* 6. richwinum 9. [18] pitavinum 4. pictavinum *B* 6. pictavium 7. pictavensem *Bouq.* [19] confirmandum misit 9. [20] sui fines misit. 9. [21] donavit et in 9. [22] grimoldo 4. 5. 6. [23] hluthariam 4, lutharium 6. lotharium 9. *ita deinceps.* [24] heriholtus 9. facto herioldus 1. 2. (3.) 10. *B* 5. 6. harioldus 4. 5. 6. 7. heriholtus 9.

### NOTÆ.

[a] Oppidum hodie Ampurias vocatur.

[b] *Civita-vecchia.*

[c] *Nizza.*

[d] *Doué* prope *Saumur.* Vales. Not. Gall. p. 552.

illius commendavit; quem ille susceptum in Saxoniam ire, et oportunum tempus expectare iussit, quo ei, sicut [1] petierat, auxilium ferre potuisset [2].

DCCCXV.

Iussum est ab imperatore, ut Saxones et Abodriti [3] ad hanc expeditionem praepararentur, temptatumque in illa hieme duabus vicibus, si Albis transiri posset [4], sed mutatione subita aeris emolliti glacie [5] fluminis resoluta, negotium remansit infectum [imperfectum *A. L.*], donec tandem hieme transacta circa medium fere [6] Maium mensem oportunum proficiscendi tempus adrisit. Tunc omnes Saxonici comites omnesque Abodritorum copiae cum legato imperatoris Baldrico [7], sicut iussum erat, ad auxilium Harioldo [8] ferendum trans Aegidoram fluvium in terram Nordmannorum vocabulo Sinlendi [9] [a] perveniunt, et inde profecti, septimo tandem die in loco qui dicitur [10] . . . in litore oceani [11] castra ponunt: [12] ibique stativis triduo habitis, cum filii Godofridi, qui [13] contra eos magnis copiis et ducentarum navium classe comparata in insula quadam tribus milibus a continenti separata residebant [14], cum eis [15] congredi non auderent, vastatis circumquaque vicinis pagis et acceptis popularium obsidibus 40, ad imperatorem in Saxoniam reversi sunt. Ipse enim tunc temporis in loco qui dicitur Padrabrunno [16] generalem populi sui conventum habebat. Ibi ad eum omnes orientalium Sclavorum primores et legati venerunt. Sed antequam illuc veniret, id est cum adhuc domi esset [17], adlatum est ei, quosdam de primoribus Romanorum ad interficiendum Leonem papam in ipsa urbe Roma conspirasse, ac deinde, cum huius causae indicium ad pontificem esset delatum, omnes illius factionis auctores ipsius iussu fuisse trucidatos. Quod cum moleste ferret, ordinatis tunc Sclavorum et Herioldi rebus, ipsoque in Saxonia dimisso, cum ad Franconofurd palatium venisset, Bernhardum regem Italiae, nepotem suum, qui et ipse [18] cum eo in Saxonia fuerat, ad cognoscendum quod nunciabatur Romam mittit. Is cum Romam [19] venisset, aegritudine decubuit, res tamen quas compererat per Geroldum [20] comitem, qui ad hoc ei legatus fuerat datus, imperatori mandavit [21]. Quem legati pontificis, Iohannes episcopus Silvae-candidae et Theodorus nomenclator et Sergius dux, subsecuti, de his quae domino suo obiciebantur, per omnia imperatori satisfecerunt. Legati Sardorum de Carali [22] [b] civitate dona ferentes venerunt. Pax quae cum Abulaz rege Sarracenorum facta, et per triennium servata erat, velut inutilis irrupta [23], et contra eum iterum bellum susceptum est. Nordbertus [24] episcopus et Richoinus [25] comes de Constantinopoli regressi, descriptionem pacti quam Leo imperator eis dederat detulerunt; qui inter caetera terrae motum gravissimum mense Augusto per continuos quinque dies ibi contigisse retulerunt, quo et ipsius urbis aedificia conplura cecidisse, et aliarum civitatum populos ruinis obpressos esse testati sunt. Sed et in Gallia Santones [26], civitas Aquitaniae, mense Septembrio [27] dicitur tremuisse. Rhenus [28] fluvius alpinis imbribus [29] auctus, ultra solitum exundavit. Romani, cum Leonem papam aegritudine decubuisse viderent [30], collecta manu, omnia praedia quae idem [31] pontifex [32] in singularum civitatum territoriis [33] noviter exstruxit [34], primo diripiunt, deinde inmisso igne cremant, tum Romam ire statuunt, et quae sibi erepta querebantur violenter auferre: quo comperto, Bernhardus rex missa manu per Winigisum ducem Spolitinum et seditionem illam sedavit, et eos ab incepto [35] [a cepto *A. L.*] desistere fecit, quaeque gesta erant, per legatos suos imperatori nunciavit.

DCCCXVI.

Hieme transacta, Saxones et orientales Franci expeditionem in Sorabos Sclavos, qui dicto audientes non erant, facere iussi, imperata strenue compleverunt, et contumacium audaciam non magno labore compresserunt. Nam una civitate expugnata, quicquid in ea gente rebelle videbatur, subiectione promissa conquievit. Vascones qui trans Garonnam et circa Pirineum montem habitant, propter sublatum ducem suum nomine Sigwinum [36], quem imperator ob nimiam eius insolentiam ac morum pravitatem inde sustulerat, solita levitate commoti, coniuratione facta, omnimoda defectione desciverunt; sed duabus expeditionibus ita sunt edomiti [37], ut tarda eis deditio et pacis impetratio videretur. Interea domnus

VARIANTES LECTIONES.

[1] ei quemadmodum 9. [2] posset 9. [3] abotriti 2. 9. *B* 6 *ita constanter*. [4] albis transire posset 1. 2. 3. 6. 9. albia transire posset *B* 5. albia transire potuisset *B* 6. albis transiri posset 4. 5. 10. albia transiri potuisset 7. [5] ac glacie 9. [6] fere *deest* 9. [7] baldericho 9. balderico 7. [8] harioldo 1. 2. 3. 4. 5. 7. 10. *B* 5. bairioldo 6. harialdo *B* 6. heriholto 9. [9] nomine sinlendi 9. sindlendi 5. sialandiam 7. [10] in loco qui dicitur *deest* 7. *Bouq. In codd.* 2. 10. *B* 5. 9. *post* dicitur *locus litteris quatuor vel sex vacuus relictus est*. [11] dicitur Littus oceani 9. [12] ponuntur *B* 5. [13] qui *deest* 9. [14] residerent 9. [15] ipsique cum eis 9. [16] padrabundo 5. padrebunno *B* 5. poderbrunno *B* 6. patherbrunno 4. padrabrunna 9. padrebrunno 7. [17] priusquam tamen illuc v. sed domi adhuc 9. [18] ipse secum 9. [19] Is cum eo v. 9. [20] gerholtum 9. [21] nunciavit 9. [22] de karoli 5. 6. *B* 6. [23] erepta 1. erupta 2. 3. 4. 5. 6. 10. rupta 7. 9. *B* 5 6. 9. [24] nordberdus 1. 4. [25] richwinus 9. [26] sanctonas 4. 6. santonis 7. [27] septembri 7. 9. [28] renhus *B* 5. [29] imbrio *B* 5. [30] viderunt 1. [31] idem episcopus 4. [32] id. pont. *deest* 9. [33] ditionibus 9. [34] exstruxerat 9. [35] ab coepto *B* 5. a coepto 9. [36] sigewinum 4. siguwinum 3. sigivinum *B* 5. sigwinum 9. *B* 6. [37] domiti 4. 5. 6.

NOTÆ.

[a] Othero teste in orientali Chersonesi Cimbricæ parte; ad meridiem Jutiæ. Cf. V. cl. Dahlmann Forschungen auf dem Gebiet der Geschichte, t. I, p. 439.

[b] *Cagliari.*

Leo papa anno pontificatus sui vicesimo primo, circiter 8. Kal. Iun. [1] de corpore migravit [2], Stefanusque diaconus in locum eius electus atque ordinatus est, nondumque duobus post consecrationem suam exactis mensibus, quam maximis poterat [3] itineribus ad imperatorem venire contendit, missisque interim duobus legatis, qui quasi pro sua consecratione imperatori suggererent. Quod ubi imperator audivit, Remis ei statuit occurrere, missisque obviam his qui eum illo deducerent, adventum eius praeveniens, cum magno eum ibidem honore suscepit. Qui statim imperatori adventus sui causam insinuans, celebratis ex more missarum sollemniis, eum diadematis impositione coronavit. Multis deinde inter eos muneribus et datis et acceptis, conviviisque oppipare [4] celebratis, et amicitia vicissim firmissimo [5] robore constituta, aliisque utilitatibus sanctae Dei ecclesiae pro temporis opportunitate dispositis, pontifex Romam, imperator Compendium palatium petiit. Ibi commemoratus [6], legatos Abodritorum et de Hispania legatos Abdirahman [7], filii Abulaz regis, ad se missos suscepit; completisque ibi viginti vel eo amplius diebus, Aquasgrani ad hiemandum profectus est.

DCCCXVII.

Legati Abdirahman [8] filii Abulaz, regis Sarracenorum, de Caesaraugusta missi, pacis petendae gratia venerunt, et Compendio ab imperatore auditi, Aquasgrani eum praecedere iussi sunt. Quo cum pervenisset, legatum Leonis imperatoris de Constantinopoli pro Dalmatinorum [9] causa missum, Niciforum nomine, suscepit, quem etiam, quia Gadolah [10] ad quem illorum confinium cura pertinebat, non aderat, et tamen brevi venturus putabatur, adventum illius iussit opperiri. Quo veniente, ratio inter eum et legatum imperatoris de quaestionibus quas idem detulit, habita est; et quia res ad plurimos et Romanos et Sclavos pertinebat, neque sine illorum praesentia finiri posse videbatur, illo decernenda differtur, missusque ad hoc cum Cadolane [11] et praedicto legato in Dalmatiam Albgarius [12], Unrochi [13] nepos. Legati etiam Abdirahman, cum tribus mensibus detenti essent, et iam de reditu desperare coepissent, remissi sunt. Filii quoque Godofridi regis Danorum, propter assiduam Herioldi infestationem missa ad imperatorem legatione, pacem petunt, eamque a se servandam pollicentur: sed cum haec simulata magis quam veracia viderentur, velut inania neglecta sunt, et auxilium contra eos Hieroldo datum. Luna Nonis Febr. hora noctis secunda defecit, et cometes in signo Agitatoris [14] apparuit. Interea Stefanus papa tertio postquam Romam venerat mense, sed nondum exacto, circiter 8 Kal. Febr. diem obiit. Cui Paschalis successor electus, post completam solemniter ordinationem suam et munera et excusatoriam imperatori misit epistolam, in qua sibi non solum nolenti, sed etiam plurimum renitenti pontificatus honorem velut inpactum [15] adseverat. Missa tamen alia legatione, pactum quod cum praecessoribus suis factum erat, etiam secum fieri et firmari [16] rogavit. Hanc legationem Theodorus nomenclator et detulit, et ea quae petierat impetravit. Feria quinta qua coena Domini celebratur, cum imperator ab ecclesia, peracto sacro officio, remearet, lignea porticus per quam incedebat, cum et fragili materia esset aedificata, et tunc [17] iam marcida et putrefacta, quae contignationem et tabulatam sustinebant, transtra pondus aliquod ferre non possent, incedentem desuper imperatorem subita ruina cum viginti et eo amplius hominibus qui una ibant ad terram usque deposuit [18]. Qui casus cum [19] plerosque ex his qui simul deciderant graviter adfecisset, illi tamen nihil aliut [20] laesionis intulit praeter quod capulo gladii quo accinctus erat, imi pectoris pars sinistra contusa est, et auris dextra in parte posteriore vulnerata, femur quoque dextrum cuiusdam ligni pondere iuxta inguina conlisum. Sed instantia [21] medicorum qui ei curam adhibebant, summa celeritate convaluit. Nam vicesima postquam id acciderat die Noviomagum profectus, venatu sese exercebat. Unde reversus, generalem populi sui conventum Aquisgrani more solito habuit, in quo filium suum primogenitum Hlotharium coronavit, et nominis atque imperii sui socium sibi constituit, caeteros reges appellatos unum Aquitaniae, alterum Baioariae praefecit. Conventu peracto [22], cum Vosegi saltum venandi gratia peteret, obvios habuit legatos Leonis imperatoris, quos cum in Ingilenheim [23] palatio iuxta Mogontiacum [24] civitatem audisset, ac legationem eorum non aliam esse, nisi quam Niciforus eiusdem imperatoris legatus proxime adtulerat, comperisset, celeriter absolutos dimisit, et quo tendebat proficiscitur. Nunciataque defectione Abodritorum et Sclaomiri, comitibus tantum qui iusta Albim in praesidio residere solebant, ut terminos sibi commissos tuerentur, per legatum mandavit. Causa defectionis erat, quod regiam potestatem, quam Sclaomir hactenus post mortem Thrasconis solus super Abodritos tenebat, cum Ceadrago filio Thrasconis partiri iubebatur; quae res illum tam graviter exacerbavit, ut

VARIANTES LECTIONES.

[1] VIII. kal. Iul. *B* 5. V. kal. Iun. *B* 8. [2] a seculo migravit *Bouq.* [3] potuit 9. [4] oppipare 1. 4. *B* 6. opipare 2. (3.) 7. *B* 5. oppidare 5. 6. opime 9. [5] fortissimo 9. [6] ibi cum moraretur 3. 4. 5. 6. 9. ibi cum moratur 2. *B* 6. ibi conmoratus 1. 7. 10. *B* 5. [7] abdirahaman *B* 5. abdirachman 9. [8] abdirahaman *B* 5. abdiracman *B* 6. [9] dalmaticorum 4. *B* 5. dalmantinorum *B* 6. delmaticorum 7. dalmatarum 9. [10] cadolaus 6. cadolachus 7. cadolach 9. cadolon *B* 5. [11] cum cadolach. 9. kadolone 5. cadolone 6. cadelane *B* 6. [12] abgarius 3. 2. albagarius 5. 6. albigarius 7. 9. [13] mirochi 7. [14] agitatoris 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10. *B* 5. 6. (8.) sagitatoris *secunda manu* 5. sagittarii 7. 9. [15] inpactum 1. 2. 3. 7. 9. 10. *B* 5. 6. impositum intimavit 4. 5. 6. [16] et firmare *B* 5. [17] tunc *deest* 9. [18] depressit 9. [19] Qui cum casus 1. [20] aliut 1. *reliqui* aliud. [21] sed opera m. 9. [22] vero peracto *Bouq.* [23] ingilenhaim 10. *B* 5. 6. ingilinheim 4. ingelheim 9. [24] mogonciacum 1. 5. 6. magontiam *B* 6. moguntiacum 9. magontiacam 7.

adfirmaret, se numquam posthac Albim fluvium transiturum, neque ad palatium venturum. Statim missa trans mare legatione, iunxit amicitias cum filiis Godofridi, et, ut exercitus in Saxoniam transalbianam [1] mitteretur, impetravit. Nam et classis eorum per Albiam usque ad Esesfeld [2] castellum venit, quae totam Sturiae fluminis ripam devastavit, et Giuomi [3], custos Nordmannici [4] limitis, pedestres copias ducens, simul cum Abodritis terreno itinere ad ipsum castellum accessit. Quibus cum nostri fortiter restitissent, omissa castelli oppugnatione, discesserunt. Interea cum imperator venatione peracta de Vosego Aquasgrani reverteretur, nuntiatum est ei, Bernhardum nepotem suum, Italiae regem, quorumdam pravorum hominum consilio tyrannidem meditatum, iam omnes aditus quibus in Italiam intratur, id est clusas [5], inpositis firmasse praesidiis, atque omnes Italiae civitates in illius verba iurasse; quod ex parte verum, ex parte falsum erat. Ad quos motus comprimendos cum ex tota Galliâ atque Germania congregato summa [6] celeritate magno exercitu, imperator Italiam intrare festinasset, Bernhardus rebus suis diffidens, maxime quod se a suis cotidie deseri videbat, armis depositis, apud Cavillionem [7] imperatori se tradidit; quem caeteri secuti, non solum armis depositis se dediderunt, verum ultro et ad primam interrogationem omnia uti gesta erant aperuerunt. Huius coniurationis principes fuere Eggideo [8], inter amicos regis [9] primus, et Reginhardus [10] camerarius [11] eius, et Reginharius [12] Meginharii comitis filius, cuius maternus avus Hardradus olim in Germania cum multis ex ea provincia nobilibus contra Karlum imperatorem coniuravit. Erant praeterea et alii multi praeclari et nobiles viri, qui in eodem scelere deprehensi sunt, inter quos et aliqui episcopi, Anshelmus Mediolanensis, et Wolfoldus Cremonensis, et Theodulfus [13] Aurelianensis.

### DCCCXVIII.

Detecta fraude et coniuratione patefacta, ac sediciosis omnibus in potestatem suam redactis, imperator Aquasgrani revertitur, transactoque quadragesimali ieiunio, paucis post sanctum pascha diebus coniurationis auctores, qui superius nominati sunt, simul et regem [14] iudicio Francorum capitali sententia condemnatos, luminibus tantum iussit orbari, episcopos synodali decreto depositos monasteriis mancipari, caeteros, prout quisque vel nocentior vel innocentior apparebat, vel exilio deportari [15], vel detondi atque in monasteriis conversari. Atque his ita dispositis, ipse cum maximo exercitu Brittanniam adgressus, generalem conventum Venedis [a] habuit. Inde memoratam provinciam ingressus, captis rebellium munitionibus, brevi totam in suam potestatem non magno labore redegit. Nam postquam Mormanus [16], qui in ea praeter solitum Brittonibus morem regiam sibi vindicaverat potestatem, ab exercitu imperatoris occisus est, nullus Britto [17] inveniebatur, qui resisteret, aut qui imperata facere [18], aut qui obsides qui iubebantur dare rennueret. Qua expeditione completa, cum imperator, dimisso exercitu, Andecavos [19] civitatem esset reversus, Irmingardis [20] regina, coniux [21] eius, quam proficiscens ibi aegrotantem dimiserat, duobus diebus postquam ipse ad eam venit, morbo invalescente 5. Nonas Octob. [22] decessit. Eclypsis solis contigit 8. Idus Iulii. Imperator per Ratumagum [23] et per Ambianos et Camaracum [24] Aquasgrani ad hibernandum reversus, cum [25] Heristallium venisset, obvios habuit legatos Sigonis, ducis Beneventanorum, dona deferentes, cumque de nece Grimoldi ducis antecessoris sui excusantes. Erant ibi et aliarum nationum legati. Abodritorum videlicet ac Bornae, ducis Guduscanorum et Timocianorum [26], qui nuper a Bulgarorum societate desciverant et ad nostros fines se contulerant, simul et Liudewiti [27], ducis Pannoniae inferioris, qui res novas moliens, Cadolaum [28] comitem et marcae Foroiuliensis [29] praefectum crudelitatis atque insolentiae accusare conabatur [30]. Quibus ibi auditis atque dimissis, imperator Aquasgrani ad hiemandum profectus est.

### DCCCXIX.

Sclaomir, Abodritorum rex, ob cuius perfidiam ulciscendam exercitus Saxonum et orientalium Francorum eodem anno trans Albiam missus fuerat, per praefectos Saxonici limitis et legatos imperatoris qui exercitui praeerant, Aquasgrani adductus est. Quem cum primores populi sui, qui simul iussi venerant, multis criminibus accusarent, et ille rationabili defensione obiecta sibi refellere non valeret, exilio condemnatus est, et regnum Ceadrago, Thrasconis filio, datum. Simili modo et Lupus Centulli, Wasco, qui cum Berengario Tolosae et Warino Arverni comite eodem anno proelio conflixit — in quo et fratrem Garsandum [31] singularis amentiae hominem amisit [32], et ipse, nisi sibi fugiendo consule-

## VARIANTES LECTIONES.

1 exercitus trans albim 9. 2 eselsfeld 2? essefeld 3. esesflet 4. esefeld 6. eselfeldem 7. essesfeld 9. essesfeldum *B* 5. esesfeldum *B* 6. 3 gluomicusto 1. gluomus 7. 4 nordmannici 2. 5 clausas 3. 4. 5. 6. 6 cong. cum summa 9. 7 gavillonem *B* 5. cavillonem 3. *B* 6. cabillonem 7. 9. 8 egiddeo 3. 9 Inter omnes amicos 9. 10 reginhartus 9. 11 cubicularius 9. 12 reginhardus meginharii 1. 13 theodolfus 3. 14 sunt et bernhartum regem 9. 15 exilio proscribi 9. 16 marmamus *B* 6. 17 bretto 4. 18 faceret *B* 6. 19 andecaos 3. andecavis *B* 5. andegovis 6. andegavos 7. 9. 20 irmengardis 2. 21 regia coniux 4. 6. 22 VI. non. oct. *codex Arman.* 23 rothomagum 7. rotomagum 9. 24 cameracum 1. 5. 25 cumque 1. 26 timacianorum 2. 27 ludewici 4. 5. liudewiti *B* 5. ludowiti 6. liudewici 10. *B* 6. 28 calolaum *B* 5. 29 foroiulensis *B* 5. 30 conabant *B* 6. 31 garuhandum 9. garhardum 3. 32 hominem perdidit 9.

## NOTÆ.

a *Vannes.*

ret [1], prope interitum fuit — cum in conspectum imperatoris venisset, ac de perfidia, cuius a memoratis comitibus inmane [2] accusabatur, se purgare non potuisset, et ipse temporali est exilio deportatus [3]. Conventus Aquisgrani [4] post natalem Domini habitus, in quo multa de statu ecclesiarum et monasteriorum tractata atque ordinata sunt, legibus [5] etiam capitula quaedam pernecessaria [6], quia deerant, conscripta atque addita sunt. Quo peracto, imperator, inspectis plerisque nobilium filiabus, Huelpi [7] comitis filiam, nomine Iudith, duxit uxorem. Iterumque conventus mense Iulio apud Ingilunheim [8] palatium habitus, et exercitus de Italia in Pannoniam propter Liudewiti rebellionem missus, qui rebus parum prospere gestis, infecto pene negotio regressus est. Et Liudewitus [9] superbia elatus, legatos quasi pacem petendo ad imperatorem misit, conditiones quasdam proponens, ad [10] quarum concessionem ea quae iuberentur se facturum pollicebatur. Quas cum imperator non reciperet, aliasque ei per suos legatos proponeret, permanendum sibi in inchoata perfidia velut optimum iudicans, missis circumquaque legatis, vicinas iuxta [11] se gentes ad bellum sollicitare curavit. Timocianorum quoque populum, qui dimissa Bulgarorum societate ad imperatorem venire ac dicioni eius se permittere gestiebat, ne hoc efficeret [12], ita intercepit ac falsis persuasionibus inlexit, ut, omisso quod facere cogitabat, perfidiae illius socius et adiutor existeret. Exercitu vero de Pannonia reverso, Cadolah, dux Foroiuliensis, febre correptus in ipsa marca decessit. Cui cum Baldricus esset subrogatus, et in Carantanorum regionem, quae ad ipsius curam pertinebat, fuisset ingressus, obvium ibi habuit Liudewiti exercitum, quem iuxta Dravum [a] fluvium iter agentem parva manu adgressus, pluribus interfectis, et avertit, et de illa provincia fugavit. Borna vero, dux Dalmaciae, cum magnis copiis ad Colapium [13] [b] fluvium Liudewito ad se venienti occurrens, in prima congressione a Guduscanis deseritur; auxilio tamen praetorianorum suorum protectus, evasit. Periit in eo proelio Dragamosus [14] socer Liudewiti, qui in exordio defectionis, relicto genero, Bornae se coniunxerat. Guduscani domum regressi, iterum a Borna [15] subiguntur. At Liudewitus [16] occasionem nanctus, cum valida manu Decembrio mense Dalmatiam ingressus, ferro et igni devastat [igni cuncta d. *A. L.*]. Cui cum Borna se paenitus imparem [17] conspiceret, omnia sua castellis inclusit, et ipse cum delecta manu nunc a tergo, nunc a latere [18] insistens, Liudewiti copias [19] et noctu et interdiu quacumque [20] poterat laceravit, neque eum in sua provincia inpune versari permisit; ad extremum gravi damno adfectum regione sua coegit [21] excedere, tribus hominum milibus de exercitu illius interfectis, et trecentis vel eo amplius caballis captis, praeter sarcinas et spolia diversi generis direpta; quae qualiter gesta fuerint, per legatos suos imperatori nuntiare curavit. At in partibus occiduis Pippinus, imperatoris filius, iussu patris Wasconiam cum exercitu ingressus, sublatis ex ea seditiosis, totam eam provinciam ita pacavit [22], ut nullus in ea rebellis aut inoboediens remansisse videretur. Harioldus quoque iussu imperatoris ad naves suas per Abodritos reductus, in patriam, quasi regnum ibi accepturus, navigavit, cui se duo ex filiis Godofridi, quasi una cum eo regnum habituri, sociasse dicuntur, aliis duobus patria expulsis. Sed hoc dolo factum putatur. Imperator, conventu dimisso, primo Cruciniacum [23] [c], deinde Bingiam [d] veniens, secunda aqua Confluentem usque per Rhenum navigavit, inde Arduennam venandi gratia proficiscitur; venatorio quoque exercitio more solemni ibidem exacto, Aquasgrani ad hiemandum revertitur.

## DCCCXX.

Mense Ianuario conventus ibidem habitus [24], in quo de Liudewiti defectione deliberatum est, ut tres exercitus simul ex tribus partibus ad devastandam eius regionem atque ipsius audaciam coercendam mitterentur. Borna quoque primo per legatos, deinde ipse veniens, quid sibi facto opus esse videretur, suggessit. In eo conventu Bera, comes Barcinonae [25], qui iam diu fraudis et infidelitatis [26] a vicinis suis insimulabatur [27], cum accusatore suo equestri pugna confligere conatus, vincitur. Cumque ut reus maiestatis capitali sententia damnaretur, parsum est ei misericordia imperatoris, et Ratumagum exilio deportatus [28] est. Transacta hieme, ut primum herba pabulum iumentis praebere potuit, tres illi exercitus contra Liudewitum mittuntur. Quorum unus de Italia per Alpes Noricas, alter per Carantanorum provinciam, tercius per Baioariam et Pannoniam superiorem intravit: et duo quidem, id est dexter ac sinister, tardius ingressi sunt, eo quod unus Alpium transitu, hostium manu resistente, prohibebatur, alter et longitudine itineris et Dravo flumine quod traiciendum erat inpediebatur; medius autem, qui per Carantanos intrabat, quamquam in tribus locis

### VARIANTES LECTIONES.

[1] consuluisset 9. [2] inmane *deest* 9. immaniter 7. [3] exilio damnatus 9 [4] aquasgrani 1. [5] legimus 1. [6] necessaria 9. [7] huelpi 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *B* 5. 6. welpi 9. [8] ingilumheim 2. ingilenheim 4. gilenheim 6. in ingilenhaim *B*. 5. ingilheim. *B* 6. ingelheim 9. [9] est liudewitus vero 9. [10] proponens, quarum 1. [11] iuxta se *deest* 9. [12] hoc fieret 9. [13] colampium 4. 6. [14] dramagosus 5. 6 dragomosus 9. [15] a borna *deest* 1. [16] A liudewitus 1. [17] p. imperam 1. [18] nunc altare 1. [19] liudewit copias 1. [20] ubicunque 9. [21] affectus r. sua cepit e. 4. 5. 6. [22] paccavit 1. 5. [23] crucianacum *B* 5. crucianiacum 6. [24] i. est habitus 6. [25] barcinonçque 4. 5. barcinoneque 6. [26] infelicitatis *B* 5. [27] simulabatur 4. 5. 6. [28] exilio proscriptus 9.

### NOTÆ.

[a] Die Drave, *Drau*.
[b] Die Culpa.
[c] *Creuznach.*
[d] *Bingen.*

ea resisteretur, feliciore usus fortuna, ter hoste superato, Dravo etiam transmisso, celerius ad destinata loca pervenit. Contra haec Liudewitus nihil molitus, munitione tantum castelli quod in arduo monte construxerat, se suosque continuit, et nec belli nec pacis vel per semetipsum vel per legatos ullum cum [1] eis sermonem habuisse dicitur [2]. Exercitus vero postquam in unum convenerunt, totam pene regionem ferro et igni devastantes [3], haud [4] ullo gravi damno accepto, domum reversi sunt. Is tamen, qui per Pannoniam superiorem iter fecerat, in transitu Dravi fluminis ex locorum et aquarum insalubritate soluti ventris incommodo graviter adfectus est, et pars eius non modica hoc morbo consumpta est. Hi tres exercitus de Saxonia et B orientali Francia et Alamannia [5], Baioária quoque atque Italia congregati sunt. Quibus domum reversis, Carniolenses qui circa Savum [6] fluvium habitant et Foroiuliensibus paene contigui sunt, Baldrico se dediderunt; idem et pars Carantanorum, quae ad Liudewiti partes a nobis defecerat, facere curavit. Foedus inter nos et Abulaz, regem Hispaniae [7], constitutum et neutrae parti satis proficuum consulto ruptum, bellumque adversus eum susceptum est. In Italico mari octo naves negotiatorum de Sardinia ad Italiam revertentium a piratis captae ac dimersae sunt: de Nordmannia vero tredecim piraticae naves egressae, primo in Flandrensi litore praedari molientes, ab his qui [8] in praesidio erant repulsae sunt, ubi tamen ab eis propter custodum incuriam aliquot casae viles incensae, et parvus pecoris numerus C abactus est; in ostio Sequanae similia temptantes, resistentibus sibi litoris custodibus, quinque suorum interfectis, inritae recesserunt; tandem in Aquitanico litore prosperis usae successibus, vico quodam qui vocatur Bundium [a] [Buynbundium *A. L.*] ad integrum depopulato, cum ingenti praeda ad propria reversae sunt. Hoc anno propter iuges pluvias et aerem nimio humore [9] resolutum magna incommoda contigerunt. Nam et hominum et boum pestilentia tam inmane longe lateque grassata est, ut vix ulla pars totius regni Francorum ab hac peste inmunis atque intacta possit inveniri. Frumenta quoque et legumina imbrium adsiduitate corrupta, vel colligi non poterant vel collecta conputrescebant. Vinum etiam, cuius parvus proventus eodem anno D fuit, propter caloris inopiam acerbum [10] et insuave

A fiebat. In quibusdam vero locis de inundatione fluminum, aquis in plano stagnantibus, autumnalis satio ita impedita est, ut paenitus nihil frugum ante verni temperiem seminaretur. Luna defecit 8. Kal. Decemb. hora [11] noctis secunda. Imperator post peractum Carisiaci conventum autumnalemque venationem ex more completam Aquasgrani [12] reversus est.

DCCCXXI.

Conventus mense Febr. Aquis habitus, et in eo de bello Liudewitico tractatum, ac tres exercitus ordinati qui futura aestate perfidorum agros per vices vastarent. Simili modo de marca Hispana [13] constitutum, et hoc illius limitis praefectis imperatum est. Iterumque conventus mense Maio [14] Noviomagi habendus condictus est, comitesque qui illuc [15] venirent deputati. Eo [16] domnus imperator post festi paschalis expletionem per Mosam navigavit, ibique constitutam annis superioribus atque conscriptam inter filios suos regni [17] partitionem recensuit, ac iuramentis optimatum qui tunc adesse potuerant confirmavit, susceptisque ibidem Paschalis Romani pontificis legatis, Petro videlicet Centumcellensi episcopo et Leone nomenclatore, eisdemque [18] celeriter absolutis, comitibus etiam qui aderant, ad expeditionem Pannonicam destinatis, ipse paululum ibi remoratus [19], Aquasgrani reversus est. Et post paucos dies per Arduennam iter faciens, Treveros ac Mettis venit, indeque [20] Rumerici castellum petens, reliquum aestivi caloris et autumni dimidium exercitatione venatoria in Vosegi saltu atque secretis exegit [21]. Interea Borna, dux Dalmatiae atque Liburniae, defunctus est, et petente populo atque imperatore consentiente nepos illius, nomine Ladasclavus [22], successor ei constitutus est. Adlatum est et de morte Leonis Constantinopolitani imperatoris, quod conspiratione quorundam optimatum suorum, et praecipue Michaelis comitis domesticorum [23], in ipso palatio sit interemptus; qui suffragio civium et praetorianorum militum studio infulas imperii suscepisse [24] dicitur [25]. Fortunatus patriarcha Gradensis cum a quodam presbitero suo, nomine Tiberio, apud imperatorem fuisset accusatus, quod Liudewitum ad perseverandum in perfidia qua coeperat hortaretur, eumque ad castella sua munienda artifices et murarios mittendo iuvaret, et ob hoc ad palatium ire iuberetur;

VARIANTES LECTIONES.

[1] cum eis *deest* 9. [2] habuisse cum dicitur 1. [3] igne vastantes 9. [4] haut. 4. [5] alimannia 1. [6] qui carcasauum fluvium 3. 9. [7] regem saracenorum const. 9. [8] ab iis qui in 9. [9] umore 1. 2. 10. humore 3. 4. 5. 6. 7 9. *B* 5. 6. [10] aceruum 1. 2. 10. *B* 6. *reliqui* acerbum. [11] ora 1. [12] inmaniter... et intacta ... ex inundatione ... vernum tempus ... aquas 9. [13] hispana 1. 2. 3. 7. 10. hispania 4. *B* 5. 6. hyspania 5. 6. hispanica 9. [14] conventus maio 1. [15] comitesque illuc 1. [16] Eo anno 9. eodem tempore *B* 5. [17] regni *in hac voce deficit codex* 10. [18] iesdemque 1. [19] moratus *B* 6. [20] inde *B* 5. [21] egit *B* 5. [22] ladosclavus 6. ladasclao *B* 8. 9. [23] domesticorum insidiis in 9. [24] infulas imperii suscepisse dicebatur *dcest* 2. [25] dicebatur 9.

NOTÆ.

[a] Vicus incognitus; nam quod Valesius l. c., p. 103, *St. Paul de Born* trans Garumnam ad stagnum mari proximum situm intelligit, conjectura nititur, legendum esse *Born;* quod minime locum habet.

primo, velut iussionem impleturus, in Histriam [1] A profectus est, inde simulato reditu ad Gradum civitatem, nullo suorum praeter eos cum quibus hoc tractaverat suspicante, nanctus occasionem clam navigavit, veniensque Iaderam Dalmaciae civitatem, Iohanni praefecto provinciae illius fugae suae causas aperuit, qui eum statim navi impositum Constantinopolim misit. Medio mense Octobrio [2] conventus generalis apud Theodonis villam magna populi Francorum frequentia celebratur, in quo domnus [3] Hlotharius, primogenitus domni imperatoris Hludovici, Irmingardam [4], Hugonis comitis filiam, solemni more duxit uxorem. Illuc etiam legati sanctae Romanae ecclesiae [5], Theodorus primicerius ac Florus superista [6] [a], cum magnis venere muneribus. Adfuerunt [7] et comites in eodem B conventu iam de Pannonia regressi, qui, depopulata desertorum et Liudewito adhaerentium universa regione, cum nullus eis copiam [8] pugnandi fecisset, domum regressi sunt. Eminuit in hoc placito piissimi imperatoris misericordia singularis, quam ostendit super eos, qui cum Bernhardo nepote suo in Italia contra caput ac regnum suum coniuraverunt, quibus ibi ad praesentiam venire iussis, non solum vitam et membra [9] concessit, verum etiam possessiones iudicio legis in fiscum redactas magna liberalitate [10] restituit. Adalhardum quoque de Aquitania [11], ubi exulabat, evocatum, Corbeiae monasterio, ut prius fuerat, abbatem ac rectorem esse iussit, cum quo et Bernharium [12], fratrem eius, reconciliatum eidem monasterio reddidit; comple- C tisque his quae ob regni [13] utilitatem inchoaverat, et sacramento [14] quod apud Noviomagum pars optimatum iuraverat generaliter consummato, ipse Aquasgrani revertitur, filium autem Hlotharium post nuptias ritu solemni celebratas ad hiemandum Wormaciam [15] misit. De parte Danorum omnia quieta eo anno fuerunt, et Harioldus a filiis Godofridi in societatem regni receptus, quae res tranquillum inter eos huius temporis statum fecisse putatur [16]. Sed quia Ceadragus, Abodritorum princeps, perfidiae et cuiusdam cum filiis Godofridi factae societatis notabatur, Sclaomir, aemulus eius, in patriam remittitur, qui cum in Saxoniam venisset, aegritudine decubuit, perceptoque baptismi [17] sacramento, defunctus est. Autumnalis satio iugitate D pluviarum in quibusdam locis impedita est, cui hiems [18] in tantum [19] prolixa successit et aspera, ut non solum minores rivi ac mediocres fluvii, verum ipsi maximi ac famosissimi amnes, Rhenus videlicet ac Danubius, Albisque ac Sequana, caeteraque per Galliam atque Germaniam [20] oceanum petentia flumina adeo solida glacie stringerentur, ut tricenis vel eo [21] amplius diebus plaustra huc atque illuc commeantia velut pontibus iuncta sustinerent, cuius resolutio non modicum villis iuxta Rheni fluenta constitutis damnum intulit.

DCCCXXII.

In regione Thuringorum [22] quodam in loco iuxta fluvium [23], cespis [24] longitudine pedum quinquagenum, latitudine quattuordenum, altitudine [25] sesquipedali, de terra sine manibus et praecisus et sublatus est, et ab eo loco, in quo sumptus est, viginti quinque pedum spatio distans inventus est. Item in parte orientali Saxoniae quae Soraborum [26] finibus contigua est, in quodam deserto loco, iuxta lacum qui dicitur Arnseo [b], in modum aggeris terra intumuit, et limitem unius leugae [27] longitudine porrectum sub unius noctis spatio absque humani operis molimine ad instar valli subrexit [28]. Winigisus [29], dux Spolitinus [30], iam senio confectus, habitu saeculari deposito, monasticae conversationi se mancipavit, ac non multo post tactus corporis infirmitate decessit; in cuius locum Suppo, Brixiae [c] civitatis [31] comes, substitutus est [32]. Domnus imperator, consilio cum episcopis et optimatibus suis habito, fratribus suis, quos invitos tondere [33] iussit, reconciliatus est, et tam de hoc facto, quam et de his quae erga Bernhardum, filium fratris sui Pippini, necnon et his quae circa Adalhardum abbatem et fratrem eius Walahum [34] gesta sunt, publicam confessionem fecit et poenitentiam egit, quod tamen in eo conventu quem eodem anno mense Augusto Attiniaci habuit, in praesentia totius populi sui peregit; in quo quicquid similium rerum vel a se vel a patre suo factum [35] invenire potuit, summa devotione emendare curavit. Exercitus de Italia propter Liudewiticum bellum conficiendum in Pannoniam missus est, ad cuius adventum Liudewitus, Siscia [36] [d] civitate relicta, ad Sorabos, quae natio magnam Dalmatiae partem obtinere dicitur, fugiendo se

VARIANTES LECTIONES.

[1] histria 1. *reliqui* histriam *aut* hystriam. [2] octobri 9. [3] domnus *bis deest* 9. [4] irmingartham *B* 6. yrmingardam 6. irmingardim 9. irmengardam 2. [5] legati romani pontificis 9. [6] superista *deest* 9. [7] affuere 9. [8] ibidem copiam 9. [9] menbra *B* 5. [10] libertate 1. 5. 6. [11] equitania... chorbeiae *B* 6. [12] bernarium *B* 5. berenharium *B* 6. [13] iis quae ad regni 9. [14] sacramenta *B* 5. [15] uurmatiam *B* 5. warmatiam *B* 6. [16] putabatur 4. 5. 6. [17] baptissimi 1. baptismo *B* 6. baptismatis 9. 7. [18] hiem 1. [19] hiems tantum *B* 5. [20] germania 1. [21] tricenis eo *B* 5. [22] thoringorum 2. [23] iuxta quemdam fluvium *Bouq*. [24] cepsis 5. 6. [25] in altitudine *B* 5. [26] saraborum 5. solaborum *B* 5. sarabarorum 6. [27] leucae 9. [28] valli sustulit 9. [29] uinnigisus 1. [30] spoletanus 7. 9. spolitanus 4. 6. [31] civitatis *deest* 9. [32] in cuius locum s. b. c. c. s. est *deest* 4. 6. [33] tonderi 7. 9. [34] uualahun 4. uualaum 5. 6. uualachum 3. 9. gualachum 7. uualahuum *B* 5. [35] patre factarum 9. [36] sicia 2. sua *cod. Arman.* scissia *B* 9. scisia *B* 5. sciscia *B* 6.

NOTÆ.

[a] Superista proprie æditũus; inter pontificiæ aulæ officia pluries occurrit.

[b] Lacus *Arendsee*, in Marchia veteri.

[c] *Brescia*.

[d] *Sissek*.

contulit, et uno ex ducibus eorum a quo receptus est per dolum interfecto, civitatem eius in suam redegit dicionem [1]. Missis tamen ad exercitum imperatoris legatis suis, ad eius praesentiam se velle venire promisit. Saxones interea iussu imperatoris castellum quoddam trans Albiam in loco cui Delbende [a] nomen aedificant, depulsis ex eo Sclavis, qui illum [2] prius occupaverant, praesidiumque Saxonum in eo positum contra incursiones illorum. Comites marcae Hispanicae trans Sicorim [b] fluvium in Hispania profecti, vastatis agris et incensis compluribus villis, et capta non modica praeda, regressi sunt. Simili modo post aequinoctium autumnale a comitibus marcae Brittanicae in possessionem cuiusdam Brittonis [3] qui tum rebellis [4] extiterat, nomine Wihomarcus [5], expeditio facta, et omnia [6] ferro et igni vastata sunt. Peracto conventu quod [7] Attiniaci habebatur, domnus [8] imperator venandi gratia Arduennam petiit; Hlotharium vero filium suum [9] in Italiam misit, cum quo Walahum monachum, propinquum suum, fratrem videlicet Adalhardi abbatis, et Gerungum ostiariorum magistrum una direxit [10], quorum consilio et in re familiari et in negotiis ad regni commoda pertinentibus uteretur. Pippinum autem in Aquitaniam ire praecepit, quem tamen [11] prius filiam Theotberti [12] comitis Matricensis in coniugium fecit accipere, et post nuptias celebratas ad occiduas partes [13] proficisci. Ipse vero, peracta autumnali venatione, trans Rhenum ad hiemandum in loco qui Franconofurd [14] appellatur, profectus est, ibique generali conventu congregato, necessaria quaeque ad utilitatem orientalium partium regni sui [15] pertinentia more solemni cum optimatibus quos ad hoc evocare [16] iusserat, tractare curavit. In quo conventu omnium orientalium Sclavorum, id est Abodritorum, Soraborum [17], Wiltzorum [18], Beheimorum [19], Marvanorum [20], Praedenecentorum [21] [c], et in Pannonia residentium Avarum [22] legationes cum muneribus ad se directas audivit [23]. Fuerunt [24] in eodem conventu et legationes de Nordmannia, tam de parte Harioldi quam filiorum Godofridi; quibus omnibus auditis ac [25] dimissis, ipse in eodem loco, constructis ad hoc [26] opere novo aedificiis, sicut dispositum habuerat [27], hiemavit [28].

## DCCCXXIII.

Mense Maio conventus in eodem loco [29] habitus, in quo non [30] universi [31] Franciae primores, sed de [32] orientali Francia atque Saxonia, Baioaria [33], Alamannia [34] atque Alamanniae contermina Burgundia [35] et regionibus Rheno adiacentibus adesse iussi sunt. In quo inter caeteras barbarorum legationes, quae vel iussae vel sua sponte venerunt, duo fratres, reges videlicet Wiltzorum, controversiam inter se de regno habentes, ad praesentiam imperatoris venerunt, quorum nomina sunt Milegastus [36] et Cealadragus [37]. Erant idem filii Liubi regis Wiltzorum, qui licet cum fratribus suis regnum [38] divisum teneret, tamen, propterea quod maior natu erat, ad eum totius regni summa pertinebat. Qui cum, commisso [39] cum orientalibus Abodritis proelio, interisset [40], populus Wiltzorum filium eius Milegastum [41], quia maior natu erat [42], regem sibi constituit; sed cum is secundum ritum gentis commissum sibi regnum parum digne administraret, illo abiecto, iuniori fratri regium honorem deferunt [43]; quam ob causam ambo ad praesentiam imperatoris venerunt. Quos cum audisset, et gentis voluntatem proniorem in iunioris fratris honorem agnovisset, statuit, ut is delatam sibi a populo suo potestatem [populo potestatem, *A. L.*] haberet, ambos tamen muneribus donatos et sacramento firmatos in patriam remisit. Accusatus est in eodem placito apud imperatorem Ceadragus, Abodritorum princeps, quod se erga partem Francorum parum fideliter ageret, et ad imperatoris praesentiam iam diu venire dissimulasset, propter quod ad eum legati directi sunt, cum quibus ille iterum quosdam ex primoribus gentis suae ad imperatorem misit, perque illorum verba promisit, se ad proximum hiemis tempus ad illius praesentiam esse venturum. Hlotharius vero

### VARIANTES LECTIONES.

[1] redegit dominationem *B* 5. [2] qui illud 3. 7. 9. qui eum 6. [3] brettonis 4. [4] rebellis tunc 9. tunc rebellis 4. 7. [5] wihomarchus 9. [6] expeditione facta omnia 9. [7] conventu qui 7. 9. [8] domnus *deest* 9. [9] vero filium suum: *post haec verba duo codicis* 1. *folia exciderunt; pergit anno* 823 *in vocibus* (ipsi)us esset interfectus. Nunciatum. [10] una misit 9. [11] eum tamen 9. [12] theoberti 2. *B* 6. theodberti 6. thietberti 9. teutberti 7. [13] occiduas regiones 9. [14] rhenum hiematum ad franconofurt p. 9. [15] orientalium regni sui finium 9. [16] evocari 9. [17] saraborum 2. 4. 5. 6. *B* 5. 6. [18] uuilzzorum *B* 5. wilsorum 9. uuilzorum 5. 6. uultzorum 1. [19] behemannorum 9. boheimorum 6. bohemiorum 7. [20] moramorum 7. *deest* 4. maritanorum 3. [21] praedevecentorum *B* 6. predenescentorum 5. 7. [22] abarum 2. 3. 4. 5. *B* 5. 6. harum 6. [23] se missis excepit 9. [24] fuere 9. (3?) [25] auditis atque 9. [26] adhuc opere novo *B* 5. [27] hoc necessariis aed. novis quemadmodum secum statuerat 9. [28] hiemabat *B* 5. [29] conventus ibidem h. est 9. [30] non solum universi 5. 6. [31] universae 9. [32] sed et de 5. 6. [33] bauuuaria *B* 6. [34] alimannia ... alamanniae *B* 6. [35] conterminabilis burgundia et de 5. 6. [36] millegastus 4. 5. 6. meligastus 3. 9. milegatus 2. [37] cealagragus 5. cealadargus *B* 6. celeadragus 7. 9. [38] regnum suum d. 9. [39] qui ubi commisso 9. [40] proelio cecidisset Wilsi 9. [41] milegastum 2. 4. 7. *B* 5. 6. millegastum 5. 6. meligastum 3. 9. [42] qui maior erat 9. [43] detulerunt 9.

### NOTÆ.

[a] Delvunda fluvius est *die Stecknitz*, in ducatu Lauenburgico, inde ab oppido Molln usque in Albim, in cujus capite et silvam ejusdem nominis, jam *der Sachsenwald* nuncupatam, Adami Brem. Historia Ecclesiastica, lib. II, c. 9, agnoscit. Cum igitur Eginhardus de Albia mentionem nullam injiciat, castellum ad fluvium Stecknitz, in confinibus limitis Saxonici, et prope Molln, vel ipso in loco, constructum fuisse opinor.

[b] *Segre*, qui prope Mequinenzam Iberum influit.

[c] Eorum sedes infra anno 824 definiuntur.

cum secundum patris iussionem in Italia iustitias faceret et iam se ad revertendum de Italia praepararet, rogante Paschale papa Romam venit, et honorifice ab illo susceptus, in sancto paschali die apud sanctum Petrum et regni coronam et Imperatoris atque Augusti nomen accepit; inde Papiam regressus, mense Iunio ad imperatorem venit. Qui cum imperatori de iustitiis in Italia a se partim factis [1] partim inchoatis fecisset indicium, missus est in Italiam Adalhardus comes palatii, iussumque est, ut Mauringum [2] Brixiae comitem secum adsumeret, et inchoatas iustitias perficere curaret. Drogonem [3], fratrem eius, sub canonica vita degentem, Mettensi ecclesiae, clero eiusdem urbis consentiente atque eligente, rectorem constituit, eumque ad pontificatus gradum censuit promoveri [4]. In eodem conventu tempus et locus alterius conventus habendi condictus est [5], November videlicet mensis et Compendium palatium; peractoque [6] placito et dimissis primoribus [7], cum imperator iam inde digredi statuisset, adlatum est ei de interitu Liudewiti, quod relictis Sorabis, cum Dalmatiam [8] ad Liudemuhslum [9] avunculum Bornae ducis pervenisset, et aliquantum temporis cum eo moratus fuisset, dolo ipsius esset interfectus. Nunciatum est etiam, Theodorum sanctae Romanae ecclesiae primicerium et Leonem nomenclatorem [10], generum eius, in patriarchio Lateranense [11] primo excaecatos, ac deinde fuisse decollatos, et hoc eis [12] ob hoc [13] contigisse, quod se in omnibus fideliter erga partes Hlotharii iuvenis imperatoris agerent [14]; erant et qui dicerent, vel iussu vel consilio Paschalis pontificis rem fuisse perpetratam. Ad quod explorandum ac diligenter investigandum missi sunt Adalungus [15], abbas monasterii sancti Vedasti, et Hunfridus [16], comes Curiensis. Sed antequam illi fuissent profecti, venerunt legati [17] Paschalis pontificis [18], Iohannes episcopus Silvae-candidae et Benedictus archidiaconus sanctae sedis apostolicae, rogantes imperatorem, ut illam infamiam a pontifice auferret, qua ille in memoratorum hominum necem consensisse credebatur. Quibus cum ille iuxta quod ratio postulabat respondisset, eosque dimisisset, praedictos legatos suos ad investigandam [19] rei veritatem, sicut prius disposuit, Romam ire praecepit, ipse vero [20] reliquum aestatis tempus in pago Wormacense [21] ac deinde in Arduenna transigens [22], peracta autumnali venatione, ad Kal. Novembris sicut condixerat Compendium venit. Legati Romam venientes, rei gestae certitudinem adsequi non potuerunt [23], quia Paschalis pontifex et se [24] ab huius facti communione cum magno episcoporum numero iureiurando purificavit [25]; et interfectores praedictorum hominum, quia de familia sancti Petri erant, summopere defendens, mortuos velut maiestatis reos condemnavit [26], iure [27] caesos pronuntiavit [28], atque ob hoc cum praedictis, qui ad eum missi fuerant, legatis Iohannem Silvae-candidae episcopum et Sergium [29] bibliothecarium, Quirinum quoque subdiaconum ac Leonem magistrum militum ad imperatorem misit. Qui cum tam per illos quam per suos legatos de sacramento pontificis et excusatione reorum comperisset, nihil sibi ultra in hoc negotio faciendum ratus, memoratum Iohannem episcopum et socios eius ad pontificem, dato convenienle responso, remisit. Ceadragus [30] Abodritorum princeps pollicitationibus suis adhibens fidem, cum quibusdam primoribus populi sui Compendium venit, dilatique per tot annos adventus sui rationem coram imperatore non inprobabiliter reddidit. Qui licet [31] in quibusdam causis culpabilis appareret, tamen propter merita parentum suorum non solum inpunitus, verum muneribus donatus ad regnum redire permissus est. Venerat et Harioldus de Nordmannia, auxilium petens contra filios Godofridi, qui cum patria pellere minabantur, ob cuius causam diligentius explorandam ad eosdem filios Godofridi Theotharius [32] et Hruodmundus [33] comites missi fuerunt, qui et causam filiorum Godofridi et statum totius regni Nordmannorum diligenter explorantes, adventum Harioldi praecesserunt, et imperatori omnia quae in illis regionibus comperire potuerunt patefacerunt. Cum quibus et Ebo [34] Remorum archiepiscopus, qui consilio imperatoris et auctoritate Romani pontificis praedicandi gratia ad terminos Danorum accesserat, et aestate praeterita multos ex eis ad fidem venientes baptizaverat, regressus est. Hoc anno prodigia [35] quaedam extitisse narrantur, in quibus praecipua fuerunt in Aquense palatio terrae motus, et in territorio Tullense [36] iuxta villam Commerciacum [a] puella quaedam annorum fere 12 ab omni cibo per 10 menses abstinens. Et in Saxonia, in pago qui vocatur Firihsazi [37] [b] 23 villae igne coelesti concrematae, et fulgo-

### VARIANTES LECTIONES.

[1] partim factis *deest* 5. 6. [2] mauningum 4. magringum *corr.* maringum *B* 5. maringum 3. [3] dragonem 4. [4] promovendum 9. [5] indicta sunt 9. [6] Peracto itaque 9. [7] proceribus 9. [8] in dalmatiam 9. in delmatiam 7. [9] ludemuhslum 4. ludemuslum 6. a liudemislum *B* 5. liudemuslum 9. *B* 6. liudewislum 7. [10] clatorem 1. 2. [11] lateranensi 4. 5. 6. 7. 9. [12] hoc ideo eis 9. [13] eis hoc propter hoc 5. [14] imperatoris haberent 6. [15] adalangus 3. adalingus 4. adalgundus 6. [16] humfridus *B* 5. huntfridus 6. [17] ligati 1. [18] pontificis *deest* 9. [19] investigandum *B*5. [20] vero *deest* 9. [21] uurmacense *B*5. uuormacensi 4. 6. wormaciensi 9. warmacensi 7. [22] transiens 3. 5. 6. *B*5. 6. [23] potuere 9. [24] pontifex se 9. [25] purgavit 9. [26] condemnabat 9. [27] iureque 7. 9. 3. [28] pronunciabat 9. [29] serium bibliothecarium *B*6. [30] cedragus 1. 3. *B*5. [31] libet 1. [32] teotharius 2. theodarius 3. theotarius *B*5. theosarius *B*6. [33] rodtmundus 9. rovdmundus *B*6. hariolthmundus 4. 5. 6. ruodinandus 7. [34] quibus ebo 9. ebbo 7. *B*5. [35] prodigia de diversis prodigiis quaedam 1. *ita glossema ex margine in textum irrepsit.* [36] tullensse 1. tulense *B*5. tullense *B*6. *nonnulli* tullensi. [37] firihsazi 1. 3. firihsati *B*5. fiuhsazi *alii* stribsazi 7. stribsazi 4. 6. strisazi 5. frihsazi 2. 9. *B*6. firichsare *Annalista Saxo.* firicsaze *Chronogr. Saxo.* virsedi *Ch. Quedlinb.*

### NOTÆ.

[a] *Commercy* ad Mosam.

[b] Malo ignotum dicere quam cum recentioribus

ra sereno atque interdiu de coelo cadentia. * Et in multis regionibus fruges grandinis vastatione deletae [1], atque in quibusdam locis simul cum ipsa grandine veri lapides atque [2] ingentis ponderis decidere visi; domus quoque de coelo tactae, hominesque ac caetera animalia passim fulminum ictu praeter solitum crebro exanimata dicuntur. Secuta est ingens pestilentia atque hominum mortalitas, quae per totam Franciam inmaniter usquequaque grassata est, et innumeram hominum multitudinem diversi sexus et aetatis gravissime saeviendo consumpsit.

*[Et [3] in territorio Cumetensi [4] Italiae [5] civitatis in vico [6] Grabadona [7] [a] in ecclesia sancti Iohannis baptistae imago sanctae Mariae puerum Iesum gremio continens ac magorum munera offerentium in absida eiusdem ecclesiae depicta et ob nimiam vetustatem obscurata et pene abolita [8], tanta claritate [9] per duorum dierum spatia effulsit [10], ut omnem splendorem novae [11] picturae suae vetustatis [12] pulchritudine cernentibus penitus vincere videretur. Magorum [13] tamen imagines, praeter munera quae offerebant, minime claritas illa inradiavit. 9. B 5. 6. 9.]

## DCCCXXIV.

Rex Bulgarorum [14] Omortag [15] velut pacis faciendae gratia legatos ad imperatorem cum litteris misit, quos ille cum audisset, ac litteras quae allatae fuerant legisset, rei novitate [16] non inmerito permotus, ad explorandam [17] diligentius insolitae et numquam prius in Franciam venientis legationis causam Machelmum [18] quendam de Baioaria cum ipsis legatis ad memoratum regem Bulgarorum direxit. Interea hiemps aspera valdeque prolixa facta est, quae non solum caetera animalia, verum etiam homines quosdam inmanitate frigoris extinxit. Luna defecit 3. Nonas Mart. hora noctis secunda. Suppo dux Spolitinus decessisse nuntiatur. Legati Romani pontificis Romam regressi, eundem valida infirmitate detentum ac morti iam [19] proximum invenerunt, qui etiam paucis post adventum illorum exactis [20] diebus vita decessit. In cuius locum cum duo per contentionem populi fuissent electi, Eugenius tamen, archipresbiter [21] tituli sanctae Sabinae, vincente nobilium parte, subrogatus atque ordinatus est. Cuius rei nuntium cum Quirinus subdiaconus, unus ex his qui priori legatione fungebantur, ad imperatorem detulisset, conventu circiter 8. Kalendas Iul. pronuntiato [22] atque Compendio [23] habito, ipse ad Brittannicam [24] expeditionem per se faciendam animo intento, Hlotharium filium, imperii socium, Romam mittere decrevit, ut vice sua functus, ea quae rerum necessitas flagitare videbatur, cum novo pontifice populoque Romano [25] statueret atque firmaret. Et ille quidem [26] ad haec exsequenda post medium Augustum in Italiam profectus est, imperator vero iter quod in Brittanniam facere paraverat [27], propter famem quae adhuc praevalida erat, usque ad initium autumni adgredi distulit: tum demum, adunatis undique omnibus copiis, Redonas civitatem terminis Brittanniae contiguam venit, et inde diviso [28] in tres partes exercitu, duabusque partibus filiis suis Pippino et Hludowico [29] traditis, tertiaque secum retenta, Brittanniam ingressus, totam ferro et igni devastavit [30]; consumptisque in hac expeditione 40 [31] vel eo amplius diebus, acceptis quos [32] perfido Brittonum [33] populo imperaverat obsidibus, Ratumagum civitatem, ubi [34] coniugem se operiri iusserat, a. d [35] 15. [36] Kalendas Decemb. reversus est. Nam et illuc legatos Michaelis imperatoris qui ad eum mittebantur [37] sibi occurrere iussit, cum quibus et Fortunatus patriarcha Veneticorum [38] regressus, ad eius venit praesentiam. Sed legati imperatoris litteras et munera deferentes, pacis confirmandae causa se missos esse dicentes, pro Fortunato nihil locuti sunt; inter caetera tamen ad legationem suam pertinentia quaedam de imaginum veneratione protulerunt, propter quae se Romam ire, atque apostolicae sedis praesulem consulere debere dixerunt. Quos cum, legatione eorum audita ac responso reddito, absolveret, Romam, ut se velle dicebant [39], ducere iussit [40]. Fortunatum etiam de causa fugae ipsius percontatus, ad examinandum eum Romano pontifici direxit; ipse [41] Aquasgrani, ubi hiemare statuerat, profectus est. Quo cum venisset, et ibi natalem Domini celebrasset, adlatum est ei, quod legati regis Bulgarorum essent in Baioaria; quibus obviam mittens, ipsos quidem [42] usque ad tempus congruum ibidem fecit operiri [43]. Caeterum legatos

### VARIANTES LECTIONES.

[1] deleta 1 [2] lapides iique i. p. 9. [3] At in 7. [4] comensi 7. [5] italio *B*6. [6] in vico *deest B*6. [7] grabbadona *B*6. potestatem *B*6. [8] ippolita *B*6. obolita *B*5. vetustatem iam pene abolita 7. [9] celebritate *B*6. [10] evulsit *B*6. [11] nova *B*5. 6. [12] venustatis pulchritudinem cernentibus 7. [13] vincere diceretur vel vinceretur maiorum *B*6. [14] Rex Iulgarorum Non velut *B*5. Rex bulgarorum N. velut *B*6. [15] Omortag *deest* 7. 9 9 b. [16] regi novitate 1. [17] explorandum 2. 3. 5. 6. 7. 9. [18] michelinum 9. machelinum 7. machalmum 2. [19] ac morti etiam *B*5. [20] exactis *deest* 9. [21] tum archipresbyter 9. [22] *loco vocum* pronunciato atque compendio habito ipse ad brittanicam *in codicibus* 4. *et* 6. *medio relicto nonnisi* pronicam *legitur; in* 5 *desunt voces* pronunciato atque compendio. [23] compendii 3. 7. 9. [24] brittannicam *hic et infra* 1. 4. 5. 6. *B*5. 6. [25] atque romano populo 9. [26] Et… quidem *deest* 9. [27] facere instituerat 9. [28] et de diviso 1. [29] hludeuuibo 1. ludeuuico *B*5. [30] vastavit 9. [31] LX *typographi vitio Bouq.* [32] acceptis quod *B*5. [33] brantonum *B*6. [34] ibi 4. *B*5. [35] iusserat ad XV. 1. 2. 3. 4. 7. 9. *B*5. 6. 9 ad *deest* 5. 6. *facilis coniectura* « a. d. XV. kal. » [36] ad XII. *cod. Arman.* [37] qui ad eum mittebantur *deest* 9. [38] patriarcha gradensis 9. [39] ut se velle dicebant. romam 9. [40] romam ire iussit ut a pontifice examinaretur 9. [41] ipse vero 9. [42] quidem *deest* 9. [43] ibidem manere praecepit 9.

### NOTÆ.

nonnullis, qui chronici Quedlinburgensis lectionem *Wirsedi* sequuntur, pro Wolsatia seu Wursatia vendere. Inter pagorum Saxoniæ nomina Flethihi voci nostrae proxime accedit, multo magis tamen distat, quam ut pro eodem haberi possit.

[a] Ad ripam occiduam Larii, prope initium. Muratorii SS. T. X, p. CXXXI.

Abodritorum qui vulgo Praedenecenti vocantur, et A conterminis Bulgaris Daciam Danubio adiacentem incolunt, qui et ipsi adventare nuntiabantur [1], ilico venire permisit. Qui cum de Bulgarorum iniqua infestatione [2] quererentur [3], et contra eos auxilium sibi ferri deposcerent, domum ire, atque iterum ad tempus Bulgarorum legatis constitutum redire iussi sunt. Suppone apud Spoletium, sicut dictum erat, defuncto, eundem ducatum Adalhardus comes palatii, qui iunior vocabatur, accepit, qui cum vix quinque menses [4] eodem honore potiretur, correptus febre decessit. Cui cum Moringus Brixiae comes successor esset electus, nuntio honoris sibi deputati accepto decubuit, et paucis interpositis diebus vitam finivit. Aeblus [5] et Asinarius comites cum copiis Wasconum ad Pampilonam [6] missi, cum per- B acto iam sibi iniuncto negotio reverterentur, in ipso Pirinaei [7] iugo perfidia montanorum in insidias deducti ac circumventi, capti sunt, et copiae quas secum habuere, paene usque ad internicionem deletae: et Aeblus quidem [8] Cordubam missus, Asinarius vero misericordia eorum qui eum ceperant, quasi qui consanguineus eorum esset, domum redire permissus est. Hlotharius vero iuxta patris mandatum [9] Romam profectus, ab Eugenio pontifice honorifice suscipitur. Cui cum iniuncta sibi patefaceret, statum populi Romani iamdudum quorundam praesulum perversitate depravatum, memorati pontificis benivola [10] adsensione ita correxit, ut omnes qui rerum suarum direptione graviter fuerant desolati [11], de receptione [12] bonorum suorum, quae per C illius adventum Deo donante provenerat, magnifice sint [13] consolati. Hoc anno, paucis ante solstitium aestivale diebus, in territorio Augustodunense [14] aere in tempestatem subita mutatione converso, ingens fragmentum ex glacie simul cum grandine decidisse narratur, cuius longitudo quindecim, latitudo septem, crassitudo [15] duos pedes habuisse dicitur.

DCCCXXV.

Sacro paschali festo solemniter Aquisgrani celebrato, arridente etiam verna temperie [16], imperator venandi gratia Noviomagum profectus, legatos Bulgarorum circa medium Maium Aquasgrani venire praecepit. Nam sic illo [17] reverti statuit, habiturus D ibi [18] conventum, quem [19] de Brittania regressus, eo se tempore ibidem habere velle [20], optimatibus indicaverat. Quo cum peracta venatione fuisset reversus, Bulgaricam legationem audivit; erat enim de terminis ac finibus inter Bulgaros ac Francos constituendis. Adfuerunt in eodem conventu [21] paene omnes Brittaniae primores, inter quos et Wihomarcus [22], qui perfidia sua et totam Brittaniam conturbaverat, et obstinatione stultissima ad memoratam expeditionem illo faciendam [23] imperatoris animum provocaverat, tandem saniore usus consilio, ad fidem imperatoris, ut ipse dicebat, venire non dubitavit. Cui cum imperator, et ignosceret, et muneribus donatum una [24] cum ceteris gentis suae primoribus domum remeare permitteret, promissam fidem, ut prius consueverat, gentilitia perfidia commutavit, ac [25] vicinos suos incendiis et direptionibus in quantum potuit infestare non cessans, donec ab hominibus Lantberti [26] comitis in domo propria circumventus atque interfectus est. Imperator vero, audita Bulgarorum legatione, per eosdem qui ad eum missi fuerant legatos regi eorum missis litteris, prout videbatur respondit, dimissoque conventu, in Vosegum ad Rumerici [27] montem venandi gratia profectus, filium suum Hlotharium ex Italia regressum ibique ad se venientem suscepit, ac peracta venatione Aquasgrani rediens, generalem populi sui conventum more solemni mense [28] Augusto habuit. In quo conventu inter ceteras legationes quae de diversis partibus [29] venerunt, etiam et filiorum Godofridi [30] de Nordmannia legatos audivit, ac pacem quam idem sibi dari [31] petebant, cum eis in marca eorum mense Octobrio confirmari iussit [32]; completisque [33] omnibus negotiis quae ad illius conventus rationem pertinere videbantur, Noviomagum cum filio maiore secessit, minorem vero filium suum [34] Hludowicum in Baioariam direxit. Ipse [35] autem, autumnali venatione completa, circa hiemis initium Aquasgrani reversus est. In territorio Tullense [36] iuxta Commerciacum villam [37] puella quaedam nomine [38] ... annorum circiter 12. post sacram communionem, quam in pascha de sacerdotis manu sumendo perceperat [39], primo pane, deinde aliis omnibus cibis et potibus abstinendo, intantum ieiunasse perhibetur, ut nulla penitus corporis alimenta percipiens, sine omni victus desiderio plenum triennium [40] compleverit. Coepit autem ieiunare anno incarnationis dominicae 823, sicut in ipsius anni descriptione superius adnotatum est, et hoc anno, id est 825, circa Novembris mensis initium peracto ieiunio escam sumere ac more caeterorum mortalium manducando vivere coepit.

VARIANTES LECTIONES.

[1] nuntiabantur 1. [2] infestinatione 1. [3] a bulgaris inique infestari se q. 9. [4] mense 1. [5] Elbus *bis*, 5. 6. [6] pampilonem 2. 7. pompelonem 9. [7] perinei 1. [8] et aeblus quidem *usque anno* 825 vicinos suos incendiis et direptio *deest* 1. [9] patris praeceptum 9. p. imperium 5. [10] benevola 3. [11] desolati direptione 4. 6. d. de redemptione 5. d. de restitutione 9. [12] graviter f. d. de receptione *deest* 2. [13] magnifice sunt 2. *B* 5. 6. m. sint 4. 5. 6. 7. m. essent 9. [14] augustudunense *B* 5. [15] grossitudo 6. [16] verni 5. 6. verno tempore 9. [17] nam tunc illo 9. [18] ibidem 9. [19] quem 7. 9. *reliqui* quod [20] habiturum 9. [21] in eo conventu 9. [22] wiomarcus 3, wihomarchus 9. [23] illam faciendam 9. [24] una *deest* 9. [25] ac *deest* 7. 9. [26] lamberti 4. 5. 6. [27] rumerici arcem 9. rumericum 7. [28] mense *deest B* 5. [29] diversis regionibus 9. [30] godefridi 1. godifridi *B* 6. [31] dari *deest* 9. [32] confirmari fecit 9. [33] completis itaque 9. [34] filium suum *deest* 9. [35] Ipse *usque* reversus est *deest* 2. autem *deest* 9. [36] tulense *B* 5. 6. tulensi 4. 5. [37] cummarciacum villa 2. cummertiacum *B* 5. comerciacum *B* 6. [38] nomine de triennio, puellae ieiunio annorum *glossa in textum recepta* 1. nomine N. 2. *B* 6. [39] manu christiano more susceperat 9. [40] integrum triennium 9

## DCCCXXVI.

Cum regi Bulgarorum legati sui quid egerint renunciassent [1], iterum eum, quem primo miserat, ad imperatorem cum litteris remisit, rogans ut sine morarum interpositione terminorum [2] definitio fieret, vel si hoc non placeret, suos quisque terminos sine pacis foedere tueretur [3]. Cui imperator, quia fama erat Bulgarorum regem a suo quodam optimate aut regno pulsum aut interfectum, respondere distulit; illoque [4] expectare iusso, propter famae certitudinem comperiendam Bertricum palatii comitem ad Baldricum [5] et Geroldum [6] comites et Avarici limitis custodes in Carantanorum provinciam [7] misit, qui cum reversus nihil certi super his quae fama vulgaverat reportasset, imperator legatum ad se evocatum [8] sine litteris remeare fecit. Interea Pippinus rex, filius imperatoris, ut iussus erat, cum suis optimatibus et Hispanici limitis custodibus circa Kalendas Februarias Aquasgrani — nam ibi tunc imperator hiemaverat — venit, cum quibus cum de [9] tuendis contra Sarracenos occidentalium partium finibus esset tractatum atque dispositum [10], Pippinus in Aquitaniam regressus, aestatem in deputato sibi loco transegit [11]. Imperator vero medio mense [12] Maio Aquis [13] egressus, circa Kalendas Iunii ad Ingilungeim [14] venit, habitoque ibi conventu non modico, multas et ex diversis terrarum partibus missas legationes audivit et [15] absolvit. Inter quas praecipua caeterisque praeminens [16] erat legatio [17] sanctae sedis apostolicae, Romanae videlicet aecclesiae, qua fungebantur Leo Centumcellensis episcopus et Theofilactus nomenclator, et de partibus transmarinis [18] Dominicus abbas de monte Olivi, legati quoque filiorum Godofridi, regis Danorum, pacis ac foederis causa directi [19], et de Sclavorum regionibus quidam Abodritorum primores [20] Ceadragum ducem suum accusantes. Accusabatur et Tunglo [21], unus de Soraborum primoribus, quod et ipse dicto audiens non esset. Quorum utrique denuntiatum est, quod si medio Octobrio ad imperatoris generalem conventum venire distulisset [22], condignas perfidiae suae poenas esse daturum [23]. Venerunt et ex Brittonum primoribus, quos illius limitis custodes adducere voluerunt. Eodem tempore Herioldus cum uxore et magna Danorum multitudine veniens, Mogontiaci apud sanctum Albanum cum his quos secum adduxit baptizatus est, multisque muneribus ab imperatore donatus, per Frisiam, qua venerat via, reversus est. In qua provincia unus [24] comitatus qui Hriustri [25] vocatur, eidem datus est [26], ut in eum se cum rebus suis, si necessitas exigeret, recipere potuisset. Baldricus vero et Geroldus, comites ac Pannonici limitis praefecti, in eodem conventu adfuerunt [27], et adhuc de motu Bulgarorum adversum nos nihil se sentire posse testati sunt. Venit cum Baldrico presbiter quidam de Venetia, nomine Georgius, qui se organum facere posse asserebat [28]; quem imperator Aquasgrani cum Thancolfo [29] saccellario misit, et, ut ei omnia ad instrumentum [30] efficiendum necessaria praeberentur, imperavit [a]. Condictoque ac pronuntiato ad medium Octobrium generali conventu, caeteris omnibus more solemni absolutis, ipse trans Rhenum ad villam quae Saltz [31] vocatur cum suo comitatu profectus est. Ibi ad eum legati Neapolitanorum venerunt, atque inde, accepto responso, ad sua regressi sunt: ibi ad eius notitiam perlatum est de fuga ac perfidia Aizonis [32], quomodo fraudulenter Ausonam [33] [b] ingressus, et a populo illo quem dolo deceperat receptus, Rotam [c] civitatem [34] destruxit, castella eiusdem regionis quae firmiora videbantur communivit [35], missoque ad Abdiraman [36] regem Sarracenorum fratre suo, auxilium quod petebat, iussu eiusdem regis [37] contra nostros accepit. Sed imperator licet huius rei nuntium graviter ferret, nihil tamen inconsulte gerendum iudicans, consiliariorum suorum adventum statuit opperiri, transactaque autumnali venatione, circa Kal. Octob. per Moenum fluvium usque ad Franconovurd [38] secunda aqua navigavit. Inde ad Ingilunhaim [39]

### VARIANTES LECTIONES.

[1] egissent renunciarent 9. [2] sine mora terminorum 9. [3] tuerentur 9. [4] illo vero 9. [5] baldericum 9. [6] gerholtum 9. [7] provincia 1. [8] vocatum 7. 9. [9] c. quibus ubi de 9. [10] tractatum et conclusum 9. [11] regressus ibidem totam sequentem aestatem transegit 9. [12] mense *deest* 9. [13] aquisgrano 9. [14] ingeleheim 3. ingilinheim 4. gilenheim 6. ingilenheim 7. *B* 6. ingilenhaim *B* 5. ingelheim 9. [15] et audivit et 9. [16] praeeminens 9. [17] legatio romani pontificis 9. [18] de regionibus transmarinis 9. [19] causa missi 9. [20] abodritorum principes 9. [21] tungo 7. [22] distulerint 9. distulissent 7. [23] daturos 7. 9. [24] unus *deest* 9. [25] riustri 9. [26] Veritus autem piissimus imperator, ne ob tale factum negaretur ei habitatio naturalis, dedit ei quendam comitatum in frisia, cuius vocabulum est ruistri 7. [27] affuerunt et in eodem conventu baldericus et gerholtus c. ac p. l. p. 9. [28] organum more posse graecorum componere. Quem imperator gratanter suscepit, et quia deus illi quae ante se inusitata erant regno Francorum attribuebat, gratiarum actiones reddidit, ac tanculfo sacrorum scriniorum praelato commendavit, publicisque stipendiis curare iussit, et ea quae huic operi necessaria forent praeparare mandavit 7. *interpolatio ex vita Hludowici pii cap.* 40. [29] tancolfo 4. 6. thamcolfo 2. tanculfo 7. *B* 5. thangolfo *B* 6. [30] ad id instrumentum 9. [31] saltzuo *B* 5. salz 2. 3. 4. satz 5. 6. sels 9. [32] perfidia uuizonis *B* 5. p. iaconis *B* 6. [33] ausoniam 4. auzonam 6. ausollam *B* 6. [34] totam civitatem 2. 3. 7. 9, rotam *corr.* totam 5. rodam *Bouq. ex vita Hludovici*. rotam 1. 4. 6. *B* 5. 6 [35] munivisset . . . . accepisset 9. [36] abdirachman 9. thraman *B* 6. [37] iussu e. regis *deest* 9. [38] franconofurd 5. 6. *B* 5. franchonefurt *B* 6. [39] ingilunhaim 2. ingelenheim 3. ingilinheim 4. 5. 7. gilenheim 6. ingelheim 9. inginlinhaim *B* 5. ingulunheim *B* 6.

### NOTÆ.

[a] Cf. Einhardi Historiam translationis SS. Marcellini et Petri lib. IV, num. 75. Bolland. Act. SS. Jun. 2, pag. 201. Ibi Georgius hic « qui . . in Aquensi palatio organum, quod Græce hydraulica vocatur, mirifica arte composuit, » postea rector monasterii S. Salvii in vico Valentianis constitutus esse traditur.

[b] Vicus Ausonensis, *Vich* dictus.

[c] *Roda* ad fluvium Ter, ab occidente Gerundæ.

medio Octobrio veniens, generalem ibi, ut condi- A ctum erat [1], populi sui conventum habuit, in quo et Ceadragum Abodritorum ducem, necnon et Tunglonem, qui apud eum perfidiae accusabantur, audivit: et Tunglonem quidem, accepto ab eo filio eius obside, domum redire permisit, Ceadragum vero, ceteris Abodritis dimissis, secum retinuit [2], missisque ad populum Abodritorum legatis, si eum sibi vulgus regnare vellet, perquirere iussit; ipse autem Aquasgrani, ubi hiemare constituerat, profectus est. Cumque legati quos [3] ad Abodritos miserat, reversi nuntiassent, variam gentis illius super rege suo recipiendo sententiam, meliores tamen ac praestantiores [4] quosque de illius receptione concordare, acceptis ab eo quos imperaverat obsidibus, in regnum suum eum fecit restitui. Dum haec aguntur, B Hildoinus [5], abbas monasterii [6] sancti Dionisii martiris, Romam mittens, annuente precibus eius Eugenio sanctae sedis apostolicae tunc praesule [7], ossa beatissimi martiris Christi Sebastiani accepit, et ea apud Suessonam [8] civitatem in basilica sancti Medardi collocavit, ubi dum adhuc inhumata in loculo, in quo adlata fuerant [9], iuxta tumulum sancti Medardi iacerent, tanta signorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni [10] genere sanitatum per divinam gratiam in nomine eiusdem beatissimi martiris enituit [11], ut a nullo mortalium eorumdem miraculorum aut numerus conprehendi, aut varietas verbis valeat enuntiari; quorum quaedam tanti stuporis esse narrantur, ut humanae imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset, dominum C nostrum Iesum Christum, pro quo idem beatissimus martir [12] passus esse dinoscitur, omnia [13] quae vult facere posse per divinam omnipotentiam [14], in qua illi omnis creatura in coelo et in terra subiecta est.

DCCCXXVII.

Imperator Helisachar presbiterum et abbatem et cum eo Hildibrandum [15] atque Donatum comites ad motus Hispanicae marcae componendos misit. Ante quorum adventum Aizo, Sarracenorum auxilio fretus, multa eiusdem limitis custodibus adversa intulit, eosque adsiduis incursionibus in tantum fatigavit [16], ut quidam illorum, relictis quae tueri debebant castellis, recederent. Defecit ad eum et filius Berani [17], nomine Willemundus [18], nec non [19] et alii conplures novarum rerum gentilicia levitate cupidi, iunctique Sarracenis ac Mauris [20] Ceritaniam [a] et Vallensem [b] rapinis atque incendiis cotidie infestabant. Cumque ad sedandos ac mitigandos Gothorum atque Hispanorum in illis finibus habitantium animos Helisachar abbas cum aliis ab imperatore missus [21], multa et propria industria et sociorum consilio prudenter administrasset [22] Bernhardus quoque, Barcinonae comes, Aizonis insidiis et eorum qui ad eum defecerant [23] calliditati ac fraudulentis machinationibus pertinacissime resisteret, at- B que eorum temerarios conatus irritos efficeret, exercitus a rege Sarracenorum Abdiraman ad auxilium Aizoni ferendum missus Caesaraugustam venisse nunciatur, supra quem [24] Abumarvan, regis propinquus, dux constitutus, ex persuasionibus [25] Aizonis haud dubiam sibi victoriam pollicebatur. Contra quem imperator filium suum Pippinum, Aquitaniae regem, cum inmodicis Francorum copiis mittens, regni sui terminos tueri praecepit. Quod ita factum esset, ni ducum desidia quos Francorum exercitui praefecerat, tardius quam rerum necessitas postulabat, is quem ducebant [26] ad marcam venisset exercitus. Quae tarditas in tantum noxia fuit, ut Abumarvan [27], vastatis Barcinonensium ac Gerundensium agris villisque incensis, cunctis etiam quae C extra urbes invenerat direptis, cum incolomi exercitu Caesaraugustam se prius reciperet, quam a nostro exercitu vel videri potuisset. Huius cladis praesagia credita sunt visae multoties in coelo acies, et ille terribilis nocturnae coruscationis in aere discursus. Imperator autem, duobus conventibus habitis, uno apud Niumagum [28] propter falsas Hohrici [29], filii Godofrini regis Danorum, pollicitationes, quibus se illo ad imperatoris praesentiam venturum promiserat, altero apud Compendium, in quo et annualia

VARIANTES LECTIONES.

[1] indictum 9. [2] retenuit 1. *reliqui* retinuit. [3] quos abodritos 1. [4] optimos tamen ac praestantissimos 9. [5] hilduinus 9. [6] monasterii *deest* 9. [7] annuente praesule (*media desunt*) 4. 5. 6. [8] uessonam 1. 4. uessonem 2. uesonam 3. suessonam 5. 6. 7. *B* 5. 6. suessionam 9. *B*9. suessioniam *Chesn. Bouq.* [9] cum loculo vectatorio ut allatae sunt 7. *lectio ex Anonymi vita Hludowici cap.* 40. *derivata.* SEHLER. [10] omne 4. [11] emicuit 9. [12] beatissimus martir *deest* 9. [13] passus est, omnia 9. [14] per div. potentiam f. p. 9. est. Ipse autem venerabilis abbas praefatus Hilduinus inter plurima, quae ei augustali benignitate commissa fuerant, monasteria, habebat procurationem coenobii nobilis in prospectu urbis Suessorum, quod Clotharius, quondam rex Francorum, filiusque eius Sygebertus in honorem beatissimi Medardi confessoris Christi magnis construxerant sumptibus, in quo et eius sacratissima tumulaverant membra. Simili modo praedictus abbas post decessum Irminonis regebat locum sancti Vincentii levitae et martyris in suburbano urbis Parrhisiacae, ubi preciosus Christi confessor Germanus requiescit; quod Childebertus, rex quondam Francorum inclytus, frater praedicti regis Clotharii, aedificavit 7. [15] ildebrandum 2. hildebrandum 7. 9. [16] inc. adeo fatigavit 9. [17] berani 1. 2. 3. 4. 5. 6. *B* 5. 6. 9. heronis 9. berae 7. [18] willimundus *B* 6. [19] necnon *deest* 9. [20] ac mauris *deest* 9. [21] missis 9. [22] administraret 9. [23] eum fecerant 5. *B* 5. [24] super quem 9. [25] persuasione 9. [26] ducebat 3. [27] abumaruam 2. [28] niumagam 2. 5. 7. *B* 5, 6. mogiogam 6. noviomagum 3. 9. [29] horici 6. 9. honrici 7.

NOTÆ.

[a] *Cerdagne.*
[b] *Valles*, vallis fertilissima 28,000 passuum longitudinis 16,000 passuum latitudinis, ad orientem D fluminis Llobregat, e septentrione Barcinonæ. Petr. de la Marca, Marca Hispanica, pag 166.

dona suscepit, et his qui ad marcam Hispanicam [1] mittendi erant, quid vel qualiter agere deberent, imperavit, ipse inter Compendium et Carisiacum ceteraque his vicina palatia usque ad hiberni temporis initium conversatus est. Interea reges Danorum, filii videlicet [2] Godofridi, Herioldum de consortio regni eicientes, Nordmannorum [3] finibus excedere compulerunt. Bulgari quoque Sclavos in Pannonia [4] sedentes, misso per Dravum navali exercitu, ferro et igni vastaverunt, et expulsis eorum ducibus, Bulgaricos [5] super eos [6] rectores constituerunt. Eugenius papa mense Augusto decessit, in cuius locum Valentinus diaconus a Romanis et electus [7], et ordinatus, vix unum [8] mensem in pontificatu complevit, quo defuncto, Gregorius presbiter tituli [9] sancti Marci electus, sed non prius ordinatus est, usquam legatus imperatoris Romam venit [10], et electionem populi, qualis esset [11], examinavit. Legati Michahelis imperatoris de Constantinopoli [12] ad imperatorem [13] quasi propter foedus confirmandum missi, Septembrio mense Compendium venerunt, quos ille ibi benigne [14] receptos et audivit et absolvit [15]. Corpora beatissimorum martirum Marcellini et Petri de Roma sublata, et Octobrio mense in Franciam [a] translata, et ibi [16] multis signis atque virtutibus clarificata sunt [b].

## DCCCXXVIII.

Conventus Aquasgrani [17] mense Februario factus est, in quo cum de multis aliis causis, tum praecipue de his quae in marca Hispanica contigerunt, ratio habita, et legati qui exercitui praeerant culpabiles inventi, et iuxta [18] merita sua honorum [19] amissione multati sunt. Similiter et Baldricus [20], dux Foroiuliensis, cum propter eius ignaviam Bulgarorum exercitus terminos Pannoniae [21] superioris impune vastasset, honoribus quos habebat [22] privatus, et marca quam solus tenebat [23], inter quatuor comites divisa est. Halitgarius Camaracensis episcopus

A et Ansfridus abbas [24] monasterii Nonantulae Constantinopolim missi, et a Michaele imperatore, sicut ipsi inde reversi retulerunt [25], honorifice suscepti sunt. Imperator Iunio mense ad Ingilunheim villam [26] venit, ibique per aliquot dies placitum habuit, in quo, cum de filiis suis Hlothario et Pippino cum exercitu ad marcam Hispanicam mittendis consilium inisset, et id quomodo fieret ordinasset, missos [27] etiam Romani pontificis, Quirinum primicerium ac Theofilactum [28] nomenclatorem, qui ad eum illo venerant, audita illorum [29] legatione dimisisset, ad villam Franconofurd [30] profectus est, ibique aliquandiu moratus, Wormaciam venit, atque inde [31] Theodonis villam perrexit; de quo loco Hlotharium filium suum cum [32] magnis Francorum copiis ad Hispanicam B marcam direxit. Qui cum Lugdunum venisset, consedit, nuncium opperiens, qui se de Sarracenorum adventu faceret certiorem; in qua expectatione cum Pippino fratre conloquitur, et comperto quod Sarraceni ad marcam venire aut timerent aut nollent, redeunte in Aquitaniam fratre, ipse ad patrem Aquasgrani revertitur. Interea cum in confinibus Nordmannorum tam de foedere inter illos et Francos confirmando, quam de Herioldi rebus tractandum [33] esset, et ad hoc totius paene [34] Saxoniae comites simul cum markionibus [35] illo convenissent, Herioldus, rerum gerendarum nimis cupidus, condictam et per obsides firmatam pacem, incensis ac direptis [36] aliquot Nordmannorum villulis, inrupit. Quod audientes filii Godofridi, contractis subito copiis, ad C marcam veniunt, et nostros in ripa Aegidorae fluminis sedentes ac nihil tale opinantes transito flumine adorti, castris exuunt [37], eisque in fugam actis cuncta diripiunt, ac se cum omnibus copiis suis in sua castra recipiunt; deinde inito consilio, ut ultionem huius facti praevenirent, missa legatione ad imperatorem, quam inviti et quanta necessitate coacti id fecerint [38], exposuerunt, se tamen ad satisfactionem

### VARIANTES LECTIONES.

[1] marcham hispaniam *B* 5. 6. [2] filii scilicet 9. [3] nordusmannorum 2; *igitur ut in textu legendum.* [4] pannia 1. [5] bulgarios *B* 5. [6] bulgaricos eis 9. [7] romanis electus 7. 9. [8] unum *deest* 9. [9] tituli *deest* 9 [10] veniret.... examinaret 9. [11] qualis esset deest 9. [12] examinar. l. et m. i. de constantinopoli *deest* *B* 5. [13] ad imperatorem *deest* 9. [14] quos imperator benigne 9. [15] absolvit. Ipso tempore Heinardus, sui temporis prudentissimus virorum, sanctae devotionis incitatus ardore Romam misit, et corpora sanctorum Marcellini et Petri annuente papa in Franciam fecit transvehi, et valde decenter in proprio territorio propriisque sumptibus recondidit. Quorum meritis hactenus ibi Dominus multa operatur virtutum miracula 7. *interpolatio ex vita Hludowici cap.* 41. [16] translata ibi 9. [17] aquasgrani 1. *B* 5. 6. *reliqui* aquisgrani. [18] inventi iuxta 9. [19] merita honorum 9. [20] sunt. Baldericus etiam 9. [21] bulgari fines pannoniae 9. [22] quos habebat *deest* 9. [23] quam solus tenebat *deest* 9. [24] abba *B* 5. [25] sicut i. i. r. retulerunt *deest* 9. [26] villam *deest* 9. [27] ordinasset legatos 9. [28] theosylactum 1. [29] audita eorum 9. [30] franconouurd 4. franchonofurth *B* 6. franconofurt 9. [31] et inde 9. [32] filium cum 9. [33] tractatum *B* 5. [34] poene 1. [35] markionibus 1. 2. 3. *B* 5. marcionibus *B* 6. marchionibus *ceteri.* [36] pacem rupit incensis. . . . villis 9. [37] castris exciunt 1. castris exeunt 4. [38] facerent 9.

### NOTÆ.

[a] In Franciæ partem Germanicam.

[b] Translationis historiam ipse, qui corpora transferri curaverat, Eginhardus noster scripsit. (Cf. Acta SS. Bolland. die Junii 2) Refert in ea, partem reliquiarum jam sub finem anni præteriti Michilinstadum, indeque anno 827 die 17 Januarii Mulinheimum a se translatam, reliquam vero ab Hildoino abbate octo diebus post Pascha ibi redditam et per æstatem Aquisgrani servatam, tandem, postquam ipse ab imperatore in venationem solemnem profecto abeundi licentiam acceperit, Mulinheimum advectam atque sacris D corporibus iterum sociatam esse. Perfecta igitur, ut supra legitur, mense Octobri, translatione, Eginhardus Aquisgranum, ibidem hiematurus, regressus est. Hinc rei gestæ narrationem, qualem in annalibus et in translationis historia legimus, optime inter se cohærere quisque intelligit; et mirari subit, doctos illos viros qui annales nostros Eginhardo abjudicaverunt, eam tantum ob causam fugere potuisse, quod in historia translationis dies 17 Januarii, in annalibus October mensis translationis epocha sistatur.

esse paratos, et hoc in imperatoris esset [1] arbitrio, qualiter [2] ita fieret emendatum, ut de reliquo inter partes pax firma maneret. Bonifacius [3] comes, cui tutela Corsicae insulae tunc erat commissa, adsumpto secum fratre Berehario [4] nec non [5] et aliis quibusdam comitibus de Tuscia, Corsicam atque Sardiniam parva classe circumvectus, cum nullum in mari piratam invenisset, in Africam [6] traiecit, et inter Uticam atque Kartaginem [7] egressus, innumeram incolarum multitudinem subito congregatam offendit, cum qua et proelium conseruit, et quinquies vel eo amplius fusam fugatamque profligavit, magnaque Afrorum multitudine prostrata, aliquantis [8] etiam sociorum suorum per temeritatem amissis, in naves suas se recepit, atque hoc facto ingentem Afris timorem incussit. Luna Kalendis Iul [9]. primo diluculo in occasu suo defecit; similiter et in [10] 8 Kalendas Ianuarii, id est in natale Domini, media nocte obscurata est *. Imperator circa missam [11] sancti Martini Aquasgrani [12] ad hiemandum venit, ibique positus [13], totum hiberni temporis spatium in diversis conventibus ob necessaria regni negotia congregatis inpendit.

* [Ferunt in regione Wasconiae trans Garumnam fluvium in pago Aginense annonam pluere de coelo similem frumento, sed paululum breviora ac rotundiora grana habere, de qua domno imperatori adlatum est ad Aquis palatium 7. B 8. 9. 12.]

## DCCCXXIX.

Post exactam hiemem in ipso sancto [14] quadragesimali ieiunio, paucis ante sanctum pascha diebus, Aquasgrani [15] terrae motus noctu factus, ventusque tam vehemens coortus [16], ut non solum humiliores domos, verum etiam ipsam sanctae Dei genitricis basilicam, quam capellam vocant, tegulis plumbeis tectam, ex parte non modica denudaret. Imperator vero [17] in diversis occupationibus usque ad Kalendas Iul. [18] Aquasgrani [19] moratus, tandem ad generalem conventum Wormaciae habendum cum comitatu suo mense Augusto statuit proficisci. Sed priusquam inde promoveret [20], nuncium accepit, Nordmannos velle transalbianam Saxoniae regionem invadere, atque exercitum eorum [21] qui hoc facturus esset, nostris finibus adpropinquare. Quo nuncio commotus, misit in omnes Franciae partes [22], et iussit ut cum summa [23] festinatione tota populi sui generalitas [24] post se in Saxoniam veniret, indicans simul velle se apud Novesium [25] [a] medio circiter [26] Iulio Rhenum transire. Sed ubi vana [27] esse compererat, quae de Nordmannis fama disperserat [28], sicut prius dispositum habebat [29], medio mense [30] Augusto Wormaciam venit, ibique habito generali conventu, et oblata sibi annua dona solemni more [31] suscepit, et legationes plurimas, quae tam de Roma et Benevento, quam de aliis longinquis terris ad eum venerant, audivit atque [32] absolvit. Hlotharium quoque filium suum [33], finito illo [34] conventu, in Italiam direxit [35], ac Bernhardum comitem Barcinonae, qui eatenus in marca Hispaniae praesidebat, camararium [36] in palatio suo constituit. Aliis etiam causis [b], quae ad illius placiti completionem pertinere videbantur, congruo modo dispositis atque completis, populoque ad sua ire dimisso, ipse ad autumnalis venationis exercitium Franconovurdum [37] villam profectus est; qua transacta, ad hiemandum Aquasgrani reversus est, ubi et missam sancti Martini ac festivitatem beati Andreae [38] apostoli, necnon et ipsum sacrosanctum [39] dominicae nativitatis diem cum magna laetitia et exsultatione celebravit [c].

### VARIANTES LECTIONES.

[1] esse 9. [2] quatenus 9. [3] bonefacius 3. *B* 5. [4] beretbario 3. berchario 7. 9. bernhario 4. berenhario *B* 6. bernhardo 5. 6. [5] nec non *deest* 9. [6] in mari p. i. in afri *deest* *B* 6. [7] et Carthaginem 9. atque c. 6. atque chartaginem 2. atque cartaginem *B* 6. [8] aliquot 9. [9] kal. iunii 9. [10] et VIII. 9. [11] circa solemnitatem sancti 9. [12] aquisgrani 6. *B* 5. [13] positus *deest* 9. [14] sancto *deest* 9. [15] aquasgrani 1. *B* 6. [16] coortus est 9. [17] vero *deest* 9. [18] iunii 4. 6. [19] aquasgrani 1. 6. *B*5. 6. [20] moveret 9. [21] eorum *deest* 9. [22] franciae regiones 9. [23] ut summa 9. [24] sui multitudo in 9. [25] novensium 4. noviensium 5. 6. [26] circiter *deest* 9. [27] vanam 9. [28] dispersa erat 9. [29] sicut constitueral 9. [30] mense *deest* 9. [31] solemni more deest 9. [32] longinquis regionibus venerant et audivit et 9. [33] suum *deest* 9. [34] illo *deest* 9. [35] italiam misit 9. [36] camararium 1. 2. 4. 6. *B* 5. 6. [37] frauconouuardum 2. franconouurd 4. franconofurdum 6. *B*5. franchonofurdum *B* 6. ad franconofurt 9. in franconofurd 7. francofurdum 5. [38] reversus ibidem sancti martini atque beati andreae 9. [39] sacrum sanctum 2.

### NOTÆ.

[a] *Neus* contra Düsseldorf

[b] Carolo filio suo partem regni tribuit. Cf. Thegani cap. 35.

[c] Hæc ultima, quibus Eginhardus Aquis interfuit; nam mense Martio anni sequentis, post rebellionem Compendii ortam, Seligenstadum recedendi veniam petivit atque accepit, ita ut Annalium et vitæ ejus publicæ idem sit terminus.

# EGINHARDI [a] EPISTOLÆ.

## EPISTOLA PRIMA.

AD ANSGISUM [b].

Dilectissimo in Christo fratri, Ansgiso venerabili, sempiternam in Domino salutem.

Obsecro dilectionem tuam ut, non graviter, sed potius misericorditer et amicabiliter, accipere digneris quod apud te [c] pro necessitate quondam hominis nostri, nunc autem hominis domni Hlotharii, apud te intercedo, ut eum beneficium, quod ego illi dedi, sub qualicunque lege, sicut tibi placuerit, habere permittas, usque dum nos illi de altero beneficio, ex largitate dominorum nostrorum, aliquam consolationem, Domino adjuvante, facere potuerimus. Habebitis me magis promptum atque devotum ad vestram voluntatem atque utilitatem perficiendam, si meas petitiones in hac causa adimplere dignamini. Opto semper bene valeatis in Domino.

## EPISTOLA II.

AD GOZBERTUM ABBATEM. [d]

Religioso Christi famulo Gozberto, venerabili abbati, Eginhardus peccator.

Precor ut sanctitas vestra cognoscere dignetur de causa hominis istius, nomine Bebonis, quod ego beneficium illi dedi de monasterio [e] S. Chlodowaldi propter hoc qui mihi bene serviebat. Sed postquam eum domno Hlothario commendavi, impetravi a domno imperatore ut ei confirmationem faceret de eodem beneficio ad dies vitæ suæ. Propter hoc rogo et obsecro dilectionem vestram ne illi permittatis aliquid impedimentum fieri de ipso beneficio, donec nos, Domino volente, vobiscum loquamur. Hæc ideo vobis mando, quia cognosco quorumdam hominum pravam voluntatem et infinitam cupiditatem, qui de proximorum damnis nullam habent curam, in eo quod suæ avidissimæ cupiditati satisfacere valeant. Opto ut semper valeatis [in Domino].

## EPISTOLA III.

AD AMALHARIUM [f]

Reverentissimo Christi famulo Amalhario, Eginhardus peccator.

A Nescio quis prævenit adventum pueri vestri, qui mihi litteras vestras attulit, et effecit ut tibi mandaret [g]..... quatenus proximo Palmarum die ad imperatorem venisses. Sed postquam [h] litteras vestras accepi, et imperatorem, de his quæ voluisti, interrogavi, præcepit mihi vobis scribere ut sanctum Paschæ diem domi celebrassetis, et cæterum comitatum vestrum post vos venire juberetis, eo modo ut, quando ille ad vos in palatio venisset, mandatis acceptis, et ratione [i] legationis vestræ vobis insinuata, sine mora iter vestrum aggredi valeatis. Opto ut semper bene valeatis in Domino.

## EPISTOLA IV.

AD OTGARIUM [j] ARCHIEPISCOPUM.

B Domino sancto et merito venerabili Otgario, reverendo archiepiscopo, Eginhardus peccator.

Frater iste, nomine Werdricus, de congregatione S. Bonifacii [k] est, et conversatur apud nos per licentiam abbatis sui, pro eo quod noster propinquus est. Quem ideo nunc ad vos mittimus, ut eum ad diaconatus officium ordinare jubeatis, si videritis hoc canonice fieri posse per talem rationem, quæ continetur in epistola abbatis ejus, quam nuper ad me, cum eum de eadem causa consulerem atque rogarem, direxit; quam etiam vobis per eumdem fratrem ad legendum misi, in qua, ut arbitror, statim intelligere potestis utrum illa consecratio modo fieri possit, an in aliud tempus differenda sit. Oro et opto ut sanctitatem vestram, sibi devote servientem,
C superna gratia semper et ubique custodiat, sanctissime ac reverentissime pater.

## EPISTOLA V.

AD JACOBUM EPISCOPUM [l].

Venerabili in Christo Jacobo, reverentissimo episcopo, Eginhardus peccator.

Iste clericus, nomine Otmarus, detulit mihi litteras sanctitatis vestræ, in quibus me rogastis ut eidem clerico licentiam darem vobiscum manendi, qui in hac regione et natus et nutritus est. Et ego quali-

[a] Has epistolas ex vetusto codice ms. Laud mensi primum vulgavit Andreas Chesnius tom. II script. Franc., pag. 695. In illis edendis nulla servatur ratio temporum. Eginhardus, cœlibatu cum uxore Imma servato, plures rexit abbatias. Obiisse creditur anno 839.

[b] Ansegisus ex nobili Francorum prosapia originem ducens, Fluviacense S. Geremari cœnobium a Carolo Magno anno 807 precario accepit. Anno 817 Luxoviense monasterium ei commissum est, et anno 823 Fontanellense, cedente Eginhardo. Obiit anno 833.

[c] Sic codex et edit.; sed juxta dominum Teulet redundant hæ voces, *apud te*, quia paucis interpositis vocibus sunt repetita.

[d] Gosbertus abbas S. Galli anno 816 electus, anno 837 vel insequente mortuus est.

[e] Hoc de monasterio S. Clodoaldi prope Parisios situ vix potest intelligi.

[f] Hic Amalarius esse videtur Mettensis presbyter, qui libros quatuor de divinis seu ecclesiasticis Officiis, et alterum de ordine psalmorum seu antiphonarii scripsit.

[g] Vel potius *mandarem*. Pro punctis supplevit
D dom. Teulet, vocem, *cito*.

[h] Ante has voces, *litteras vestras*, addit Teulet *istas* ex codice.

[i] Amalarius anno 827 ad Gregorium papam quartum a Ludovico Pio missus est, ut ipse scribit in prologo ad Antiphonarium.

[j] Otgarius seu Autcarius ex abbate Veissenburgensi Moguntinus archiepiscopus anno 826 consecratus est. Vivere desiit anno 847.

[k] Id est, de cœnobio Fuldensi.

[l] Ex codice Laudunensi quintæ epistolæ adjecit Teulet hunc titulum, *De ordinatione*.

tatem causæ considerans, decrevi assensum præbere A petitioni vestræ, eo videlicet modo, ut idem clericus, cum suis fratribus et matre, sicut rogastis, licentiam habeant vobiscum manendi, et censum suum annis singulis persolvant ad [a] S. Servatium, sicut eis a fratribus nostris constitutum est. De ordinatione vero ejusdem clerici in vestra sit potestate, ut inde faciatis quicquid vobis optimum esse videbitur : quia vos et mores et conversationem illius cognoscitis, et scitis utrum ad aliquem ordinem sacrum suscipiendum [b] idoneus sit. Opto sanctitatem vestram, nostri memorem, semper in Christo bene valere.

## EPISTOLA VI.

### AD EGILOLFUM [c] ET HUNBERTUM.

Dilectissimis in Christo fratribus et devotis Christi B famulis, Egilolfo et Hunberto, æternam in Domino salutem.

Scio vos non latere quod bonæ memoriæ Wolfgarius episcopus [d], me petente, beneficiavit homini nostro Gerberto, in pago Dubargawe, in loco qui dicitur Asgbah, de ratione S. Kiliani, mansos III et mancipia XII. Sed quia in hoc diutius manere non potuit, nisi dum ille in corpore vixit, precor benignitatem vestram ut memoratum Gerbertum illud beneficium habere permittatis, sicut modo habuit, usque dum in hac sede episcopus fuerit ordinatus ; et inter me et illum convenerit quid de ipso beneficio fieri debeat in futurum. Opto ut semper bene valeatis in Domino.

## EPISTOLA VII.

### AD POPPONEM COMITEM.

C

Magnifico et honorabili atque illustri viro Popponi glorioso [e] comiti, Eginhardus in Domino salutem.

Homines [f] confugerunt ad limina beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, fatentes se culpabiles esse, qui in præsentia vestra convicti fuerunt quodam [g] furto quod commiserunt furando feramina in dominica foreste [h] : cujus partem compositionis jam solverunt, et adhuc solvere [i], sed, ut asserunt, non habent unde solvere propter paupertatem suam. Proinde precamur benignitatem vestram ut eis, propter amorem Christi martyrum ad quos confugerunt, in quantum possibile est, parcere dignemini, ne penitus pereant per hujusmodi culpam, sed potius sen- D tiant sibi apud vos profuisse quod ad sanctorum martyrum sepulcra confugerunt. Opto ut semper bene valeatis in Domino.

## EPISTOLA VIII.

### AD OTGARIUM ARCHIEPISCOPUM.

Domino sancto et merito venerabili Otgario [j], reverendissimo episcopo.

Presbyter quidam, nomine Hruodradus, venit ad me dicens se esse de fisco vestro Manniaco, et accepisse licentiam a chorepiscopo vestro et cæteris fratribus Romam pergendi, et hoc in mense martio ; sed post, cum venisset ad Mogontiacum, non potuisse invenire homines cum quibus illud iter peragere potuisset : ac propter hoc divertit ad quemdam pagensem nostrum, qui ei cognitus fuerat, nomine Hildebertus, et mansit apud eum donec inveniret homines Romam euntes ; quos se nunc inventos habere dicit, et rogavit me ut apud vos impetrarem ei licentiam illud iter peragendi. Vult enim, sicut ipse asserit, illud iter quam celerrime potuerit, peragere, et ad locum suum reverti. Propter hoc precor sanctitatem vestram ut ei, sicut ipse rogat, licentiam donare dignemini, et ut illi non noceat quod tamdiu inter vias moratus est, quia, multis impedimentis accidentibus, invitus fecit quod emendare non potuit. Optamus sanctitatem vestram, nostræ imbecillitatis memorem, semper in Christo bene valere, sanctissime ac reverentissime pater.

## EPISTOLA IX.

### AD GEBOINUM [k] PALATII COMITEM.

Dilectissimo fratri Geboino, glorioso comiti palatii, Eginhardus in Domino salutem.

Rogo dilectionem vestram ut hunc pagensem nostrum, nomine David, necessitates suas tibi conferre volentem, exaudire digneris ; et, si causam ejus rationabilem esse cognoveris, locum ei facias ad domnum imperatorem se reclamare. Est enim idem homo domni Hlutharii [l] ; et ideo, non tantum propter petitionem meam, sed propter honorem et amorem senioris sui, debes illum adjuvare. Opto ut te sanum et incolumem cito videre merear.

## EPISTOLA X.

### AD HETTI [m] ARCHIEPISCOPUM.

Domino sancto et merito venerabili Hetti, reverentissimo archiepiscopo, Eginhardus peccator.

Sicut ex litteris sanctitatis vestræ vos velle cognovimus, ita sine dilatione facere curavimus, mittendo videlicet vobis reliquias, quas vos habere velle ad dedicationem novæ basilicæ vestræ scripsistis. Et quidem libenter id fecimus, qui talem fiduciam in vobis habemus, ut quæcunque particula

[a] Id est, S. Servatii monasterio Trajectensi ad Mosam.

[b] D. Teulet habet : *ad aliquam ordinationem sacram suscipiendam.*

[c] Forte legendum *Heistolphum*, qui erat archiepiscopus Moguntinus, cujus suffraganeus Humbertus episcopus Wirziburgensis.

[d] Is erat Wirziburgensis episcopus, cui forte successit Humbertus.

[e] D. Teulet habet ex codice, *gratioso.*

[f] Ante *homines* addidit Teulet hæc verba : *ano pauperes.*

[g] Ante *quodam*, idem doctus addit *de.*

[h] Sic codex, sed Teulet *foresta.*

[i] *Deberent* supplet Teulet, et codex fert *debberent.* Editi hanc vocem omiserunt.

[j] Post D. Bouquetium et Teulet ad Otgarium directam fuisse hanc epistolam putavimus. Prior edidit ut codex ms. *Domino sancto R. G. R. O. rever.*

[k] Fortasse ille est Gibuinus, qui ex comite monachum induit in Rhemensi S. Remigii cœnobio.

[l] Tulet, *Hlotharii.*

[m] Hetti ex abbate Mediolanensi factus est Trevirorum antistes anno 814. Mabillonius qui libro XXXIII Annal. Bened., num. 60, in anno 847 ejus obitum collocat, illum differt usque ad annum 851, lib. XXXIV, num. 35.

de sacris beatorum martyrum cineribus ad vos pervenerit, talis ei honor exhibeatur, qualem totis eorum corporibus exhibere debueramus, nisi desidia et negligentia a debito illis honore retardaret. Quod autem per nos cognoscere voluistis, minime vos de his certiores reddere valemus, quia pene nihil inde ad nostram notitiam scietis pervenire; neque nos de his magnopere curiosi sumus de quorum cognitione nullam utilitatem et parvam percipimus voluptatem. Optamus sanctitatem vestram, nostræ imbecillitatis memorem, in Christo semper bene valere, sanctissime et reverentissime pater.

## EPISTOLA XI.

AD HRUOTBERTUM COMITEM.

Magnifico et honorabili atque illustri viro Hruotberto, glorioso comiti, æternam in Domino salutem.

Rogo benignitatem vestram ut mihi mandare dignemini quid vobis placeat vel [a], ut modo fieri debeat de causa Alahfridi, hominis nostri, utrum ex toto dimittenda sit, an ille adhuc sperare debeat quod [b] ad suam justitiam, per vestrum adjutorium, pervenire mereatur. Nam ego totam causam, et qualiter a vobis per veraces homines inquisita est, simul cum Adalhardo et Gebuino comitibus palatii, domno imperatori indicavi : et ille respondit mihi, mirum sibi videri cur illa causa jam finita non fuisset. Ideo precor dilectionem vestram ut non mihi mandare dedignemini [c], quid prædictus homo noster de ipsa sua causa facere debeat. Opto ut semper bene valeatis in Domino.

## EPISTOLA XII.

AD LIUTHARDUM PRESBYTERUM ET EREMBERTUM VICEDOMINUM.

In Christi nomine, Eginhardus abbas, Liuthardo presbytero et Eremberto vicedomino, fidelibus nostris, in Domino salutem.

Notum sit vobis quod nos Willibaldo presbytero, fideli, ut credimus, nostro, injunctum habemus ut censum nostrum recipiat ab hominibus nostris, tam apud S. Bavonem quam in Blandinio monasterio. Propter hoc mittimus illum ad vos, quia volumus ut ei adjutorium faciatis ut eumdem censum et pleniter et in bono argento recipiat [d]. Opto ut semper bene valeatis in Domino.

## EPISTOLA XIII.

AD POPPONEM COMITEM.

Magnifico et honorabili atque illustri viro Popponi, glorioso comiti, Eginhardus sempiternam in Domino salutem.

Dictum est mihi quod me rogasses ut de tribus capitulis te certum facerem : quod utique mihi ad

A faciendum de uno illorum difficile est, id est, femina, quam tu melius quam ego nosti, si a te, sine culpa, in conjugium possit assumi. Nam de dispensa, quam in Aquis accepistis, nullam volo aliam retributionem nisi amicitiam tuam. De Jopila vero, quando insimul fuerimus locuti, juxta quod tunc inter nos convenerit, facere paratus sum : et ideo tibi modo plura per litteras meas indicare non possum. Opto ut semper bene valeas in Domino.

## EPISTOLA XIV.

AD GERWARDUM [e] BIBLIOTHECARIUM.

Dilectissimo fratri Gerwardo, Eginhardus sempiternam in Domino salutem.

Dubium mihi est utrum de te sentire debeam,
B quod aut litteras meas non intellexisses, aut de periculo meo non curasses? Sed facilius in eum sensum adducar [f] ut arbitrer propter aliquas occupationes scripta mea a te parum diligenter lecta et intellecta fuisse, quam ut credam charitatem tuam comminati mihi periculi curam non habuisse. Hortaris enim, imo consilium das, ut, omissis martyrum excubiis, quibus indesinenter adesse et interesse jussus sum, palatium petam; cum mihi septem dierum absentia pœnalis futura denuntiata sit : quæ non solum in mora in palatio facienda, sed ne in itinere, quod ad palatium pergendum est, caveri potest, præsertim a me qui, tam propter viæ difficultatem quam corporis imbecillam valetudinem, raro celerius quam septem dierum spatio de Aquis ad
C martyrum limina potui pervenire. Sed jam nunc rogo atque obnixe deprecor ut scriptum, quod tibi misi, iterum relegere atque intelligere [g], mihique, sicut te jam dudum per litteras meas rogavi, quid tibi de illa revelatione atque mandatis, quibus obstrictus sum, videatur, rescribere non graveris. Non deerunt perlatores, si hoc quod scripseris Bonotto, vicedomino nostro, mittere volueris. Opto vos semper bene in Domino valere [h], charissime atque amantissime frater et domine.

## EPISTOLA XV.

IN PERSONA BOMÆ AD BLIDTHRUT.

Dilectissimæ sorori Blidthrut, Boma [i] amica et bene cupiens tua, æternam in Domino salutem.

D Quidam servus vester de Makesbah, nomine Wenilo, quamdam liberam feminam accepit sibi in conjugium, et modo timendo iram vestram, simul et domini sui Albini, confugit ad limina sanctorum Marcellini et Petri. Pro quo rogo charitatem tuam ut mea vice apud illum intercedere digneris, quatenus ei liceat, cum sua et tua gratia, feminam illam quam accepit, habere. Opto ut semper bene valeatis [j].

[a] Codex et Teulet comma et vocem *vel* non habent.
[b] Teulet *ut*.
[c] Melius habet Teulet, *Ut nunc mihi mandare dignemini*.
[d] D. Teulet hunc locum in editis turbatum et a Dom. Bouquetio omissum sic restituit : *Et cum receptus fuerit, volumus ut vos illum ad hoc adjuvetis ut eum ad nos perferre valeat.*

[e] Gerwardus iste bibliothecarius erat palatii.
[f] Codex, *adducor*.
[g] D. Teulet. addit *velis*.
[h] Teulet habet ex codice, *opto ut semper bene valeas*.
[i] Pertzius, hic pro *Boma*, *Imma*, nomen Eginhardi uxoris, legendum putat.
[j] Teulet addit, *in Domino*.

## EPISTOLA XVI.

AD HATTONEM COMITEM.

Dilectissimo amico nostro Hattoni, glorioso comiti, Eginhardus æternam in Domino salutem.

Quidam homo vester, nomine Hunno, venit ad limina sanctorum Marcellini et Petri, veniam postulans pro eo quod conservam suam, ancillam vestram, sibi in conjugium sociasset sine vestra jussione. Propter hoc precamur benignitatem vestram ut a vobis indulgentiam de hoc facto percipere mereatur, si delictum ejus venia dignum fuerit inventum. Opto ut semper bene valeatis in Domino.

## EPISTOLA XVII

AD HRABANUM [a] ABBATEM.

Reverentissimo Christi famulo Hrabano, venerabili abbati, Eginhardus peccator.

Quidam homo vester, nomine Gundhartus, rogavit nos pro se apud vestram sanctitatem intercedere, ut, sine offensione vestra, immo cum gratia vestra, sibi liceat iter exercitale, quod præsenti tempore agendum est, omittere, ac domi manere [b]; asserens se ad hanc remansionem magna cogi necessitate, pro eo quod faidosus sit, et cum inimicis suis et his, qui vitæ ejus insidiantur, hoc iter agere non audeat, præsertim cum illo comite, cum quo ire jubetur, quem sibi dicit esse inimicissimum. Ideo rogat ut eum in tantum periculum vestræ jussionis auctoritas non impellat : sibi curæ esse, seque providere ut cum exactore heribanni, si venerit, et eum compellaverit, sine vestro labore se pacificet. Non vos rogarem de hac causa, nisi angustias ejus atque pericula comperta haberem. Opto ut semper bene valeatis.

## EPISTOLA XVIII.

AD MARCHRADUM VICEDOMINUM.

Dilecto amico nostro Marchrado, [c] vicedomino, Eginhardus æternam in Domino salutem.

Duo servi S. Martini, de villa Hedabach, nomine Willirannus et Otbertus, fugerunt [d] ad limina beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, pro eo quod frater eorum quemdam socium suum occidisset : rogantes ut eis liceat solvere illum weregeldum pro fratre suo, et ut ei membra perdonentur. Proinde rogamus dilectionem tuam ut, in quantum possibile est, ei parcere digneris propter amorem Dei et sanctorum ejus, ad quorum limina confugerunt. Opto ut semper bene valeas in Domino.

## EPISTOLA XIX.

IN PERSONA HLUDOWICI IMPERATORIS, AD G. COMITEM.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus, divina ordinante providentia, imperator augustus, G. comiti.

A Notum sit tibi quia volumus ut, quando hæc epistola nostra ad te venerit, statim sine ulla dilatione, præpares te ad hoc ut, xv kal. januarii, id est vi diebus ante Natale Domini, obviam misso nostro H. venias in villa nostra quæ dicitur Heilambrunno : et quidquid ille tibi de verbo nostro, simul cum aliis comitibus et fidelibus nostris, ad faciendum injunxerit, facere studeas, et taliter exinde agas, qualiter in tua fidelitate bonam habemus fiduciam. Bene vale.

## EPISTOLA XX.

IN PERSONA HLUDOWICI IMPERATORIS, AD H. EJUS FIDELEM.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludowicus, ordinante divina providentia,
B imperator augustus, H. fideli nostro.

Notum sit tibi quod volumus ut unum de aliis tuis, vasallis nostris, quem tu noveris quod hoc melius facere possit, præparatum esse jubeas, ut, quando R. comes et H. missus noster per illum nobis aliquid mandare voluerint, sine mora vel tarditate, ad Turones pergere possit ; quia ibi aut nos ipsos, aut dilectam conjugem nostram, Domino volente, inventurus est. Vide ut nullam exinde habeas negligentiam, si gratiam nostram velis habere. Opto ut semper bene valeas in Domino.

## EPISTOLA XXI.

IN PERSONA HLUDOWICI IMPERATORIS, AD T. EJUS FIDELEM.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu
C Christi, Hludowicus, divina ordinante providentia, imperator augustus, T. fideli nostro.

Notum sit tibi quod volumus ut ad hoc te præpares ut, quandocumque HRT. [e] comes et H. missus noster per te nobis aliquid mandare voluerint, statim, sine mora vel aliqua tarditate, cum ipso mandato, ad Turonos [f] pergere possis : quia ibi aut nos ipsos, aut dilectam conjugem nostram, Domino volente, inventurus es. Vide ut nullam exinde habeas negligentiam, si gratiam nostram velis habere.

## EPISTOLA XXII.

AD A. MISSUM DOMINICUM.

Dilecto fratri et amico A. misso dominico, Eginhardus sempiternam in Domino salutem.

D Putabam tibi bene cognitum esse quod homines nostri, quos in istis partibus habemus, secundum ordinationem et jussionem domni imperatoris, ad custodiam maritimam fuerunt non solum eo tempore, quando ille.... oriam [g] profectus est, sed etiam quando Aurelianos perrexit. Et ideo non videtur mihi justum esse ut heribannum solvere debeant, qui non aliubi fuerunt, nisi ubi ipse imperator præcepit. Et ideo precor dilectionem tuam ut nobis spatium inde dones, donec domnus imperator venerit, et

[a] Rabanus abbas Fuldensis factus anno 822, Otgario in episcopatu Moguntiacensi successit anno 847.
[b] Teulet, *remanere*.
[c] Teulet addit *glorioso*.
[d] Teulet, *confugerunt*.

[e] Sic codex ; at Teulet habet *Hrotbertus*.
[f] Melius, Teulet, *Turones*.
[g] Teulet putat has litteras *oriam* esse finem nominis alicujus civitatis vel regionis et supplendum esse *Bajo*, et ita legendum foret *Bajoariam*.

nos illum admonebimus de jussione sua, et ille tunc A præceperit qualiter illi placuerit. Opto ut semper bene valeatis in Domino.

## EPISTOLA XXIII.

### AD VICEDOMINUM SUUM.

In Christi nomine, abbas Eginhardus vicedomino et fideli nostro salutem.

Notum sit quia volumus ut homines aliquos mittas ad Aquas, qui mansiones nostras emendent atque restaurent, et ea, quæ nobis ibi necessaria sunt ad habendum, id est farinam, bracem, vinum, formatem, et cætera, secundum consuetudinem, tempore opportuno illuc venire facias. Boves vero, qui occidendi sunt, volumus ut facias ad Ludinacam venire, et ibi occidere: unum ex his volumus ut dari facias B Hruotlouge, et illa minutalia atque interanea, quæ ad nostrum opus servari non possunt, volumus ut dentur ad illam familiam quæ ibidem est. Nos vero, Domino adjuvante, si vita comes fuerit, volumus, circa missam sancti Martini, ad palatium venire: et ideo volumus ut hæc omnia junioribus etiam nota facias, eisque ex verbo nostro præcipias ut similiter de expensa nostra faciant, sicut te facere præcipimus. Bene vale.

## EPISTOLA XXIV.

### AD QUEMDAM MINISTRUM SUUM.

In Christi nomine, Eginhardus, dictus abbas, N. in Domino salutem.

Notum tibi facimus quod cera indigemus ad servitium nostrum, et hoc in istis locis recuperare non C possumus, quia parvus proventus mellis fuit per hos duos annos in istis regionibus. Ideo volumus ut tractes atque consideres cum N. qualiter, si fieri potest, unam saumatam [a] faciatis simul cum vasallis nostris, qui ad nos de istis partibus, post missam sancti Bavonis, revertuntur. Bene vale et ora pro nobis.

## EPISTOLA XXV.

### AD N. EPISCOPUM.

Domino sancto et merito venerabili N., reverendo, Eginhardus peccator.

Quidam servus Sanctæ Mariæ, nomine N., ad vestræ sanctitatis pertinens potestatem, venit ad limina beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, pro D scelere quod commisit interficiendo socium suum propter scandalum quod inter eos fuit exortum. Proinde precamur sanctitatem vestram ut, ob reverentiam eorumdem martyrum, ad quorum limina confugit, ei parcere dignemini, ut, indulta membrorum integritate, verberumque pœna, liceat illi solutione pecuniæ componere atque emendare quod mala voluntate commisit. Optamus sanctitatem vestram semper in Christo bene valere, sanctissime ac reverentissime pater.

## EPISTOLA XXVI.

### AD AMICUM SUUM U.

Ev. SS. [b].

Frumoldus filius N. comitis, cujus N. sororem habet, magis infirmitate quam senectute confectus — nam continuo ac gravi pedum dolore vexatur — habet beneficium non grande in Burgundia, in pago Genawense, ubi pater ejus comes fuit, et timet illud perdere, nisi vestra benignitas illi opituletur, eo quod præ infirmitate [c] qua premitur, ad palatium venire non potest. Idcirco precatur ut, in ista necessitate, domnum imperatorem rogare dignemini, ut permittat se habere beneficium, quod avus ejus illi concessit, et pater habere permisit, quousque, viribus receptis, ad ejus præsentiam venerit ac se solemni more commendaverit. Bene vale, igulorum amantissime, sic optet [d] igulus tuus vetulus et infirmus.

## EPISTOLA XXVII.

### AD N. COMITEM.

Magnifico et honorabili atque illustri viro N. glorioso comiti, Eginhardus sempiternam in Domino salutem.

N. vassus dominicus, frater uxoris N. comitis, morbo pedum et senectute gravis, volebat venire ad domnum imperatorem: sed non potuit propter infirmitatem suam. Cum primum potuerit, veniet ad servitium ejus. Interim postulat ut sibi liceat beneficium suum habere, quod ei domnus Karolus imperator dedit in Burgundia, in pago Genawense, usque dum ille ad præsentiam ejus venerit, ac se in manus ejus commendaverit. Mihi quoque rectum et utile videtur ut ita fiat, sicut ipse desiderat, quia vir bonus ac prudens est, et bonæ famæ inter vicinos suos, et vos bene facietis, si eum in hac re adjuvare dignemini. Opto ut semper bene valeatis in Domino.

## EPISTOLA XXVIII.

### AD N. COMITEM.

Magnifico et honorabili atque illustri N. glorioso comiti, Eginhardus æternam in Domino salutem.

Rogo benignitatem vestram ut hunc juvenem N. apud domnum imperatorem adjuvare dignemini, ut beneficium, quod ipse et frater suus habent, non perdant. Habent enim in pago Turnacense [e] mansos XV, et ultra Hrenum mansos V. Ipse vult cum beneficio quod in Tornacense est, servire domno imperatori, et ut frater suus, cum illo quod ultra Hrenum est, se ad N. commendet, et tamen communiter illud beneficium totum habeant: sed ille non vult ei ad hoc consentire, nisi domnus imperator illi præcipiat. Nam nisi hoc factum fuerit, perdunt illud beneficium quod ultra Hrenum habent Ideo precatur bonitatem vestram ut inde domnum imperatorem rogare dignemini, ut fratrem ejus sic facere jubeat: et ipse paratus est facere firmitatem,

[a] Teulet addit, *nobis venire*.
[b] Sic D. Bouq.; at Teulet *Einhardus U. suo salutem*.
[c] Codex et Teulet, *propter infirmitatem*.
[d] Teulet, *Optat*.
[e] Sic codex; Teulet, *Tornacense*.

qualem domno imperatori placuerit, quod beneficium suum communiter cum fratre suo habere non vult semper [a]. Opto ut semper bene valeatis in Domino.

## EPISTOLA XXIX.

### AD N. SACERDOTEM.

Domino sancto et merito venerabili N. summi Dei sacerdoti, Eginhardus peccator.

Venientem ad nos Eburonem, propinquum et fidelem vestrum gratanti animo suscepimus, existimantes eum diutius apud nos esse mansurum. Sed quia ille ad vos redire festinat, noluimus illum sine litteris nostris dimittere, ne si vacuis manibus rediret, ad nos non venisse putaretur. De his tamen causis, unde se certi aliquid ad vos allaturum existimavit, nihil vobis certi significare, aut per illum indicare possum, quia mutatio rerum, quæ nuper in hoc regno facta est, in tantum nos conturbavit, ut penitus ignoremus quid agere debeamus, nisi ut, secundum verba Josaphat, oculos nostros ad Dominum dirigamus; et, juxta verba Philonis, imploretur divinum, quando humanum cessat auxilium. Ipsum autem latorem præsentium Eburonem, quamvis nobis [b] propinquus sit, charissimum, vestræ dilectioni [c] commendamus. Confidimus enim in Deo, licet nunc fieri non posset, quod eum iterum, opitulante divina clementia, lætum et hilarem, opportuno tempore, ad vos remittere debemus. Optamus ut sanctitatem vestram, bene valentem et nostri memorem, divina gratia semper et ubique custodiat.

## EPISTOLA XXX.

### AD VUSSINUM FILIUM SUUM.

Charissimo filio [d] Vussino in Domino salutem.

Vereor namque, fili, et valde metuo quod, relicto ovili, nec tui nec mei memor esse debeas : quia juventus immatura, nisi frenis disciplinæ coercita, haud facile per justitiæ incedit vias. Quamobrem, mi nate, stude probos æmulari mores, et quem te semper sequi hortabar, ne ullo pacto offensum habere velis : sed professionis [e] tuæ memor, quantum ipse annuerit, cui te totum commisisti, ejus mandatis insiste discendis. His edoctus, et in opere eorum assuetus, nullo vitalis scientiæ commodo carebis. Sicut te præsens monui, in studio discendi te exerce, et quidquid ex ipso lucidissimo et abundantissimo magni oratoris ingenio assequi nobilis scientiæ potueris, nihil intactum relinque : maxime autem probos mores illius, quibus excellit, imitari memento; quoniam grammatica et rhetorica, cæteraque liberalium artium studia, vana sunt, et valde A nociva servis Dei, nisi per gratiam divinam bonis moribus subesse noscantur : quia scientia inflat, charitas vero ædificat. Melius mihi quidem est ut te mortuum videre contingat, quam inflatum et scatentem vitiis. Non enim Salvator a se miraculorum facta, sed mansuetudinem et cordis humilitatem discere præcepit. Quid plura? Sæpe hæc et alia hujusmodi a me audisti. Utinam aliquando contingat istis delectari, quibus munditia cordis corporisque, per Dei auxilium, assequitur. Misi igitur tibi verba et nomina obscura ex libris Vitruvii, quæ ad præsens occurrere poterant, ut eorum notitiam ibidem perquireres. Et credo quod eorum maxima pars tibi demonstrari possit in capsella, quam domnus E. columnis eburneis, ad instar antiquorum operum, fa- B bricavit. Et propter illud quod Vitruvius nominat scenographiam, interroga quid sit quod Virgilius in III Georgicorum libro scenam vocat. Dicit enim :

> [f] Ad delubra juvat, cæsosque videre juvencos,
> Vel scena ut versis discedat frontibus, utque
> Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

Vale.

## EPISTOLA XXXI.

### AD N. EPISCOPUM.

Domino sancto et merito venerabili N. episcopo, Eginhardus sempiternam in Domino salutem.

Quamvis me multum contristet quod te, amantissime domine, per ..... [g], in hoc molestissimo corporis vestri labore positum audio; tamen non minimam capio consolationem, quod hunc laborem C tibi proficere, et ad purgationem animæ pertinere non ignoro. Credo enim quod ideo te divina misericordia tamdiu in hoc morbo corporali macerari permittat, quod te, hoc corpore migrantem, emendatum recipiat. De orationibus vero pro te faciendis, certam facio charitatem tuam quod, in quantum mihi Deus vires et possibilitatem concedere dignatus fuerit per eos, quos auditione dignos æstimare possum, certare curabo, quemadmodum et te erga meam pusillanimitatem fiduciam habere cognosco. De recuperanda corporis salute licet nunquam sit desperandum, quia potens est Deus de creatura sua facere quidquid voluerit, tamen melius est unicuique nostrum ad certa se præparare, quam, propter incerta, quod necessarium est, velut meliora sperando [h], negligere Opto ut semper bene valeas in D Domino.

## EPISTOLA XXXII.

### AD AMICUM.

Charissimo meo Eginhardus peccator, jam in extremo positus, tuus tamen tuorumque, donec superest flatus, Deo teste, fidelis.

---

[a] Teulet *habere vult semper;* .... expungit vocem *non*.

[b] Teulet, *vobis*.

[c] Idem, *electioni*

[d] Vussinum Eginhardus ex Imma conjuge susceperat.

[e] Ex his verbis colligit Mabillonius Vussinum monachum fuisse, forte in monasterio Selingestadiensi, ex quo, relicto ovili, Fuldam accesserit ad Rabanum; magnum illum haud dubie oratorem, cujus probos mores filio imitandos proponit.

[f] Addit Teulet versum sequentem :

> .... Jam nunc solemnes ducere pompas.

[g] Supplet *litteras* D. Teulet, ejusque punctuationem sequimur ut sensui aptiorem.

[h] Teulet, *speranda*.

Commendo, dilectissime mi, tuæ charitati animam, e corpore subdito peccatis egressam, ut eam in tuo tuorumque fidelium consortio adscribi digneris: quatenus, sanctarum studiis orationum, piorumque precibus fratrum, misera adjuvata anima, locum quiddam [a] refrigerii accipere mereatur. His itaque, propter nimiam magnamque angustiam carnis vel spiritus, breviter prælibatis, deprecor, dilectissime mi, ut summam, pro amore Dei ac meæ vilitatis amicitia, ecclesiarum, meæ parvitati commissarum, adhibeas curam, ne post obitum meum lupi locum sanctitatis invadant rapaces, gregemque humillimum dispergant: sed potius eis talis concedatur rector, qui Deum amare noverit vel timere, et his, qui subditi sunt, misericorditer subvenire. Fratres vero nostri tuique fidelissimi ex monasterio N. frater quidam [b] inter eos, proximum mihi, sibi præesse optaverunt, juvenem quidem ætate, sed moribus, ut puto, senem; cujus progeniem bene nosti, [c] filius N. frater N. et multorum nobilium proximus. Quem Wormatiam [d] direxerunt et, adhuc vivente me, dum N. me visitare dignatus est, præsentem commendaverunt. Qui valde et cum multis lacrymis, mihi vel propinquis meis, adstante N. comite, promisit..... [e] N. precibus compulsus annuit quod, si apud Deum factum sit, ipsum loco meo optassent. Unde memento, dulcissime, ut hoc non differatur, sed ut fiat maxime adhibe certamen. Mitto pallium unum, quem [f] rogo fratribus ad S. Servatium dari jubeas, ut mei mentionem faciant. Tuæ charitati mulum meum dari præcepi. Imma, soror dilectissima, his esto adjutrix, tibique animam commendo! Jam plura loqui angustia non permittit, attamen animam meam iterum precibus vestris commendo.

## EPISTOLA XXXIII.

AD N. COMITEM ET N. JUDICEM, MISSOS DOMINICOS.

Dilectis in Christo fratribus et amicis, N. comiti, N. judici, gloriosis missis domni imperatoris, Eginhardus in Domino salutem.

Homines nostri, qui de istis partibus ad nos veniunt, solent nobis narrare de bona voluntate et de benignitate vestra erga nos, in eo quod homines nostros servatis, et eis parcitis in qualicunque loco illis parcere potestis, tam in heribannis quam in aliis causis ad vestrum missaticum pertinentibus. Unde vobis, ut dignum est, magnas agimus gratias, Deumque rogamus et sanctos ejus ut vobis non solum hic, in præsenti vita, sed etiam in futura, congruam factis vestris mercedem retribuere dignetur. Promittimus etiam quod et nostram parvitatem ad voluntatem vestram faciendam paratam habere debeatis. Bene valete.

## EPISTOLA XXXIV.

AD LOTHARIUM IMPERII CONSORTEM.

Vivat Dominus meus, piissimus Augustus, in perpetuum.

Quantam curam et sollicitudinem erga magnitudinem vestram mea pusillitas gerat, non facile verbis explicare valeo. Quoniam æque vos atque piissimum dominum meum, patrem vestrum, semper dilexi, et æqualiter ambos salvos esse volui, postquam vos in societatem nominis et regni, consensu totius populi sui, assumpsit, meæque parvitati præcepit ut vestri curam gererem, ac vos de moribus corrigendis, et honestis atque utilibus sectandis, sedulo commonerem. Sed licet in his meam operam, minus quam debuit, utilem vobis sitis experti, tamen voluntas fidelis non defuit, nec adhuc quidem deest, quæ me tacere non permittit; quin potius cogit ut vos de vestra [g]..... cognoscat, quod quidam homines, sua potius quam vestra commoda quærentes, mansuetudinem vestram sollicitent, vobisque persuadere conentur ut, postposito paterno consilio, et obedientia debita derelicta, locum, vobis ad regendum atque custodiendum a piissimo genitore vestro commissum, dimittatis, et ad illum, ipso invito, et neque volente neque jubente, veniatis, et apud eum, quamvis illi non placeat, permaneatis. Quo quid perversius vel indecentius excogitari potest! Videte qualis sit, et quantum mali habeat ista persuasio. In primis siquidem, ut meæ pusillitati videtur, hortatur vos ut Dei præceptum, quo parentibus honor exhiberi jubetur, parvi pendatis, et longævitatem, quæ pro remuneratione conservati mandati promittitur, pro nihilo habeatis: deinde ut, abjecta obedientia, inobedientiam pro illa assumatis, et contra eum, sub quo subjectionem humiliter vos agere debueratis, per elationem contumaciter erigatis: tum ut per contemptum et inobedientiam charitate depulsa, discordia, quæ nunquam inter vos vel nominari debuit, in tantum excrescat, ut, inter quos amor esse debuit, odium enascatur: quod ne veniat summopere cavendum est. Credo enim prudentiam vestram minus latere, quanta abominatio sit apud Deum filius contumax et parentibus inobediens, cum eum Deus, sicut in Deuteronomio legere potestis, per Moysen ab omni populo lapidari præcepit. Qua-

[a] Sic habet codex; at Teulet mendam codicis correxit edendo, *quemdam*.

[b] Mendosum codicem non secutus est D. Teulet et edidit *fratrem quemdam* post Mabillonium, Ann. ord. S. Ben.

[c] Addit Teulet modo paraphrasis, *est enim*.

[d] Idem post *Wormatiam*, inter uncos addit, *fratres nostri tuique*.

[e] Post puncta *quoque* edidit Teulet, dicens in notula hanc vocem in codice distincte legendam, quamvis ab editis omissam. Sed verbum quod proxime præcedit perspicaciorum oculorum aciem præterit.

[f] Sic codex; at Teulet *quod* post D. Bouquetium, qui in textu lectionem codicis servavit.

[g] Post verba *ut vos de vestra*, dominus Teulet ex codice recentiori addidit fere tres lineas editis huc usque incognitas et quæ sensum adimplent. Non ægre feret doctissimus Eginhardi editor si in nota hunc locum prout ab illo restitutus est, exhibemus; ergo ita se habet: *Cogit ut vos de vestra [salute commoneam et in quibus periculum vestrum cavere debeatis breviter aperiam. Pervenisse ad parvitatis meæ notitiam magnitudo vestra]* cognoscat, etc.

propter admonendum censui neptitatem [a] vestram ut, per prudentiam a Deo vobis concessam, caveatis periculum vestrum, neque arbitremini hanc divinam sententiam posse a quolibet contemni, licet in veteri lege conscripta sit. Est enim una de multis, quas majores ac doctores nostri, sancti videlicet Patres, tam præsentibus quam præteritis [b] temporibus, tam christianis quam judæis, observandas esse censuerunt. Amo vos, Deus scit, et ideo tam fiducialiter admoneo: nec vos vilitatem personæ admonentis, sed salubritatem consilii, considerare debetis. Opto, etc.

## EPISTOLA XXXV.

AD N. ABBATEM.

Domino sancto et merito vener. N., reverentissimo abbati, N. [i. e. Eginhardus] peccator.

Amicorum meorum relatione didici N. (abbatem an episcopum nominare debeam ignoro, quis ille sit vos optime nostis) quod in rebus, ad suum profectum pertinentibus, vestro salubri et prudentissimo soleat uti consilio. Quapropter visum est mihi vestram sanctitatem precari ut apud memoratum virum pro nepote ipsius Eburone, qui nunc Metis moratur, loqui, eumque rogare dignemini ut eum spe, quam illi fecerat, non fraudaret, sed potius in promissa ei erga se benignitate permanere vellet. In eo videlicet, ut in paupertate constitutum de facultatibus suis adjuvare dignetur, ut, propter penuriam et indigentiam rerum necessariarum, necessitas illi non eveniat illum locum omittendi, in quo eum ipse constituit. Quod profecto eveniet, nisi ab eo, ne eveniat, fuerit ante provisum. Leviter hoc provideri poterit, si in promissis suis, quibus eum ad sibi consentiendum compulit, permanere voluerit. Opto sanctitatem vestram, nostræ pusillitatis memorem semper in Christo, bene valere in Domino.

## EPISTOLA XXXVI.

AD AMICUM.

Dilecto fratri et amico charissimo N., Eginhardus æternam in Domino salutem.

N. comes rogavit me ut te precarer de illis porcis, quos tu in ejus ministerium ad pascendum misisti, ut ei liceret eosdem porcos sibi retinere, usquequo crassiores et meliores fierent, et ille eos justo pretio ad opus dominicum comparasset. Ille enim sciens nostram amicitiam, putavit me hoc apud te impetrare potuisse. Et ego, in tua dilectione confidens, peto ut voluntatem ejus in hac causa adimplere non graveris. Opto ut semper bene valeas in Domino.

## EPISTOLA XXXVII.

AD N. VICEDOMINUM SUUM.

In Christi nomine Eginhardus N. vicedomino.

Miramur valde propter quid [c] omnia sic remanere potuissent, sicut remanserunt, quæ tibi facienda commisimus. Nam, sicut audivimus, de illa annona, sive ad farinam, sive ad bracem faciendam, quam ad Mulinheim mittere debuisti, nihil misisti: nec aliud aliquid, nisi triginta porcos, et illos ipsos non bonos, sed mediocres, et tres modios de legumine: de cætero nihil. Et non solum hoc, sed etiam illud quod, in toto hiberno isto, nec te, nec missum tuum aliquem, videre potuimus, qui nobis aliquid de istis partibus adnuntiaret. Quod si majorem utilitatem de Frideslare habere non possumus, nisi quantum tu nos inde habere fecisti, nescimus cur illud beneficium habere debemus. Nunc ergo, si tibi de gratia nostra ulla cura sit, rogamus ut negligentiam tuam emendare studeas, et nos cito certos efficias quid de te sperare debemus.

## EPISTOLA XXXVIII.

AD FRATREM N.

Dilecto fratri N., Eginhardus in Domino salutem.

Volumus ut Egmunelo de verbo nostro præcipias ut faciat nobis lateres quadratos, habentes in omnem partem duos pedes manuales et quatuor digitos in crassitudinem, numero LX, et alios minores, similiter quadratos, habentes in omnem partem unum semissem et quatuor digitos, et in crassitudine digitos tres, numero CC. Misimus tibi per hunc hominem de semine lapitri [d], quod volumus ut in largo loco seminari facias: quæ solet in magnam herbam excrescere. Bene valete.

## EPISTOLA XXXIX.

AD EMERITANOS, IN PERSONA HLUDOWICI IMPERATORIS.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, N. [i. e. Hludowicus], divina ordinante providentia, imperator augustus, omnibus primatibus, et cuncto populo Emeritano [e] in Domino salutem.

[a] Ex his verbis Immam uxorem Eginhardi, filiam fuisse Caroli Magni colligit Mabillonius sæc. IV Bened. part. I, in Elogio historico Angilberti abbatis Centulensis. « Si Lotharius, inquit, Eginhardi nepos: ergo propter uxorem, quæ proinde Caroli filia fuerit. » Verum his verbis rem non evinci putat Pagius ad ann. 792, cum hæ voces, *neptis*, *avunculus*, similesque his temporibus magnam habuerint latitudinem, variasque patiantur explicationes. Et certe ipse Mabillonius, lib. XXVII Annal. Benedict., num. 51, hanc propinquitatem ex alio capite oriri posse existimat, historiolamque seu potius fabulam chronographi Laureshamensis, Immam Carolo filiam affingentis, hoc vel unico argumento corruere putat, quod Eginhardus conjugem habuit. Doctissimus abbas Lebeuf in Dissertatione quæ anno 1740 præmium tulit ab academia Suessionensi propositum, per *neptitatem* intelligit *principalitatem* seu *præcipuitatem*; quam vocem deducit a Teutonico *nempt* vel *nept*, id est *præcipuus*. Idem contendit vocem *Neustria*, quæ a veteribus *Neptrecum* sive *Neptricum* vocatur idem esse ac *præcipuum regnum* a *nept* præcipuum, et a *rich* seu *reich* regnum. — Sic D. Bouquetus; at novissimus Eginhardi editor, D. Teulet, vocl *neptitatem*, quam multis argumentis plane insolitam, omni sensu destitutam et amanuensis oscitantiæ tribuendam, probat, substituit *pietatem*. EDIT.

[b] Teulet, *priscis*.

[c] Cod. D. *quidquid*; Teulet, *quod*.

[d] Cod., *Lapitu*; Teulet, *Lapathi*.

[e] Emerita ad Anam fluvium in Lusitania posita, ideoque a marca Hispanica dissita. Quare Cointius ad ann. 826, num. 31, loco *populo Emeritano*, legendum censet, *populo Cæsaraugustano*.

Audivimus tribulationem vestram, et multimodas angustias, quas patimini per crudelitatem regis Abdirhaman, qui vos per nimiam cupiditatem rerum vestrarum, quas vobis auferre conatus est, sæpissime violenter oppressit. Sicut et patrem ejus Abolaz fecisse comperimus, qui injustis superpositionibus censum, cujus debitores non eratis, sibi solvere cogebat, et propter hoc de amicis inimicos, et de obedientibus sibi contrarios atque inobedientes, effecerat; quia et libertatem vobis tollere, et injustis censibus ac tributis vos onerare atque humiliare molitus est. Sed, ut audivimus, vos semper, sicut viri fortes, injurias, ab iniquis regibus vobis illatas, fortiter repulistis, et crudelitati atque aviditati eorum viriliter restitistis. Quod et vos modo facere multorum relatione didicimus. Quapropter complacuit nobis ad vos has litteras dirigere, vosque consolari atque exhortari ut in ea, qua cœpistis, libertatis vestræ defensione contra crudelissimum regem perseveretis, et furori atque sævitiæ illius, [sicut] hactenus fecistis, cedere non dignemini. Et quia idem rex certissimus adversarius et inimicus tam noster quam et vester est, communi consilio contra sævitiam ejus dimicemus. Volumus enim, cum Dei omnipotentis adjutorio, proxima æstate exercitum nostrum ad marcam vestram [a] mittere, ut ibi præparatus sedeat et exspectet donec vos mandetis quando promovere debeat, si ita vobis bonum visum fuerit, ut propter vos adjuvandos eumdem exercitum contra communes inimicos nostros, qui in marca nostra resident, dirigamus : ad hoc ut, si Abdirhaman, vel exercitus ejus, contra vos venire voluerit, isti per nostrum exercitum impediantur ut illi et exercitus [b] ejus in adjutorium contra vos venire non valeant. Nam certos vos facimus quod, si ab illo vos avertere, et ad nos convertere volueritis, antiqua libertate vestra, plenissime et sine ulla diminutione, vobis uti concedimus, et absque censu vel tributo, immunes vos esse permittimus, et non aliam legem, nisi qua ipsi vivere volueritis, vos tenere jubemus, nec aliter erga vos agere volumus, nisi ut vos amicos et socios, in defensione regni nostri, honorifice habeamus. Optamus vos in Domino semper bene valere.

## EPISTOLA XL.

### AD IMPERATRICEM.

Cognoscere dignetur piissima domina nostra quod ego servus vester, postquam de Aquis exivi, tantis corporis incommodis affectus sum, ut de Trajecto vix decimo die pervenire possem ad Valentianas. Ibi me tam magnus renium simul ac splenis dolor invasit, ut me unum quidem miliarium in integro die valerem equitando conficere. Quapropter supplico pietati vestræ ut mihi liceat, cum gratia vestra, navigando ire ad sanctum N. [c] ibique jacere quousque mihi Deus omnipotens vires ad iter faciendum dare di- A gnabitur. Nam cum primum equitare potuero, vel ad vos, vel ad domnum imperatorem venire festinabo : utrum vobis placuerit ut faciam. Nunc humiliter deprecor pietatem vestram ut me apud misericordissimum dominum meum, cum ad illum veneritis, excusare dignemini de eo quod ad vos non veni. Deus testis est quod de valetudine mea nullam falsitatem vobis scripsi : et non solum hoc, sed etiam quod multo graviora sunt alia quædam incommoda, quæ patior in memetipso, de quibus, nisi cum fidelissimo, nullam possum habere locutionem. Hoc tamen scitote quod majorem vobis coram Deo mercedem in præsenti acquirere non potestis, quam si effeceritis ut mihi liceat ad servitium sanctorum Christi martyrum, cum primum valuero, festinare. B Possum enim illuc in quindecim diebus de sancto N. navigando pervenire. Si me imbecillitas corporis non impediret, non has litteras mitterem, sed potius ipse venirem, et in his quæ apud vos aguntur simul vobiscum essem.

## EPISTOLA XLI.

### AD AMICUM.

Nunc, in magnis angustiis positus, oro benignitatem vestram, ut apud piissimum dominum et imperatorem nostrum pro me intercedere dignemini. Nam jussit mihi regina, quando de Aquis egressa est, qui simul cum ea ire non poteram, post se ad Compendium venire. Cujus præceptis obtemperans, cum magna difficultate, vix in decem diebus, veni ad Valentianas. Inde, quia [d] jam equitare non valui, C usque ad sanctum N. navigavi. Nam et nimia ventris solutio et renium dolor sic in me alternando sibi succedunt, ut nulla dies fuerit, postquam de Aquis promovi, quin hac vel illa infirmitate laborarem. Sunt pariter hæc et alia quæ mihi ex illo morbo, in quo anno præterito jacui, contigerant, dextri videlicet femoris continuus torpor ac splenis pene intolerabilis dolor. His passionibus affectus, valde tristem ac pene omni jucunditate carentem duco vitam; in eo maxime quod timeo me aliubi quam velim, et aliud agentem quam sanctis Christi martyribus servientem, esse moriturum. Quapropter adjuro vos et obtestor per beatos Christi martyres Marcellinum et Petrum, ut pro mea parvitate apud piissimum imperatorem intercedere dignemini, ut non mihi succen- D sere velit pro eo quod illi, sicut hi qui potuerunt, in occursum non venissem. [e] Venissem si potuissem, et veniam cum primum potuero; et sive absens, sive præsens, fidelis ei permanebo. Precor igitur charitatem vestram ut, tam de actis quam agendis apud vos rebus, per litteras vestras me, quanto celerius potueritis, certum facere dignemini. Opto ut semper bene valeatis in Domino.

Omnia quæ nunc in hoc regno geruntur, revelantibus Christi martyribus ante biennium, futura prædicta sunt.

[a] Teulet, *nostram*.
[b] Melius Teulet, *exercitui*.
[c] Id est ad sanctum Bavonem, seu ad sancti Bavonis monasterium.
[d] Codex et Teulet, *qui*.
[e] Ante *venissem* add. Teulet, *utique certe*.

## EPISTOLA XLII.

### AD HLUDOWICUM IMPERATOREM.

Magno domino servus modicus.

Memorem esse [a] dominum meum piissimum quomodo mihi licentiam dedistis ut, quando domina mea ad vos pergeret, tunc ego ad beatorum Christi martyrum servitium faciendum proficiscerer: sic facere volui. Sed domina mea jussit me post se ad Compendium venire, et ego, jussis ejus obediens, cum primum caballos meos habere potui, post illam ad Compendium pergere cœpi. In qua profectione splenis simul ac renium dolore correptus, in tantum affectus sum, ut vix in decem diebus de Trajecto ad Valentianas venissem. Ibi cum me jam equitare non posse sentirem, veni mane ad sanctum N. navigando atque ibi nunc in magnis angustiis ac doloribus positus, quæso atque oro ut pietas vestra mihi licentiam dare dignetur pergendi ad locum, in quo piorum patronorum vestrorum sacrata corpora requiescunt. Possum enim illuc navigio in quindecim diebus de sancto N. venire. Magnam vobis coram Deo mercedem comparare potestis, si me ad servitium sanctorum suorum ire permittitis, si tamen illo vivus pervenire potuero. Credo quod illi sancti martyres pro vobis apud Deum intercedere debeant, si eorum servitium vestro servitio anteponere volueritis. Nam ego in nullo alio loco regni vestri majorem profectum vobis facere possum, quam ibi, si me ad hoc adjuvare volueritis.

## EPISTOLA XLIII.

### AD N. EPISCOPUM.

Domino sancto et merito venerabili N. reverentissimo episcopo, Eginhardus peccator.

Omnipotenti Deo et Domino nostro Jesu Christo quantas valeo gratias agere non cesso, quia gloriosissimum et a Deo conservatum, semperque conservandum dominum meum Hlotarium Augustum salvum et incolumem, ac te, mihi charissimum, una cum illo, de Italia venisse cognovi: et opto atque oro ut ille me cito permittat illo venire, ubi vestra corporali præsentia perfrui merear. Tamen interim parvitatem meam tuæ charitati, ac per te illius pietati, commendo, ac deprecor ut ex nullius persuasione sinistri aliquid de mea pusillitate suspicari dignemini. Testor Deum et sanctos martyres Marcellinum ac Petrum, quod amorem et devotionem, qua erga vos affectum me esse scio, vobis [b] explicare non valeo. Et ideo fiducialiter peto ut, cum venero, tales vos erga me invenire merear, qualiter me de vobis meritum esse non dubito. Opto sanctitatem vestram, nostræ imbecillitatis memorem, in Christo semper bene valere.

## EPISTOLA XLIV.

### AD E. AMICUM SUUM.

Domino sancto ac merito venerabili E., E. S. S.

Quamvis perplura sint de quibus cognoscendis mihi cura esse potest, duo tamen sunt quorum me in præsenti major curiositas tenet. Unum, ubi et quando generalis ille conventus habendus sit; alterum, si domnus Hlotarius in Italiam reverti, aut cum patre manere debeat? De his duobus certum me facere charitas vestra non gravetur. Nam horum notitia, plus quam cæterarum rerum, quæ apud vos aguntur, indigeo; quoniam ex his pendet quid ego facere debeam, si divina pietas mihi favere dignabitur ut aliquid utilitatis facere valeam. Opto ut te, amicorum meorum amantissime, bene valentem cito videre merear.

## EPISTOLA XLV.

### AD G. COMITEM.

Dilectissimo fratri, G. glorioso comiti atque optimati, Eginhardus sempiternam in Domino salutem.

Semper benevolam erga me sensi dilectionem vestram, sed nunquam plus quam modo, quando mihi licentiam impetrastis pergendi ad servitium sanctorum Marcellini et Petri, qui ob hoc factum apud Deum intercessuri sunt. Et ideo benignitati vestræ quantas valeo gratias ago et obnixe deprecor ut secundum bonam consuetudinem vestram pro me semper esse dignemini tam apud dominum imperatorem, quam apud filios ejus, maximeque apud domnum Hlotarium [c], Augustum, in cujus pietate, licet immeritus, magnam habeo fiduciam. Cæterum rogo vos ut pro N. pictore, devoto juniore vestro, mercedem habere velitis, et eum adjuvare, et apud domnum imperatorem pro illo intercedere dignemini, si congruum locum videritis, ne per cujuscunque invidiam beneficium suum amittat, quod dominis suis bene serviendo acquisivit. Mihi non est necesse vobis nominare, qui sint illi quos in hac causa timeat; quoniam æque mihi ac vobis noti sunt. Tantum rogo ut, in quantum potestis, eum adjuvare dignemini. Opto ut semper bene valeatis in Domino.

## EPISTOLA XLVI.

### AD ABBATEM N.

Summa veneratione dignissimo N., reverentissimo abbati, Eginhardus peccator.

Sicut me petitionis meæ memorem esse, sic te promissionis tuæ oblitum esse non arbitror, licet multa et varia rerum impedimenta postea accidissent, quæ illud colloquium nostrum, non solum ad tempus sopire, sed etiam oblivioni perpetuæ tradere potuissent. Illud dico colloquium, quando, in palatio simul positi, de tecto basilicæ beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, quam ego nunc, licet cum magna difficultate, construere molior, locuti sumus, et constitit inter nos de plumbo emendo contra pretium quinquaginta librarum. Sed quamvis opus basilicæ nondum ad hoc perductum sit, ut tegendi necessitas me admonere compellat, tamen, propter incertum vitæ

[a] Addendum, *non dubito* vel quid simile, ait D. Bouquet; dom. Teulet *precor* reposuit.

[b] Teulet, *verbis*.

[c] Teulet add. *juvenem*.

mortalis terminum semper videtur esse festinandum, ut bonum, quod [a] nobis inchoatum [est], Domino auxiliante perficiatur. Proinde precor benignitatem tuam ut me de eodem plumbo emendo per litteras tuas digneris facere certiorem ; ut scire valeam si aliquid inde adhuc inchoatum sit, et, si nondum inchoatum est, quando inchoari et, Domino adjuvante, perfici id ipsum negotium debeat. Idcirco oro tuam permagnam charitatem ut me, de hac re, per litteras tuas, certiorem facere non graveris. Opto ut, mei memor, semper bene valeas in Domino.

## EPISTOLA XLVII.

AD AMICUM.

De statu rerum palatinarum, nihil mihi scribere peto, quia nihil ex his, quæ [illic] aguntur, audire delectat. De cæteris amicis meis, si te excepto aliquis remansit, magna est mihi cura cognoscere ubi sitis et quid agatis. Ideo charitati tuæ has litteras mittere curavi, ut te commonefacerem scribere mihi de his quæ aguntur erga te, id est, quali uteris valitudine, et vel quando evenire possit ut, vita comite, ad invicem nos videamus. Sæpe enim te videre ac tecum loqui desideravi : sed nunquam ardentius quam modo, quia nunquam mihi major incubuit necessitas ut de agenda vita cum amico conferrem atque tractarem, quod cum nemine libentius facio quam tecum, quod in nullius fide majorem habeo fiduciam. Misi per hunc puerum litteras ad N. abbatem, quem rogo, si ire potuerit, per aliquem tuorum usque ad illum deduci facias, aut, si forte, propter lassitudinem jumentorum, ut venire solet, longius ire non poterit, precor ut litteras , quas Folconi mitto, ab eo accipias, et ei per aliquem dirigas, eumque preceris ut mihi respondeat, atque responsum, quod ei dare placuerit, tibi remittat; et tu ad me, cum primum idoneum perlatorem inveneris, ipsum responsum facias pervenire. Opto te, amicorum amantissime, semper in Christo bene valere et mei memorem esse.

## EPISTOLA XLVIII.

AD N. EPISCOPUM.

Domino sancto et merito venerabili N., reverentissimo Eginhardus peccator.

Iste presbyter nomine N. rogavit me plurimum ut pro illo apud vos intercederem, ut erga illum misericorditer agere dignaremini; qui sicut ipse asserit, in magna paupertate constitutus est, et nunc maxime quando ipsum parvum beneficiolum, quod habuit in Bajoaria, ablatum est ab illo, et alteri datum. Et nunc nescit quid agere, vel qualiter seniori suo servire debeat, nisi, per vestram intercessionem, domnus Hl. ei aliquod solatium ad vitam præsentem sustentandam dare dignabitur. Opto ut, mei memor, semper bene valeas in Domino, et parvitatem meam piissimo imperatori commendare digneris.

## EPISTOLA XLIX.

AD N. OPTIMATEM, AMICUM SUUM.

Dilectissimo fratri ac fidissimo amico N., glorioso optimati, Eginhardus æternam in Domino salutem.

Quia fidem vestram tam bene probatam habeo, ut nullatenus dubitare possim quin, in omnibus meis meorumque necessitatibus ad vestræ charitatis auxilium confugiam. Idcirco et nunc præsentes pagenses et familiares meos, Am..... et Theothoum, cum his litteris, ad vos direxi, precans ut eos more solito amanter suscipere, et in necessitatibus eorum, quas vobis insinuaverint, apud domnum Hl. augustum, et piissimum patrem ejus adjuvare dignemini, sic ut illi similiter in vobis, sicut et ego, magnam habeant fiduciam. Opto ut semper bene valeatis, amicorum optime atque charissime.

## EPISTOLA L.

AD HLOTARIUM.

Dominus meus, piissimus genitor vester, jussit de monasterio N., ut nobis adjutores et cooperatores essent in constructione basilicæ [a] beatorum Christi martyrum, Marcellini et Petri, patronorum vestrorum. Sed illi, ut mihi videtur, nihil de illo opere facturi sunt, nisi jussio clementiæ vestræ ad eos veniat, ut eis denuo præcipiat ut, secundum dispositionem domini et genitoris vestri, nos adjuvent in opere prædicto. Quapropter ut vobis causam memorati operis notam facerem, has meæ parvitatis supplicatorias litteras vestræ magnitudini mittere curavi, per quas rogo et humiliter peto ut, propter amorem et honorem Christi martyrum, patronorum vestrorum, curam habere dignemini de constructione basilicæ illorum, ut, per vestrum adjutorium, hoc perficiatur, et detis nobis ad memoratos episcopos sacram jussionem vestram per litteras gloriosissimæ auctoritatis vestræ, quas contemnere non audeant : et inde vobis coram Deo merces accrescat, et beati Martyres pro vobis intercedant, ut regnum vestrum semper augeatur atque firmetur, et tutum ac defensum maneat ab insidiis atque infestatione malignorum spirituum et malevolorum hominum. Opto et oro ut bene valeat dominus meus rex, et vivat in æternum.

## EPISTOLA LI.

AD EUMDEM.

Pro quodam amico et familiare meo N. videlicet, fidele vestro, pietati vestræ supplicare volo ut eum suscipere dignemini, et, quando in vestras manus se commendaverit, aliquam consolationem ei faciatis de beneficiis quæ hic, in nostra vicinia, absoluta et aperta esse noscuntur. Est enim homo nobilis et bonæ fidei, bene quoque doctus ad serviendum utilius in qualicunque negotio quod ei fuerit injunctum. Servivit enim avo et patri vestro fideliter et strenue : sic et vobis facere paratus est , si Deus illi vitam et sanitatem concedere voluerit. Nam adhuc valde infirmus est, et ideo non potest ad vestram præsentiam venire : veniet cum primum potuerit. Proinde precor pietatem vestram ut me scire permittatis quid illi

[a] Verbum *basilicæ*, nullo vacuo spatio, in codice desideratur.

de vestræ bonitatis parte promittere possim; ut in bona spe vivat, donec ad vestram pervenerit præsentiam.

## EPISTOLA LII.

AD N. PRESBYTERUM ET N. VICEDOMINUM.

In Christi nomine, Eginhardus abbas, N. presbytero et N. vicedomino, fidelibus nostris, in Domino salutem.

Notum sit vobis quia volumus ut eulogias præparari faciatis secundum consuetudinem, sicut solet homo ad opus domini sui facere, tam ad opus domini Ill. quam et N. conjugis ejus. Et quando ille de Audriaca villa ad Compendium reversus fuerit, tunc volumus ut ibi fiant præsentatæ: et postea volumus ut per brevem nobis indicetis, qualiter illas... vel ab illa fuissent receptæ. Bene valete.

## EPISTOLA LIII.

AD QUEMDAM FIDELEM SUUM.

In Christi nomine, Eginhardus, abbas, illi fideli nostro salutem.

Tu nosti quod juxta quod potuimus, voluntatem tuam adimplere curavimus, in eo quod filiam tuam tibi reddere facimus. Et ideo rogamus te ut, propter honorem et amorem sancti N. et nostrum, nobis consentias ad hoc ut, si illum hominem ad libertatem venire faciamus, eamdem filiam tuam permittas in conjugium accipere, quia melius nobis videtur esse, ut iterum illi homini, si liber factus fuerit, conjugetur, quam ut ab omnibus repudietur. Bene valete.

## EPISTOLA LIV.

AD N. ABBATEM.

In Christi nomine, Eginhardus, abbas N. humilis, abbati, fideli atque dilecto, æternam in Christo salutem.

Memorem te esse non dubito qualiter tam te et tuos mihi commisisti. Et quoniam ita se habet ut tua propria decrevit voluntas, meum utique deinceps est ut, ubicunque opportunum fuerit, tibi tuisque condignum suffragium, in quantum nosse et posse accesserit, omnibus modis impendam. Ergo notum sit dilectioni vestræ quoniam ille vassallus noster, necnon et filia tua, amore conjugii, alter alterum adipisci, Domino favente et vestra voluntate, cupiunt. Quamobrem ad vos mittere decrevi, innotescentes quod tam matri et fratri, quam et omnibus propinquis, si vobis placet ut fiat, congruum esse videtur. Insuper etiam ego non solum ut confirmetur volo, sed ut honorifice, prout citius esse poterit, si mihi ad perficiendum potestatem dederitis, tam in beneficiis, quam in aliis rebus, condigne supplere cupio. Insuper idem ipse præfatus vassallus dotem dabit: auget munera: tantummodo huic rei superest ut aut vos ipsi ad hoc opus perficiendum per præsens venire non differatis, aut, ut a nobis perficiatur, licentiam concedatis. Scimus enim quid per præsens, Domino favente, explere possumus; sed quid futura pariat dies ignoramus. Ideo scriptum est: « Non cesset manus tua, non cesset pes tuus, sed quodcunque operare. » His ita præmissis, rogamus ut, tam per hunc missum quam per litteras vestras, nos de hac re certos reddere studeas. Bene valete.

## EPISTOLA LV.

AD N. EPISCOPUM.

Merito venerabili domino N. E. Propter paucitatem ministrorum altaris, cogit me necessitas supplicare sanctitati vestræ ut hunc clericum, nomine N., ad gradum diaconatus ordinare dignemini. Est enim non solum ætate, sed etiam eruditione ad hoc idoneus. Et ideo misimus illum ad vestræ benignitatis præsentiam, ut eum, a vobis iterum ad prædictum gradum consecratum, recipere mereamur. Opto vos in Christo semper bene valere.

## EPISTOLA LVI.

AD IMPERATOREM.

Novo et insolito siderum ortu infausta quædam et tristia, potius quam læta vel prospera, miseris ventura significari mortalibus, pene omnibus veterum æstimavit auctoritas. Sola sacri Evangelii Scriptura salutarem novæ stellæ apparitionem fuisse testatur, quam Chaldæorum vidisse sapientes, et recentem æterni regis ortum de illius clarissimo fulgore conjicientes, munera, tantæ majestati convenientia, venerabiliter obtulisse narrantur. Sed ejus stellæ, quæ nuper apparuit horrida et parum læta facies ab omnibus, qui eam se vidisse testati sunt, fuisse ac minaciter flagrasse nuntiatur. Quæ, ut reor, congrua meritis nostris præsagia fecit, et cladem, qua digni sumus, venturam indicavit. Quid enim interest utrum homine, vel stella nuntiante, imminens ira generi prædicetur humano? Hoc tantum est necessarium ut intelligatur supervacuam non fuisse sideris apparitionem, sed admonuisse mortales ut, pœnitendo, et Domini misericordiam flectendo, futurum certent declinare periculum. Sic in prædicatione Jonæ, Ninivæ subversio civitatis, quæ per illum fuerat prænuntiata hominibus, divina miseratione dilata est. Fecitque Deus ... turum per Jeremiam prophetam permisit, cum eum in domum figuli.....

## EPISTOLA LVII.

AD N. COMITEM.

Magnifico et honorabili atque illustri viro, N. glorioso comiti, Eginhardus æternam in Domino salutem.

Domnus imperator mandavit per Dagolfum venatorem [ut] N. comes faceret convenire ad unum locum illos comites qui sunt in Austria, id est Hattonem et Popponem et Gebehardum, et cæteros socios eorum, ut inter se considerarent quid agendum esset, si aliquid novi de partibus Bajoariæ fuisset exortum. Tunc visum est illis bene esse ut, et tu et Atto, in eodem placito fuissetis. Ideo rogant vos ut consideretis, atque illis mandetis in quali loco videatur aptissimum esse illis colloquium. Nam H. videtur ut hoc bene esse possit.

## EPISTOLA LVIII.

AD N. EPISCOPUM.

Obtutibus præstantissimi antistitis humillimi clientuli vestri apices præcipuæ servitutis dirigere satagunt; intimantes devotionem, juxta modum eorum possibilitatis, pronam fieri, si almitas vestræ celsitudinis mandare non dedignaverit. In omni obsequio vestro vestrorumque, et deinceps, sive juxta clementiam præsentiæ vestræ positi, seu ubicunque versari videntur, libenter professi sunt vestris mellifluis obtemperare mandatis. Nunc vero, quamvis nullis exigentibus meritis, tamen alloquio vestræ promissionis confisi, monere non titubant pietatem vestræ charitatis. Valeat beatitudo vestra.

## EPISTOLA LIX.

AD PRÆCIPUUM IMPERATRICIS CAPELLANUM.

Honorando atque sublimato et spiritu sapientiæ repleto......... magistro atque præcipuo capellano dominæ imperatricis, vestri fideles clientuli, per hanc schedam parvitatis nostræ, beatitudini vestræ optamus salutem perennem.

Recordetur bonitas vestra de causa quam quondam locuti fuimus, ut, sicut nos exhortastis et largiter promisistis, ita feliciter implere procuretis apud illum quem vos scitis: et inquirite utrum nos ad illum, an parte in alia tendere debeamus, et nobis, per fidelem gerulum, aut per vestros apices, cito remandare dignemini. Pro confidentia enim magna, quam in vobis habemus, tam audacter vobis scripsimus necessitatem nostram. De vestra vero sospitate nobis intimare dignemini, quia vestra sanitas nostra est lætitia, et vestra lætitia nostrum est gaudium. Hoc optamus, hoc desideramus, hoc cupimus audire, ut fiat multis feliciter annis. Valete nunc et semper, vir gloriosissime, in Christo Jesu et in omnibus sanctis ejus. Amen.

## EPISTOLA LX.

AD N. ILLUSTREM DOMINUM.

Illustris dignitatis virum atque nobilissimæ sublimitatis dominum M., V. et gloriosum, fidelissimi ac devotissimi, vestræque in omnibus excellentiæ paratissimi famuli, fideli et optabili aggredimur servitio.

Maximas et, si fieri posset, sublimitatis vestræ celsitudini referimus grates, quod, nostræ petitioni assensum præbentes, ad effectum perduxistis de capella in villa Lensi constituta. Tamen misistis..... qui nos exinde vestire venit, id ipsum, sicut jussistis, fecisset, nisi homines VV., fratris vestri, hoc contradixissent. Attamen ipse locus valde vastatus est, ita ut nullum omnino tegumen tectorum inibi remanserit, quod non venditum, alienatum, vastatumque sit, excepta basilica, quæ etiam ex parte corruit. Nos autem, causa vestræ mercedis, hoc fixum in animo habuimus, ut quæ præsenti anno adquirere possemus, ad restaurationem loci expenderemus: quod et facere cupimus, si ita per manse... statuit atque decrevit. Vester itaque missus....... laboratis nihil ibi invenit, quia omnia vastata erant

A excepta dominicata decima, quam ex vestro verbo salvari præcepit, debeat an non, a nobis penitus ignoratur. Hæc ideo vestræ sublimitati exposuimus, ut vestra celsitudo cogitet et statuat, quomodo restaurari possit: et ne periculum alicujus proveniat, si domus Deo dicata negligatur et adnulletur. Quidquid ergo vestræ excellentiæ exinde libuerit, per vestrum missum nostræ modicitati insinuare dignetur. Vestram sublimitatem diutino tempore Christus protegat, pariterque ad vitam æternam perducat. Amen. [illegible]

## EPISTOLA LXI.

AD EUMDEM.

Prævio, insigni atque egregiæ nobilitatis viro N., W. et G., vestræ sublimitati per omnia devoti et B dediti, fidele in omnibus obsequium atque servitium optamus.

Quoniam sublimitas nostræ modicitati aliquod servitium injungere voluit, quia idem ad effectum nondum venit, causam vestræ celsitudini innotescimus. Clericus fratris vestri A., quem vestro jussu conservitio ipsius A. suscepimus, indiculum, quem nostræ parvitati misistis, secum abstulit, ut excusationem vestro fratri ex nostra parte faceret quod, pro vestro servitio, opus ejusdem imperfectum remaneret: et in ipso indiculo mensuræ, quas nobis transmisistis, pariter ablatæ sunt, quæ a nobis hactenus nullo modo reperiri possunt. Quapropter ipsas mensuras nobis transmittite, et, quantum valemus, de vestro servitio elaborare curabimus. C Valere in Domino vestram sublimitatem jugiter exoptamus.

## EPISTOLA LXII.

AD HLOTHARIUM.

Quamvis certissime credam piissimum Dominum meum semper memorem esse patronorum suorum, beatissimorum Christi martyrum, Marcellini et Petri, qui, occulto Dei judicio, Roma relicta, ad exaltationem et protectionem regni vestri, in Franciam venerunt, et, pro qua nescio causa, apud me peccatorem hospitari dignati sunt, mihi tamen magna incumbit necessitas ut vos de causis ad eorum honorem pertinentibus crebro commoneam, ne forte periculum ac detrimentum animæ meæ incurram, D si de illa admonitione negligentior quam oportet extitero, et licet illi sint misericordissimi, qui etiam percussori suo pepercerunt, regem tamen eorum, Dominum nostrum Jesum Christum, pro cujus amore mori non dubitaverunt, offendere timeo, si in exhibendis eorum cultui congruis honoribus me segniter agentem invenerit. Proinde, piissime domine, excellentiam vestram humiliter admoneo et peto ut recordari dignemini de illa commutatione loci, in quo veneranda Martyrum corpora requiescunt, quæ cum Otgario episcopo facta est, et cum illis proprium efficiatis, pro quo liberando proprium vestrum sancto Martino tradidistis. Item admonere præsumo misericordiam vestram de illis meis petitionibus quibus, tunc quando imminentis viciniam

mortis exhorrui, vobis suggessi ut aliquid de nostris beneficiis ad sustentationem eorum, qui juxta sacratissima sanctorum Martyrum corpora Deo deservituri sunt, eisdem mitissimis patronis vestris dare dignaremini, qualiter tunc vestris benignissimis promissionibus spem mihi fecistis quod desiderio meo fraudari non deberem, et, non solum in hac causa, sed etiam in eo ut his, quos ad servitium vestrum enutrivi, misericordiam vestram impendere, et eos de ipsis beneficiis adjuvare deberetis. Certissime confido quod in hoc et Deum et sanctos ejus promereri debeatis, si me voti mei compotem in hac causa efficere dignamini. Item rogo ut cogitare atque pensare dignemini quæ merces vos apud Deum maneat, et laus coram sæculo vobis adcrescat si, per vos et in diebus vestris, locus requietionis sanctorum martyrum, tam in ædificiis quam in aliis necessariis rebus, fuerit auctus, ornatus et excultus, ut etiam exstructio ejus nomini vestro adscribatur, simulque et vestra et martyrum memoria ore omnium populorum, perpetua mentione, celebretur. Ad extremum rogo et obnixe deprecor magnam mansuetudinem vestram ut super me miserum et peccatorem, jam senem et valde infirmum, misericorditer ac pie respicere dignemini, et a curis sæcularibus absolutum ac liberum fieri faciatis, meque permittatis, in pace et tranquillitate, juxta sepulcra beatorum Christi martyrum, patronorum videlicet vestrorum, sub defensione vestra, in eorumdem sanctorum obsequio, et Dei ac Domini nostri Jesu Christi servitio consistere, ut me illa inevitabilis atque ultima dies, quæ huic ætati, in qua modo constitutus sum, succedere solet, non transitoriis ac supervacuis curis occupatum, sed potius orationi ac lectioni vacantem, atque in divinæ legis meditatione cogitationes meas exercentem, inveniat.

## EPISTOLA LXIII.

### AD LUPUM AMICUM SUUM.

Eginhardus Lupo suo salutem.

Omnia mihi studia, omnesque curas, tam ad meas quam amicorum causas pertinentes, exemit et excussit dolor, quem ex morte olim fidissimæ conjugis, jam nunc charissimæ sororis ac sociæ, gravissimum cepi. Nec finiri posse videtur; quoniam exstinctionis illius qualitatem adeo tenaciter memoria retinet, ut inde penitus non possit avelli. Huc accedit, quod ipsum dolorem identidem accumulat, et vulnus semel acceptum exulcerat, quod vota scilicet nostra nihil valere permissa sunt, ac spes, quam in martyrum meritis atque interventione collocavimus, exspectationem nostram ex asse frustrata est. Inde evenit ut solantium verba, quæ aliorum mœstitiæ mederi solent, plagam cordis nostri recrudescere potius faciant atque rescindant, cum me æquanimiter ferre jubent infortunii molestias, quas ipsi non sentiunt, atque in eo censent mihi gratulandum, in quo nullum gaudii vel lætitiæ valent demonstrare vestigium. Quis est enim mortalium, cui mens constet, quique sanum sapiat, qui sortem suam non defleat, et qui se

A infelicem ac miserrimum non judicet, cum in afflictione positus, eum, quem votis suis fauturum fore crediderat, aversum atque inexorabilem experitur? Hæccine talia tibi videntur, ut suspiria, ut lacrymas homuncioni tantillo commovere, ut ipsum ad gemitum et planctum concitare, ut etiam in desperationis baratrum dejicere potuissent? Et utique dejecissent, nisi divinæ miserationis ope suffultus, quid in hujusmodi causis aut casibus majores ac meliores nostri tenendum servandumque sanxissent, ad inquirendum subito me convertissem. Erant ad manum doctores egregii, nedum non spernendi, verum omnibus audiendi atque sequendi: gloriosus videlicet martyr Cyprianus, et illustrissimi sacrarum divinarumque litterarum expositores, Augustinus atque Hie-

B ronymus. Quorum sententiis ac saluberrimis persuasionibus animatus, depressum gravi mœrore cor sursum levare conatus sum, cœpique mecum sedulo reputare quid super excessu charissimæ contubernalis sentire deberem, cujus mortalitatem, magis quam vitam, videbam esse finitam. Tentavi etiam, si possem a memetipso exigere, ut id ratione apud me fieret, quod longa dies solet efficere; scilicet ut vulnus, quod animo nostro nondum sperata mortis repentinus casus inflixit, cicatricem ducere ac spontaneæ consolationis medicamento sanescere inciperet. Sed vulneris magnitudo facilitati resistit; et licet saluberrima sint, quæ a memoratis doctoribus, ad mitigandum gravem dolorem, velut a peritissimis idemque mitissimis medicis, offeruntur, plaga, quæ

C adhuc sanguinem trahit, sanandi maturitatem nondum admittit.

Hic fortasse miraris ac dicis ex hujusmodi occasione natum dolorem, tam longum ac diuturnum esse non debuisse. Quasi in dolentis sit potestate quando id finiatur quod ille, quando inciperet, neque in potestate habuit, neque præscivit. Metiri tamen posse videtur doloris ac mœroris magnitudo sive diuturnitas de eorum, quæ acciderunt, damnorum quantitate: quæ ego cum quotidie in omni actione, in omni negotio, in tota domus ac familiæ administratione, in cunctis, quæ vel ad divinum vel humanum officium pertinent, disponendis atque ordinandis, immaniter sentiam; qui fieri potest, ut vulnus, quod tot ac tanta incommoda intulit, cum crebro tangitur,

D non recrudescat potius et renovetur, quam sanescat aut solidetur? Arbitror enim (nec vereor quod hæc opinio falsum me habeat) hunc dolorem atque anxietatem, quæ mihi de charissimæ contubernalis occasione exorta est, perenniter mecum perseveraturam, donec id ipsum temporis spatium, quod Deus mihi ad hanc miseram ac temporalem vitam concedere voluerit, debito sibi termino finiatur. Quam tamen proficuam potius mihi quam noxiam hactenus experior, cum animum, ad læta et prospera festinantem, velut quibusdam frenis atque habenis remoratur ac retinet, mentemque ad revocationem mortis revocet, quam ad spem et amorem longævitatis odium atque oblivio senectutis illexerat. Video mihi non multum

superesse temporis ad vivendum; licet quantum id A esse debeat, mihi penitus ignoretur. Sed hoc certissimum teneo, et recens natum cito posse mori et senem diu non posse vivere. Ac proinde longe utilius ac beatius fore censeo ipsam temporis incerti brevitatem cum luctu quam lætitia ducere. Quia si, secundum Dominicam vocem, beati ac felices erunt qui lamentantur et lugent (*Matth.* v, 5); e contrario infelices ac miseri fient, qui dies suos in jugi et continua lætitia finire non metuunt.

Gratias ago atque habeo charitati tuæ, quod me per litteras tuas consolari dignatus es. Neque enim majus aut certius tuæ erga me dilectionis indicium dare potuistis, quam ægro atque jacenti manum exhortationis porrigendo, monendoque ut surgerem, quem mente prostratum ac mœrore depressum ignorare non poteras. Bene vale, charissime ac desideratissime fili.

---

# EGINHARDI

# HISTORIA TRANSLATIONIS BB. CHRISTI MARTYRUM MARCELLINI ET PETRI.

(Acta Sanctorum Bollandi tomo I Junii.)

## PROLOGUS.

1. Veris veri Dei cultoribus, et Jesu Christi Domini nostri Sanctorumque ejus non fictis amatoribus Eginhardus peccator. — Qui vitas et facta justorum, ac secundum divina mandata conversantium hominum, litteris ac memoriæ mandaverunt, non aliud mihi efficere voluisse videntur, nisi ut ad emendandos pravos mores, et collaudandam Dei omnipotentiam, per ejusmodi exempla, quorumcunque animos incitarent. Feceruntque hoc, non solum quia livore carebant, sed quia charitate, quæ omnibus cupit esse consultum, granditer abundabant. Quorum laudabile propositum, quia tam in propatulo est ut, præter ea quæ dixi, nihil aliud eos moliri voluisse lucidissime clareat, cur a multis imitari non debeat, omnino non video. Ac proinde quia mihi conscius sum, quod libri, quos de translatione corporum beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, signisque ac virtutibus, quæ per eos Dominus ad salutem credentium fieri voluit, qua potui facultate conscripsi, eadem sunt voluntate atque intentione compositi, eosdem edere, ac Dei amatoribus ad legendum offerre decrevi. Arbitror enim quod hoc opus non solum inane ac supervacuum cuilibet fidelium videri non debeat, sed etiam fructuose atque utiliter me laborasse præsumo, si efficere potuero, ut in laudem sui Conditoris animus illa legentis assurgat.

## CAPUT PRIMUM.

*Missi ab Eginhardo Romam ad procurandas reliquias. Obtentæ sanctorum Marcellini et Petri.*

2. Cum adhuc in palatio positus, ac negotiis sæcularibus occupatus, otium, quo aliquando perfrui cupiebam, multimoda cogitatione meditarer, quemdam locum secretum atque a populari frequentia valde remotum nactus, atque illius, cui tunc militaveram, principis Hludowici liberalitate consecutus B sum. Is locus est in saltu Germaniæ, qui inter Neccarum et Mænum fluvios medius interjacet, ac moderno tempore ab incolis et circummanentibus Odanwald [a] appellatur. In quo cum, pro modo facultatum ac sumptuum, non solum domos et habitacula ad manendum, verum etiam basilicam, divinis officiis faciendis congruentem, non indecori operis ædificassem, dubitare cœpi, in cujus potissimum sancti vel martyris nomine atque honore dedicari deberet. Cumque in hac animi fluctuatione plurimum temporis esset evolutum, contigit ut quidam diaconus Romanæ Ecclesiæ, nomine Deusdona, pro suis necessitatibus regis opem imploraturus, ad palatium veniret. Ibique aliquandiu moratus, cum, peracto propter quod venerat negotio, Romam redire C pararet, quadam die, humanitatis causa, velut peregrinus, ad prandium nostræ parvitatis a nobis est invitatus: ibique inter prandendum plura locuti, eousque sermocinando pervenimus, ut de translatione [b] corporis beati Sebastiani ac neglectis martyrum sepulcris, quorum Romæ ingens copia est, mentio fieret. Inde ad dedicationem novæ basilicæ nostræ sermone converso, percontari cœpi, quonam modo ad id pervenire possem, ut aliquid de veris sanctorum reliquiis, qui Romæ requiescunt, mihi adipisci contingeret? Hic ille primo quidem hæsitavit, et qualiter id fieri posset, se nescire respondit. Deinde cum me de hac re sollicitum simul et curiosum esse animadverteret, altera die se percontationi meæ responsurum esse promisit.

D 3. Post hæc, cum iterum a me fuisset invitatus, protinus e sinu libellum mihi porrexit, rogans ut eum solus perlegerem; sibique de his, quæ in eo scripta erant, quid mihi placeret, indicare non dedignarer. Accepi libellum, et ut ille petiit, solus secrete perlegi. Continebatur in eo: esse sibi domi

[a] Ms. Reginæ, *Hodanuhuald;* alibi *Odonowald.*

[b] Nondum quidem facta, sed postulanda.

plurimas sanctorum reliquias, easque se mihi dare velle, si meo fultus adjutorio Romam reverti potuisset; compertum sibi fore, quod duos mulos haberem, quorum si alterum sibi darem, ac secum hominem meum fidelem mitterem, qui illas reliquias ab illo reciperet, mihique deferret, statim eas mihi se [*Ms.*, esse] missurum. Complacuit mihi suadentis consilium, statuique fidem sponsionis incertæ celeriter experiri; ac proinde, dato quod petebat jumento, addita propter viaticum pecunia, notarium meum, nomine Ratleicum, quia et ipse orandi causa Romam eundi votum habebat, cum eo pergere jussi. Igitur de Aquisgrani palatio profecti — nam ibi eo tempore imperator cum suo comitatu erat — Augustam Suessionum [a] venerunt; ibique cum Hildoino [b] abbate in monasterio S. Medardi locuti sunt, quia memoratus diaconus ei pollicitus est, se efficere posse, ut corpus beati Tiburtii, martyris, in ejus veniret potestatem. Quibus ille promissionibus illectus, misit cum eis quemdam presbyterum, hominem callidum, nomine Hunum, jubens ut acceptum ab eo memorati martyris corpus sibi deferret. Inde iter ingressi, Romam, quanta potuerunt celeritate, perrexerunt.

4. Contigit autem, postquam Italiam intraverunt, ut puer notarii mei, nomine Reginbaldus, tertiana febre correptus, non modicum profectioni eorum suis laboribus faceret impedimentum; quoniam his horis, quibus ille febrium æstibus tenebatur, iter agere non potuerunt. Erant enim pauci, ac per hoc ab invicem separari nolebant. Cumque hoc incommodo iter illorum non mediocriter fuisset retardatum, illi tamen prout poterant illud accelerare contenderent, tribus diebus priusquam ad Urbem venirent, apparuit in visu illi febricitanti quidam homo in habitu diaconi, perquirens ab eo quam ob rem dominus suus Romam ire festinaret? Cui cum ille et promissa diaconi de reliquiis sanctorum mihi mittendis, et de his quæ Hildoino abbati pollicitus est, prout illi comperta erant, exponeret, « Non ita erit, inquit, sed longe aliter, quam vos existimatis, causarum, propter quas venistis, exitus adimplebitur. Nam diaconus iste, qui vos Romam venire rogavit, aut parum, aut nihil de his, quæ vobis promisit, facturus est; ac proinde volo sequaris me, atque ea quæ tibi ostensurus atque dicturus sum, mente sollicita cures advertere. »

5. Tunc manu comprehensum, ut sibi videbatur, montis præcelsi cacumen secum conscendere fecit. In quo cum simul positi consisterent: « Convertere, inquit, ad orientem, et subjectos oculis tuis campos intuere. » Quod cum fecisset, et campos, de quibus sibi dixerat, fuisset intuitus, videt in eis molis immensæ fabricas, in modum magnæ cujusdam civitatis extructas, et, interrogatus ab eo, si sciret quid hoc A esset, se nescire respondit. Tum ille: « Roma est, inquit, quam vides. « Statimque addidit: « Dirige oculos in interiora [*Ms.*, ulteriora] civitatis, et contemplare si aliqua tibi in his locis appareat ecclesia. » Cumque sibi quamdam ecclesiam [c] apparere dixisset, « Vade, ait, et Ratleico nuntia, quoniam in ecclesia, quam modo vidisti, illa res est recondita, quam ille domino suo debet afferre: et ideo det operam, ut eam quanto celerius fieri potest accipiat, et ad dominum suum revertatur. » Cumque ille diceret, quod nemo de his, qui secum venerant, in hujusmodi re fidem dictis suis esset habiturus, respondit et dixit: « Tu nosti quod omnes, qui tecum hoc iter agunt, tibi conscii sunt quia complures dies in febre tertiana laborasti, et nondum te ab illa ullam habuisse re- B missionem. — Et ille: Ita est, inquit, ut dicis. — Quapropter, ait, volo ut pro signo tibi sit, atque his quibus verba quæ dixi relaturus es, quoniam ex hac hora, febre, qua usque modo detinebaris, sic per Dei misericordiam cariturus es, ut te ulterius in hoc itinere non contingat. » His dictis expergefactus, omnia quæ sibi vidisse vel audisse videbatur, Ratleico referre curavit. Quæ cum Ratleicus presbytero secum pergenti exposuisset, visum est ambobus ut experimentum somni [*Ms.*, somnii] ex veritate promissæ sanitatis approbarent: nam eadem die, juxta qualitatem febrium, quibus laborare consueverat, febricitare debebat is qui somnium viderat. Et ut non vana illusio, sed potius vera revelatio fuisse ostenderetur, C neque illa die, neque cæteris quæ illam secutæ sunt, ullum in corpore suo consuetarum febrium sensit indicium. Sicque factum est, ut et visioni crederent, et fidem diaconi promissis non haberent.

6. Igitur Romam venientes, juxta basilicam beati Petri apostoli, quæ dicitur ad Vincula, in domo ipsius, cum quo venerunt, diaconi, hospitium acceperunt; manseruntque cum eo per aliquot dies, opperientes promissorum ejus adimpletionem. Sed ille, qui suas pollicitationes perficere non valebat, ipsum, quod non poterat, quibusdam procrastinationibus palliabat. Tandem locuti cum illo, cur eis illo modo vellet illudere percontati sunt; rogantes simul, ne se diutius fallendo detineret, et reversionem suam vanis spebus impediret. His ille auditis, cum cer- D neret se hujusmodi calliditate eis jam amplius non posse imponere, primo notarium meum certum fecit de reliquiis mihi promissis, quod eas habere non posset, eo quod frater suus, cui et domum, et cuncta quæ habebat, inde abiens commendaverat, negotiandi gratia Beneventum esset profectus, ac se penitus ignorare quando esset reversurus, et quia si reliquias illas, sicut et cæteram supellectilem, ad servandum commiserat, nec omnino se scire posse, quid de his fecisset, quoniam eas in eadem domo

[a] Surius *Augustam Suessorum*, quo etiam modo in Vita S. Medardi, 8 Junii, a Fortunato appellatur, num. 36.

[b] Hilduinus factus abbas anno 817, sed anno 830 in exsilium pulsus, et revocatus anno 833, mortuus et in abbatia S. Medardi sepultus anno 842. Fuit idem etiam abbas S. Dionysii et S. Germani apud Parisienses.

[c] Hanc esse ecclesiam SS. Marcellini et Petri, a Constantino Magno constructam, asserit Baronius anno 826, num. 16, quod esset ob sui amplitudinem et altitudinem longius perspicua.

nusquam invenisset : proinde videret quid faceret, quia de parte sua nihil restaret, quod sperare posset. Postquam hæc notario meo dixit, et ille se ab eo illusum ac male sibi impositum quereretur, nescio quibus vanis hac frivolis etiam presbyterum Hildoini allocutus, spe simili animatum, a se fecit abscedere. Postridie vero cum valde tristes videret, hortatus est ut simul cum illo ad cœmeteria sanctorum pergerent; videri sibi quod in eis aliquid tale inveniri posset, quo eorum desideriis satisfieret, nec fore illam [*Ms.*, ullam] necessitatem ut in patriam vacui reverterentur. Cumque eis hoc consilium placuisset, vellentque ut quantocius id, ad quod faciendum eos hortabatur, inchoarent, more solito, negotium dissimulavit, et eos, quorum animi tunc paululum erant erecti, in tantam desperationem hac dilatione dejecit, ut, omisso illo, statuerent in patriam, quamvis infecto negotio, reverti.

7. Sed notarius meus, recolens somnium quod puer suus viderat, cœpit comitem suum hortari ut, sine hospite suo, irent ad cœmeteria, ad quæ visenda ille eos se ducere velle promisit. Itaque invento atque conducto duce locorumque monstratore, primo ad basilicam beati Tiburtii, martyris, in via Lavicana, tribus ab urbe passuum millibus distantem, veniunt, martyrisque tumbam quanta poseunt diligentia contemplantur, et utrum sic, ut alii non sentirent, aperiri posset, cauta circumspectione considerant. Deinde in cryptam ejusdem basilicæ contiguam, in qua beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri corpora erant tumulata, descendunt; atque explorata etiam illius monumenti qualitate, discedunt, æstimantes hoc factum hospitem suum posse latere. Sed aliter evenit, quam arbitrati sunt. Nam licet ipsi nescirent quibus indiciis, cito tamen ad illum hujus facti notitia pervenit : veritusque ne sine illo voluntati suæ satisfacere debuissent, statuit consilio [*Ms.*, consilium] eorum festinando prævenire. Et quia ille eorumdem locorum plenariam atque omnimodam notitiam habebat, blande illos alloquitur, hortaturque ut illuc simul veniant; et si Deus votis eorum favere dignaretur, communi consilio fa cerent quidquid eis videretur faciendum.

8. Assensi sunt ejus voluntati, tempusque id aggrediendi pari consensu constituunt. Tunc peracto jejunio triduano, noctu ad locum, nullo Romanorum civium sentiente, perveniunt; ingressique basilicam S. Tiburtii, primo altare illud, sub quo sacrum ejus corpus situm credebatur, aperire tentaverunt. Sed parum successit eorum voluntati molitio operis inchoati : nam monumentum, durissimo marmore exstructum inermes id aperire conantium manus facile repellebat. Igitur, omisso illius martyris sepulcro, ad tumbam beatorum Marcellini et Petri descendunt; atque ibi, invocato Domino nostro Jesu Christo, et adoratis sanctis martyribus, lapidem, quo summitas sepulcri tegebatur, de loco suo levare moliuntur. Quo sublato, vident sacratissimum sancti Marcellini corpus, in superioribus ejusdem sepulcri partibus

A positum, tabulamque marmoream ad caput positam, quæ titulo, quem continebat, evidens indicium dabat, cujus in eo loco martyris membra jacuissent. Quod, ut par erat, cum summa veneratione suscipientes levant, et munda sindone involutum diacono ferendum atque servandum tradunt. Ac ne ulla sublati corporis indicia remanerent, lapidem loco suo reponentes, in urbem ad hospitia sua revertuntur. Diaconus autem corpus beatissimi martyris, quod acceperat, juxta basilicam beati Petri apostoli, quæ vocatur ad Vincula, ubi et ipse domum habebat, se servare velle ac posse affirmans, fratri suo nomine Lunisoni ad custodiendum commisit; arbitratusque notario meo hoc satisfactum esse, cœpit illum hortari ut, accepto corpore beati Marcellini, rediret in patriam.

B 9. Sed ille longe aliud meditabatur ac mente volvebat. Nam, ut mihi postea retulit, videbatur illi nequaquam sibi licere cum solo beati Marcellini corpore in patriam regredi; quasi nefas esset, ut corpus beati Petri martyris, qui ei socius in passione fuerat, et per quingentos et eo amplius annos in eodem sepulcro una cum illo requieverat, illo inde transeunte, ibi remaneret. Atque hac cogitatione mente concepta, tanta animi sui parturitione simul ac perturbatione laborabat, ut nec cibum capere. nec somno acquiescere dulce sibi videretur atque jucundum, nisi martyrum corpora, sicut in passione ac monumento conjuncta fuerant, sic etiam peregre profectura jungerentur. Sed de hoc qualiter fieri posset, vehementer ambigebat : noverat enim neminem C a se Romanum inveniri posse, qui sibi ad hoc ullum ferret auxilium, sed ne talem quidem, cui hæc animi sui secreta auderet ostendere. In hac cordis anxietate constitutus, reperit quemdam monachum peregrinum, nomine Basilium, qui ante biennium de Constantinopoli Romam venerat, atque ibi in monte Palatino apud alios Græcos, qui ejusdem professionis erant, cum quatuor discipulis suis hospitium habebat. Hunc adiit, atque ei quam patiebatur sollicitudinem aperuit. Tum consiliis ejus animatus, et orationibus fretus, tantam accepit in corde suo constantiam, ut statueret rem, quamvis cum periculo capitis sui, celerrime experiri. Vocatoque ad se comite suo, Hildoini presbytero, cœpit D cum eo tractare ut iterum ad basilicam beati Tiburtii, sicut prius fecerant, clanculo pergerent, ac tumbam, qua Martyris corpus reconditum credebatur, aperire denuo molirentur.

10. Placuit consilium; assumptisque, quos secum adduxerant, pueris, hospite eorum penitus ignorante quo irent, clam noctu profecti sunt. Cumque ad locum ventum esset, votis pro re prosperanda ante ædis januam factis, ingrediuntur; divisisque sociis inter se, presbyter ad corpus beati Tiburtii quærendum in ipsius basilica cum aliquibus remansit; Ratleicus cum reliquis in adhærentem eidem ecclesiæ cryptam, ad beati Petri corpus accessit : apertoque sine ulla difficultate sepulcro, sacra sancti martyris membra, nullo prohibente, sustulit, et serico pulvi-

no, quem ad hoc paraverat, recepta diligenter inclusit. Interea presbyter, qui corpus beati Tiburtii quærebat, magno labore frustra consumpto, postquam se vidit nihil posse proficere, relicto opere, in cryptam ad Ratleicum descendit, et quid sibi faciendum esset, ab eo quærere cœpit. Cui cum ille arbitrari se diceret quod sancti Tiburtii reliquiæ essent inventæ, eique id de quo dicebat ostenderet — nam, paulo ante quam idem presbyter ad eum in cryptam venisset, reperit in eodem sepulcro, in quo sanctorum Marcellini et Petri sacra corpora jacuerunt, foramen quoddam rotundi schematis, trium ferme pedum longitudine introrsus excavatum, pedali amplitudine patens, et in eo minuti pulveris non modicam portionem repositam —, visum est ambobus quod hic pulvis de corpore beati Tiburtii, ossibus inde sublatis, remanere potuisset : et ob hoc, ut difficilius inveniretur, medio loco inter beatos Marcellinum et Petrum, in eadem tumba, fuisset repositus : conveniique inter eos ut eum presbyter sumeret, et pro reliquiis beati Tiburtii secum deferret.

11. His ita transactis atque dispositis, cum rebus, quas repererunt, ad hospitia sua reversi sunt. Post hæc Ratleicus, cum hospite suo locutus, rogat ut sibi sacros beati Marcellini cineres, quos ei ad servandum commendaverat, reddat, seque in patriam redire volentem nulla non necessaria dilatione detineat. Cui ille non solum quod repetebat sine mora restituit, verum etiam de sanctorum reliquiis, in una ligatura collectis, haud parvam portionem mihi deferendam obtulit : et requisitus de nominibus eorum, mihi se illa dicturum, quando ad me venisset, respondit. Monuit tamen ut eadem veneratione, qua cæteræ sanctorum martyrum reliquiæ colerentur, eo quod non minoris apud Deum essent meriti, quam beati Marcellinus et Petrus : et hoc me esse crediturum, cum primum ad me nominum illorum notitia pervenisset. Suscepit ille munus oblatum, atque id, ut sibi persuasum erat, sanctorum Martyrum corporibus sociavit.

## CAPUT II.

*Sacræ reliquiæ per diversa loca delatæ in Michilinstadt, et post varias visiones in Mulinheim, postea Seligenstadt dictam.*

12. Inito consilio cum hospite suo, sacrum illum ac desiderabilem thesaurum, in scriniis reconditum atque signatum, per Lunisonem fratrem ejus, cujus superius fecimus mentionem, necnon et presbyterum Hildoini, qui secum venerat, Papiam usque deportari fecit. Ipse cum eodem hospite suo Romæ substitit, opperiens atque auscultans per continuos septem dies, si de sublatis sanctorum corporibus aliquid ad notitiam civium pervenisset. Cumque vidisset nullam a quolibet extraneo de hoc facto fieri mentionem, latere illud existimans, post eos, quos præmiserat, sumpto secum hospite suo, profectus est. Quos cum Ticini, apud basilicam beati Joannis Baptistæ, quæ vulgo [a] Domnanæ vocatur, ac tunc ex beneficio regum ad meam pertinuit potestatem, adventum eorum præstolantes invenissent, statuerunt etiam ut et ipsi aliquot diebus ibi morarentur, et propter jumentorum, in quibus venerant, refectionem, et propter seipsos ad longiorem viam præparandos.

13. In hoc morarum suarum articulo fama exiit legatos sanctæ Romanæ Ecclesiæ a pontifice ad imperatorem [b] directos, illo brevi esse venturos. Itaque veriti de adventu illorum aliquid sibi incommodi, vel etiam impedimenti accidere posse, si se ibi deprehenderent, decreverunt ut quidam ex eis abeundo, adventum eorum festinando prævenirent [*Ms.*, prævertèrent]; alii in loco remanerent, et re de qua solliciti erant diligenter investigata, post eorumdem legatorum abscessum socios suos, quos præmiserant, sequi properarent. Cum ita inter eos de hac re constitisset, Deusdona cum presbytero Hildoini legatos Roma venientes præcessit, et Augustam Suessionum, ubi Hildoinum esse rebatur, quanta potuit festinatione contendit; Ratleicus vero cum thesauro, quem secum habebat, Papiæ remansit, exspectans donec legati Sedis Apostolicæ præterirent, ut, illis Alpes transgressis, viam suam securius carpere potuisset. Veritus itaque ne presbyter Hildoini, qui cum Deusdona præcesserat, quique omnium, quæ apud eos gesta vel tractata fuerant, plenariam atque integram notitiam habebat, quia vafer ac lubricæ fidei videbatur, aliquid impedimenti sibi in via, qua ire dispositum habebat, machinari debuisset, altera sibi eundum judicavit; missoque ad me procuratoris nostri Ascolfi puero cum litteris quibus me et de reversione sua, et de allatione thesauri, quem divinitus adjutus invenerat, certum efficeret, ipse, postquam Romanos ex conjectura mansionum quæ eis parabantur, Alpes superasse putavit, Papia relicta, sexta

[a] Impressa *Donnarum*, seu *Dominarum* : duæ enim erant Papiæ S. Joannis Baptistæ ecclesiæ, quarum una a Theodelinda regina fuit magnificentissime exstructa et dotata, de qua Bernardus Scaccus Hist. Ticinen., lib. IX, cap. 5, eamdemque Stephanus Breventanus, lib. III, cap. 2, ait *a Burgo* cognominari, quia fit extra primum murorum ambitum ; aut etiam *a Palude*. Aliud tamen vetus cognomen fuit : nam Paulus Diaconus, de Gestis Longobard. lib. IV, caput 49, de Gundiberga regina, Theodelindæ filia, agens : « Hæc, inquit, id exemplum suæ genitricis, sicut illa in Modicia, sic et ista intra Ticinensem civitatem, basilicam in honorem B. Joannis Baptistæ construxit. » Scaccus addit lib. IX, caput 9, quod eam « in honorem sui sexus, Donnarum (id est mulierum) nuncupavit. » Quomodo autem aut quando hæc data sit monachis, atque ita in Eginhardi jurisdictionem venerit, Ticinensibus indagandum relinquo : interim Platinam recte corrigit Scaccus, qui in Vita Joannis IV, illam ecclesiam Terracinæ adscripsit et in eumdem errorem (cujus nulla uspiam occasio apparet) traxit Sabellicum.

[b] Scriptor gestorum Ludovici Pii ad an. 826, hujus legationis meminit, et Ingelhemii auditam sit ad Kalendas Junias; eaque functos, Leonem Centumcellensem episcopum, et Theophylactum nomenclatorem, pro tunc Romano pontifice Eugenio II.

die ad [a] S. Mauritium venit. Ibique, comparatis quæ ad hoc necessaria videbantur, sacra illa corpora, loculo inclusa, feretro imposuit; atque inde promovens, palam et aperte, cum adjutorio populi occurrentis, portare cœpit. A

14. Ubi autem locum, qui Caput-Laci [b] vocatur, prætergressus, bivium [c], quo itinera in Franciam ducentia dirimuntur, attigit; dexteriorem viam ingressus, per Alamannorum fines usque ad Solodorum, [d] Burgundionum oppidum, venit. Ibi obvios habuit, quos ego, post indicium adventus illius mihi factum, de [e] Trajecto ei occurrere jussi. Nam ego tunc temporis juxta Scaldim fluvium in monasterio [f] S. Bavonis eram, quando litteræ notarii mei per puerum procuratoris nostri, cujus superius mentionem fecimus, mihi redditæ sunt. Ex quarum lectione B de adventu Sanctorum certior factus, illico unum ex familiaribus nostris Trajectum ire, ibique presbyteros atque alios clericos, necnon et laicos secum sumere, ac Sanctis venientibus, ubicunque primum potuisset, obviam festinare præcepi. Et is nihil moratus, cum his quos secum duxerat in loco memorato, post paucos dies his, qui Sanctos adferebant, obviavit: junctique simul, comitantibus jam atque hinc inde concurrentibus hymnidicis populorum turmis, cum ingenti omnium lætitia, [g] Argentoratum urbem, quæ nunc Strasburg appellatur, celeriter veniunt. Inde per Hrenum secunda aqua navigantes, cum ad locum, qui [h] Portus vocatur, venissent, [*Ms. add.* in] orientalem fluminis ripam egressi, quinta mansione ad locum [i] Michilinstadt nuncupatum, C cum immodica hominum in Dei laudibus exsultantium multitudine, perveniunt. Is locus est in eo saltu Germaniæ, qui tempore moderno [j] Odanwald appellatur, et distat a Mœno flumine circiter leucas sex. In quo cum basilicam noviter a me constructam, sed nondum dedicatam invenissent, in hanc illos sacros cineres intulerunt, et velut ibi perpetuo permansuros deposuerunt.

15. Cumque id mihi fuisset allatum, confestim illuc, quanta potui celeritate [k] venire festinavi. Ubi, cum, triduo post adventum nostrum exacto, quidam puer Ratleici, jubente eo, officio vesperarum completo, cæteris exeuntibus, solus in ecclesia remansisset, et, clausis januis, juxta illa sacra corpora in parva cellula quasi vigilaturus concedisset, subitaneo somno depressus, vidit quasi duas columbas per dexteriorem absidæ fenestram volando intrare, et in culmine lecti super ipsa Sanctorum corpora considere: quarum altera tota alba, altera cani et albi coloris mixturæ variæ videbatur. Cumque in eodem culmine diutius deambularent, et consuetum columbis gemitum vicissim velut colloquentes ederent, rursus per eamdem fenestram egressæ, non comparuerunt. Secutaque vox supra caput pueri sonuit: « Vade, inquit, et dic Ratleico ut indicet domino suo, quia isti sancti Martyres nolunt ut eorum corpora in hoc loco requiescant: alium enim elegerunt, ad quem celeriter migrare dispositum habent. » Hujus vocis auctor ab eo videri non potuit; qua tamen finita, evigilavit, somnoque excitus, reverso ad basilicam Ratleico, quid vidisset indicavit. At ille in crastinum, ubi me primum convenire potuit, quid sibi puer suus retulisset, mihi nuntiare curavit. Ego autem, licet hujusce visionis arcanum spernere non auderem, statui tamen operiendum alicujus signi certioris indicium; atque interim illos sacros cineres, de linteis in quibus ligati venerant sublatos, sericis ac novis pulvinis insuere feci. Cumque in eorum inspectione reliquias beati Marcellini minoris quantitatis quam sancti Petri esse cernerem, arbitratus sum eum in statura corporis sui minoris fuisse mensuræ quam sanctum Petrum. Sed hoc aliter se habere furtum postea patefactum approbavit: quod ubi, vel quando, vel a quo, vel qualiter admissum ac proditum sit, suo loco dicturus sum: nunc ordo narrationis inchoatæ texendus atque tenendus est.

16. Igitur postquam illum magnum atque mirabilem, omnique auro pretiosiorem, inspexi thesaurum, loculus, in quo idem continebatur, propter vilitatem materiæ, de qua compactus erat, cœpit mihi oppido displicere. Quem emendare cupiens, quadam die, post completum vespertinum officium, præcepi uni

[a] Agaunum intelligit, ubi S. Mauritius cum Thebæis martyrio coronatus, nomen loco dedit, uti dicetur 22 Septembris: est autem locus Sabaudia ad Rhodanum, 9 circiter leucis distans Seduno Helvetiorum, quod ei ad orientem jacet. D

[b] Lacus Lemanus seu Genevensis, initium sumit ad oppidum Neuville, ita forsan mutato nomine hic dictum, 5 leucis infra S. Mauritium.

[c] Bivium hoc haud longe ultra lacum concipio, distinctiorem notitiam libenter a locorum peritis accepturus.

[d] Hoc tempore Solodorum seu Solodurum est urbs fœderatorum Helvetiorum, quorum tota ditio olim inter Alamannos et Burgundos divisa fuit, sic ut horum pars etiam minor Burgundia diceretur. Distat autem Solodurum ab oppido S. Mauritii plus quam 40 leucis in boream.

[e] Trajectum ad Mosam infra Leodium intelligitur.

[f] S. Bavonis monasterium erat in urbe Gandensi, quo loco castrum nunc est erectum: nam et hanc abbatiam, eique vicinam S. Petri in monte Blandinio, Eginhardus tenebat, qui utriusque in suis epistolis meminit.

[g] Iter Soloduro Strasburgum, civitatem ad Rhenum sitam, atque Alsatiæ metropolim, censetur esse leucarum circiter 50.

[h] Videtur hic portus inveniendus paulo infra Neckari et Rheni confluentes, id est, infra Manhemium, unde 8 circiter leucis distat, qui signatur locus. Mansiones autem hic dicuntur, quæ Germanis *Rast*, loca quietis, et sesquihora fere ab invicem distant, ad commoditatem onera portantium instructa reclinatoriis, 4 fere pedes elevatis a terra.

[i] Michelstadium, seu Michelstad in comitatu hodierno Erpachensi.

[j] Hodie *Ottenwald*.

[k] Emenso circiter 120 leucarum itinere, quantum Gandavum (ubi tunc erat Eginhardus) distat Michelstadio: adeo ut, si mense Octobri illatæ illuc reliquiæ sunt, credi possit Ratleicus huc appulisse mense Novembri, vel etiam Decembri.

ex æditnis, u. mensuram loculi virga collectam mihi afferret. Cum ille hoc facturus cereum accenderet, et circumpendentia pallia, quibus idem loculus tegebatur, sublevaret, animadvertit loculum mirum in modum humore sanguineo undique distillantem; et rei novitate perterritus, hoc quod viderat propere mihi nuntiare curavit. Tum ego, cum his qui aderant sacerdotibus accessi, et illud stupendum atque omni admiratione dignum miraculum aspexi. Nam ut columnæ atque abaci vel signa marmorea, pluvia instante, sudare ac circumfluere solent, sic loculus ille, qui sacratissima corpora continebat, vero cruore madens, et ex omni parte perfusus inventus est. Terruit nos insolita et nunquam prius audita miraculi species. Quapropter, inito consilio, triduanum jejunium cum supplicationibus facere decrevimus, ut ex revelatione divina scire mereremur, quid sibi vellet, quidve faciendum moneret magnum illud et ineffabile prodigium. Itaque peracto illo triduano jejunio, cum jam advesperasceret, humor ille cruoris horrendi subito cœpit arescere; ac mirum in modum, qui per continuos septem dies more perennis aquæ sine intermissione distillaverat, sic intra paucissimas horas exsiccatus est, ut eo noctis tempore (nam Dominica erat) quo signo dato ad antelucanum officium celebrandum ecclesiam intravimus, nullum jam in loculo vestigium illius posset inveniri. Lintea vero, quæ circa loculum pendebant, ut [*Ms.*, et] eodem fuerunt humore respersa, ita ut erant sanguineis maculis infecta, servare jussi: in quibus adhuc magnum illius inauditi portenti paret indicium. Constat enim humorem illum saporis fuisse subsalsi, ad lacrymarum videlicet qualitatem, et tenuitatem quidem aquæ, colorem autem veri sanguinis habuisse.

17. Eadem nocte cuidam ex pueris nostris, nomine Ruodlando, per quietem duo juvenes visi sunt adstitisse, qui ei, ut ipse testatus est, de transferendis sanctorum corporibus multa mihi dicenda mandaverunt; et ad quem locum, vel qualiter id fieri deberet, ostenderunt: et ut hoc mihi sine mora fuisset nuntiatum, terribiliter comminando præceperunt. Qui mox ut me adire potuit, omnia quæ jussus fuerat mihi intimare curavit. Quibus auditis, curis ingentibus æstuare, et quid mihi esset agendum animo tractare cœpi: utrum iterum jejunia et supplicationes celebrandæ, ac Deus rursus pro nostra curiositate sollicitandus; an aliquis, Deo devote ac perfecte serviens, esset quærendus, cui anxietatem cordis nostri et curarum nostrarum querimonias indicare, quemque rogare potuissemus, ut orationibus suis a Deo nobis hujus rei manifestationem impetraret? Sed ubi vel quando ille talis Christi famulus a nobis posset inveniri, præsertim in illa regione, in qua tametsi quædam cœnobia ab eo loco, in quo eramus, haud longe posita esse constabat, tamen, propter rudem in his locis ejus conversationis institutionem, aut rarus aut nullus erat, de cujus sanctitate tale aliquid vel tenuis fama loqueretur. Interea dum his anxiatus curis A sanctorum martyrum suffragium implorassem, atque omnes qui una nobiscum erant, ut idem facerent, sedulo commonuissem, factum est ut per continuos [*Ms. add.* duodecim] dies nulla nox præteriret, in qua vel uni vel duobus, vel etiam tribus sociorum nostrorum, in somnis revelatum non fuisset, quod illa sanctorum corpora de eo loco in alium essent transferenda. Ad extremum autem cuidam presbytero de his qui ibi nobiscum erant, nomine Hildfrido, apparuit in visione, ut ipse fatebatur, vir quidam habitu sacerdotali, canitie veneranda conspicuus, candida veste indutus, qui eum talibus verbis compellavit: « Cur, inquit, Eginhardus tam duri cordis tantæque obstinationis est, ut tot revelationibus non credat, ac tot monita, ad se divinitus missa, arbitretur esse contemnenda? B Vade et dic ei, quia hoc, quod beati martyres de suis corporibus fieri desiderant, infectum remanere non poterit. Quamvis ille hactenus voluntatem eorum in hac re facere distulisset, etiam nunc, si non velit ut hujus facti meritum ad alium transeat, festinet eorum adimplere jussionem; et ad locum, quem ipsi elegerunt, corpora illorum deportare non negligat. »

18. Post has aliasque multimodas ad me perlatas admonitiones, visum est mihi illam sacrorum cinerum translationem non esse diutius differendam; ac proinde, inito concilio, decrevimus ut id, quanto celerius fieri potuisset, perficere certaremus. Igitur omnibus, quæ ad hanc devectionem necessaria videbantur, raptim et cum summo studio præparatis, prima luce, post completum matutinum officium, sacrum C illum et inæstimabilem thesaurum, cum ingenti luctu ac mœrore illorum qui in loco erant remansuri, sustulimus, atque iter ingressi portare cœpimus, comitante nos pauperum turba, quæ illo per eos dies ob eleemosynam accipiendam undecunque confluxerat: nam circa manentes populi, quid apud nos ageretur, penitus ignorabant. Erat cœlum grave sordidis nubibus, et quæ in ingentem pluviam cito resolvi possent, nisi id divina virtus fieri prohiberet: nam tota nocte illa in tantum, sine intermissione, pluebat, ut nobis iter illud ea die inchoari posse minime videretur. Sed illam nostram dubitationem, ex infirmitate fidei venientem, superna gratia per suorum merita sanctorum, longe aliter atque existimavimus, habere D se fecit; quando viam, per quam incessimus, in aliam quam sperabatur qualitatem vidimus fuisse commutatam: nam et luti parum invenimus, et rivos, qui in tam grandi ac jugi pluvia, ut ea nocte erat, crescere solebant, pene nihil crevisse reperimus. Ubi vero de saltu egressi, proximas villas accessimus, frequentibus obviorum ac Deo laudes dicentium turbis excipimur: qui nos per octo fere leucarum spatium comitati, nobis ac nostris et in sacro onere ferendo devoti adjutores, et in divinis laudibus dicendis impigri fuere concentores.

19. At ubi vidimus, quod ea die ad locum destinatum pervenire non poteramus, divertimus ad villam * Ostheim appellatam, quæ viæ nostræ contigua

* Ostheim, notatur ad exitum silvæ Ottonianæ, tribus fere leucis antequam veniatur Selingestandium.

cernebatur; et inclinante jam vespera, in basilicam B. Martini, quæ in eadem villa est, sancta illa corpora intulimus: et sociis nostris ad excubias ducendas ibi dimissis, ego cum paucis, ad locum quo tendebamus, festinando præcessi; et ea, quæ ad receptionem sanctorum corporum usus postulabat, per noctem præparavi. Ad basilicam vero, in qua illorum sacrosanctum thesaurum dimisimus, sanctimonialis quædam paralytica, nomine Ruodlang, de monasterio Makesbah, quod ab eadem ecclesia unius leucæ spatio disparatum erat, ab amicis suis ac propinquis in carro adducta, cum juxta feretrum sanctorum inter cæteros vigilans atque orans pernoctaret, recepta omnium membrorum sanitate, propriis pedibus, nullo sustentante, vel quolibet modo adminiculante, ad locum unde venerat, in crastinum regressa est.

20. At nos albescente cœlo surgentes, sociis nostris venientibus obviam ire perreximus; habentes nobiscum immodicam vicinorum nostrorum multitudinem, qui fama adventus sanctorum exciti, ad hoc primo diluculo pro foribus nostris constiterunt, ut una nobiscum sanctis obviam procederent. Et occurrimus eis in eo loco, ubi [a] Gaspentia fluviolus Mæno miscetur. Inde pariter incedentes, ac Domini nostri Jesu Christi misericordiam collaudantes, sacras illas beatissimorum Martyrum exuvias ad [b] Mulinheim superiorem — sic enim moderno tempore locus ille vocatur — cum magna omnium qui ibi adesse potuerunt lætitia et exsultatione, detulimus: sed præ nimia populi multitudine, quæ præcedens cuncta compleverat, neque ecclesiam adire, neque feretrum in eam inferre valuimus: idcirco in campo adjacente, atque in loco editiore, altare sub divo ereximus; ac feretro pone altare deposito, missarum solemnia celebravimus. Quibus expletis, ac multitudine ad sua recedente, in ecclesiam a beatis Martyribus jussam, eorum sacratissima corpora intulimus; ac feretro propter altare locato, iterum missam celebrare curavimus. Ibique inter celebrandum, puer quidam, annorum circiter quindecim, nomine Daniel, de pago Portiano, qui illuc inter alios pauperes mendicando venerat, atque ita curvus erat, ut nisi supinus atque jacens cœlum aspicere nequivisset, ad feretrum accessit; ac subito, velut ab aliquo impulsus, corruit. Cumque diu velut dormienti similis jacuisset, correctis omnibus membris, et recepta firmitate nervorum, coram oculis nostris surrexit incolumis. Facta sunt hæc decimo sexto kalendas februarias [c], et erat ejus diei tanta et tam clara serenitas, ut æstivi splendorem solis adæquaret; atque ipsius aeris tam mitis atque jucunda tranquillitas, ut veris temperiem apricitate blanda præcederet.

21. Postridie vero sacra beatorum martyrum corpora novo loculo recondita, in absida basilicæ locavimus; et, sicut in Francia mos est, superposito ligneo culmine, linteis ac sericis palliis ornandi gratia conteximus, apponentes altare; ac duo vexilla dominicæ passionis, quæ in via feretrum præcedere solebant, hinc atque inde erigentes, locum illum divinis officiis celebrandis, pro modulo paupertatis nostræ, idoneum atque aptum facere curavimus; ordinatisque clericis [d], qui inibi assidue et excubias ducerent, ac divinis laudibus dicendis curam solerter impenderent. Ipsi non solum nostra sponte, sed etiam regali diplomate, quod nobis in via obviam venerat, evocati, Domino iter nostrum prosperante, ad palatium [e] sumus cum magna exsultatione regressi.

## CAPUT III.

*Aliquæ reliquiæ sancti Marcellini, olim ablatæ, impetrantur, et ad alia loca transferuntur. — Miracula facta.*

22. Transactis admodum paucis, postquam ad comitatum [f] veneram, diebus, ego, secundum consuetudinem aulicorum maturius surgens, primo mane palatium petii. Ibi cum ingressus, Hildoinum, cujus libro superiore mentionem feci, ante fores regii cubiculi sedentem, atque egressum principis operientem, invenissem, ex more salutatum surgere, atque ad quamdam fenestram, de qua in inferiora palatii conspectus [*Ms.*, prospectus] erat, mecum accedere rogavi. Ad quam pariter stando incumbentes, de translatione sanctorum martyrum, Marcellini et Petri, nec non et de miraculo, quod in fluxu cruoris, quo loculum eorum septem diebus sudasse commemoravi, ostensum est, mirando multa sumus locuti. Cumque ad id loci sermocinando venissemus, ut etiam de vestimentis, quæ cum corporibus eorum inventa sunt, mentio fieret; atque ego miræ subtilitatis vestem beati Marcellini fuisse dicerem; ille, velut qui rem æque ut ego notam haberet, vera me de vestibus dixisse respondit. Hic ego stupefactus atque admirans, percontari cœpi, unde illi hæc vestimentorum, quæ nunquam viderat, notitia contingere potuisset. At ille me intuitus, paululum siluit, ac deinde: « Satius, inquit, esse arbitror, ut per me cognoscas, quod, me tacente, tamen per alios celeriter es cogniturus, et ego illius rei sim proditor simplex, quam fortasse alter si pro-

[a] Utique inter Selingenstadium et Aschaffenburgum; quamvis nullum ibi rivulum exprimant tabulæ topographicæ, nedum Gaspentiæ nomen.

[b] Mulinheim, est Selingenstadt.

[c] Festo scilicet sancti Antonii, eo anno 827 cadente in feriam quintam.

[d] Putat Mabilio, quod Eginhardus, hoc in opere, clericorum nomine monachos intelligat, aut certe dicendum est, inquit, clericos primum, postea monachos institutos fuisse eo in loco. Posterior conjectura magis genuina mihi videtur: nec etiam tam facile fuit statim monasterium condere, quam clericos aliquot, interim ibi deserrituros, ordinare; monasterium tamen vivente adhuc Eginhardo factum, colligit Mabilio ex ejus epist. 4, ubi Werdricus quidam Fuldensis monachus, per sui abbatis licentiam, dicitur Selingenstadii conversatus: quæ licentia haud ita facile data fuisset, si nullos tum monachos locus habuisset.

[e] Intelligitur Aquisgranense, ubi tum Ludovicus Pius Imp. residebat.

[f] Hæc ad annum 827 peracta fuisse censuit Baronius, qui eadem retulit. *Comitatus* autem hic dicitur curia imperialis, tunc, ut dixi, Aquisgrani manens.

diderit, non simpliciter enuntiabit, neque enim potest, quia sic natura comparatum est, ut hoc quisquam veraciter dicere nequeat, cujus notitiam non per se ipsum, sed aliorum relatione fuerit assecutus. Tuæ tantum fidei committo, qualiter inde mecum acturus sis, postquam meo relatu omnem rei gestæ veritatem agnoveris. »

23. Cui cum me non aliud acturum, quam quod inter nos conveniret, brevi sermone respondissem: « Presbyter, inquit, ille, qui ad deferendas beati Tiburtii reliquias Romam meo jussu profectus est, cum id, propter quod ille venerat, ita ut volebat perficere nequivisset, jamque notarius tuus, acceptis, de quibus loquimur, sanctorum martyrum reliquiis, domum redire statuisset, iniit cum illo consilium, ut illo Romæ paululum moras faciente, ipse, cum Junisone [a] fratre Deusdonæ, et cum hominibus ejus, qui illos sacros cineres ferre debebant, Papiam usque præcederet, ibique illius ac Deusdonæ præstolaretur adventum. Placuit ambobus ista conventio, illisque Romæ substantibus, [*Ms.*, remanentibus], presbyter cum Lunisone ac pueris reliquias ferentibus, Papiam proficiscitur. Quo cum esset perventum, scrinia sacros cineres continentia in ecclesia tua pone altare sunt posita, atque ab excubantibus in eadem basilica, clericis ac laicis, diligenti solertia custodita. Quadam vero nocte, cum et ipse inter cæteros ad easdem excubias in ecclesia vigilaret, contigit, ut ipse asserit, circa mediam fere noctem, ut, obripiente paulatim somno, universi qui intra eadem basilicam vigilandi gratia convenerant, præter se solum, obdormirent. Tum sibi in mentem venisse, visumque fuisse non sine magna quadam causa factum ut tot hominibus tam subitaneus sopor obrepserit: ratusque sibi oblata occasione utendum, surrexit, atque accenso lumine, ad scrinia silenter accessit. Tum filis sigillorum admota cerei flamma crematis, scrinia sine clave celeriter aperuit; ac de utroque corpore portionem, quæ ei videbatur, accipiens, sigilla, ut erant integra, filorum crematorum summitatibus annectit; nulloque id factum sentiente, in loco suo resedit. Post hæc sublatas tali furto sanctorum reliquias, cum ad me fuisset reversus, detulit: primoque illas non sancti Marcellini vel Petri, sed sancti Tiburtii esse asseveravit. Deinde cum nescio quid vereretur, secrete mecum locutus, quorum sanctorum essent reliquiæ, quoque modo eas fuisset adeptus, patenter aperuit. Habemus illas apud S. Medardum in loco celebri honorifice collocatas, ubi ab omni populo cum magna veneratione coluntur; sed utrum eas nobis habere liceat, in tuo manet arbitrio. »

24. His auditis, recordatus sum quid in itinere, quo proxime ad palatium proficiscebar, a quodam hospite meo audierim. Qui inter cætera, quæ mecum loquebatur: « Nunquid nosti, ait, qualis de sanctis martyribus, Marcellino et Petro, per hanc regionem

A fama dispersa sit? » Cumque id me nescire respondérem, tum ille: « Dicunt, inquit, qui de sancto Sebastiano [b] veniunt, quod presbyter quidam Hildoini abbatis, qui una cum notario tuo Romam profectus est, cum inde reverterentur, et, in quodam loco, communi diversorio uterentur, tuis omnibus ebrietate ac somno depressis, et id quod agebatur penitus ignorantibus, scrinia, quibus sanctorum corpora continebantur, aperuisset, eaque inde sustulisset, atque abiens Hildoino detulisset, et modo apud S. Medardum sint: in scriniis vero tuis parum quiddam sacri pulveris remansisse, quod ad te per notarium tuum perlatum sit. » Horum reminiscens, eaque cum his quæ ab Hildoino dicebantur conferens, non modica mentis perturbatione commotus sum; ob hoc

B præcipue, quia nondum inventum habebam consilium quo illam exsecrabilem atque astutia diaboli ubique divulgatam famam exstinguere ac de cordibus deceptæ multitudinis depellere potuissem. Illud tamen optimum judicavi ut Hildoinum rogarem idipsum mihi reddere, quod de meis scriniis sublatum, et ad se delatum atque a se receptum, post illam spontaneam confessionem, negare non poterat. Quod etiam quanta potui instantia facere curavi; et licet ille paulo durior ac difficilior, quam optaveram, in assensione fuisset, victus tamen est sedulitate precum mearum, cessitque improbitati meæ, qui se paulo ante nullius jussioni, in hac præsertim causa, cessurum pronuntiaverat.

25. Interea missis ad Ratleicum et Lunisonem litte-

C ris—erant enim in eo loco, ubi Martyrum corpora collocavi—qualis per totam pene Galliam de iisdem sanctis martyribus fama esset, eis indicare curavi: commonefaciens eos ut cogitarent si aliquid tale vel simile his, quæ Hildoinus de facto presbyteri sui asserebat, in via eorum factum advertere vel reminisci potuissent. Qui statim ad me in palatium venientes, valde disparem his, quæ Hildoinus dicebat, fabulam detulerunt. Nam in primis omnia, quæ presbyter ille Hildoino retulerat, falsa esse testati sunt; neque ullam postea quam Roma exierunt, vel illi presbytero vel cuilibet alteri datam fuisse occasionem, per quam ad ejusmodi facinus perpetrandum aditum habere potuisset. Sed hoc ipsum quod de sacris Martyrum

D cineribus aliter atque debuerat accidisse constabat, Romæ, in domo Deusdonæ, per avaritiam Lunisonis et vafritiam memorati presbyteri contigisse, eo videlicet tempore quo corpus beati Marcellini, de tumba sua sublatum, in domo Deusdonæ servabatur, modumque facti talem fuisse dixerunt. Memoratus ille Hildoini presbyter, spe, quam de sancti Tiburtii corpore adipiscendo conceperat, frustratus, ne omnino vacuus ad dominum suum reverteretur, quod fide non poterat, fraude assequi molitus est. Nam Lunisonem aggressus, quia pauperem ac proinde cupidum esse cognoverat, oblatis ei quatuor aureis nummis,

[a] Hic jam quater *Junizo* scribitur, usque ad num. 25., ubi iterum recurrit *Lunizo*.

[b] Scilicet ex monasterio et ecclesia S. Medardi, ubi reliquiæ sancti Sebastiani collatæ erant: ita rursum infra, num. 87, quidam ductus dicitur ad S. Sebastianum.

A quinisque argenti solidis, ad proditionem faciendam illexit. Accipiens enim oblatam pecuniam, arcam, in qua corpus beati Marcellini erat a Deusdona depositum atque inclusum, aperuit, et illi nequissimo nebuloni auferendi ex ea quod vellet, qualem ipse optaverat, potestatem fecit. Nec ille in ea rapina parcus fuit: nam tantum de sacris beati Martyris cineribus sustulit, quantum vas sextarii mensuram habens, capere posse videbatur. Hoc eo modo factum esse, ipse qui id cum memorato presbytero machinatus est Luniso, pedibus meis provolutus, flendo testatus est.

26. Tum ego, rei veritate comperta, Ratleicum ac Lunisonem eo unde venerant redire præcepi. Ac deinde cum Hildoino locutus, conventione inter nos facta, quando sacræ mihi reliquiæ redderentur, duos B clericos de domo nostra, Hiltfridum videlicet ac Filimarum — alter presbyter, alter subdiaconus [a] erat — ad recipiendas eas Augustam Suessionum [b] pergere jussi: mittens per eosdem ad locum, de quo eædem reliquiæ auferendæ erant, benedictionis gratia, nummos aureos numero centum. Qui ubi ad monasterium S. Medardi in die Palmarum [c] venissent, per triduum ibi morati sunt: et recepto illo, propter quem missi fuerant, incomparabili thesauro, comitantibus secum duobus ex eodem monasterio fratribus, quanta potuerunt celeritate, ad palatium reversi sunt; reliquias tamen non mihi, sed Hildoino detulerunt. Quas ille recipiens, in oratorio domus suæ fecit custodiri, usque dum, transactis Paschalis festi occupationibus, vacuum tempus haberet, C quo mihi id, quod reddendum erat, priusquam redderet, ostendere potuisset. Completisque post sanctum Pascha octo vel eo amplius diebus, cum rex venandi gratia de palatio fuisset egressus, Hildoinus, secundum quod inter nos convenerat, memoratis reliquiis de oratorio suo, ubi servabantur, sublatis atque basilicæ S. Dei genitricis illatis, altarique superpositis, me ut eas susciperem fecit acciri. Tum capsam, in qua reliquiæ continebantur, aperiens, ostendit mihi ut viderem quid esset, quod et ille redderet, et quod ego reciperem.

27. Exin sublatam de altari eamdem capsam manibus meis imposuit, dataque oratione competenti, præcentoris etiam officio functus, antiphonam laudi martyrum convenientem clericis ad psallendum paratis D imposuit; nosque cum illo inæstimabili thesauro recedentes, usque ad ostium basilicæ concinendo prosecutus est. Processimus inde paulatim cum crucibus et cereis, laudantes Domini misericordiam, usque ad oratorium, quod erat in domo nostra, vili opere constructum; eique, quia aliud ibi non habebatur, illas sacras reliquias intulimus. In illa vero processione nostra, quam de basilica usque ad oratorium nostrum nos fecisse dixi, quid miraculi acciderit, censeo non esse tacendum. Egredientibus enim nobis de ecclesia, laudemque Domino Deo nostro excelsa voce canentibus, tanta vis suavissimi odoris eam partem vici Aquensis, quæ ab ecclesia ad occidentem respicit, totam implevit, ut illa fragantia pene omnes ejusdem partis habitatores, itemque universi, qui pro quibuslibet causis atque negotiis eadem in parte fuerant constituti, ita divinitus commoverentur, ut omissis, quæ in manibus habebantur operibus, cuncti cursu rapidissimo primo ad ecclesiam, deinde quasi per vestigium ad oratorium nostrum, in quod illas reliquias illatas esse audierant, summopere festinarent. Fit immodicus intra septa nostra exultantis simul atque admirantis populi concursus; et cum magna pars eorum, qui confluxerant, id quod agebatur quid esset ignoraret, gaudio tamen et exultatione repleti, Dei omnipotentis misericordiam collaudabant.

28. Postquam autem, fama crebrescente, divulgatum est reliquias sancti Marcellini martyris in eum locum esse delatas, non solum de eodem vico Aquensi, et vicinis atque adjacentibus villis, verum etiam de longinquioribus locis ac pagis adeo frequens atque immanis multitudo congregata est, ut nobis ad officium in eodem oratorio celebrandum, præter vespertinas horas atque nocturnas, haud facilis pateret introitus. Adducebantur undique debiles, et variis affecti languoribus, circa oratorii parietes, a propinquis suis atque amicis collocabantur. Videres ibi pene omnia infirmitatum genera, per virtutem Christi Domini, et per meritum beatissimi martyris, in omni sexu et ætate curari. Cæcis visus, claudis incessus, surdis auditus, mutis sermo redditur; paralytici etiam, et qui totius corporis viribus destituti, alienis manibus apportati sunt, sanitate recepta, propriis pedibus ad sua revertebantur [d].

29. Hæc ubi ad regias aures relatione Hildoini perlata sunt, statuit primo ut ad palatium regressus, oratorium nostrum, in quo hæc fiebant, martyrem venerabundus accederet: sed ne id faceret, eodem Hildoino suggerente, prohibitus, ad majorem basilicam reliquias deferri præcepit, ibique delatas, humili supplicatione veneratus est, celebratisque missarum solemniis, obtulit beatis martyribus, Marcellino et Petro, quoddam prædiolum, situm juxta fluvium Aram, vocabulo Ludovesdorf [e], habens mansos quindecim et vinearum aripennes novem. Obtulit et regina cingulum suum, ex auro et gemmis factum, pensans libras tres. Quibus expletis, relatæ sunt reliquiæ ad locum suum, in oratorium videlicet nostrum, fueruntque ibi diebus quadraginta vel eo amplius [f], usque dum imperator palatio egrediens,

[a] Aliquibus *diaconus*.

[b] Surio *Suessorum*.

[c] Ergo 14 Aprilis: nam Pascha eo anno 827 celebrandum erat 21.

[d] Aliqua ex miraculis infra toto capite sexto referuntur.

[e] Surio *Ludovestropf*. Fluvius *Ara*, cui adjacet, in Juliacensi ducatu oriens, per Eyfliam intrat diœcesim Coloniensem; seque Rheno immergit inter Coloniam et confluentiam, ad Zunichium oppidum.

[f] Ergo usque ad exitum Maii, vel initium Junii.

venandi gratia, solemni more silvas peteret. Quo facto, et nos comparatis, quæ ad profectionem nostram necessaria videbantur, cum eisdem reliquiis de vico Aquensi promovimus. In ipso autem nostræ egressionis articulo, cum missarum solemnia celebrarentur, anus quædam in palatio notissima, annorum circiter octoginta, nervorum contractione laborans, in conspectu nostro curata est. Quæ, ut ipsa narrante didicimus, per quinquaginta annos hoc morbo detenta, more quadrupedum, genibus manibusque nitendo, officium ambulandi reptando impleverat.

30. Inde iter ingressi, suffragantibus sanctorum meritis, sexto decimo [*Ms.*, sexto demum] die Mulinheim vicum, in quo sacros beatorum martyrum cineres ad comitatum profecturi dimisimus, Domino adjuvante pervenimus. In quo itinere quantum gaudii, quantumque lætitiæ, de illarum adventu reliquiarum, populis in eadem via consistentibus accesserit, neque mihi silendum est, nec tamen ita ut fuit, plene dici atque enuntiari potest. Dicendum tamen est, ne res ad Dei laudem maxime pertinens, quasi per desidiam, silentio suppressa videatur. Ac primum quidem gestit animus id referre, quod, palatio egressi, in multorum præsentia nos vidisse reminiscimur. Vurmius [a] dicitur fluviolus, duobus fere passuum millibus ab Aquensi palatio distantem habens pontem. Ad quem venientes, propter multitudinem quæ nos eousque de palatio prosequebatur, jamque redire volebat, ut orandi locum haberet, parumper constitimus. Ibi quidam de orantibus cum alio ad reliquias accedens, sociumque respiciens: « Propter amorem, inquit, atque honorem hujus sancti, ære alieno, propter quod te mihi obnoxium esse non ignoras, absolvo. » Debebat enim ei, ut ipse fatebatur, dimidiam argenti libram. Itemque alter socium suum manu comprehensum ad reliquias trahens: « Patrem, ait, meum occidisti, ac proinde inimici eramus ad invicem; nunc autem, propter amorem atque honorem Dei, et hujus sancti, deposita simultate, fœdus tecum jungere atque inire volo, ut abhinc in futurum perpetua inter nos amicitia permaneat: sitque hic Sanctus condictæ in invicem charitatis testis, et ultor in eum, qui banc pacem prior irrumpere tentaverit! »

31. Hic illa turba, quæ nobiscum de palatio fuerat egressa, adoratis atque osculatis sacris reliquiis, cum multis lacrymis, quas præ nimio gaudio continere non poterat, domum revertitur: alia multitudine, quæ ibi nobis obviavit, nos comitante, atque *Kyrie eleison* sine intermissione cantante usque ad eum locum, in quo simili modo ab aliis occurrentibus excipiebamur; quæ tunc similiter, ut prior, supplicatione facta, ad sua reversa est. Hoc modo per singulos dies, a prima luce usque ad vesperam, comitantibus ac Domino Christo laudem dicentibus populorum turbis, ab Aquensi palatio usque ad memoratum Mulinheim vicum, Domino iter nostrum prosperante, pervenimus. Atque ibi illas reliquias super altari, pone quod loculus sacros martyrum cineres continens positus erat, gemmata capsa reconditas collocavimus; fueruntque ibi sic positæ, usque dum nos mense novembrio ad palatium ire parantes, per revelationem admoniti sumus, ne prius de illo loco proficisceremur, quam eas corpori, de quo sumptæ erant, conjungeremus. Qualiter autem revelatum fuerit, ut hoc fieri deberet, non est silentio transeundum; quia non solum somnio, ut fieri solet, sed etiam signis quibusdam ac terroribus, ad vigilantium curam pertinentibus, ostensum est, beatos martyres omnimodis voluisse ut in hac re jussio illorum fuisset adimpleta.

32. Erat unus de clericis, qui ad excubias basilicæ deputati fuerunt, nomine Landolphus, cui tunc signi tangendi cura commissa fuerat, habens stratum suum juxta australem basilicæ januam. Qui cum, secundum consuetudinem nocturni ac matutinalis officii, solemni more surgeret, signumque moveret, completoque ante lucem eodem officio, rursum dormire vellet, clausis ecclesiæ foribus, coram sanctis martyrum cineribus supplicandi gratia se prostravit. Ibi cum psalmum quinquagesimum, ut ipse asserit, dicere inciperet, audivit juxta se in pavimento velut sonitum pedum hominis, huc atque illuc ibidem deambulantis. Consternatusque pavore non minimo, erexit se paululum in genua, et in omnem partem circumspicere cœpit, æstimans aliquem de pauperibus, clausis ecclesiæ januis, in quolibet angulo delituisse. Cumque nullum alium quam se solum intra parietes basilicæ esse cerneret, iterum se ad orationem inclinavit, ac psalmum, quem prius inchoaverat, repetivit; sed, antequam unum ejus versum complere potuisset, capsa quæ altari imposita sacras beati Marcellini reliquias continebat, repentino crepitu tam vehementer insonuit, ut quasi malleo percussa dissiluisse putaretur. Duo quoque ostia basilicæ, quæ jam clausa erant, occidentale videlicet atque australe, velut aliquo pulsante atque impellente, simili modo sonuerunt

33. Quibus exterritus ac stupefactus, cum quid sibi agendum esset penitus ignoraret, surgit ab altari, et in lectum suum se pavitando projecit; subitoque sopore depressus, vidit sibi quemdam ignoti vultus virum assistere, qui se talibus verbis compellaret: « Certum ne est, ait, Eginhardum sic ad palatium properare velle, ut reliquias sancti Marcellini, quas huc detulit, prius in locum, de quo sublatæ fuerant, non reponat? » — Cum ille se hujus rei ignarum esse respondisset, — « Surge, inquit, primo diluculo, eique ex auctoritate Martyrum præcipe, ne hinc abire vel alicubi pergere præsumat, antequam reliquias illas loco suo restituat. » Expergefactus surrexit, et

[a] Vulgo *Worm*, haud longe supra civitatem exoriens, ac circa Hensbergam Ruræ influens. Mabilio, nescio quo errore, *Wimiobum* legit, ad eumque locat *Mulinheimium vicum*, contra expressam hujus loci sententiam.

ubi me primum convenire potuit, hoc quod sibi fuerat imperatum, mihi intimare curavit. Sed neque ego segniter in hujusce modi negotio aliquid agendum arbitratus, imo id quod jubebatur sine ulla morarum interpositione adimplendum esse judicans, ipsa quidem die ea quæ ad hoc necessaria videbantur præparare jussi; sequenti vero sacras illas reliquias corpori, de quo sumptæ fuerant, cum summa diligentia sociare curavi. Quod factum quam gratum beatissimis martyribus foret, attestatione miraculi subsequentis liquido comprobatur. Nam proxima nocte, cum ad matutinum officium in basilica solemniter sederemus, senex quidam gressuum officio destitutus, genibusque ac manibus nitens, reptando ad orationem intravit. Is coram omnibus nobis, per virtutem Dei et merita beatissimorum martyrum, eadem qua ingressus est hora, ita perfecte curatus est, ut ad incedendum ne baculi quidem sustentatione ulterius indigeret. Qui etiam et surdum se per continuum quinquennium fuisse, simulque cum officio pedum auditum sibi redditum affirmabat. His ita peractis, ad comitatum, sicut superius me facere voluisse retuli, ibidem hiematurus, multa mecum reputando profectus sum.

## CAPUT IV.

*Miracula in surdis et mutis, contractis et aliis ægris, Mulinheim patrata. — Cervisia in vinum mutata. — Cereus ultro accensus.*

34. Scripturus virtutes atque miracula, quæ beatissimi martyres Christi, Marcellinus et Petrus, postquam eorum sacratissima corpora de Roma in Franciam delata sunt, per diversa loca fecerunt, imo quæ, per illorum beata merita et pias orationes, ipse rex martyrum Deus et Dominus noster Jesus Christus, ad salutem hominum, operari dignatus est, necessarium judicavi brevi præfatione perstringere quod ex his, quæ scribere disposui, major pars ad notitiam meam aliorum relatione perlata est; quibus tamen ut fidem haberem, ex his quæ ipse vidi et coram positus agnovi, tam firmiter mihi persuasum est, ut sine ullo dubitationis scrupulo vera esse crederem, quæ ab his dicebantur, qui se illa vidisse testati sunt, tametsi personarum, a quibus hæc audieram, aut parvam aut nullam eatenus notitiam haberem. Cæterum de his omnibus ea primum scribenda videntur quæ in eo loco gesta et a meipso visa sunt, ad quem suos sacratissimos cineres iidem beatissimi martyres transferri præceperunt. Deinde illa, quæ in Aquensi palatio, sub ipsis aulicorum obtutibus facta memorantur. Tum ea quæ per diversa loca, ad quæ, religiosis viris petentibus ac me tribuente, sacræ illorum reliquiæ delatæ sunt, gesta referuntur, censui esse ponenda; ut, hoc ordine in relatione servato, nihil remaneat ex omnibus signis atque miraculis, quæ ad nostræ parvitatis notitiam pervenire potuerunt. Sed jam, nunc præfatione completa, ipsa quæ dicenda sunt miracula proferamus.

35. Postquam sacra beatissimorum martyrum corpora, sicut jam in superioribus demonstratum est, ipsis jubentibus et nobis morem gerentibus, ad locum, in quo nunc requiescunt, cum ingenti fidelium populorum exultatione perlata, et, celebratis in campo missarum solemniis, manibus sacerdotum, quorum ibi tunc non parvus numerus erat congregatus, in basilicam deportata sunt, feretrumque quo vehebantur juxta altare positum est, et iterum aliud officium ibidem celebrari cœptum, subito quidam adolescens, renum dissolutione affectus atque ideo curvus ac baculis innitens, de media circumstantis populi multitudine prorupit, seque ad adorandum inclinare cupiens, in genua procubuit; sed mirum in modum, velut aliquo se revellente vel potius retrahente, supinus cecidit, similisque dormienti diutissime jacuit. Tum quasi evigilans, in sessum se erexit; ac deinde post paululum, nullo adminiculante, surrexit, stansque in medio circumfusæ multitudinis, una cum cæteris de recepta sanitate gratias agendo, Dei misericordiam collaudavit. Hic se de pago Portiano [a] cum aliis pauperibus ac peregrinis illuc venisse, Danielemque vocari, nobis percontantibus indicavit. Eadem fere hora, eodemque ut ita dicam momento, quo is de quo nunc diximus, intra ecclesiam et coram ipso altari, per virtutem Christi et intercessionem martyrum, sanitatem est consecutus, mulier quædam paralytica, et pene omnium membrorum officio destituta, pro foribus ecclesiæ jacens, in auxilium sui sanctos martyres invocavit; et mox, cunctis cernentibus qui circa steterant, cœpit commotis visceribus velut nauseabunda concuti, ac deinde magnam vim phlegmatis ac bilis vomendo projicere. Quo facto, paululum aquæ frigidæ sumens, de loco in quo jacebat se levari rogavit, et baculo nitens basilicam introivit, adoratisque martyribus ac recepto membrorum vigore, ad propria repedavit.

36. Interea quidam homo, Vuillibertus nomine, haud longe a basilica, in qua nunc beatorum martyrum corpora requiescunt, domum habens, inter cæteros, qui ad venerationem sanctis exhibendam convenerant, ad feretrum accessit, et quasi pro dono quadraginta denarios obtulit. Qui, cum a nobis fuisset interrogatus quis esset, quidque sibi vellet hujusce muneris oblatio, retulit se ante paucos dies gravissimo languore correptum, ad extrema fuisse perductum, adeo ut ab omnibus, qui se viderant, desperatus, admoneretur ut omnes facultates suas pro remedio animæ suæ celeriter erogaret: seque ita fecisse. Jamque omnibus quæ habebat, ad quæ pia loca danda forent dispositis, unum ex servis suis cum ingenti gemitu fuisse conquestum, quod perperam ac valde negligenter ab eis factum esset in eo quod nihil de bonis ejus sanctis nuper de Roma venientibus datum esset. Tum se circumstantes interrogasse, si aliquid de rebus suis superesse scirent, quod ad martyres mitti potuisset. — Erant enim ad-

[a] Id jam supra num. 20 legimus : sed *Pagus Portianus* quis sit, adhuc requirimus.

huc in Michilinstadt, et nondum aliquibus signis inclaruerat, quod inde migrare deberent. — Tum quemdam respondisse, quoniam de omnibus rebus ejus unus tantum porcus remansisset, et non esse deputatum quo dari deberet, tunc sibi complacuisse, eoque præcepisse, ut venundaretur, et post obitum suum pretium illud ad martyrum luminaria mitteretur. Quibus verbis expletis, tam subitam se asserit sensisse medelam, ut protinus, omni dolore fugato, etiam edendi desiderium habuerit, ciboque sumpto, in tantum brevi confortatus sit, ut in crastinum ad omne opus, quod rei familiaris necessitas postulasset, procurandum vel faciendum percommode ire potuisset. Post hoc porcum illum fuisse venditum, et hoc esse pretium ejus, quod ex voto beatis martyribus offerebat.

37. Reliquas virtutes atque miracula, quæ per eos Dominus ad salutem hominum operatus est, quoniam quo ordine dicantur nihil referre video, ita ut memoriæ occurrerint censui describenda; quia in earum relatione magis quid et quare, quam quando aliquid gestum sit, considerandum est.

Collocatis igitur in eadem basilica more solemni beatorum martyrum reliquiis, cum secundum ecclesiasticæ institutionis consuetudinem sacra missarum solemnia quotidie celebrarentur, contigit ut quadam die, cum divina res ageretur, et nos in superioribus ejusdem ecclesiæ locis constituti, super subjectum atque in inferioribus constitutum populum intenderemus, clericus quidam seminudus, qui inter cæteros ad idem officium venerat, atque in media multitudine consistebat, tam gravi ruina subito collapsus est, ut mortuo similis in pavimento diutissime jacuisset. Quem cum stertentem aliqui ex circumstantibus levare atque erigere conarentur, tanta vis sanguinis ex ore et naribus erupit, ut tota anterior pars corporis, id est, pectus et venter, et usque ad vestem qua inguina tegebantur, hac esset exuberatione perfusa. Qui cum allata aqua fuisset refocillatus, resumptis viribus clare locutus est. Nam postmodum a nobis interrogatus, testatus est se ab infantia sua usque in præsens neque audire aliquid, nec loqui potuisse. Patriam sibi esse Britanniam, se natione Anglum; matrem suam visitandi gratia, quæ Romæ peregrinaretur, iter arripuisse, atque ita inter cæteros peregrinos, qui una Romam ire volebant, in illum locum pervenisse, sed, sociis suis abeuntibus, se substitisse; ipsumque diem, quo sanus factus est, septimum esse ex quo in locum illum venerat. Cumque ab eo nomen ejus quæreremus, respondit se nomen suum penitus ignorare, pro eo quod ex tempore, quo obsurduit, nunquam nomen suum audierit.

38. Exin post aliquot dies, cum more solemni ad vespertinum officium in ecclesia fuissemus congregati, puella quædam surda et muta, quam de pago Biturigum [a] pater ejus ac frater, salutem quærendi

A gratia, per multa sanctorum loca trahentes, tandem illuc perductam inter cæteros in eadem ecclesia stare fecerunt, subito velut insania quadam excitata, tabulas quarum crepitu ad eleemosynam petendam utebatur, quanta potuit virtute concussit, atque in populum ante se constitutum furibunda projecit. Tum ad sinistrum ecclesiæ parietem accurrens, velut in eumdem ascensura, trium vel eo amplius pedum saltu in altum dato, supina corruit; et, cum ibi paululum mortuo potius quam dormienti similior jacuisset, atque eruptione sanguinis, qui ex ore ac naribus nimius profluebat, esset pene tota respersa, a circumstantibus sublata atque in medium basilicæ deportata est. Cumque et ibi aliquandiu jacuisset, velut de gravi somno experrecta resedit: ac deinde

B manus his qui astiterant porrigens, ut in pedes erigeretur, quibus poterat nutibus oravit. Erecta ad altare deducitur: ubi cum Ratleicum inter alios clericos, qui juxta altare constiterant, stantem ac se respicientem cerneret, protinus in hæc verba prorupit: « Tu es, inquit, Ratleicus; tu, ait, hoc nomine vocitaris tu es servus horum sanctorum. » Quam cum ille percontaretur unde hoc scisset, vel quis ei nomen suum indicasset: « Sancti, inquit, isti, qui hic requiescunt, quando velut dormiens jacui, accesserunt ad me et miserunt digitos suos in auriculas meas dixeruntque mihi: Cum surrexeris, et ad altare accesseris, clericus ille juvenis, quem coram te assistere ac te intendere videris, scito quod ille Ratleicus vocatur, et ille servus noster est;

C nam ipse est qui ad hunc locum corpora nostra detulit. » Et revera ita erat. Si quidem ipse erat, quem, propter sanctorum reliquias a quodam diacono recipiendas nobisque deferendas, Romam nos misisse in primo libro memoravimus. Et hæc quidem hoc modo coram nobis, per virtutem beatissimorum martyrum, depulso infirmitatis spiritu, integerrimam corporis sui sanitatem est consecuta; quam pater ac frater, qui eam illo deduxerunt, a tempore nativitatis suæ surdam et mutam semper fuisse testati sunt.

39. Miraculum autem, quod nunc narraturus sum, ego ipse non vidi, sed verbis eorum quorum hoc relatione mihi compertum est, non minus quam propriis oculis credere possum; ideoque non ut auditum,

D sed potius ut a me ipso visum, incunctanter ac sine ulla dubitatione proferre decrevi.

Mercatores quidam de civitate Moguntiaca, qui frumentum in superioribus Germaniæ partibus [b] emere, ac per fluvium Mœnum ad urbem devehere solebant, cæcum quemdam natione Aquitanum, nomine Albricum, mercedis a Deo promerendæ gratia navi suæ impositum, sicut ipse petiverat, ad basilicam beatorum martyrum deduxerunt. Qui cum ibi egressus, atque in domo custodis ecclesiæ esset hospitio receptus, septem vel eo amplius dies ibidem moratus est. Habebat enim præter cæcitatem — quæ

[a] Scilicet in Aquitania prima, ad quam fama miraculorum devenerat.

[b] Scilicet ex marchionatu Culembachio, episcopatu Bambergensi, et contiguis Bohemiæ locis.

qui propterea quod oculis carebat, naturalis jam esse videbatur — horribilem ac fœdam totius corporis infirmitatem. Erat enim omnium membrorum ingens tremor, qui eumdem tam gravi quatiebat incommodo, ut propriis manibus cibum ori suo porrigere penitus non valeret. Is cum die quadam, horis antemeridianis in hospitio jacens, obdormisset, vidit per soporem quemdam sibi assistentem seque monentem ut cito surgeret, atque ad ecclesiam festinaret; tempus dicens advenisse, quo de illa miserabili passione per virtutem sanctorum liberari deberet. Expergefactus atque ad ecclesiam ductus, pro foribus in quodam lapide consedit. Agebatur tunc in ecclesia, more solemni, divinum officium, et expletis orationibus quæ sacram Evangelii lectionem præcedere solent, ipsum legi cœptum est. Cujus cum vix duo versus fuissent legendo completi, ecce repente, velut vim patiens, tremulosus ille vociferatus est, dicens : « Adjuva me, sancte Marcelline! » Quo clamore tametsi omnes qui in ecclesia erant, haud parva forent perturbatione commoti, majore tamen parte propter reverentiam evangelicæ lectionis in loco remanente, plures ad videndum quænam causa hujusce clamoris existeret accurrerunt; et, ut postea testati sunt, invenerunt eumdem, in eo quo consederat loco, extento ac resupinato corpore jacentem, mentumque ac pectus cruore ex naribus profluente inundatum. Qui cum ab eis erectus, et paululum aquæ frigidæ sumens fuisset recreatus, retulit sibi visum fuisse, tunc cum illam vocem emiserat, quod aliquis eum pugno in cervicem percussisset, atque ideo beati martyris auxilium implorasse. Cæterum hunc ictum tam salutarem ei fuisse constat ut, ex illo temporis momento, nullum illius fœdæ agitationis vestigium in ejus corpore ulterius appareret. Is postea per duos fere annos in eodem loco mansit, et ut ipse testatus est, nulla nox in hoc biennio fuit, in qua per somnium eosdem, qui eum salvum fecerunt, martyres non vidisset; multa quoque ab eis audisset, quæ aliis dicere jubebatur : ex quibus pleraque nunc implere cernimus, quæ ille tunc futura esse prædixit.

40. Post paucos dies vidimus et alium quemdam, simili morbo implicitum, in eadem basilica, per eorumdem sanctorum merita, non dissimili modo curatum. Nam quadam nocte, cum ad matutinum officium celebrandum et divinæ legis lectiones audiendas in ecclesia sederemus, intravit quidam habitu clericali, trementibus membris, baculoque nitens, titubantia vestigia ægre gubernabat. Cumque se juxta parietem ad orandum inclinaret, ingenti voce emissa, repentino casu cernuus ruit, ac parva temporis mora interposita, ab eo quo tenebatur incommodo sanus surrexit. Is, cum ab eo quæreremus si aliud aliquid, præter quod nos omnes videre potuimus, sibi visum fuisset ea hora, qua salutem est consecutus, dixit se, paulo ante quam basilicam fuisset ingressus, ad ecclesiam veterem, quæ occidentem versus a nova basilica, in qua martyres tunc A quiescebant, parvo spatio distabat, orandi gratia venisse, et cum eam clausam offendisset, pro foribus orasse. Deinde cum se erexisset, et ad ecclesiam ire cœpisset, vidisse quemdam clericum, veneranda canitie, stola alba indutum, eo quo et ipse ire volebat se præcedentem. Quem, ut ipse asserit, secutus est usque ad ostium basilicæ. Quo cum ambo venissent, is qui præcedebat substitit, sinistro posti se applicans, quasi vellet ut ille prius ingrederetur, quem ipse paulo ante præcesserat : cunctantique ut ante se intraret, annuendo imperavit. Qui cum intrasset et ad orandum se inclinasset, post tergum ejus stetit, et cum pugno in cervicem percussit atque prostravit, et confestim evanuit. Quem tamen nemo alius, nisi solus ille qui sanatus est, videre potuit.

B 41. Sub idem fere tempus, cum quadam nocte surgentes, ad ecclesiam iremus, invenimus pro foribus ecclesiæ quemdam puerum, in porticu jacentem, adeo miserabiliter contractum, ut mento genua jungerentur. Qui unum, ex his qui nos sequebantur, rogavit, ut se in ecclesiam deportaret; et ille, misericordia motus, sustulit eum, et in ecclesia juxta cancellos jacere fecit. Qui confestim irruente sopore, ubi jacuit obdormivit; nec prius evigilavit plene, quam de illa miserabili contractione, per suffragia sanctorum, ita perfecte sanatus est, ut evigilans per se, de loco in quem alio portante delatus est, surgeret, atque ad altare Deo gratias acturus accederet. Is tamen, ubi dies illuxit, et nos cum eo loqui potuimus, retulit se tribus vicibus, priusquam C signum ecclesiæ sonuisset, a quodam sibi ignoto clerico excitatum, atque admonitum ut nequaquam prætermitteret quin tempore matutini officii in ecclesiam veniret. Se quoque ita fecisse, ac postea, sicut nos vidimus, in ecclesia dormientem integram sui corporis sanitatem recepisse. Et hic quidem annorum circiter quindecim esse videbatur.

42. Alium itidem vidimus, non puerum, ut hic erat, sed valde senem atque decrepitum, pari morbo affectum, eodem in loco, simili modo, simili in tempore curatum. Quem et ipsum nocte quadam, cum propter matutinum officium celebrandum ad ostium ecclesiæ venissemus, in ipso limine reperimus. Qui genibus nitens, duobus se baculis sustentabat, ac sic illo tardissimo motu ad ingrediendum nos morabatur. D Cumque post tergum ejus constituti, illam pigram promotionem præstolaremur, tanta suavissimi odoris fragrantia, de basilica procedens, nares nostras implevit, ut omnium aromatum ac thymiamatum artificiosam compositionem sua præstantia superaret. Intravit tandem, et coram nobis juxta cancellos quasi ad dormiendum procubuit : nos quoque basilicam ingressi, nostris locis constitimus, ac simul cum aliis psalmos, qui dicebantur, solemni more cantavimus. At ubi prima lectio recitari cœpta est, audivimus eumdem senem gemere, et, quasi qui vim pateretur, auxilium implorare; ac deinde interjecto parvi temporis spatio, vidimus in sessum se erigere, ac protinus baculis, quibus incessum re-

gere solebat, assumptis, etiam in pedes constitisse. Et nos quidem hæc vidimus. Ipse autem fatebatur sibi visum fuisse, quod se jacentem quasi duo quidam apprehendissent, unus per humeros ad [*Ms.*, et] brachia, alter per crura et pedes, ac si [*Ms.*, sic] trahendo, nervos suos qui contracti erant extendissent. Et quia præter hoc contractionis incommodum etiam surdum se fuisse asserebat, dixit sibi, cum in sessum fuisset erectus, velut ictum pugni validissime ferientis in caput supervenisse [*Ms*, superne venisse]; vocemque simul ut in futurum audiret imperantis audisse. Hic senex hoc modo sanatus, de pago Helvetiorum qui nunc Aragaovin [a] vocatur, se venisse, et natione Alamannum esse testatus est.

43. Alius autem simili modo nervorum contractione debilitatus, qui se de vico Leodico, ubi sanctus Lambertus [b] corpore requiescit, venisse dicebat, quadam dominica nocte, post peractum matutinale officium, nobis jam de ecclesia regressis, cum propter eos qui de longe venerant, et ad sua redire festinabant, hostiæ salutaris sacramenta presbyter ex more celebraret, coram omnibus qui aderant, in pavimentum cecidit, ibique parvo temporis spatio velut soporatus jacuit; dein, quasi de somno expergefactus, nemine se sublevante, surrexit. Cumque unus ex circumstantibus baculos, quibus ante uti solebat, et, cum caderet, de manibus ejus elapsi procul jacebant, sumeret, eique porrigeret, renuit, dicens: « Absit a me, ut eos ulterius attingam. » Sed et iste ad hunc modum curatus, in patriam repedavit, de qua, reptando potius quam incedendo, ad martyrum limina pervenerat.

44. Nec multo post, cum ego mense novembrio, secundum consuetudinem in palatio hiematurus, ad comitatum ire disponerem; jamque iter ingressus, transmisso flumine Hreno, in villam regiam, cui Sinciacus [c] vocabulum est, ad manendum venirem, et post cœnam, quæ aliquam noctis partem occupaverat, in cubiculi secretum, ubi quieturus eram, cum familiaribus meis me recepissem; minister qui potum nobis porrigere solebat, quasi novi aliquid nuntiaturus, festinanter intravit. Quem ego intuitus: « Quid tu, inquam, narrare vis? Nam ut video, habes nescio quid, quod ad nostram vis perferre notitiam. » — Tum ille: « Signa, inquit, duo coram nobis modo facta sunt, quæ vobis indicare veni. » Cumque eum, quidquid vellet, dicere jussissem: « Modo, ait, cum de cœna surgentes hoc cubiculum intrastis, ego cum sociis meis descendi in cellarium, quod huic cœnaculo subjectum est. Ubi cum cervisiam ministris petentibus distribuere cœpissemus, supervenit puer missus a quodam conservo nostro, flasconem ferens quem sibi impleri flagitabat. Qui cum esset impletus, petiit ut etiam sibi de eadem cervisia quantulumcunque daretur ad bibendum. Datum est in vase, quod casu vacuum supra cupam, in qua cervisia erat, positum fuerat. Sed ubi hoc hausturus ori admovit, cum ingenti admiratione, vinum hoc, non cervisiam esse, clamavit. Cumque eum is, qui et flasconem impleverat, et idipsum, quod illi datum fuit, de eodem foramine traxerat, mendacii cœpisset arguere: — Sume, inquit, et gusta; et tunc me non falsum, sed potius verum dixisse probabis. — Sumpsit ille atque gustavit, sibique similiter vinum hoc, non cervisiam sapere testatus est. Tunc tertius et quartus, cæterique qui aderant, singillatim gustando et mirando, totum quod in vase fuerat ebiberunt. Quotquot autem inde gustaverunt, meri, non cervisiæ id saporem habuisse, testati sunt.

45. Interea, cum in hujus signi admiratione attoniti stuperent, contigit ut cereus, cujus lumine ibidem utebantur, et tunc propter cupam parieti affixus ardebat, nemine contingente, in madens humore pavimentum caderet; atque ita esset extinctus, ut ne parvissima quidem in eo scintilla remaneret. Quem unus eorum arripiens, ad ostium cucurrit; sed horrore tenebrarum permotus, priusquam egrederetur, in ipso limine stans: Sancti, inquit, martyres Marcellinus et Petrus nos adjuvent! Ad quam invocationem cereus ille, quem manu tenebat, accensus est. » Hæc ubi audivi, confestim Deo omnipotenti, ut par erat, laudem dixi et gratias egi, qui sanctos suos semper et ubique glorificat, et nos famulos suos, qui sacras eorum reliquias tunc nobiscum habebamus, de tantis virtutibus lætificare dignatus est. Illum autem, qui hæc mihi nuntiavit, expleta narratione, ad mansionem suam secedere jussi. Cæterum cum me ad quiescendum in lectulo collocassem, cœpi mecum multa volvendo tractare atque mirari, quidnam sibi vellet, quidve portendere posset illa cervisia [*Ms.*, cervisiæ] in vinum, id est deterioris potionis in meliorem facta mutatio; aut cur in eo loco, id est, in regia domo, ac non potius in eo, ubi beatorum martyrum, qui hæc prodigia per virtutem Christi fecerunt, sacratissima corpora recondita sunt, hujusce modi miraculum evenisset? Sed licet ad hujus quæstionis certam indaginem longa ac sollicita cogitatione pervenire nequirem, certum tamen habui et certum semper habebo, illam divinam atque supernam virtutem, per quam hæc atque alia hujus modi miracula fieri creduntur, nihil unquam sine causa vel facere vel fieri sinere in creaturis, quas ad suam providentiam et gubernationem pertinere non dubito.

## CAPUT V.

*Alia miracula Mulinheim facta, surdis et mutis, paralyticis et amentibus sanatis. — Lumen iter agentibus nocte concessum — Libellus imperatori oblatus.*

46. Igitur inde digressus, sicut superius dixi, ad

[a] Nunc *Argow*, ab interfluente Ara sic dictus pagus, totius Helvetiæ veluti centrum occupat, ac Lucernatibus paret.

[b] Sanctus Lambertus, episcopus Trajectensis, colitur 17 Septembris.

[c] Sinciacus, vulgo *Zinsich*, oppidum diœcesis Coloniensis, supra Bonnam leucis 4.

comitatum perrexi. Nam imperator Hludowicus eo A tempore Aquisgrani palatio consistens, conventum [a] procerum ibi fieri media fere hieme præceperat; ubi et ego inter cæteros adesse jussus, quia de vicinia beatorum martyrum abesse cogebar, parum jucundas in palatio moras faciebam. Ideoque post unum, ex quo illo veneram, mensem exactum, misi quemdam ex nostris, nomine Ellenhardum, præcipiens ei ut ad limina beatorum martyrum quanta posset celeritate festinaret, visitatisque fratribus nostris, quos inde digrediens ad divinum servitium faciendum ibi dimiseram, atque omnibus quæ ibidem agerentur diligenter exploratis, ad nos cito recurreret. Qui cum illuc venisset, tribus ibi mansit diebus. Quarto vero eum jam ad nos reverti disponeret, cæcus ille, nomine Albricus, cujus in su- B perioribus fecimus mentionem [b], detinuit abire parantem; affirmans eum non prius iter suum ingressurum quam tale signum fieri vidisset, cujus relatione me lætum atque oppido gaudentem efficeret. Addidit etiam beatissimos martyres præterita nocte sibi in somnis apparuisse, atque hoc in mandatis dedisse ut perquireret quemdam pauperem, nomine Gisalbertum, immani gibbo depressum, ac proinde curvum et brevibus baculis innitentem; atque inventum in cœnaculo, quod supra porticum basilicæ est, tempore matutini officii, juxta reliquias quæ ibi erant, collocaret: eo quod ibi, per merita et virtutem sanctorum, quorum illæ reliquiæ essent, de illa gibbi deformitate atque curvi- C tatis incommodo liberari deberet. Paruit ille suadenti, atque iter, quod aggredi paraverat, distulit in crastinum. Ac cæcus ille jussum pauperem perquirens invenit; et, ut sibi præceptum erat, in superioribus ecclesiæ partibus juxta prædictas reliquias, officii matutini tempore, collocavit. Erant autem illæ reliquiæ, quod nondum noveramus [c], beati Marii martyris, et uxoris ac filiorum ejus, Marthæ videlicet, Audifacis et Habacuc. Quæ utique simul cum sanctorum Marcellini et Petri corporibus, et in eodem loculo ad nos perlatæ sunt. Sed is qui eas detulit, cujus essent reliquiæ nescivit; nam ille, qui eas mihi miserat, promisit se ad me esse venturum, ac nomina sanctorum, quorum hæ reliquiæ forent, per semetipsum mihi in- D dicaturum: quod postea factum est. Pauper vero, qui juxta illas a memorato cæco fuerat collocatus, cum secunda lectio ad nocturnum officium ex more legeretur, edito ingenti clamore, non modicum pavorem audientibus incussit. Ad quem cum nonnulli clericorum, una cum illo qui hoc ibi opperiri jussus fuerat, accurrissent, invenerunt eum pronum atque extentum propter altare jacentem, pavimentumque, quod ori ejus subjectum erat, plurimo sanguine madens. Quem levantes, et allata aqua refocillantes, sanum et rectum, neque ulla camelinæ illius tortitudinis signa retinentem, in inferiores ecclesiæ partes gratulabundi deduxerunt. Quo miraculo in hunc modum peracto, is quem illuc miseram, ad me cum summa festinatione regressus, cum ea quæ viderat retulisset, magno nos gaudio atque exultatione replevit.

47 Nec multo post Ratleicus qui sacros martyrum cineres, sicut in superioribus demonstravimus, Roma detulit, ut ipse asserebat, jussus venit, deferens libellum, complura capitula continentem; cujus rationem talem esse retulit, dicens: sibi cæcum illum, cujus modo fecimus mentionem, ex auctoritate martyrum præcepisse ut ea capitula describeret, mihique deferret, ac diceret ut ea susciperem, atque imperatori legenda offerrem. Suscepi ab eo libellum atque perlegi, emendatumque ac noviter scriptum imperatori, ut jusserat, obtuli. Et ille quidem suscepit atque perlegit: sed de his, quæ per hunc libellum facere jussus vel admonitus fuerat, perpauca adimplere curavit. Quid autem illa capitula continerent, aut quid ab eo factum, quidve dimissum sit, alio potius in loco, quam in isto, commemorandum est. Illud tamen non solum non prætereundum, quin imo aperte ac dilucide censeo conscribendum, qualiter revelatum et jussum sit ut libellus ille fieri atque regi dari debuerit; quæ Ratleicus hoc modo contigisse retulit.

« Ante paucos, inquit, dies, cum in ecclesiam ad agendum nocturnum officium ex more convenissemus, adiit me cæcus ille, quem nostis, rogans ut in partem aliquam secretiorem cum illo secederem. Feci ut volebat, et cum eo cellulam, in qua quiescere solebam, ingressus sum. Tum ille prior: « Hac, inquit, nocte, paulo antequam sono signorum excitati surgeremus, apparuit mihi per visum quidam vir, canitie venerabilis, veste candida indutus, virgam auream manu tenens, ac talibus me verbis compellavit: « Vide, inquit, Albrice, ut cuncta quæ tibi dixero, bene intelligas, eaque adeo tenaci memoria retineas, ut etiam aliis, qui illa scripturi sunt, exponere valeas. Volo enim ut scribantur et Hludowico imperatori ad legendum per seniorem vestrum ostendantur: sunt quippe valde necessaria [d] non solum ad cognoscendum, verum etiam ad faciendum principi, in cujus regnum isti martyres divina jussione venerunt. »

48. « Tunc incipiens, duodena vel eo amplius capitula per ordinem pronuntiavit; mihique præcepit, ut tibi et aliis quatuor, quos tibi dicturus sum,

[a] Eginhardus in Annalibus de Gestis Ludovici Pii asserit, ad annum 828, conventum Aquisgrani factum esse mense Februario.

[b] Vide supra, num. 39.

[c] Hæc late deduximus ad diem 19 Januarii, quo coluntur hi martyres Marius, Martha, Audifax et Habacuc.

[d] Annalium Fuldensium auctor, ad an. 874, putat quod si Ludovicus ea observare curasset, forsitan passurus non fuerit in purgatorio per annos 34 quæ se pati filio suo Ludovico, Seligenstadii comitia habenti, revelavit, petens inde suorum precibus liberari

illa enumerem atque exponam; et post hæc tu libellum facias, eumque seniori tuo, qui nunc in palatio moratur, deferas; eique ex martyrum auctoritate præcipias, ut eumdem, quanto celerius possit, imperatori offerat. Deinde subjungens: « Nostine, inquit, quis ego sim, qui tibi ista præcipio? — Tum ego nihil hæsitans, sanctum Marcellinum eum esse respondi. — Et ille: non ita est, inquit, ut opinaris, sed Gabriel archangelus ego sum; personamque ac formam Marcellini idcirco assumpsi, quia Dominus Deus omnium rerum atque causarum ad istos martyres pertinentium curam mihi commisit; et nunc veni, ut hæc tibi indicarem quæ scribere præcepi, quoniam divinæ voluntatis est ut ea ex auctoritate eorum ad notitiam regis, sine morarum interpositione, perveniant. Tu vero, sicut tibi præcepi, primo diluculo post completum matutinum officium, nuntia quæ audisti his quibus ea nuntiare jussi. — Tum ego: Nemo est, inquam, qui credat, quod angelus mecum locutus sit, aut me ista nuntiare mandaverit. — Non erit, inquit, ita; sed dabo signum, quod facias coram eis: quo viso, nullam ultra dubitationem habebunt de his quæ ad eos ex mea jussione pertuleris. Proinde volo dicas Ratleico ut exhibeat tibi duos cereos novos qui nondum accensi fuissent; et unum ex eis dextra, alterum sinistra tenens, sta coram altari; et cum omnia, quæ tibi præcepi, narrando compleveris, dic eis qui hæc audiunt, ut in hoc credant vera et ab angelo Dei esse mandata, quæ dixisti, si hi cerei in manibus tuis, sine adhibitione ignis visibilis, fuerint videntibus illis illuminati. »

Quo facto, scriptus est libellus, mihique allatus, ac per me regi oblatus, ab illo quoque acceptus atque perlectus est. Idcirco visum est mihi, inter cætera miracula, libelli hujus facere mentionem; quia per occasionem, qua ille scribi jubebatur, contigit illa mirabilis et inusitata cereorum accensio, quam per merita beatorum martyrum fieri debere ipse, qui eos illuminavit, angelus prænuntiavit.

49. Sub idem fere tempus, cum Ratleicus a nobis ad basilicam martyrum regressus est, allatus est nobis inde alter libellus, continens verba et ratiocinationem cujusdam dæmonis, qui se Wiggonem nominavit. Quæ facta est ab eo coram multis testibus ante altare, juxta quod sacri martyrum cineres repositi sunt, ad interrogationem presbyteri, qui exorcismum super energumenum legerat: quod hoc modo contigisse narratur. Prædium est in pago Nithagome [a], vocabulo Hecgstat, pertinens ad monasterium S. Nazarii [b], de quo puella quædam, annorum circiter sedecim, ab eodem erratico spiritu

A possessa, ad basilicam martyrum a parentibus suis adducta est. Quæ cum ante tumbam sacra corpora continentem venisset, et presbyter super caput ejus exorcismum, secundum consuetudinem, perlegisset; ac deinde dæmonem, qualiter et quando in eam fuisset ingressus, percontari cœpisset, non barbara lingua, quam solam puella noverat, sed romana locutione presbytero respondit. Cumque presbyter miraretur atque interrogaret, unde illi latinæ linguæ notitia, cum parentes ejus, qui ibi præsentes astabant, hujusmodi sermonem penitus ignorarent? — « Parentes, inquit, meos nunquam vidisti. » — Tum presbyter: « Tu ergo, inquit, unde es, si isti non sunt parentes tui? »

50. Et dæmon per puellam: « Ego, ait, sum satel-
B les atque discipulus Satanæ, et multo jam tempore apud inferos janitor fui; sed modo per annos aliquot, cum sociis meis undecim, regnum Francorum vastavi. Frumentum et vinum, et omnes alias fruges, quæ ad usum hominum de terra nascuntur, juxta quod jussi eramus, enecando delevimus; pecora morbis interfecimus, luem ac pestilentiam in ipsos homines immisimus; omnes quoque adversitates et cuncta mala, quæ jam diu pro meritis suis patiuntur, nobis facientibus atque ingerentibus, eis acciderunt. » — Hic cum presbyter ab eo quæreret quanam de causa ei fuisset hujusmodi concessa potestas? « Propter malitiam, inquit, populi hujus, et multimodas iniquitates eorum qui super eum con-
C stituti sunt. Qui munera et non justitiam diligunt, qui plus hominem quam Deum metuunt, qui pauperes opprimunt, viduas et pupillos ad se vociferantes exaudire nolunt, nulli justitiam nisi mercanti faciunt. Præter hæc sunt et alia multa ac pene innumerabilia, quæ tam ab ipso populo, quam a rectoribus ejus quotidie committuntur; ut sunt perjuria, ebrietates, adulteria, homicidia, furta, rapinæ, quæ nemo fieri prohibet, et, cum facta fuerint, non est qui vindicet. Potentiores quique turpibus lucris inserviunt; et loco superiore, quem propter regendos inferiores acceperunt, ad superbiam et inanem gloriam abutuntur; odium et invidiam, non tam inter extraneos, quam inter propinquos et affinitate conjunctos exercent; amicus amico non credit, frater
D fratrem odit, pater filium non diligit. Rari sunt, qui fideliter ac devote decimas dent, rariores qui eleemosynas faciant; et hoc ideo, quia quidquid Deo vel pauperibus dare jubentur, id sibi perire arbitrantur. Iniquas mensuras et injusta pondera, contra Dei præceptum, habere non verentur; fraude se alterutrum circumveniunt; falsa testimonia dicere non erubescunt; dies dominicos ac feriatos non cu-

[a] Existimo legendum, tum hic, tum infra, num. 53, *Nithagouve*: est autem tractus ille sic dictus a Nitha fluvio, vulgo *Nid*, qui Mæno illabitur infra Francofurtum, eo loco ubi nunc est oppidum Hœchst; quod hic nominari *Heccostat*, nolim divinando suggerere; cum inter Moguntinæ diœceseos loca inveniam nominari *Hetstat*, haud prorsus absimili vocabulo, sed in topographica tabula prætcrito.

[b] Monasterium S. Nazarii ultra fluvium Rhenum, vulgo *Laurisham* aut *Lorishaim*, ubi corpus S. Nazarii depositum esse a sancto Godegrando episcopo, diximus ad hujus Vitam, 6 Martii: idem latius dictum ad Vitam S. Nazarii, 12 Junii. Consule Marquardum Freherum, parte 1 de Originibus Palatinis cap. 6.

studiunt, sed in his, ac si in cæteris, prout voluntas eorum tulerit, operantur. Propter hæc et alia multa, quæ Deus aut præcepit hominibus ut facerent, aut prohibuit ne facerent, quia populus hic per contumaciam mandatis ejus inobediens effectus est, permissi, imo jussi sumus ea facere in rebus humanis, quæ superius enumeravi, ut perfidiæ suæ pœnas luant. Sunt enim perfidi atque mendaces, cum hoc servare non curant, quod in baptismo promiserunt. » Hæc omnia dæmon per os barbaræ puellæ latine locutus est.

51. Et cum presbyter imperando urgere cœpisset ut exiret. « Exibo, inquit, non propter tuum imperium, sed propter sanctorum potestatem, qui me in illa diutius manere non permittunt. » His dictis, puellam in pavimentum projecit; atque ibi aliquantulum, velut dormientem, prono corpore jacere fecit. Post paululum vero illo recedente, quasi de somno evigilans, per virtutem Christi et merita beatorum martyrum, puella, cunctis qui aderant cernentibus atque mirantibus, sana surrexit, nec post exactum a se dæmonem latine loqui potuit; ut palam posset intelligi, non illam per se, sed dæmonem per os ejus fuisse locutum. Heu! proh dolor! ad quantas miserias tempora nostra sunt devoluta, in quibus non boni homines, sed mali dæmones doctores sunt; et incentores vitiorum ac persuasores criminum de nostra nos correctione commonent.

52. Eodem fere tempore sanctimonialis quædam, nomine Marethrudis, de pago Wetareiba [a], quæ dira paralysis ægritudine per decem annos tam immaniter tenebatur, ut tanto temporis spatio pene nullo ad humanos usus corporis officio fungeretur; et jam a parentibus suis erat desperata, quoniam ad omnia sanctorum loca, ad quæ ipsi poterant pervenire, eamdem deduxerant. Sed tandem ab eisdem tunc ad basilicam martyrum adducta, et tempore nocturnalis officii juxta cancellos posita, per merita et intercessionem eorumdem sanctorum, diu desiderata sanitate sine mora donata est, adeo integre atque perfecte ut, omnium membrorum firmitate recepta, quæ illuc lectica venerat, pedibus ad propria remearet. Sed ubi domum redire cœpit, in ipso itinere eadem, qua liberatam se gaudebat, infirmitate corripitur. Itaque reversionis suæ pœnitentiam agens, iterum se ad martyrum limen reduci rogavit. Moxque ut reducta est, quam discedendo amiserat sanitatem, sine ulla dilatione recepit. Voto igitur facto, ut sua sponte de sanctorum obsequio jam amplius discedere non deberet, parvam sibi cellulam haud procul ab ecclesia ad manendum construxit, ac deinceps, religiose conversata in obsequio beatorum martyrum, cum magna devotione permansit.

53. Aliam quoque feminam constat, non multo post, per eosdem beatissimos martyres, magno in- A commodo liberatam. Quæ res hoc modo gesta esse cognoscitur. In pago Nithagowe fundus est, Ursella vocatus, qui a basilica martyrum sex fere leucarum intervallo dirimitur. In quo mulier quædam, cum mane facto de somno evigilans in lecto suo resideret, et juxta consuetudinem expergiscentium, protensione brachiorum et assidua oscitatione, ad discutiendum marcorem, se extenderet, os paulo diductius, quam debebat, aperuit, disjunctisque juxta aures maxillarum coagmentis, hians rictus constitit immobilis; nec jam os claudere valens, personæ [b] quam homini similior effecta, gravissimas incautæ oscitationis pœnas luebat. Hoc ubi mulierculis in eodem fundo habitantibus innotuit, accurrunt, herbisque et frivolis incantationibus male habenti succurrere moliuntur. B Sed non habuit effectum vana ac superstitiosa præsumptio; vexabatque potius laborantem atque lædebat quidquid imperitæ manus, velut studio medendi, eidem adhibuerunt. Interea frater mariti ejusdem mulieris supervenit, salubrique consilio rogavit ut ad basilicam martyrum sine mora duceretur; ibi affirmans esse sanandam, si unquam foret receptura sanitatem. Statimque jumento impositam ducere incipiunt; appropinquantes autem basilicæ, de jumento depositam pedibus incedere faciunt. Cumque eo loci ventum esset ut jam turricula, quæ signa basilicæ continebat, ab eis conspici potuisset, eique ut ad eam videndam oculos levaret, hi qui eam ducebant imperarent, aspexit, vidit, ac sine ulla interposita mora sanitatem recepit. Ibi omnes C pariter in terram corruunt, divinam misericordiam quibus valent laudibus extollunt, surgentesque ad basilicam properanter pergunt; et, adoratis sanctissimis martyribus, ac votis pro modo facultatum persolutis, ad propria cum multa exsultatione revertuntur. Vidimus nos eamdem feminam, et cum illa locuti sumus; et ea, quæ circa illam gesta fuerunt, ipsa narrante didicimus.

54. Nunc illud referre volo, quod ipse in die natalitio beatorum martyrum contigisse vidi. Puer quidam surdus et mutus, qui ante triennium illuc venerat, et in domo custodis ecclesiæ ostiarius ab eo fuerat constitutus, festo die jam finito et officio vespertino consummato, cum juxta ostium sederet, repente D consurgens basilicam intravit, et a dextris altaris pronus corruit. Cumque eum æditaus, qui candelabrum cum cereo ante altare ponebat, ibi jacentem invenisset, continuo mihi hoc indicare curavit. Nos autem, qui tunc una eramus, ecclesiam celeriter ingressi, eumdem, sicut ab æditaus repertus est, jacentem invenimus. Quem cum levari juberemus, velut gravissimo sopore depressus, excitari non potuit. Tandem igitur quasi evigilans erexit se, cernensque nos circumstantes surrexit, atque ad eos qui prope sibi assistebant, latine locutus est. Sunt quidam ex

[a] Hoc quoque nomen ut recte scriptum sit, vereor; quia suspicor, *Wetteraviam* legi debere, Wettera fluvio irriguam regionem, inter Licham oppidum, ubi his oritur, et Assenheim, ubi se Nithæ jungit.

[b] Persona, proprie ac latine, dicitur larva; hinc *personatus*, id est larvatus.

nostris qui dicunt eumdem puerum fere ante sex A mensės, cum in cujusdam hominis nostri domo noctu dormisset, duo quædam verba per soporem fuisse locutum et auditum, quo eatenus itidem ut loquela carebat, in illa hora recepisse. Quod ita factum inde conjiciebatur, quia, postquam de illo somno experrectus est, cuncta quæ ei a quolibet imperabantur, ac si intelligeret, facere curavit. Sed hoc videtur in hac virtute præcipuum, quod idem, non latine, sed barbarice sibi loquentem intelligebat; curatus autem, non barbaro, sed latino sermone loquebatur. Qui etiam beatos martyres se vidisse, et multa quæ aliis dicere deberet, ab illis se audisse narravit. Sed cum ea, velut in crastinum dicturus, in præsenti referre distulisset, in tantum illi per oblivionem deleta sunt, ut nihil de his omnino se audisse recoleret. Hunc B ego, quia nomen suum ignorabat, propter prosperum virtutis effectum, Prosperum vocari jussi. Qui adhuc superest, et apud custodem ecclesiæ, in eodem, quo prius fuerat, permanet officio.

55. Pridie vero quam hic Prosper loquelam recepisset, hoc est in vigilia ejusdem festivitatis, venit quidam juvenis, similiter surdus et mutus, in basilicam; et, cum supplici gestu opem Sanctorum imploraret, adjuvante Domino, et ipse plenariam de utroque morbo meruit recipere sanitatem. Hunc itidem, ut priorem, quia nomen suum nunquam audierat, Godescalcum appellavi. Is tamen, non ut Prosper, sed, ut sibi gentilitium erat, barbaro sermone loquebatur, postquam ei per merita sanctorum copia fandi concessa est. C

56. Cum me quædam necessitas, secundum consuetudinem, comitatum regis adire compelleret mense decembrio, in ipsis, si bene recolo, kalendis, de loco martyrum promovens, sequenti die ad castrum, quod moderno tempore Wisibada [a] vocatur, ibi mansionem habiturus, adveni. Ibi cum, propter saltum, qui eidem loco contiguus est, commodius transeundum, solito maturius surgeremus, profecti sunt pueri, qui nos cum impedimentis præcedere debuerunt. Sed postquam, de vico in quo mansimus egressi, viam carpere cœperunt, tanta eos tetræ noctis caligo circumdedit, ut quo se vertere deberent, omnino scire non possent. Erat præterea frigus ingens; et tecta pruinis terra videndæ viæ copiam denegabat. Ipsa quoque montium juga, per quæ eundum erat, nubi- D bus obsessa, quam longe vel prope essent videri non poterant. Accessit ad hæc etiam vallibus insidens nebula, quæ, sua crassitudine visum impediens, iter moliri cupientes remorabatur. Qui cum tot obstaculis se impedire cernerent, nec quid agerent in promptu haberent, equis desiliunt, et viam, quam videre non poterant, palpando quærere tentant. Sed ubi hoc parum successit, ascensis denuo equis, errori, quem abominabantur, se potius committere, quam moras facere, decernunt. Igitur paululum per tenebras procedentes, ad crucem, quæ in via, per quam ituri erant, ob memoriam beati Marcellini erat posita, perveniunt. Causa autem ejusdem crucis ibi ponendæ erat, quod in eo loco habitatores vici, in quo eadem nocte mansimus, mihi ante biennium de palatio revertenti, et reliquias beati martyris Marcellini, quæ tunc mihi redditæ fuerunt, deferenti, occurrerunt; eamque ob recordationem hujus facti, ad venerationem beati martyris, quasi pro titulo vel monimento ponere curaverunt. Quo cum prædicti pueri, errando potius quam iter agendo, pervenissent, inierunt consilium ut ibi socios suos qui sequebantur opperiri deberent; eosque, ne aberrarent, sonitu buccinæ ad se congregarent; ac deinde, cum simul essent, beatos martyres ad opem sibi ferendam invocarent, sublatisque in altum vocibus Kyrie eleison ter decantarent.

57. Quo facto, tantus super eos totidem vicibus cœlitus emissi luminis fulgor emicuit, ut diurnæ claritatis candorem adæquaret. Quæ coruscatio tantum eis commodi ad iter suum agendum attulit, ut, consumpta nebula tenebrisque discussis, via quoque qua ire debebant clare conspecta, iter suum, quamvis per silvas et opacos nemoribus montes, absque erroris impedimento, usque ad ortum auroræ peragerent. In prima siquidem coruscatione tantus calor una cum illo lumine venit, ut eum se velut accensæ fornacis vaporem sentire faterentur. Cujus afflatu non solum nebula, verum etiam illa, quæ tum et montes totamque silvam operuerat, pruina ita consumpta est ut, tertia coruscatione peracta, nullum illius algoris vestigium penitus appareret. Hæc nobis ad vesperam ejusdem diei, postquam ad mansionem venimus, hi qui viderunt atque experti sunt, narraverunt. Quorum verbis fidem adhibentes, Dei omnipotentis misericordiam cum gratiarum actione laudavimus, eo quod nos per merita sanctorum suorum in omnibus necessitatibus nostris adjuvare et consolari dignatus est.

58. Quanquam omnia magna sint, et ad divinam debeant referri potentiam, quæ propter mortalium salutem ex meritis beatorum martyrum gesta cognovimus, in eo tamen miraculo, quod nunc memoriæ mandare decrevi, tam patenter Dei omnipotentis virtus clare [*Ms.*, clarere] cognoscitur, ut nulli dubium relinquatur, quin in omni creatura sua quidquid voluerit facillime possit efficere.

Suntiligua [b] dicitur villa in pago Nithagonne, in qua presbyter quidam, nomine Waltbertus, tenebat ecclesiam. Is mente captus, magno suorum mœrore, ad basilicam martyrum adductus est. Ex quibus tres erant fratres ejus, unus presbyter et duo laici; quartus erat monachus, propinquus ipsius, de monasterio Hornbach [c], in quo et ipse presbyter a parva

[a] Vulgo *Wiesbaden*, id est alba-balnea, in Rhingavia, fere e regione Moguntiæ, sesquileuca ab urbe.

[b] Fortassis Suntilinga, terminatione Alamannis familiari; ipsam tamen nusquam exprimunt tabulæ.

[c] *Horenbach*, duabus leucis a Bipontina civitate distans, oppidum sub diœcesi Metensi, in finibus

ætate fuerat educatus. A quibus cum requirerem, si adhuc aliquid medelæ a quolibet medico eidem fuisset impensum? « Statim, inquiunt, cum eum hac passione comperimus fuisse correptum, ad monasterium, in quo nutritus fuit, a nobis adductus est. Ubi cum ei medici secundum artis suæ peritiam multa fecissent, nec morbum ab eo depellere potuissent, suaserunt nobis amici nostri, ut eum ad horum sanctorum misericordiam duceremus : confidimus enim quod illum salvare possint, sicut alios multos accepimus hic fuisse salvatos. » Post hæc hospitio recepti, quatuor diebus fuere nobiscum, ducentes eum quotidie ad ecclesiam, et coram sacris martyrum cineribus jacere facientes. Quinta vero die, frater ejus presbyter, et monachus qui cum eo venerat, petierunt ut eum cum duobus fratribus suis laicis reciperem [*Ms.*, recipi juberem], donec ipsi reverterentur : nam post triduum se dicebant esse reversuros. Feci ut voluerunt, eumque presbytero nostro Hiltfrido commendavi. Is cum a presbytero receptus, et in cellulam, in qua ipse manebat, fuisset inductus, circa vesperam ejusdem diei, commota vehementius qua tenebatur insania, unum e fratribus suis, qui eum custodiebant, arrepto cultro, quod furenti casus obtulerat, voluit occidere; sed ille necem fugiendo declinavit, et nostris hominibus, qui prope erant, de vesania illius indicavit. Tum presbyter, cui cura eum custodiendi a nobis erat injuncta, suggessit mihi, simulque persuasit, ut eum vinciri permitterem. Vinctus igitur catenis ferreis, in lecto collocatur; obseratisque foribus, solus in cubiculo relinquitur. Excubant ante ostium fratres ejus, et velut erumpere valentem pervigili cura custodiunt. Cæterum vincula, quibus tenebatur adstrictus, ejusmodi erant ut, dum in his esset, non in dextrum aut sinistrum latus se convertere, neque aliter nisi supino corpore jacere potuisset.

59. Dormivit itaque, ut ipse testatur, neque ante mediam noctem evigilavit. At ubi galli cantare cœperunt expergefactus, vidit se non solum vinculorum nexibus solutum, verum etiam morbo insaniæ, quo laboraverat, liberatum; statimque ad laudes Deo dicendas tota mente conversus, psalmis et hymnis, quos, præ nimia gratulatione, tametsi solus erat, satis clare decantabat, omnes in vicinia ejusdem cubiculi dormientes excitavit. Tum surgens, ad ostium accessit, fratresque suos, qui ibi excubabant, ut se ad requisita naturæ foras exire permitterent, rogavit. Illi autem hunc insanientis dolum rati, nequaquam ei assentire ausi sunt; sed accersito hospite suo, qui eum ibidem incluserat, ut cum eo loquatur exorant. Qui postquam cum eo locutus est, atque ex ratione responsionum suarum sanæ mentis esse intellexit, aperto ostio, quo volebat ire permisit; reversumque recipiens, quid de vinculis, quibus cum oneratum incluserat, factum esset, inquisivit. Et ille : « Catena, inquit, qua me vinxisti, salva est : et si vis scire ubi sit, quære eam et invenies. » Accenso itaque lumine, invenerunt eam ante lectum, in quo ipsum quiescere fecerant, jacentem, eo modo compositam, atque eisdem nodis adstrictam, quibus tunc fuerat, quando eum cum ea in eodem lecto collocarunt, ac solum in eodem cubiculo dimiserunt. Quis hoc fecisse credendus est, nisi ille qui de nihilo creavit omnia; et qui in rebus quas condidit talia potest facere, quæ nec intellectu comprehendi, nec humanis possunt sermonibus explicari? Quis enim aut cogitatione conjicere, aut verbis valeat enarrare, qualiter ille presbyter his vinculis fuerit absolutus; cum nobis certissimum sit neminem esse qui se solus possit ejusmodi nexibus exuere, si eis fuerit simili modo constrictus, sicut idem presbyter fuit, quando solus in illo cubiculo inclusus est? — Hi vero qui eum ibidem dimiserunt, postquam reversi sanum et mentis ac memoriæ suæ compotem invenerunt, læti et laudantes Deum, simul cum eo ad propria regressi sunt. — Hoc ita gestum, non quorumlibet testium relatione didicimus, sed ipsi per nos, quia ibidem tunc eramus, Deo volente, cognovimus; atque ideo fiducialiter scribimus, quod nos contigit oculata, ut dicunt, fide cognoscere. Verum quia cuncta quæ de martyrum virtutibus scribenda suscepimus nequaquam possunt præsenti sermone compleri, hic liber iste finem accipiat, ut ea quæ restant ab alio rursus exordio commodius inchoentur.

## CAPUT VI

*Miracula in palatio imperatoris ad reliquias horum sanctorum facta. Cæcitas, contractio, paralysis, febris sublata.*

60. In relatione signorum atque virtutum, quas me in hoc libro scribere velle proposui, illæ in capite ponendæ videntur, quæ in palatio factæ, non solum ad plebis, verum etiam ad ipsius principis ac procerum ejus, omniumque, ut ita dicam, aulicorum pervenere notitiam; et non tantum propter hoc, sed etiam propter illud, quod in oratoriolo nostro, ubi eadem miracula gesta sunt [a], non aliæ tunc temporis, quam beatorum Marcellini et Petri reliquiæ fuerunt : ut quidquid ibi sanitatum atque signorum factum esse cognoscitur, singulariter ac proprie ad illos pertinere ac referri debeat, quorum solas constat ibi fuisse reliquias. Fecerunt eidem beatissimi martyres, sicut in sequentibus demonstrabimus, in aliorum sanctorum locis multas virtutes atque miracula, quæ quibusdam velut communia illis, cum his sanctis in quorum basilicis facta sunt, non immerito videri possunt; ob hoc præcipue, quoniam qui apud Deum æqualis creduntur meriti, non absurde putantur in patrandis miraculis communiter operari. Sed hoc aliter esse ea ra-

Palatinatus, paulo propinquius ad urbem, habet sibi contiguum *Alt Horenbach*, id est, Vetus; quod ibi forte monasterium fuerit, postea, hæresi ibidem prævalente, in profanos usus conversum, teste Bucelino.

[a] Huc spectant quæ supra habentur num. 21 et 22 de reliquiis in oratorium perlatis.

tione convincitur, qua liquido demonstratur, nullas in his locis factas fuisse virtutes, antequam in illa memoratæ beatorum martyrum essent delatæ reliquiæ. Sed jam nunc, ut promisimus, ea quæ in prædicto palatio sunt gesta miracula proferamus.

61. Erat quidam juvenis inter cubicularios regis, natione Græcus, nomine Drogo [a]: qui febre correptus, aut negligentia suorum, aut inscitia medicorum, jam per aliquot menses longa atque adversa valetudine laborabat. Is, posteaquam Hildoinus abbas reliquias beati Marcellini, sicut in secundo libro demonstratum est, nobis reddidit, admonitus in somnis ut ad oratorium nostrum veniret, ibique cereum quatuor denariis emptum accenderet, ac sanctum Marcellinum martyrem, cujus caput ibi esse asserebatur, sibi in adjutorium invocaret, sciretque se si hoc loco faceret, ea qua jam diu laboraverat infirmitate cito esse cariturum, credidit admonenti, et id quod imperatum fuerat, quanta potuit celeritate complevit. Statimque sanus factus, et receptis membrorum viribus, propriis pedibus ad sua regressus est.

62. Erat ibidem alter æque juvenis, nomine Gerlacus, de urbe Rhemorum, inter eos qui, propter ædificia palatii construenda, jussi de illa civitate venerunt. Is ante dimidium fere annum in eodem vico, tam valida atque immani nervorum contractione correptus est, ut pedes natibus et genua mento cohærerent. Hunc socii atque propinqui in ulnis suis ferentes, ad memoratum oratorium detulerunt; et quia aliter non poterat, pronum jacere fecerunt, sanctumque martyrem, ut ei sanitas redderetur, cum magna devotione rogaverunt. Dies erat dominica, atque hora diei tertia, quando illuc allatus est : jacuitque ibi usque ad horam nonam. Cumque officium ejusdem horæ a clericis esset solemniter impletum, ecce de capsa, quæ sacras beati martyris reliquias continebat, tanta suavissimi atque insueti odoris fragrantia egrediens sic totam oratorii cellulam implevit, ut in admirationem ejus, omnes qui aderant, incunctanter assurgerent, ac se mutuo, an idem omnes æqualiter sentirent, curiosa interrogatione perquirerent. Cum subito vident eum, qui juxta jacebat, velut a quibusdam tenentibus trahi; et membra, quæ morbo erant contracta, extendi : intelligentesque divinam adesse virtutem, tulerunt hominem, et coram altari collocaverunt. Qui cum ibi positus, cum multis lacrymis divinum imploraret auxilium, cunctis cernentibus ita correctus est ut, qui manibus alienis subvectus in oratorium venerat, propriis pedibus de oratorio procederet. Testimonium tamen quam perpessus est passionis, adhuc in suo corpore circumferre cognoscitur : nam crure ac pede sinistro sic postea claudicavit ut ad regendum incessum baculo semper indiguerit. Hoc cur non sit percuratum, dicant qui velint : ego enim id me video non aliter posse conjicere, nisi ut existimem interiori ejus saluti competere, ut aliqua in eo exterioris debilitatis vestigia remanerent.

63. Juliacus [b] vocatur antiquum municipium, a vico Aquensi octo leugarum spatio disparatum. De cujus territorio puella quædam, simili morbo, similique modo affecta, a matre atque aliis propinquis suis ad memoratum oratorium adducta, cum præ multitudine hominum, qui tum forte propter missarum audienda solemnia illuc convenerant, introferri non posset, extrinsecus eam ad orientalem oratorii fenestram collocarunt, exspectantes opportunitatem, ut, recedente populi frequentia, facilius oratorio inferri potuisset. Sed ubi ad medium fere officium ventum est, et, expleto Evangelio, hostiæ salutaris oblatio peracta est, cernunt eam angustiis affici, et, erumpente per totum corpus sudore, velut in somnum labi. Quibus signis divinam adesse virtutem haud inaniter conjicientes, de illo loco levatam, quadro lapidi, qui propter jacebat, soporatæ similem superponunt. Ibi coram omnibus, qui hujus miraculi conspiciendi gratia concurrerunt, integerrimam omnium membrorum sanitatem, in unius horæ momento, Domino opitulante, recepit. Erant ibi inter cæteros spectatores et Judæi; quorum unus David nomine, post hujus signi expletionem, ad fenestram cubiculi, in quo ego tunc eram, celeriter accurrens, meque compellans, miraculum quod viderat indicavit, gratias agens Deo, qui per martyres suos tanta miracula ad salutem mortalium operari dignatus est.

64. Erat in eodem vico cæcus quidam provectæ ætatis, qui, ut ipse asserebat, ante triennium subita cæcitate percussus, inter alios pauperes stipem ostiatim mendicare solebat. Is cum in tuguriolo suo dormiret, vidit per soporem quemdam sibi assistentem atque dicentem ut, si videre vellet, ad oratorium nostrum iret; ibi esse medicum, qui ei roganti lumen reddere potuisset. Renuit ille, et lumen quod offerebatur abominatus : « Quid, ait, mihi nunc cum visu, quem jam olim perdidi? Melius mihi est, si eo caruero, quam si habuero. Modo mendicantem omnes exaudiunt, et ea quæ necessaria sunt, præstant : nam videntem mendicare non decet; senex autem et debilis operari non possum. » — Tum ille qui cum eo loquebatur : « Vade, inquit, et noli morari; nam, velis nolis, visum recepturus es. » Paruit ille imperanti, perrexitque ad oratorium, atque in eo pernoctavit; et cum illa nocte nihil esset factum, ad tugurium suum reversus est. Cui denuo is qui prius per soporem apparuit, et similiter ut ante imperaverat, ad oratorium pergere præcepit. Fecit ille, ut jussus fuerat, sed ne tunc

[a] Teutonicum nomen ægre crediderim allatum ex Græcia, sed potius in Germania assumptum; nisi forte legendum sit *Græcius* seu *Græciensis*, id est, *Græcii* in Styria natus.

[b] Juliacum, oppidum munitissimum cum arce, et caput illustris ducatus Juliacensis sub archidiœcesi Coloniensi.

quidem aliquid actum est. Tertio vero commonitus venit, et ubi coram altari ad orandum se prostravit, visum recepit. Hunc nos, dum adhuc cæcus esset, inter alios pauperes ac debiles multoties in domo nostra mendicantem vidimus : ideoque alium illuminationis ejus testem non quæsivimus, quia sufficere nobis credebamus testimonium non fallentis conscientiæ nostræ.

65. Cum ex his aliisque compluribus virtutum operationibus, per circumpositos vicos et pagos, salutaris fama crebresceret, mulier quædam de pago Ribuarensi [a], multo jam tempore cæca, visum recipiendi et desiderium simul et fiduciam habens, ad memoratum oratorium se rogavit adduci. Cumque illo venisset, tres totos dies, totidemque noctes ibidem orando et jejunando continuavit. Sed cum ad præsens nullum in se exoptatæ sanitatis sensisset indicium, domum reducta est; paucisque interpositis diebus, spe recipiendi luminis haud vane concepta, iterum se ad sacras reliquias deduci rogavit. Quo cum ab uno puero duceretur — nam qui prius eam illo deduxerunt, spem ejus velut inanem ac supervacuam judicantes, ulterius cum illa ire noluerunt — ubi ad cœmeterium Aquensis palatii, quod in monte, qui eidem vico ab orientali parte imminet, situm est, eodem comitante atque ducente, pervenit, ibi, quasi obviante sibi divina gratia, diu desideratum lumen recepit. Tum mirans atque attonita constitit, pueroque ducenti ut sequeretur imperavit : « Hactenus, inquiens, quo tu præcedens ducebas secuta sum, modo autem tuo ductu non egeo; inquia viam, qua ire debemus, video ; et hunc vicum in quo sacræ reliquiæ sunt, ad quas venire disposui, Domino adjuvante, conspicio. Tu tantum vide et cura, ut me recta via ad oratorium martyrum in ipso vico adducas. » His dictis, ad oratorium perrexit, gratias egit, factique in se miraculi nobis indicium fecit, vidensque et gaudens ad propria remeavit.

66. Ascviiarem [b] vocant fundum regium, ab Aquensi palatio quatuor leugarum spatio distantem, in quo quidam homo erat diutina præcordiorum infirmitate detentus atque laborans; jamque a suis eo modo desperatus, ut non aliter nisi cauterio curari posse videretur. Quæritur ad hoc medicus, et ustioni non profuturæ dies constituitur. Interea cuidam feminæ, in eodem fundo habitanti, in somnio revelatum est, non debere illum ad suam curationem ejusmodi medelam admittere, quæ et pro sui molestia vix tolerari posset, et quia supervacua esset, salutem patienti non afferret. Cæterum si sanus fieri vellet, ad Aquense palatium iret, oratorium

A nostrum inquireret, inque eo se collocari faceret, et ante triduum completum inde non recederet : hoc modo plenariam eum consecuturum sanitatem. Quod ubi ei annuntiatum est, convocatis amicis ac proximis, petiit ut erga se illius revelationis jussa complerent. Qui mox jumento impositum, ad oratorium adducunt; atque in eo, ut jussum fuerat, collocantes, abeunt, post triduum reversuri. Ille autem ibidem dimissus, per tres dies et noctes, Domino pro salutis suæ recuperatione haud inaniter supplicans, ita perfecte sanatus est, ut nullum in suis visceribus morbi, quo multo tempore tenebatur, assereret remansisse vestigium. Suis igitur sicut promiserant ad se reversis, ac sanum sicut optaverant invenientibus, non dorso jumenti, ut venerat, sed B pedum suorum officio ad propria, cum ingenti et sua et illorum gratulatione atque lætitia, regressus est.

67. Est item fundus regius in pago Mosano, octo circiter leucis ab Aquensi vico disparatus, Gangluden [c] habitatores appellant : in quo mulier quædam, quæ octo fere annorum filiam dira paralysis ægritudine adeo confectam habebat, ut jam ex longo tempore nullum pene membrum ad officium suum movere potuisset. Audita virtutum fama, spem de recuperanda filiæ salute pio corde concepit; protinusque sublatam ulnis propriis, ad memoratum oratorium deportare curavit. Quæ cum illo antemeridiano tempore, hora videlicet prandii, pervenisset, et clericorum neminem ibidem invenisset — nam reficiendi C causa paulo ante discesserant — tamen ingressa, filiam juxta se in pavimento collocavit. Ipsa autem perparvum cereum, quem pro munere detulerat, accendens, ante illam in eodem pavimento posuit, seque ad orandum coram sacris cineribus, cum summa devotione prostravit. Quo facto, sine ulla interposita mora, puella, per supernam gratiam omnium membrorum sanitate ac firmitate recepta, matre non sentiente, surrexit ; cereumque qui coram se jacebat sustulit, ac post tergum jacentis constitit. Quæ cum oratione completa, caput de pavimento levasset, et nec cereum, nec filiam in eo quo posuerat loco esse vidisset, surrexit, conversaque, filiam pone se cum cereo stantem, Deum laudans ac lætabunda, conspexit. Igitur cum nullum D ibi, cui de virtute quæ gesta fuerat referre posset, adesse videret, — nam præter pauperes, qui ibidem mendicandi gratia excubabant, nemo intra oratorii parietes, excepta se ac filia sua, tunc erat, quando illud miraculum factum est — votis cum gratiarum actione solutis, domum cum filia sana atque incolumi repedavit.

[a] Ribuarii seu Ripuarii, a ripa Rheni custodienda dicti, quorum regia olim Colonia Agrippina erat : sic infra num. 95 dicitur, hæc metropolis esse in finibus Ribuariorum, super Rhenum posita.

[b] Hoc fere intervallo distat locus in Juliacensi ditione prope Linnichium, vulgo *Wiler* dictus; olim forte addita *Asc*, quod cineres significat, distinctus ab altero duabus leucis remotiori, vulgo *Holtzwiler*, quod lignorum villare.

[c] *Gangelt* est oppidum agri Juliacensis, ex quo oriundus Jacobus Krietzradt indicavit nobis, Gangluden fuisse circum illud oppidum districtum aliquem certum, et sic sæpius appellari *het landt van mille*, *Gangelt*, *ende Vucht* eaque loca dici funiculum triplicem.

Cujus virtutis indicium qualiter ad nos perlatum sit, paucis expediam.[a] Gerwardus, palatii bibliothecarius, cui tunc temporis etiam palatinorum operum ac structurarum a rege cura commissa erat, de Noviomago veniens, palatium Aquense petebat. Is cum in memorato fundo quadam nocte mansisset, quæsivit ab hospite suo, si aliquid novi de palatio nuper audisset. Cui ille: « Nihil, inquit, modo apud aulicos tam celebre est, quam signa et virtutes quæ fiunt in domo Eginhardi per quosdam sanctos, quorum reliquias in oratorio domus suæ habere dicitur; ad quarum venerationem omnes vicini nostri quotidie festinant, et quicunque infirmus illo fuerit adductus, illico curatur. » — Cœpitque ei de filia mulieris illius, qualiter ante paucos dies salva facta sit, intimare. — Tum Gerwardus: « Vade, ait, et eamdem mulierem adduc ad me, ut ipsa mihi dicat quod audire desidero. » Venit mulier, et omnia, prout gesta erant, patenter exposuit. Gerwardus vero, cum in crastinum ad regem venisset, ea quæ de hoc signo revelatione [*Ms.*, relatione] illius feminæ compererat, eidem indicavit. Rex autem, cum ego secundum consuetudinem ingressus coram illo starem, quid sibi Gerwardus de hoc miraculo retulisset, tam mihi, quam cæteris sibi astantibus, divinam misericordiam atque potentiam admirando simul atque laudando, insinuavit. Sic nos contigit signum, quod nobis ignorantibus in domo nostra gestum est, ex hujusmodi relatione cognoscere.

## CAPUT VII.

*Miracula Valencenis in Hannonia patrata ad reliquias horum Sanctorum. Cæci decem illuminati, alii ægri sanati.*

68. Hæc de miraculis beatorum martyrum, quæ in palatio gesta sunt, in præsenti opere commemorasse sufficiat. Nunc ad eas virtutes veniendum est, quæ in locis factæ sunt, ad quæ, religiosis viris petentibus ac me largiente, venerandæ eorumdem martyrum reliquiæ venerunt, et in quibus hactenus cum magna reverentia coluntur. Quas primus omnium Georgius presbyter et rector monasterii S. Salvii[b] martyris, quod in pago Fanomartensi, in vico Valentianis appellato, in ripa Scaldis fluvii situm est, me dante suscepit, et per quemdam diaconum ad memoratum monasterium de Aquensi palatio destinavit. Is unum tantum comitem secum habens, cum in pago Hasbanio ad vicum regium, quem Vuasidium[c] vocant, venisset, atque in prato, quod vico proximum erat, reficiendorum jumentorum gratia descendisset, ecce unus de habitatoribus loci gibbo depressus, maxillis etiam, ex
A nimio dentium dolore, quem, ut ipse dicebat, diutinum patiebatur, nimio tumore distentis, furcam ferratam in collo ferens, idem pratum furibundus intravit, et cur pratum suum depascerentur, stomachando percontatur. Cui diaconus, qui reliquias martyrum ferebat, et eas tunc in summitate virgæ, quam ob hoc in eodem loco fixerat, suspendere parabat: « Melius, inquit, tibi est, ut coram his sanctorum reliquiis, quas hic in manibus habeo, prosternaris, Deumque roges ut te, per merita eorumdem sanctorum, de dolore, quem pateris, liberare dignetur: nam tumor, qui in facie tua videtur, testatur aliquem magnum in ore tuo esse dolorem. » Ad hæc homo, projecta furca quam manu ferebat, ante reliquias pronus corruit, et, ut diaconus ei suasit,
B pro salute sua Domino supplicavit. Nec longa interposita mora, ita sanus ab oratione surrexit, ut nec tumor in facie, nec dolor in dentibus, nec gibbus quo premebatur, remaneret in dorso. Ac proinde concito gradu vicum ingressus, omnes propinquos ac vicinos suos, in eodem loco constitutos, ad laudem Deo dicendam, et gratias Christo Domino referendas, invitavit. Confluxit in pratum ingens populi multitudo, et pro eo qui sanatus fuerat, gratias actura circumjacentis regionis turba congregata est. Rogant omnes diaconum ut illam noctem ibi moraretur: nec ille eis hoc negare poterat, quia parati erant, nisi assentiret, etiam invitum detinere. Ducunt deinde pervigilem noctem, et in Dei laudibus tota regio resonabat. In crastinum
C autem, cum diaconus iter suum capere cœpisset, omnis illa congregati populi frequentia abeuntem cum ingenti devotione comitata est, nec ante vel subsistere vel discedere voluit, quam ab aliis, quos miraculi hujus fama commoverat, obviam sibi venientibus fuisset exceptus. Hoc modo sacræ martyrum reliquiæ, ex hujus occasione miraculi, a populis illarum regionum exceptæ, et ad basilicam S. Salvii, quo eas memoratus Georgius miserat, Domino ducente, perlatæ sunt. Hoc signum ipsius Georgii relatione constat mihi esse compertum: de cæteris autem, quæ nunc dicenda sunt, ab eo libellum accepi, cujus ordo vel series hunc modum habere cognoscitur.

69. Anno quarto decimo[d], Christo propitio,
D imperii Hludowici Augusti, cum ad corroborandam christiani populi fidem, sicut in initio nascentis ecclesiæ, signa et prodigia in ipso regis palatio, per merita sanctorum suorum, Dominus dignaretur ostendere, petiit et obtinuit Georgius presbyter, Aquisgrani palatio, ab Eginhardo abbate, reliquias

[a] Huic Gervardo scribens Eginhardus epistolam 14, inter alia habet ista: « Hortaris, imo consilium das, ut omissis martyrum excubiis, quibus indesinenter adesse et interesse jussus sum, palatium petam. »

[b] Colitur S. Salvius 26 Junii, ubi ostendemus fuisse cœnobium clericorum, quod Baldericus, lib. II Chronici Cameracensis, cap. 31 appellat monasterium canonicale S. Salvii episcopi et martyris. Est modo prioratus ordinis Cluniacensis ab anno 1103, prope Valencenas ac fere in suburbiis, quem locum vulgo *Famarts* dici notat Mabilio.

[c] Vuasidium forsan *Weset*, seu *Veltweset* inter Trajectum et Bilsenam, quod *Wased* potest fuisse dictum.

[d] Est is annus Christi 827, potissimum mense Junio quo hæc contigerunt.

beatorum Christi martyrum Marcellini et Petri, A quorum corpora ipse de Roma per homines suos allata nuper acceperat: easque in capsa, quam auro et gemmis decenter ornaverat, reconditas per diaconum suum, nomine Theothardum, ad basilicam S. Salvii martyris, quam ipse tunc temporis per beneficium regis tenebat, dirigere curavit. Qui diaconus cum ad villam regiam, quæ Vuasidium vocatur, venisset, occurrit ei homo gibberosus, et ex dentium dolore ita vexatus atque confectus, ut jam per dies quindecim nullum alium victum quam solam aquam posset assumere. Qui cum hortante diacono coram reliquiis, quas ille ferebat, se ad orandum prostrasset, et Dominum Christum, ut sui misereretur, devote ac suppliciter invocasset, per intercessionem sanctorum Marcellini et Petri, cun- B cta corporis incommoditate depulsa, sanus ab oratione surrexit. Factum est hoc miraculum tertio decimo Kalendas Julii. Quod a me superius plenius est enarratum, quia ego illud juxta relationem memorati Georgii conscribere curavi.

70. Diaconus autem cum reliquiis tertia die Valentianas veniens, cum eas in basilicam S. Salvii, sicut ei fuerat imperatum, reverenter et honorifice inferret, quidam juvenis de villa regis quæ Listina [a] vocatur, Dominicus nomine, qui eo morbo, quem Græci spasmum appellant, jam per annum integrum sic vexabatur, ut manus ejus dextra penitus contineri non posset, sed agitatione continua, quasi qui molam verteret, moveretur in gyrum, statim in ipso introitu, per merita beatorum mar- C tyrum, coram omni populo ita curatus est, ut post hæc nullum illius horrendæ agitationis pateretur incommodum. Exinde die quarta, in festivitate videlicet beati Joannis Baptistæ, anus quædam, nomine Gerrada, quæ se annum unum cæca [*Ms.*, cæcam] fuisse testata est, dum missarum solemnia celebrarentur [*Ms.*, celebrantur], invocatis beatis martyribus, lumen, quod ex fide petierat, cunctis qui aderant videntibus, per illorum merita recepit. Similiter in festivitate sancti Salvii, qui evenit sexto Kalendas Julii, quidam homo surdus et mutus, inter solemnia missarum, per suffragia martyrum, et auditum et loquelam recipere meruit. Eadem die anus quædam de pago Laudu- D nensi, Rodeltrudis nomine, quæ per tres annos lumen cœli non vidit, in eadem celebratione missarum, visum recepit. Quinto Kalendas Julii, puer quidam annorum circiter septem, Donitianus [b] nomine, qui fuit cæcus a nativitate, dum divinum celebratur officium, per merita beatorum martyrum illuminatus est.

71. In vigilia vero beatorum apostolorum Petri et Pauli, id est, quarto Kalendas Julii, puella quædam parva, nomine Theotbalda, habens ætatis annos, ut putabatur, novem, quæ tribus annis nihil viderat, tempore salutaris officii in media populi multitudine constituta, martyrum suffragantibus meritis, lumen amissum ex divina miseratione recepit. Eadem die quidam homo, nomine Dado, de villa Ponticuli [c] vocata, qui annos sex curvus erat, et ad cœlum se erigere non poterat, ideoque brevibus anticulis, sustentandi se gratia sub axillis positis, cernuus incedebat, is eadem hora, eodemque in loco, per misericordiam Dei et per merita beatorum martyrum, erectus ac sanus effectus est.

72. Die quarto nonarum juliarum, quædam vidua nomine Adalrada, quæ annis quatuor oculorum lumine privata nihil videbat, audita virtutum fama, spem visus recipiendi non vana fide concepit; arreptoque baculo, sola sine ductore ad Valentianas ire contendit. Cumque vico appropinquare cœpisset, visum est ei quod velut unum solis radium oculo dextro conspiceret; ac proinde divinam clementiam puro corde deprecata est ut per intercessionem sanctorum suorum ecclesiam S. Salvii se videre permitteret. Statimque exaudita est, et quod optaverat, Domino miserante, sine mora est consecuta. Ipsa quoque die, altera quædam femina de pago Noviomensi, nomine Ruoitla, quinquennio cæca, inter missarum solemnia lumen quod amiserat, Christo Domino per merita sanctorum suorum donante, recepit.

73. In octavis apostolorum, id est, pridie Nonas Julii, quidam homo, Gunthardus nomine, de eodem pago, velut paralysi percussus, ad basilicam S. Salvii a suis adductus est: qui, ut dicebant, jam unum annum habebat in eadem infirmitate, et tam vehementer in sinistra parte corporis sui debilitatus est, ut nec manum ad os ducere, nec se vel lavare vel calceare valeret. Hic, per misericordiam Dei meritaque sanctorum, tempore matutinalis officii, in ipsa solemnitate, sanus effectus est.

74. Similiter et alius homo, nomine Hildebonus, veniens de monasterio quod Ad-duos-Gemellos [d] appellatur, cum ab infantia cæcus esset, ac lumen cœli in tota vita sua non vidisset, in celebratione missarum, eadem die, in eadem basilica, per eosdem sanctos, eodem Domino miserante atque auxiliante, visum recepit, et omnia quæ prius non vidit, clare videre meruit. Die vero Nonarum Juliarum, puella quædam parvula, nomine Reginlindis, quæ non amplius quam septennis esse videbatur, cum tribus annis oculorum suorum lumine caruisset, et inter cæteros in basilica ad divinum officium audiendum constitisset, intervenientibus sancto-

[a] Forte *Lessina* oppidum Hannoniæ aut *Liptines* prope Laubium, ubi sub Carolomanno in villa regis synodus habita est.

[b] Putem scribendum, *Domitianus*, vel *Donatianus*.

[c] Sunt quidem in vicina Valencenis Flandria Gallicana, inter Duacum et Tornacum, *Pont à Rache* et *Pont à Marcy*; sed alterutrum locum hic signari nomine *Ponticuli* temere quis dixerit?

[d] *Monasterium ad duos Gemellos* hic dici videtur, quod Ambianis in Picardia vulgo nominatur *Saint-Martin des Jumeaux*, a Guidone episcopo, sub anno 1073, postea restauratum.

rum meritis, coram omni multitudine, illuminata A est. Quarto Idus Julii, cæca quædam, nomine Alagia, quæ duobus fere annis visu carebat, intra sacra missarum solemnia, suffragantibus sibi sanctorum precibus, a Domino Jesu Christo illuminata est. Eadem die cæcus quidam valde senex, de villa Gauliacas [a], Ermenwardus vocabulo, qui annis quatuordecim nihil videre potuit, ad vespertinum officium ecclesiam ingressus beatos martyres invocavit, ac statim cæcitate depulsa, diu desideratam lucem, Domino adjuvante, recepit.

75. Septimo kalendas augusti, puella quædam, quæ ab immundo spiritu vexabatur, in basilicam adducta, dum sacræ oblationis officium celebratur, per virtutem Christi et merita beatorum martyrum, fugato dæmone, integerrimam mentis et corporis meruit re- B cipere sanitatem. Hæc sunt miracula atque virtutes quas Dominus noster Jesus Christus, per merita sanctorum martyrum suorum Marcellini et Petri, in vico Valentianas, ad salutem humani generis, operari dignatus est: quæ memoratus Georgius [b] presbyter brevi libello collecta nobis mittere curavit, et nos huic operi nostro censuimus inserenda. Hic est Georgius Veneticus, qui de patria sua ad imperatorem venit, et in Aquensi palatio organum, quod Græce hydraulica vocatur, mirifica arte composuit.

## CAPUT VIII.

*Miracula Gandavi, in monasterio S. Bavonis, ad reliquias horum sanctorum.—Cæci octo illuminati. Alii ægri adjuti.*

76. Alter libellus mihi oblatus est de monasterio C sancti Bavonis, quod situm est juxta Scaldim in loco Ganda vocato, ubi idem amnis Legiæ flumini conjungitur, a fratribus [c] ibidem Deo servientibus, quorum rogatu reliquias memoratorum Christi martyrum ad idem monasterium misi; in quo hæc per ordinem gesta reperta sunt.

[d] Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi octingentesimo vicesimo octavo, venerunt reliquiæ sanctorum Christi martyrum Marcellini et Petri ad monasterium S. Bavonis, die quinto Nonarum Julii, feria sexta, indictione VI. Tertia vero die, id est, Dominica proxima, quæ fuit tertio Nonas Julias, quædam puella cæca, nomine Hartlinda, de villa quæ Fursenum [e] appellatur, quam pater et mater testati sunt octo annis oculorum officio caruisse, cum ante altare, super quod sacræ martyrum reliquiæ erant positæ, fuisset adducta, coram omnibus qui aderant, visum, Domino miserante, recepit. Inde post dies octo, id est, quarto idus julii, adducta est altera puella similiter cæca, nomine Helmrada, de villa Magle [f] nuncupata: cujus parentes de ea retulerunt, quod octava die postquam baptizata fuit, subita cæcitate percussa sit. Quæ et ipsa statim coram sacris martyrum cineribus lumen, quod jam dudum perdidit, Domino sibi reddente, recepit. Exin die tertia, quod fuit pridie Idus Julii, venit illuc puella quædam, curva, nomine Bildrada, de villa Boderetio [g], quæ pertinet ad monasterium S. Vedasti. Quæ cum ante memoratas sanctorum reliquias, pro restitutione salutis suæ, Dominum Christum suppliciter invocasset, coram omnibus qui aderant erecta est, et integrum corporis sui statum in momento temporis recipere meruit.

77. Postea vero, duodecimo die Kalendarum augustarum, femina quædam, nomine Eddela, ancilla

[a] *Gauliacas* adhuc nescio invenire circa Valencenas.

[b] In Annalibus Francorum Pithœanis ad ann. 826 illa leguntur: « Georgius quidam presbyter de Venetia, cum Baldrico comite Forojuliense veniens, organum hydraulicum Aquisgrani fecit. » Quo perfecto factus est rector monasterii S. Salvii; et anno 827 obtinuit reliquias dictas.

[c] Horum fratrum sive monachorum abbatem fuisse Eginhardum ab anno 826, scribit Meyerus in annalibus Flandriæ; addens quod is, « sacerdos Cæsaris Ludovici, cœnobium, incendio deformatum, restituerit, vagosque monachos in unum reduxerit. » Hisce addit Sanderus, lib. IV Rerum Gandavensium, cap. 4, eum « impetrasse a Ludovico imp. approba- D tionem privilegiorum cœnobii Gandensis et alia privilegia nova; » quæ utinam exstarent, ad confirmandam collationem hujus abbatiæ Eginhardo factam. Quod autem asseratur eum scripsisse in Vita Caroli Magni, ambos frequentius simul Gandavi fuisse, non habetur in hujus Vita, ad diem 28 Januarii a nobis illustrata. Sed anno 826 se fuisse Gandavi in monasterio S. Bavonis scribit ipsemet supra num. 4. Fuit Lupus, ejus familiaris, abbas Ferrariensis in diœcesi Senonensi et simul S. Judoci super mare in Pontivo. Ita potuit simul habuisse Eginhardus aliquam curam monasterii S. Bavonis, licet habitaret Helingestadii.—Idem epistola 12 petit censum, sibi apud S. Bavonem et in Blandinio debitum.

[d] Hæc accurate conveniunt in dictum annum 828, cyclo solis 25, litteris Dominicalibus E. D.

[e] An *Fursenund* contractiori nomine dictum sit sæculo XII Furnas; alteri conjectandum relinquo, donec aliquid proprius hac referibile inveniatur.

[f] Videtur esse hodiernum *Machelen*, inter Cortracum et Gandavum via fere media. Relictæ fuere horum sanctorum reliquiæ in dicto S. Bavonis monasterio usque ad annum 1070, quando Balduinus Montensis, comes Flandriæ et Hannoniæ, in cœnobio Hasnoniensi ad Scarpum fluvium, tribus ab urbe Valencenensi leucis pro canonicis sæcularibus monachos Benedictinos introduxit, eisque templum reparavit. Ad quod curavit transferri ex dicta S. Bavonis ecclesia reliquias S. Marcellini et Petri, capsæ inauratæ impositas, et gemmis pretiosis exornatas, ut referunt Guillelmus Gazetus in Historia ecclesiastica Belgii, in Lietberto episcopo trigesimo secundo Cameracensi et Atrebatensi, pag. 162; Henricus Doutremannus lib. I Historiæ Valencennensis, cap. 8, Locrius et alii. De hisce reliquiis ista adnotat Razzius in Hierogazophylacio Belgico: « Quod Molanus asserit, iconomachorum rabie feretrum ac omnia pene eorum sacra ossa devastata esse, ex falsa aliquorum relatione scripsisse autumo. Ea enim piorum quorumdam hominum studio Valentianis occultata, hodieque salva Hasnonienses ascetæ pie in pulcherrima ac pretiosissima auro argentoque cælato capsa commonstrant; quod ex solemni informatione, facta et exhibita domino Georgio Colveneerio, universitatis Duacensis cancellario ac sacræ theologiæ doctori, necnon ordinario professori, mihi certissime constat. » Hæc ibi.

[g] *Bodereti* vestigium nullum tota Flandria invenio.

S. Amandi, de villa Baceroda [a] vocata, quæ plurimis A annis oculorum lumine caruisse dicebatur, ibidem feliciter [*Ms.*, fideliter] orans visum recepit. Eodem die servus quidam S. Bavonis, Eberaldus vocabulo, de villa Millinio [b], qui et ipse per plures annos lumen cœli non vidit, cunctis qui aderant cernentibus, eodem in loco diu desiderata luce donatus est. Ipsa quoque die duæ viduæ, quæ plurimis annis cæcæ fuerant, ibidem illuminatæ sunt, quarum altera nomine Blidwara, de villa Accinio [c]; altera Richerta vocata, de villa Vuerminio [d] fuisse narratur.

78. Deinde post dies viginti quinque, id est, in festivitate Assumptionis sanctæ Mariæ, femina quædam vocabulo Angarihilda, de villa Gojaco [e], coram sacris Martyrum reliquiis, omni populo cernente, et B id quod evenerat admirante, ita incurvata est, ut penitus se ad cœlum videndum erigere non posset. Eademque, sequenti die, id est decimo septimo Kalendas Septembris, in eadem ecclesia, cum evangelium legeretur, eodem populo teste, ita erecta atque in statum pristinum restituta est, ac si nunquam per ullam corporis sui læsionem ad terram fuisset inclinata. Postea vèro, secunda et vicesima die mensis Septembris, id est decimo Kalendas Octobris, homo quidam de pago Texandria [f], ex villa quæ Apennia nominatur, vocabulo Liodoldus, qui propter sinistri cruris ac pedis imbecillitatem duobus se baculis ad incedendum sustentabat, ita ibidem in conspectu populi perfecte curatus est, ut ultra jam in ambulando baculorum adminiculo non egeret. C

79. Quarta vero die post patrationem hujus miraculi, id est septimo Kalendas Octobris, juvenis quidam surdus et mutus, sinistra quoque manu contractus, nomine Hunwaldus, de villa Corvio [g] nuncupata, cum ante sacras martyrum reliquias venisset, atque ibi suppliciter orasset, statim per virtutem Christi, depulsis universis quibus afficiebatur incommodis, ita sanus effectus est, ac si nunquam aut surdus, aut mutus, aut ex contractione nervorum in manu fuisset aliquo modo debilitatus. Sequentique die, hoc est sexto Kalendas Octobris, femina quædam, nomine Engilgarda, quæ per multos annos dira paralysis passione tenebatur, eadem in basilica, per merita beatorum martyrum, coram omni populo, est curata. Erat eadem ancilla pertinens ad episcopium Tornacense, de villa quæ Vuerecundia [h] nominatur. In crastinum vero, id est quinto Kalendas Octobris, altera quædam femina, nomine Ramburga, de villa Bertingaheim [i] simili passione in inferiori corporis sui parte valde debilitata, cunctis qui aderant videntibus, coram eisdem sanctorum reliquiis, perfectam membrorum suorum firmitatem recepit; atque a morbo, quo per decem annos laborasse ferebatur, Deo volente, in momento temporis liberata est.

80. Eadem die vir quidam cæcus, nomine Germarus, de villa Schaltheim [j], quæ juxta ostium Scaldis, fluminis in maritima Frisonum regione posita est; cum ibi, pro calamitate quam patiebatur, Domini misericordiam et beatos martyres invocasset, diu negatum lumen cum lætitia recipere meruit. Quarta autem die postquam hoc signum Domino volente contigit, id est, pridie Kalendas octobris, quædam ancilla S. Bavonis, vocabulo Gundrada, de villa Aldingaheim [k] quæ tribus fere annis solem non viderat, ubi se coram altari ad orandum prostravit, lumen quod amiserat, Christo Domino per merita sanctorum suorum largiente, recepit.

## CAPUT IX.

*Ad reliquias Trajecti depositas sanati cæci, surdi, muti, contracti, paralytici.*

81. Tertium quoque libellum detulerunt mihi fratres de monasterio [l] S. Servatii confessoris, quod

[a] *Baceroda* vulgo *Baefroy* ad Scaldim in Brabantia, in capite viæ Alostum ducentis, sub episcopo Gandensi in decanatu Teneramondano.

[b] *Millinium*, an *Melle?* item ad Scaldim in Flandria, duabus leucis infra Gandavum? an potius *Mullem* in districtu Aldenardensi?

[c] *Accinium*, verosimiliter *Eessene*, prope Dixmudam sub episcopatu Iprensi.

[d] *Vuerminium*, nunc fortassis deflexum in *Wormhout*, quasi *Werminii silva*, in castellania Bergensi.

[e] *Gojacum*, hodie forsan *Coyegem*, unus ex pariatibus castellaniæ Cortracensis. D

[f] *Texandria*, alias *Taxandria*, hodierno usu *Campinia* seu *Campania Brabantica;* ubi tamen *Apenniam* necdum reperi.

[g] *Corvium* ubi quærendum sit, necdum potui divinare.

[h] *Verecundia* in diœcesi Tornacensi, vulgo *Warcoin* ad Scaldim, inter Cortracum et Tornacum, huic quam isti propior.

[i] *Bertingaheim*, fortassis contractim *Bernem*, in decanatu Ardenburgi sub episcopo Brugensi.

[j] *Schaltheim*, mutatis per tot sæcula vehementer æstuariis Scaldis verosimiliter nunc latet, aquis haustum et deletum.

[k] *Aldingaheim*, forte *Maldingaheim*, ut sit hodiernum *Maldeghem*, Brugis distans ad tres leucas, Gandavo ad quinque.

[l] De hisce reliquiis ibidem repertis, ista nobis pro sua humanitate transmisit D. Alardus Laurentius van Eyll, canonicus ecclesiæ Trajectensis: « anno Domini 1623, mensis Aprilis die 25, cum aliquantulum elevaretur lapis altaris S. Petri apostoli, in crypta ecclesiæ collegiatæ S. Servatii, et nonnihil ex una parte inclinatus esset; deprehensum est corpus altaris, cui lapis innititur, intus esse cavum et confectum ex unico lapide, intus cavato, ad instar vasis, ad capacitatem duorum pedum in longitudine et sesquipedis in latitudine et profunditate, in eaque concavitate repositam capsulam plumbeam, longitudinis fere unius pedis, cujus operculo insculptum et exaratum erat: RELIQUIÆ MARCELLINI ET PETRI MART. Erant autem dictorum martyrum cineres involuti sudario adhuc integro, sed quod minimo attactu in cineres resolvebatur. Erant autem cineres illi in ea quantitate, quam sudarium capere poterat. Has reliquias viderunt in dicto altari, reverendus dominus decanus Winandus a Gelria, Guilielmus Tophius cantor, et Joannes Stevart, canonici prædictæ ecclesiæ S. Servatii.

*Carmen de dicto S. Petri altari.*

Hac Marcellini cineres clauduntur in ara,
Nec non ossa Petri, patratis inclyta signis:
Hunc dedit Eginhardus thesaurum nobilis abbas,
Quando recensebant a partu Virginis almæ
Bisque quater centum annos, necnon bis decem et octo.

Hactenus a dicto canonico van Eyll submissa.

situm est in ripa Mosæ fluminis, in vico qui hodieque Trajectus vocatur, et distat ab Aquensi palatio octo circiter leugas. estque habitantium et præcipue negotiatorum multitudine frequentissimus. Cujus textus, si bene recolo, in hunc modum videtur esse compositus : Adventus sanctorum Christi martyrum, Marcellini et Petri, ad vicum Trajectum, contigit pridie Nonas Junii. Nam ipso die venit eis obviam de eodem vico immanis multitudo populi, ad susceptionem illorum congregata, laudans et benedicens Deum super immensa atque inenarrabili misericordia sua, qua per tantos patronos populum in se credentem et confidentem visitare dignatus est. Cumque his laudibus et lætitia spirituali usque ad basilicam B. Servatii perventum esset, celebratisque cum magna omnium gratulatione missarum solemniis, et universis ad sua reversis, feretrum, quo sacri cineres advecti sunt, a dextris altaris juxta cancellos collocatum est; totusque ille dies, cum ingenti eodem in vico consistentis populi exsultatione atque jucunditate, consummatus est.

82. Cumque ad vespertinum officium juxta consuetudinem celebrandam, camdem basilicam fuissemus ingressi, aderat inter cæteros puer quidam, nomine Berngisus, quem propinqui sui de pago Cundensio [a], ante paucos dies illuc venientes, adduxerunt cæcum [*Ms.*, cæcus] a nativitate. Qui subito coram omnibus in pavimentum cecidit, ibique aliquandiu velut sopore depressus jacuit; moxque apertis oculis lucem, quam nunquam ante vidit, Christo Domino per merita sanctorum suorum donante, conspexit. Exin quinta die, id est, sexto Idus Junii, homo quidam, cognomento Hildimarus, qui surdus erat et mutus, coram eisdem sacris sanctorum reliquiis, et auditum pariter et loquelam per virtutem Christi recepit.

83. Eodem quoque die puella quædam, de familia S. Lamberti, nomine Adallinda, quæ non solum surda et muta, sed etiam cæca, totoque corpore tam miserabili modo ex nervorum contractione erat complicata, ut genua pectori jungerentur, juxta sacras Martyrum reliquias a suis posita, et visum et auditum, loquelam etiam omniumque membrorum rectitudinem, ac salutem, coram omnibus qui aderant, mirabili celeritate, divino munere, consecuta est. Postridie vero, id est, quinto Idus Junii, quidam servus regius, nomine Berohadus, de villa Cresciaco [b], in dextera sui corporis parte per totum ex nervorum contractione debilitatus et inutilis factus, cum ante memoratas sanctorum reliquias venisset, statim erectus, et sanitati quam desiderabat sine mora est redditus. Similiter et puella quædam de ipso vico Trajecto, vocabulo Theothildis, cujus dextera manus erat simili contractione in tantum complicata atque distorta, ut ad omnem usum esset inutilis, hæc, eadem die, ante easdem sanctorum reliquias, pari modo curata est.

84. Quibus visis, populus in basilica congregatus, cœpit, præ nimia exsultatione atque lætitia, in hymnis et litaniis, sublatis in altum vocibus, laudes Domino decantare. Cum subito intravit puer quidam surdus, atque in media plebis multitudine stupefactus et attonito similis constitit. Ac deinde, cum ante altare sancti Salvatoris, quod in media ecclesia positum est, pervenisset, erumpente protinus de naribus ejus sanguine, quo diu privatus fuerat, auditus officio donatus est. In crastinum autem, id est quarto Idus Junii, visum est nobis ut feretrum, quod sacros Martyrum cineres continebat, altius elevari deberet; ad hoc videlicet, ut aliquanto eminentius esset quam altare cui appositum erat, et facilius ab accedentibus cerni potuisset. Idque nobis facientibus, et inter faciendum litanias cum Dei laude canentibus, puella quædam de familia S. Servatii, a nativitate sua pedibus ex contractione distortis, manibus etiam ex nervorum distensione dissolutis, insuper et muta, quam paulo ante in basilicam sui detulerunt, et coram feretro posuerunt, subito sanitati est reddita; ita ut eadem hora et loqui, et incedere, et manibus ad omnia necessaria perfecte uti potuerit.

85. Femina quædam de ipso vico Trajecto, cum haberet ancillam cæcam, nomine Adalgardam, ingressa basilicam tradidit eam sanctis martyribus Marcellino et Petro, ut per eorum suffragia visum recipere mereretur, ibique dimisit. Quæ cum, post peractum vespertinale officium, in eadem ecclesia substitisset, subito, velut ab aliquo impulsa, in pavimentum cecidit; atque ibi diu volutata, tandem, cum ingenti circumstantis populi stupore atque admiratione, clare videns surrexit. Contigit hoc Idibus Junii ad vesperum, ipso noctis incipiente crepusculo. Homo quidam de provincia Burgundia, ex territorio Gennavensi [c], nomine Theotgarius, ea passione laborans quam medici Græco vocabulo *spasmon* appellant, Latine autem, ab assidua membrorum agitatione, *tremulosa* non incongrue vocari potest, venit in basilicam : atque in media populi turba, quæ ad audienda missarum solemnia, ut in die Dominico moris est, fuerat congregata, constitit. Cumque, post recitatam Evangelii lectionem, Christianæ credulitatis symbolum recitaretur [*Ms.*, caneretur], tremulosus ille subito ad terram corruit; et dum divinum officium peragitur, pene immobilis ac mortuo quam viventi similior jacuit; multoque ex naribus ejus sanguine manente [*Ms.*, manante], post completum sacrum officium, cum magna inspectantis populi admiratione, sanus ac sine ulla trepidatione surrexit Factum est hoc miraculum decimo octavo kalendas Julii, [d] die Dominico, sicut superius comprehensum est.

[a] *Condensium*, an forte *Condrusium?* diœcesis Leodiensis portio, vulgo *le Condroz?*

[b] Ex pluribus *Cresciaci* nomine dictis locis, celebrius est illud quod, in Melodunensi Galliæ diœcesi situm, regia etiam nunc jurisdictione pollet.

[c] *Gennabum* in finibus Aurelianensium ad Ligerim, hodie *Gien*, ut quibusdam cum aliquo in nomine fundamento placet; *Genabus*, Lucano.

[d] Cum hic concursus exigat litteram Dominicalem D, et hæc habeatur anno 828, nec deinde ante an-

86. Quarta autem feria, id est, decimo quinto Kalendas Julii, puer quidam, nomine Folchardus, de monasterio quod Meldradium [a] vocatur, qui erat cruribus ac pedibus miserabili contractione distortus, eodem in loco, coram omni populo, curatus est. Undecimo Kalendas Julii venit quidam homo ad ecclesiam, et inter cæteros intravit, cujus dextra manus simul cum brachio modo mirabili movebatur in gyrum, ac si molam vertere deberet, idque incessanter agebat. Is dicebat, ob hoc sibi hanc inquietudinem accidisse, quia die Dominica contra vetitum moleret; et jam annum integrum evolutum esse, ex quo hujusmodi pœna multatus est. Qui cum ad sacras martyrum reliquias appropiasset, ibique fideliter eos invocasset, molaris illa commotio subitanea quiete sopita est. Hic homo de monasterio Scotorum, quod Fossæ [b] vocatur, se venisse, Dolbiumque appellari dicebat.

87. In vigilia S. Joannis Baptistæ, quæ est die nono Kalendarum Juliarum, venit quidam vir Trajectum ad basilicam S. Servatii, qui se de civitate Tornaco esse fatebatur. Is, ut ipse aiebat, fuit ab infantia surdus et mutus : ductusque a suis ad S. Sebastianum, cœpit ibi et audire et loqui, sed inefficaciter, quoniam verba ejus vix intelligebantur ; ipse quoque, cum alii ad eum loquerentur, tenuitatem auditus sui dissimulare non poterat. Qui ubi ad matutinum officium venit, coram sacris reliquiis procumbens, obdormivit. Nec multo post, velut aliquo excitante evigilans, qui os suum pugno percussisset, a circumstantibus perquisivit. Cui cum omnes, neminem hoc fecisse, respondissent, surrexit : eademque hora sanus factus, perfecte, sine ullo impedimento, et audivit et locutus est.

88. Eadem die, dum sacra missarum solemnia celebrantur, femina quædam, nomine Adallinda, duos cereos ad lumen in ecclesia faciendum detulit : quorum unum dextra manu cuidam ex custodibus, ut accenderetur, porrexit; alium autem interim, quasi de illo postea illuminandum, manu sinistra retinuit. Sed mirum in modum, dum custos sibi datum accendit, ille qui in manu feminæ remansit, cunctis cernentibus divinitus accensus est.

89. Monasterium sanctimonialium, Eike [c] vocabulo, situm super Mosam fluvium est. In quo quædam Deo sacrata, nomine Saliga, toto corpore, excepto dextro brachio, diro paralysis morbo dissoluta jacebat. Huic per quietem quidam ex vicinis suis astitisse, ac tali sermone eam compellasse visus est, ut diceret : « Quid agis? » Cui cum illa, non aliud quam se in lecto suo quiescere, respondisset, « Audistine, inquit, aliquid de sanctis, qui in Trajecto ad S. Servatium venerunt? » Cui cum nihil de his se audisse respondisset, « Surge, ait, velociter, atque illuc properanter venire contende; nam ibi es omnium membrorum tuorum receptura sanitatem. » Sed cum expergefacta nihil de his facere curasset, iterum sequenti nocte ab eodem, simili modo, est admonita ut Trajectum pergeret. Illa tamen, ut prius, spreta monentis voce, quo jubebatur distulit proficisci. Tertia vero nocte vidit eumdem sibi astare, et cum quadam severitate, cur monita sua contempsisset, interrogare; baculoque, quem tunc manu tenere videbatur, latus ejus percutere, atque ut Trajectum velociter pergeret, imperare. Nec illa jam ausa trinæ visionis auctoritati resistere, accitis ad se propinquis et amicis, Trajectum, ut sibi jussum erat, deducitur, et in basilica B. Servatii juxta sacros martyrum cineres collocatur. Cumque ibi promissæ sanitatis præstolaretur eventum, quinto demum die postquam illuc venerat, cum magna omnium admiratione, perfectam totius corporis sui meruit recipere sanitatem.

## CAPUT X.

*Duo miracula, intercessione SS. Proti et Hyacinthi atque S. Hermetis, in ecclesia SS. Marcellini et Petri patrata.*

90. Restant adhuc duo valde præclara miracula, quæ non solum tegenda silentio non censeo, quin potius illorum conscriptione convenientissimum quarto volumini, quod in manibus habetur, finem me facturum esse confido. Et licet eadem signa beatis martyribus Marcellino et Petro cum aliis sanctis possint videri communia, ex eo quod unum ex his in adventu [d] reliquiarum sanctorum Proti et Hyacinthi, et juxta ipsas reliquias gestum est; alterumque in die natalitio sancti Hermetis, suis [*Ms.*, sub] ipsius reliquiis contigisse certum est; ideo tamen ipsis præcipue adscribenda videntur, quoniam in ea basilica facta sunt, in qua eorum sacratissima corpora requiescunt. Gestorum autem fides ad nos pertinet, qui præsentes fuimus, et quibus ea divina pietas videre concessit. Ac proinde, omissa præfatione, ad ipsa quæ dicenda sunt miracula veniamus.

91. Gregorius, Romanæ urbis episcopus, qui Eugenio [e] simulque Valentino in pontificatus honore successit, cum titulum S. Marci evangelistæ, in quo presbyter fuerat, ampliare, et in eo monasterium vellet exstruere, quæsivit per cœmeteria et ecclesias longius ab urbe constitutas, sicubi sanctorum martyrum corpora posset invenire : inventaque titulo, quem opere magnifico exstruxerat, curavit inferre. Casu

num 834; verosimile fit, eodem circiter tempore Valencenas et Trajectum reliquias missas fuisse. Idemque opinari licet de Gandavo.

[a] *Meldradium*, vulgo *Meldert*, in Brabantia, prope Hogardam, ubi B. Pipinus, ad honorem S. Ermelindis virginis, sanctimoniales constituit.

[b] *Fossæ*, oppidum districtus Leodiensis.

[c] Vide Vitam Herlindis et Relindis, virginum et sororum, quæ cum patre Adalhardo dictum monasterium construxerunt.

[d] Coluntur SS. Protus et Hyacinthus 11 Septembris, ac S. Hermes 28 Augusti.

[e] Eugenio II anno 827 die 27 Augusti mortuo, constituitur Valentinus : eique, post 14 dies circiter vita functo, succedit Gregorius IV, mortuus 11 Januarii anni 844, secundum nostram chronologiam. At res hic gestas refert Baronius ad annum 829.

igitur factum est, ut eo tempore, quo sepulcrum A beatissimi Hermetis erat aperturus, et sacrum illius corpus inde fuerat sublaturus, unus ex nostris, qui eodem anno supplicandi gratia, ut moris est pœnitentibus, Romam venerat, congregatæ ad basilicam martyris multitudini cum cæteris peregrinis interesset. Is negotio, quod agebatur, diligenter inspecto, spem adipiscendarum memorati martyris reliquiarum, licet corde simplici, non tamen sine causa concepit, et Deusdonam diaconum, cujus in primo libro crebram fecimus mentionem adiens, obnixe rogavit ut ex his quantulumcunque a custodibus loci acciperet, mihique deferendum sibi præstaret. Qui confestim precibus ejus annuens, id se sine mora facturum pollicetur; datoque custodibus pretio, non solum sancti Hermetis, sed etiam sanctorum Proti at- B que Hyacinthi, quorum in eadem basilica corpora erant posita, reliquias accepit. Et illas quidem per quemdam familiarem suum, cui Sabbatino cognomen erat, simulque et nostrum, qui ei ut hoc faceret persuasit, mittere curavit : quod autem de corpore beati Hermetis potuit adipisci, ipse ad nos veniens, pro ingenti munere, detulit. Cum autem de adventu reliquiarum sanctorum Proti et Hyacinthi nobis esset indicatum, obviam illis processimus; easque, ut par erat, honorifice suscipientes, atque basilicæ cum hymnis et orationibus inferentes, propter corpora beatorum Marcellini et Petri, cum feretro quo venerant, collocavimus. Ubi cum in crastinum mulier quædam de proximo prædiolo, quod Baldradestat nuncupatur, dæmone possessa cum cætero populo C fuisset ingressa, cœpit nequam spiritus fremere, ac prostratam in pavimento collidere, suamque malitiam coram omnibus confitendo publicare. Cumque a presbytero se exorcizante fuisset interrogatus, quis esset, unde venisset, quando et cur in eam intrasset; ad singula respondit, seque non solum dæmonem, sed etiam omnium viventium pessimum esse testatus est. Et cum presbyter ab eo causam tantæ nequitiæ requisisset, malam voluntatem hanc sibi tribuisse fatebatur. Rursus cum ab eo quæreret, si unquam in cœlo fuisset; in cœlo se fuisse, et inde propter superbiam dejectum esse, confessus est. Eidem percontanti, utrum Christum Dominum necne vidisset; ait, in inferno eum a se visum tempore quo pro humani generis salvatione mori, atque illuc D descendere dignatus est.

92. Ubi vero ad id ventum est, ut eum interrogaret, si nomina martyrum nosset, quorum reliquiæ pridie eidem ecclesiæ illatæ sunt? « Notissima, inquit, mihi sunt eorum nomina : quia quando passi sunt, præsens astabam, ac de eorum sempiterna gloria ingenti torquebar invidia; quos etiam hic modo patior infestissimos : cruciant enim me tormento incredibili, atque invitum de hoc vase, in quo diu latitabam, exire compellunt. » Cui presbyter : « Cum exieris, inquit, quo perrecturus es? — Ego, ait, in viam pessimam perrecturus, et longinquas desertasque regiones petiturus sum. » Post hæc cum et occasionem et modum ingressionis suæ jubente presbytero exposuisset, conversus ad feminam : « Ego, inquit, infelix mulier, antequam exeam, ossa tua collidam atque confringam, teque debilem ac nostræ societatis memorem relinquam. » Et cum illa, velut infirmitatis suæ conscia, cœpisset voce supplici atque submissa Sanctorum auxilium implorare, ille statim, per os ipsius cum ingenti austeritate fremens et increpitans, loqui volenti silentium imperavit. Erat enim nobis, qui præsentes eramus, ad videndum valde mirabile, quod ille spiritus immundus per os ejusdem mulierculæ tam diverso modo loquebatur; et nunc masculinæ, nunc femininæ vocis qualitatem sic ad purum exprimebat, ut non una sed duæ in ea acriter altercantes, seque ad invicem convitiis lacessentes personæ, esse viderentur. Et revera duæ erant, diversa inter se voluntate dissidentes : dæmonis una, possessum a se corpus collidere cupientis, mulieris altera, hoste quo tenebatur liberari desiderantis; quæ diversitas voluntatum, ex disparitate vocum ac dissimilitudine verborum, quæ inter se [*Ms. add.* alternando] jactabant, satis clare atque aperte poterat intelligi. Completo igitur juxta consuetudinem mysterii cœlestis officio, nobisque ad curanda corpora de basilica egredientibus, jussimus feminam cum custodibus ibidem, donec reverteremur, opperiri, fiduciam habentes quod per virtutem Christi et merita martyrum suorum, perfidus possessor ejus cito foret exiturus. Neque nos spes nostra fefellit. Nam post refectionem ad ecclesiam regressi, exacto dæmonio, sanam illam et incolumem, ac per omnia mentis suæ compotem, atque in Dei laudibus exultantem invenimus. Et hoc quidem signum in adventu reliquiarum beatorum Christi martyrum Proti et Hyacinthi, juxta modum a nobis comprehensum, constat esse completum : illud autem, quod sancto Hermeti adscribitur, quo sit ordine gestum, præsenti narratione clarebit.

93. Colonia metropolis est in finibus Ribuariorum, super Hrenum posita. Ex qua femina quædam erat, a renibus deorsum diutina nervorum distensione in tantum debilitata, ut, negato sibi crurum ac pedum officio, non aliter quam sedens, porrectis in anteriora pedibus, ac manibus in terram positis innitens, seque hoc modo promovens, vicem ambulandi explere potuisset. Hæc, auditis miraculis atque virtutibus, quas Dominus per sanctos martyres suos, Marcellinum et Petrum, in curatione infirmorum atque debilium, operatus est, ad basilicam eorum venire gestivit : et quoniam aliter commode nequiverat, in nave mercatorum, qui illo ad festivitatem eorumdem sanctorum ibant, advecta est: venitque illuc ad diem natalitium, atque ibi spe recuperandæ salutis aliquandiu morata est. Sed ubi vidit curationem suam esse dilatam — et revera dilata erat, non negata; quia non alibi, sed ibi; neque tunc, sed alio tempore fieri debuit — statuit Moguntiacum proficisci. Erat enim in proximo festivitas

[a] sancti Albani martyris, cujus apud eamdem urbem et basilica et percelebre monasterium est. Quo cum venisset, et apud memoriam martyris, pro restitutione salutis suæ, Domino supplicasset, vidit per soporem quemdam juvenem clericum sibi assistentem, ac novos calceos manu ferentem, atque ut eos acciperet pedibusque induceret imperantem : se quoque ita fecisse. Illum deinde præcepisse, ut his calceata ad locum, unde illo venerat, reverteretur, ibique adventum medici præstolaretur, qui eam esset procul dubio sanaturus. Quæ ubi evigilavit, visioni fidem accommodans, quanta potuit celeritate ad sanctorum martyrum salutifera limina reversa est; ac per duos menses in eodem loco inter alios pauperes conversata, pollicitationem visionis opperiebatur. Cum interim, circa medium fere mensem Augustum, Deusdona diaconus, cujus in primo operis hujus libro crebram fecimus mentionem, Roma veniens, unum articulum digiti beati Hermetis martyris pro magno nobis munere detulit. Quem accipientes, capsula reconditum, in superiori parte basilicæ, supra ipsum occidentalem ecclesiæ introitum collocavimus. At femina quæ, ut dixi, visione divinitus admonita illuc venerat, et duobus jam exactis mensibus, nihil promissæ opis sibi advenisse cernebat, delusam se vano somnio existimans, reditum in patriam meditari cœpit. Statuitque cum negotiatoribus, qui se reducerent, ut proxima Dominica, quæ quinto Kalendarum Septembrium die [b] simul cum anniversaria sancti Hermetis solemnitate erat futura, navem eorum, in regionem suam reversura, conscenderet. Jamque instante nocte, quæ diem profectioni condictum erat sine dubio præcessura, cum nos secundum consuetudinem, completo nocturnali officio, ad quiescendum [*Ms. add.* ecclesia] fuissemus egressi, cæteris exeuntibus, femina illa introire volens, in ipso limine consedit. Ibique coram omnibus stupore quodam oppressa, parumper obticuit; ac deinde erumpente ex omnibus pedum unguibus aliquanto sanguine, ad se reversa, manum circumstantibus porrexit, erectaque in pedes, ad sepulcrum martyrum ambulare cœpit. Quo cum pervenisset ad orationem coram altari prosternitur, ibique tamdiu jacuit, quoadusque hymnus, quem exultantium simul atque mirantium multitudo Deum laudans devotissime cantabat, compleretur. Quo finito, sana surrexit, sed in patriam ulterius redire noluit. Merito igitur miraculum istud beato Hermeti ascribitur, cujus die natalitio, et sub cujus reliquiis gestum esse constat. Sed nequaquam sanctissimi martyres Marcellinus et Petrus ejusdem operis exortes esse possunt, in quorum basilica patratum est; et quos ipsa, quæ curata est femina, toto peregrinationis suæ tempore, ut se adjuvarent, semper invocavit.

91. Hæc sunt quæ de innumeris sanctorum virtutibus, aut a nobis visa, aut fidelium veraci relatione comperta, litteris ac memoriæ mandare decrevimus; quæ Christi amatoribus ac martyrum ejus veneratoribus ad legendum grata fore non ambigo : quoniam nihil eis videtur impossibile, quod ut fiat Deo omnipotenti placuerit. Incredulis autem ac sanctorum gloriæ derogantibus, quia fastidiosa esse non dubito, ne omnino legere velint, suadendum censeo : ne forte vilitate nostri sermonis offensi, blasphemiam et invidentiam devitare non valeant; ac sic Deum et proximum, quos amare jubentur, se odisse declarent.

[a] S. Albanus martyr Moguntiæ colitur 21 Junii.

[b] Annus hic fuit 830, littera Dominicali B.

# [a] RHYTHMUS EGINHARDI

## ERUDITISSIMI VIRI

# DE PASSIONE CHRISTI MARTYRUM MARCELLINI ET PETRI.

[Acta Sanctorum Bolland. tomo I Junii.]

1. Erat quidam exorcista sanctus [b], Petrus nomine,
Qui doctrinam magni Petri secutus apostoli,
Veram fidem Jesu Christi prædicavit gentibus.
Malignorum adjurator iste fuit dæmonum,
Atque atros verbo potens effugabat spiritus,
Perque signum sanctæ crucis ægros sanos fecerat.
Quem pagani comprehensum duris nectunt vinculis,
Ac per multa laniatum tormentorum genera,
Ad extremum tenebroso mancipatunt carceri.
Imprudentes arbitrati quod per artus corporis
Pœna inflicta prævaleret Christi fidem tollere,
Sed cor, cœlo fixum manens, nescit flagris cedere.
Cui custos deputatus præfuit Arthemius,
Qui reorum turbam diris constringebat vinculis,
Atque claustra caligosi servabat ergastuli.
Erat cui chara valde nata, virgo nomine,
Quæ invasa præ feroci vexabatur dæmone,
Et paterna sæva pœna cruciabat pectora.

2. Quod cum Petrus comperisset, compellat Arthemium.
Monens simul et exhortans, Christi miles inclytus,

[a] Hunc titulum præfert vetus codex bibliothecæ sancti Benedicti ad Ligerim (Mabill., *Acta SS. ord. S. Bened.*, sæc. IV, parte I).

[b] D. Teulet, *Romæ*.

Mercaretur sancta fide ut salutem filiæ :
« Deum, dixit, crede Christum, qui creavit omnia,
Qui cœlum terramque sua continet in dextera,
Et qui miti potentatu protegit quod possidet. »
Hæc beato proferente Petro Christi famulo,
Custos ille tenebrosi carceris Arthemius
Plura dicta contra refert, sed eadem frivola :
« Non est, inquit, verum, Petre, neque verisimile
Meam tuus possit Christus ut salvare filiam,
Qui nullum exhibet suis solamen cultoribus.
Ferret, puto, si valeret, opem suis famulis,
Sed hoc illum non valere produnt illa verbera,
Quæ tu dudum propter ipsum tolerando deficis. »
Ad hæc Petrus vultu læto pauca verba referens :
« Christum, inquit, confitemur, et in ipsum credimus,
Qui est solus sæculorum Salvator et Dominus.
Ipse valet, quidquid sibi placuerit, facere,
Tam cœlo terraque potens, quam et ponti fluctibus,
Cui servit totum suis cœlum cum sideribus.
Ille potest, quandocunque sibi placet, solvere
Duros nexus catenarum, quibus vinctus teneor,
Et de cunctis tormentorum pœnis tutum reddere.
Sed meum credo quod nolit impedire bravium,
Quin peccatis depurgatum pervenire faciat,
Per tormenta passionis, ad perennem gloriam.
Vellem tamen, o Arthemi, faceres periculum,
Verum siet, anne falsum, quod de Christo credimus,
Quodque illum tam potentem omnes esse dicimus. »

3. Ad hæc antri carceralis custos, nondum credulus :
« Fiat, ait, quod hortaris, hodieque clareat,
Valeat quid Christus tuus, quem me rogas credere.
En ego nunc tuis vinclis superaddam vincula,
Teque ipsum tenebroso clausum linquam carcere,
Atque antri postes seris stringam firmioribus.
Si te tantis innodatum liberarit nexibus
Christus vester, ac solutum sospitem reddiderit,
Credam illum, atque Deum colam sine dubio;
Ea tamen ratione, si redemptam videro,
Ipso Christo faciente, meam charam filiam,
Ab illius dominatu, quo vexatur, dæmonis. »
Tunc subridens fortis ille Petrus Christi famulus :
« Fides, ait, imbecilla confirmari poterit,
Si, quæ verbis promisisti, factis adimpleveris;
Meque, humana sine ope atque amminiculo
Isto tetro quo includor liberatum carcere,
Domus tuæ limen pede penetrasse videris :
Et non tantum contemplatu, sed palmarum tactibus,
Explorando comprobabis ipsum tibi assistere,
Quem inclusum dimisisti tenebroso in carcere. »
Ad hæc verba crebro caput agitans Arthemius,
Et non credens Deum posse tanta bona facere,
Tali Petro servo Christi respondet affamine :
« Homo, inquit, mente captus, aliena loqueris,
Quod ex multis accidisse reor passionibus.
Quas tu diu propter sectam Christianam sustines. »

A 4. Ita dixit, et abscessit, seque domum contulit,
Conjugique cuncta suæ, cognomento Candidæ,
Valde stupens atque mirans dicta Petri retulit.
Cui conjux dubitanti corde fatur credulo,
Se mirari quod insanum voluisset dicere,
Quem audisset sospitatem filiæ promittere ;
Nec hoc diu differendum esse quod promiserat,
Sed præsenti se facturum fateretur tempore,
Et quod dixit ac spopondit, hodie clarescere.
Ille vero contra nitens, uxorem increpitat,
Cur his verbis fidem daret, et appellat fatuam,
Quia Christum Deum Petri tam potentem crederet.
« Non est, ait, numen ullum, sed nec ipse Jupiter,
Quod eumdem sic conclusum possit vinclis solvere,
Vel ex antri tetro lacu liberum dimittere. »
B Illa Petri verbis credens, quibus se promiserat,
Per virtutem Jesu Christi mira posse facere,
Tali sibi resistentem repulit elogio :
« Hoc est, inquit, quod augebit Dei sui gloriam,
Cum per illum erit factum, quod patrare nequeunt
Illa magna, quæ a nobis nunc coluntur, numina. »

5. Hæc dum simul ac vicissim alternando conferunt,
Atque, solis orbe merso, stellæ noctem proferunt,
Ecce Petrus, ut promisit, adest admirantibus,
Signum crucis manu gestans, veste fulgens candida;
Seque verum Christi servum, et non falsum aliquid
Esse monstrat, dum multorum contrectatur manibus.
Hæc cernentem stupor ingens arripit Arthemium;
C Atque Petri sine mora pedibus advolvitur,
Deum solum verum Christum magnis clamans vocibus.
Hoc et conjux, hoc et cuncta consonat familia
Esse nullum nisi Christum, rerum potentissimum,
Quem beatus prædicasset Petrus atque coleret.
In adventu cujus ipsum, quod eorum filiam
Diu male possidendo vexabat, dæmonium
Fugit statim, et invitus Dei virum prædicat,
Ut in alto malum [a] atrox audiretur aere :
« Virtus, dicens, Christi, Petre, in te manens pepulit
Me de illa, quam tenebam usque modo, virgine. »

6. Hæc tum Petro faciente per virtutem spiritus,
Fama velox, per vicina statim loca volitans,
Multos valde congregavit viros atque feminas.
D Nam non minus quam trecenti convenere masculi,
Mulierum quoque major numerus confluxerat,
Simul omnes admirantes sanctam Christi gloriam
Etenim cernebant cuncti, quod in Christi nomine
Omnes morbi sanarentur per supernam gratiam,
Perque sacra Petri jussa pellerentur dæmones.
Et videntes, corde puro capere desiderant
Fidem Christi salutarem, simul atque flagitant
Ut in sacri mererentur unda fontis ablui.
Huc statim, vocante Petro, venit Christi famulus,
Magnus martyr et confessor, Marcellinus presbyter,
Ut novellum confirmaret baptismate populum.
Quæ dum essent adimpleta competenti ordine,

[a] D. Teulet, *palam*

Nutu Dei quaterdeni dies evoluti sunt,
Per quos sancti novæ gentis nationem roborant
Ut, in Christo permanentes, creaturas colere
Nolint, vitam neque istam velut magni quippiam
Amplectantur ; immo velint propter ipsum perdere.
7. His exactis, adest sævi missus lictor judicis,
Jubens omnes qui fuissent tetro clausi carcere,
Ad conspectum nocte prima arbitri assistere.
Quod extemplo cum audisset atri custos carceris,
Blandis vinctos, qui aderant, vocibus alloquitur,
Irent cuncti, quoquo versum vellet quisque pergere.
« Qui ad palmam, inquit, regni pervenire cogitat,
Hic mecum ad Sereni judicis præsentiam,
Pœnas ibi subiturus, pergere non hæsitet [a].
Si quis vero nondum vitam mundialem spernere
Valet, atque tormentorum est pavore territus,
Eat liber, quo voluntas illum sua tulerit. »
Ecce autem judex, primo noctis gallicinio,
Surgit vigil, ac furenti voce jubet noxios
Suis omnes alligatos exhiberi visibus.
Huic præsto tenebrosi custos astans carceris :
« Petrus, ait, exorcista, quem puniri jusseras,
Per virtutem sui Christi cunctos vinctos solverat ;
Et catenis absolutos, ire jussit liberos.
Ipse tamen, Marcellinum quemdam secum retinens,
In qua semel missus erat permanet custodia. »
Hæc dicentem furibundus imperat vicarius
Plumbo cæsum, atque vinctum, carceris Arthemium
In obscuram atque arctam recipi custodiam.
8. Sanctos vero Marcellinum atque Petrum martyres,
Quæstionem habiturus de illorum actibus,
Suo jubet sævus judex tribunali assistere.
Quos ut torvis coram stantes conspicatur vultibus,
Blandis primo compellandos arbitratus vocibus,
Ut eorum permutaret mentium propositum :
« Pœna, dixit, vos minore plecti posse dicerem,
Nisi cunctos criminosos, qui vobiscum carceris
Antro clausi tenebantur, effugisse cernerem,
Et hoc factum vestro nossem Christiano dogmate,
Per quod male miserorum mentibus illuditis
Fascinantes ac fallentes magicis versutiis. »
Cui magnus Christi martyr Marcellinus presbyter,
Forti pectus pietatis plenum gerens spiritu,
Pauca quidem, sed non parva, verba contra reddidit:
« Non est, inquit, criminosus nec dicendus noxius,
Qui, omisso paganismo, Christo cœpit credere,
Atque illi sana mente serviendum judicat.
Hoc qui facit, Dei summi filius vocabitur,
Et a cunctis peccatorum absolutus sordibus,
Vere esse quod vocatur, Deo dante, visitur. »
Hæc dicentem Marcellinum imperat minaciter
Sævus judex, sub duorum pugnis cæsum subigi :
Et in locum, omni luce qui careret, projici ;
In quo vitrum super humum fecit fractum spargier,
Ac desuper assertorem veri nudum sternier [b],
Atque vinctum volutari illis in fragminibus ;

A Omni victu abstineri Christi jubens famulum,
Ut, his pœnis enecatus, interiret propere,
Cui fidem extorquere se non posse viderat.
9. Tum deinde Petrum videns, talibus alloquitur :
« Nolo, inquit, arbitreris, iterum eculeo
Te torquendum, vel ignitis exurendum faculis.
Immo noris, quod nectendus nodis fortioribus,
Stipitique applicatus luce stabis crastina,
Ac ferarum laniatu vitam brevi finies. »
Tum beatus respondendo Petrus forti pectore,
Iram volens contumacis concitare judicis,
Tali voce sævientem provocat insaniam :
« Cum Serenus vociteris, miror validissime,
Cur tam tetro vultum geras obfuscatum nubilo
Ut mensuram pervidere propriam non valeas.
B Esse namque te mortalem universi novimus;
Et tu, velut quiddam magnum in te vigens maneat,
Grandes pœnas comminaris Christiano populo ;
Stulta nimis ac feroci confidens audacia,
Immortalem Christi fidem, de credentum cordibus,
Exturbari unquam posse pœnis temporalibus
Sacerdotem quidem Christi, quem rogare poteras,
Ut pro tuis exoraret plurimis excessibus,
Pugnis cæsum atque vinctum mancipasti carceri.
De quo tamen tristi facto, vero lætus gaudio,
Magnus ille martyr Christi modo nihil queritur;
Immo rerum conditori dignas refert gratias. »
His auditis, efferatus tormentorum arbiter,
Petrum jubet catenarum comprehensum pondere
Oneratum, in obscuram recipi custodiam :
Et in cippo furibundus præcipit arctissimo,
Plantas simul atque crura pretiosi martyris,
Ne abire prævaleret, includendo comprimi.
10. Sed cum essent isto modo separati martyres,
Celso missus visitator cœli venit culmine,
Ad beatum Christi testem consolandum, angelus.
Qui dum sanctum invenisset vitro superpositum
Marcellinum, sine veste nudo vinctum corpore,
Christo Deo supplicantem, sicut erat solitus,
Solvit statim, et opertum indumentis propriis,
Quoquoversus præcedentem se sequendum imperat,
Eo dicens perducendum, ubi Petrus fuerat.
Cumque esset illo ventum, verus Dei nuntius,
Petro statim absoluto, Marcellino præcipit,
Ut se ambo præcedentem sequerentur pariter.
D Quem sequentes intraverunt domum quamdam subito,
In qua erat congregatus Christianus populus,
Qui per ipsos ad divinam doctrinam pervenerat.
Tum præcepit ille magnis angelus martyribus,
Ut catervam congregatam confirmare studeant,
Per septena proximorum dierum volumina :
Ac tum demum sævienti se tyranno proferant,
Ostendantque parum posse illius potentiam,
Contra Dei continentis cuncta providentiam.
11. Tum sequenti luce jussit judex crudelissimus,
Ut ministri visitarent loca, quibus martyres
Clausos simul et ligatos custodiri jusserat.

[a] D. Teulet, *dubitet*.

[b] D. Teulet, *sternere*.

Cumque ibi non repertos referentes dicerent,
Ire jussit, et adduci, una cum Arthemio,
Ejus quoque mulierem, cognomento Candidam,
Atque natam eorumdem, nuncupatam virginem
De qua Petrus exorcista dæmonem expulerat,
Et purgatam, regi Christo credulam reddiderat.
Hos adductos ille truci intuitus oculo,
Diis jussit, immo tetris ut litarent larvulis,
Atque sacram Christi fidem abnegando linquerent.
Et cum nolle pervidisset imperata facere,
Jussit sævus ut in [a] ingenti ruderum congerie,
More pressi noxiorum, necarentur pariter.
Qui cum vincti ducerentur viam per Aureliam,
Vident simul Marcellinum atque Petrum martyres,
Et cum eis multam valde populi frequentiam.
Quibus visis, profugisse tremefactos asserunt,
Qui beatos confessores, catenarum pondere
Prægravatos ac depressos, puniendos traxerant.
Quos ut pii fugientes turba vidit populi,
Præcurrendo festinavit prævenire pavidos,
Ac mulcere cor furentum verbis cœpit mitibus.
Sed non valens quod volebat pia plebs perficere,
Loco fixos retentavit, donec Christi famulus
Marcellinus obtulisset salutarem hostiam.
Nam in specu, quo futura sperabatur passio,
Martyr Christi celebravit missarum solemnia,
Quis completis, abscesserunt quos abire jusserat.

12. Tum conversi Marcellinus atque Petrus martyres,
Ambo simul perfidorum alloquuntur populum,
Atque tali furibundos compellabant famine :
« En vidistis, quod in nostra ditione fuerat,
Ut vos modo, quo vellemus, valeremus lædere,
Et quos vinctos tenebatis, vi ereptos tollere.
Sed hoc nolle Christiana fecit patientia,
Quam suorum inferendo [b] famulorum sensibus,
Suo mites ac modestos Christus facit munere.
Et nunc quidem nos, superna suffragante gratia
Hinc abire poteramus, si hoc ferret animus.
Vos contra [c] quid possitis, tandem palam dicite? »
Tum frendentes ac frementes Satanæ satellites,
Primo ipsum, quem trahebant, trucidant Arthemium,
Ense duro ferientes effecerunt martyrem.
Cujus neci conjunxerunt conjugem ac filiam;
Quas, per cryptæ liminare præceps datas, obruunt
Saxis simul atque magnis arenarum molibus.

13. Tum beatos assertores veritatis alligant
Marcellinum atque Petrum, avidos martyrii ;
Annectuntque catenatos arborum stipitibus,
Donec tetro nuntiarent tormentorum arbitro,
Atque ipso comperirent, decernente judice,
Quali morte magni forent consumendi martyres.
Qui dum cuncta cognovisset gesta quæque jusserat,
Nigram jubet intra silvam sanctos duci martyres,
Et inibi capitalem capere sententiam.
Quo cum eos deduxissent dæmonum satellites,
Illi læti et alacres laudantesque Dominum,
A Locum suæ passioni largiorem faciunt.
Nam et spinas atque vepres evellebant manibus
Ipsi suis, ut purgando terram puram rédderent,
Sacrum erat quæ illorum exceptura sanguinem.
Tunc orantes, atque pacis sibi dantes osculum,
Genu flexo, percussorem patienter perferunt,
Ac projecta gravi petunt cœlum carnis sarcina.
Quorum ipse, qui eosdem magnos Christi martyres
Ferro jussus jugulavit, se vidisse fassus est,
Carnis vinclis absolutos evolasse spiritus,
Forma quasi virginali, tectos veste fulgida,
Auro quoque radiantes ac gemmarum lumine,
Angelorum coruscantum circumdatos agmine,
Lætabundos cum immensa lucis affluentia,
Supra cuncta penetrando celsa mundi sidera,
B Sublevatos ad æterna cœli regna scandere.

14. Duæ quædam referuntur Romæ natæ feminæ,
Una dicta est Lucilla, Firminaque altera,
Veram puris retinentes Christi fidem cordibus;
Quæ propinquæ ter beati martyris Tiburtii,
Ad illius sacrosanctum assidentes tumulum,
Deo gratas vigilando ducebant excubias.
Quibus ipse, cum beatis semet comitantibus,
Marcellino atque Petro, manifeste retulit
Per soporem, ubi sacra jacuissent corpora
Eorumdem electorum, atque simul admonet
Ut euntes absque mora, illa statim auferant,
Et in crypta suum prope curent corpus ponere.
Quæ præceptis obsequentes, Nigram silvam adeunt,
Sublatosque beatorum inde portant cineres;
C Et in specu deponentes, jusso loco tumulant.
Quas ad ista peragenda adjuvisse referunt
Duos quosdam de sacratæ sedis apostolicæ
Clericis, quos ordo sacer nominat acolythos.

15. Hæc ut gesta referuntur, retulisse asserunt
Illum ipsum, qui eosdem interemit martyres,
Et ab illo didicisse Damasum pontificem,
Cum, ætate puerili, per eadem tempora,
Sub magistro ministraret, et ad magnum cresceret
Rerum culmen, tunc Romana lector in ecclesia;
Post hæc cuncta memorasse, ac mandasse litteris,
Cum illius almæ sedis obtineret apicem,
Et in tota principatu polleret ecclesia.
Ille autem, qui beatos martyres percusserat,
D Dorotheus cognomento, per divinam gratiam
Ad baptismi sacramentum pervenisse dicitur,
Sacram sedem tunc regente Julio pontifice,
Publicam simul puramque gessit pœnitentiam,
Atque morum probitate consequi promeruit
Sempiterni salvatoris salutarem gratiam,
Per illorum, quos percussit, beatorum martyrum
Nunc et semper memorandam miram patientiam.
Qui de mundi triumphantes principe diabolo,
In supernis collocati semper gaudent sedibus,
Coram Christo, per æterna sæculorum sæcula.

[a] D. Teulet om. *in*.
[b] D. Teulet, *inserendo*.
[c] D. Teulet, *vos econtra*.

# EGINHARDI CHARTÆ.

## I.

*Charta qua Eginhardus, annuente Imma uxore sua, cellam Michelstadt cum appenditiis, retento ejusdem usufructu, monasterio Laureshamensi concedit.*

(Ann. 819, 12 Septembr.)

(Helvich, Antiquitates Laureshamenses, p. 41.)

Dominus ac Redemptor noster corporaliter in terris conversatus, homines, variis sordibus peccatorum inquinatos, admonere dignatus est, dicens : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis;* et iterum : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula.* Idcirco nos, in ipsius Dei omnipotentis et ista jubentis nomine, Eginhardus et Imma, simul de salute animarum nostrarum cogitantes, et de abolendis peccatis nostris, beatæque ac perpetuæ vitæ præmiis consequendis pari devotione tractantes, hoc testamentum facere decrevimus. Per quod spontanea et integra voluntate donamus, quod ab hodierna die donatum esse volumus, id est, cellam nostri juris vocabulo Michlenstat, sitam in pago Plumgowe, in silva quæ dicitur Odenewalt super fluvium Mimilingum, quam nobis gloriosissimus princeps domnus Hludowicus imperator largissima liberalitate concessit, et de jure suo in nostrum jus solemni donatione transtulit, ac præcepti sui auctoritate in proprietatem nobis confirmavit. Hanc, ut diximus, cellam sub integritate cum omnibus appendiciis et terminis suis, et cum omnibus ad se pertinentibus, id est, basilicis, domibus, cæterisque ædificiis, terris, pratis, silvis, campis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, cultis locis et incultis, mobilibus rebus et immobilibus, ac seipsas moventibus, mancipiis diversi sexus et ætatis, numero centum, donamus et tradimus ad basilicam sive monasterium venerandi martyris Christi Nazarii, quod vocatur Lauresham, et est constructum in pago Rhenense, in ripa fluminis quod dicitur Wisgoz, ubi tempore præsenti vir venerabilis Adalungus abba Deo deservientis congregationis pastor et rector esse cognoscitur. Ea videlicet ratione memoratam donationem atque traditionem facientes, ut, quamdiu in hac mortalitate divina jussione vixerimus, habeamus prædictam cellam in nostra potestate, et sub nostra ordinatione, absque ullius personæ aut potestatis contradictione vel impedimento, tam simul, quam singillatim per successionem, si, uno superstite, alter e nobis ante decesserit. Filios quoque si nos habere contigerit, unus ex eis in eadem possessione nobis jure precario succedat. Post obitum vero nostrum, memorata cella cum omni integritate ad prænominatum venerabile monasterium absque ullius contradictione recipiatur, et in ejus potestate atque dominio perpetuo permaneat. Et si aliquis contra hoc nostræ donationis testamentum resultare voluerit, aut illud convellere atque evacuare temptaverit, primitus Christum et sanctum martyrem ejus Nazarium nefandis ausibus suis contrarium sentiat, et insuper, fisco distringente, mulctam de rebus propriis parti prædicti venerabilis monasterii coactus exsolvat, auri videlicet libram unam, argenti pondo XII. Et hoc testamentum, atque hæc donatio nostra firma et inviolata permaneat. Et si, quocunque tempore, a quolibet homine aliud instrumentum in nostro nomine prolatum fuerit, quod huic nostro testamento contrarium sit, indicium datorum anterius vel posterius habens, etiamsi manu nostra videatur vel dicatur esse firmatum, vacuum et inane remaneat, et nullum effectum obtineat; sed, ut prædiximus, hæc donatio nostra perenni stabilitate firma et inviolabilis perseveret, stipulatione subnixa. Et ut hoc testamentum, juxta legis consuetudinem, integram firmitatem accipiat, propriæ manus subscriptione illud firmare decrevimus, et idoneorum testium, qui ipsam donationem viderunt, signaculis roborari fecimus. — Facta donatio in Laureshamo monasterio, II Idus Septembris, anno VI regni domini nostri Hludowici gloriosissimi imperatoris in Dei nomine feliciter.

Ego Eginhardus peccator et donator recognovi et manu propria subscripsi. Ego Imma consensi et subscripsi. † Signum Rabangarii. † Signum Warbotonis. † Signum Wolfberti et aliorum.

Ego Hirmimarus diaconus et notarius imperialis, rogante Eginhardo, hoc testamentum scripsi et subscripsi.

## II.

*Descriptio locorum terminorumque villæ Michelstadt ab ipso Eginhardo facta.*

(Helvich, ibid.)

Quoniam sunt quidam qui, fastu sæculari turgentes et semetipsos amantes, a Christi fidelibus sacris ecclesiis seu monasteriis contradita invadunt, aut ut sibi hæreditario jure retineant, aut mundiali baltheo in beneficio dividant : ego Eginhardus, ne in his, quæ de regia manu Hludowiei imperatoris in loco Michlenstat contraxi, manus iniquorum prævaleat, advertat, obsecro, fidelium tam sequentium quam præsentium memoria, qualiter in unum sint collecta, quibusve expressa vocabulis. Postquam eum locum prænominatum Laureshamensium dominationi subjugare disposui, adscitis quibus notum fuerat, terminum et vocabula locorum diligenter investigavi, et recenti memoria notarium meum Lutherum exprimere litteris jussi : ea videlicet circumspectione, quia multorum monasteriorum eis prædia conjunguntur, et diversorum dominorum beneficia circumqua-

que terminantur. Hæc igitur terminorum loca et A locorum vocabula designantur hoc modo : Dum a monte Mamenhart incipiunt, et totum eundem montem usque ad plateam comprehendunt; a platea usque ad duplicem quercum; inde inter Ulenbuch et Rumpheshusen ad quercum; de quercu ad fluvium Bramaha; per hujus descensum in Willinebach, per hujus ascensum usque ad lapideum rivulum; inde ad Willineburch, per unam portam intro, per alteram foras. Inde in ripam Enterun, per hujus descensum ad Langenvirst, ubi Langenvirst scinditur. Super Langenvirst ad Breitensol; inde per Eichendal ad flumen Urtella. Per hujus ascensum in Vinsterbuch; inde ad Phaphenstein Eginhardi. A Phaphensteine supra Richgeressneitten; inde ad verticem Clophendales ad Clophenberck; inde in Cuningesbrun- B nen. Per hujus descensum in Mimelingen; per hujus ascensum ad Manegoldescellam; ab hac in fluvium Mosaha. Per hujus ascensum in Geroldesbrunnen; inde ad Ellenbogen in flumen Branbach. Per ejus descensum in Mimelingen; ex qua ad quercum inter Grascapht et Munitat; inde iterum ad montem Mamenhart.

## III.

*Charta Eginhardi, monasterii S. Servatii confessoris abbatis, qua Meginfridum ejusdem monasterii servum, ad sacros ordines electum, solemniter manumittit.*

(Ann. 819 vel 821.)

(Dom. Bouquet, *Recueil des Hist.*, tom. VI.)

Auctoritas ecclesiastica patenter admonet; insu- C per et majestas regia canonicis decretis religione constantissima concordat, ut quemcunque sacros ad ordines, ex familia propria, promovendum ecclesia quæque delegerit, hunc in præsentia sacerdotum, cæterorumque clericorum canonice degentium, simulque et nobilium laicorum, is, qui tunc temporis ejusdem ecclesiæ rector fuerit, manumissione solemni a jugo servitutis absolvat, ejusque libertatem datam illi, coram testibus, ingenuitatis charta confirmet. Idcirco ego in Dei nomine Eginhardus abbas venerabilis monasterii sancti Servacii confessoris Christi, hunc famulum ecclesiæ nostræ, nomine Meginfridum, ad sacrum ordinem ab unanimitate venerandæ congregationis nostræ concorditer electum, ad altaris cornu, in præsentia sacerdotum et nobi- D lium virorum, per ecclesiastici atque imperialis decreti, sicut superius conscriptum est, auctoritatem, civem romanum statuo; et per hujus paginæ, quæ ob confirmandam ejus ingenuitatem a me conscripta est, traditionem, a vinculo servitutis absolvo : ita ut ab hodierno die vel tempore bene ingenuus, atque ab omni servitutis vinculo securus permaneat, tanquam si ab ingenuis fuisset parentibus procreatus vel natus. Eam denique pergat partem, quam ei canonicæ liberationis honor concesserit, habens ad hoc portas apertas, sicut cæteri cives romani. Ita ut deinceps neque nobis, neque successoribus nostris ullum debeat noxiæ, vel servilis conditionis servitium, neque aliquod libertinitatis obsequium; sed omnibus diebus vitæ suæ sub certa plenissimaque ingenuitate, sicut alii cives romani, per hunc manumissionis atque ingenuitatis titulum, semper bene ingenuus atque securus existat; et de peculiare quod habet, aut quod abhinc assequi potuerit, faciat secundum canonum auctoritatem libere quidquid voluerit. Et ut hæc manumissionis et libertatis auctoritas inconvulsam atque inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter firmavi, sacerdotes quoque et clerum ecclesiæ nostræ, necnon et laicos nobiles, qui huic absolutioni præsentes fuerunt, similiter subter firmare rogavi. Actum Trajecto citra Hrenum in monasterio sancti Servasii, anno, Christo propitio, imperii domni [*Hludowici*] VI, indictione XIII. — Ego Eginhardus abbas, manu propria subscribendo firmavi.

## IV.

*ª Commutatio mancipiorum inter Eginhardum abbatem et Theodradam monasterii S. Mariæ Argentogilensis abbatissam.*

(An. 824.)

(Mabillon., de Re diplomatica.)

Oppitulante Domino Jesu Christo, placuit atque convenit inter Theodredane nobilissima abbatissa de monasterio sanctæ Mariæ Argentogilense, nec non et inter venerabilem Eginhardum abbatem, una cum consensu et voluntate ancillas Dei ibidem consistentium, et bonis hominibus consentientes, ut mancipia inter se commutare vel excamiare deberent. Quod ita et fecerunt. Dedit igitur præcellentissima Theodrada abbatissa de ratione sanctæ Mariæ partibus Eginhardi abbatis, homine aliquo, nomine Gulfoco presbytero [b]. Similiter pro hujus

[a] Hanc permutationis chartam primus ex originali edidit D. Mabillonius, de Re diplom., lib. VI, p. 515. Non autem ut abbas Fontanellensis (jam enim Ansegisum in locum suum suffecerat) hanc commutationem fecit Eginhardus, sed potius ut Bandiniensis; chartæ enim nostræ primus subscribit vicedominus Bandiniensis, qui iterum diplomati immediate sequenti, in quo Eginhardus abbas S. Bandinii Gandensis dicitur, subscripsit.

[b] D. Mabillonius hunc locum insignem dicit quod ibi inter servos permutatos legatur nomen *Gulfoci presbyteri*, cum semper ante ordinationem servi manumitterentur, ut constat ex canonibus et verbis præcedentis chartæ. Ducangius, qui verbo *Presbyter* hunc locum citat, servos contendit characterem sacerdotalem indutos fuisse aliquando haud immutata conditione servili. Hoc enim non omnino inauditum et ex ipsis canonibus contra ordinationes hujusmodi latis constat. At parum verosimile est hæc circa regiam tolerata. Notandum vero Gulfocum in charta *presbyterum* non *servum* dici. Hinc conjicere licet illum antequam sacerdotium indueret manumissum, at invita, cujus erat, abbatissa Argentogilensi, quæ compensationis gratia duos Gulfoci loco servos accipit. Quod quidem lege Salica emendata (tit. XXVIII, § 2) cautum est : « Si quis servum alienum dimiserit..... solidos triginta quinque culpabilis judicetur, et capitale in locum restituat, et res servi ipsius proprius dominus recipiat. » Hic loco *capitalis* datur servus alter, sed de *rebus* nihil, ideo, verisimiliter, quod liberto nulle.

rei compensatione dedit econtra domnus Eginhardus venerabilis abbas partibus sanctæ Mariæ mancipia duo his nominibus, Imboldo et Vulframno, ita ut ab hodierna die quidquid de hoc quod unusquisque ex nobis accepit, pro oportunitate sua facere elegerit, liberum in omnibus perfruatur arbitrio. Et illud pro firmitatis studium inter nos successoribusque nostris inserere pactum, ut duas epistolas de hac re uno tenore conscriptas facere seu conscribere deberemus. Quod ita et fecimus. Nec nobis, neque successoribus nostris, contra pare suo de hoc quod accepit a pare suo ullo unquam tempore calumniam aliquam vel repetitione generare præsumat. Quod qui fecerit, rem quam accepit amittat, et insuper pari suo, cogente fisco, auri libra una, argenti pondua sex coactus exsolvat, et repetitio sua nullum obtineat effectum, sed præsentes commutationes has firmas et stabiles valeant perdurare. — Actum Argentogelo ante basilica sanctæ Mariæ, anno undecimo regnante domino Hludowico piissimo imperatore.

† Signum Egishario vicedomino. † Signum Theotboldo. † Signum Derulfo. † Signum Berhario. † Signum Aneloni. † Signum Anseluco.

## V.

*Charta Eginhardi S. Blandinii Gandensis abbatis qua Nordberto præstarie concedit quasdam res ad monasterium Blandiniense ab eodem delegatas.*

(An. 830, 21 Jan.)

(Teulet, Opp. Eginhardi.)

Venerabile in Christo Eginhardus abbas. Dum non est incognitum qualiter res tuas quod tu comparasti et ad monasterium nostrum tradidisti et ad opus fratrum nostrorum delegasti atque firmasti, sed postea tua fuit petitio, et nostra non denegavit voluntas, ut ipsam rem et illa terra, quod Thiodsumda habuit, per beneficium nostrum tibi Nordberto hoc prestitissemus. Quod ita et fecimus; et ad onorem tuum quando aliquantis temporibus ad monasterium nostrum venires, tibi provendam dare faciamus, et pro usu fructuario de ipsas res nobis censum levasti ut annis singulis, ad festivitatem sancti Martini, dare debeas denarios II, et ipsum censum debent fratres accipere. Et sic nobis conplacuit atque convenit ut ipsas res nec venderis, nec donaris, nec alienaris, nec concambiaris, nec in ullo naufragio mittere licentiam non habeas; nisi tantum, dum diu advixeris, usitare et emeliorare facias. Et, post obitum tuum, quod tu comparasti et in beneficio nostro habuisti, et illa alode quod antea tradidisti, ab illo die has res fratres hoc habere debeant ad mensam et ad opus eorum. Et Odbertus liceat percensire hoc clero vel d. II, et ipsum censum debent fratres accipere, qui infra monasterio sunt, in anniversaria tui pro anima tua. Facta prestaria in monasterio Blandinio publico sub die XII kal. Febr. anno XVI regnante domno nostro Hludowico gloriosissimo imperatore.

† Ego Eginhardus abbas recognovi et subscripsi. — Sign. Egeshario vicedomino. — Sign. Badurico custus (*sic*) presbytero. — Sign. Winegario decano presbytero. — Sign. Flatuualdo presbytero. — Sign. Ermenlando presbytero. — Sign. Regenmundo presbytero. — Sign. Thegenlando presbytero. — Sign. Hrodgario diacono. — Sign. Johannus (*sic*) subdiacono. — Sign. Odric subdiacono. — Sign. Teutmundo clerico. — Sign. Folcuuinzo clerico. — Sign. Sigeberto clerico. — Sign. Brunhardo clerico. — Sign. Adalgario diacono. — Sign. Egelmundo presbytero. — Sign. Erchenmaro presbytero. — Ego Rinhadus presbyt. scripsi.

## VI.

*Charta ejusdem argumenti pro Engelhardo.*

(Ann. 830 vel 839, 7 Sept.)

Venerabile in Christo Eginhardo abbate de monasterio Blandinio, dilecto amico nostro Engelhardo. Dum non est incognitum, qualiter aliquam alodem tuum ad monasterium nostrum tradidisti atque firmasti, hoc est in pago Rodaninse [a] in loco qui vocatur Facum, prope fluviola Absentia, id est ibidem casa cum curtile, tum aliis tectis et watriscapud [b], et de terra arabile et in Vacheria accrum et ad seminandum mod. XV et ibi e pratello ad fenum colligendum carrad. III et in Wielingahem [c] prato ad fenum collegendum carrad. XII. Hec omnia, quicquid ad ipsa casa aspicit, ad monasterium nostrum tradidisti atque firmasti; sed postea tua fuit petitio, et nostra non denegavit voluntas, ut ipsam alodem per beneficium nostrum tibi Engelhardum et uxorem tuam Heletradanem prestitissimus. Quod ita et fecimus et Heletradanem et filiis vestris laxavimus, securi [*que sitis abs*] que servitio et censum et econtra hereditatem tuam per beneficium nostrum illam rem, quam Engelramnus ad monasterium Blandinio donavit et firmavit, hoc est in ipso pago Rodiuinse, et in ipsa villa qui vocatur Facum prope fluviola Absencia, id est ibidem casa cum curtile, cum aliis tectis, et in agro qui vocatur Facheria accrum, ubi potest mod. sem. XI, et pratello ad segandum fenum carrad. III et in Wielingahem ad fenum colligendum, carrad. XII. Hæc omnia, quicquid ad ipsa casa aspicit, vobis Engelhardus et Heletradane præstamus ad husitandam et per ambas res censum levastis ut annis singulis ad festivitatem sancti Martini dare debetis denarios IIII; et qui pare suo supervixerit ambas res

[a] Postea marchionatus Rhodensis.

[b] Kilian Dufflaens in suo Etymologico Teutonicæ linguæ *waeter-schapp* interpretatur *aquagium aquæductus*; Hasselt vero nonnulla ex Consuetudinibus Belgii affert quibus hæc interpretatio amplius nonnihil extendenda videtur, quandoquidem in locis allatis agitur de colonis in *waeter-schapp* de Sparendam degentibus. Watriscapud ergo accipi potest canalis seu cursus aquæ una cum prædiis in utraque ripa adjacentibus; vel hærediolum undequaque aquis conclusum et molibus protectum, ut istiusmodi multa videre est in Belgio. Adi Glossarium Ducangii, verbo *Aquagium*.

[c] Hodie *Wiekghem* seu Wyleghem, prope *Audenarde*.

licet habere et ipsum censum donare; et post obitos eorum, filii res licent hoc percensire cum denariis vi; et post obitum filiorum eorum, proximi eorum licent hoc percensire. — Facta præstaria sub die vii A Idibus Septembris, anno xxvii regnante domino nostro Hludowico gloriosissimo imper.

† Ego Eginhardus, abbas recognovi et subscripsi.

......hardus [*notarius*] vocatus [*scripsi*].

# APPENDIX AD EGINHARDI OPERA.

## ABBREVIATIO [a] CHRONICÆ.

(Lambecius, Comment. de Biblioth. Vindobonensi.)

Adam cum esset 130 annorum, genuit Seth; Seth autem habens annos 105, genuit Enos, vivente Adam et habente annos 235: Enos quippe habens 90 genuit Cainam, vivente Adam et habente annos 325. Cainam vero habens annos 70 genuit Malalehel, vivente Adam et habente annos 395. Malalehel habens annos 65 genuit Jareth, vivente Adam et habente annos 460. Jareth autem habens annos 162 genuit Henoch, vivente Adam et habente annos 622. Enoch vero habens annos 65 genuit Mathusalam, vivente Adam et habente annos 687. Et Mathusalam habens annos 187 genuit Lamech, vivente Adam et habente annos 874. Lamech enim habens annos 172 genuit Noë. Noë habens annos 500 genuit Sem. Sem autem habente annos 100, diluvium factum est; et hic perficitur numerus annorum 1656.

Anno 2 post diluvium Sem annorum 102 genuit Arfaxath. Arfaxath vero habens annos 35 genuit Sale. Sale autem habens annos 30 genuit Heber. Heber habens annos 24 genuit Falech. Falech habens annos 30 genuit Reu. Reu habens annos 32 genuit Seruch. Seruch habens annos 30 genuit Nahor. Nahor habens annos 29 genuit Thara. Thara habens annos 70 genuit Abraham. Hic finitur numerus secundæ ætatis, annos habens 292, et fiunt simul anni duarum ætatum 1948.

Abraham cum 100 esset annorum genuit Isaac; Isaac autem habens annos 60 genuit Jacob; Jacob habens annos 90 genuit Joseph, qui vixit annos 110, fueruntque ab eo usque ad egressionem filiorum Israel ex Ægypto per Moysen ducem anni 145, et ab egressione Israel usque ad Josue anni 40; a Josue usque ad Othonielem sunt anni 26, et ab Othoniele usque ad Aoth [*Al.*, Ehud] anni 40; ab Aoth vero usque ad Debora fiunt anni 80; a Debora autem usque ad Gedeonem fiunt anni 40; et a Gedeone usque ad Abimelech fiunt anni 40; ab Abimelech enim usque ad Thola fiunt anni 3; a Thola quippe ad Jaïr anni sunt 23; a Jaïr vero usque Jephte sunt anni 22, et de Jephte usque ad Abessan fiunt anni 6; de Abessa autem usque ad Achialionem sunt anni 7; ab Achiálone vero usque ad Labdonem fiunt anni 10; a Labdone usque ad Samsonem sunt 8, et a Samsone usque ad Heli anni 20; ab Heli enim usque ad Samuelem sunt anni 40, et a Samuele usque ad Saulem sunt anni 12; a Saule ergo usque ad David sunt anni 20. Hic perficitur numerus tertiæ ætatis annorum 942, et fiunt anni simul trium ætatum 2890.

A David usque ad Salomonem sunt anni 40; a Salomone autem usque ad Roboam computantur anni 40, et a Roboam usque ad Abiam sunt anni 17 B ab Abia usque ad Asa fiunt anni 3, et ab Asa usque ad Josaphat anni 41; a Josaphat autem usque ad Joram sunt anni 25; de Joram usque ad Azariam fiunt anni 8, et ab Azaria usque ad Athaliam fit annus 1. Ab Athalia enim usque ad Joam sunt anni 6; a Joa vero usque ad Amasiam sunt anni 40, et ab Amasia usque ad Oziam sunt 29. Ab Ozia enim usque ad Joatham fiunt anni 52; de Joatham autem usque ad Achaz sunt anni 16, et ab Achaz usque ad Ezechiam sunt anni 16, et ab Ezechia usque ad Manassen sunt anni 29; a Manasse vero usque ad Amon sunt anni 55; ab Amon usque ad Josiam fiunt anni 2, et de Josia usque ad Joachim sunt anni 31; a Joachim usque ad Sedechiam sunt anni 11; de Sedechia ad Nabuchodonosor anni 11. Hic finitur numerus quartæ ætatis, continens annos 473, anni quatuor ætatum fiunt simul 3363.

Sunt anni quintæ ætatis usque ad Cyrum 30; a Cyro usque ad Cambysem sunt anni 30; a Cambyse C usque ad Darium anni 9; a Dario usque ad Xerxen sunt anni 36; a Xerxe usque ad Artaxerxen sunt anni 21, et ab Artaxerxe usque ad Darium sunt anni 40; a Dario usque ad item Artaxerxen anni 19; ab Artaxerxe autem usque item Artaxerxem fiunt anni 40; et ab Artaxerxe usque Arsen anni 26; ab Arse vero usque ad Darium fiunt anni 4; a Dario autem usque ad Alexandrum sunt anni 6; ab Alexandro enim usque ad Ptolomæum fiunt anni 5, et de Ptolomæo usque ad Philadelphum fiunt anni 40; a Philadelpho usque ad Evergetem anni 38 [*Bed. male*, 33]; a Philopatore autem usque ad Epiphanem sunt anni 17, et de Epiphane usque ad Philometorem anni 24; a Philometore quidem usque item Evergetem anni 35, et ab Evergete usque ad Soterem sunt anni 29; a Sotere usque ad Alexandrum, anni 17; ab Alexandro vero usque ad Ptolomæum fiunt anni 10; a Ptolomæo usque ad Dionysium anni 8; a Dionysio vero usque ad Cleopatram fiunt anni 30, et a Cleopatra usque ad Julium Cæsarem anni 2; D a Julio usque ad Octavianum Augustum sunt ann. 5; et ab Octaviano Augusto usque ad Christum fiunt anni 42. Hic finitur quinta ætas, annos habens 589, et fiunt simul anni quinque ætatum 3952.

A nativitate Domini nostri Jesu Christi usque ad Tiberium numerantur anni 14; a Tiberio vero usque ad passionem Christi sunt anni 18, et a Christi passione usque ad Gajum sunt anni 5; a Gajo usque ad Claudium anni 4, et a Claudio usque ad Neronem fiunt anni 14 [*Bed.*, 13]; a Nerone vero usque ad Vespasianum sunt anni 14, et de Vespasiano usque ad Titum anni 8 [*Bed.*, 10], a Tito vero usque ad Domitianum anni 2, et a Domitiano

[a] Auctorem hujus abbreviationis existimo esse Eginhartum imp. Caroli Magni cancellarium. Per Chronicon autem, quod ille abbreviavit, intelligendi sunt venerabilis Bedæ libri duo, qui inscribuntur: *De sex ætatibus mundi* et *De temporibus*. Lamb. — Pertzius vero in præfatione ad Vitam Caroli Magni, p. 429, ait: « Lambecius Abbreviationem Chronici ab Orbe condito usque ad annum 809 ei (Eginhardo) vindicare conatus nullo plane fundamento nititur. » Edit.

usque ad Nervam anni 16; a Nerva usque ad Trajanum fit annus 1; a Trajano quidem usque ad Adrianum anni 14 [*Bed. rectius*, 19]; ab Adriano usque ad Antoninum fiunt anni 21, et ab Antonino usque ad item Antoninum anni 23 [*Bed.*, 22]; ab Antonino autem usque ad Commodum fiunt anni 19; a Commodo enim usque ad Helvium Pertinacem anni 13 [*Bed. minus recte*, 3]; et de Helvio usque ad Severum fit annus 1; a Severo usque ad Antoninum Caracallam sunt anni 18; ab Antonino Caracalla usque ad Macrinum anni 7; a Macrino vero usque ad Aurelium fit annus 1, et de Aurelio usque ad Alexandrum anni 4; ab Alexandro usque ad Maximinum fiunt anni 13; a Maximino quoque usque ad Gordianum anni 3; a Gordiano usque ad Philippum anni 6 [*Bed.* 7], et a Philippo usque ad Decium anni 7; a Decio ad Valerianum anni 3 [*Beda*: Decius anno 1. Gallus Volusianus annis 2]; a Valeriano usque ad Claudium anni 15; a Claudio enim usque ad Aurelianum anni 2; ab Aureliano usque ad Probum fiunt anni 7 [*Bed.*, 5]; a Probo ad Carum anni 5 [*Bed.* 7], et a Caro usque ad Diocletianum anni 2; a Diocletiano vero usque ad Constantinum fiunt anni 20 [*Bed. add.* Maximianus Severusque annis 2]; a Constantino usque ad Constantium anni 21 [*Bed. rectius*, 31]; de Constantio usque ad Julianum anni 24, et a Juliano usque ad Jovianum anni 2. A Joviano ergo usque ad Valentinianum fit annus 1; de Valentiniano usque ad Valentem anni 11 [*Bed.*, 13], et de Valente usque ad Theodosium anni 4; a Theodosio vero usque ad Arcadium anni 17; ab Arcadio usque ad Honorium anni 13; ab Honorio usque ad Theodosium anni 15, a Theodosio usque ad Marcianum anni 26, a Marciano usque ad Leonem anni 17 [*Bed. rectius*, 7; *et addit*: a Leone autem majore usque ad Leonem ejus filium anni 17]; item a Leone usque ad Zenonem fit annus 1, et de Zenone usque ad Anastasium fiunt anni 16 [*Bed.*, 17]; ab Anastasio vero usque ad Justinum sunt anni 27 [*Bed.*, 26], et a Justino usque ad Justinianum anni 9; item a Justiniano usque ad Justinum sunt anni 39; item a Justino usque ad Tiberium anni 16 [*Bed.*, 11]; a Tiberio usque ad Mauricium fiunt anni 4 [*Bed.*, 7]; a Mauricio usque ad Focam sunt anni 20 [*Bed.*, 21]; a Foca usque A ad Heraclium anni 8; ab Heraclio usque ad Constantinum [*Bed. addit*: qui fuit filius Heraclii] fiunt anni 26 [*Beda addit*: a Constantino filio Heraclii usque ad Heracleonam menses 6; ab Heracleona autem et matre ejus Martina usque a Constantem (Heraclii nepotem) anni 2. A Constante usque ad Constantinum (Pogonatum), ejus filium, anni 28]; a Constantino usque ad Justinianum anni 17; a Justiniano usque ad Pippinum Seniorem fiunt anni 2; a Pippino Seniore usque ad Carolum anni 27; a Carolo usque ad Pippinum et Carolomannum anni 27, et a Pippino et Carolomanno usque dum Pippinus constitutus est rex fiunt anni 10; a Pippino vero usque ad Carlum et Carlomannum anni 17, et a Carlo et Carlomanno usque ad Carlum fiunt anni 4; et inde domnus Carlus solus regnum suscepit, et Deo protegente gubernat usque in præsentem annum [a] feliciter, qui est annus regni ejus 42, imperii autem 9. Sunt autem totius summæ ab origine mundi anni usque ad præsentem annum B 4761.

Ab Adam usque ad Nativitatem Christi computantur anni 3952; inde usque ad passionem ejus anni 33 et dimidius. Si in primo anno, quo Adam factus est, posueris terminum Paschæ in XII Kal. April et VII concur. erit in ipsa dies IV feria, in qua sidera condita esse creduntur, et plenilunium atque æquinoctium. Quod cum tali termino talique concur. cyclum inchoaveris, et usque ad Christi nativitatem vel passionem supputando prædictum annorum numerum perduxeris, erit anno nativitatis Dominicæ terminus Kal. et concur. III, annoque passionis terminus XVII. Kal. Maii et concur. IIII. Si vero ab Adam usque ad nativitatem Domini 5199 annos habere volueris, et supputationem eorumdem annorum secundum prædictam rationem per concurrentes et terminos compleveris, habebis anno nativitatis Domini terminum Paschæ XIV Kal. Maii et concur. I, anno vero passionis terminum IV Nonas C Aprilis et concur. II. Si autem ab Adam usque ad Christum 5500 pronuntiaveris; eosque secundum ipsam regulam computaveris; eveniet tibi anno Dominicæ nativitatis terminus Paschæ XI Kal. April. et concur. VII, annoque passionis terminus Non. Aprilis et concur. VII.

[a] Fuit is annus æræ Christianæ vulgaris 809, uti liquet ex sequenti numero tam annorum mundi, quam annorum regni et imperii Caroli Magni. Quod autem ad præcedentem supputationem successionis imperatorum Romanorum attinet, ea tam apud Bedam, quam hic culpa imperitorum et negligentium librariorum multis locis depravata, et adminiculo accuratioris chronologiæ hoc ævo usitatæ emendanda est.

---

ANNO DOMINI DCCCXL.

# CLAUDIUS

TAURINENSIS EPISCOPUS.

## NOTITIA HISTORICA IN CLAUDIUM.

(Apud Antonium, Biblioth. vet. Hisp.)

Claudius Taurinensis episcopus, Iconoclasta obstinatissimus, sive imaginum sacrarum hostis, Felicis Urgellitani præsulis discipulus, ex Hispania nostra unde ortum habuit ad Italos venit Ludovici Pii destinatione, ut sacram, qua vigebat, doctrinam Italos doceret, factus in eum finem Augustæ Taurinorum in Gallia Subalpina sive Pedemontana regione episcopus.

Jonas Aurelianensis præsul, quem antagonisten D Claudius habuit, cuncta hæc indubia reliquit in opere adversus ejus blasphemias conscripto. « Quo feliciter, ait, imperante (Ludovico imperatore Caroli filio) idem Felix (Urgellitanus) in quodam discipulo suo, nomine Claudio, ut pote (ut verbis beati Hieronymi utar) Euphorbus in Pythagora, renascitur: qui utique etsi non fidei catholicæ regulam (uti Felix præceptor Nestorianus hæreticus), ecclesiasticas tamen traditiones quam venenatis telis per eumdem disci-

pulum suum jaculari nisus est. » De ejus patria et educatione et in Italiam profectione, atque infulis Taurinensibus, idem paulo post: « Is itaque, de quo agitur, exortus ex eadem Hispania, ejusdemque Felicis discipulatui ab ineunte ætate inhærens, per aliquod temporis in palatio memorati gloriosissimi ac serenissimi, Deoque amabilis Augusti (Ludovici) in officio presbyteratus militavit. Sed ut aliorum utilitati doctrinæ prædicationis evangelicæ, quæ illi admodum inesse videbatur, consuleret, ipsius piissimi principis piissima devotione præsul Taurinensis subrogatus est Ecclesiæ. » Ibi reprobasse eum, serioque damnasse sacrarum imaginum crucisque salutarium signorum usum, sanctorum reliquias, sepulcraque, prosequitur. Quibus auditis, Theodemirum quemdam patrem monachorum ut ab iis desisteret, litteris eum admonuisse ait. Theodemirum hunc postea fuisse Calagurritanum episcopum pseudo-historici nostri contendunt (*Luitpr.*, ad annum 840; *Julian.*, n. 451); vere tamen is fuit pars Gallicanæ Ecclesiæ, ut ex Jonæ verbis, lib. I, Joannes Mabillonius, vir eruditissimus, in annotationibus ad Analecta vetera (pag. 45) prudenter vidit.

Claudium tamen ad has aliis litteris sic insolenter respondisse Jonas prosequitur, ut Gallos omnes et Germaniæ fideles idololatriæ vanarumque superstitionum laqueis irretitos esse jactaverit. Falsus tamen ipse Jonas, et in contrarium e via recta devians: qui imaginum usum non ad adorationem, sed ad instructionem tantum cum Francofordiensi hujus temporis synodo permittebat (*Baron.*, tomo IX, ad ann. 825, n. 61). Hujus Claudii litteras hasce in grande ac prolixum scriptum transiisse hæc ejusdem Jonæ convincunt: « Fertur interea in suggillatione ejusdem abbatis, totiusque Gallicanæ Ecclesiæ tantæ prolixitatis evomuisse libellum, ut magnitudine sua quinquagenis psalmis Davidicum superarit psalterium, de quo nonnisi quoddam excerptum in manus parvitatis nostræ est perlatum, cujus hoc est exordium: *Titulus libri: Apologeticum atque rescriptum Claudii episcopi adversus Theodemirum abbatem.* »

Hoc scriptum Jonas refutavit tribus libris, *De cultu imaginum* in editionibus antiquioribus nuncupatis; revera autem primo *De imaginum cultu crucisque adoratione*. Secundo specialiter atque iterum *De crucis cultu*. Tertio autem *De peregrinationibus in urbem conceptis*. Quorum totus tenor, præcipueque jam dicta testimonia, et præfatio integra primi libri, ad Carolum regem Calvum Ludovici Pii filium, cujus Ludovici jussu rem aggressus fuerat, directa, ostendit perniciosissimum Ecclesiæ hostem Claudium fuisse; neque illum tamen vivere cum hæc in publicum ederet (præmortuus enim fuerat superstite adhuc Ludovico Pio, qui anno 860 obiit, aut paulo post ejus mortem; nam pervenisse ad annum 839 saltem habetur ex monumento quodam Herigarii Secusiæ Marchionis, cujus Ferdinandus Ughellus meminit [*Italiæ sacræ* tomo IV, col. 1432]); sed tamen reliquias ejus hæresis exstirpatum ire sese ait, adjungens de aliis ejus operibus æterna infamia damnandis: « Sed quia, ut relatione veridica, inquit (in Præfat. libri I) didici, non modo error, de quo agitur, in discipulorum suorum mentibus reviviscit; quin potius eo docente hæresis Ariana pullulare deprehenditur, de qua fertur quædam monumenta librorum congessisse, et ad simplicitatem et puritatem fidei catholicæ et apostolicæ oppugnandam in armario episcopi [*Forte*, episcopii] sui clandestina calliditate reliquisse: non sum ausus quin monitu et hortatu filiorum sanctæ Dei Ecclesiæ, opus quod prætermiseram enucleatim discutiendum repeterem. » Hæc Jonas. »

Ejusdem temporis scriptor Walafridus Strabo simile quid de Claudii obitu suo ipsius judicio, etiam prius quam adversis scriptorum catholicorum telis confoderetur *damnati*, refert. At quia in Apologetico ipso Claudii hæc verba ad Theodemiri, quod
A
præcesserat, scriptum referenda leguntur, « hoc dixisti, inquis, de Paschali Ecclesiæ Romanæ episcopo, qui præsente jam corruit vita; » necesse est Theodemirum ante annum hujus sæculi vicesimum quartum, qui ultimus vitæ Paschalis fuit, dedisse ad Claudium admonitorias suas litteras; Claudiumque paulo post, Eugenio jam pontifice hujus nominis II ad nefandum Apologeticum scribendum se accinxisse. Cujus hominis falsa dogmata, præter Jonam Dungalus presbyter ejusdem temporis [Dngalus *aliis, et in his Barthio lib.* XIX *Advers., cap.* 12], et Eginhardus ipse *Caroli Magni Vitæ* auctor illustris, scriptis suis convellere curarunt. Prioris liber, *Pro cultu sacrarum imaginum adversus insanas blasphemiasque nænias Claudii Taurinensis episcopi* Ludovico Pio ejusque filio Lothario imperatoribus dicatus, exstabat olim in Petri Pithœi bibliotheca (Baronius tomo IX, ad ann. 825, n. 62. Labbeus, *De Script. in Dugalo*), editus jam inter veterum PP. Monumenta, tomo IV Biblio-
B
thecæ. Eginhardi autem libelli jam hodie non exstantis, *De adoranda Cruce* quem eumdem Claudius reprobabat meminit Lupus Ferrariensis abbas epist. 4 ad eumdem Eginhardum directa.

Hactenus Claudius Dei ac veræ fidei hostis. Sed nonne et quædam catholice scripsit idem, priusquam bonam exuisset mentem? Utique, si vera certaque dixerit vir diligentissimus Philippus Labbeus in dissertatione *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, a Bellarmino suo recedens. Nempe Labbei sententia idem fuerit Claudius Clemens, quem Bellarminus laudat uti catholicum plurium operum in sacros libros scriptorem, cum Claudio Taurinensi, hoc episcopo de quo nunc agimus. Peccat autem valde Labbeus; nam Claudium Clementem hunc Scotum natione fuisse agnoscit, qui alterum Taurinensem ex Hispania fuisse ex Jonæ scriptis liquidissime constare, ante oculos habere debuit. Et hunc quidem Claudium Clementem Scotum, a Claudio Taurinensi episcopo distinguere vulgo
C
solent (Xystus Senen. lib. IV *Bibliothecæ*. Possevinus in *Apparatu*. Bulæus, tomo I *Hist. Univers. Paris. in catalogo Academicorum*). Sed quidquid sit, inde ansam arripuit multorum error, qui Claudium iconoclastam hæreticum, non Hispanum quod fuit sed Anglum (Amb. Cassin. in *Triumpho cathol. verit.* Verbo *Adoratio*. Francisc. August. ab Ecclesia in *Hist. Chron. cardin. episcopor. Pedemont.* Post Prateolum in libro *De Hæreticis*), quandoque et Scotum (Laudatus Labbeus. Th. Dempsterus in *Hist. Eccles. Scotor.*, c. 304), cum altero Claudio Scoto confundentes appellant. Philippus quoque Labbeus in *Novæ bibliothecæ manuscriptæ* primo volumine Claudii cujusdam quoddam *Chronicon breve* ab initio mundi ad Christi nativitatem pertingens, imperfectum tamen, edidit: quod Claudii hujus Taurinensis esse suspicabatur.

Thomas utique Dempsterus, ut largus fuit in constituendis Scoticæ suæ gentis illustribus fama viris, tres non minus similiter appellatos, ex Scotia omnes,
D
ejusdem temporis, librorumque scriptores laudavit. Primum S. Claudium Clementem Benedictinum monachum Alcuini collegam, qui in academiis Parisiensi ac Ticinensi erigendis navavit operam: cujus Trithemius (Lib. II, *De Viris illust. Bened.*, cap. 28), Paulus Langius (In *Chronic. Citizensi*, ad finem), Possevinus, Arnoldus Uvion (In adjunctis ad *Lignum vitæ*), aliique apud eumdem Dempsterum videndi, Cæsar quoque Egasius Bulæus in *Historia Universitatis Parisiensis* non semel (Tomo I, ad ann. 815, pag. 146: et in *Catal. illustrium Academicorum*, pag. 568), meminere. Ad quem judicio meo spectant quæ ex ms. *Indice Fuldensium abbatum* communicavit nobis Christophorus Browerus in scholiis ad Rhabani carmen 13 de Brunone, Einardo, Modesto, et Candido *ad Clementem Scotum grammaticæ studendæ gratia* destinatis; licet aliter Dempsterus existimaverit. Nam primi hi reviviscentium litterarum instauratores encyclopediam profi-

tebantur, uti Beda, Alcuinus, alii, non dedignati grammaticam qua intrandum est ad scientiæ et sapientiæ arcem docere. Labbeo autem in hoc displicet, quod unum ex fundatoribus academiæ Parisiensis eum plerique dixerint, quæ nulla tunc fuit; nec nisi aliquot post sæculis emersit. Displicet etiam quod Benedictinus monachus et Altisiodorensis episcopus ab iisdem audiat. Nos Gallis disputandum relinquimus de amplissimi sui gymnasii origine. Cæterum Clementis (si hic est Claudius Clemens) et Alcuini monachatum, San-Gallensis monachus *De Gestis Caroli Magni* sub Carolo Calvo ejus nepote scriptor, quem Henricus Canisius edidit (Tomo I *Ant. Lection.*), subindicare videtur, præter supra jam laudatos eo recentiores.

Hunc Clementem ex Hibernia Scotum, atque Alcuinum, seu mavis Albinum, *in sæcularibus et in sacris Scripturis incomparabiliter eruditos* ejusdem San-Gallensis elogio, honorificentissime a Carolo Magno exceptos fuisse ut juventutem Gallicam sapientiam docerent, cum idem monachus auctor sit: proclivis sit aliquis ad credendum hujus esse, non Taurinensis Claudii Hispani (cujus nullum de litteris sacris meritum in memoria hominum perduravit) quidquid commentariorum ad sacra Biblia sub Claudii laudatur nomine: scilicet, in epistolam Pauli ad Galatas, Drunteranno abbati dicata (Consentit Bulæus in *Catal. Academic. Paris.* laudato), Parisiisque anno 1542, in-8°, indeque in Bibliotheca VV. PP. edita; item ad Romanos, duarumque ad Corinthios; in Evangelium sancti Matthæi (Bullæus, *ibidem*): quæ in aliquibus Galliarum musæis mss. asservantur; et, si vera Trithemius retulerit de ejus operibus, etiam in Genesin, Exodum, Numeros, Deuteronomium, libros Judicum, et Ruth, et in libros Josue, sive commentaria, sive explanationes; tractatum item super Leviticum, cujus præfationem et epilogum præ manibus se habere Labbeus retulit (*De Script.* tomo I, pag. 228, et in *Novæ Biblioth. specimine*, parte I, pag. 24).

In quo tamen hæremus, Claudiique Taurinensis esse opus cum Labbeo contendere possumus, ideo quod directus dicatur anno 823 ad Theodemirum abbatem, qui esse videtur ille, quocum concertationem *De imaginum cultu* Taurinensis noster paulo post habuit. Exstat quidem hoc jam tempore a Joanne Mabillione Benedictino, viro industriæ atque eruditionis singularis, edita in *Analectis veteribus* Claudii episcopi Taurinensis præfatio jam prius laudata *in libros informationum litteræ et spiritus super Leviticum*, Theodemiro abbati directa: in qua Claudius noster manifestissime judicio meo sese prodit auctorem operis. Lamentatur enim apud charissimum, ut vocat, fratrem prædictum Theodemirum, cruciari se malorum hominum perversitate, ut sibi tædium sit vivere; et in ipso opere, cujus memoratæ præfationi appenditur quoddam fragmentum, adductis sancti Augustini verbis ex libro *De vera religione*, de non colendis angelis, subjungit auctor: « Hoc fidei nostræ munitissimum atque altissimum sacramentum, et cordi nostro firmissimum character impressum: hanc astruendo et defendendo veritatem, opprobrium factus sum vicinis meis et timor notis meis; in tantum, ut qui videbant nos non solum deridebant, sed etiam digito unus alteri ostendebat. » Ex quibus jam apparet homo sanctorum spirituum adorationi cultuive infensus. Videtur autem hæc ante Apologeticum eidem Theodemiro directum scripsisse, cum inciperet de cultu beatorum præpostere sentire.

Idem vero in præfatione memorat sese ad eumdem Theodemirum *Expositionum atque informationum litteræ et spiritus in Exodo* libros quatuor ante biennium misisse, quorum initium fuit: *Post expositionem libri Geneseos.* Meminit quoque ibidem hujus *Expositionis*

A *in librum Geneseos* ante octo annos ex *dictis SS. PP. de littera et spiritu tribus libris* comprehensæ. Quæ quidem opera duo non usquam exstare audivimus.

*Levitici* autem *Commentarium* sese in codice Remigiano habere ait Mabillonius in annotationibus ad hæc Analecta (pag. 46).

Quidni et suspicabimur eumdem hunc auctorem habere *Commentaria in Epistolam Pauli ad Galatas*, ejus nomine jam olim vulgata; item *In Epistolam ad Ephesios et ad Philippenses*, cujus præfationem Ludovico ipsi Augusto nuncupatam edidit quoque Mabillonius? In hac quidem superioris *Commentarii ad Galatas Epistolæ* meminit præterito a anno se elaborati. Expositiones vero in sancti Pauli has, et fortasse alias omnes epistolas, asservari in Floriacensi bibliotheca idem Mabillonius testatur [a].

Fragmentum itidem præfationis in sanctum Matthæum in lucem emissum a Jacobo Usserio inter
B *Hibernicas epistolas* idem refert. E præfatione sane superius dicta *In Epistolas ad Ephesios et ad Philippenses*, illa quidem ad vexationes Claudio propter ejus dogmata exhiberi cœptas pertinere videntur: « De cæteris vero epistolis licet plurima penes me teneantur excerpta, multa tamen adhuc supersunt perquirenda. Sed quia me anno præsenti præpedientibus peccatis meis graviter obligastis, et nimiis anxietatibus deditus mihi vivere non libet, neque Scripturas perscrutari licet. » Hæc ille.

In Vaticano etiam codice, cui affixus est numerus 5775, inter ms. Claudii Taurinensis nomine inscriptus est *Tractatus in Epistolam ad Corinthios*, qui incipit: *Præcepto Domini admonitus*, etc., et folio 97 incipit ad eosdem secunda cum hoc principio: *Sciens sanctus apostolus.* Præcedit utrumque præfatio cum hoc titulo. *Venerabili in Christo, sinceraque charitate diligendo, Theudemiro abbati Claudius inspirante gratia Dei episcopus*, etc. Sequitur epistola Theodulphi Terdonensis Ecclesiæ indigni episcopi, qui, ut
C ait, fecit scribere; et prosequitur: « Offero eum pro amore Dei et avunculi mei Joannis venerabilis episcopi, qui huic Ecclesiæ ubi ego præsideo præfuit episcopus; et pro remedio animæ meæ beato Columbano confessori Christi, quatenus eum et præsentes et futuri monachi inibi commorantes in sua habeant potestate, etc. Actum est anno ab incarnatione Domini Jesu Christi octingentesimo sexagesimo secundo indictione decima. Theodulphus episcopus. » Nota sequitur recentioris characteris ante 200 aut 300 annos vulgaris. *Iste liber est monachorum S. Justinæ de observantia ordinis S. Benedicti, residentium in monasterio S. Columbani de Bobio, scriptus sub anno* 47. Ex quibus constat librum fuisse sæculo isto nono quo in vivis Claudius erat scriptum, quo quidem ignorari haud potuit hunc ejus fœtum germanum esse.

Secundus Dempsteri Claudius Clemens Scotus alter est, cui Taurinensi episcopo, ac Jonæ libris
D dilacerato is tribuit Commentaria in Epistolam ad Galatas, Ludovici Pii tempore scripta: cujus in Nortmannos susceptæ expeditionis recordatur auctor in præfatione. Hunc et ait inter Latinos poetas a Lilio Gyraldo Ferrariensi laudatum. Sed, nisi fallor, unius Clementis poetæ Gyraldus meminit (*De poetis* dialogo 4, pag. mihi 187); hunc autem Appuleii familiarem, quem in *Floridis* suis idem laudat. *Sententiarum* quoque *Theologicarum* auctorem ait Dempsterus, contra quas scripsit Dungalus; item Commentariorum in Matthæum libris tribus, « quem primus, ait, exposuit Baronius tom. X Annalium; » quæque mihi meræ tenebræ sunt. Deinde accumulat eidem lucubrationes in Pentatheucum, Judices, Ruth, Psalterium, Pauli Epistolas omnes; *De Evangelistarum* item *concordia* libros XIV, *Memoriale hi-*

[a] Raptim percurri Floriacensem Bibliothecam veterem opera Joannis a Bosco Cœlestini, Lugduni anno 1605, in-8° editam; neque tamen in Claudium Taurinensem incidi.

*storiarum*, *Summam* quamdam, ac tandem *Homilias* : quod Bostonum tradere ait. Sed scimus quid de Thoma Dempstero censuerint viri eruditissimi (Labbeus in *Bibliotheca bibliothecarum*, pag. 159. Hallervordius in *Specim. de Latin. Hist.*, pag. 8) : « cui scilicet, Usserius ait (*De Britannar. Eccles. primordiis*, cap. 13, pag. 463), familiaris fuit librorum, qui nunquam scripti sunt, ex ipsius otioso deprompta cerebro recensio : » qui alibi (*Ibidem*, cap. 1, pag. 11) hominem multæ lectionis, sed nullius plane judicii, » appellat.

Jam tertius et ultimus Claudius Clemens Dempsterianus, ejusdem et ipse cum duobus superioribus ætatis et nationis, ille est Clemens Scotus in Francia orientali hæreticus, qui Bonifacio martyri Moguntino antistiti et Germanorum apostolo, molestus et adversarius fuit in propagando Evangelii semine (Vide Baronium, tom. IX, ad an. 745, num. 21, 24, 28, 37). Sed hic non æqualis, sed multo est antiquior duobus aliis; damnatus quippe a Zacharia pontifice in Concilio Romano anni 745. Nec ad hunc, sed ad Clementem illum Alcuini collegam pertinent quæ in indice Fuldensium abbatum Christophorus Browerus legit.

Ut finiamus tandem, Claudio Hispano episcopo Taurinensi, quem unicum hujus ætatis ita vocatum existimamus, alias etiam quam nefarias de suis hæresibus lucubrationes non denegamus; quantumvis omiserit Jonas, qui adversus eum fato jam functum scripsit, quemadmodum et Dungalus, aliquam ab eo pridem derivatorum operum catholicorum mentionem habere. Quod plane debuere, ut vel sic castrorum fidei desertorem iniquissimum validius premerent [a].

[a] Claudii Taurinensis quæ ætatem tulerunt fragmenta tum edita tum etiam manuscripta, quibusque in locis singula olim exstiterint aut nunc exstent, indicat Joan. Alb. Fabricius *Biblioth. med. et inf.* in *Claudio Hispano* tom. I, pag. 388. Fuere etiam qui Claudium Arianismi insimularent, quod calumniose in eum dictum idem Fabricius existimat; et a Richardo Simone in censura *Bibliothecæ ecclesiasticæ* Du-Pinianæ tom. I, pag. 286, et alibi, novam viro alioqui docto inflictam plagam detersam et sanatam fuisse ait.

# [a] CLAUDII EPISCOPI

## IN LIBROS INFORMATIONUM LITTERÆ ET SPIRITUS SUPER LEVITICUM,

# AD THEODEMIRUM ABBATEM PRÆFATIO.

[Mabill., Vet. Analect.]

Cogis et compellis, clarissime frater Theodemire abba, atque, ut ita dicam, stomachanti animo me reprehendis diu siluisse, nec paruisse jussioni tuæ in expositione Levitici. Biennium est quod tibi direxi expositionum atque informationum litteræ et spiritus in Exodo libros quatuor, quibus principium est, *Post expositionem libri Geneseos*, unde ante hos octo annos ex dictis sanctorum Patrum de littera et spiritu tres edidi libros. E contrario tu respondes evenisse tibi quod provenit Jacob, qui pro Rachel servivit, et in nocte Liam accepit : ita et tu petisti expositionem libri Levitici, et accepisti Exodi. Nec in hoc facto re vera me agnosco satis errasse. Quia sicut illis non erat consuetudo ut minores prius traderentur ad nuptias, quam majores : ita nec mihi visum rectum fuit, ut prius exponeretur sacrificii ritus, quam sacrificiorum ministri vel locus. Quod vero jussioni tuæ hactenus parere nequivi, non fuit pigritia vel torporis negligentia, sed reipublicæ infestatio dira, et malorum hominum nimia perversitas. Quæ duæ res me in tantum cruciant, ut mihi jam sit tædium vivere, debilitatusque pennis virtutum, non valeo in solitudinem fugere, ubi aliquantulum requiescam, et dicam Deo : *Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, et cognitum tibi faciam peccatum meum, antequam vadam et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, ubi æternus horror et nullus ordo inhabitat.* Sed reptans in terram lacrymabundus et gemibundus clamo ad Deum : *Quare me repulisti, et tristis incedo, dum affligit me inimicus?*

Quod enim præcipis bonum est opus, sed magnum super se habet pondus : et nescio quomodo digne possit perfici, quod non potest cogitatione comprehendi : et sicut difficile est quemquam manu posse cœlum tangere, ita difficile est omnia sacramenta legis divinæ, sicut tu præcipis, explanare. Sed istud illis debueras injungere, qui habentes intra se fontem eloquentiæ, unde quidquid illis injungitur, carmine irriguo copiosius explicatur. Verum econtra quicunque angustæ intelligentiæ est sicut ego, nec habet affluentiam eloquii, per quam vel alios reficere, vel suæ siccitatis possit inopiam temperare; tales non solum per se aliquid dicere appetunt, verum etiam si quid eis injunctum fuerit pertimescunt. Quod in me recognosco, pusillum habens intelligentiæ eloquium : quia nec sæcularis litteraturæ didici studium, nec aliquando exinde magistrum habui. Quantum enim doctis necesse est loqui, tantum indoctis utile est tacere : quia illi de parvis magna sciunt disserere, ego de magnis nescio aliqua parva proferre; et ideo a me formidatur quod ab aliis quærendum est.

Quod vero sententiam uniuscujusque doctoris in paginis adnotare præcipis in expositionibus nostris, neminem hoc fecisse legi, excepto beatissi-

[a] De Claudio Taurinensi episcopo nemo certius testimonium prodiderit quam Jonas Aurelianensis episcopus tum in præfatione, tum initio libri primi de Cultu imaginum adversus ipsum. « Is itaque de quo agitur, inquit, exortus ex eadem Hispania, ejusdemque Felicis discipulatui ab ineunte ætate inhærens, per aliquod tempus in palatio memorati gloriosissimi ac serenissimi Deoque amabilis Augusti (Ludovici)

mum Bedam : quod quidem nec ille amplius quam in duobus codicibus fecit, in expositione videlicet evangelistarum Marci et Lucæ. Quod ego ideo omisi facere, quia sententias quorumdam quas adnotaveram, prius sub nomine aliorum diligentius perquirens, aliorum eas esse reperi postea. Quod enim optime nosti, sicut novissimis diebus Verbum Dei ex Maria carne vestitum processit in mundum ; et aliud quidem erat quod videbantur in eo, aliud quod intelligebatur (carnis namque aspectus in eo patebat omnibus, paucis vero et electis dabatur divinitatis agnitio) ita et cum per prophetas vel legislatorem Verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicut ibi carnis, ita hic litteræ velamine tegitur : ut littera quidem aspicitur tanquam caro, latens vero spiritalis intrinsecus sensus tanquam divinitas sentitur. Tale ergo est quod et nunc invenimus librum Levitici perquirentes, in quo sacrificiorum ritus et hostiarum diversitas ac sacerdotum ministeria describuntur ; sed hæc secundum litteram, quæ tanquam caro Verbi Dei est et indumentum divinitatis ejus, digni fortassis vel aspiciant, vel audiant indigni : sed beati sunt illi oculi qui velamen litteræ obtectum intrinsecus divinum spiritum vident, et beati sunt qui ad hæc audienda mundas aures interioris hominis deferunt.

Aggredimur igitur hoc opus annuente pietate divina Quadragesimæ tempore, sub die septimo Idus Martii, anno Incarnationis 823 Salvatoris Jesu Christi Domini nostri.

*Explicit præfatio Claudii Taurinensis episcopi, et, præmissis capitulis libri primi, incipit liber primus Informationum litteræ et spiritus.*

Leviticus liber appellatus est, eo quod Levitarum ministeria et diversitates victimarum exsequitur, etc.

*Et in fine operis.*

Hæc quia jussisti scribere, non pro eruditione nostra, sed pro vestra dignatione præsumpsi. Vestrum vero est dijudicare verius, et ad veram charitatem,

A quæ excellentior virtus omnibus virtutibus est, nos provocare exemplis. Ad hanc autem quam prædico charitatem plus me vestris orationibus quam meis viribus posse confido. En, charissime frater, sicut potui, respondi quibusdam inquisitionibus tuis : pro qua re obnixe deprecor, ut si quid de his rebus unde me interrogas, si quid invenisti melius, vel deinceps invenire potueris ; gratissimum habebimus, si nos feceris nosse, quia ego magis amo discere, quam docere. Quia illa veritatis et sapientiæ pulchritudo (tantum adsit perseverans voluntas fruendi, pro cujus amore hoc peregimus opus) nec multitudine audientium constipata secludit venientes, nec peragitur tempore, nec migrat locis, nec nocte intercipitur, nec umbra intercluditur, nec sensibus corporis subB jacet. De toto mundo ad se conversis, qui diligunt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna : nullo loco est, nusquam deest, foris admonet, intus docet ; cernentes se commutat omnes in melius, a nullo in deterius commutatur ; nullus de illa judicat, nullus sine illa bene judicat. Hac fide omnem mutabilitatem ab æternitate sejungo et ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno, quia spatia temporis præteritis et futuris rerum motibus constant. Nihil autem præterit in æterno, et nihil futurum est : quia et quidquid præterit, esse desinit ; et quod futurum est, nondum esse cœpit. Æternitas autem tantummodo est, nec fuit, quasi jam non sit ; nec erit, quasi adhuc non sit : quia sola ipsa verissime dicere potuit humanæ menti : *Ego sum qui sum*, et C de illa verissime dici potuit : *Qui est misit me.*

Et quia ita est, non jubemur ad creaturam tendere, ut efficiamur beati, sed ad ipsum Creatorem : de quo si aliud quam oportet, ac sese res habet, nobis persuadetur, perniciosissimo errore decipimur. Ad hoc enim pergendo quod aut non est, aut si est beatos non facit, ad beatam vitam nequaquam quisquam poterit pervenire. Qua veritate et sapientia, quæ communis omnibus est, omnes sapientes et beati fiunt inhærendo illi. Beatitudine autem alte-

in officio presbyteratus militavit. Sed ut aliorum utilitati doctrina prædicationis evangelica, quæ illi admodum inesse videbatur, consuleret, ipsius piissimi principis clementia præsul Taurinensis subrogatus est Ecclesiæ. » Hinc confutatur vulgatus ac communis error, qui ab annis bene multis invaluit, Claudium scilicet genere Scotum fuisse, ex Hibernia oriundum : quem in errorem etiam impegit eruditus vir Usserius Armachanus.

Theodemirus Gallus abbas fuit præeratque centum quadraginta monachis sub regula sancti Benedicti, ut ipse testatur in epistola contra Claudium scripta, cujus fragmenta refert Jonas in lib. III operis præcitati. Abbatem in Gallia fuisse, non vero in Hispania, uti aliquando suspicatus sum, colligo ex Jonæ lib. I, de eodem Claudio hunc in modum loquentis : « Fertur interea in suggillationem ejusdem abbatis, totiusque Gallicanæ Ecclesiæ, tantæ prolixitatis vomisse libellum, etc. » At cujus loci abbas fuerit, mihi hactenus incompertum.

Multa scripsit Claudius, præcipue vero commentaria in sacros libros, nempe in Genesim anno 814 libros tres ; in exodum quatuor anno 821 ; et in Leviticum anno 823, quæ omnia Theodemiri abbatis hortatu aggressus est. Præterea commentatus est Evangelium Matthæi, opusque suum Justo Carrofensi abbati nuncupavit anno 815. Ad hæc exposuit omnes Pauli Epistolas, ex quibus explanationem in Epistolam ad Galatas Dructeranno abbati Sollemniacensi D dicavit : eam vero quæ in Epistolam ad Ephesios elucubrata ab ipso est, Ludovico Augusto inscripsit. Scripsit etiam quædam in cultum sacrarum imaginum piasque peregrinationes, in quibus non recte sensit.

Ex his omnibus sola expositio in Epistolam ad Galatas typis vulgata est in Bibliotheca Patrum : fragmentum præfationis in Matthæum in lucem protulit Usserius inter Hibernicas epistolas : cætera, præter duas hasce præfationes, adhuc in tenebris latent. Expositionem in Matthæum reperi in bibliotheca cathedralis ecclesiæ Laudunensis : Commentaria vero in Leviticum penes nos habemus in codice Remigiano et expositiones super Epistolas Pauli in duobus voluminibus bibliothecæ Floriacensis.

Adversus Claudium scripsere Theodemirus abbas, Dungalus Reclusus et Jonas Aurelianensis episcopus, sacrarum imaginum cultum et peregrinationes pias libris editis defendentes.

rius hominis non fit alter beatus : quia et cum eum A imitatur ut sit, inde appetit beatus fieri unde illum factum videt ille, scilicet incommutabili communique veritate. Neque prudentia cujusdam fit prudens alius, aut fortis fortitudine, aut temperans temperantia, aut justus justitia hominis alterius quisquam efficitur : sed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate sapientiaque communi, quibus et ille coaptavit et fixit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit. Voluntas ergo adhærens communi atque incommutabili bono, impetrat prima et magna hominis bona, cum ipsa sit medium quoddam bonum. Voluntas autem aversa ab incommutabili et communi bono, et conversa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad B inferius, peccat.

« [a] Et ideo non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si pie vixerunt non sic habentur ut tales quærant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminati lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem male vixerunt, ubicunque sint, non sunt colendi. Quod colit ergo summus angelus, id colendum est etiam ab homine ultimo : quia ipsa hominis natura id non colendo facta est ultima. Non enim aliunde sapiens angelus, aliunde homo ; aliunde ille verax, aliunde homo : sed ab una incommutabili sapientia et veritate. Nam idipsum actum est temporali dispensatione ad salutem nostram, ut naturam humanam ipsa Dei virtus C et Dei sapientia incommutabilis et consubstantialis Patri et coæterna suscipere dignaretur, per quam nos doceret id esse homini colendum quod ab omni creatura intellectuali et rationali colendum est.

« Hoc etiam ipsos optimos angelos et excellentissima ministeria Dei velle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum, cujus contemplatione beati sunt. Neque enim et nos videndo angelos beati sumus, aut unquam erimus : sed videndo veritatem, per quam etiam ipsos diligimus angelos, et his congratulamur. Nec invidemus quod paratiores et nullis molestiis interpedientibus perfruuntur : sed magis eos diligimus, quod et nos tale aliquid sperare a communi Deo jussi sumus. Et idcirco honoramus eos charitate, non servitute; nec eis templa constituimus : ac per hoc nolunt se sic honorari a nobis, quia nos ipsos, cum boni sumus, templa summi Dei esse noverunt. »

Hæc fidei nostræ munitissimum atque altissimum sacramentum, et cordi nostro firmissimum character impressum. Hanc astruendo et defendendo veritatem, opprobrium factus sum vicinis meis, et timor notis meis, in tantum, ut qui videbant nos, non solum deridebant, sed etiam digito unus alteri ostendebant. Sed consolatus est nos Pater misericordiarum et Deus totius consolationis in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, de illo fidentes, et per illum in tentationibus non deficientes, qui nos armis justitiæ et galea salutis munit atque circumdat.

*Explicit.*

[a] Ex Augustino, de vera Relig., cap. 55.

# HUMANISSIMO LECTORI

## D. JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI.

Quanti sit pretii liber ille, quem tibi, humanissime lector, exhibeo, haud obscure significat clarissimus Franciscus Antonius Zacharias, dum eum [a] « tum ad historiam ecclesiasticorum scriptorum, tum ad rerum in causa Claudii Taurinensis Iconoclastæ gestarum D seriem, originesque dignoscendas maxime utilem » esse docet : eamque ob causam se eumdem librum editurum fuisse ait, si diutius Pistorii degere ipsi licuisset : habuisse tamen in votis præstantissimum Joannem Dominicum Mansium, ut eum ederet [b]. Revera exscribi illum jusserat clariss. Mansius; sed ubi novit, inedita veterum ecclesiasticorum auctorum scripta a nobis evulgari, quidquid exscriptum fuerat, ad me misit, ut typis proderem. Quam etiam ob rem viro præclarissimo, et de bonis litteris optime merito, me plurimum debere profiteor.

Sed, ut aliqua de Claudio Taurinensi eloquar, fuit ille quidem, ut ea ferebat ætas (vixit autem, quod quisque novit, Carolo Magno, et Ludovico Pio imperantibus) disertus, ac doctus, sed ex eorum litteratorum genere, quos scientia inflat, et ab Ecclesiæ sinu rejicit; qui sua sectari cupiunt, non quæ Jesu Christi, præcipientis scilicet, ut credenda dogmata non ex ingenio, atque arbitratu nostro dimetiamur, sed ex vetere traditione, et Ecclesiæ consensione, atque approbatione. Id ne temere locutus existimer, eos scriptores consule, quos, ne multo sermone lectori molestus sim, in nota allego [c]. Cæterum

[a] Bibliotheca Pistoriens. pag. 13, n. 11.

[b] Ibi pag. 62 annotat. 12, « Hi sunt Bibliorum loci, de quibus XXX quæstiones instituit Theodemirus. Eas fuse in ipso hoc codice idem persequitur, et quid in illis explanandum cupiat ostendit. Quam ob rem non contemnendum Theodemiri opus hoc est, quod in nostro codice exscriptum habemus. Integrum edere in animo habuit clariss. P. Joannes Dominicus Mansi : utrum id reapse præstiturus sit, ignoro. Si diutius Pistorii licuisset immorari, pridem totum ipse evulgassem cum aliis liturgicis libris, etc. »

[c] Jonas Aurelianensis in libris *de Cultu imaginum* pag. 533 et subseq. tom. IV, part. I, Bibliothecæ Patrum editio. Paris., in cujus præfatione laudatur Theodemirus Claudio erranti factus ex amico adversarius. Dungalus pag. 146, part. II, tom IV. Bellarminus *de Scriptori. Ecclesiast.* ad an. 820. Labbeus

eam jam dudum obtinuit Claudius apud viros eruditos existimationem, ut quicunque reperti sunt ab eo elucubrati libri, a catholicis etiam viris editi, atque adeo in Magnam (quam vocant) veterum Patrum Bibliothecam illati sint [a]. Atque horum quidem præstantissimorum virorum exemplo permotus sum, ut nondum editas Claudii in Regum libros quæstiones, ac responsiones in lucem emitterem. Has continet codex, quos cum aliis plurimis a clariss. Zacharia enumeratis, descriptisque, possidet Pistoriensis Ecclesia; sed ob amanuensis sive inscitiam sive negligentiam, tam frequentibus, tam turpibus scatens erroribus, ut initio putarim fieri omnino non posse, ut commentaria hæc emendarentur, eamque ob causam parum abfuit, ne susceptum de iis edendis consilium prorsus abjecerim: quis enim ea edat, quæ corruptissima esse novit? Sed cum ex stylo, quem facile quisque dignoscet, quædam ex Augustino, quædam vero ex Gregorio Magno deprompta, et in Claudii solutiones inducta esse comperissem, in horum doctorum operibus ea perquisivi, eaque inventa cum codice nostro contuli; atque, ex hac quidem collatione, plura emendavi. Suspicatus autem, quod is, qui tam multa ex Augustino, et Gregorio in rem suam deduxerat, alios quoque facile consuluisset, ex quorum studiis commentaria sua accrescerent, alios Claudio ætate superiores adii, et manifesto comperi (ut ea interea prætercam, quæ de Eucherio deinceps dicam), ex Beda, atque Isidoro, atque adeo ex Rabano ipsius Claudii æquali plurima eum deprompsisse, sic ut ex hisce doctoribus coagmentata sint hæc, quæ edimus commentaria. Quanquam, quod ad Rabanum attinet, haud temere suspicamur ea quæ ex Rabano allegamus, ex vetustiore auctore, tam a Rabano, quam a Claudio fuisse desumpta. Porro ea, quæ nunc evulgamus Claudii commentaria, non ejusdem generis sunt: sed alia quædam copiosiora, ac fusiora (atque hæc primum occurrunt) breviora alia, quæ postremo loco sunt posita; ac priora illa quidem alienis laboribus dituerunt magis: at quamvis in posterioribus, ideoque in brevioribus multo parcius aliena verba in rem suam deducat, non renuit tamen interdum eos ipsos excitare, quos in prioribus commentariis allegarat. Quod non dissimulat Claudius ipse; quippe qui fatetur [b] propositis a Theutmiro quæstionibus « non ex suo ingenio, sed ex illustrium doctorum judicio, neque ex propria temeritate, sed ex aliorum auctoritate satisfecisse »: profitetur quoque [c] nonnullas « remanere indiscussas, quia nec in antiquis translationibus aliquid exinde translatum repererat, nec in majorum nostrorum opusculis aliquid expositum legerat »: tum hæc subjicit: « et hæc me ignorare fateor, quia nec aliquid exinde legisse reminiscor. Et ideo de imperitia non erubesco quia lectione non doceor, nec de periculo formido, quia quæ non intelligo, docere non præsumo. » Quam quidem consuetudinem cum alii multi iis temporibus servaverint, tum maxime servavit Claudius: nec in his tantum, quæ nunc evulgamus, commentariis, verum etiam in iis, quæ in epistolas Pauli conscripsit, edidltque [d].

Hoc itaque commodum ex ea comparatione retulimus, ut, si pauca excipias, quæ cum in editis superiorum scriptorum libris non invenerimus, cum exemplari nostro conferre non potuimus, Claudii scripta non inemendata prodirent. Quanquam etiam hæc ipsa comparatio aliud emolumentum attulit: in hoc enim ipso, quod plerumque vitiosum exemplar dixi, aliquid præstantis interdum exstat, quo perfici possint jam edita Isidori, et Bedæ loca, quæ Claudius allegat. Suspicor equidem non defuturos, qui laborem hunc meum condemnabunt, quandoquidem ea, quæ « copiosiora dixi, atque effusiora » Claudii commentaria, ea ipsa dicent, quæ præposito Eucherii nomine pridem evulgata sunt. Sed neque ipsissima omni ex parte sunt (discrimina enim nonnulla sæpe occurrunt): et etiamsi ipsissima esse velis, ex labore nostro emolumentum non leve assequeris; quandoquidem manifesto ex ea re comperies Claudii esse, quæ Eucherio tributa jam sunt, et fortasse ab alio longe posteriore, qui Claudii labores sibi proprios fecerit, fuisse deinceps proprio nomine evulgata. Quid quod cujuscunque tandem ea sint commentaria, cum emendatissima, et præfationibus Claudii, adnotationibus quoque non paucis ornata proferam, an id humano lectori gratum non erit, acceptumque? Vale.

*de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Cave ad eumdem annum; id est 820. Oudinus pariter ad eumdem annum. Ughellius *de Episcop. Taurin.* Mabillon. pag. 92 analecto. editio. Paris. an. 1723. Trombelli *de Cultu Sancto*. dissert. II, VI, 6 et 7, aliique multi tum veteres, tum nobis proximi scriptores, si Trombellium exceperis, allegati ab Oudino.

[a] Petrus Pesselierus S. Germani Altissiodorensis cœnobita Claudii commentaria in Epistolam *ad Galatas* edidit; atque hæc quidem in partem secundam tomi I bibliothecæ veterum Patrum illata sunt pag. 795 editionis Parisiensis. Evulgavit porro Mabillon præfationem *in libros informationum litteræ et spiritus super Leviticum*: præfationem quoque *expositionis* in *Epistolas ad Ephesios* pagg. 90, 91 et 92 analect. editio. Paris. an. 1723. Tanti vero fecit Pesselierus commentaria Claudii in Epistolam *ad Galatas*, ut hæc de iis tradiderit. « Ego quidem cum superioribus diebus illic essem, variasque scientiarum gemmas evolverem, quæ sane non paucæ in bibliotheca vetustissima diligenter asservantur, forte occurrerunt hujus Claudii in omnes ferme Pauli Epistolas commentaria, quæ cum excussis, ut fieri solet, pulveribus raptim percurrissem, miratus illico *superiorum ætatum incuriam indignissimum* putavi, tam pretiosum thesaurum, tamque exquisitum jacere, ac magna cum Reipublicæ Christianæ jactura tandiu delitescere. Quantam studiosissimo cuique sacrarum litterarum accessionem sic allaturus, dici profecto non potest; præsertim cum splendore suo eam lucem Paulinæ lectioni afferat, ut ad ipsius arcana sensa, et abstrusos locos explicandos aditum facilem præbere videatur. »

[b] In præfatione in prima commentaria.

[c] In præfatione in secunda commentaria.

[d] In præfatione in Epistolam ad Ephesios a Mabillonio edita tradit hæc: « Circa socordiam sensus mei, epistolas beati jam dicti apostoli Pauli ad Ephesios, atque ad Philippenses, non tam ex majorum tractatibus, quam ex diversorum tractatuum sententiis, veluti mendicus non habens propriam segetem, sed post terga metentium ex aliorum segete congregat sibi victum, ne hiemis tempore fame periclitetur, ita et ego ex aliorum dictis, has brevi stylo comprehendi epistolas. » Et quæstione x secundi generis Commentariorum: « Quid tamen ista significant, in libro primo Operis hujus ex dictis Majorum nostrorum, ut Dominus dedit, et invenire potuimus, jam expositum est. » Non omnia tamen, quæ suis inserit Commentariis, ex aliis deprompsisse, sed nonnulla, de suo quandoque addidisse, hæc ipsius Claudii in Commentariis in epistolam apostoli Pauli ad Galatas verba declarant: « largiente Deo in isto quadragesimæ tempore epistolam beati jam dicti apostoli Pauli ad Galatas ex tractatibus beatorum Augustini, et Hieronymi Patrum permixtis procuravi ordinare sententiis. In quibus tractatibus cum ad congruentem expositionem multa deesse cernerem, verti me ad alios libros præfati jam patris Augustini, et exinde eam, quæ in illis deerat, tractatibus explere studui expositionem; nonnulla etiam, ut mihi visum est, intra illorum locutionem, mea studui conjungere verba, quæ utramque expositionem absque scissione conjungerent, et legentis exercerent sensum, et fastidium facerent evitare. »

# XXX QUÆSTIONES SUPER LIBROS REGUM.

Amabili magistro domino CLAUDIO sedis Taurinensis episcopo THEUTMIRUS [a] Filius vester, omniumque abbatum minimus abba [b] in Domino æternam salutem.

Mi pater et magister, librum Exodi quem misisti, relegi, quo gaudio immenso gavisus sum. Sicut [c] de epistolis magistri gentium Pauli in alia epistola quam misi ipse [d], cognoscetis. Nam et venerabilis Pater Leidrath [e] quondam episcopus Laudensis, cum hoc audisset, gavisus est et ipse, rogavitque eum mihi multum ad scribendum [f], et miratus fuit, cur epistolam illi non misistis ex tanto tempore. Et promisit, quod ipse suam epistolam vobis missurus sit : valde enim desiderat visionem vestram, si fieri potuisset. Et si non visionem corpoream, vel epistolam [g]. De domno Nimbridio patre nostro archiepiscopo Narbonense [h] quid dicam? Quam immenso fuit repletus gaudio ; quoniam de expositione præfati libri ei dixi ! A Quam humiliter eum mihi petiit ad legendum vel scribendum! Et miratus fuit et ipse cur vestram epistolam ei non misistis : Mittite, quæso, crebras epistolas in his partibus episcopis, abbatibus ac monachis, maxime si vobis placet, mihi filio vestro. Qui semper hoc æstuo et desidero. Inter cætera rogo illas quæstiones de Regum [i], quas vobis in brevi scheda misit [j], ut mihi elucidatas mittatis, non solum secundum historiam, sed etiam secundum allegoriam, vel tropologiam. Primum quantum ad historiam stare potest : Secundum si allegoria recipit : Tertium vero per omnia moralitate. Nam et de illis quæstionibus triginta quas, Nothelino [k] petente, Beda presbyter exposuit de præfato libro Regum, ideo non petivi exponendas vobis, quia uno in corpore, cum B exposito de *templo Salomonis* sicut a præfato presbytero Beda expositum est, apud nos habentur. Inter hæc omnia ut et ipsas quæstiones quas misi [l], cor-

[a] De Teutmiro, seu Theodomiro, vel Teuthmyro isto hæc tradit Mabillon : [pag. 92 analect. editionis Paris. 1723 in annot. ad præfationes Claudii] « Theodomirus, cui prior inscripta est præfatio, Gallus abbas fuit, præeratque centum quadraginta monachis sub regula S. Benedicti, ut ipse testatur in epistola contra Claudium scripta, cujus fragmenta refert Jonas in lib. III Operis præcitati. Abbatem in Gallia fuisse, non vero in Hispania uti aliquando suspicatus sum, colligo ex Jonæ lib. I de eodem Claudio hunc in modum loquentis : *fertur in sugillatione ejusdem abbatis, totiusque Gallicanæ Ecclesiæ tantæ prolixitatis vomisse libellum*, etc. At cujus loci abbas fuerit, mihi hactenus incompertum. » Revera a Theuthymiro accusatum fuisse Claudium ostendit manifesto C ea ipsa Claudii præfatio, quam secundis Commentariis in libros Regum præponit; quam quidem præfationem deinceps dabimus. Scripsisse autem adversus Claudium, declarant ea, quæ ex Claudio adversus Theuthmyrum scribente allegat Dungalus.

[b] « Abba absque passim reperitur, » inquit eruditissimus Ducange [in Glossario ad vocem *Abbas*], et hæc exempla allegat : « Abba Felix apud Facundum Hermianensem libro contra Mocianum. Idem tamen postea : *Lampridius presbyter, et abbas Hierosolymitani monasterii*. Abbo de obsidione Parisiensi libro II.

Tempestate sub hac Hugo princeps obiit abba.

Alibi :

Ebolus fortissimus abba.

Odo in vita S. Maioli : *Et ab omnibus dominus, et abba honoratur*. Bernardus Morlanensis de contemptu mundi :

Qui bene disputat, et cito computat arte scholari
Non petit actibus, at petit artibus abba creari. »

D Alia deinde exempla subjicit, quæ si vis consule : neque enim opus est in re exploratissima copiosior esse.

[c] In codice legitur *sive*, errore utique manifesto, quem ante me notavit claris. Zacharias.

[d] Vox *ipse* tam referri potest ad Theutmirum mittentem, quam ad Claudium recipientem litteras. Solebant enim ea ætate, dum præstantem aliquem virum alloquebantur, plurali verbo eum alloqui, retento quandoque singulari nomine illius, quem alloquebantur. In hac ipsa periodo: *Mi pater et magister, librum quem misisti..... cognoscetis :* et deinceps : *miratus fuit et ipse, cur vestram epistolam ei non misistis. Mittite* etc. Et rursus expressius : *uno adunentur in corpore, et ut ipse nostis*, etc.... *oratio multum valet, ut ipse nostis*. In epistola etiam Ludovico Pio missa, quæque præfatio quædam est expositionis in epistolam ad Ephesios : *Obsecro clementiam vestram, ut non mihi sitis molestus exactor*, etc.

[e] *Teldrathus* legit clariss. Zacharias. Sed levissima est hæc varietas. Cæterum nomina ipsa ex Germanicis linguis desumpta non raro in vetustis epistolis, et diplomatibus expressissime occurrunt. De hoc Leidrath, seu, si vis Teldratho ea consule, quæ traduntur in Gallia Christiana [de archiepiscopis Lugdunensibus].

[f] Implexa, mea quidem sententia, syntaxis hæc est : ex ea tamen facile eruimus rogatum fuisse a Leidratho Theutmirum, ut ad Claudium scriberet.

[g] In exemplari ad me misso ad hunc modum legitur : *Et si non visionem corporea vel epistola*. Dudum vero nos docuerunt Baluzius, aliique viri eruditi in codicum lectione detriti, lineolam, quæ cum superposita alicujus vocis extremæ litteræ est, *m* indicat, qua vox ea clauditur, vel amanuensium negligentia sæpe deesse, vel codicis ipsius antiquitate, et situ obliteratam esse : quam propterea lector substituat, necesse est.

[h] De voce *domnus* consule quæ tradit Ducange in Lexico. Quod ad Nimbridium hunc attinet, reliqui veteres de eo silent.

[i] Supple *libro*.

[j] Leidrath, aut si vis, Nimbridius, de quibus paulo ante dixerat.

[k] In exemplari ad me misso legitur Nothelino at Notelmo legit Zacharias, qui codicem ipsum inspexit. Utramque lectionem admittent vetusti codices, iis scilicet temporibus scripti, quibus litteræ *i* nulla superimponebatur lineola, punctum nullum. Arbitratur autem idem clariss. Zacharias eum Nothelmum hic indicari, qui Londinensis presbyter primum fuit, tum Cantuariensis archiepiscopus.

[l] In exemplari ad me misso legitur *mihi*. Legendum tamen arbitror *misi :* quod deinceps repetit : *ego enim non per ordinem misi*.

rigatis, et per ordinem exponatis : et quidquid imperito sermone locutus fuerim [a], ut magister, ita discipulum emendate. Ego enim non per ordinem misi propter quandam agilitatem et negligentiam scriptoris : vos vero, ut historia se habet, ordinate.

1. *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* I. Reg. 2. 35.

2. *Et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.* I. 3. 19.

3. *Et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta plebis* I. 6. 19. (Vulgatus tamen interpres habet : *quinquaginta millia plebis.*)

4. *Ex qua die mansit arca* (Vulgatus addit : *Domini*) *in Cariathiarim, multiplicati sunt dies ejus* etc. I. 7. 2.

5. Quod ait Jonathan ad David : *Si vixero, facies mihi misericordiam* etc. I. 20. 14.

6. [b] *Fecit Salomon festivitatem celebrem et omnis Israel cum eo.* III. 8. 65

7. *In diebus ejus ædificavit de Achiel de Bethel Hierico.* III. 16. 34. (At Vulgatus habet : *Hiel de Bethel.*)

8. *Hæc faciant mihi dii, et hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillo universi populi, qui sequitur me.* III. 20. 10. (Sed Vulgatus habet *pugillis.*)

9. *Tertia pars vestrum introeat Sabbato, et observet excubitum domus regis.* IV. 11. 6. (At in nostra versione legitur excubias.)

10. Quod ait Abigail ad David : *Si enim surrexerit homo aliquando persequens te,* etc. I. 25. 29.

11. *Et præcepit, ut docerent filios Juda arcum.* II. 1. 18.

12. *Et percussit Moab, et mensus est eos funiculo.* II. 8. 2.

13. *Ipse esset quasi tenerrimus ligni vermiculus.* II. 23. 8. (Vulgatus habet *est.*)

14. *Ipse descendit, et percussit leonem in media cisterna.* II. 23. 20.

15. De templo, *quod habebat triginta cubitos in altitudinem.* Et in libro Paralipomenon *habebat centum viginti.* Reg. III. 6. 2. II. Paralip. 3. 4.

16. *Ostium medii lateris in parte erat domus dexteræ.* III. Reg. 6. 8.

17. *Texitque domum laneariis cedrinis.* III. 6. 9. (At in Vulgata habetur : *texit quoque.*)

A 18. *Cumque imminerent vectes, et apparerent summitates eorum foris sanctuarium,* etc. III. 8. 8. (At legendum *eminerent,* uti habet communis lectio.)

19. *Produxitque filium regis, et posuit super eum diadema, et testimonium.* IV. 11. 12.

20. *Et non fiebat ratio iis hominibus, qui accipiebant pecuniam.* IV. 12. 15.

21. *Ipse percussit Edom in valle Salinarum.* IV. 14. 7.

22. *Ipse restituet terminos Israel ab introitu Emath.* IV. 14. 25.

23. *Et unaquæque gens fabricata est deum suum.* IV. 17. 29. (Lectionem hanc proponit rectissime Vulgata, et sequitur clariss. Zacharias : at in exemplari ad me misso legitur *domum suam.*)

B 24. *Ubi est deus Emath, et Arphath ! Ubi* etc. IV. 18. 34. (Vulgata *Arphad.*)

25. *Ascendit umbra decem lineis.* IV. 20. 9. (At legendum est cum Vulgata : *Vis, ut ascendat,* etc. *nisi vis* indicari versic. 11. *jam descenderat,* etc.)

26. *Quæ habitabat Jerusalem in secunda.* IV. 22. 14.

27. *Contaminavit quoque Topheth, quod est in valle filii Ennon.* IV. 23. 10.

28. *Abstulit quoque equos, quos dederant reges Juda Soli.* IV. 23. 11.

29. *Excelsa quoque, quæ erant in Jerusalem, ad dexteram partem montis offensionis,* etc. Ibid. v. 13.

30. *Et transtulit omnem Jerusalem, et universos* C *principes* etc. IV. 24. 14.

Has quæstiones triginta, atque apertiones illarum, si prudentiæ vestræ placet, cum illis quæstionibus de prædicto libro Regum, quas misi sanctitati vestræ explanandas, cum a vobis explanatæ fuerint, ordine suo, uno adunentur in corpore, et ut ipse nostis, et vestram præfationem, et meam petitionem, quasi præfatiunculas in capite explanationum, de præfatis quæstionibus adnotate, et in omnibus scripturis, quas istis in partibus mittitis, mei non obliviscamini; sed semper admonere dignemini quid agere debeam. Maxime in orationibus obsecro, ut ipse rogetis Dominum pro me, et per studium vestrum alii etiam rogent. Si enim unius *justi oratio multum valet* (*Jac.* 5. 16.) ut ipse nostis, quanto ma- D gis multorum *assidua ?* Vale, mi pater, et in spiritualium filiorum prosperis semper polle.

[a] Anceps hæreo num legendum sit, *fuerit*, an *fuerim*. Postremum hoc clariss. Zachariæ placet. Et revera subrustice de episcopo loquitur Theutmirus, si de propositis a Leidratho, aut Nimbridio quæstionibus hæc pronuntiet : ut *magister, ita discipulum emendate.* At ab horum altero fuisse propositas has triginta quæstiones, quarum solutionem Theuthmirus efflagitat, indicare videtur ipsemet Theuthmirus, cum hæc subjicit : has « quæstiones XXX atque apertiones illarum, si prudentiæ vestræ placet, cum illis quæstionibus de prædicto libro Regum, quas misi sanctitati vestræ explanandas, cum a vobis explanatæ fuerint, ordine suo, uno adunentur in corpore. » Efflagitare vero se, ut et harum, et earum etiam, quas ipse ad Claudium solvendas misit, et explicandas, Claudius uno corpore complectatur, et explicatas, illustratasque Theuthmiro remittat. Cæterum, sive is, sive alter proposuerit, tam illæ, quam aliæ, quas deinceps recenset, dissolvendæ erant, atque illustrandæ, ejus rogatu, a Claudio.

[b] Sequor prorsus exemplar ad me missum : nam editum a P. Zacharia quæstionem hanc, et tres subsequentes collocat post eam, quæ ad hunc modum incipit : *Cumque imminerent vectes*, et ordine XIX est. Tum vero chronologiam sequimur, et Ecclesiasticæ Historiæ seriem : Quam tamen in his quæstionibus proponendis minime a Theuthmiro fuisse servatam affirmat ipsemet. Recole nuper dicta : *per ordinem exponatis..... Ego enim non per ordinem misi*, etc.

1. [a] *Fuit vir unus de Ramatha in Sophin de monte Effraim, et nomen ejus Helcana.* Et post pauca. *Habuit uxores duas : nomen uni Annæ, et nomen secundæ Fennenæ.* I. Reg. 1. 1. et 2. Quid significat vir iste : vel duæ uxores ejus, una fecunda, alia infecunda? Et cur de Anna scribitur : *quod affligebat quoque eam æmula ejus, et vehementer angebat?* Et reliqua vers. 6.

2. *Cum redeunte tempore ascenderent templum Domini, et sic provocabat eam. Porro illa flebat, et non capiebat cibum,* usque dum dicit : *Vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati.* Et reliqua. v. 7. etc.

3. *Exultavit cor meum in Domino,* usque dum dicit : *Dominus judicabit finem terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui.* Cap. 2. 1, usque ad 11.

4. *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini puer accinctus ephot* [b]. quod erat ephot, usque dum dicit : *abierunt in locum suum.* 2. 18, 19, 20.

5. *Visitavit ergo Dominus Annam, et concepit et peperit tres filios, et duas filias :* (Ibidem v. 21.) Et ipsa supra prophetans dicit : *Sterilis peperit plurimos.* (v. 5.) Alibi peperit *septem* [c]. Quid sibi vult hoc ?

6. Cur dicitur per virum Dei ad Heli : *Quare abjecisti munera mea, et victimam meam, quam præcepi, ut offerretis in templo,* usque dum dicit : *Qui contemnunt me erunt ignobiles.* Ibidem v. 29, et 30. (Sed cum aliquo discrimine Vulgata sic vertit : *Quare calce abjecistis victimam meam, et munera mea, quæ præcepi, ut offerrentur* etc.)

7. *Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. Et videbis Christum æmulum tuum in universis prosperis Israel,* usque dum dicit : *comedam buccellam panis.* Ibid. v. 31. usque ad finem capitis. (Sed Vulgata non nihil distat : habet enim : *Et videbis æmulum tuum in templo,* etc.)

8. *Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli,* usque dum dicit : *Nec poterat videre lucernam Dei, priusquam extingueretur, et Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca,* etc. Cap. 3. v. 1, usque ad tertium. (Hoc quoque comprehenso, sed cum discrimine, quod in Vulgata hæc habentur : *nec poterat videre : lucerna Dei, antequam extingueretur, Samuel.* etc.)

9. Quid significat, quod arca Dei translata a Philistæis, et in templo Dagon posita, altera die ante arcam Dei invenitur Dagon. *Tertia die caput, et palmæ ejus duæ abscissæ erant super limen,* et ipse *truncus remanserat.* Et reliqua. cap. 5. v. 1, 2. 3. 4. et 5. (Si clarius id vis expressum, sic corrige : *ante arcam Dei jacens invenitur Dagon :* et postea *tertia die.*)

10. *Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium,* usque dum dicit : *Sed et satrapæ Philistinorum sequebantur arcam Domini, usque ad terminos Bethsame.* Ibidem ver. postremo, seu 12, usque ad finem versiculi 12 capitis subsequentis, id est 6.

11. *Porro Bethsamitæ metebant triticum,* usque dum dicit : *At urbe murata usque ad villam, quæ erat absque muro, et usque ad Abel magnum, super quem posuerunt arcam Domini.* Propter quod *dicit Abel magnum ?* Et reliqua. Indicantur hic versiculi 13, et subsequentes usque ad 18 (eo comprehenso, capitis 6.)

12. Quare de Samuel scribitur, quod judicaverit *Israel cunctis diebus vitæ suæ,* cum in vita sua amiserit principatum ? (Consule vers. 15, et subsequentes capitis 7.)

13. Cum unxisset Samuel Saulem in regem, ait ad eum : *Cum abieris hodie a me invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel, in finibus Benjamin in meridie salientes magnas foveas. Et liberavis populum ejus de manu inimicorum ejus.* cap. 10. 2. (Sed multum distat codicis hujus interpretatio a Vulgata, quam consulas volo.) Cur Saul bis ungitur ? Et David tertio ? Et reliqua.

14. Quare de Saul scribitur : *filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset, et duobus annis regnavit super Israel,* cap. 13. 1. cum supra legatur quod ab humero et sursum emineret omni populo. cap. 9. 2.

15. Cur in eodem libro scribitur : *Quod faber ferrarius non inveniebatur in tota terra Israel ; et quod retunsæ erant acies vomerum et ligonum, et tridentium et securium, usque ad stimulum corrigendum.* Et reliqua. 13. 20. 21. Unde hæc sine fabro ?

16. Quare de Jonathan scribitur : quod *extenderit manum, et intinxerit in favum mellis, quem cum comedisset, illuminati sunt oculi ejus.* 14. 27. Quomodo intinxit, si non vidit? Si videbat, quomodo illuminatus est ? Et reliqua.

17. Cum Dominus misisset Saul percutere peccatores Amelech, cur pepercit Chineo, dicens post pauca ? *Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto.* Et reliqua. 15. 1., 6. Quis est hic Chineus ? et ubi legitur hanc misericordiam fecisse ?

18. Cur Samuel dixit Agag regi ? *Siccine separat amara mors ?* Usque dum dicit *in frustra concidit Samuel Agag coram Domino.* 15. 32. et subseq.

19. Cur de David scribitur, quod eo tempore, quo viderat Saul David egredientem contra Philistæos, ait ad Abner principem militiæ : *De qua stirpe de-*

[a] Recole annotationem 11.

[b] *Ephot,* et similes voces paulo aliter conscriptas ac Vulgata habeat, et Hebraica lingua exposcat, refer in consuetudinem earum regionum, quas incolebat Theuthmirus ; aut, si vis, in amanuensem : solent enim [quod dudum critici animadverterunt] imperiti amanuenses, ii præsertim, qui ex dictantis voce conscribunt, ad eum modum voces scripto exprimere, quo ipsi pronuntiant : multi autem litteras *t*, et *d* promiscue usurpant, et alteram alterius loco adhibent.

[c] Vide quæ annotatione nona ad sermonem S. Antipatri tradidi.

*scendit hic adolescens, Abner?* Et reliqua. 17. 55. Cum supra legatur quod armiger Saul fuisset David antea, et citharam in conspectu ejus percutiebat. Et reliqua. 16. 21., 23. Et cur Goliath *spurius* dicebatur? 17. 4. 23. Et addidit *Jonathan dejurare David.* 20. 17.

20. Cur David contra Philistæum pergens ad præliandum, arma Saul portare noluit, sed quinque lapides de torrente in pera sumpsit, tamen unum solum projecit, et Philistæum percussit? Et reliqua. 17. 39. 40 et 49.

21. Quare Saul iratus dixit ad Jonathan filium suum. *Fili mulieris virum ultro rapientis?* 20. 30.

22. Cum David fugeret ante Saul, venit ad Abimelech in Nobe. Et reliqua usque dum dicit: *porro via hæc polluta est.* 21. 1. 5. Unde erat polluta? Et additur: *hodie sanctificabitur in vasis meis.* v. 5.

23. De Ceila civitate, quam oppugnavit David si aliud nomen habuisset, an non. Cum minime recolo quod de hac civitate mentionem faciat Scriptura, nisi in propheta, ubi legitur: *Væ Ceila, Ceila civitas, quam oppugnavit David.*

24. Quomodo intelligendum est de Saul, quod in extremis consuluerit pythonissam? Et legitur, quod suscitaverit ei Samuel, et dixerit ei Samuel: *Cras tu et filii tui mecum eritis:* Si juxta litteram stare potest, ut Samuel suscitaret pythonissa. 28. 7. et seqq.

25. Cur Gelboe montes a David maledicantur in morte Saul, et filiorum ejus? II. Reg. 1. 21. Si juxta litteram stare possit.

26. Quomodo intelligendum est hoc quod David plangens Abner, maledicensque Joab, dixit: *Non deficiat de domo Joab fluxum seminis sustinens, et leprosus: tenens fusum, et cadens gladio, indigens pane?* II. 3. 29. Et reliqua.

27. Quid significat quod *filii Remmon Berothitæ, Rechab et Baanna ingressi sunt fervente die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie,* usque dum dicit: *præcepit David pueris suis interficere eos: caput autem Isboseth tulerunt, et sepelierunt in sepulcro Abner in Ebron.* II. 4. 5. Et reliqua.

28. *Et abiit David, et omnes viri, qui erant cum eo in Jerusalem ad Hiebusæum habitatorem terræ: dictum est David ab eis non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos dicentes: non ingredietur David huc.* Et reliqua. II. 5. 6. etc.

29. *Cœpit autem David arcem Sion: hæc est civitas David. Quid est arcem?*

30. *Proposuerunt enim in die illa præmium, qui percussisset Hiebusæum, et tetigisset domatum fusculus.* (legendum ut arbitror est cum Vulgata *fistulas, et abstulisset claudos, et cæcos odientes animam David,* usque dum dicit: *Dominus exercituum erat cum eo.*) Ibi. v. 7. et seqq.

31. *Cum quadam vice venissent Philistiim contra David in valle Raphaim, et ipse consuluit Dominum. Cui respondit Dominus: Gira post tergum pirorum, et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pirorum, tunc inibis prælium,* usque dum dicit: *et percussit Philistiim de Gabaa usque dum venias Iazer.* Et reliqua. v. 32. etc.

32. Quare percutitur Oza, qui manu tenuit arcam Domini, ne laberetur e plaustro in terram. Et quid significet *temeritas* ejus, vel recalcitratio boum, qui trahebant eam. Et reliqua. 6. 6. 7. etc.

33. *Cumque intrasset arca Domini in civitate David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram vidit David regem subsilientem, atque saltantem coram Domino, et despexit eum in corde suo,* usque dum dicit: *Ero humilis in oculis meis.* Et reliqua. 6. 16. usque ad 22.. versiculum (eo comprehenso.)

34. Cur Nathan dixit ad David, ut ædificaret domum Domini, et postea prohibuit eum. Et reliqua, usque dum dicit: *secundum omnia verba hæc.* Et post pauca. *Sic locutus est Nathan ad David.* Et reliqua. 7. 3. etc.

35. *Post hæc percussit David Philistiim, et humiliavit eos, et tulit frenum tributi de manu Philistiim, et percussit Moab et mensus est eos funiculo coæquans terræ,* et reliqua. 8. 1. 2. etc.

36. *Joab autem filius Sarviæ erat super exercitum: porro Josaphat filius Ahilud a commentariis. Et Sadoch filius Achitob, et Achimelech filius Abiathar sacerdotes, et Sarajas, scriba. Banajas filius Jojadæ super Cerethi et Phelethi: filii autem David sacerdotes erant.* 8. 16., 17., 18. Qui erant Cerethi et Phelethi? Vel filii David quomodo erant sacerdotes, cum non essent de tribu Levi? Et reliqua.

37. Cur de Absalon scribitur, quod *erexerat sibi titulum, dicens non habeo filium.* 18. 18. cum in eodem libro supra scriptum sit, quod *habuerit tres filios, et unam filiam nomine Thamar eleganti forma?* Et reliqua. 14. 27.

38. Quare autem inter numerum fortium David scribatur de uno quolibet eorum, hæc, vel alia fecit, sed *usque ad tres non pervenit.* Qui fuerint hi tres? aut cur hoc scribitur? 23. 19. etc.

39. Quare culpatur David per numerationem populi. II. Reg. 24. 1. Cum Josaphat, cæterique reges populum numeraverint, et inculpabiles, et sine vindicta permanserint? et cætera usque in finem. IV. Reg. 3. 6. (At quod hic de Josaphat dicitur, de Joram, cum quo fœdus inierat Josaphat, dicendum est. Hæc habet Scriptura: *Egressus est igitur rex Joram in die illa de Samaria, et recensuit universum Israel, misitque ad Josaphat* etc. Ab Amasia tamen rege Judæ minime malo, recensitos fuisse subditos, discimus ex II. Paral. 21. 5.

40. Cur de David scriptum est, quod *senuerat,* cum septuaginta non supergressus sit annos, *et opertus vestibus non calefiebat? Et quod inventa adolescentula speciosa Abisach Sunamite, dormiebat cum rege, et ministrabat ei: rex vero non cognovit eam?* III. Reg. 1. 3. cum in fortiore ætate legamus, et videamus cum feminis coire viros. Et reliqua.

41. Quid sibi vult quod David ultimo vitæ suæ A tempore, Salomoni filio suo præcepit de Joab, et Semei, quibus ante pepercerat, ne inultos eos dimitteret, sed *deduceret canos eorum cum sanguine in inferno?* Ibi. 2. 5. 8.

42. Quid est quod dixit de Joab? *posuit cruorem prælii in baltheo suo, qui erat circa lumbos ejus, et in calceamento suo, quod erat in pedibus ejus.* Ibid. v. 5.

43. Quid significet Adonias, qui Abisac petivit in conjugio, pro qua re a Salomone præcipitur occidi. Ibi. v. 20. etc. Et quid est, quod frequenter scribitur in hoc libro? *Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat.* Ibid. v.. 23. etc. Erat hoc sacramentum, an non?

44. *Dilexit autem Salomon Dominum ambulans in* B *præceptis David patris sui, excepto quod in excelsis ambulabat, et accendebat thimiama.* 3. 3. Quid erat *excelsa*, quod frequenter in hoc libro legitur? Et cur Samuel non culpatur, qui in excelso legitur immolasse? (I. Reg. 9. 12. 14.) III. Reg. 3. 2.

45. Quid significent illæ duæ mulieres meretrices, quæ venerunt ante Regem Salomonem? III. 3. 16.

46. *Porro Giblii præparaverunt ligna, et lapides ad ædificandum domum.* III. 5. 18.

47. Cum legatur expressius in libro Regum. III. 8. 9. absque Paralipomenon II. 5. 10. quod in arca non esset aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moises. Et reliqua: cum Apostolus scribat ad Hebræos. 9. 4. quod in arca sunt *tabulæ, Virga Aaron, et Manna.* Si non erant, cur Aposto- C lus dixit? Et si erant, quis ea misit ibi? Et si fuerit ista virga Aaron, unde in Ægipto fuere signa facta, et in mari, atque in heremo, an alia? et quid de ipsa Arca factum est? vel si sit unquam (*videnda ut puto*) visura ab omnibus.

48. *Cum nebula implesset domum Domini, ait Salomon: Dominus dixit, ut habitant in nebula.* 8. 10. 11. 12. Ubi legitur quod Dominus dixisset?

49. Si in Templo, ubi erat Altare incensi, et candelabrum, et lucernæ, missæ sint propositionis panes? Si introibant ibi alii, nisi ordo Sacerdotum et Levitarum: Et si ibi erat conventus plebium? Aut si soli Sacerdotes, sive Levitæ (Supple. *degebant, seu illuc ingrediebantur?*) D

50. Dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ, quæ cum non placuissent ei, appellavit ea terram Cabul usque in diem hanc. Quid est hoc? Scire volo. 9. 11. 12. 13.

51. Quid sibi vult, quod Moises in heremo ad constructionem tabernaculi, non ex alienis, sed ex Hebræis habuit constructores? Exo. 35. 30. et subseq. (Deesse videtur pars altera quæstionis: cur scilicet Salomon virum Syrum adduxit ad templi, et suppellectilis sacræ constructionem? *Misit quoque rex Salomon, et tulit Hiram de Tyro.* III. Reg. 7. 14.

52. Fecitque Salomon de lignis thinis fulchra domus Domini, et domus regis. Cujus generis erant ligna thina? Et post pauca dicit: non sunt allata hujuscemodi thina, neque visa usque in præsentem diem. 10. 11, et 12. Et quid Ophir, et ubi, unde fuerunt allata? 5. 11.

53. Cur altare holocaustorum in tabernaculo, et in templo ex ligno quidem factum, ære autem coopertum. Exo. 38. 1. ab igne non consumebatur, cum jugiter ignis arderet in eodem altari?

54. *Fecit Salomon ducenta scuta de auro puro.* 10. 16. Et post pauca: *Posuitque ea rex in domo silvæ Libani.* 17. Si silva Libani Salomonis erat, cur ligna cedrina non præcidebat ex Libano?

55. *Fecit quoque, ut tanta esset abundantia argenti in Hierusalem, quanta et lapidum: et cedrorum præbuit multitudinem quasi sycomoros, qui nascuntur in campestribus.* Et reliqua. 10. 27.

56. *Reliquum autem verborum Salomonis, et omnia quæ fecit, et sapientia ejus, ecce universa scripta sunt in libro verborum dierum Salomonis.* 11. 41. Qualis est liber, scire volo.

57. Cum Helias ante Jesabel fugeret, et venisset ad montem Dei Oreph, et mansisset in spelunca, et factus fuisset ad eum sermo Domini, post pauca refert Scriptura. 19. 2. 8. *Ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras,* usque dum dicit, *et derelictus sum ego solus, et quærunt animam, ut auferant eam.* 19. 11. 14. etc.

58. Cum Helias dixerit de Achab? *Si mortuus fuerit in civitate, comedent eum canes. Si autem in agro, comedent eum volucres cœli.* 21. 24. quomodo verum est, *cum ipse perlatus* fuisse legatur, *in Samariam, et sepultus in sepulcro suo?* 22. 37. nisi tantum quod *canes lambuerint habenas.* Ibid. 38. Et non comederint.

59. Cur Eliseus mittens puerum suum ad suscitationem filii Sunamitis, præcepit ei dicens: *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum, et si salutaverit te quispiam, non respondeas ei.* IV. Reg. 4. 29.

60. *Naaman princeps militiæ regis Syriæ.* Et post pauca: *Per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ.* 5. 1. Quæ fuit illa salus?

61. *Facta est fames magna in Samaria, et tandiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars capi stercoris columbarum quinque argenteis.* 6. 21. Quid est capi stercoris? (Sed vulgata recte habet pars *cabi stercoris:* quam ob rem dicendum est: quid est quarta pars cabi stercoris?)

62. Quid est quod Benadab rex Syriæ misit Asahel ad Heliseum consulens, utrum sanari possit ab infirmitate sua, an non? Cumque ab eo responsum acciperet, et redisset ad Dominum suum, refert Scriptura: *Tulit stragulum, et infudit aquam, et expandit super faciem.* 8. 7. 15. etc.

63. Cur Johas rex *Israel ad Amasiam regem Juda remisit, dicens: Cardus Libani misit ad cedrum, quæ est in Libano dicens: da filiam tuam filio meo uxorem, transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt in*

*Libano, et conculcaverunt cardum?* IV. Reg. 14. 9.

64. Quare de Jeroboam filio Joas scribitur: *ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis, juxta sermonem Domini, quem locutus est per servum suum Jonam filium Amathi Prophetam.* Jon. 1. 1. Ubi Jonas hæc locutus fuit? 14. 25.

65. Cur de Joathan rege Juda scribitur? *ipse ædificavit portam domus Domini sublimissimam.* 15. 35. Nunquid a Salomone antea ædificata non fuerat? an novam construxit?

66. Cur de Ezechia scribitur: postquam dissipavit excelsa, et contrivit statuas? *Et succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecit Moyses; vocavitque eum Naastan.* (Nohestan Vulgata). 18. 4. Et reliqua. Quid est hoc?

67. Cur per Esaiam ad Ezechiam regem dicitur? *Ecce dies veniunt, et auferent* (Vulgata transferentur) *omnia quæ sunt in domo tua, et quæ condiderunt patres tui in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus, sed de filiis quos generabis, erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.* 20. 17. 18. Qui fuerunt isti eunuchi?

68. Quid sibi vult quod post plurima de Josia
A scribitur: *et efferri fecit lucum de domo Domini, foras Hierusalem in convalle Cedron, et combussit eum ibi, et redegit in pulverem, et projecit super sepulcra vulgi?* Quid est iste lucus? aut quæ sepulcra vulgi? 23. 6.

69. *Destruxit quoque et idola* (Vulgata *ædiculas*) *effeminatorum quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci.* v. 7.

70. *Et destruxit aras portarum in introitu hostii Josiæ principis civitatis* usque dum dicit *de sacerdotibus excelsorum comedebant azima in medio fratrum suorum.* 5. 8. et 9.

71. *Tulit quoque principes militiæ Saraiam sacerdotem primum, et Sophoniam sacerdotem secundum, et tres janitores: et de civitate eunuchum unum.* Et
B post pauca: *Et Sopher principem exercitus, qui probabat tirones de populo terræ.* Propter quod dicit sacerdotem primum, et secundum? vel eunuchum unum, et tres janitores? vel qui sunt tirones? 25. 18, et 19.

72. *Sublevavit Evilmerodach rex Babylonis anno, quo regnare cœperat, caput Joachim regis Juda de carcere, et locutus est ei benigne,* usque dum dicit. *Omnibus diebus vitæ suæ.* Ibid. v. 27. etc.

HACTENUS THEUTMIRUS: AD HUNC PORRO MODUM RESPONDET CLAUDIUS.

Compellit, et constringit me, frater Christianissime, Theutmire, tua [a] opportuna multimoda inquisitio, non necessitate, sed quod est vehementius, charitate, ad multorum exire publicum, formidandumque judicium: illorum videlicet dico, qui secundum faciem, et non justum noverunt judicare
C judicium; ob hoc videlicet quod in opusculis nostris, in expositione Pentateuchi, atque libri Regum, et tuam petitionem, et meam præfationem in capite ponere jubes; quod multis nostro tempore præsumptuosum esse videtur, atque ridiculum. Qui si verum nomen [b] præfationis nossent, non puto ista dicere potuissent: quia præfatio primi operis locutio est, et [c] prælocutio librorum, quæ ante causas narrationum ad instruendas audientium aures coaptatur. Dicta autem præfatio, quasi prælocutio, id est prima locutio, et alio nomine prologus, id est sequentis operis præfatio, est, et initium locutionis, et caput compositionis, quod et alio nomine dicitur prooemium; prooemium enim est initium docendi, et principia librorum, quæ ante causæ narrationem
D ad instruendas audientium aures coaptantur. Cujus nomen plerique latini periti ita posuerunt. Sciat quisque ille est, nostro tempori scientiam, non nostræ scientiæ scribendi tempus deesse: scilicet tempus per omnes Scripturas disserendi esse, si Spiritus sancti gratia cuiquam dignatur adesse: nec perjudicandum quo quisque tempore scribat; sed hoc solummodo discernendum, utrumnam vera, et catholica, an falsa, et hæretica sint, quæ scribit. Et quia tu sæpe a me requiris multarum rerum absolutionem, maximeque in Pentateucho, atque libro Regum, qui et antiquiores, et obscuriores cæteris libris divinæ legis sunt, et magno interprete indigent, atque in eis, non ex meo ingenio, sed ex illustrium doctorum judicio, neque ex propria temeritate, sed ex aliorum auctoritate interrogationibus tuis, non quantum debui, sed quantum potui, satisfeci, conservans non tam [d] eloquii exsultantis ambitum, quam necessariæ brevitatis modum: sic enim et innumeris satisfieri inquisitionibus tuis poterit, et mihi insuper liberum erit aliqua extrinsecus, quæ cognitioni tuæ utilia arbitror, in aliis libris inserere, si ista tibi accepta judicaveris. Scire autem volo te, frater, quod hæc locutio vias quidem aperiat intelligentiæ: non tamen singillatim cuncta quæ scripta sunt, disserat atque absolvat. Sicut potui, respondi inquisitionibus tuis. Si quid de his rebus, unde me interrogasti, invenisti melius, sive invenire potueris, gratissimum habebimus, si nos feceris nosse. Pro qua re te deprecor per gratiam Dei, quæ in te, ut credo, exuberat, ut non respuas deprecantem, sed libenter doceas, si quid potes, quod me fateor ignorare. Et si quid hinc absolu-

[a] Arbitror legendum importuna.

[b] Emendavi manifestum amanuensis errorem: transcripsit enim librarius noster *veri nominis* præfationis. Si quis legi malit *veritatem* [id est veram etymologiam] *nominis præfationis*, etc., ego minime obsistam.

[a] Prolocutio legitur in exemplari ad me misso: substitui prælocutio, ut conveniret cum voce *præfatio*. Cæterum, si quis vocem *prolocutio* retinere velit, retineat per me quidem licet; novi enim *prologum* dici, non prælogum.

[d] In exemplari habetur *tanquam*: sed legendum omnino est *tam*, ut respondeat particulæ [*quam necessariæ brevitatis*]. Id jam prænotavit P. Zacharias,

tum, ac diffinitum disputatione rationabili, atque A perfecta vel legisti, vel audisti, vel etiam ipse adhuc audire, aut legere, aut excogitare potueris peto, ut mihi mittere non graveris. Quia quod confitendum est charitati tuæ, plus mihi expedit discere, quam docere. Nam hoc admonemus, dicente Apostolo Jacobo (1. 19.) : *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Et sicut ait doctissimus Pater Augustinus : *ut discamus, invitare nos debet suavitas veritatis : Ut autem doceamus, cogere necessitas charitatis.* Ubi potius orandum est, ut transeat ista necessitas, qua hominem docet aliquis homo : *Et simus omnes docibiles Dei :* (*Joan.* 6. 45. *Isa.* 54. 13.) quamvis hoc simus, cum ea, quæ ad veram pietatem pertinent, dicimus, etiam quando illa docere videtur homo. Quia (*I. Corin.* 3. B 7.) *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Cum itaque, si Deus incrementum non daret, nihil essent apostoli plantatores, et rigatores : quanto magis ego, vel tu, vel quilibet hujus temporis homines, qui in hoc novissimo tempore videmur esse doctores? Addidi etiam in hoc opere brevem expositiunculam allegoricam in libro Ruth, quod tu non postulasti, quæ magis ad librum Judicum, quam ad Regum pertinere videtur. Pro qua re obsecro, ut me, etsi corpore longe positum, tamen mente propinquum orationibus tuis Creatori omnium commendare non cesses ; ut per virtutem fletuum tuorum, et merita orationum, et si juxta fluvium Chobar, id est secus gravedinem [a] hujus sæculi detineor, tamen Dominum no- C strum in majestate gloriæ suæ videre desidero : atque ab ipso audire *quod in medio scorpionum habitatio nostra consistit. Ezech.* 2. 6.

De Alchana, *Elcana*, et duabus uxoribus ejus, et nativitate Samuelis. Cap. I.

De Cantico Annæ.

[b] De propheta ad Heli destinato, et malo filiorum ejus, atque morte ipsorum.

De sacerdote fideli, quem spondet Deus, quod juxta cor suum sit.

De caligine oculorum Leli, *Heli*, et augmento Samuelis: et verbis Domini, quæ non ceciderunt in terram.

De arcæ captivitate, et idolo Dagon, nec non et D morte Heli, atque nuru sua.

De spiritu maligno, qui irruebat in Saul.

De David, et unctione ejus.

De certamine David, et Goliæ.

De eo quod Saul pro centum præputiis Philistinorum, David filiam promittit dare uxorem.

De fuga David et salute ejus, et simulacro, quod in lecto ejus inventum est.

De adventu David ad Samuelem, et nuntiis Saul, qui missi sunt, ut apprehenderent David, qui accepto spiritu Dei prophetaverunt.

De reversione arcæ Domini ad terram Israelitarum, et percussione Bethsamitarum.

De eo quod scriptum est : *Ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies.*

De eo quod scriptum est : *Congregato omni populo Israel, oravit Samuel Dominum, et exaudivit eum.*

De filiis Samuel, qui *declinaverunt post avaritiam, et acceperunt munera.*

De unctione Saul regis, et adventu Samuelis in Galgala.

De jejunio indicto a Saule.

De prælio Saul contra Amalech, et Agag regem ; et de eo quod scriptum est : *pœnitere Dominum, quod constituerit Saul regem.*

De objurgatione Samuelis in Saul, cur non audisset vocem Domini, et scissione pallii Samuelis, nec non et morte Agag regis.

De adjuratione David et Jonathan.

Ubi David ad Abimelech sacerdotem venit, et gladium Goliæ sustulit, seu [c] panes propositionis accepit.

Ubi David ad regem Achis fugit, et mutavit os suum.

Ubi in spelunca David , Saulis chlamydem abscidit.

De descensione David in solitudine Machon, ubi habitabat Nabal, ubi David, dormiente Saul, et exercitu ejus, hastam, scyphumque abstulit.

De prælio David in Amalech.

De phitonissa, quam consuluit Saul, et suscitatione Samuelis.

De prælio Philistinorum, et plaga in Israel, morteque Saul, et Jonathæ filii ejus.

De luctu David pro morte Saul, et Jonathæ, et interemptione Israel, maledictioneque montium Gelboe.

[d] Regum tempora post judices, quando David, Saule reprobato, cœpit regnare, incipiunt. Unde et liber, ubi res gestæ continentur, quem nunc aggre-

[a] S. Hieronymus in libro, quem inscripsit de *nominibus Hebraicis Chobar* vertit *gravitudo.* Etiam in Aggæum *gravissimum* appellat eumdem fluvium, respiciens scilicet ad eam, quam dicimus significationem. Rursus in interpretatione homiliæ primæ Origenis in Ezechielem. *Et ego eram juxta fluvium Chobar, quod interpretatur gravitudo.* Et deinceps : *secus flumen istud gravissimum sæculi.* Hæc tamen interpretatio Bocharto, aliisque viris criticis displicet.

[b] In exemplari habetur de Propheta *ad Heli destinatum, et malum filiorum ejus, atque mortem ipsorum.* Hunc, et alios hujus similes [si quando occurrent] manifestos amanuensis errores emendavi, et emendabo, lectore minime admonito, cur enim de nugis istis eum moneri opus est? reliquos, qui vel f rri aliquatenus possunt, vel Claudio ipsi tribui, reliqui et relinquam, lectore plerumque admonito.

[c] Particulas *seu, vel* et affines alias sæpe vim conjunctionis in Ecclesiasticis Scriptoribus habere quis nesciat? Id multi adnotarunt, et ne multos enumerem, sanctissimus D. N. Benedictus XIV in adnotationibus in missam ad ea verba : *vel qui tibi offerunt.*

[d] Isidorus ante Claudium hæc ipsissima docuit, sed verbis aliquando diversis et ordine non nihil immutato.

dimur, *Malachim*, id est *Regum* vocitatur, qui in A tertio et quarto volumine continetur : meliusque multo est *Malachim*, id est *Regum*, quam *Malachot*, id est *Regnorum* dicere. Non enim multarum gentium regna describit, sed unius Israelitici populi, qui tribubus duodecim continetur : plus tamen in terrena Hierusalem tribus Juda, una ex duodecim, diuturna successione regnavit. In qua civitate (reprobato Saule), prior David regnavit. « In quibus temporibus [a] multa, et varia sacramenta Christi, et Ecclesiæ [b] figurantur. Nam [c] in ipso initio Regum, commutatum sacerdotium in Samuel, reprobato Heli : et commutatum regnum in David, reprobato Saule, exclamat, prænuntiari novum sacerdotium, novumque regnum (reprobato vetere, quod umbra erat futuri) in Domino Jesu Christo venturum [d]. B Nonne ipse David, eum panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus in una, eademque persona utrumque futurum, id est in uno domino Jesu Christo regnum, et sacerdotium figurabat? Et aspice *Regum* tempora, quia primo *Judicum*, postea *Regum :* sic erit *judicium*, postea *regnum*.

« *Fuit vir unus de Ramatha in Sophim de monte Ephraim, et nomen ejus Helcana, filius Hieroboam, filii Heliu, filii Tau, filii Suph, Ephratæus. Helcana* non de Aran (id est Amram) ortus, sed de Isaar, qui et ipse filius fuit Caath, et Caath filius Levi. (*Exod*. 6. 18. 19. etc.)

« Hic Isaar pater fuit Chore [e], quo pereunte filii C ejus remanserunt. (*Num*. 26. 10. 11. etc.) De cujus stirpe [f] fuit Samuel, quorum posteritas postea temporibus Davidis et Salomon, cantatores, et prophetæ in populo, et in templo Dei fuerunt. (*I. Paral*. 6. 28. 32. 33. etc.) Hujus Caath familiæ acceperunt urbes, et suburbana ad inhabitandum (ut liber Jesu Nave testatur) in monte Ephraim (*Jos*. 20. 7. et 21. 21. 22. etc.), ubi fuerunt civitates Sichem, et Gazer, et Cethsaim, et Betheron.

« Fuit Helcana filius Hieroboam, filii Heliu, filii Tau, filii Suph, filii Helcana, filii Johel, filii Azariæ, filii Sophoniæ, filii Taath, filii Asir, filii Abiasaph, filii Chore, filii Isaar, filii Caath, filii Levi, filii Israel, ut verba dierum narrant. [g] *Et habuit uxores duas, nomen uni Anna, et nomen secundæ Phennena.* D *Fueruntque Phennenæ filii, Annæ autem non erant liberi :* et cætera. Iste ergo laudabilis vir habuit duas uxores, nomen uni *Anna*, et nomen secundæ *Phennena*. Habebat autem filios de secunda (Phennena); sterilis vero erat prior illa, quæ et nobilior erat. Similia invenies etiam in Genesi : cognata sibi est quippe Scriptura divina. Invenies ibi primam uxorem Abrahæ Saram nobiliorem : Secundam vero Ægyptiam Agar ignobilem fuisse : et ante patrem effectum Abraham de ignobili, quam de nobili (*Gen*. 16. 1., 17. 19., 18. 10., 21. 1. etc.). Fuit tamen postmodum etiam de nobili conjuge pater. Ita ergo etiam nunc Helcana hic, qui est *possessio Dei*, prius de secunda uxore efficitur pater, quam de prima, quoniam concluserat Deus vulvam Annæ, sicut et prius concluserat vulvam Saræ. Post plurimos vero partus Phennenæ, etiam Annæ vulva orationibus, et precibus aperitur, et efficitur etiam ipsa mater filii ejus, quem obtulit Deo. (*I. Reg*. 1. 11. 24. etc.) Quid ergo hæc in se sacramenti contineant videamus. Phennena interpretatur *conversio :* Anna autem interpretatur *gratia*. Unde quisque [h] nostrum, qui vult effici *possessio* Dei, istas sibi duas jungat uxores: sed cum ipsis sibi nuptias celebrat, primum sibi jungat quæ nobilior est, et generosior, *gratiam*. Hæc enim nobis per fidem prima conjungitur, sicut et Apostolus dicit : [i] *Gratia salvi facti estis per fidem*. Secundæ vero conjungimur (Phennenæ), id est *conversioni*, quia per gratiam credulitatis emendatio fit morum, et vitæ conversio. Sed cum iste sit ordo nuptiarum, alius ordo procreationis efficitur. Prima namque nobis filios parit Phennena, quia primos fructus de conversione proferimus, et prima justitiæ germina de actibus, et operibus procreamus : primum namque justitiæ opus est, converti a peccatis : quia nisi ante convertamur, et declinemus a malo, non poterimus de Anna effici patres, nec de gratia filios generare.

« Videamus ergo uniuscujusque differentias. Fennena filios habet, sed qui non assistunt Deo : neque enim tales filii possunt esse conversionis, ut adsistant, et adhæreant Deo, nec tamen inanes et penitus alieni sunt a rebus Dei. Accipiunt namque partes de sacrificiis divinis, et edunt de hostiis Dei. Unusquisque ergo nostrum primo convertitur a peccato, ut ex conversione generet opera justitiæ, postea vero excitata in nobis Anna per zelum, et æmulationem boni, precem fundit ad Deum, ut et ipsa filios generet. Quales ergo Anna quæ est gratia, filios generat? Qui assideant Deo. Gratia enim, et veritas per Jesum Christum facta est, hic ergo filius est gratiæ, qui Deo vacat, et verbo Dei. Post hæc oravit Anna, et ait [j] : *Confirmatum est cor meum*

[a] Multis, et variis modis. *Ibid.*

[b] Revelantur.

[c] Ab ipso exordio.

[d] Christus sæpe prædicitur auctor futuri sæculi; id est auctor novi regni, quod hic merito venturum dicitur, comparate scilicet ad Judæos, quorum regnum jam dudum *desolatum est et protritum*. Eucher. *venturi* [Christi scilicet].

[e] *Filii quoque* Isaar, Core et Nepheg, et Zechri. Exo. 6. 21.

[f] Cujus, aut si vis illius [id est Hel canæ vel Isaar].

[g] Paral. 1. 6. Sed cum aliquo in nominibus exscribendis discrimine.

[h] In exemplari *unde quisque ergo ;* aut *unde*, aut *ergo* redundat. Ademi *ergo :* tu si vis deme vocem *unde* pariter redundantem. Eucherius legit *ergo*.

[i] Rom. 5. 1. Gal. 2. 16. Et expressius Eph. 2. 8.

[j] Cap. 2. v. 1. Sed cum multo discrimine hanc interpretationem, et vulgatam nostram, imo inter vulgatam, et eam, quam exhibet Augustinus deinceps allegandus; id est ex capite 4. libri XVII. *De Civitate*.

*in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo salutari meo. Dilatatum est os meum super inimicos meos. Lætata sum in salutari tuo*, etc. [a] Ita ne vero verba hæc unius mulierculæ putabuntur esse de nato sibi filio gratulantis? tantumne mens hominum a luce veritatis aversa est, ut non sentiant supergredi modum feminæ hujus dicta, quæ fudit?

« Porro qui rebus ipsis, quæ jam cœperant etiam in hac peregrinatione compleri, convenienter movetur, nonne intendit, et aspicit, et cognoscit per hanc mulierem, cujus etiam nomen (id est *Anna*) gratia ejus interpretatur, ipsam religionem christianam, ipsam civitatem Dei, cujus rex est, et conditor Christus, ipsam postremo Dei gratiam, cujus prophetico spiritu sic locuta est? a qua superbi alienantur, ut cadant; qua humiles implentur, ut surgant, quod maxime hymnus iste personat. Nisi quisquam forte dicturus est, nihil istam prophetasse mulierem, sed Deum tantummodo propter filium, quem precata impetravit, exsultanti prædicatione laudasse. Quid ergo sibi vult quod ait? *Arcum potentium fecit infirmum, et infirmi præcincti sunt virtute. Pleni panibus minorati sunt, et esurientes transierunt terram, quia sterilis peperit septem, et multa in filiis infirmata est.* Nunquid *septem* ipsa pepererat, quamvis sterilis fuerit? Unicum habebat, cum ista dicebat: sed nec postea *septem* peperit, sive sex, ex quibus septimus esset ipse Samuel, sed tres mares, et duas feminas. Demum illa in populo, cum adhuc nemo regnaret, quod in extremo posuit [b], dat *virtutem regibus nostris, et exaltavit cornu Christi sui.* Unde dicebat, si non prophetabat? Dicat ergo Ecclesia Christi, Civitas Regis magni, gratia plena, prole fecunda. Dicat quod tanto ante de se prophetatum per os hujus piæ matris agnoscit. *Confirmatum est cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Vere confirmatum est cor, et cornu exaltatum, quia non in se, sed in Domino Deo suo. *Dilatatum est super inimicos meos et meum*: quia et in angustiis pressurarum *sermo Dei non est alligatus*. [c] *Lætata sum*, inquit, [d] *in salutari tuo.* Christus est iste Jesus, quem Simeon ille, sicut in Evangelio legitur, (*Luc.* 2. 25. etc.) senex amplectens parvum, agnoscens magnum: *nunc dimittis*, inquit, *servum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* Dicat itaque Ecclesia: *Lætata sum in salutari tuo.*

« [e] *Quoniam non est sanctus sicut Dominus, et non est justus sicut Deus noster.* Tanquam sanctus, et sanctificans: justus et justificans. Non est sanctus præter te, quia nemo fit, nisi abs te. Denique sequitur: (v. 3.) *Nolite gloriari superbi, et nolite loqui excelsa, neque exeat magniloquium de ore vestro,*

A *quoniam Deus scientiarum Dominus.* Ipse vos scit, et ubi nemo scit, quoniam qui putat se aliquid esse, cum nihil sit, se ipse seducit. Hæc dicuntur adversariis civitatis Dei ad Babyloniam pertinentibus, de sua virtute præsumentibus, in se, non in Domino gloriantibus, ex quibus sunt etiam carnales Israelitæ, terrenæ Hierusalem cives terrigenæ, qui, ut dicit Apostolus (*Rom.* 10. 3.), *ignorantes Dei justitiam*, (id est quam dat Deus homini, qui solus est justus, atque justificans), *et suam volentes constituere*, id est velut a se sibi præparatam, non ab illo impertitam, *justitiæ Dei non sunt subjecti.* Utique, quia superbi de suo putantes, non de Dei, posse placere se Deo, qui *est Deus scientiarum*, atque ideo, et arbiter conscientiarum. Ibi videns *cogitationes hominum quia vanæ sunt* (*Psal.* 93. 11. 35). Si hominum

B sunt, et ab illo non sunt (*I. Rég.* 2. 3). *Et præparans*, inquit, *adinventiones suas.* Quas adinventiones putamus, nisi ut superbi cadant, et humiles surgant? Has quippe adinventiones exequitur, dicens. *Arcus potentium infirmatus est, et infirmi præcincti sunt virtute. Infirmatus est arcus*, id est intentio eorum, qui tam potentes sibi videntur, ut sine Dei dono, atque adjutorio, humana sufficientia, divina possint implere mandata. *Et præcinguntur virtute*, quorum interna vox est (*Psal.* 6. 3.), *Miserere mei, Domine: quoniam infirmus sum.*

« *Pleni panibus*, inquit, *minorati sunt, et esurientes transierunt terram.* Qui sunt intelligendi *pleni*

C *panibus*, nisi iidem ipsi quasi potentes: id est Israelitæ, quibus *credita sunt eloquia Dei* (*Rom.* 3. 2.)? Sed in eo populo, ancillæ filii *minorati sunt*, quod verbo minus latino, bene tamen expressum est: quod ex majoribus minores facti sunt, quia et ipsis panibus (id est divinis verbis, quæ Israelitæ soli tunc ex omnibus gentibus acceperunt) terrena sapiunt. Gentes autem, quibus lex illa non erat data, posteaquam per novum testamentum ad eloquia illa venerunt, multum esuriendo, terram transierunt, quia in eis non terrena, sed cœlestia sapuerunt. Et hæc velut quæreretur causa, cur factum sit.

« *Quia sterilis peperit septem, et multa in filiis infirmata est.* Hic totum, quod prophetabatur, eluxit agnoscentibus numerum septenarium, quo est uni-

D versæ Ecclesiæ significata perfectio. Propter quod, et Joannes Apostolus ad septem scribit Ecclesias, (*Apocal.* 2. 4.) eo modo se ostendens ad unius plenitudinem scribere. Et in proverbiis Salomonis hoc antea præfigurans Sapientia (*Prov.* 9. 1.) *ædificavit sibi domum, et suffulsit sibi columnas septem.* Sterilis enim erat in omnibus gentibus Dei civitas, antequam iste fetus, quem cernimus, oriretur. Cernimus etiam, quæ *multa in filiis erat*, nunc infirmatam

[a] Hæc quæ sequuntur omnia exscripta sunt ex capite 4 libri XVII *de Civitate*: quod non dissimulat Claudius deinceps.

[b] *Ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* v. 8.

[c] II. Timoth. 2. 9. in Augustino edito a PP. S. Mauri additur: *nec in præconibus alligatis.*

[d] In Codice *inquid*, et hic, et paulo post. Alibi adverti litteras *t* et *d* in antiquis codicibus sæpe permutari, adeo ut legatur inquid, capud, ed: et contra *set*, *Davit*, etc. Vide adnotationem nonam in S. Antipatri sermonem.

[e] I. Reg. 2. 2. Sed cum aliquo discrimine, quod fit etiam deinceps.

Hierusalem terrenam, quoniam quicunque filii liberæ in ea erant; virtus ejus erat. Nunc vero ibi quoniam littera est, et spiritus non est, amissa virtute *infirmata est.*

(V. 6.) « *Dominus mortificat, et vivificat, deducit ad inferos, et reducit.* Mortificavit illam, quæ multa *erat in filiis*, et vivificavit hanc sterilem, quæ peperit *septem*; quamvis commodius possit intelligi, eosdem vivificare, quos mortificaverat : id enim velut addendo repetivit : *Deducit ad inferos, et reducit.* Quibus enim dicit Apostolus (*Coloss.* 3. 1.) : *si mortui estis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens;* salubriter utique mortificantur a Domino. Quibus adjungit (*Ibi.* v. 2.) : *quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram :* ut ipsi sint illi, qui esurientes transierunt terram (v. 3.) *Mortui enim estis*, inquit. Ecce quomodo salubriter mortificat Deus. Deinde sequitur: (*Ibi.*) *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Ecce quomodo eosdem ipsos vivificat Deus. Sed nunquid eosdem ipsos deduxit ad inferos, et reduxit? Hoc utrumque sine controversia fidelium, in illo potius videmus impletum, capite scilicet nostro : cum quo *vitam nostram* in Deo, Apostolus dixit *absconditam.* Nam qui (*Rom.* 8. 32.) *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,* isto modo utique mortificavit eum : et quia resuscitavit eum a mortuis, eumdem rursum vivificavit. Et quia in prophetia vox ejus agnoscitur (*Psal.* 15. 10. *Act.* 2. 27.) : *non derelinques animam meam in inferno,* eumdem *deduxit ad inferos, et reduxit.* Hac ejus paupertate ditati sumus : *Dominus enim pauperes facit et ditat :* nam quid hoc sit, ut sciamus, quod sequitur, audiamus, *humiliat, et exaltat :* utique superbos humiliat, et humiles exaltat: Quod enim alibi legitur (*Jacob* 4. 6. *Prov.* 3. 34.) : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,* hæc totus habet sermo hujus Annæ; quæ interpretatur *gratia ejus.* Jam vero quod adjungitur : *suscitat a terra pauperem :* de nullo melius, quam de illo intelligo, qui propter nos pauper factus est, cum dives esset, ut ejus paupertate, sicut paulo ante dictum est, ditaremur. Ipsum enim de terra suscitavit tam cito, ut caro ejus non videret corruptionem : nec

A illud ab illo alienabo, quod additum est : *Et de stercore erigit inopem.* Inops quippe id est, ac pauper : stercus vero, unde erectus est, rectissime intelliguntur persecutores Judæi, in quorum numero cum se dixisset Apostolus: *Ecclesiam persecutus sum* (*I. Cor.* 15. 9. *Phil.* 3. 6.) : *quæ mihi fuerunt*, inquit, *lucra* (*Ibi.* v. 8.), *hæc propter Christum damna esse duxi :* nec solum *detrimenta*, verum etiam *stercora* existimavi esse, *ut Christum lucrifacerem.* De terra suscitatus est ille supra omnes divites pauper, et de illo stercore erectus est supra omnes opulentos ille inops, ut sedeat cum potentibus populi, quibus ait (*Matth.* 19. 28.) : *sedebitis super duodecim sedes :* sed sedem gloriæ hæreditatem dans eis. Dixerant enim potentes illi (*Matth.* 19. 27.) : *Ecce nos reliquimus omnia, et*
B *secuti sumus te.* Hoc votum potentissimi voverant; sed unde hoc, eis nisi ab illo, de quo hic continuo dictum est [a]? *Dans votum vovendi :* alioquin ex illis essent potentibus, quorum *infirmatus est arcus.* Dans, inquit, *votum vovendi;* non enim Domino quisquam quidquam rectum voveret, nisi qui ab illo acciperet quod voveret (v. 8.). Sequitur : [b] *Et benedixit annos justi.* Ut cum illo scilicet sine fine vivat, cui dictum est (*Psal.* 101. 28.) : *Et anni tui non deficient :* ibi enim stant anni, hic autem transeunt, imo pereunt, ante enim quam veniant non sunt : cum autem venerint, non erunt, quia cum suo fine veniunt. Horum autem duorum, id est *dans votum vovendi, et benedixit annos justi,* unum est quod facimus, alterum quod sumimus, sed hoc alterum
C Deo largitore non sumitur, nisi cum ipso adjutore primum illud efficitur : quia (v. 9) *non in virtute sua potens est vir* (v. 10.). *Dominus infirmum facit adversarium suum*, illum scilicet, qui homini voventi invidet, et resistit, ne valeat implere quod vovit. Potest ex ambiguo græco intelligi : *et adversarium suum*. cum enim Dominus possidere nos cœperit, profecto adversarius, qui noster fuerat, ipsius fit, et vincetur a nobis, sed non viribus nostris, quia *non in virtute sua potens est vir. Dominus ergo infirmum faciet adversarium suum.*

[c] « *Dominus sanctus*, ut vincatur a sanctis, quos Dominus sanctorum efficit sanctos.

« Ac per [d] hæc [e] : *negligetur prudens in pruden-*

[a] Augustinus editus : *voventi :* sed locum Scripturæ, in quo hæc dicantur, PP. S. Mauri reticent.

[b] Sequitur hic Claudius cum August. Septuaginta interpretes, qui legunt : διδοὺς εὐχὴν τῷ εὐχομένῳ, καὶ εὐλόγησεν ἔτη δικαίου, *dans votum orandi, et benedixit anni justi.* Cur tam ab Hebraico et Vulgata dissentiant iidem Septuaginta, quærunt interpretes, ad quos lectorem allego : neque enim præsentis operis ea cura est.

[c] In interpretatione hujus versiculi plane sequitur Claudius cum Augustino versionem Septuaginta : Κύριος ἀσθενοποιήσει τὸν ἀντίδικον αὐτοῦ: Κύριος ἅγιος· id est *Dominus debilem* [seu infirmum] *facit adversarium suum : Dominus sanctus.*

[d] Euch. *hoc :* Augustinus editus a PP. S. Mauri *non glorietur hic*, et deinceps. Alia quoque hoc in loco exstant discrimina inter codicem nostrum, et editum Augustinum, et Eucher.

D [e] Hæc quæ Claudius, imo potius Augustinus, ex quo hæc scripsit Claudius, veluti ex Annæ cantico desumpta verba subjicit, neque in Hebræo, neque in plerisque Græcis codicibus habentur, ideoque neque in Complutensi, neque in aliis reliquis fere omnibus editionibus habentur; tamen in Bibliis Græcis ab Aldo editis exstant : ad hunc modum : Μὴ καυχάσθω ὁ φρόνιμος ἐν τῇ φρονήσει αὐτοῦ. Καὶ μὴ καυχάσθω ὁ δυνατὸς ἐν τῇ δυνάμει αὐτοῦ. Καὶ μὴ καυχάσθω ὁ πλούσιος ἐν τῷ πλούτῳ αὐτοῦ· ἀλλ' ἐν τούτῳ καυχάσθω ὁ καυχώμενος ἐν τῷ συνιεῖν καὶ γινώσκειν τὸν Κύριον καὶ ποιεῖν κρίμα καὶ δικαιοσύνην ἐν μέσῳ τῆς γῆς· quæ sic vertit Mingarellius noster : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur potens in potentia sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, si intelligit, et cognoscit Dominum; et si facit judicium, et justitiam in medio terræ.* Quibus recitatis hæc subjicit idem ille Mingarellius, quem allegavi : *quæ verba neque his*

*tia sua : et negligetur potens in potentia sua : et negligetur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur qui gloriatur : intelligere, et scire Dominum, et facere judicium, et justitiam in medio terræ.* Non parva ex parte intelligit, et scit Dominum, qui intelligit, et scit etiam hæc a Domino sibi dari, ut intelligat, et sciat Dominum. *Quid enim habes*, ait Apostolus (*I. Corin.* 4. 7.), *quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* id est : *quasi a te ipso tibi sit, unde gloriaris.* Facit autem judicium, et justitiam qui recte vivit. Recte autem vivit, qui obtemperat præcipienti Deo, *et finis præcepti* (*I. Timo.* 1. 5.), (id est ad quod refertur præceptum) *charitas est de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Porro ista *charitas* (sicut Joannes apostolus testatur) (*I. Joa.* 4. 7.) *ex Deo est.* Facere ergo judicium, et justitiam, ex Deo est. Sed quid est *in medio terræ*? Neque enim non debent facere judicium et justitiam, qui habitant in extremis terræ? Quis hæc dixerit? Cur ergo additum est *in medio terræ?* Quod si non adderetur, et tantummodo diceretur *facere judicium, et justitiam*, magnum hoc præceptum ad utrosque homines pertineret, et mediterraneos, et maritimos. Sed ne quisquam putaret post finem vitæ, quæ in hoc agitur corpore, superesse tempus, judicium, justitiamque faciendi, quam dum esset in carne non fecit, et sic divinum evadi posse judicium, *in medio terræ* mihi videtur dictum, cum quisque in corpore vivit. In hac quippe vita suam terram quisque circumfert, quam moriente homine recipit terra [a], consurgenti utique reddituræ. Proinde in *medio terræ*, id est cum anima nostra isto terreno clauditur corpore, faciendum est judicium, atque justitia, quod nobis prosit in posterum : *quando* (*II. Corin.* 5. 10.) *recipiet quisque secundum ea, quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum.* Per corpus quippe ibi dixit Apostolus, per tempus, quo vixit in corpore : neque enim si quis maligna mente, atque impia cogitatione blasphemet, neque id ullis membris corporis operetur, ideo non A erit reus, quia id non motu corporis gessit, cum hoc per illud tempus gesserit, quo gessit et corpus? Isto modo congruenter intelligi potest etiam illud, quod in Psalmo legitur (*Ps.* 73. 12.) : *Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.* Ut Dominus Jesus accipiatur Deus noster, qui est ante sæcula (*Joa.* 1. 3. et *Hebr.* 1. 2.), quia *per ipsum facta sunt sæcula*, operatus est *salutem in medio terræ*, cum (Joa. 1. 14.) *Verbum caro factum est*, [b] et terreno habitavit in corpore. Deinde posteaquam prophetatum est in his verbis Annæ, quomodo *gloriari debeat qui gloriatur*, non in se utique, sed in Domino : propter retributionem, quæ in die judicii futura est (v. 10.). *Dominus ascendit* (inquit) *in cœlos, et tonuit : ipse judicabit extrema terræ,* B *quia justus est.* Prorsus ordinem tenuit confessionis fidelium; ascendit enim in cœlum Dominus Jesus Christus, et inde venturus est ad vivos, et mortuos judicandos. *Nam quis ascendit* (sicut dicit Apostolus) (*Eph.* 4. 9. 10.) *nisi qui et descendit in inferiores partes terræ? Qui descendit ipse est, et qui ascendit super omnes cœlos ut adimpleret omnia.* Per nubes ergo suas tonuit, quia sancto Spiritu cum ascendisset, implevit : De quibus ancillæ Hierusalem, hoc est, ingratæ vineæ comminatus est apud Isaiam prophetam (v. 6.) *ne pluant super eam imbrem.* Sicut autem dictum est : ipse *judicabit extrema terræ,* ac si diceretur extrema hominis [c] : non enim alias partes non judicabit, qui omnes homines procul dubio judicabit. Sed melius intelliguntur C *extrema terræ* extrema hominis, quoniam non judicabuntur, quæ in melius, vel in deterius medio tempore commutantur [d], sed in quibus extremis inventus fuerit, qui judicabitur. Propter quod dictum est (*Matth.* 10. 22.). *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Qui ergo perseveranter facit judicium, et justitiam in medio terræ, non damnabitur, cum judicabuntur extrema terræ (v. 10.). *Et dat* (inquit) *virtutem regibus nostris : ut non eos judicando condemnet, dat eis virtutem, qua car-*

*Hebræum exemplar habet, et videntur ex Jeremiæ nono capite huc translata :* Et revera versiculis 23, et 24, capitis noni Jeremiæ hæc exstant : *Hæc dicit Dominus : non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur, qui gloriatur : scire, et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam in medio terræ.* Porro ex hoc Augustini, ideoque Eucherii, et Claudii loco manifesto liquet, jamdudum versiculos quos dixi, in Annæ Cantico legi, et Ecclesias recitare consuevisse. An ad hæc Paulus respicit; dum ait? *Qui gloriatur in Domino glorietur,* [*II. Cor.* 10. 17.] judicaverit lector.

[a] Additur in Augustino edito *communis :* deest in Eucherio.

[b] Locutio ista : *terreno habitavit in corpore*, si rigorose accipiatur, Catholicis merito displicebit : etenim non tantum terreno habitavit in corpore divinum Verbum, sed naturam humanam assumens, eamque sibi unitam, corpus etiam sibi hypostatice univit. Hoc de argumento copiose Theologi, qui etiam advertunt hanc, et hujus similes locutiones ante exortos Nestorii et Eutychetis errores non raro a Patribus procul dubio orthodoxis, et erroribus Nestorii et Eutychetis adversantibus, adhiberi.

[c] Augustinus editus : *extrema terræ*, sed male : neque enim explicaret, quod sibi explicandum proposuit Augustinus : emendandus est itaque locus D iste per Eucherium, et per codicem nostrum, et legendum *extrema hominis.*

[d] Hæc verba non sic accipias volo, ut postremas tantum actiones nostras judicet Dominus, de quo scriptum est : *Et scrutabor Hierusalem in lucernis* (*Soph.* 1. 12.) sed quod judicabit nos, ut invenerit, quum mors nos mundo abripiet : si enim Deus sibi gratos invenerit, nostrarum *iniquitatum non recordabitur* (*Isa.* 43. 25) *amplius :* Si vero sibi invisos, et lethali peccato præoccupatos invenerit : *justitia justi non liberabit eum in quacunque die peccaverit. Ezech.* 23. 12. quod alibi his verbis expressius inculcat : (*Ezech.* 18. 24) *Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem... nunquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur, in prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit : in ipsis morietur.*

nem, sicut reges, regant, et in illo mundum, qui A propter eos fudit sanguinem, vincant (*Ibi.*).

« *Et exaltavit cornu Christi sui.* Quomodo Christus exaltavit cornu Christi sui? De quo enim supra dictum est : *Dominus ascendit in cælos*, et intellectus est Dominus Christus, ipse, sicut hic dicitur, *exaltavit cornu Christi sui.* Quis ergo est Christus Christi? an cornu exaltabit uniuscujusque fidelis sui : sicut ista ipsa in principio hujus hymni ait : *exaltatum est cornu meum in Deo meo?* Omnes quippe unctos ejus chrismate recte Christos possumus dicere. Quod tamen totum cum suo capite corpus, unus est Christus. Hæc Anna prophetavit Samuelis mater, sancti viri, multumque laudati. In quo quidem tunc figurata est mutatio veteris sacerdotii, et nunc impleta quoniam infirmata est, quæ multa *in* B *filiis erat*, ut novum haberet in Christo sacerdotium *sterilis, quæ peperit septem.* Hoc canticum juxta septuaginta interpretum translationem inserere compulsi sumus [a], ut a beato Augustino expositum est ; pro eo quod in ipsa translatione ampliorem, et veriorem continet historiam [b]. »

« Interea (*Cap.* 2. *v.* 18.) *Samuel erat ministrans in templo Dei accinctus Ephot* (*Cap.* 1. 12. 13. *rursus* 17). Porro filii Heli divina sacrificia temerantes peccabant coram Domino; et deridebant per eos multi sacrificium Dei (*Ibi. v.* 27, *et subseq. et rursus cap.* 2. *v.* 11, *et subseq.*). Unde Heli sacerdos pro eorum iniquitate damnatus est (*Cap.* 2. 23., *et subseq.*), quod eos peccantes minus severa animadversione plectebat [c]. Et quidem coercuit, et qui- C dem corripuit, sed lenitate, et mansuetudine patris, non severitate, et auctoritate pontificis. Qua sententia discant sacerdotes quomodo propter filiorum vitam, (id est propter scelera populi) puniantur : quique etiam, quamvis sancti sint, culpa tamen subditorum, eisdem, si non coerceant, reputatur (*Cap.* 2. *v.* 27. etc.

« Sed hoc [d] evidentius ad ipsum Heli sacerdotem missus loquitur homo Dei, cujus quidem nomen tacetur, sed intelligitur officio, ministerioque suo, sine dubitatione esse propheta : Sic enim scriptum est [e] : *Venit autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum : hæc dicit Dominus. Nunquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum esset in Ægypto in domo Pharaonis, et elegi eum ex omni Israel mihi in sacer-* D *dotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret Ephod coram me? Et dedi Domui patris tui, omnia de sacrificiis filiorum Israel? Quare calce abjecistis victimam meam, et munera mea, quæ præcepi, ut offerrentur in templo, et magis honorasti filios tuos, quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel populi mei? propterea ait Dominus Deus Israel. Loquens locutus sum, ut domus tua, et domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus : absit a me hoc : sed quicunque glorificaverit me, glorificabo eum : qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua, et videbis Christum æmulum tuum, in templo in omnibus prosperis Israel, et non erit senex in domo tua in omnibus diebus. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo, sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua, et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit : hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis Ofni, et Finees. In die uno morientur ambo, et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, et animam meam faciat.*

« Non est ut dicatur ista prophetia, ubi sacerdotii veteris tanta manifestatione prænuntiata est mutatio, in Samuele fuisse completa : quanquam enim esset de alia tribu Samuel, quam quæ constituta fuerat a Domino, ut serviret altari, tamen non erat de filiis Aaron, cujus progenies fuerat deputata, unde fierent sacerdotes. Ac per hoc in ea quoque re gesta eadem mutatio, quæ per Christum Jesum futura fuerat, adumbrata est : et ad vetus testamentum proprie, figurate vero pertinebat ad novum : prophetia facti etiam ipsa, non verbi; id scilicet facto significans, quod verbo ad Heli sacerdotem dictum est per prophetam. Nam fuerunt postea sacerdotes ex genere Aaron : sicut Sadoch (*II. Reg.* 15. 24. etc .), et Abiathar (*I. Reg.* 20, *et* 22. *Rursus* 22. 6, *et* 9. 30, 7. *II. Reg.* 15. 24. etc.) regnante David, et alii deinceps antequam tempus veniret, quo ista, quæ de sacerdotio mutando tanto ante prædicta sunt, effici per Christum oportebat. Quis autem fideli nunc oculo hæc intuens non videat esse completa? Quoniam quidem nullum tabernaculum, nullum templum, nullum altare, nullum sacrificium, et ideo nec ullus sacerdos remansit Judæis, quibus, ut de semine Aaron ordinaretur, in Dei fuerat lege mandatum. Quod et hic commemoratum est, illo dicente propheta (*Cap.* 2. *v.* 30.). *Hæc dicit Dominus, Deus Israel* [f] : *Loquens locutus sum, ut domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in æternum. Nunc autem dicit Dominus : absit hoc a me : sed quicunque glorificaverit me, glorificabo eum. Qui autem contem-*

[a] Et Canticum ipsum, et expositionem ejus ab Augustino prolatam [quod jam dixi] habes Capite IV. Libri XVII. de Civitate, quod consulas velim : exscripsit enim Claudius ad magnam partem, quæ Augustinus loco hoc edocuit.

[b] Quæ sequuntur ad versiculi hujus interpretationem ex Isidoro [in locum hunc] desumpta sunt prorsus.

[c] Additur nescio cur : *me miserum.*

[d] Et versionem hanc, et illius interpretationem totam exscripsit Claudius ex Augustino : Vide, obsecro, Caput V. Libri XVI. de Civitate. Verba Augustini lineolis notavi, ut scilicet agnoscat lector, quantum ex Augustini profecerit Claudius.

[e] Ibi multum ab Augustini, quem Claudius exscribit, interpretatione differt ea, quam hic sequitur idem Claudius, et Vulgata fere est. An in amanuensem, an potius in Claudium ipsum id est referendum? Aliorum judicium exspecto.

[f] Num. 25. 12. 13. *Ecce do ei* [Phinees filio Eleazari] *pacem fœderis mei : et erit tam ipsi, quam semini ejus, pactum sacerdotii sempiternum.*

*nunt me, erunt ignobiles* [a]. Quod enim nominat domum patris ejus, non de proximo patre dicere, sed de illo Aaron, qui primus sacerdos est institutus, de cujus progenie cæteri sequentur, superiora demonstrant ubi ait (*Exo.* 4. 28. *v.* 1. etc.) : *Revelatus sum domui patris tui, cum esset in Ægypto in domo Pharaonis* (*Lev.* 21. 22. *num.* 3. 10), *et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem.* Quis pater fuit hujus in Ægyptia servitute, unde cum liberati essent, electus est ad sacerdotium, nisi Aaron? De hujus ergo stirpe, isto loco dixit futurum fuisse, ut non essent ulterius sacerdotes : quod jam videmus impletum. Vigilet fides, presto sunt res : cernuntur, tenentur, et videre nolentium oculis ingeruntur. (*Num.* 25. 13. etc.) *Ecce, inquit, dies veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus tuæ, ut non sit senex in domo tua, et videbis Christum æmulum tuum in templo in universis prosperis in Israel* [b]. Ecce dies, qui prænuntiati sunt, jam venerunt. Nullus sacerdos secundum ordinem Aaron : et quicunque ex ejus genere est homo, cum videt sacrificium Christianorum toto orbe pollere, sibi autem honorem illum esse subtractum, deficiunt oculi ejus, et defluit anima ejus tabe mœroris. Proprie autem ad hujus domum Heli, cui hæc dicebantur, quod sequitur, pertinet : (*v.* 33, *et* 34.) *Et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerint : hoc autem erit tibi signum, quod eventurum est duobus filiis tuis Ofni, et Finees : in die uno morientur ambo.* Hoc ergo signum factum est mutandi sacerdotii de domo hujus, quo signo significatum est, mutandum sacrificium [c] domus Aaron. Mors quippe filiorum hujus significavit mortem, non hominum, sed ipsius sacerdotii de filiis Aaron.

« Quod autem sequitur, ad illum etiam pertinet sacerdotem, cujus figuram gessit [d], huic succedendo Samuel. Proinde quæ sequuntur de Christo Jesu Novi Testamenti vero sacerdote dicuntur (*v.* 35). *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciat.*

[e] « Sub figura Samuelis, de Domino Salvatore summo videlicet, ac vero pontifice debet intelligi : [f] qui nimirum, sicut Samuel, defuncto Heli, successit in sacerdotium, non de stirpe Aaron, sed de alia Levi familia electus. Fuit enim [g] (ut jam supra meminimus) filius Helchana, filii Hieroboam, filii Helihel, filii Thau, filii [h] Sut, filii Helchana, filii Johel, filii Azariæ, filii Sophoniæ, filii A Thaat, filii Asir, filii Abiasaph, filii Chore, filii Isaar, filii Caath, filii Levi, filii Israel, ut verba dierum narrant. Ita mediator Dei, et hominum, ut esset nobis Pontifex, non de Levi, sed de alia utique tribu, id est Juda, carnis originem sumpsit : aliam, quam legalem hostiam, id est ipsam carnem suam obtulit patri pro nobis : alios, quam de genere Aaron pontificatus sui reliquit hæredes, filios videlicet gratiæ Novi Testamenti de universa gentium natione collectos. Quod vero, quasi humano more loquens, Deus dicit (*Ibid., idest v.* 35) : *qui juxta cor meum, et animam meam faciat,* de Samuele quidem recte potest accipi, quod in omnibus ejus voluntati sicut homo Deo paruerit, sed rectius [i] accipitur de Domino, ac Salvatore, quod B sicut Filius unigenitus [j] paternorum sit in omnibus conscius arcanorum : juxta quod de se ipse manifeste testatur, dicens (*Jo.* 8. 28) : *Et a me ipso facio nihil, sed sicut docuit me pater, hæc loquor. Et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper.*

[k] « In hoc vero quod ait Deus : *quia omnia quæ in corde meo, et quæ in anima mea sunt, faciet,* non arbitremur habere animam Deum, cum sit conditor animæ; sed ita de Deo tropice, non proprie dicitur, sicut manus, pes, et alia corporis membra : et ne secundum hoc credatur homo in carnis hujus effigie factus ad imaginem Dei, adduntur, et alæ, quas utique *non habet homo.* Et dicitur Deo (*Psal.* 16. C 8) : *sub umbra alarum tuarum protege me :* ut intelligant homines de illa ineffabili natura non propriis, sed translatis rerum vocabulis ista dici [l]. »

*Et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* « Ipsa est domus, quam ædificat pater, de qua Apostolus ait (*Hebr.* 3. 6.) : *quæ domus sumus nos, si fiduciam, et gloriam spei usque in finem firmam retineamus.* Et hæc domus *ambulabit coram Christo ejus,* ipso videlicet summo Pontifice. Ambulabit, dixit, id est conversabitur, sicut superius dixerat de domo Aaron (*v.* 30) : *Loquens locutus sum, ut domus tua, et domus patris tui ministraret in conspectu meo, usque in sempiternum.* Quod autem ait : *coram Christo meo ambulabit,* de ipsa domo utique intelligendum est, non de illo sa- D cerdote, qui est Christus ipse, mediator, atque Salvator. Domus ergo ejus coram illo ambulabit. Potest et *ambulabit* intelligi de morte ad vitam, omnibus diebus quibus peragitur usque in finem sæculi hujus

[a] Hæc quoque ex Vulgata desumpta sunt : contra Augustinus multo dissimilem interpretationem exhibet, quod et deinceps servatur.

[b] V. 31. Hoc in loco nec prorsus Vulgatam, nec Augustini interpretationem sequitur Claudius, sed aliam quampiam.

[c] Augustinus editus *sacerdotium*, sed eodem utraque vox spectat.

[d] Scilicet Heli.

[e] Hæc quæ hactenus notavi, in Augustino exstant. Quæ sequuntur perquire in quæstione I. Bedæ in libro 30. quæstionum in libros Regum.

[f] Editus *quod.*

[g] Parenthesis hæc in editis deest.

[h] Edit. *Suph.*

[i] Hæc verba addidi, ut sensum connecterem, qui alioquin deficit.

[j] In Codice legitur *patronorum*, per amanuensis erratum, ut equidem censeo. Beda habet *patris.*

[k] Rursus quæ sequuntur tradidit Augustinus num. 3. capitis 5. libri 17, *de Civit.*

[l] Hactenus Augustinus. Quæ sequuntur, iterum perquire in Beda [loco nuper allegato, id est quæstione 1, inter 30, nonnullis tamen immutatis, et additis, quæ Claudio ipsi tribuo].

ista mortalitas : alioquin quomodo de Samuele potest accipi, quod ædificata sit ei domus fidelis, quæ coram Christo Domini (id est, ipso Samuele) cunctis diebus incederet, cum legamus in sequentibus (*Cap.* 8. *v.* 3), quod filii illius (*adversi*) aversi de viis ejus, post avaritiam declinaverint, et perverterint judicium : nisi forte domum ejus hoc loco plebem Israeliticam intelligamus, quæ cunctis diebus sacerdotii ejus Domino servierit, de qua scriptum est (*Reg.* I. 7) : *Et requievit omnis Israel post Dominum.* Et paulo post (*Ibid. v.* 4) : *Abstulerunt filii Israel Baalim, et Astaroth, et servierunt Domino soli.* [a] Quod vero adjungitur : *Futurum est autem, ut quicunque remanserit in domo tua, veniat, ut oretur pro eo,* non proprie de domo dicitur hujus Heli, sed illius Aaron, de qua usque ad adventum Jesu Christi, homines remanserunt : de quo genere etiam nunc usque non desunt. Nam de illa domo Heli hujus, jam supra dictum erat [b] : *Et omnis qui superaverit domus tuæ, decidet in gladio virorum.* Quomodo ergo hic vere dici potuit, *et erit qui remanserit in domo tua, veniat, ut oretur pro eo?* Si illud est verum, quod ultore gladio nemo inde supererit, nisi quia illos intelligi voluit, qui pertinent ad stirpem illius totius sacerdotii secundum ordinem Aaron. Ergo si de illis est prædestinatis reliquiis, de quibus alius Propheta dixit (*Isa.* 10. 21 et 22. *Rom.* 9. 27), *reliquiæ salvæ fient,* unde et Apostolus : (*Rom.* 11. 5) *Sic ergo, et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt,* quia de talibus reliquiis bene intelligitur esse, de quo dictum est, *qui remanserit in domo tua :* profecto credit in Christum : sicut temporibus Apostolorum ex ipsa gente plurimi crediderunt (*Act.* 2. 41. etc.). Neque nunc desunt qui licet rarissime, tamen credant, et impletur in eo, quod hic iste homo Dei continuo secutus adjunxit [c] : *Et offerat nummum argenteum, et tortam panis, dicatque : dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.* Quid per nummum argenteum, nisi oris *confessio* designatur (*Rom.* 10. 10), *quæ fit credentibus ad salutem?* argentum enim pro eloquio poni solet : Psalmista testante, ubi canitur [d] : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Sed quid dicit iste qui venit ? *dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.* Sacerdotalem partem corpus Christi, id est Ecclesiam dicit ; cujus plebis ille sacerdos est, mediator Dei, et hominum, homo Christus Jesus ; cui plebi dicit Apostolus Petrus (*I Petr.* 2. 9) : *Plebs sancta, regale sacerdotium.* In hanc partem sacerdotalem

A postulat comedere buccellam panis, quibus verbis ipsum sacrificium christianorum eleganter expressum est, de quo dicit sacerdos ipse : (*Dabo*) *Panis, quem ego* (*Joa.* 6. 52) *dedero, caro mea est pro mundi vita.* Ipsum quippe est sacrificium non secundum ordinem Aaron (*Hebr.* 5. 6. *et* 7. 11. etc.), sed secundum ordinem Melchisedech. »

[e] *Factum est autem in die quodam, Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverunt, nec poterat videre lucernam Dei antequam exstingueretur.* In tabernaculo fœderis erat candelabrum, ubi a vespere usque mane (*Exod.* 27. 20. 21. *Lev.* 24. 3. 8), summo Pontifice lucernas vespere concinnante, jugiter extra velum præparatæ lucebant, Dominus ut jusserat (*Ibid.*). Isto Pontifice intrante in tabernaculo,
B jam grandæva senectute confecto, oculi ejus in tantum caligaverant, ut nec incensam lucernam potuisset aspicere, quanto magis exstinctam? Figuraliter vero lucerna Dei Heli fuerat, quando dignitate sacerdotali pollens justitiæ claritate fulgebat. Quam exstinctam Propheta asserit, dum ob scelera filiorum, sacerdotii potestatem, meritorumque lumen amisit.

(*Cap.* 3. 19.) « *Crevit* [f] *autem Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.* Significat quia nihil ex his, quæ locutus est, irritum fuit, sed omnia sicut rebus impleta quæ dixit. Cadunt namque in terram verba supervacua, quæ pro nihilo habenda, et universorum sunt calcanda despectu, sicut et beatus Job dixit (*Job.* 29. 24) : *et lux vultus mei non cadebat in terram ;* quia
C nimirum in tanta gravitate vultum (*tenere*) retinere consueverat, ut nunquam contemptibili lætitia resolveretur. Sed quotiescunque hilariorem se præsentibus exhiberet, certam semper ob causam utilitatis eorum (*faceret*) ageret.

« Igitur [g] postquam hæc in figura mutationis Veteris Testamenti a Propheta illo prænuntiata sunt ad Heli : offendente Israel Dominum, [h] *instruxerunt aciem Philistæi contra eos,* etc. Tollunt autem Israelitæ arcam ad (*tuitionem*) stationem suam : capta est ab hostibus arca, ipsique non solum victi sunt et in fugam versi, imo etiam magna strages facta est occisorum. (*Nonnihil*) Nonnulla tamen futurorum significat res gesta hæc. In (*prophetice*) pro-
D phetia enim arca illa ab alienigenis capta indicabat testamentum Dei transiturum ad gentes. Quando enim nuntiatum est Heli sacerdoti captam fuisse arcam Domini, cecidit de sella, et mortuus est (*Cap.* 4. 16. 17. 18). Transeunte arca Domini ad gentes, [i] periit, atque interiit sacerdotium Judæorum. (*Cap.* 5) Duo quoque filii corruerunt, unius uxor

[a] *Cap.* 1. *v.* 36. Hic iterum exscribitur Augustinus, sed interpretatione scripturæ multum diversa.

[b] Hic allegatur versio ex Augustino.

[c] Cap. 2. 36. Hæc quæ sequuntur ex Augustino, magnam ad partem, exscripta sunt, sed non prorsus. Prorsus tamen ea habet Isidorus, cap. 2. in lib. I Regum, quem proinde plane hic exscribit Claudius.

[d] Psalm. 11, 7. Diversitas nonnulla hic est, editum inter et nostrum Codicem.

[e] I Reg. 3. 2. Sed cum aliquo discrimine, quod et habent aliæ editiones. Vide Calmet in locum hunc.

[f] Explicatio hujus loci ex quæstione II Bedæ tota desumpta est.

[g] Subsequentia porro notata lineolis ab Isidoro [cap. 3. I Reg.] edocemur.

[h] Cap. 4. v. 2 et subseq.

[i] Verba hæc *periit,* atque *interiit sacerdotium Judæorum,* non sic accipias velim, ut revera tum perierit ; nam revera Abiathar et Sadoch, paucis elapsis

viduata : et (*v.* 11) mox in partu mortua est (*v.* 20), propter eamdem perturbationem. Quod evidenti signo præfiguratum est, post exstinctum sacerdotium Judæorum, carnalem interiisse Synagogam illi carnaliter adhærentem, prostratoque Heli de sella, [a] pontifices Judæorum sedem habuere vacuam, et gloriam sacerdotii, regnique exstinctam.

(*Cap.* 5. *v.* 2 *et seq.*) « Sed quid est, quod dum posuissent Philistiim arcam Domini in templo Dagonis Dei sui, intraverunt templum, et invenerunt Deum suum prostratum, atque confractum, caput vero ejus, duasque manus abscissas? Statim enim ut testamentum Domini pervenit in (*gentibus*) gentes, confestim idola, quæ deceptum possidebant orbem, destructa sunt, omnisque error simulacrorum corruit, præsentiam Dei ferre non sustinens. Nam in manibus Dagon præcisis, opus idololatriæ [b] amputabatur. Et in capite ejus superbia diaboli abscissa (*significabatur*) significatur, a quo initium peccati fuit. Quod vero in limine, ut certum scilicet, præfinitumque suæ idololatriæ finem (*agnoscere*) agnoscerent : limes enim fines itineris significat. Etiam illud ad magnam pertinet significationem, in ipsa ruina Dagon Dei sui, atque fractura, quod dorsum illius solum invenerunt, (*v.* 5) fractis ejus omnibus membris : dorsum quippe fugam significat. Quicunque enim fugiunt, persequentibus dorsum dant. Unde et scriptum est de hostibus (*Psal.* 20. 13) : *quoniam pones eos dorsum.* Ubi enim sunt idola? perierunt. Et si aliqua remanent, ab aliquibus absconduntur, et fugerunt. (*V.* 6 *et Psal.* 77. 66) Quod autem *percussi sunt in posteriora* ii, qui arcam Dei captivaverunt, hoc pœnæ signum videtur : quia, si qui susceperint (*susceperunt : dilexerunt*) testamentum, et posteriora vitæ dilexerint, ex ipsis justissime cruciabuntur, quæ sicut Apostolus ait, (*Phil.* 3. 8) existimare debuerant *sicut stercora :* qui enim sic assumunt testamentum divinum, ut posteriora respicientes, veteri se vanitate non exuant, similes sunt hostibus illis, qui arcam testamenti captivam juxta idola sua posuerunt. Et (*illa*) alia quidem vetera etiam nolentibus cadunt : *quia* (*Isa.* 40. 6) *omnis caro fenum, et claritas hominis, ut flos feni, aruit fenum, et flos decidit :* arca autem Domini *manet in æternum :* secretum scilicet testamentum, regnum cœlorum, ubi est æternum *verbum Dei.* »

(6. 1. etc.) Cum vero de terra Philistiim arca Domini ad terram Israelitarum rediret, (*v.* 7 *et subseq.*) plaustro superposita est, et vaccæ plaustro subjunctæ sunt, quæ fetæ fuisse memorantur ; (*v.* 10) quarum filios clauserunt domi, ut scriptum est. (*v.* 12) *Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames : uno itinere gradiebantur pergentes, et mugientes, et non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram.* [c] « Quid igitur vaccæ, nisi fideles quosque in Ecclesia [d] significant, qui dum sacri eloquii præcepta considerant, quasi superimpositam Domini arcam portant? de quibus hoc est etiam notandum, quod fuisse fetæ memorantur : quia sunt plerique, qui in via Dei intrinsecus positi, foris carnalibus affectibus ligantur : sed non declinant a recto itinere [e] qui arcam Dei portant in mente. Ecce enim vaccæ Bethsamis pergunt. Bethsamis quippe dicitur *Domus solis.* Et propheta ait (*Malach.* 4. 2) : *Vobis autem, qui timetis Deum, orietur sol justitiæ.* Si igitur ad æterni solis habitationem tendimus, dignum profecto est, ut de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Tota enim virtute pensandum est, quod vaccæ Dei plaustro suppositæ pergunt, et dant ab intimis mugitus, et tamen de itinere non detorquent gressus : [f] amorem quidem per compassionem sentiunt. Sed colla posterius non deflectunt. Sic nimirum prædicatores Dei, sic fideles quique intra sanctam Ecclesiam agere debent, ut et compatiantur proximis per charitatem, et tamen de via Dei non exorbitent per compassionem. Arca quippe superposita Bethsames pergere est, cum superna scientia ad internæ lucis habitaculum propinquare : sed tunc vere Bethsames tendimus, cum viam rectitudinis gradientes, ad vicina erroris latera, nec pro affectu pignorum declinamus. Sic namque sic necesse est, ut incedere debeant, qui sacrilegiis suppositi jam per internam scientiam, Domini arcam portant, quatenus per hoc quod propinquorum necessitatibus condolent, accepto rectitudinis itinere non declinent. Quorum nimirum gratia mentem nostram tenere debet, sed reflectere non debet, ne hæc eadem mens, aut si affectu non tangitur, dura sit, aut tacta, plus, si inflectitur, remissa. »

[g] *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini : percussit autem de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis.* « Populus, et plebs pro una eademque re indifferenter accipitur. Nam ex uno Græco quod est λαός solet utrumque transferri. Sed in hoc videtur esse distantia, quod in priore commate versiculi additum est *viros. Viros* enim majores natu significat, ut sit sensus, quia de optimatibus populi septuaginta sunt percussi, de ipsa turba vulgari homines quinquaginta

annis, sacerdotes recensentur : sed quod superstite tantummodo filio puellulo, ideoque impote sacerdotii munere fungi, sacerdotis partes impleverit Samuel, qui propterea solemnia sacrificia etiam obtulit. I Reg. 7. 6. 10. 9. 12. 16. 2, etc.

[a] *Pontificis*, præstat nostra lectio.

[b] Amputatum. In Eucherio edito nonnulla desunt.

[c] Hæc omnia quæ sequuntur excepit noster Claudius a Gregorio Magno, qui ea attingit, numero 42 libri VII Moralium in Job : sed expressissima habet num. 5 homiliæ 37 in Evangelia : hæc propterea, ut a verbis Claudii secernat lector, lineolis distinxi.

[d] *Editi :* designent.

[e] *Editi :* qui.

[f] Subsequentia partim ex homilia 37 in Evangelia, partim ex libro VII Moralium S. Gregorii desumpta sunt. Ea cum editis comparet, quæso, lector.

[g] Cap. 6. 19. Beda hujus loci explicationem a Claudio traditam docet : capite scilicet 3 quæstionum in libros Regum.

millia. Quod ne pateretur, in Exodo (*Exod.* 2) *populus a longe stabat, et orabat, solusque Moises ascendit ad Dominum* [a]. Isti ab hoc percussi, quia non solum appropinquaverunt, sed etiam (ut alia refert translatio) *despexerunt*, quod rationi plus congruum est: nam in Exodo viderunt, et audierunt, et perspicua divinæ potentiæ inspexerunt, nec perierunt. Et ideo isti non de visione, sed de despectione, et temeritate mulctati sunt [b]. »

(*Cap.* 7. 2.) *Et factum est ex qua die mansit arca in Cariathiarim, multiplicati sunt dies. Erat quippe annus vicesimus, et requievit omnis domus Israel post Dominum.* [c] « Non ita intelligendum est quasi viginti anni, quibus arca (*maneret*) manserit in Cariathiarim, ad octavum usque annum regni David, quando eam congregata populi frequentia adduxit in Hierusalem (*II Reg.* 6), sint computandi. Invenitur namque in sequentibus, (*I Reg.* 14. 8), quod temporibus Saulis fuit [d] delata de hac civitate, et allata in castra, pugnante eo adversus Philistæos » : sic etenim scriptum est : (*Ibid.*) *Et ait Saul ad Achiam : applica arcam Dei : erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israelis.* Et quia constat (*II Reg.* 7) quod David eam in Hierusalem adduxerit, [e] tultam de domo Aminadab, in quam tunc illatam esse perhibetur, [f] restat intelligi, quod in diebus Saulis relata de castris, et in præfatam sit illata civitatem; unde denuo regnante David affertur in Hierusalem. « Est ergo sensus memoratæ sententiæ, quia ex quo mansit arca in Cariathiarim, erat annus vicesimus, cum eam inde transferri temporibus Saul causa belli contingeret : vel certe vicesimus erat annus, cum adhuc omnis domus Israelis requievit

A post Dominum, abjectis videlicet idolis, illi soli serviens; quod eam fecisse toto tempore præsulatus Samuelis, [g] qui Josepho teste duodecim annis completus est, et primo tempore regni Saul, quod [h], eodem historico affirmante [i], viginti annis tenuit, nullus sanctæ historiæ curiosus ignorat. Namque postmodum (*I Reg.* 16. 14) cum recessisset a Saule spiritus Domini, et agitaret eum spiritus nequam, maxime (*Cap.* 18. 10. etc.) ad persequendum David innoxium et justum, necesse erat partem militiæ (*vel*) et plebis ejus nonnullam, malitiæ illius exstitisse complicem. » Cariathiarim ipsa est, quæ alio nomine Cariath Baal vocatur *civitas saltuum* (*Josue* 15. 60. *et* 18. 14) una de urbibus Gabaonitarum pertinens ad tribum Juda, euntibus ab Hierusalem Diospolim

B milliario nono. De hac fuit Urias propheta, quem interfecit Joachim in Hierusalem, sicut Hieremias scribit [j].

« Samuel autem post mortem Heli regebat Israelem. (*I Reg.* 7, etc.) Congregato autem omni populo exclamavit ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum, (*v.* 7 *et seq.*) et cum offerret holocaustum; accedentibus alienigenis ad pugnam contra populum Dei, intonuit Dominus super eos, et confusi sunt. Et ceciderunt coram Israel, atque superati sunt. (*V.* 12) *Tunc assumpsit Samuel lapidem unum, et posuit eum inter Masphat et Siceleg.* [k] Et ut interpretes septuaginta transtulerunt : *inter Masphat novam et veterem. Vocavitque nomen ejus, lapis adjutorii, et dixit : usque adhuc auxiliatus est nobis Deus.*

C Masphat interpretatur *intentio* : Lapis ille adjutorii, medietas est Salvatoris; per (*quem*) quam transeundum est a Masphat vetere ad novam, id est ab inten-

[a] Quæ adduntur, in Beda non inveni.

[b] Interpretes, quos Claudius indicat, plane ignoro. Novi equidem qui verterint : dispexissent : id est curiose, et minute eam intuiti sunt; aut si vis scrutati sunt, quæ in arca posita erant : favere autem huic interpretationi videntur hebraica ipsa verba לראות וישכוד quæ reddi commode possunt : *eo quod vidissent in arca Domini.* Sed quis nesciat ipsamet hebraica verba verti etiam cum laude posse, uti revera vertit Vulgata : *eo quod vidissent arcam*? An quinquaginta millia plebis [nullo scilicet reprimente] perscrutari commode potuissent quidquid in arca positum erat, et circumstantium oculos delitescebat? Interpretes porro valde probabiles causas afferunt, cur Deus Betsamitas libere arcam intuentes morte

D punierit. Quod si liberum hunc intuitum irreverentiam quamdam, ideoque interpretativum contemptum esse quisquam velit despectionem, et temeritatem, quam hic commemorat Claudius, admittere id utique possumus.

[c] Rursus hæc repete ex Beda num. 4.

[d] *Ablatus*. Præstat nostra lectio.

[e] Nisi in errantem amanuensem hanc vocem referas [nam editus Bedæ locus habet : *tulitque*]. Vox hæc ex iis erit, quæ a latinitate declinantes, vulgares linguas, aut efformarunt, aut auxerunt. Itali *tolto* et *tolta* dicunt, quod Latini *ablatum* et *ablatam*.

[f] Antea etiam in ædibus Abinadam in Gabaa fuisse positam discimus ex capite 8 libri I Reg.

[g] Josephus cap. 13 lib. VI *Antiquitatum* [n. 9.] hæc in editione Havercampii habet. *Sub hoc, et Samuelus propheta vita decessit... imperavit, populoque præfuit solus quidem post mortem Heli pontificis annis duodecim, cum Saulo vero rege duodeviginti.*

[h] *Equidem historia* : male utique.

[i] Cap. 14 seu postremo ejusdem libri VI Josephi [n. 9] : hæc in editione ejusdem Havercampi leguntur. *Hunc Saulus finem habuit... Regnavit autem vivente Samuelo annis octodecim : post mortem vero ejus annis duobus et viginti.* Quem tamen Josephi locum ita Petrus Comestor explicat, ut simul juncti anni, quibus Saul regnavit, viginti efficiant; ut noster scriptor habet. *Et regnavit Saul vivente Samuele 18 annis*, et eo *mortuo duobus annis.* Citat autem Havercampus Clementem et Eutychium, Alexandrinos Josephi sectatores, qui viginti ipsos regni annos Sauli tribuunt : atque hæc quidem opinio Claudii nostri auctoritate repugnante Zonara, qui hæc tradit [in fine ipso libri primi Annalium] : *Regnavit Saul superstite adhuc Samuele, annos octodecim : eo defuncto, viginti duos.* Confirmari rectissime potest : atque idipsum docet vetusta ea Josephi interpretatio, quæ Rufino tribuitur : hæc enim habet : *Regnavit itaque Saul, Samuel vivente, annis decem et octo : moriente autem alios duos.* Vide tamen, obsecro, interpretes ad duos hosce Scripturæ locos I Reg. 13. 1. *Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset, et duobus annis regnavit.* Et Acto. 13. 21. *Dedit illis Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin annis quadraginta.*

[j] 26. 20. 21. Hæc tradidit Isidorus cap. 4 in lib. I Reg.

[k] Vulgata : *inter Sen*; Alii *Dentem*; editus Beda *In Sichilech*.

tione, quæ exspectabatur in carnali regno, quod erat beatitudo falsa, ad intentionem, quæ per novum testamentum exspectatur in regno cœlorum, ubi est beatitudo verissima [a] : quia (*qua*), quoniam nihil est melius, usque huc auxiliatur Deus (*Cap.* 12. 17 *et* 18). Iste Samuel invocavit nomen Domini, et exaudivit eum Deus, et in tempore messis pluviam impetravit. Pluvia enim in sanctis Scripturis verba sunt Evangelii, sive legis, sicut Moises dicit [b] : *Exspectetur sicut pluvia eloquium meum; et descendant sicut ros verba mea.* Hanc igitur pluviam dedit mundo Christus in tempore messis, id est quando gentes colligi oportebat : (*ut*) unde (*Matth.* 3. 12) sicut frumentum in horreis, sic inter Ecclesiæ sinum congregentur.

[c] « *Judicavit autem Samuel Israel omnibus diebus vitæ suæ*, fueruntque usque ad eum judices et principes super Israel. (VIII, 3) *Porro filii Samuel declinaverunt post avaritiam, et accipiebant munera* (*v.* 4 *et subseq.*) : et tam iniqui judices exstiterunt, ut populus nequaquam ferens, regem sibi in similitudinem cæterarum gentium postularet. Quibus dedit Dominus Saul regem : » (*Cap.* IX *et* X) qui cum quæreret asinas patris sui, et veniret ad Samuel in Ramatha, inter cætera, quæ locuti sunt simul, prædixit ei signa Samuel, quæ ventura erant ei eo die, cum recederet ab eo.

(*Cap.* X, *v.* 5 *et* 10.) Cumque ab illo recessisset, *venit ad collem Domini, ubi erat statio Philistinorum.* Jam primum signum peractum, sicut locutus fuerat homo Dei : *et ecce cuneus Prophetarum obvius ei; et insiluit super eum spiritus Dei, et prophetavit in medio eorum.* (*V.* 11, etc.) *Videntes autem omnes, qui noverant eum heri, et nudius tertius, quod esset cum prophetis, et prophetaret, dixerunt ad invicem : Quænam res accidit filio Cis? Num et Saul in Prophetis?* [d] « Et hoc quidem non puto habere aliquid quæstionis : (*Jo.* III, 8) *Spiritus enim, ubi vult, spirat.* Et spiritum prophetiæ nullarum animarum potest maculare contactus, (*Sap.* VII, 24) *attingit* enim *ubique propter suam munditiam* ; afficit autem omnes non eodem modo, sed alios per informationem spiritus eorumdem hominum, ubi rerum demonstrantur imagines; alios per fructum mentis ad intelligentiam, alios utraque inspiratione, alios autem nescientes. Per informationem spiritus, duobus modis, aut per somnia, sicut non solum plerique sancti, sed et (*Gen.* XLV, 2) Pharao, et (*Dan.* II, 1, *et* IV, 1) Nabuchodonosor rex vidit, quod nemo eorum intelligere valuit, sed tamen videre utique potuerant : aut demonstratione in extasi, quod Latini nonnulli [e] *pavorem* interpretantur. Mirum si proprie, sed vicine : tamen cum fit mentis alienatio a sensibus, ut spiritus hominis divino spiritu assumptus, capiendis atque intuendis imaginibus vacet, sicut Danieli demonstratum est quod non intelligebat, et Petro illud vas summissum est de cœlo quatuor lineis : [f] nam et ipse, quid illa demonstratio figuraret, postea cognovit. Per fructum autem mentis ad intelligentiam uno modo cum hæc ipsa, quæ demonstrantur in imaginibus, quid significent, et quo pertineant [g], revelantur, quæ certior prophetia est. Nam magis ipsam vocat Apostolus (*I Cor.* III, 2) *prophetiam*, sicut Joseph meruit intelligere, quod Pharao nonnisi videre ; et Daniel exponit regi, quod ille cernit et nescit. Cum vero ita mens afficitur, ut non rerum imagines conjecturali examinatione intelligat, sed res ipsas intueatur, sicut intelligitur sapientia, et justitia, omnisque incommutabilis, et divina species, ad prophetiam, de qua nunc agimus, non pertinet. Utroque autem munere prophetiæ donanturii, qui et rerum imagines in spiritu vident, et quid valeant, simul intelligunt, aut certe manifestis locutionibus in ipsa demonstratione informantur, sicut in Apocalypsi quædam exponuntur. Nescientes autem afficit prophetiæ spiritus, sicut (*Jo.* XI, 49) Caiphas cum *esset pontifex prophetavit* de Domino, *quod expediret unum mori pro tota gente*, cum aliud in verbis quæ dicebat, attenderet, quæ non se a seipso dicere nesciebat. Abundant in sanctis libris exempla. [h] Hoc autem verbo, quod positum est, *insiluit in eum spiritus*, tanquam ex abdito divinitatis secreto, repentinus significatur afflatus. Horum igitur modorum, quonam potius affectum esse intelligamus Saul, satis apparet ex eo quod ibi scriptum est : (*I Reg.* X, 9) *Convertit Deus in Saul cor aliud.* Sic enim aliam cordis significat affectionem, quam convertendo fecit Deus, ut imaginum significantium, et præfigurantium capax fieret ad propheticam divinationem. [i] Quantum autem distat prophetia Saul a prophetis? tantum distat inter prophetiam prophetarum, sicut Isaias, sicut Jeremias, et cæteri hujusmodi fuerunt, atque istam transitoriam, quæ in Saul apparuit, quantum distat inter loquelam humanam cum loquuntur homines, et cum eadem loquela propter necessarium prodigium asina locuta est, (*Num.* XX, 28) in qua sedebat Baalam propheta : accepit enim hoc ad tempus illud jumentum, ut Deus quod statuerat, demonstraret : unde non habitu perpetuo inter homines bestia loqueretur : aut si hoc exemplum majore differentia remotum est, multo minus mirandum est homini reprobo datam fuisse ad momentum temporis, affectu transitorio prophetiam, quoniam ille dederat, qui et asinam, cum voluit, loqui fecit. Magis enim di-

[a] Additur *spiritualis*.
[b] Deu. 32, 11, *fluat ut ros eloquium meum* ; quasi *imber super herbam*, etc.
[c] 7. 15. Prosequitur Beda.
[d] Hæc, quæ sequuntur, desumpsit Claudius ex Augustino libro II Quæstionum ad Simplicianum, quæstione ipsa prima hæc tradente.
[e] Augustinus editus a P. P. S. Mauri, *stuporem*.
[f] Acto. 10. 11. sed Vulgata legit *initiis*.
[g] Augustinus editus : *revelatur*, sed nostri Codicis lectionem præfero.
[h] Hic alia interserit Augustinus, quæ Claudius præterit.
[i] Verba hæc : *quantum distat prophetia Saul a prophetis* : in edito Augustini libro non exstant.

stat pecus ab homine, quam homo reprobus ab electis etiam hominibus; non enim si quisquam dixerit aliquid, quod ad sapientiam pertinet, continuo sapiens existimandus est. Sic nec quisquam si aliquando prophetaverit, jam inter prophetas numerabitur, cum et Dominus (*Matth.* XIII, 20) in Evangelio dicat: quosdam cum gaudio verbum excipere, et radicis altitudinem non habere, sed esse temporales. Ideoque, sicut consequens indicat lectio, factum est in parabolam: (*I Reg.* X, 12) *et Saul inter prophetas.* Hoc igitur mirari desinamus, cum in hominibus apparet divinitus aliquid, quorum vel meritum, vel habitum excedit, cum forte vult Deus cujusdam significationis gratia tale aliquid demonstrari. Si autem hoc movet, quod postea Saul malo spiritu invadente præfocabatur, (*I Reg.* XVI, 14) qui prophetiæ spiritum prius acceperat, neque hoc mirandum est. Illud enim factum est ex dispensatione aliquid significandi, hoc est ex merito judicandi. Nec movere nos debent hæc alternantia in animo humano, hoc est in creatura mutabili, præsertim eodem tempore, quo caro corruptibilis, mortalisque portatur. Aut non videmus in ipso Petro, quantum indicat Evangelium, exstitisse tantam confessionem, ut audire meruerit, (*Matth.* XVI, 17) *Beatus es Simon Barjona, quia non tibi revelavit caro et sanguis, sed pater meus, qui in cœlis est?* Et paulo post (*Ibid.* 23) tam carnaliter eum de Domini passione sensisse, ut statim audiret: *Vade post me, Satana, scandalum mihi es, non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Et fortasse aliquanto interius intelligentibus tantum valet ad visa illa mentis, hæc differentia, qua Petrus primo intellexit, Deo patre revelante, quod *filius Dei esset Christus*, et postea, ne moreretur, extimuit, quantum valet ad distinguenda visa, quæ in spiritu hominis alienata mente imaginarie fiunt, revelatio prophetiæ, qua primo afflatus est Saul, et commixtio *spiritus mali, quo postea premebatur* [a].

« Ungitur post hoc jubente Domino rex prior a Propheta in regnum, qui et ipse quidem, in id quod unctus est, imaginem Christi portavit: unde et Beatus David, et ipse *Christus* nuncupatus, ait ad eum, qui se finxerat Saulem occidisse; (*II Reg.* I, 14) *quomodo non timuisti injicere manum tuam in Christum Domini?* (*I Reg.* IX, 2) hinc est, *quod ab humero sursum supereminebat omnibus*; quia caput nostrum sursum est super nos, qui est Christus: in id autem quod reprobatus postea, et rejectus est, succedente in regnum David, populi, ut prædictum est, Israel personam gestavit: qui populus regnum adeptum fuerat amissurus, Christo Domino nostro per novum testamentum non carnaliter, sed spiritualiter regnaturo. »

*Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset: duobus autem annis regnavit super Israel.* Uno anno postquam rex electus est a Samuele, in domestica domo sedens dissimulavit se esse regem: (*I Reg.* XIII, 1) reliquis duobus annis publice judicavit omnem Israel, tenens obedientiam cum humilitate: et hoc fuit illud tempus, antequam mandatum Domini transgrederetur in Amalech: reliquo vero tempore, quo vixit, et imperavit, transgressor mandati Domini exstitit. (*I Reg.* X, 26, *et cap.* XI) Post hoc exspectans Saul Samuelem in Galgala, videns quod tardaret, obtulit holocaustum, veniensque Samuel inter cætera ait ad Saul: (*I Reg.* XV *et* XVI) *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum: sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum, et præcepit ei Dominus, ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus.* Nec sic id accipiendum est, ac si ipsum Saulem Deus in æternum præparaverit regnaturum, et hoc postea noluerit servare peccanti: neque enim peccaturum nesciebat: sed præparaverit regnum ejus, in quo figura esset regni æterni. Ideo addidit: (*I Reg.* XIII, 13) *et nunc regnum tuum non stabit tibi.* Stetit ergo, et stabit quod in illo significatum est, sed non huic: quia non in æternum ipse fuerat regnatus, nec progenies ejus, ut saltim per posteros alterum alteri succedentes, videretur impleri, quod dictum est in æternum. (*I Reg.* II, 14) *Et quæret*, inquit, *sibi Dominus hominem, secundum cor suum*, sive David, sive ipsum mediatorem significans testamenti novi, qui præfigurabatur in chrismate etiam, quo unctus est ipse David, et progenies ejus. Non autem quasi nesciat ubi sit, ita sibi hominem Deus quærit, sed per hominem more hominum loquitur, quia sic loquendo nos quærit: non solum enim Deo Patri, verum ipsi quoque Unigenito ejus, qui venit quærere quod perierat, usque adeo jam eramus noti, ut in ipso essemus *electi ante mundi constitutionem.* Quæret sibi ergo dixit: *id est suum habebit.* Unde in latina lingua hoc verbum accipit præpositionem, et *adquiri* dicitur, quo satis apertum est quid significet, quanquam et, sine additamento præpositionis quærere intelligatur adquirere, ex quo lucra vocantur, et quæstus (*Eph.* I, 4).

[b] *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel. Caverant enim Philistiim, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam, et ne haberent fabros ferrarios, qui arma ad repugnandum facerent.* (*Cap.* XIII 19) « Ita Chaldæi destructa Hierusalem, et vastata omni terra promissionis satagerunt; [c] ut nullus in ea remaneret artifex, nullus clausor, qui vel fœdata urbis mœnia componere, vel posset resarcire dirupta. Quin potius quidquid apud gentem exterminatam artis invenerant, totum in Babyloniam transferunt, ut vel ad nihilum valeat ultra, vel illius

[a] Hactenus Augustini verba. Quæ sequuntur tradidit Isidorus cap. 5 in lib. I Reg.

[b] *Nec minor est virtus, quam quærere parta tueri*, inquit Ovidius.

[c] Docet sui sequentia Beda quæstione 30 in libros Regum.

civitatis utilitatibus proficiat. [a] Arma quibus contra diabolum repugnantes libertatem a Deo nobis donatam defendamus, quid sunt alia, nisi eloquia scripturarum, in quibus et ipsius Domini, et sanctorum ejus exemplis, quo ordine bella vitiorum superari debeant, luce clarius discimus? Sed Philistæi filios Israel fabris armorum privant, cum maligni spiritus animos fidelium a meditatione sacræ lectionis, sæcularia illis negotia inserendo, retardant, ne vel ipsi per hujus exercitium resistendi fiduciam sumant, vel alios forte qui legere nesciunt, ad resistendum vitiis, exhortando, aut corripiendo [b] accendant. Tollunt fabros armorum, cum eos, qui sacra eloquia norunt, in tantis sceleribus obruunt, ut dicere bona, quæ didicerant, prorsus erubescant.

[c] « Saul autem post hæc, dum pergeret dimicaturus adversus Philistiim, indixit [d] cuncto exercitui jejunium, quousque reverterentur a prælio. (*V.* 25 *et* 27) Sed Jonathan filius ejus videns super faciem agri mel, *extendit summitatem virgæ, et intinxit in favum mellis, et gustavit et illuminati sunt oculi ejus.* Non utique ad videndum illuminati, quia antea videbat, sed ad discernendum, quia vetita tetigerat. Tunc enim casus ille, sicut et Adam fecit illum attentum, reddiditque confusum. Quo facto ammonemur, omnes illecebras voluptatum in sæculo debere contemnere qui Deo nititur militare. Non enim potest contra allophilos spirituales, id est adversus principes tenebrarum, virilibus animis concurrere, qui adhuc hujus mundi negligit dulcedinem declinare. (*Prov.* v, 3) *Mel enim distillant labia meretricis*, quod est delectatio voluptatis carnalis, de quo putatur juxta mysticos intellectus hunc comedisse Jonathan, et sorte deprehensum vix precibus populi liberatum. »

(*I Reg.* xv, 7.) *Iniit autem Saul prælium adversus Amalech interfectisque cunctis hostibus ab Evila usque Sur.* Est una regio Evilath, quam circuit fluvius Phison (*Gen.* ii, 11) exiens de paradiso, quæ hodie India vocatur. Dicta autem Evilath a quodam nepote Noe. Est et alia Evila solitudo contra faciem Ægypti: hæc enim Evila, illa Evilath debet nuncupari. *Sur* quoque est solitudo inter Cades et Barath, extendens desertum usque ad mare Rubrum ex Ægypti confinio (*Gen.* xvi, 7).

(*Rursus* xx, 1; xxv, 18. *Exod.* xv, 22; *I Reg.* xxvii, 8.) Percusso hoc termino [e] « pepercit Agag regi, (*I Reg.* xv, 7) nec voluit disperdere omnia juxta præceptum Domini; irasciturque ei Dominus [f]. » *Factum est verbum Domini ad Samuelem dicens: pœnitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit;* (*v.* 10) neque enim sicut hominem, ita Deum cujusquam facti sui

A pœnitet, cujus est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia. Quomodo ergo pœnitet aliquid Dominum, in quo est omnis præscientia?

[g] « Nos vero cum hoc de Deo in divinis Scripturis audimus, indignum arbitramur hoc de illo sentire. Sed necesse est, ut aliquid dicatur, per quod hoc aliquo modo demonstretur. Cum vero verba omnia, quibus humana colloquia conseruntur, illius sempiterna virtus, et divinitas mirabiliter, atque incunctanter excedat, quidquid de illo humaniter dicitur, quod etiam hominibus aspernabile videatur, ipsa humana ammonetur infirmitas, etiam illa quæ congruenter in Scripturis sanctis de Deo dicta existimat, humanæ capacitati aptiora esse, quam divinæ sublimitati: Ac per hoc etiam ipsa esse transcenB denda: est saniori [h] intellectu, sicut ista qualiacumque transcendenda sunt. Quis est enim hominum, cui non occurrat in Deo cuncta præsciente pœnitentiam esse non posse? Et certe tamen hæc duo verba sunt, pœnitentia et præscientia, quorum quia unum congruere credimus Deo, id est præscientiam, negamus in eo esse pœnitentiam. Cum vero alius liquidiore consideratione ista pertractans, quæsierit quemadmodum vel ipsa præscientia Deo congruat, et invenerit hujus etiam verbi notionem illius ineffabili divinitate longe, lateque superari, non miratur utrumque de illo propter homines dici potuisse, de quo utrumque propter ipsum incongrue diceretur. Quid est enim præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia tempora superC greditur? Si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes: ac per hoc non jam præscientia, sed tantum scientia dici potest. Si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita et apud eum nondum sunt, quæ futura sunt; sed ea prævenit scientia, bis ergo ea sentit: uno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero vero secundum præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accidit scientiæ Dei, quod absurdissimum atque falsissimum est: nec enim potest quæ ventura prænoscit, nosse cum venerint, nisi bis innotescant, et prænoscendo, antequam sint, et cognoscendo cum jam sunt. Ita fit, ut (quod longe a veritate seclusum est) temporaliter aliquid accidat scientiæ Dei, cum temporalia, quæ præsciuntur, D etiam præsentia sentiuntur, quæ non sentiebantur ante quam fierent, sed tantummodo præsentiebantur. Si vero etiam cum venerint quæ præsciebantur esse ventura, nihil novi accidit scientiæ Dei: sed manebit illa præscientia, sicut erat etiam priusquam venirent, quæ præsciebantur, quomodo jam præscientia dicetur, quoniam non est rerum futurarum? jam

[a] Hic aliquid deest, quo a litterali ad allegoricum sensum transitus fiat, et uterque connectatur. In Beda multa alia sunt, quæque Lectori subjiciam, cum illustrabitur locus IV Reg. 24, 14. *Et transtulit omnem Hierusalem*, etc.

[b] *Accedant.* Præstat nostra lectio.

[c] Subsequentis loci explicationem habes in capite 6 Isidori in lib. i Regum.

[d] *Toto.* Præstat nostra lectio.

[e] Subsequentia tradit Isidorus cap. 7.

[f] Alia multa hic tradit Isidorus ad loci hujus explicationes, quæ nescio qua causa omittit Claudius.

[g] Ecce iterum scriptus a Claudio Augustinus: cujus quæstio 2. libri ii ad Simplicianum tota fere hic ponitur. Augustini verba pro more lineolis adnotantur.

[h] Codices allegati a P. P. S. Mauri *Sereniori*. Sed noster codex cum editis Augustini libris *Saniori*.

enim præsentia sunt, quæ futura cernebantur, et paulo post erunt præterita. Præteritarum autem rerum, sicut præsentium nullo modo potest dici præscientia. Reditur ergo ad id, ut fiat rebus jam præsentibus scientia, quæ iisdem rebus futuris erat præscientia, et cum ea, quæ præscientia erat prius, postea scientia fiat in Deo, admittit mutabilitatem, et temporalis est; cum sit Deus, qui vere summeque est, nec ulla ex parte mutabilis, nec ullo motu novitio temporalis. Placet igitur, ut non dicamus præscientiam Dei, sed tantummodo scientiam. Quæramus et hoc quomodo. Non enim scientiam solemus dicere in nobis, nisi cum sensa, et intellecta memoria retinemus, cum meminimus nos aliquid sensisse, vel intellexisse, ut id quod volumus, recolamus. Quod si ita in Deo est, ut possit proprie dici: B *Et intelligit, et intellexit: sentit, et sensit*, admittit tempus, et subrepit: nihilominus illa mutabilitas, quæ longe est a Dei substantia, removenda est. Et tamen et scit Deus, et præscit Deus ineffabili modo: sic eum et pœnitet ineffabili modo. Cum enim scientia Dei longe distet ab humana scientia, ita ut irridenda sit comparatio; utraque tamen scientia vocatur. Et hæc quidem humana talis est, ut de illa dicat Apostolus etiam: (*I Cor.* XIII, 8) *Scientia destruetur*, quod nullo modo certe de scientia Dei dici potest. Sic et ira hominis turbida est, et non sine cruciatu animi: ira vero Dei, de qua dicitur in Evangelio: (*Joan.* III, 36) *sed ira Dei manet super eum*. Et Apostolus: (*Rom.* III, 18) *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem*, illo in tranquillitate C jugiter manente, in creatura subdita exerceat admirabili æquitate vindictam. Misericordia quoque hominis nonnullam habet cordis miseriam: unde etiam in latina lingua nomen accepit. Nam inde est etiam quod non solum: (*Ibid.* XII, 15) *gaudere cum gaudentibus*: sed etiam *flere cum flentibus* hortatur Apostolus. Quis autem sano capite dixerit, ulla miseria tangi Deum, quem tamen ubique scriptura misericordem esse testatur? Ita zelum humanum non sine peste livoris intelligimus: zelantem vero Deum non ita, sed eodem verbo, non eodem modo.

« Longum est percurrere cætera, et sunt innumerabilia, quibus ostenditur multa divina iisdem nominibus appellari, quibus humana cum incomparabili diversitate sejuncta sint. Nec interim frustra eadem D sunt rebus utrisque indita vocabula, nisi quia hæc cognita, quæ in quotidiana consuetudine versantur, et experimentis usitatioribus innotescunt, nonnullam ad intelligenda illa sublimia præbent viam: cum eidem dempsero de humana scientia mutabilitatem, et transitus quosdam a cogitatione in cogitationem cum recolimus, ut cernamus animo, quod in contuitu ejus paulo ante non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus transilimus; unde etiam ex parte dicit esse Apostolus (*I Cor.* XIII, 9) nostram scientiam; cum ergo hæc cuncta detraxero, et reliquero solam vivacitatem, certæ, atque inconcussæ veritatis, una, atque æterna contemplatione A cuncta lustrantis, imo non reliquero: non enim habet hoc humana scientia, sed pro viribus cogitavero, insinuatur mihi utcunque scientia Dei: quod tamen nomen ex eo quod sciendo aliquid, non latet hominem, potuit rei utrique esse commune. Quanquam et in ipsis hominibus solet discerni a sapientia scientia, ut etiam Apostolus dicit: (*I Cor.* XII, 8). *Alii quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alii quidem sermo scientiæ, secundum eumdem spiritum*: in Deo autem nimirum non sunt hæc duo, sed unum. Et in hominibus quidem hæc ita discerni probabiliter solent, ut sapientia pertineat ad intellectum æternorum, scientia vero ad ea, quæ sensibus corporis experimur. Sed licet alius aliam differentiam proferat, nisi tamen diversa essent; non sic ab Apostolo distinguerentur.

« Quod si ita sane est, ut nomen scientiæ rebus, quas per sensus corporis experimur, deputandum sit, nulla est omnino scientia Dei. Non enim Deus per seipsum ex corpore et animo constat, sicut homo, sed melius dicitur, aliam esse scientiam Dei, et non ejusdem generis, cujus ista est, quæ hominum dicitur: sicut etiam id ipsum, quod Deus dicitur, longe aliud est, quam quemadmodum est dictum, quod (*Psal.* LXXXI, 1) *stetit in synagoga deorum*. Tamen ad non latere quoquo modo pertinet communicatio ipsa vocabuli. Sic etiam de ira hominis detraho turbulentum motum, ut remaneat vindictæ vigor, atque ita utcunque surgo ad innotescentiam illius, quæ appellatur *ira Dei*. Item de misericordia si auferas compassionem cum eo quem miseraris participatæ miseriæ, ut remaneat tranquilla bonitas subveniendi, et a miseria liberandi, insinuatur misericordiæ divinæ qualiscunque cognitio. Zelum quoque Dei non repudiemus, et aspernemur, cum scriptum invenimus, sed auferamus de humano zelo pallidam tabem doloris, et morbidam perturbationem animi, remaneatque illud solum judicium, quo corruptio castitatis impunita esse non sinitur, et adsurgimus, ut incipiamus aliquo modo capere zelum Dei. Quapropter cum legimus etiam Deum dicentem *pœnitet me*: consideremus, quod id soleat in hominibus opus pœnitendi, cum procul dubio reperitur voluntas mutandi, sed in homine cum dolore animi est; reprehendit enim in se, quod temere fecerit. Auferamus ergo ista quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, et remaneat solum velle, ut non ita sit aliquid, quemadmodum erat. Sic potest aliquantum intimari menti nostræ, qua regula intelligatur quod *pœnitet Deum*. Cum enim *pœnitere* dicitur, vult non esse aliquid sicut fecerat, ut esset, sed tamen, ut cum ita esset, ita esse debeat: et cum ita esse jam non sinitur, jam non debet esse ita, perpetuo quodam, et tranquillo æquitatis judicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit. Sed quoniam præscientiam, et scientiam cum laude solemus in hominibus appellare, iramque ipsam solet humanum genus in magnis potestatibus tremere, potius quam repre-

hendere, congruenter putamus talia dici de Deo. Qui autem zelat, et quem aliquid pœnitet, quoniam vel culpari solet, vel in se culpam corrigere, atque ideo cum reprehensione ista de hominibus dici, propterea movet cum legimus esse aliquid in Deo ejusmodi. Sed illa scriptura omnibus consulens, propterea magis et ista ponit, ne quæ placent, sic intelligantur in Deo, quomodo consueverint in hominibus intelligi. Per hæc enim, quæ displicent, cum ea non audemus sic intelligere in Deo, ut inveniuntur in homine, discimus etiam illa sic quærere, quæ apta esse atque convenientia putabamus. Nam si propterea non est illud de Deo dicendum, quia in homine displicet, non dicamus incommutabilem Deum, quia de hominibus cum reprehensione dictum est : (*Psal.* LIII, 20) *Non enim est illis commutatio.* Item sunt quædam, quæ in homine laudabilia sunt : in Deo autem esse non possunt : sicut pudor [a] quidem ætatum viridiorum magnum est ornamentum, sicut timor Dei : non enim tantum in veteribus libris laudatur, sed Apostolus etiam dicit : (*I Cor.* VII, 1) *perficientes sanctificationem in timore Dei*, qui utique nullus in Deo est. Sicut ergo laudabilia hominum recte intelliguntur in Deo, non [b] ut in hominibus, sed vocabulis tantummodo communibus longe alia ratione, et modo. Nam paulo post idem Samuel, cui dixerat Dominus : *pœnitet me, quod constituerim regem Saul*, ipsi Sauli ait de Deo (*I Reg.* XV, 29) : *quoniam non est sicut homo, ut pœniteat eum.* Ubi videlicet satis ostendit etiam, cum dicit Deus, pœnitet me, non humano more accipiendum esse, sicut jam quantum valuimus, disputavimus. »

(*V.* 18, etc.) *Veniens autem Samuel ad Saul, ait ad Saul. Sine me et indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte, dixitque ei : loquere. Et ait Samuel : Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es ?* [c] « Parvulus in oculis suis est, qui in eo quod semetipsum considerat, imparem se alienis meritis pensat. Nam quasi grandem se conspicit, quisquis se super aliena merita elatione cogitationis extendit. Saul autem reprobus, in bono, quod cœperat, non permansit, quia fastu susceptæ potestatis intumuit : at contra David semper de se humilia sentiens, ejusdemque Saul se comparatione postponens, postquam feriendi locum reperit, et pepercit eidem sævienti adversario, et humili se professione prostravit dicens : (*I Reg.* XXIV, 15) *Quem persequeris, rex Israel, quem persequeris ? Canem mortuum et pulicem unum.* Et certe jam unctus in regem fuerat, (*I Reg.* XVI, 1, 12, 13, etc.) jam exorante Samuele, et cornu super se [d] olei fundente didicerat, quod eum divina gratia, Saul reprobato, ad regni gubernacula possidenda servabat, et tamen persequenti adversario mente se humili substernebat, cui divino judicio prælatum esse se noverat. Illi itaque se humiliter postponebat, quo per electionis gratiam incomparabiliter noverat se esse meliorem. »

(*Cap.* XV.) Increpans Samuel Saul, cur non audisset vocem Domini, sed versus ad prædam fecisset malum in oculis Domini parcendo, et non interficiendo Amalech, ait Samuel : (*v.* 22, *et* 23) *Nunquid vult Dominus holocausta, aut victimas, et non potius ut obediatur voci Domini ? Melior est enim obedientia, quam victimæ, et auscultare magis, quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere. Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex.* [e] « Obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos repressa arbitrii sui superbia gladio præcepti se immolat : quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex adverso ergo melius ostenditur, quid de ejus laude sentiatur. Si enim *quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere*, sola est, quæ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis esse convincitur, etiamsi fidelis esse videatur ; hinc per Salomonem in ostensione obedientiæ dicitur : (*Prov.* XXI, 28) *Vir obediens loquitur victorias :* vir quippe obediens victorias loquitur, quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus ; hinc in Evangelio veritas dicit : (*Jo.* VI, 37 *et* 38) *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras, quia de cœlo descendi, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Quid enim ? si suam faceret, eos, qui ad eum veniunt, repulisset ? Quis autem nesciat, quod voluntas filii a patris voluntate non discrepet ? Sed quoniam primus homo, quia suam facere voluntatem voluit, a paradisi gaudio exiit, secundus ad redemptionem hominum veniens, dum voluntatem se patris, et non suam, facere ostendit, permanere nos intus docuit. Cum igitur non suam, sed patris voluntatem facit, eos, qui ad se veniunt, foras non ejicit, quia dum exemplo suæ obedientiæ nos subjicit, viam nobis egressionis claudit. »

(*V.* 27.) *Conversus est autem Samuel ut abiret : Saul autem apprehendit summitatem pallii ejus, quæ et scissa est. Et ait ad eum Samuel : scidit Dominus regnum Israel a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te.* Compellimur juxta Septuaginta interpretum translationem, hanc ponere sententiam, quia multo amplius habet illic : [f] ita enim illic scriptum est :

[a] Editus : *quod ætatum :* per errorem ut puto.

[b] Hæc habet editus a Patribus S. Mauri locus : *non recte intelliguntur in Deo, sic quædam culpabilia hominum intelliguntur in Deo, non ita.*

[c] Quæ sequuntur notata virgulis exscripta sunt ex cap. 22 [n. 42.] libri XXXIV S. Gregorii in Job.

[d] Editi : *oleum.*

[e] Hæc reperies in numeris 28, et 29 libri XXXV Moralium.

[f] Hic rursus exscribitur Augustinus, cap. 7 libri XVII *de Civitate.*

« *Non revertar tecum, quia sprevisti verbum Domini : et spernet te Dominus, ne sis rex super Israel. Et convertit Samuel faciem suam ut abiret : et tenuit Saul pinnam diploidis ejus, et dirupit eam. Et dixit ad eum Samuel. Dirumpet Dominus regnum ab Israel de manu tua hodie, et dabit proximo tuo bono super te. Et dividetur Israel in duo : et non convertetur, neque pœnitebit eum, quoniam non est sicut homo, ut pœniteat eum. Ipse minatur, et non permanet.* Iste, cui dicitur : *spernet te Dominus ne sis rex super Israel;* et dirumpet Dominus regnum ab Israel de manu tua hodie, quadraginta regnavit annos super Israel, tanto scilicet spatio temporis, quanto et ipse David. Et audivit hoc primo tempore regni sui, ut intelligamus ideo dictum, quia nullus de stirpe ejus fuerat regnaturus. Et respiciamus ad stirpem David, unde exortus est secundum carnem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Non autem habet Scriptura quod in plerisque latinis codicibus legitur : *dirumpet Dominus regnum Israel de manu tua*, sed sicut a nobis positum est inventum in Græcis : *Disrumpet Dominus regnum Israel de manu tua.* Ut hoc intelligatur de manu tua, quod est ab Israel. Populi ergo Israel personam figurate gerebat homo iste, qui populus regnum fuerat amissurus, Christo Jesu Domino nostro per Novum Testamentum, non carnaliter, sed spiritualiter regnaturo. De quo cum dicitur *dabit illud proximo tuo*, ad carnis cognationem refertur. Ex Israel enim Christus secundum carnem, unde et Saul. Quod vero additum est *bono super te*, potest quidem intelligi *meliori te*, nam et quidam sic interpretati sunt, sed melius sic accipitur *bono super te*, ut quia ille bonus est; ideo sit super te, juxta illud propheticum : (*Psal.* CIX. 1) *Donec ponam inimicos tuos omnes sub pedibus tuis.* In quibus est Israel, cui suo persecutori regnum abstulit Christus, quamvis fuerit illic et Israel, in quo *dolus non erat*, (*Jo.* I. 47) quoddam quasi frumentum illarum palearum. Nam utique inde erant apostoli, inde tot martyres, quorum prior Stephanus, inde tot Ecclesiæ, quas Apostolus (*Gal.* I. 24) commemorat, in conversione ejus magnificantes Deum.

« De qua re non dubito intelligendum esse quod sequitur : *Et dividetur Israel in duo.* In Israel scilicet inimicum Christo, et Israel adhærentem Christo : in Israel ad ancillam, et in Israel ad liberam pertinentem : nam ista duo genera primum simul erant, velut Abraham adhuc adhærente ancillæ, donec sterilis per Dei gratiam fecundata clamaret : (*Gen.* 21. 10) *Ejice ancillam et filium ejus.* Propter peccatum quidem Salomonis, regnante filio ejus Roboam, (*III Reg.* 12) scimus Israel in duo fuisse divisum : atque ita perseverasse, habentibus singulis partibus reges suos, donec illa gens tota a Chaldeis esset ingenti vastatione subversa, atque translata. Sed hoc quid ad Saulem? si tale aliquid comminandum esset, ipsi David fuerat potius comminandum,

A cujus filius erat Salomon. Postremo nunc inter se gens Hebræa divisa non est, sed indifferenter in ejusdem erroris societate dispersa per terras. Divisio vero illa, quam Deus sub persona Saulis illius regni et populi figuram gerentis eidem regno populoque minatus est, æterna atque immutabilis significata est, per hoc quod adjunctum est : *Et non convertetur, neque pœnitebit eum, quoniam non est sicut homo ut pœniteat eum. Ipse minatur, et non permanet.* Id est homo minatur, et non permanet, non autem Deus, quem non pœnitet sicut hominem : ubi enim legitur quod pœniteat eum, mutatio rerum significatur immutabili præscientia manente divina. Ubi ergo non pœnitere dicitur, non mutare intelligitur. Prorsus insolubilem videmus per hæc verba prolaB tam divinitus fuisse sententiam de ista divisione populi Israel, et omnino perpetuam. Quicunque enim ad Christum transierunt, vel transeunt, vel transibunt inde, non erant inde secundum Dei præscientiam, non secundum generis humani unam eamdemque naturam. Rursus quicunque ex Israeliticis adhærentes Christo perseverant in illo, nunquam erunt cum Israeliticis, qui ejus inimici usque in finem vitæ hujus esse persistunt, sed in divisione, quæ hic prænuntiata est perpetuo, permanebunt. Nihil enim prodest testamentum vetus (*Gal.* 4. 24) *de monte Sina in servitutem generans;* nisi quia testimonium perhibet testamento novo, alioquin quandiu legitur Moyses (*II Cor.* 3. 15 *et* 16), velamen supra corda eorum positum est; cum autem quisque transierit ad Christum, C auferetur velamen. Transeuntium quippe intentio ipsa mutatur de vetere ad novum, ut non quisque intendat accipere carnalem, sed spiritualem felicitatem. »

(*Cap.* 15. 33.) *Sumpsit ergo Samuel gladium, et in frusta concidit Agag.* Quod faciendo Samuel, usque adeo non peccavit, ut non faciendo peccaret. Deus enim jussit interfici Amalechitas, qui utique novit non solum secundum facta, verum etiam secundum cor hominis, quid unusquisque, vel per quem perpeti debeat. Dignus ergo erat Saul, cui talia injungerentur, atque Amalechitæ, ut talia paterentur, qui divino nomini honorem non dederant, sed populum Dei, qui sicco vestigio mare transierat, interimere voluerat (*Exod.* 17. 8).

D Igitur recedente a Saul Domino propter inobedientiam, arreptus est maligno spiritu a Domino, irruebatque spiritus Domini in eum malignus. [a] « Jam vero illud, quod etiam *malus* appellatus est spiritus Domini, sic intelligitur quomodo dictum est : *Domini est terra*, tanquam creatura, et in ejus posita potestate : aut si propterea non congruit hoc locutionis exemplum, quia terra non est mala, (*I Timoth.* 4. 4) *omnis enim creatura Dei bona est*, illud congruat, quod ipse Saul jam reprobus, et sceleratus, atque ingratus sancto David persecutor etiam ejus cum sævissimæ invidiæ facibus agitaretur, tamen adhuc Christus Domini dicebatur, sicut eum appel-

[a] Ea omnia sane non pauca, quæ mox lineolis pro more notabuntur, desumpta sunt ex Augustino hæc scribente numero 4 Quæstionis 1 libri II *ad Simplicianum.*

lavit ipse David, cum vindicavit exstinctum (*II Reg.* 1. 24). A Sed magis arbitror malignum spiritum, a quo vexabatur Saul, ideo dictum spiritum Domini, quod occulto Dei judicio Saulem vexabat : utitur enim Deus ministris etiam spiritibus malis ad vindictam malorum, vel ad bonorum probationem; alio modo ad illam rem, alio ad istam. Quamvis enim [a] multum sit quisque malignus spiritus, quia mala voluntate nocere appetit : tamen nocendi potestatem non accipit, nisi ab illo, sub quo sunt omnia (*Rom.* 13. 1) certis, et justis meritorum gradibus ordinata. Quia sicut non est mala voluntas a Deo, sic non est potestas nisi a Deo; quamvis enim sit in cujusque potestate quid velit, non est tamen in cujusque potestate, quid possit vel facere cuiquam, vel a quoquam pati. Nam et ipse filius unicus B Dei passurus ad tempus humiliter, superbe loquenti homini, et dicenti quod potestatem haberet occidendi, vel dimittendi eum : (*Jo.* 19. 11) *non haberes*, inquit, *in me potestatem, nisi data esset tibi desuper*. Diabolus etiam volens nocere justo Job, nocendi quidem voluntate diabolus erat, sed tamen a Domino Deo potestatem petebat dicens, (*Job.* 11. 5) *mitte manum tuam, et tange carnem ejus :* quamvis hoc esset, si permitteretur, ipse facturus. Ipsam enim permissionem petebat hoc modo : *et manum Domini* appellabat permissam a Domino manum suam ; id est ipsam potestatem, quam volebat accipere. Cui congruit illud in Evangelio; (*Luc.* 22. 31) quod Dominus discipulis ait : *hac nocte postulavit Satanas vexare vos sicut triticum*. Dictus est ergo C spiritus *Dei malus*, hoc est minister Dei ad faciendum in Saul, quod eum pati judex omnipotentissimus judicabat : quoniam spiritus ille voluntate, qua malus erat, non erat Dei; creatura vero, qua conditus erat, et potestate quam non sua, sed Domini omnium, æquitate acceperat, Dei erat. Verba etiam ipsa Scripturarum ita se habent. (*I Reg.* 16. 13) *Et verrexit Samuel*, inquit, *et abiit in Ramatha, et spiritus Dei recessit a Saul, et comprehendit eum spiritus malignus a Domino, et suffocabat eum. Et dixerunt pueri Saul ad eum : Ecce spiritus Domini malus suffocat te.* Hoc igitur a pueris ejus quomodo sit dictum spiritus Dei malignus, superiora verba indicant narrantis Scripturæ, et dicentis : *spiritus malignus a Domino*. D Secundum hoc enim *Domini*, quod a *Domino*, quia per seipsum necare [b] velle habebat : id est comprehendere Saul : posse autem non habebat, nisi summa justitia sineretur : si enim juste vindicat Deus, quemadmodum ipse dicit Apostolus : (*I Rom.* 2) *cum tradit homines ad concupiscentias cordis eorum;* nil mirum si nihilominus juste vindicans tradit etiam eos in *concupiscentias aliorum* nocere volentium, sua semper incommutabili æquitate servata. Animadvertendum est sane, cum additamento dici *spiritus Dei malus*, cum autem tantummodo dicitur *spiritus Dei*, etiamsi non addatur bonus, ex hoc intelligitur bonus. Unde apparet, bonum spiritum secundum substantiam, malum autem secundum ministerium, dici spiritum Dei. Quanquam quæri adhuc possit, utrum cum spiritus Dei dicitur : et ex hoc ipso jam, et si nihil addatur, bonus intelligitur, ille intelligatur, qui est in Trinitate consubstantialis Patri, et Filio, Spiritus Sanctus, de quo dicitur : (*II Cor.* 3. 17) *ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Et iterum. (*I Cor.* 11. 10) *Nobis autem revelabit Deus per spiritum suum.* Et illud : (*Ibid. v.* 11) *sic et quæ Dei sunt, nemo novit nisi Spiritus Dei.* Et in multis locis hoc modo dicitur : *Spiritus Dei*, et intelligitur Spiritus sanctus, etiamsi non addatur, quoniam ea quæ circumstant, satis indicant de quo dicatur, ita ut aliquando nec *Dei* addatur, et intelligatur tamen ille *Spiritus Dei* principaliter sanctus. Nam quem alium commemorat ubi dicit : (*Rom.* 8. 16) *ipse spiritus testimonium dat spiritui nostro, quia sumus filii Dei?* (*Ibid.* 26) Et *ipse Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* (*I Cor.* 12. 11) Et *omnia hæc operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* (*Ibid.* 4) Et *divisiones donationum sunt, idem autem Spiritus.* In his enim omnibus sententiis, nec *Dei*, nec *sanctus* est additum, et tamen ipse intelligitur. Sed nescio utrum manifesto aliquo exemplo probari possit alicubi dictum *Spiritum Dei* sine additamento, ubi Spiritus ille sanctus non significetur, sed alius, quamvis bonus, creatus tamen et conditus : quæ proferuntur enim dubia sunt, et indigent clariore documento, sicut illud quod scriptum est : *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Gen.* 1. 2). Nam, et ibi Spiritum sanctum accipere quid impediat, non invenio, cum enim aquarum nomine illa materies insinuaretur informis, quæ de nihilo facta est, unde omnia fierent : quis prohibet intelligere Spiritum sanctum conditoris, quod superferebatur huic materiæ, non locorum gradibus, intervallisque spatiorum; quod nequaquam de ulla re incorporea recte dicitur, sed excellentia et eminentia dominantis supra omnia voluntatis, ut omnia conderentur? præsertim cum ea locutio, sicut illarum scripturarum mos est, etiam propheticum quoddam sonat mysterium, quo futuri baptismatis aqua, et Spiritu sancto nascituri populi figurantur. Non ergo cogit, ut dictum est, *et spiritus Dei ferebatur super aquas*, illum intelligere spiritum (sicut nonnulli intelligunt) quo mundi moles universa ista corporea velut animatur, ad ministerium quorumque gignentium, et in sua specie continendarum corporalium creaturarum. Creatura est enim quidquid est tale. Illud etiam quod scriptum est : (*Sap.* 1. 7) *quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, non desunt, qui eumdem spiritum velint accipere; invisibilem scilicet creaturam cuncta visibilia universali quadam conspiratione vegetantem atque continentem. Sed neque hic video quid impediat Spiritum sanctum intelli-

[a] Editus Augustinus *inde sit*.
[b] Editus *nocere :* antea dixerat *suffocare;* sed infra dicit *nocere volentium*.

gere, cum ipse Deus dicat apud Prophetam : cœlum et terram ego impleo : (*Jer.* 23. 24) non enim sine suo Spiritu sancto implet Deus cœlum et terram. Quid ergo mirum si de Spiritu sancto ejus dictum est replevit orbem terrarum? aliter enim replet sanctificando, sicut de Stephano (*Act.* 6. 5 *et* 7. 55) dicitur : *repletus est Spiritu sancto*, et de cæteris talibus. Aliter ergo replet [a] sanctificante gratia, sicut quosdam sanctos, aliter adstante atque ordinante præsentia sicut omnia. Quamobrem nescio, utrum certo aliquo documento scripturarum possit ostendi, cum sine ullo additamento dicitur *Spiritus Dei*, vel *Spiritus Domini*, aliquid aliud significari, quam Spiritum sanctum. Sed et si est forte quod in præsentiarum non occurrat, illud certe arbitror non temere dici quotiens in sanctis eloquiis commemoratur *Spiritus Dei*, nec additur aliquid, sive ille Patri, et Filio consubstantialis Spiritus sanctus, sive aliqua invisibilis creatura intelligatur, malum tamen non posse intelligi, nisi etiam addatur *malus*. *Malo* enim, quia bene utitur Deus, ad ministerium judicii sui, appellatur etiam ipse spiritus Dei ad vindictam malorum, et disciplinam, vel bonorum probationem.

« Nec illud jam movere nos debet, quod postea scriptum est : (*I Reg.* 19. 23) eumdem Saulem spiritu Dei super se facto prophetasse. Quomodo post bonum spiritum spiritus malus, et rursum post malum bonus? Hoc enim fit non mutabilitate Spiritus sancti, qui est immutabilis cum Patre et Filio, sed mutabilitate animi humani Deo cuncta distribuente, sive malis pro merito damnationis, vel emendationis, sive bonis pro largitate gratiæ suæ. Quanquam videri possit etiam idem fuisse Dei Spiritus semper in Saul : malus autem illi, quod ejus sanctitatis capax non esset. Sed non recte hoc videtur : tutior est enim ille sensus, et verior, ut pro mutabilitate affectionis humanæ spiritus Dei bonus [b] bonum afficiat, vel ad prophetiam, vel ad opus quodlibet aliud in munere divino; afficiat autem malus, [c] qui propter ministerium divinæ æquitatis omnia distribuentis, et omnibus recte utentis dicitur et ipse Spiritus Dei : præsertim quia dictum est (*I Reg.* 16. 14) *recessit ab eo spiritus Dei, et comprehendit eum spiritus malignus a Domino;* nullo pacto enim potest idem videri recessisse et apprehendisse. Porro autem in nonnullis exemplaribus, et eis maxime, qui de lingua Hebræa ad verbum videntur expressa, invenitur *Spiritus Dei* sine additamento positus, et intelligitur malus, ex eo quod arripiebat Saul, et reficiebat eum David tangendo citharam. Manifestum est tamen, ideo non

A additum *malus*, quia paulo superius jam dictum erat, et de vicinitate Scripturæ subaudiri et intelligi poterat. Ita enim in ejusmodi exemplaribus legitur : (*Ibid.* 23) *Igitur quandocunque spiritus Dei arripiebat Saul, tollebat David citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat : recedebat enim ab eo spiritus malus*. Sive ergo quod dictum hic non est, *spiritus Dei*, sed tantummodo *spiritus malus*, quod ibi minus dictum erat, tanquam redditum apparet : sive quia superius ita positum erat : (*Ibid.* 15 *et* 16) *et dixerunt servi Saul ad eum : ecce Spiritus Dei malus exagitat te; jubeat Dominus noster; et servi tui, qui coram te sunt, quærant hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Dei malus, psallat manu sua, et levius ferας.*

B Non erat opus, ut rursum diceretur, quandocunque spiritus Dei arripiebat Saul, addere *malum*, quia notum erat, de quo tunc diceretur.

[d] « Itaque Saul propter inobedientiam reprobato, mittit Dominus Samuel ad Isai, et sumptu cornu olei unxit in regem David. Sed videamus eumdem David quomodo Christum prophetice significaverit. [e] David enim interpretatur manu fortis, sive desiderabilis. Et quid fortius leone illo de tribu Juda, (*Apoc.* 5. 5) qui vicit mundum? Et quid desiderabilius illo, de quo dicitur : (*Ag.* 2. 8) *veniet desideratus cunctis gentibus?* Ungitur iste David in regem, futurum denuntians per unctionem illam, Christum : Christus enim a chrismate appellatur. David ab officio pastorali pecorum, ad hominum regnum

C transfertur. Noster autem David ipse Jesus ab ovibus Judaicæ plebis ablatus, in regnum gentium translatus est. In Judæa enim plebe non est modo Christus, ablatus est modo, nunc gentium greges pascit. Erat autem David in canticis musicis eruditus; diversorum enim sonorum rationabilis modulatusque concentus concordi varietate compactus ordinatæ Ecclesiæ insinuat unitatem, quæ variis modis quotidie resonat, et suavitate mystica modulatur. Iste adhuc puer in cithara suaviter, imo fortiter canens, malignum spiritum, qui operabatur in Saule, compescuit. » Nam quis citharæ illius tanta virtus erat? sed figura crucis Christi, quæ de ligno et extensione nervorum mystice gerebatur, ipsaque passio canta-

D batur, in hoc tribuens moraliter exemplum, ut fastum divitum sermone humili ad aliquid bonum provocemus.

[f] « Plerumque etiam superbus dives exhortationis blandimento placandus est : quia et plerumque dura [g] vulnera per lenia fomenta mollescunt, et furor insanorum sæpe ad salutem, medico blandiente, reducitur : cumque eis in dulcedine condescenditur,

[a] Nonnulla adduntur in editis, quæ revera repetitio superiorum videntur esse.

[b] Editus *bene*.

[c] Additur in editis *male*.

[d] Sumpta sunt hæc ex cap. 9 Isidori in lib. I Reg.

[e] Compara hæc cum iis, quæ tradit August. n. 1. serm. 1. in Psal. XXXIV. Verba hæc : *David interpretatur manu fortis* usque dum devenias ad ea : *ungitur iste David*, etc.; desumpta sunt ex capite 87 libri XXII, *contra Faustum* : atque ex ea quidem re conjicimus pleraque ex subsequentibus, quibus locus hic explicatur, ex Augustino fuisse desumpta.

[f] Subsequentia perquire in p. 3 Pastoralis Gregorii Magni [admonit. 3].

[g] Editi : *dura et vulnera*.

languor insaniæ mitigatur : neque enim negligenter intuendum est, quod cum Saulem spiritus adversus invaderet, apprehensa David cithara, ejus vesaniam sedabat. Quid enim per Saulem, nisi elatio potentium? Et quid per David innuitur, nisi humilis vita sanctorum? Cum ergo Saul ab immundo spiritu arripitur, David canente, ejus vesania temperatur : quia cum sensus potentium per elationem in furorem vertitur, dignum est, ut ad salutem mentis, quasi dulcedine citharæ, locutionis nostræ tranquillitate revocetur. »

(*I Reg.* 17.) Post hæc David in prælio gigantem superavit. [a] « Cum adversus populum Dei alienigenæ dimicarent, provocavit superbia humilitatem, provocavit diabolus Christum. Accepit arma bellica sanctus David, ut adversus Goliam procederet, hæc arma per ætatem et parvam staturam corporis portare non valuit; abjecit onerantia, accepit quinque lapides de flumine et posuit in vase pastorali : his armatus processit, et vicit : hoc quidem ille David; sed mysteria perscrutemur. In David Christus intelligitur, qui tempore revelationis Novi Testamenti, insinuandæ et commendandæ gratiæ providens arma deposuit, quinque lapides tulit : deposuit ergo corporalia Sacramenta legis, quæ non sunt imposita gentibus; deposuit quæ non observamus : nos enim veterem legem legimus, et non observamus. Sed tamen ad aliquam significationem promissam et positam intelligimus. Denique hæc arma deposuit tanquam onera sacramentorum veteris legis; et ipsam legem accepit : quinque enim lapides quinque libros Moysi significant. Tulit ergo illos quinque lapides de flumine, id est de sæculo : labitur enim mortale sæculum, et præterfluit quidquid venit in mundum. Erant enim in flumine, tanquam in populo illo primo, lapides erant illic inutiles, et vacabant : Transibant supra fluvios, sed quid fecit David, ut lex ipsa utilis esset? accepit gratiam : (*Roma.* 3. 10) lex enim sine gratia impleri non potest; plenitudo enim legis charitas. Quia ergo gratia fecit implere legem : significatur autem gratia lacte : hoc enim est in carne gratuitum, ubi mater non quærit accipere, sed satagit dare; hoc mater gratis dat, et contristatur, si desit qui accipiat. Quomodo ergo David ostendit legem sine gratia operari non posse? nisi cum illos lapides quinque, quibus significatur lex in libris quinque, quos conjungere voluit gratiæ, posuit in vase pastorali, quo lac mulgere consueverat. His armatus processit adversus Goliam superbe putantem, de se præsumentem. Tulit unum lapidem, [b] et dejecit diabolum. In fronte percussit, et cecidit ex eo loco corporis, ubi signum Christi non habuit : hoc quoque licet attendas, quinque lapides posuit : unum misit. Quinque libri [c] legis sunt, sed unitas vicit. (*Rom.* 13. 10) *Plenitudo enim legis charitas*, ut ait Apostolus : (*Eph.* 4. 2 *et* 3) *sufferentes invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis*. Demum illo percusso, atque dejecto, gladium ejus abstulit, et mox caput illi abscidit : et hoc facit noster David, dejicit diabolum de suis : quando autem credunt magni ejus, quos ille in manu habebat, et de quibus cæteras animas trucidabat, convertunt linguas suas contra diabolum, et sic Goliæ de gladio suo caput incidit. [d] Convenit etiam hoc illi viro, qui recta fide (quæ plerisque sanctis solet ad justitiam deputari) ea ipsa Scripturæ sacræ, quæ hæreticus affert, testimonia colligit, et erroris ejus pertinaciam [e] mox convincit. Contra nos namque dum sacræ legis testimonia apportant, secum nobis afferunt, unde vincantur. Unde et David typum Domini [f] (quia videlicet *manu fortis* interpretatur), Golias vero hæreticorum superbiam signans : hoc rebus locuti sunt, quod nos verbis asserimus. Golias quippe cum gladio, David vero cum pera pastorali venit ad prælium : sed eumdem Goliam David superans, suo occidit gladio : quod nos quoque agimus, qui promissi David membra, ex ejus fieri dignatione meruimus. Nam cum superbientes hæreticos, et sacræ Scripturæ sententias deferentes, eisdem verbis atque sententiis, quas proferunt, vincimus, quasi elatum *Goliam suo gladio detruncamus*.

(*I Reg.* 18. 7.) « Interea victoria David animum Saul regem offendit, indignantis, [g] quod sibi *in mille, et David in decem millia acclamantium* publicæ gratulationis ore insonarent : hinc invidia Saulis, et semen odiorum adversus David : quod insidiator callidus, ut sine insidiis suis possit offerre discrimini, (18. 17. 25 *et subseq.*) statuit eum Michol filiæ suæ nuptiis alligari, si centum sibi allophilorum præputia victor offerret, pro quibus centum, ducenta dedit : et unde creditus est regio perire voto, mox auctus est gloriosiori triumpho. Ita et Judæi, dum contra voluntatem Dei Christum interficere nituntur, per id salutem gentium egerunt, per quod crediderunt exstinguere. Quod vero David prius alienigenarum præputia attulit, et sic denuo filiæ Saul nuptiis hæsit, significabat, quod Christus non prius synagogam connubio suo sponderet, nisi ante gloriosus in gentibus fieret. Prius enim in nationibus resecavit carnis pollutionem, et postea copulatus est syna-

[a] Augustinus hic quoque nos docet, quem scilicet explicantem Psal. CXLIII. descripsit Claudius, sed non constanter, uti alibi solet, adamussim, et uti dici mos est, *ad litteram usque;* nonnulla ex eo excerpit, et brevius tradit, alia prorsus exscribit. Compara, obsecro, hæc, quæ habet Claudius, cum Enarratione Augustini in psalmum, quem dixi CXLIII. Sed, ut arbitror, ex Isidoro quæst. 10 in I Reg. exscripsit hæc Claudius.

[b] Augustinus editus : *inimicum in fronte percussit.*

[c] Editus *lecti :* puto utique legendum cum Claudio *legis.*

[d] Desumpta sunt ista ex num. 21 [alias cap. 16.] lib. XVIII S. Gregorii Moralium in Job.

[e] Editus : *inde.*

[f] Quæ parenthesi concluduntur, in Gregorio non exstant.

[g] Hæc perquire cap. 11, et seq. Isidori in lib. I Reg.

gogæ. Postquam enim, sicut scriptum est, (*Rom.* 11. 25) *introierit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiat.* (*I Reg.* 18. 27) Dupla autem, id est ducenta, præputia attulit sive pro Judæis, et gentibus acquisitis, sive quia major est numerus acquisitionis populi gentium, quam credentium Judæorum. Auxit deinde odium Saul adversus David in tantum, ut rex ad medelam sui spiritus David de more psallentem jaculo conaretur configere. (19. 10) Sed quid est, quod dum Saulem spiritus adversus invaderet, apprehensa David cithara, ejus vesaniam mitigabat? per Saulem enim Judæorum elatio, per David autem humilitas (significatur) significabatur. Cum ergo Saul ab immundo arripitur spiritu, David canente, ejus vesania temperatur, quia cum sensus Judæorum per blasphemiam in furorem vertitur, dignum est ut ad salutem mentes eorum quasi dulcedine citharæ, locutionis Evangelicæ tranquillitate revocentur. » (*I Reg.* 19. 14 *et subseq.*) *Mittit Saul custodes ad domum David, ut custodirent eum, et interficeretur, abscessit autem David nocte, et fugit, atque salvatus est: cumque venissent nuntii Saul, invenerunt statuam in lecto David positam, et pellem pilosam caprarum ad caput ejus.* « Audiamus ergo quid hoc significet, quod miserit Saul ad custodiendam domum David, ut eum interficeret. Hoc non ad crucem Domini, sed tamen ad passionem ejus pertinet : crucifixus enim Christus, et mortuus, et sepultus est. Erat ergo illa sepultura tanquam domus, ad quam custodiendam misit regnum Judæorum, quando custodes adhibiti sunt sepulcro Christi. (*Matth.* 28) Quomodo ergo custodita est domus, si David figurabat Christum, ut Christus interficeretur, dum non in sepultura Christus, sed in cruce sit interfectus? Refertur ergo ad corpus Christi, quia interficere Christum, erat tollere nomen Christi. Neque enim crederetur in Christum, si mendacium prævaleret custodum, qui corrupti sunt, ut dicerent: (*Ibid.* 28. 13) *Quia dormientibus nobis, venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum :* hoc est itaque velle Christum interficere, nomen resurrectionis ejus exstinguere, ut mendacium Evangelio præferretur. Sed sicut illud non valuit Saul, ut interficeret David, sic nec hoc potuit regnum Judæorum efficere, ut memoriam Christi deleret. Isti autem qui de Saul virtute, id est de regno Judæorum in Christum præsumere voluerunt, offenderunt in lapidem offensionis, tanquam in statuam: et hædus ejus visus erat agnus, quia in quem peccatum non invenerunt, quasi peccatorem persecuti sunt. Igitur David regiæ manus factum evitans, ejusque persecutionem declinans, (*I Reg.* 19. *v.* 18 *et subseq.*) venit ad Samuelem, et misit Saul nuntios, qui apprehenderent David: Samuel autem erat inter prophetas et cœtus prophetarum, qui illo tempore prophetaverunt : (*v.* 20. 21 *et subseq.*) nuntii autem, qui missi sunt, accepto ejusdem spiritu prophetaverunt, missisque aliis hoc

A contigit, et tertiis nihilominus. Postea vero cum et ipse Saul venisset, *factus est super eum spiritus Dei, et ambulabat ingrediens, et prophetabat* [a].

« Non enim potest hic, nisi spiritus bonus intelligi, per quem sancti Prophetæ futurarum rerum imagines et visa cernebant. Non ex eo tantum, quia dictum est, *et prophetabat :* nam in exemplaribus, quæ sunt ex Hebræo, hoc quoque invenitur de spiritu malo dictum ita : (*I Reg.* XVIII, 10) *Post diem autem alterum invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus suæ :* et in aliis divinarum Scripturarum locis sæpe invenitur, quod prophetia non tantum bona, sed et mala dicitur: (*III Reg.* XVIII, 16, 18, 22, 25, 40) et prophetæ dicti sunt Baalim, et exprobratum est quibusdam, quia prophe- B tabant in Baal. Non ergo propterea necesse est, intelligi bonus spiritus, qui factus est postea super Saul, quia dictum est : *Et ambulabat ingrediens, et prophetabat,* sed quia sine additamento positum est, *et factus est spiritus Dei super eum :* non enim sicut in illo loco dictum erat supra, *spiritus Dei malus :* ut ex hoc posset etiam in consequentibus subaudiri, quinimo superiora magis magisque attestantur illum spiritum Dei bonum fuisse, et vere propheticum : David enim erat cum Samuele. (*I Reg.* XIX, 20) *Et misit Saul nuntios, qui apprehenderent David ;* quando autem Samuel erat inter prophetas et cœtus prophetarum, qui illo tempore prophetabant, nuntii, qui missi sunt, accepto ab eodem Spiritu prophetaverunt, missisque aliis hoc contigit, et ter- C tiis nihilominus : postea cum et ipse Saul venisset, *factus est etiam super eum Spiritus Dei, et ambulabat ingrediens, et prophetabat.* Cum enim dicitur factus est etiam super ipsos spiritus Dei, et prophetabant et ipsi. Idem utique spiritus erat, qui erat in prophetis : inter quos, et Samuel inventus est. Et ex hoc utique necesse est intelligi illum spiritum bonum. Atque ideo quæstio diligenter discutienda est, quomodo et illi cum missi essent ad tenendum hominem, et ad necem ducendum, tali spiritu affici meruerunt, et Saul ipse, qui miserat veniens et ipse, et sanguinem innocentem quærens effundere, accipere meruit spiritum illum, et prophetare.

« Hic mirum illud occurrit quod apostolus Paulus D apertissime exponit : supereminentem viam demonstrans : (*I Cor.* XIII, 1, etc.) *Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens : et si habuero prophetiam, et sciero omnia sacramenta, et omnem scientiam : et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero substantiam meam : et si tradidero corpus meum ut ardeam : charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Quo in loco manifestum est, eum munera illa commemorasse, quæ Spiritus sancti divisionibus dantur, sicut superius dicit : (*I Cor.* XII, 7, etc.)

[a] Subsequentia reperies numero septimo et subsequentibus quæstionis 1 libri II *De diversis quæstionibus ad Simplicianum.*

*Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii autem datur per Spiritum sermo sapientiæ: alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: alteri autem fides in eodem Spiritu: alii donatio curationum in uno Spiritu: alii operationes virtutum: alii prophetia: alii dijudicatio spirituum: alteri genera linguarum. Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult.* Satis ergo apparet inter dona Spiritus sancti esse prophetiam: quam tamen si quis habeat, et charitatem non habeat, nihil est. Ex quo intelligitur fieri posse, ut quidam etiam indigni vita æterna, regnoque cœlorum, aspergantur tamen quibusdam Spiritus sancti muneribus, non habentes charitatem, sine qua illa munera non nihil sunt, sed nihil eis prosunt. Prophetia quippe sine charitate, sicut demonstratum est, non perducit ad regnum Dei: charitas vero sine prophetia utique perducit. Cum enim loquens de membris Christi ait: (*Ibid.* 29) *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ?* Indubitanter ostendit etiam eum, qui prophetiam non habet, posse in membris Christi numerari: ubi quem locum haberet, si charitatem, sine qua homo nihil est, non haberet? nullo autem modo ita diceret: quando de membris agebat, quibus Christi corpus impletur: nunquid omnes habent charitatem? quemadmodum dixit, nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Virtutes? nunquid omnes dona habent curationum, et cætera hujusmodi?

« Sed dicit aliquis, posse quidem fieri, ut prophetiam quisque non habeat, et tamen habeat charitatem, atque ideo Christi membris adnumeratus inhæreat: sed fieri non posse, ut prophetiam habeat, et non habeat charitatem. Nihil est enim homo habens prophetiam sine charitate. Ita fortasse quemadmodum possumus dicere, nihil esse hominem habentem animam sine mente: non quia potest inveniri homo, qui mentem non habeat, habens animam, sed, quia nihil esset, si inveniri possit. Sic etiam dici potest: corpus figuram habet, colorem non habet: videri non potest, non quia est corpus, cui desit color, sed quia, si deesset, cerni non possit. Ita fortasse dictum est, quod si quisque habet prophetiam, et charitatem non habet, nihil est, non quia potest in quoquam esse prophetia sine charitate, sed quia, si esset, prodesse non posset. Opus est ergo ad solvendum istam quæstionem, ut ostendamus aliquem reprobum hoc donum habuisse prophetiæ. Quod si neminem invenerimus, hoc iste ipse Saul satis ostenderet. Sed tamen etiam ille (*num.* xx, 5, 24) Baalam reprobus apparet: non enim eum tacet scriptura divino judicio esse damnatum, et tamen prophetiam habebat, et quia ei charitas deerat, inerat voluntas maledicendi populo Israelitico, quam hostis pretio comparaverat, qui eum ad maledicendum mercede conduxerat; dono tamen illo prophetandi, quo aspergebatur, benedicebat invitus. Nec illa verba parum attestantur huic sententiæ,

A quæ in Evangelio scripta sunt (*Matth.* vii, 22, etc.), multos dicturos in illa die: *Domine, Domine, in nomine tuo manducavimus, et bibimus, et in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus.* Quibus tamen dicturus est: *Non novi vos: recedite a me, operarii iniquitatis.* Non enim eos mentientes putabimus ista dicturos in illo judicio, ubi nullus erit fallendi locus, aut ullam vocem talium legimus dicentium: dileximus te. Poterunt ergo dicere: *in nomine tuo prophetavimus*, cum sint improbi, et reprobi: non autem poterunt dicere, dilectionem, quam mandasti, tenuimus: nam si dicent, non eis respondebitur: *non novi vos.* (*Joan.* xiii, 35) *In hoc enim cognoscetur*, inquit, *quia discipuli mei estis, si vos invicem diligatis.*

B « Exemplum itaque hujus Saul resistit superbis nonnullis hæreticis, qui vel aliquid boni de muneribus sancti Spiritus negant posse dari eis, qui ad sortem sanctorum non pertinent: cum eis dicimus habere illos posse baptismi sacramentum, quod cum ad Ecclesiam catholicam veniunt, non est in eis ullo modo violandum, aut quasi non habeant, tradendum: sed tamen eos non ideo saluti debere confidere, quia non improbamus, quod illos accepisse concedimus, sed oportere cognoscere unitatis societatem vinculo charitatis in eumdem, sine qua omnino quidquid habere potuerint, quamvis per se sanctum atque venerandum, ipsi tamen nihil sunt; tanto indigniores effecti præmio vitæ æternæ, quanto illis donis non bene usi sunt, quæ in hac vita, quæ
C transitura est, acceperunt. Non autem bene utitur, nisi charitas, (*I Cor.* xiii, 7), et charitas omnia tolerat, atque ideo non scindit unitatem, cujus ipsa est fortissimum vinculum. Non enim et servus ille non accepit talentum, aut aliquid aliud intelligitur talentum, quam munus aliquod utique divinum. (*Matth.* xxv, 29) *Sed qui habet, dabitur ei: qui autem non habet, et quod habet, auferetur ab eo.* Quod non habet auferri non potest, sed aliud non habet, ut merito auferatur, quod habet. Non habet charitatem utendi, ut auferatur quidquid aliud habet, quod sine charitate non prodest.

« Non igitur mirum est regem Saul, et eo tempore, quo primum unctus est, accepisse spiritum pro-
D phetandi; et postea cum esset pro inobedientia reprobatus, recedente ab eo Spiritu Domini, arreptum esse maligno Spiritu a Domino, qui etiam ipse Spiritus Domini appellatus est propter ministerium, quia omnibus etiam spiritibus malis bene utitur Dominus, vel ad damnationem quorumdam, vel ad emendationem, vel ad probationem: (*Rom.* xiii, 1) et quamvis non sit malignitas a Domino, non est tamen potestas, nisi a Domino. Dictus est etiam (*I Reg.* xxvi, 12) *sopor Domini*, qui occupaverat milites ejusdem Saul, cum David hastam et scyphum abstulisset a capite dormientis. Non quia tunc sopor in Domino erat, ut ipse dormiret, sed quia ille sopor, qui tunc homines apprehenderat, nutu Dei erat infusus: ne David, servi ejus, in eo loco præ-

sentia sentiretur. Neque illud mirum est rursus eumdem Saul accepisse spiritum prophetiæ : (*I Reg.* XIX, 24) cum persequeretur justum, et eum comprehensurus, et necaturus venisset in locum, ubi erat congregatio Prophetarum. Sic enim satis demonstratum est, neminem de tali munere jam securum esse debere, tanquam sit acceptissimus Domino si non habeat charitatem; quoniam quidem illud donum, et Sauli dari potuit propter arcanum quidem alicujus sacramenti, sed tamen dari potuit reprobato, invido, et ingrato, et reddenti mala pro bonis, et ne post ipsam quidem acceptionem Spiritus, correpto in melius atque mutato. »

[a] Ait *namque Jonathas ad David* (quem in persecutionibus patris sui non justis dolebat fatigari) : *si vixero facies mihi misericordiam Domini : si vero mortuus fuero, non auferas misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum, quando eradicaverit Dominus inimicos David unumquemque de terra.* Cum adjungeret Scriptura : (*vers.* 16) *pepigit ergo fœdus Jonathas cum domo David :* continuo subintulit dicens : [b] *requisivit Dominus de manu inimicorum David.* « Per anticipationem utique fecit, prius historiæ interserendo, quod multo post tempore factum est, cum interfecto Saule, regnum ad Dominum David translatum est, et qui innocentem eum injuste persequebantur, justa sunt divinitus ultione multati. Tunc enim requisivit Dominus de manu inimicorum David, quare virum sanctum afflixerunt. Tunc cogebantur rationem reddere odiorum, quibus contra illum tanto tempore sævierant. Quod et de Absalon, et de Seba filio Bochri, et de cæteris hostibus David [c] æque potest intelligi. Aliter, si scire vis quid de manu inimicorum David requisierit Dominus, potest, ni fallor, a superiore sententia, qua dictum est, quod fœdus pepigerit Jonathan cum domo David, aperte intelligi, quod hoc de manu inimicorum David requisierit, id est, quare non et ipsi fœdus cum eo pacis inire voluerint, cum quo esse Dominum viderant. Idcirco autem Scriptura hæc sententiam hanc præoccupando interponere videtur, ut testimonium Jonathæ quo dixerat : *Quando eradicaverit Dominus inimicos David unumquemque de terra,* verum esse comprobaret, quia videlicet eradicati sint inimici David de terra, non ipso David se de adversariis ulciscente, sed judicante Domino pro illo. Bene autem subjungitur: (*vers.* 17) *et addidit Jonathan dejerare David eo quod diligeret illum : sicut animam suam ita diligebat*

A *eum.* Ut ille nimirum, qui tam perfecto juxta legem Domini amore complectebatur David, a perditione inimicorum ejus ostenderetur immunis, qui et [d] si subita morte præreptus, regnum cum eo, ut sperabat, terrenum habere nequivit commune, absque ulla tamen contradictione regni cœlestis consortium cum eo, quem pro gloria virtutum tantisper dilexit, cum esset et ipse virtutum plenus, accepit.

(*Cap.* XX, 43 *et* XXI, 1.) « Surrexit [e] itaque David iterum, et fugit in die illa a facie Saul, venitque ad sacerdotem Abimelech, a quo et gladium Goliæ substulit, et panes propositionis accepit. Quæ res et sacerdoti mortem intulit, et animadversionem religiosæ intulit civitati. Hæc itaque gestorum fides est : sed quantum ad sacramentum prophetiæ per-
B tinet, in Christo Domino nostro impletum est, qui positus in carne [f], dum insectationem declinaret Judaicam, ad [g] populos transiit : cum quibus, et desideratum sibi cibum sumpsit. (*Luc.* XXII, 15) *Desiderio enim,* inquit, *desideravi hoc Pascha manducare vobiscum,* ex quibus Goliæ, id est arma diaboli substulit, fortis enim spolia ipse dirupit : his ergo a quibus receptus est Christus, tribulationes induxit diabolus, et mortem. *Omnes enim,* ut ait Apostolus, *qui in Christo pie volunt vivere, persecutionem patiuntur.* (*Joan.* XV, 20) Et Dominus (ait) : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur.* [h] Quod vero Dominus in Evangelio (*Marc.* II, 26), *Abiathar* principem sacerdotum, non Abimelech appellat, nihil habet dissonantiæ : ambo et enim fuerunt illic, cum
C veniens David panes petiit, et accepit Abimelech, videlicet princeps sacerdotum, et Abiathar filius ejus (*I Reg.* XXII, 16, etc.). Occiso autem Abimelech a Saule cum viris domus suæ generis sacerdotalis octoginta quinque, fugit Abiathar ad David, et comes factus est totius exilii ejus. Postea regnante eo, summi sacerdotii et ipse gradum accepit, ac toto tempore regni illius in pontificatu perseverans, multo majoris excellentiæ, quam pater suus, effectus est. Ideoque dignus fuit, cujus memoriam Dominus etiam vivente patre quasi summi sacerdotis faceret. (*Ibid.* 18) In [i] Doech autem Idumæo, [j] qui sacerdotes Domini prodidit, Judæ proditoris persona [k] signatur, per quem [l] ista operatus est
D diabolus, ut ejus perditione facta in Christo, persecutionem postea Ecclesia pateretur, et occiderentur [m] multi discipuli Christi, et sacerdotes per nomen ejus persecutionis [n] exitia paterentur. » Quidam dicunt Doech Antichristum significasse, cujus mem-

[a] XX, 14 et 15. Subsequentia perquire quæstione 5 libri XXX Quæst. Bedæ in libros Regum.

[b] Vulgata : *requiret.*

[c] Deest *æque.*

[d] Tam noster Codex, quam editi ponunt *ita* : tamen legendum arbitror *subita,* uti posui.

[e] Ex Isidoro desumpta sunt subsequentia.

[f] *Domini* : sed male.

[g] *Apostolos :* hic quoque male, quando enim transit ad apostolos? Ad Galilæam [utique Gentium], et ad Tyrios, et ad Sydonios confugit, non ad Apostolos. Arbitror itaque jam dudum corruptum esse per antiquum Amanuensem hunc Isidori locum, et aliqua hic deesse, utique pauca.

[h] Hactenus Isidorus.

[i] Iterum hic nos Isidorus docet, et ex eo Rabanus.

[j] Verba hæc *qui sacerdotem Domini prodidit* desunt in editis.

[k] Consistit.

[l] Ita.

[m] Quam plurimi.

[n] *Persecutiones gravissimas perferrent.*

brum Judas exstitit, quia sicut ille sacerdotes octoginta quinque peremit, sic et iste martyres, qui fidem resurrectionis tenent, sic occisurus.

[a] « Interea David cum fugeret Saul, latere voluit apud regem quemdam Geth, nomine *Achis* : sed cum gloria ejus fuisset commemorata, ne per livorem rex, ad quem fugerat, aliquid in eum machinaretur, finxit insaniam, et quasi furore correptus mutavit os suum, defluebantque salivæ in barbam ejus, conlabebaturque in manibus eorum, et procidebat ad ostia portæ : et dixit Achis rex ad servos suos : *Quid huc mihi adduxisti istum? nunquid deerant nobis furiosi?* Et sic eum dimisit. Achis interpretatur *quomodo est?* per quod significatur ignorantia, et verbum mirantis, et non agnoscentis. Quod in gente Judæorum impletum est, qui dum viderunt Christum, non agnoverunt : coram quibus mutavit os suum, et abiit. Erant enim ibi præcepta legis carnalia, erat sacrificium secundum ordinem Aaron, et postea ipse de corpore et sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Mutavit ergo os suum in sacerdotio, mutavit in præceptis, dans aliud testamentum, evacuata carnali operatione, atque inde collapsus est in manibus eorum, quando eum comprehendentes crucifixerunt. (*Vers.* 13) *Et procedebat ad ostium portæ*, hoc est humiliabat se : hoc est [b] procedere usque ad ostium fidei nostræ. Ostium enim portæ, initium fidei nostræ. Inde incipit Ecclesia, et pervenit usque ad speciem : ut cum credit ea, quæ non videt, mereatur perfrui, cum eum videre (*I Cor.* XIII, 12) *facie ad faciem* cœperit. Quod vero in illo quasi furore salivæ decurrebant super barbam ejus, apostolus hæc aperit dicens : (*I Cor.* I, 22) *Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt : nos autem prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Ipsis vero Judæis vocatis, et Græcis Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam, quia quod stultum est Dei sapientius est hominibus.* [c] Non tanquam salivæ offendant; sed attende quod super barbam decurrunt. Quomodo enim in salivis infirmitas, sic in barba virtus ostenditur. Texit ergo virtutem suam corpore infirmitatis suæ, et quod forinsecus infirmabatur, tanquam in saliva apparebat : intus autem divina virtus, tanquam barba tegebatur.

(*Cap.* XXIV). « Dehinc in eremo Engaddi cum persequendum David Saul appeteret, ingressus est David in speluncam, et ibi latebat. [d] Sed et rex improvisis exceptus insidiis, quod innocuo moliebatur, inciderat; scriptum est enim, *qui fodit foveam proximo suo, ipse incidet in eam.* David autem bona pro malis retribuens, inimicum non occidit, sed pro testimonio facti, oram chlamidis regiæ abstulit, cum facilius esset exceptum insidiis adversarium perdere, magis quam fallere. Quid ergo est quod iste fugiens a facie Saul, in spelunca latuit? [e] Quare autem latuit, nisi ut occultaretur, et non inveniretur? Quid est contegi spelunca, nisi contegi terra? qui enim fugit in speluncam, terra tegitur, ne videatur. Portabat autem terram Jesus : carnem quam acceperat de terra, et in ea se occultabat, ne a Judæis inveniretur Deus. (*I Cor.* II, 8) *Si* [f] *autem cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Quare ergo Dominum gloriæ non invenerunt? quia in spelunca se texerat, id est carnis infirmitatem oculis objiciebat, et majestatem divinitatis corporis tegmine tanquam (*Augustinus :* terræ abdito) speluncæ abdito [g] contegebat. Illi ergo non cognoscentes Deum persecuti sunt hominem. Nec mori potuit nisi in homine, nec crucifigi potuit, nisi in homine, quia nec teneri potuit nisi in homine. Opposuit ergo male quærentibus, terram, servavit bene quærentibus, vitam. Fugit ergo secundum carnem in speluncam a facie Saul, quia passus est, usque adeo se occultari Judæis ut moreretur. [h] Sed quare usque ad mortem voluit esse patiens, ut fugeret a facie Saul in speluncam? etenim spelunca inferior pars terræ potest accipi. Et certe, quod manifestum est, et notum est omnibus, corpus ejus in monumento positum [i] est, quod erat excisum in petra; hoc ergo monumentum spelunca erat; illuc fugiit noster David a facie Saul. Tandiu enim persecuti sunt illum Judæi, quoadusque poneretur in spelunca.

[j] « Sed quid est quod Saul persecutor ad purgandum ventrem, speluncam ingreditur, nisi quod Judæi in Christum conceptam malitiam, quasi odorem fetidum emiserunt, et cogitata apud se noxia, factis deterioribus, dum Christum perimunt, ostenderunt. Sed tamen David Saulem occidere noluit : et cum eum, in abdito occultatus antro, haberet in potestate, reservare [k] quam occidere maluit : ita et Christus dum esset in spelunca carnis, persecutorem populum in potestate habuit, et non occidit. Scriptum enim erat de his per Prophetam : (*Psal.* LVIII, 12) *Ne occideris eos.* Tantum denique David summitatem chlamidis ejus silenter abscidit, ut ostenderet prophetia Christum Judæos non occidisse, sed eis tantum regni gloriam abstulisse : chlamidis enim abscissio regni est amputatio. » [l] In eo autem quod tantum Saul veneratus est ipse David, ut percusso corde pavitaverit, quando in tene-

[a] XXI, 10. Hæc quoque nos docet Isidorus [cap. 16] et ex eo Rabanus.

[b] *Procidere.*

[c] *Et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Salivæ enim significant stultitiam et infirmitatem, sed quod stultum est Dei, fortius est hominibus, non tanquam, etc.

[d] Hæc quoque ex Isidoro sumpta sunt, ex quo etiam desumpsit Rabanus.

[e] Subsequentia in Isidoro pariter invenies : sed ad magnam etiam partem in Enarratione Augustini in Psalm. LVI, num. 4.

[f] Editi : *enim.*

[g] *Occultabat.*

[h] Nonnulla hic amputant Isidorus, et Claudius. Vide allegatum Augustini locum.

[i] *Esse.*

[j] Ex Isidoro hæc sumpta tantummodo sunt : desunt in Augustino.

[k] Additur *potius :* sed redundat.

[l] Hactenus Isidorus.

broso est occultatus antro, quo etiam Saul intraverat urgente necessitate naturæ, et exiguam particulam vestis ejus retrorsum latenter abscidit, ut haberet, unde monstraret, quomodo ei pepercerit, cum posset occidere, atque ita suspicionem de animo ejus, qua sanctum David, putans inimicum suum, vehementer persequebatur, auferret [a], futuri regni erat umbra in æternitate mansura : oleum quippe illud, quo unctus est chrismate, ab eo Christus est dictus. Ne itaque reus esset tanti sacramenti in Saule violati, quia vel indumentum ejus, sic attrectavit, extimuit, ita enim scriptum est : (24, 6, 5, 7, etc.) *Et percussit cor David super eum, quia abstulit pinnam chlamidis ejus.* Viri autem, qui cum illo erant, et ut Saulem in manus suas traditum interimere suadebant, *non mihi*, inquit, *contingat a Domino, si fecero hoc verbum Domino meo Christo Domini, inferre manum meam super eum, quia Christus Domini est hic;* huic ergo umbræ futuræ non propter ipsam, sed propter illud, quod præfigurabat tanta veneratio exhibebatur. [b] « Moraliter vero, quid per Saul, nisi mali rectores? quid per David, nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare, est pravos præpositos conceptam in corde malitiam, usque ad opera miseri odoris extendere, et cogitata apud se noxia, factis exterioribus exsequendo demonstrare. Quem tamen David ferire metuit, quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui, et si quando propter infirmitatem sese abstinere vix possunt, ut extrema quædam, atque exteriora præpositorum mala, sed tamen humiliter, loquantur, quasi oram chlamidis silenter incidunt; quia videlicet dum prælatæ dignitati saltim innoxie, et latenter derogant, quasi regis superpositi vestem secant : sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime, vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Unde bene, et illic scriptum est : *Post hæc David percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamidis Saul :* facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum reprehendenda recte judicantur. Si quando vero contra eos, vel in minimis lingua labitur, necesse est, ut per afflictionem pœnitentiæ [c] comprimatur, quatinus ad semetipum redeat, et cum præpositæ potestati deliquerit, ejus contra se judicium, a quo sibi [d] prælatus est, perhorrescat. Nam cum præpositis delinquimus, ordini ejus, qui eos nobis prælulit, obviamus. Unde Moises quoque, cum contra se, et Aaron conqueri populum cognovisset ait : (*Exod.* XVI, 8) *Nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* »

(25, 2.) Post hæc David descendit in solitudinem Maon, ubi habitabat Nabal, nomenque uxoris ejus Abigail; ad quem mittens David pueros suos, ut quodcunque invenisset manus ejus, misisset David et pueris suis. Quos ille stulte repellens, nuntiaverunt David. [e] « Tunc David accinctus armis, voluit eum depredare. (*vers.* 13) At Abigail (*vers.* 18, 23) abiit obviam David, interpellans pro se, et pro domo sua, quem vir ejus stultitia et ebrietate sopitus offenderat : *Si enim*, inquiens, (*vers.* 29) *surrexerit aliquando homo persequens te, et quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodia, quasi in fasciculo viventium, apud Dominum Deum tuum. Porro anima inimicorum tuorum rotabitur, quasi in impetu et circulo fundæ.* Pulcherrima comparatione statum justorum a reproborum sorte discernit : horum quippe animas appellat *viventes*, ut illorum e contrario spirituali morte præoccupatas insinuet; juxta illud Prophetæ : (*Ezech.* XVIII, 4) *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur :* hos fasciculo, illos lapidi fundæ assimilat : fasciculus enim constringitur, ut integer maneat, et conservetur, lapis in funda expeditus ponitur, ut abjiciatur. Sic enim in hoc sæculo electi pressuris tribulationum coangustantur, ut his admoniti, arctius se ad invicem mutua charitate [f] connectant, et coadunati ad invicem manu sui Redemptoris in perpetuum conserventur. At vero reprobi, quanto latius in hac vita voluptatibus propriis, veluti liberi dimittuntur, tanto longius in futuro a divinæ visionis gloria projiciuntur, ut de eis merito dicatur : (*Psalm.* LXXXVII) *Et quidem ipsi de manu tua* [g] *repulsi sunt.* Mire autem omnipotentem providentiam describit superni protectoris, cum dicit : *animam viri sancti quasi in fasciculo viventium apud eum esse custoditam :* sicut enim facillimum est cuilibet, fasciculum herbæ, vel feni sua manu retentum conservare, ita virtus Domini et Salvatoris nostri omnes per orbem electos, ab initio usque in finem sæculi, ne qui ex eis ulla ratione pereant, sine labore tuetur. Juxta quod ipse in Evangelio sub figura ovium de his loquens (*Joan.* X, 27 *et* 28) : *Et sequuntur me*, inquit, *et ego vitam æternam do eis : et non peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea.* Sicut fasciculus unus quibuslibet vinculis alligatur, ita omnis sanctorum cœtus una eademque fide, spe, et charitate ad invicem constringitur, uno divinæ protectionis munimine circumdatur. Patet sane [h] litteræ sensus, quia anima David, persequentibus licet hostibus, custodita semper fuit in sorte viventium. Porro inimici ejus, insistentibus sibi adversitatibus, sicut lapis fundo circumactus, sic instabili motu perturbandi, et suis essent expellendi de finibus, vel etiam ab humanis rebus auferendi. [i] Et in hoc facto Abigail, quid nobis per enuntia-

[a] Hic aliqua desunt.

[b] Subsequentia didicimus ex Gregorio Magno [3 parte *Pastoralis* admon. *v.* 5 hæc tradente].

[c] Editi : *corprematur.*

[d] Editi : *prælata est.*

[e] Subsequentia edocuit Beda quæstione 6 in libros Regum.

[f] *Connectent :* male, ut arbitror.

[g] *Expulsi.*

[h] *Uterque.*

[i] Hactenus Beda.

tionem suam innuit, [a] nisi quod iracundos melius corrigimus, si in ipsa iræ suæ commonitione declinamus; perturbati quippe quid audiant, ignorant, sed ad se reducti tanto libentius exhortationis verba recipiunt, quanto se tranquillius toleratos erubescunt. Menti autem furore ebriæ, omne rectum quod dicitur, perversum videtur : (*Cap.* 25, 37) unde, et recte Nabal ebrio culpam suam Abigail laudabiliter tacuit, quam digesto vino laudabiliter dixit. Idcirco enim malum, quod fecerat, cognoscere potuit, quia hoc ebrius non audivit.

(*Cap.* 26, 5 *et subseq.*) « Idem [b] David fugiens a facie Saul, ingressus est in castra regis. Hunc, cum dormientem invenisset non percussit, non occidit, sed solam lanceam, quæ erat ad caput ejus fixa, et [c] scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, substulit. Dormientibus cunctis egressus de castris transivit in cacumina montis.

« Quid ergó est hoc? Persequebantur namque Christum Judæi, sed persequendo dormiebant, quia non vigilabant corde : duritia enim cordis obdormitio est. Dormiunt in vitam veterem, non evigilant in novam. Venit Christus, non eos occidit, sed tulit (ab eis) eis scyphum aquæ, id est, gratiam legis : tulít, et sceptrum regale, regni scilicet potestatem, quam pro magno habebant, et unde se protegebant temporaliter, et (Qua *male utique*) quam adversus Deum per incredulitatem gerebant. Deinde et [d] victor David noster de castris eorum regressus transcendit in altitudinem montis cœlorum.

(*Cap.* 28). « Interea fugiens David, dum pergeret ad Achis regem Philistinorum in prælium adversus Israel, insurgentes Amalechitæ, irruerunt in Selech (Siceleg ), et succendentes eam, captivarunt omnia, quæ erant David et puerorum ejus. (*Cap.* XXX, 1) Reversus ergo David ad persequendos (*v.* 8, et 11. etc.) Amalechitas [e] invenit ægyptium puerum (lacessentem*: male utique*) lassescentem, quem Amalechitæ ægrotum in itinere reliquerant : hunc autem David inventum cibo reficit, [f] ducem sui itineris facit ; sicque [g] Amalechitas sequitur, epulantesque reperit, et funditus extinguit. Quid est quod ægyptius Amalechita puer in itinere lassatus residet, nisi quod amator præsentis sæculi peccati sui nigredine opertus, sæpe ab eodem sæculo infirmus, dispectusque relinquitur : ut cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus adversitate torpescat ? [h] Hos ergo eligit Deus, quos despicit mundus ; quia plerumque ipsa despectio hominem revocat ad semetipsum. (*Luc.* XV,

A 13) Is enim qui patrem reliquit, et partem substantiæ, quam perceperat, prodige expendit, postquam esurire cœpit, in se reversus dixit : (*Ibid.* 17) *Quam multi mercenarii patris mei abundant panibus !* longe quippe a se recesserat, quando peccavit, et si non esurisset, in semetipso (*Id est :* in semetipsum) minime redisset ; qui postquam terrenis rebus indiguit, tunc cogitare cœpit quid de spiritualibus amisit. [i] Infirmi ergo quique, atque in hoc mundo despecti, plerumque tanto celerius vocem Dei audiunt, quanto et in hoc mundo non habent, ubi delectentur. Quod bene jam dictus Amalechitarum puer ille designat, quia Amalechitis prædantibus, atque currentibus æger remansit in via, et fame, sitique aruit : quem tamen David invenit, ei cibum potumque præbuit :
B qui illico convalescens dux David factus, convivantes Amalechitas reperit, et eos qui se debilem reliquerant, cum magna fortitudine prostravit : Amalechitæ quippe *populus lambiens* vocatur. Et quid per lambientem populum, nisi mentes sæculares designantur ? quæ terrena cuncta ambiendo, quasi lambiunt, dum solis temporalibus delectantur. Quasi enim populus lambiens prædam facit, dum terrena diligens, lucra de alienis damnis [j] congregat. Sed puer ægyptius æger in via relinquitur, quia peccator quisque, dum infirmari ab hujus mundi statu cœperit, mox sæcularibus mentibus in despectum venit, quem tamen David invenit, eique cibum et potum tribuit, quia *manu fortis* Dominus abjecta mundi non despicit, et plerumque eos, qui sequi
C mundum minime valent, et quasi in via remanent, ad amoris sui gratiam convertit, eisque verbi sui cibum [k] porrigit, et quasi duces sibi in via dirigit, dum suos etiam prædicatores facit : dum enim Christum peccatorum cordibus inferunt, quasi David super hostes ducunt : qui convivantes Amalechitas, velut David, gladio feriunt, quia superbos quosque, qui se in mundo dispexerant, Domini virtute prosternunt. Puer ergo ægyptius, qui in via remanserat, Amalechitas interfecit, quia plerumque ipsi mentes sæcularium prædicando superant, qui prius cum sæcularibus in hoc mundo currere non valebant.

(*Cap.* XXVIII, 3, etc.) « Post [l] mortem autem Samuelis, congregati sunt Philistiim contra Israel : (*vers.*
D 6) consuluitque Saul Dominum, et non respondit ei. (*vers.* 7, etc.) Quæsivit autem Saul pythonissam, quæ suscitaret illi Samuelem : (*vers.* 15) statimque suscitatus ait ad eum : *Quare inquietasti me, ut suscitarer*, etc. Quæritur secundum historiam utrum

[a] Subsequentia perquire in 3 parte *Pastoralis* Gregorii admonit. 17.

[b] Subsequentia tradidit Isidorus quæst. 18.

[c] Editus, Isid. *lenticulam sustulit.* Prave utique, cum Scriptura ipsa dicat : Scyphum aquæ qui erat ad caput Saul, et revera deinceps fit mentio scyphi aquæ.

[d] Additur *ingressus :* sed redundat.

[e] Hæc quæ etiam habet Isidorus, perquire num. 73, alias cap. 41 libri 5 Moralium S. Gregor. Magni.

[f] Desunt verba : *ducem sui itineris facit*, quæ tamen, et Isidorus, et Gregorius habent.

[g] *Amalechitam epulantem.* Præstat nostra lectio.

[h] Subsequentia invenies numero 7, homil. 36 ejusdem Gregorii Magni in Evangelia, alia multo diversa habet Isidorus : apta tamen.

[i] Alia hic interserit Gregorius.

[j] Editi : *exaggerat.*

[k] Additur in editis : *potumque.*

[l] Hæc omnia ex Isidoro, Augustinum deinceps pariter allegante, desumpta sunt. Rabanus hæc pariter habet.

pythonissa ipsum prophetam de inferno evocaverit; an aliquam imaginariam illusionem fallacia dæmonum factam. De qua quæstione beatæ memoriæ Augustinus episcopus Simpliciano episcopo Mediolanensi ita scripsit: [a] Inquiris, inquam, utrum spiritus immundus, qui erat in pythonissa, potuerit agere, ut Samuel a Saule videretur, et loqueretur cum eo. Sed multo majoris miraculi est, quod ipse Satanas princeps immundorum omnium spirituum potuit loqui cum Deo, et petere tentandum Job (*Job.* I, 11) justissimum virum, (*Luc.* XII, 31) qui etiam Apostolos tentandos petiit; aut si hoc ideo non habet difficilem quæstionem, quia per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ, ubique præsens veritas loquitur, nec propterea magni meriti est, cui loquitur Deus: interest enim quid loquatur, quia et imperator cum multis innocentibus non loquitur, quibus providentissime consulit ad salutem, et cum multis nocentibus loquitur, quos jubet interfici. Si ergo hinc propterea nulla quæstio est, nulla sit quæstio, quomodo etiam immundus spiritus cum anima sancti viri loqui potuerit. Omnibus enim sanctis Deus creator, et sanctificator longe utique major est. Quod si hoc movet, quod licuerit maligno spiritui excitare animam justi, et tanquam de abditis mortuorum receptaculis revocare, nonne magis mirandum est, quod Satanas ipsum Dominum assumpsit, et constituit supra pinnam templi? Quolibet enim modo fecerit, ille etiam modus, quo Samueli factum est, ut excitaretur, similiter latet. Nisi forte quis dixerit faciliorem diabolo fuisse licentiam ad Dominum vivum, unde voluit assumendum, et, ubi voluit, constituendum, quam ad Samuelis defuncti spiritum a suis sedibus excitandum. Quod si illud in Evangelio nos ideo non perturbat, quia Dominus voluit atque permisit nulla diminutione suæ potestatis et divinitatis id fieri, sicut ab ipsis Judæis, quamquam perversis atque immundis, et facta diaboli facientibus, et teneri se, et vinciri, et illudi, et crucifigi, atque interfici passus est: non est absurdum credere ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permissum fuisse, ut non invitus, nec dominante, atque subjugante magica potentia, sed volens, atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ pythonissam illam, et Samuelem latebat, consentiret spiritus Prophetæ sancti, se ostendi aspectibus regis, divina eum sententia percussurus. Cur enim anima boni hominis a malis vivis evocata, si venerit, amittere videatur dignitatem suam, cum et vivi plerumque boni vocati ad malos veniant, et agant cum eis, quod officium postulat æquitatis, servato atque inconcusso decore virtutis suæ, et illorum vitiis pro rerum præsentium vel usu, vel necessitate tractatis.

« Quamquam in hoc facto potest esse alius facilior exitus, et expeditior intellectus, ut non vere spiritum Samuelis excitatum a requie sua credamus, sed aliquod phantasma, et imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt, sicut omnia, quæ pinguntur, atque finguntur [b] ex aliqua parte materiæ metalli, aut ligni, vel cujusque rei aptæ, ad opera hujusmodi, quæque etiam videntur in somnis, et omnes fere imagines earum rerum, quarum imagines sunt, appellari nominibus solent. Quis enim est, qui hominem pictum dubitet vocare hominem? quandoquidem, et singulorum quorumque picturam cum aspicimus, propria quæque nomina incunctanter adhibemus; velut cum intuentes tabulam, aut parietem dicimus: Ille Cicero est: ille Sallustius: ille Achilles: ille Hector: hoc flumen Simois: illa Roma; cum aliud nihil sit quam pictæ imagines. Unde Cherubim (*Exo.* XXV, 18) cum sint cœlestes potestates, fictæ tamen ex metallo, quod imperavit Deus, super arcam testamenti magnæ rei significandæ gratia, non aliud quam *Cherubim* [c] illæ quoque effigies vocitantur. Item quisquis videt somnium, non dicet: Vidi imaginem Augustini, aut Simpliciani, sed vidi Augustinum, aut Simplicianum: cum eo tempore, quo tale aliquid videt, nos ignoremus; usque adeo manifestum est, non ipsos homines, sed imagines videri; (*Gen.* XLI, 18) et Pharao spicas se dixit vidisse in somnis, et boves, non spicarum, aut bovum imagines. Si igitur liquido constat hominibus earum rerum, quarum imagines sunt, easdem imagines appellari, nil mirum est, quod Scriptura dicat Samuelem visum, etiam si forte imago Samuelis apparuit, machinamento ejus, qui (*II Cor.* XI, 14) transfigurat se velut Angelum lucis, et ministros suos velut ministros justitiæ.

« Jam vero, si illud movet quomodo, et a maligno spiritu Sauli vera prædicta sint, potest et illud mirum videri, quomodo dæmones agnoverunt Christum (*Matth.* VIII, 29), quem Judæi non agnoscebant. Cum enim vult Deus, etiam per [d] infimos, infernosque spiritus aliquem vera cognoscere, temporalia duntaxat, atque ad istam mortalitatem pertinentia, facile est, et non incongruum, ut omnipotens Deus, ut [e] justus, ad eorum pœnam quibus ista prædicuntur, ut malum, quod eis impendet, antequam veniat prænoscendo patiantur, occulto apparatu mysteriorum suorum, etiam spiritibus talibus aliquid divinationis impertiat: ut quod audiunt ab Angelis, prænuntient hominibus: tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus, atque moderator vel jubet, vel sinit. Unde etiam spiritus pythonicus (*Act.* XVI, 17) in Actibus Apostolorum attestatur Paulo Apostolo, et Evangelista esse conatur. Miscent tamen

[a] Lib. 2 quæstionum *ad Simplicianum* quæst. 4, num. 1.

[b] Editus: *ex aliqua materie.*

[c] Editus: *illa figmenta.*

[d] In codice *infirmos, summosque:* per errorem utique repugnantibus edito Augustini loco, et subsequentibus.

[e] Editus: *et.*

isti fallacias, et verum quod nosse potuerint, non A docendi magis, quam decipiendi fine prænuntiant : et forte hoc est, quod cum illa imago Samuelis Saulem prædiceret moriturum, (*I Reg.* xxviii, 19) dixit etiam secum futurum, quod utique falsum est : magno quippe intervallo, post mortem separari bonos a malis in Evangelio legimus, (*Luc.* xvi, 26) cum Dominus inter superbum illum divitem, cum jam apud inferos tormenta pateretur, et illum, qui ad ejus januam ulcerosus jacebat, jam in requie constitutum, magnum chaos interjectum esse testatur : aut si propterea Samuel Sauli dixit : *mecum eris*, ut non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur, quod uterque homo fuerit, et uterque mori potuerit, jamque mortuus mortem vivo prænuntiabat ; perspicit, quantum opinor, prudentia B tua, secundum utrumque intellectum, habere exitum [a] jam lectionem, qui non sit contra fidem : nisi forte profundiore, et perplexiore inquisitione, quæ vel virium mearum, vel temporis excedit angustias, inveniatur ad liquidum, vel posse, vel non posse animam humanam, cum ex hac vita migraverit, magicis carminibus evocatam [b], vivorum apparere conspectibus, etiam corporis lineamenta gestantem, ut non solum videri valeat, sed agnosci. Et si potest ; utrum etiam justi anima, non quidem cogatur magicis, [c] sed dignetur ostendi occultioribus imperiis summæ legis obtemperans ; ut si fieri non posse claruerit, non uterque sensus in hujus Scripturæ tractatione atque expositione admittatur, sed illo C excluso, imaginaria simulatio Samuelis diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniam, sive illud fieri possit, sive non possit, tamen fallacia Satanæ atque imaginum simulandarum, callida operatio decipiendis humanis sensibus multiformis invigilat, pedetentim quidem, ne inquisitionibus diligentioribus præscribamus, sed tamen potius existimemus tale aliquid factum maligno spiritu pythonissæ illius ministerio, quamdiu nobis aliquid amplius excogitare atque explicare non datur.

(31.) « Igitur exorto prælio percusserunt Philistæi Israel plaga magna : et mortuus est Saul, et Jonathan filius ejus. » (*II Reg.* i, 2) Evadens autem quidam venit ad David in Sicelech, et nuntiavit David plagam magnam, quæ facta est in populo : (*vers.* 6) insuper etiam mentiendo addidit, quod ille percussisset Saul et filium ejus. (*vers.* 15) At David Christum Domini vindicans jussit eum occidere : (*vers.* xii, 17) planxit David hujuscemodi super Saul, *et super Jonathan filium ejus.* (*vers.* 18) « *Et præcepit, ut docerent filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro justorum.* Hoc ideo fecit, ut quia [d] Philistæos sagittariis abundare jam noverat, unde et Saul maxime horum ictibus perierat, eamdem bellandi artem et sui milites ad revincendos eos discerent. Quod vero sequitur : *sicut scriptum est in libro justorum ;* ipsum librum hodie nusquam, neque apud ipsos Hebræos inveniri posse asseverant, sicut nec librum *bellorum Domini*, cujus (*num.* xxi, 14) in libro Numerorum mentio est, (*III Reg.* 32, et 33) neque carmina Salomonis, neque disputationes ejus sapientissimas de lignorum natura, herbarumque omnium, itemque jumentorum, volucrum, reptilium, et piscium, vel quod in libro dierum dicitur : (*II Paral.* ix, 29) *reliqua vero opera Salomonis, priorum, et novissimorum scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ*, et in libris Ahiæ Silonitis : *in visione quoque Addo videntis contra Jeroboam filium Nabat*, et multa hujusmodi volumina, quæ Scriptura quidem fuisse probat, sed hodie constat non esse. Vastata namque a Chaldeis Judæa, etiam bibliotheca antiquitus congregata, inter alias provinciæ opes hostili igne consumpta est, ex qua pauci, qui nunc in sancta Scriptura continentur libri, postmodum Ezræ Pontificis, et Prophetæ sunt industria restaurati : unde scriptum est de eo : (*Esd.* i, 7, 6) *Ascendit Ezras de Babylone, et ipse scriba velox in lege Moysi :* velox videlicet, quod promptiores litterarum figuras, quam eatenus Hebræi habebant, reperit, et in epistola regis Persarum (*Ibid. v.* 12) *Artaxerxes Rex regum Ezræ Sacerdoti scribæ legis Dei cœli doctissimo, salutem.* »

(*II Reg.* i, 21.) *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos : neque sint agri primitiarum, quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.* Sciri debet, quia veraciter Saul, qui post unctionem sancti chrismatis, a quo et *Christus Domini* vocatus est, ab hostibus occidi meruit, mortem veri Christi, quam sine culpa subire dignatus est, insinuat. Montes quoque Gelboe, in quibus interiit, superbos Judaicæ plebis conatus, quibus contra victorem vitæ rebellabant, insinuant. Unde bene Gelboe *volutatio*, sive *decursus* interpretatur : volutabantur enim in sorde peccatorum juxta illud proverbiorum : [e] *et sus lota in volutabro luti ;* atque a rectitudine viæ salutaris aberrantes, jam jamque ad inferiora, hoc est hujus sæculi desideria fœda decurrebant, ob quorum desiderium regem cœli et terræ in mortem tradere non dubitaD bant, propter quod eis merito optatur, ne rorem de cœlo, pluviamve suscipiant, quod hodie rebus ipsis videmus expletum in eis, quod illos gratia cœlestis deserens ad plebem gentium translata est ; quod etiam Isaias sub figura vineæ futurum illis ex persona Domini comminatus est, dicens : (*Isa.* v, 6) *et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Quod est aperte dicere : Apostolis atque Apostolicis viris omnibus mandabo, ne illis ultra verbum vitæ prædicent, sed irrigatione verbi cœlestis, quod a se re-

[a] Editi : *eam*, seu *illam*.
[b] Editi : *vivorum*.
[c] Addunt editi : *sacris*.
[d] Quæ subsequuntur lineolis pro more notata docuit Beda [quæst. 7], quem consule. Hæc ipsa habet Rabanus in locum hunc.
[e] II Pet. ii, 22. Contigit enim eis illud veri proverbii : *Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti.*

puleruut, indignos in sua sterilitate vacuos, ac perpetuo igni comburendos relinquant. [a] « De quibus, et bene dicitur: *ut agri primitiarum* esse non possint: superbe quippe Hebræorum mentes primitivos fructus non ferunt; quia in Redemptoris adventu ex parte maxima in perfidia remanentes, primordia fidei sequi noluerunt: sancta namque Ecclesia in primitiis suis multitudine gentium fecundata, vix in fine mundi, Judæos, quos invenerit, suscipiet, et extrema colligens, eos quasi reliquias frugum ponet. De quibus nimirum reliquiis Isaias dicit: (*Isa.* x, 22, *Rom.* ix, 27) *Si fuerit numerus filiorum Israel, quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Possunt enim idcirco Gelboe montes ore Prophetæ maledici, ut dum fructus ex arescente terra non oritur, possessores terræ sterilitatis damno feriantur, quatenus ipsi maledictionis sententiam accipiant, qui apud se, mortem regis suscipere, iniquitate sua exigente, meruissent. » [b] Nec tibi absurdum videri debet, ut mala reproborum acta, boni aliquid significent: aut rursum bona justorum opera in contraria significatione ponantur; lege enim Moralia sancti Papæ Gregorii, ubi exposuit, quomodo beatus Job maledixit diei suo dicens: *Pereat dies, in qua natus sum*, etc. [c], et videbis quia usitatissimum est in Scripturis, ut et bona in malorum significatione, et in sanctificatione bonorum mala hominum gesta accipiantur. Denique Uriam fidelissimum David regis militem ad piissima atque innocentissima ejus opera, vel dicta in mala significatione, et contra ipsum David in maximo suo scelere in bona accipiendum interpretantur: alioquin si non et per mala bonum, et malum significari per bona posset, nunquam liceret nigro atramento nomen Dei, sed semper lucido auro debere scribi, quia Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, nec rursum in titulis Psalmorum nomen Absalon, et Doech hominum reproborum minio fulgente, sed solo atramenti colore deceret adscribi. Sicut ergo in paginis librorum quovis colore, et mala possumus, et bona absque ulla reprehensione figurare, ita etiam in parte significationum, per quælibet hominum gesta, et bona rectissime, et mala possunt exprimi: quamvis, et multo sæpius contingat, et multo dulcius audiatur, bona per bona, et mala figurari per mala. Sicut autem in pictura parietum, neque obscurum Æthiopem candido, neque candidi corporis, sive capilli, Saxonem atro decet colore depingi, ita in retributione meritorum juxta suum quisque opus recipiet, ac qualis erit actu, talis etiam parebit in judicio; neque omnino ad rem quid quisque figurarit, sed quid egerit pertinebit.

[a] Subsequentia allegat Paterius, qui ea desumpsit ex capite 4 præfationis in lib. iv Morali.

[b] Hactenus Gregorius, et ex eo etiam Rabanus in locum hunc.

[c] Vide S. Gregorii Epistolam ad S. Leandrum præpositam expositioni libri Job [cap. 3, 44] et caput 1 libri iv ejusdem expositionis in Job. Adde quæ deinceps de Betsabee ex Gregorio Magno tradit Claudius.

## INCIPIUNT CAPITULA LIBRI II.

De eo, quod scriptum est, quod post mortem Saul venerunt viri Juda, et unxerunt David regem in Hebron, et de Abner filio Ner qui constituit Hisboseth filium Saul regem super Israel.
De filiis Remon Berothitæ, qui interfecerunt Hisboseth.
De laude David, qui congregavit triginta millia ex electis Israel, ut educerent arcam Dei, atque morte Ozæ.
Ammonitio David, ubi instruitur a propheta, ne ipse ædificaret templum Domini, sed filius ejus, et actio gratiarum ejus.
De nuntiis David, quos misit ad Annon regem Ammonitarum.
De peccato David in Bersabea, et morte Uriæ:
Ubi Nathan venit ad David, et proposuit ei similitudinem de divite et paupere.
De fuga David propter Absalon, quando nudis pedibus incedens reliquit civitatem Hierusalem.
De prælio Absalon, et percussione, atque morte ejus.
De Psalmo septimo decimo.
De nomine fortium David.
De prælio David contra Philisthæos, quando sitiens aquam Bethlemiticam desideravit.
De peccato David, quando populum numerando peccavit.

## INCIPIT PRÆFATIO LIBRI II.

[a] « Promissiones Dei, quæ factæ sunt ad Abraham, cujus semini, et gentem Israeliticam secundum carnem, et omnes gentes deberi secundum fidem, Deo pollicente didicimus; quemadmodum compleantur, per ordinem temporum procurrens Dei civitas indicavit. Quoniam ergo superioris libri usque ad regnum David factus est finis, nunc ab eodem regno, quanto suscepto operi sufficere videtur, cætera, quæ sequuntur, attingimus. Hoc itaque tempus, ex quo sanctus Samuel prophetare cœpit, et deinceps, donec populus Israel captivus in Babyloniam duceretur, atque inde secundum sancti Hieremiæ prophetiam, (*Jer.* xxv, 11) post septuaginta annos reversis Israelitis, Dei domus instauraretur, totum est Prophetarum tempus. Quamvis enim et ipsum Noe Patriarcham, in cujus diebus universa diluvio terra deleta est, et alios supra, et infra usque ad hoc tempus, quo reges in populo Dei esse cœperunt, propter quædam per eos futura, sive quo quomodo significata, sive prædicta, quæ pertinerent ad civitatem Dei, regnumque cœlorum, non immerito possumus appellare prophetas; præsertim quia nonnullos eorum id

[a] Præfatio hæc tota desumpta est ex capitulis 1, 2 et 3 libri xvii *de Civitate*, nonnullis, sed paucis demptis. Hanc itaque præfationem cum iis, quæ dixi, capitibus, compareț, obsecro, lector.

expressius legimus nuncupatos, sicut Abraham, A (*Gen.* xx, 7) sicut Moysen, (*Deutero.* xxxiv, 10) tamen dies Prophetarum præcipue, maximeque hi dict sunt, ex quo cœpit prophetare Samuel, qui et (*I Reg.* x, 1) Saulem prius, et eo reprobato, (*I Reg.* xvi, 13) ipsum David, Deo præcipiente unxit in regem, de cujus stirpe cæteri succederent, quousque illos succedere sic oporteret. Quæ igitur a Prophetis sunt prædicta de Christo, cum moriendo decedentibus, et nascendo succedentibus suis membris, civitas Dei, per ista curreret tempora, si omnia velim commemorare, in immensum pergitur. Primum, quia ipsa Scriptura, quæ per ordinem reges, eorumque facta, et eventa digerens, videtur tanquam historica diligentia rebus gestis occupata esse narrandis, si adjuvante Dei Spiritu considerata tractetur, vel ma- B gis, vel certe non minus prænuntiandis futuris, quam præteritis enuntiandis invenietur intenta: et hoc perscrutando indagare, ac differendo monstrare, quam sit operosum, atque prolixum, et quam multis indigeum voluminibus quis ignorat, qui hæc vel mediocriter cogitat? Deinde quia ea ipsa, quæ ad prophetiam non ambigitur pertinere, ita sunt multa de Christo, regnoque cœlorum, quæ civitas Dei est, ut ad hoc aperiendum major sit disputatio necessaria, quam hujus operis modus flagitat. Proinde ita si potuero, stylo moderabor meo, ut huic operi in Dei voluntate peragendo, nec ea, quæ supersint, dicam, nec ea, quæ satis sunt, prætermittam [a].

Erat ergo jam in terra promissionis semen Abrahæ, id est populus Israel secundum carnem, atque C ibi non solum [b] utendo, ac possidendo civitates adversariorum, verum etiam reges habendo, regnare jam cœperat, impletis de ipso populo promissionibus Dei jam magna ex parte: non solum quæ illis tribus Patribus, Abraham, Isaac, et Jacob, et quæcumque aliæ temporibus eorum, verum etiam quæ per ipsum Moysen, per quem populus idem de servitute Ægyptia est liberatus, et per quem cuncta præterita revelata sunt temporibus ejus, cum populum per eremum duceret, factæ fuerant. Neque autem per insignem ducem Jesum Nave, per quem populus ille in promissionis inductus est terram, expugnatisque gentibus, eam duodecim tribubus, quibus jusserat Deus, divisit et mortuus est: neque post illum toto tempore Judicum impleta fuerat promissio Dei de D terra Chanaan, a quodam flumine Ægypti, usque ad flumen magnum Eufraten. Nec tamen adhuc prophetabatur futurum, sed expectabatur implendum. Impletum est autem per David et ejus filium Salomonem: cujus regnum tanto, quanto promissum fuerat spatio, dilatatum est; universos quippe illos subdiderunt, tributariosque fecerunt. Sic ergo in terra promissionis secundum carnem, hoc est in terra Chanaan, sub [c] regibus semen Abrahæ fuerat constitutum, ut nihil inde superesset, quo terrena illa Dei promissio non compleretur, nisi ut in eadem terra, quantum ad prosperitatem attinet temporalem, prosperitatis successione inconcusso statu, usque ad mortalis hujus sæculi terminum gens permaneret hebræa, si Domini Dei sui legibus obediret. Sed quoniam Deus noverat hoc eam non esse facturam, usus est etiam temporalibus pœnis ad exercendos in ea paucos fideles suos, et ammonendos qui postea futuri erant in omnibus gentibus, quod eos ammoneri oportebat. In quibus alteram promissionem revelato novo testamento, per incarnationem Christi fuerat impleturus. Quo circa sicut oracula illa divina ad Abraham, Isaac, et Jacob, et quæcumque alia signa, vel dicta prophetica in sacris litteris præcedentibus facta sunt, ita etiam cæteræ ab isto Regum tempore prophetiæ partim pertinent ad gentem carnis Abrahæ, partim vero ad illud semen ejus, in quo benedicuntur omnes gentes cohæredes Christi per testamentum novum, ad possidendam vitam æternam, regnumque cœlorum. Partim ergo ad ancillam, quæ in servitute generat, id est terrenam Hierusalem, quæ servit cum filiis suis, partim vero ad liberam civitatem Dei, id est veram Hierusalem æternam in cœlis, cujus filii homines secundum Deum viventes peregrinantur in terris; sed sunt in eis quædam, quæ ad utramque pertinere intelliguntur, ad ancillam proprie, ad liberam figurate. Tripartita itaque reperiuntur eloquia Prophetarum: siquidem aliqua sunt ad terrenam Hierusalem spectantia, aliqua ad cœlestem, nonnulla ad utramque. »

(*II Reg.* 2, 4, 5, 6.) Post mortem Saul venerunt viri Juda, et unxerunt David in Hebron, ut regnaret super domum Juda: et nuntiatum est David, quod viri Jabes Galaad sepelissent Saul; misit ergo David nuntios ad viros Jabes Galaad, dixitque ad eos: *Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino viro Saul, et sepelistis eum, et nunc retribuet quidem vobis misericordiam, et veritatem.* « [d] Cur ergo isti, qui Saulem, et ejus filium sepelierunt, misericordiam fecisse dicuntur, et ob hoc a rege pio benedicuntur, nisi quia bene afficiuntur corda miserantium, quando ea dolent in mortuorum corporibus alienis, quæ illo affectu, quo nemo unquam carnem suam odio habet, nolunt fieri post mortem suam corporibus suis, et quod sibi exhiberi volunt, quando sensuri non sunt, aliis non sentientibus curant exhibere dum sentiunt. »

David uncto super domum Judam rege, (2, 8, 9, 10, *etc.*) *Abner filius Ner Hisboseth filium Saul regem constituit super universum Israel: egressusque est Abner filius Ner cum pueris Hisboseth de castris Gabaon. Porro Joab filius Sarviæ cum pueris David*

[a] Multa hic prætermittit Claudius, quæ ad rem præsentem non pertinent, quæque aptissime inseruerat Augustinus, ut superiora his, quæ statim pertractat, jungeret.

[b] Editus: *tenendo.*

[c] Edit. addit: *his.*

[d] Subsequentia tradidit Augustinus cap. 9, num. 11 libri *De cura mortuorum*, alias *De cura pro mortuis gerenda.*

*egressi de Hebron concitaverunt bellum juxta piscinam Gabaon, et persequebatur Asahel Abner. Locutusque est Abner ad Asael, dicens : Recede; noli me sequi, ne compellar confodere te in terram. Qui contempsit et noluit declinare. Percussit ergo eum Abner aversa hasta in inguine, et transfodit eum, et mortuus est.* [a] « Cujus Asael typum tenuit, nisi eorum quos vehementer arripiens furor in præceps ducit? qui in eodem furoris impetu tanto caute declinandi sunt, quanto et insane rapiuntur. Unde et Abner, qui sermone nostro *patris lucerna* dicitur, fugit, quia doctorum lingua, quæ supernum Dei lumen indicat, cum per abrupta furoris mentem cujuspiam ferri conspicit, cumque contra irascentem dissimulat verborum jacula reddere, quasi persequentem non vult ferire, sed cum iracundi nulla consideratione se mitigant, et quasi Asael persequi et insanire non cessant, necesse est ut hi qui furentes reprimere conantur nequaquam se in furore erigant, sed quidquid est tranquillitatis ostendant, quædam vero subtiliter proferant, in quibus ex obliquo furentis animum pungant. Unde et Abner cum contra persequentem subsistit, non eum recta, sed aversa hasta transforavit. Ex mucrone quippe percutere, est impetu apertæ increpationis obviare : aversa vero hasta persequentem ferire, est furentem tranquille ex quibusdam tangere et quasi parcendo superare. Asael autem protinus occubuit, quia commotæ mentes, dum et parci sibi sentiunt, et tamen responsorum ratione in intimis sub tranquillitate tanguntur, ab eo quo se erexerant, statim cadunt. Qui ergo a fervoris sui impetu sub lenitatis percussione resiliunt, quasi sine ferro moriuntur. »

(4, 5 et 6.) *Igitur venientes filii Remmon Berothitæ, Rechab et Bahana ingressi sunt fervente die in domum Hisboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie. Ingressi sunt autem domum, et ostiaria domus purgans triticum obdormivit; assumentes spicas tritici latenter ingressi sunt et percusserunt eum in inguine.* [b] « Ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia discernendo, virtutes a vitiis separat : quæ, si obdormierit in mortem proprii Domini, insidiatores admittit, quia cum discretionis sollicitudo cessaverit, ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit : qui ingressi spicas tollunt, quia mox bonarum cogitationum germina auferunt, atque in inguine feriunt, quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt : in inguine quippe ferire, est vitam mentis carnis delectatione perforare. Nequaquam vero Hisboseth iste [c] morte succumberet, si non ad ingressum domus, mulierem, id est ad mentis aditum mollem custodiam deputasset. Fortis namque, vigilisque sensus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ somniis opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Unde bene Hisboseth appellatus

A est, qui custode femina hostilibus gladiis nudatur : Hisboseth quippe *vir confusionis* dicitur. Vir autem confusionis est qui fortis mentis custodia munitus non est, qui dum virtutes se agere æstimat, subintrantia vitia nescientem necant. Tota itaque virtute muniendus est aditus mentis, ne quando eam insidiantes hostes penetrent foramine neglectæ cogitationis. »

(*Cap.* 6.) *Congregavit autem David omnes electos ex Israel triginta millia : surrexitque et abiit, et universus populus qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum sedentis in cherubim super eam.* [d] Congregavit David omnes electos ex Israel triginta millia, quia Dominus Ecclesiam primitivam ex
B Israel instituit : non quidem omnem Israel, sed electos quosque sibi consocians : *Non enim omnes, qui ex Israel, ii sunt Israelitæ* (*Rom.* IV, 12, *et* 9, 4, 6, 7, 8), *sed filii promissionis deputantur in semine.* « Qui triginta millia fuisse referuntur, id est fidei operis et spei firmitate perfecti : tria enim propter confessionem sanctæ Trinitatis ad fidem pertinent ; decem propter Decalogum legis, ad opera ; mille propter sui perfectionem ad spem vitæ æternæ, qua superius aliquid non est, sicut numerus millenario major nullus est. Et si enim decem millia, si triginta millia, si etiam mille millia dixeris, non ipsum mille numerando transcendes, sed vel per se, vel per minores numeros sæpius ducendo multiplicas. Tria ergo per
C decem multiplica, ne fides sine operibus mortua sit. Item triginta per mille multiplica, ut fides, quæ per dilectionem operatur, non alibi quam in cœlis retributionem speret. Electi ergo ex Israel populos recte credentes, operantes, sperantes insinuant. Viri autem Juda, qui erant cum David, ipsos populos et doctores, qui lateri Christi quasi familiares adhærebant, indicant, quo utroque stipatus exercitu, Domini arcam adducere, id est Ecclesiam dilatare, et in eorum qui non crediderunt, cordibus inserere gaudet. Imponitur autem arca plaustro novo, ut Novi Testamenti gratia renovatis in baptismo mentibus infundatur, vinumque novum novis utribus conservandum mandetur.

(*I Reg.* VII, 1, *et II Reg.* VI, 4.) « Erat quidem prius
D arca in domo Aminadab, qui erat in Gabaa, quia eadem quæ nunc prædicatur Ecclesiæ fides, et ante Incarnationis Dominicæ tempus florebat in his qui patriarcharum prophetarumque sunt devotionem secuti. Aminadab enim, qui interpretatur *pater meus spontaneus*, (*additur* et) vel Abraham patrem fidei, (et) vel Moysen legislatorem significabat, qui [e] utique in Gabaa custodit arcam, quia sublimi virtutis exemplo credentium pectora munit. Unde et Gabaa *collis* interpretatur, qui est locus in civitate Cariathiarim. Elata ergo foris arca ludebat David, et om

[a] Subsequentia Gregorius Magnus capite 16 tertiæ partis Pastoralis, admonitione 17.

[b] Quæ pro more notata sequuntur, tradidit Gregorius num. 49 [alias cap. 36] libri I Moralium in Job.

[c] Editus : *hac morte.*

[d] Subsequentia reperi etiam in Rabano locum hunc explicante.

[e] Uterque.

nis Israel coram Domino diversis musicorum generibus, quia mox inchoante novæ gratiæ præconio Dominus ad exhibendas Deo Patri laudes humilitatis, omnes invitat, dicens : (*Joan.* XII) *Qui mihi ministrat me sequatur :* (*I Cor.* XII, 8, etc.) alii dando per spiritum *sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii genera linguarum, alii gratiam curationum*, etc. Sed his atque hujusmodi charismatum generibus progrediente arca, id est, crescente Ecclesia primitiva, ventum est ad aream Nachor (*Nachon*), id est, aream præparatam, gentium videlicet Ecclesiam, fidei veritate consecrandam, de qua Joannes ait : (*Matth.* III, 12) *Et permundabit aream suam.* Ibi sacerdos, qui arcam incautius, quasi corrigendo tetigit, mox a Domino percussus occubuit : quia Judæorum populus dum gentibus invidet, salutis se munere privat, dumque legem vult Evangelio miscere, utriusque sibi gratiam tollit.

« *Et tenuit*, inquit, *eam, quoniam calcitrabant boves.* Boves quippe calcitrare, est prædicatores Evangelii liberius circa fidem agere, neque secundum consuetudinem legis ingredi, sed sabbata, neomenias, circumcisionem victimasque spiritualiter interpretari, quos velut errantes corrigere tentabant, qui descendentes de Judæa docebant fratres : (*Act.* XV) *quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvi fieri*, et de quibus Jacobus ad Paulum : (*Act.* XXI) *Vides*, inquit, *frater, quod millia sunt in Judæis qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis*

« Ob causam ergo sacerdotis occisi David noluit [a] diverti ad se arcam Domini in civitatem David, sed divertit eam in domum Obethedom Gethæi, quia respuentibus verbum Judæis, ne amplius audita et non suscepta prædicatio noceret, apostoli ab eis ablati et ad gentes imbuendas sunt missi. Unde et locus areæ Nachor, quæ gentium fidem Domini gratiæ præparatam demonstrat, percussio Oza nuncupatur, videlicet quia (*Rom.* XII) *illorum delicto salus contigit gentibus.* Obethedom namque interpretatur *serviens homo :* ille est utique de quo Dominus ad Patrem : (*Psal.* XVII) *Constitues*, inquit, *me in caput gentium, populusque quem non cognovi servivit mihi.* Ubi et Judæorum abjectionem, quasi Ozæ mortem præmittens, ait : (*Ibidem*, *v.* 44) *Eripies me de contradictionibus populi ;* nomen quoque urbis congruit : Geth enim interpretatur *torcular*, significans *crucem*, in qua vitis vera calcari et exprimi dignata est ; a qua cunctus gentium populus merito *Gethæus* appellari potest, cui dicitur : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* [b].

« Tres autem menses, quibus ibidem arca demoratur, fides, spes et charitas est. Sicut enim diebus adimpletur mensis, ita singulæ virtutes suis quæque passibus ad perfectionem perveniunt. Hi menses quousque plenitudo gentium intret, currere non cessant. Tandem rediens David arcam in civitatem David inducet, quia Dominus, Enoch et Elia prædicantibus, (*Luc.* I, V) *convertet corda patrum in filios.*

« *Boves et arietes* immolans, hoc est, eos qui aream Domini triturant, et ovium ejus ducatum gerunt, martyrii sanguine coronans, et ipse quoque suæ Incarnationis et passionis exemplum eatenus Judæis non creditum palam manifestans : hoc enim significat quod et ipse David accinctus erat Ephot lineo ; nam linum quod de terra procreatum multiplici labore ad candorem vestis pervenit, veritatem humanæ carnis inter flagella triumphantis ostendit. Verum cunctis exsultantibus et ad arcæ cœlestis introitum hymnos resonantibus, sola Michol filia Saul arcam ducentibus abest, quin etiam e speculis David humiliatum despicit, quia credentibus in mundi finem Judæis, erunt nonnulli qui Christum professione, sed opere sequantur Antichristum : quibus merito congruit quod eadem Michol ob figurandam instabilitatem carnalium, *aqua omnis* interpretatur, non uxor David, sed filia Saul appellatur, quia qui fide tenus Christo serviunt non illius regno coronandi, sed persecutorum ejus, quos imitaverunt, anathemate damnandi. Verum pravi succenseant, humilitatem Ecclesiæ contemnant, nihilominus arca Domini suum locum ingreditur.

« *Ponitur in medio tabernaculi quod tetenderat ei David*, id est, fides Ecclesiæ prædicatur, proficit, inseritur cordibus omnium, quos Dominus ad vitam præordinaverat æternam. (*Act.* XIII, 48.) Offert David holocausta et pacifica coram Domino, id est, fidem devotionemque Ecclesiæ commendat Patri Christus (*Rom.* VIII, 34), *qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Qui in exemplum David fideles humilesque benedicens salubris *mysterii* pascit alimentis. *Partitur singulis collyridam panis unam*, (*II Reg.* VI, 6, etc.) illius utique qui *de cœlo descendit*, et dat *vitam huic mundo.* (*Joan.* VI, 33, 48, etc.) Et *assaturam bubulæ carnis unam*, illius scilicet vituli saginati, qui pro revertente ad patrem filio juniore mactatus et igne passionis assatus est, dicens : (*Psalm.* XXI, 16) *Exaruit velut testa virtus mea.* (*II Reg.* VI, 19) *Et similam frixam oleo*, carnem videlicet a peccati labe mundissimam, sed ob humanæ salutis uberrimam dilectionem, crucis sartagine tostam. Et merito una panis collyrida, et una carnis assatura datur, quia (*Ephes.* IV, 5) *unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et pater omnium.* Aliter hæc munera fideles accipiunt, quando (*I Cor.* X, 17) *unus panis et unum corpus multi sumus* in Christo, et suæ carnis singuli lasciviam castigantes ac servituti subjicientes, sancti Spiritus igne decoquunt, nec non et fructus operum bonorum, oleo misericordiæ pinguissimo compassione proximi fervere faciunt. (*II Reg.*, VI, *v.* 23) At contra filia Saul frustra cubiculum regis ingressa, nullos concepti seminis fructus dat : quia qui verbum Dei aure tenus percipiunt, absque boni operis prole diem

[a] Divertere.

[b] Vide quæ tradit Augustinus num. 3 Enarrationis in psal. LV.

perpetuæ mortis exspectant. » [a] In hac historia A beati regis et prophetæ David, qua arcam Dei adduxisse narratur, moraliter humilitas approbata, superbia damnata et temeritas vindicata monstratur, quia et ipse David coram arca Domini humiliter saltare non erubuit (*v.* 14), mox promissionem Filii Dei ex sua stirpe nascituri suscipere promeruit : et conjux, quæ eamdem illius humilitatem despexit, ejus semine fecundari non merita, perpetuæ sterilitatis pœnas luit. Intueri enim libet quanta virtutum munera David percipiat, atque in his omnibus, quam fortiter se humilitate servabat. [b] « Quem enim non extolleret ora leonum frangere? ursorum brachia dissipare, (*I Reg.* XVII, 38) despectis prioribus fratribus eligi, (XVI, 12, *et* XVIII, 28) reprobato rege ad regni gubernacula ungi timendum cunctis uno lapide B Goliam sternere (XVI, 50), a rege proposita exstinctis allophylis numerosa præputia reportare, (XVIII, 27) promissum tandem regnum percipere, cunctumque Israeliticum populum sine ulla contradictione possidere? (*II Reg.* V, 1) Et tamen cum arcam Dei Hierusalem revocat, quasi oblitus prælatum se omnibus, admistus populis ante arcam saltat. Et quia coram arca saltare, ut creditur, vulgi mos fuerat, rex se in divino obsequio per saltum rotat. Ecce, quem Dominus cunctis singulariter prætulit, sese sub Domino, et exæquando minimis et abjecta exhibendo contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducitur, non subjectorum oculis saltando vilescere metuit : non se honore prælatum cæteris, C ante ejus arcam, qui honorem dederat recognoscit. Coram Domino egit [c] debilia vel extrema, ut illa ex humilitate solidaret quæ coram hominibus gesserat fortia. Quid de ejus factis ab aliis sentiatur, ignoro : ego David plus saltantem stupeo, quam pugnantem; pugnando quippe hostem subdidit, saltando autem coram Domino semetipsum vicit : quem Michol filia Saul adhuc ex tumore [d] regiæ gentis insana, cum humiliatum despiceret, dicens : (*vers.* 20) *Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris*, protinus audivit : (*vers.* 22) *Vivit Dominus, quia ludam ante Dominum qui elegit me potius quam patrem tuum.* Et paulo post ait : *Et ludam, et vilior fiam plusquam factus sum, eroque* D *humilis in oculis meis.* Ac si aperte dicat : Vilescere coram hominibus appeto, quia servare me coram Domino ingenuum per humilitatem quæro. Sunt vero nonnulli qui de semetipsis humilia sentiunt, quia in honoribus positi nihil se esse, nisi pulverem favillamque, perpendunt; sed tamen coram hominibus viles apparere refugiunt, et contra hoc, quod de se interius cogitant, quasi rigida exterius venustate palliantur. Et sunt nonnulli qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne quod sunt, dejectos se exhibendo, contemnunt; sed tamen apud se introrsus, quasi ex ipso merito ostensæ vilitatis intumescunt, et tanto magis in corde elati sunt, quanto amplius in specie elationem premunt. Quæ utraque unius elationis bella, magna David circumspectione deprehendit, mira virtute superavit. Quia enim de semetipso intus humilia sentiens, honorem exterius non quærit, insinuat, dicens : (*vers.* 22) *Ludam et vilior fiam.* Et quia per hoc quod vilem se exterius præbuit, nequaquam interius intumescit, adjungit : *Eroque humilis in oculis meis;* ac si dicat : qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me interius attendo. Quid ergo acturi sunt, quos doctrina elevat, si David ex carne sua venturum Redemptorem noverat, ejusque gaudia prophetando nuntiabat, et tamen in semetipso cervicem cordis valida discretionis calce deprimebat, dicens : *Eroque humilis in oculis meis.*

« [e] Sacerdos quoque, qui arcam inconsiderata temeritate tetigit, ausus sui reatum immatura morte purgavit [f] minores deterioresque demonstrat, qui intelligere non valent, et despiciunt vel facta vel dicta meliorum, sed eo ab eis non temere reprehendenda sunt, quo apprehendi veraciter nequaquam possunt. Sæpe aliquid a majoribus dispensatorie agitur, quod a minoribus error putatur, sæpe multa a fortibus dicuntur, quæ idcirco infirmi dijudicant, quia ignorant. Quod bene bobus calcitrantibus inclinata illa testamenti arca significavit, quam qui casuram credens levites erigere voluit, mox sententiam mortis accepit. Quid est namque mens justi, nisi arca testamenti, quæ gestata bobus calcitrantibus inclinatur? Quia nonnunquam etiam qui bene præest, dum subjectorum populorum confusione concutitur, ad dispensationis condescensionem ex sola dilectione promovet. Sed in hoc quod dispensatione agitur, inclinatio ipsa fortitudinis, casus putatur imperitis. Unde et nonnulli subditi contra hanc manum reprehensionis mittunt; sed a vita protinus ipsa sua temeritate deficiunt. Levites ergo quasi adjuvans manum tetendit : sed delinquens vitam perdidit, quia dum infirmi quique fortium facta corripiunt, ipsi a viventium sorte reprobantur. Aliquando etiam sancti viri quædam minimis condescendentes dicunt, quædam vero summa contemplantes proferunt : dumque vim vel condescensionis vel altitudinis nesciunt, audacter hæc stulti reprehendunt. Et quid est justum de sua condescensione velle corrigere, nisi inclinatam arcam superba reprehensionis manu relevare? Quid est justum de [g] incondita locutione reprehendere, nisi motum ejus fortitudinis, erroris lapsum putare? sed perdit vitam qui arcam Dei tumide sublevat, quia nequaquam quis

[a] Hactenus etiam Rabanus.

[b] Quæ subsequuntur expressim invenies cap. 46, alias num. 77 et 78 libri XXVII Moralium in Job a sancto Gregorio elucubratorum.

[c] Edit., *vilia;* sed retinendum puto *debilia*, quæ scilicet humilitate solidaret.

[d] Edit., *regii generis.*

[e] Sacerdotem late intellige.

[f] Hæc exscribit ex Gregorii libro V Moralium [num. 24, alias cap. 9 vel 10] Claudius, qui tamen nonnulla mutavit.

[g] Edit., *incognita.*

sanctorum corrigere recta præsumeret, nisi de se A prius meliora sensisset. Unde et levites idem, recte *Oza* dicitur, quod videlicet *robustus Domini* interpretatur: quia præsumptores quique, nisi audaci mente robustos se in Domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta velut infirma judicarent. »

(*Cap.* 7.) Post hæc, cum regi David multa prospera provenissent, cogitavit facere Deo domum, templum illud scilicet excellentissime diffamatum, quod a rege Salomone filio ejus postea fabricatum est. Hoc eo cogitante factum est verbum Domini ad Nathan prophetam, quod perferret ad regem. Ubi cum dixisset Dominus, quod non ab ipso David sibi ædificaretur domus, neque per tantum tempus se mandasse cuiquam in populo suo, ut sibi fieret do- B mus cedrina : (*vers.* 5, 6, 7, 8) *Et nunc,* inquit, *hoc dices servo meo David. Hæc dicit Dominus :* (*vers.* 12) *Cum impleti fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium.* [a] « Hanc tam grandem promissionem qui putat in Salomone fuisse completam, multum errat. Attendit enim quod dictum est : *hic ædificabit mihi domum*, quoniam Salomon templum illud nobile struxit, et non attendit : *Fidelis erit domus ejus, et regnum ejus usque in æternum coram me.*

« Attendat ergo et aspiciat Salomonis domum ple- C nam mulieribus alienigenis colentibus Deos falsos, et ipsorum ab eis regem aliquando sapientem, in eamdem idololatriam seductum atque dejectum, et non audeat existimare Deum, vel hoc promisisse mendaciter, vel talem Salomonem domumque ejus futuram, non potuisse præscire. Non hinc autem deberemus ambigere, nec si non in Christo Domino nostro, qui factus (*Rom.* I, 3) est ex semine David secundum carnem, jam videremus ista compleri, ne vane atque inaniter hic aliquem requiramus, sicut carnales Judæi. Nam et ipsi usque adeo filium, quem loco isto regi David promissum legunt, intelligunt non fuisse Salomonem, ut eo qui promissus est, tanta jam manifestatione declarato, adhuc mirabili cæcitate alium sperare se dicant. Facta est quidem non- D nulla imago rei futuræ etiam in Salomone, in eo quod templum ædificavit, et pacem habuit secundum nomen suum (Salomon quippe pacificus est Latine), et in exordio regni sui mirabiliter laudabilis fuit : sed eadem sua persona per umbram futuri, prænuntiabat etiam ipse Christum Dominum, non exhibebat. Unde quædam de illo ita scripta sunt, quasi de ipso ista prædicta sint, dum Scriptura sancta etiam rebus gestis prophetans, quodam modo in eo figuram delineat futurorum. Nam præter libros divinæ historiæ, ubi regnasse narratur, psalmus etiam septuagesimus primus titulo nominis ejus inscriptus est : in quo tam multa dicuntur, quæ omnino ei convenire non possunt, Domino autem Christo aptissima perspicuitate conveniunt, ut evidenter appareat, quod in illo figura qualiscunque adumbrata sit; in isto ipsa veritas præsentata. Notum est enim quibus terminis regnum conclusum fuerit Salomonis : et tamen in eo psalmo legitur, ut alia taceam : (*Psal.* LXXI, 8) *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ :* quod in Christo videmus impleri. A flumine quippe dominandi sumpsit exordium, ubi baptizatus a Joanne, eodem monstrante cœpit agnosci a discipulis, qui eum non solum *Magistrum*, verum etiam *Dominum* appellaverunt : nec ob aliud, vivente adhuc patre suo David, regnare Salomon cœpit, quod nulli regum illorum contigit, nisi ut hinc quoque satis eluceat, non esse ipsum quem prophetia ista præsignat, quæ ad ejus patrem loquitur, dicens : *Et erit cum completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, qui exiet de ventre tuo, et præparabo regnum illius.* Quomodo ergo propter quod sequitur : *ædificabit mihi domum*, iste Salomon putabitur prophetatus, et non potius propter id quod procedit : *cum completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te?* Alius pacificus intelligitur esse promissus, qui non ante, sicut iste, sed post mortem David prænuntiatus est suscitandus. Quolibet enim, longo interposito tempore, Jesus Christus veniret, procul dubio post mortem David regis, cui sic est promissus, eum venire oportebat, qui ædificaret domum Deo, non de lignis et lapidibus, sed de hominibus, qualem illum ædificare gaudemus : huic enim domui dicit Apostolus, hoc est fidelibus Christi : (*I Cor.* III, 17) *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Propter quod in psalmo octuagesimo octavo, cujus titulus est : *Intellectus ipsi Ethan Israelitæ*, commemorantur promissiones Dei factæ regi David, sicut et in hoc libro Regum positæ sunt, ita et ibi quædam similia dicuntur, sicut est illud : (*Ibidem, id est Ps.* LXXXVIII, 5) *Juravi David servo meo, usque in æternum præparabo semen tuum*, etc. [b] Illud vero quod dicit : [c] *Qui, si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum ; misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saule, quem amovi a facie mea :* non dixit *ab eis*, sed dixit *ab eo.* Non enim Christi ipsius, quod est caput Ecclesiæ, possunt inveniri ulla peccata, quæ opus esset humanibus correptionibus, servata misericordia divinitus coerceri, sed in ejus corpore ac membris, quod *populus ejus est.*

[a] Qui tam multa ex Augustino in prioris libri Regum explicatione descripserat, iterum ex Augustino hæc describit, quæ scilicet capitibus 8 et 9 libri XVII *de Civitate* tradit.

[b] In edito Augustini loco alia multa recitantur, ex eodem psalmo, quæ desinunt in verbis illis : *Et thronum ejus sicut dies cœli.*

[c] Hic nonnulla diversitas est editum inter Augustini locum et nostrum, qui cum vulgato Eucherio fere convenit.

[a] « Illud vero quod locutus est Deus per Nathan ad David, nullo modo prætermittendum est, ubi ait: (*II Reg.* VII, 10, 11) *Et ponam locum meo populo Israel, et plantabo illum, et inhabitabit seorsum, et non sollicitus erit ultra, et non apponet filius iniquitatis humiliare eum, sicut ab initio a diebus, quibus constitui judices super populum meum Israel.* Hoc tam magnum bonum quisquis in hoc sæculo, et in hac terra sperat, insipienter [b] facit. An quispiam putabit in pace regis Salomonis id esse completum: pacem quippe illam Scriptura in umbra futuri excellenti prædicatione commendat? sed huic suspicioni vigilanter occursum est, cum posteaquam dictum est: *Et non apponet filius iniquitatis humiliare eum,* continuo subjunctum est: *sicut ab initio in diebus quibus constitui judices super populum meum Israel.* Judices namque, priusquam reges ibi esse cœpissent, super illum populum fuerant constituti, ex quo terram promissionis accepit. Et utique humiliabat eum filius iniquitatis, hoc est hostis alienigena per intervalla temporum, quibus leguntur pacem alternasse cum bellis: et inveniunt illic pacis tempora prolixiora, quam Salomon habuit, qui quadraginta regnavit annos. Nam sub eo judice, qui est appellatus Aoth, octoginta anni pacis fuerunt. Absit ergo ut Salomonis tempora in hac promissione prædicta esse credantur: multo minus utique cujuslibet regis alterius: non enim quisquam eorum in tanta, quanta ille, pace regnavit: nec unquam omnino gens illa ita regnum tenuit, ut sollicita non fuerit, ne hostibus subderetur: quia in tanta mutabilitate rerum humanarum nulli aliquando populo concessa est tanta securitas, ut hujus vitæ hostiles non formidaret incursus. Locus ergo iste, qui promittitur tam pacatæ ac securæ habitationis, æternus est, æternisque debetur in matre Hierusalem libera, ubi erit veraciter populus Israel: hoc enim nomen interpretatur *videns Deum*: cujus præmii desiderio pia per fidem vita in hac ærumnosa peregrinatione ducenda est.

Nuntiante verba hæc Nathan ad David, (*II* VII, 18) *ingressus est rex David, et sedit coram Domino.* [c] « Quid aliud in hac sessione intelligendum est, nisi quia sedit in conspectu Domini, sive ubi erat arca testamenti, per quam sacratior et commendatior quædam præsentia Domini accipi potest, sive quia oraturus sedit: quod non fit recte, nisi in conspectu Dei, hoc est in intimis cordis. Potest enim et sic accipi, quod dictum est, *ante Dominum*, ubi nullus esset hominum, qui audiret orantem. Sive ergo propter arcam testamenti, sive propter secretum locum, et remotum ab arbitris, sive propter intimum cordis, ubi erat orantis affectus, convenienter dictum est: *sedit ante Dominum*: nisi forte quod sedens oravit, hoc movet: cum et [d] spiritus Heliæ hoc fecerit, quando pluviam orando impetravit. Quibus admonemur exemplis, non esse præscriptum, quomodo corpus constituatur ad orandum, dum animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam et stantes oramus, sicut scriptum est: (*Luc.* XVIII, 13) *publicanus autem de longe stabat*, et fixis genibus, sicut in Actibus apostolorum legimus, (*Act.* VII, 59, *et* XX, 36) et sedentes sicut, ecce David, et Helias. Nisi autem etiam jacentes oraremus, non scriptum esset in psalmis: (*Psal.* VI, 7) *Lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.* Cum enim quisque orationem quærit, collocat membra, sicut ei occurrerit accommodata pro tempore positio corporis ad movendum animum. Cum autem non quæritur, sed infertur appetitus orandi, hoc est cum aliquid repente venit in mentem, quo supplicandi moveatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocunque modo invenerit hominem, non est utique differenda oratio, ut quæramus, quo secedamus, aut ubi stemus, aut ubi prosternamur: gignit enim sibi mentis intentio solitudinem, et sæpe etiam obliviscitur se, vel quam cœli partem, vel in qua positione corporis membra illud tempus invenerit.

« *Fecit quoque David sibi nomen, cum reverteretur capta Syria in valle salinarum, cæsis duodecim millibus.* [e] Quid de percussa multitudine ad David in salinarum valle signatur, nisi quia Redemptor noster suæ videlicet districtionis examine, in his qui de illo prava sentiunt, stultitiam immoderati saporis exstinguit. »

(*II Reg.* X, 1, *et seq.*) *Factum est autem post hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon, et regnaret Hanon filius ejus pro eo: dixitque David: faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum misericordiam. Misit ergo David consolans eum per servos suos super patris interitum. Cum autem venissent servi David in terra filiorum Ammon, dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum suum: putas quod propter honorem patris tui David miserit ad te consolatores, et non ideo, ut investigaret et exploraret civitatem, et everteret eam, misit David servos suos ad te? Tulit itaque Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, et præcidit vestes eorum medias usque ad nates, et dimisit eos. Quod cum nuntiatum fuisset David, misit in occursum eorum; erant enim viri confusi turpiter valde, et mandavit eis David: manete in Jerico, donec crescat barba vestra, et tunc revertimini.* Sicut enim Hanon rex [f] Ammonitarum servos David ad se missos deturpavit, atque ludibriter fedatos ad eumdem David remisit, ita et diabolus princeps hujus mundi plerosque religiosos per subripientia vitia deturpare con-

[a] Subsequentia require in fine capitis 12 et subsequenti capite, id est 13.

[b] Edit., *sapit.*

[c] Augustinum Magistrum hic quoque sequitur Claudius, in rem suam deducens, quæ docet sanctus doctor quæstione 4 libri II Quæstionum ad Simplicianum.

[d] Edit., *Sanctus Elias*, III Reg. XVIII, 42.

[e] II Reg. VIII, 13. Deinceps Gregorium Magnum docentem exscribit Claudius. Hæc scilicet Gregorius tradit num. 45 [alias cap. 14, vel 18] libri III Moralium.

[f] Codex perperam habet *Moab.*

suevit, qui dum eorum latentia mala, in aperta et flagitiosa, perpetrataque luxuria detegit, quasi eorum indumentis usque ad nates abscissis nudos a dignitate castitatis derelinquit : et dum pristinam eorum fortitudinem eripit, velut barbam radit. Quos tamen verus David, Dominus scilicet, et Salvator noster, clementi respectu a pœnitentiæ indulgentia non excludit : quos et in Jerico (hoc est sub anathemate pœnitentiæ) residere jubet, donec sacramenta spiritualia, et fortitudinem mentis, quæ peccando perdiderunt, satisfaciendo recipiant; et sic demum in conspectu ejus stare valeant.

(*II Reg.* II, 2.) *Factum est, dum resurgeret David de strato suo post meridiem, et deambularet in solario domus regiæ, vidit mulierem se lavantem, mittensque tulit eam, et dormivit cum ea, quæ concepit. Cumque cognovisset David, misit ad Joab dicens : mitte ad me Uriam Æthæum. Veniens Urias ad David ...... misit epistolam David per Uriam ad Joab, ut poneret Uriam ubi fortissimum prælium erat : fecitque Joab ita : et mortuus est Urias Ethæus.* [a] « Plerumque quædam res per historiam virtus est, per significationem culpa : sicut aliquando res gesta [b] in causa facta, damnatio est, in scripto autem prophetia virtutis : quod [c] utrumque citius ostendimus, cum hujus sacræ Scripturæ testimonium ad utraque probanda in medium deducimus. Quis namque audiens non solum fidelium, sed etiam infidelium, non omnimode testatur, quod David in solario deambulans, Bersabee Uriæ concupivit uxorem? Quem tamen a prælio revertentem ire ad domum admonet, et pedes lavare : qui protinus respondit dicens : (*vers.* 11) *arca Domini sub pellibus est, et ego in domo mea requiescam?* Quem David ad mensam propriam suscepit, eique epistolas, per quas mori debebat, tradidit. Cujus autem David in solario deambulans typum tenet, nisi ejus, de quo scriptum est : (*Psal.* XVIII, 6) *in sole posuit tabernaculum suum?* Et quid est Bersabee ad se perducere, nisi legem litteræ carnali populo conjunctam spirituali sibi intellectu sociare? Bersabee enim *puteus septimus* dicitur : quia nimirum per cognitionem legis, infusione spiritualis gratiæ, perfecta nobis sapientia ministratur. Quem vero Urias, nisi Judaicum populum signat? cujus nomen interpretatum dicitur : *lux mea* [d] *Dei;* Judaicus autem populus, quia de accepta legis scientia extollitur, quasi de Dei luce gloriatur; sed huic [e] David uxorem abstulit, sibique conjunxit, quia videlicet *manu fortis*, quod David dicitur, in carne Redemptor noster apparens, dum de se spiritualiter loqui legem innotuit, per hoc quod juxta litteram tenebatur, hanc a Judaico populo extraneam demonstravit, sibique conjunxit, quia se per illam prædicari declaravit. Uriam tamen ad do-

A mum ire David admonet, pedes lavare, quia incarnatus Dominus veniens, Judaico populo præcepit, ut ad conscientiam redeat, et sordes operum fletibus tergat, ut spiritualiter mandata legis intelligat, ut post tantam duritiem præceptorum, fontem baptismatis inveniens, ad aquam post laborem recurrat. Sed Urias, qui arcam Domini esse sub pellibus meminit, respondit quod domum suam intrare non posset : ac si Judaicus populus dicat : ego mandata Dei in sacrificiis carnalibus video, et redire ad conscientiam per spiritualem intelligentiam non requiro. Quasi enim arcam esse sub pellibus dicit, quia præcepta Dei non nisi ad exhibendum ministerium sacrificii carnalis intelligit. Hunc tamen etiam redire ad domum nolentem, David ad mensam vocat : quia
B quamvis Judaicus populus ad conscientiam reverti contemnat, ei tamen Redemptor veniens mandata spiritualia prædicat, dicens : (*Joan.* v, 46) *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit.* Legem itaque Judaicus populus tenet, quæ ejus divinitatem loquitur, cui idem populus credere dedignatur. Unde et Urias ad Joab cum epistolis, ex quibus occidi debeat, mittitur, quia idem ipse Judaicus populus legem portat, qua convincente moriatur. Dum enim mandata legis [f] detinens, implere renititur, ipse nimirum defert judicium, unde damnetur. Quid ergo per factum istud David, scelestius? Quid Uria mundius dici potest? sed rursus per mysterium quid David [g] sacrius? Quid Uria infidelius invenitur? quando et ille per vitæ culpam prophetiæ
C signat innocentiam, et iste per vitæ innocentiam in prophetia exprimit culpam? . . . . . Virtus namque sacri eloquii sic transacta narrat, ut ventura exprimat; sic in facto rem approbat, ut in mysterio non contradicat; sic gesta damnat, ut hæc mystice gerenda persuadeat.

« [h] Ad hoc enim in Scriptura sacra virorum talium, id est David, et Petri, peccata sunt indicata [i], ut cautela minorum sit ruina majorum : ad hoc vero utrorumque illic, et pœnitentia insinuatur, et venia, ut spes pereuntium sit recuperatio perditorum. De statu ergo suo, David cadente, nemo superbiat : de lapsu etiam suo, David surgente, nemo desperet. Ecce quam mirabiliter Scriptura eodem verbo superbos
D premit, quo verbo humiles levat. Unam namque rem gestam retulit, et diverso modo superbos quidem ad humilitatis formidinem, humiles vero ad fiduciam revocavit. O inæstimabile novi generis medicamentum! quod uno, eodemque ordine positum, et premendo tumentia exsiccat, et sublevando arentia infundit. De majorum nos lapsu terruit, sed de reparatione roboravit. Sic quippe semper, sic nos divinæ dispensationis misericordia et superbientes reprimit,

[a] Hæc perquire numero 55 [alias cap. 28] libri III Gregorii Moralium in Job.
[b] Edit. *in facto causa damnationis est.*
[c] Edit. *verum.*
[d] Dominus.
[e] In editis additur *Uriæ.*
[f] Edit. *retinens.*
[g] *Sanctius.*
[h] Subsequentia invenies num. 23, alias cap. 12 vel 13 libri XXXIII Moralium.
[i] Greg. vulg. *indita.*

et ne ad desperationem corruamus, fulcit. [a] Sed quia A exigente causa, David ad medium deducto, tanti facinoris memoriam fecimus, lectoris fortasse animus movetur, cur omnipotens Deus eos, quos in perpetuum elegit, quos ad donorum quoque spiritualium culmen assumit, illæsos a corporalibus vitiis non custodit? Unde quia satisfieri citius credimus, breviter respondemus, nonnulli enim per accepta dona virtutum, per impensam gratiam bonorum operum in superbiæ vitium cadunt; sed tamen [b] quomodo ceciderunt, non agnoscunt. Proinde contra eos hostis antiquus, qui jam interius dominatur, exterius etiam sævire permittitur, ut qui in cogitatione elati sunt, per carnis luxuriam prosternantur. Scimus autem quia aliquando minus est in corporis corruptionem cadere, quam cogitatione tacita, et deliberata ela- B tione peccare: sed cum minus turpis superbia creditur, minus vitatur. Luxuriam vero eo magis erubescunt homines, quo simul omnes turpem noverunt. Unde fit plerumque, ut nonnulli post superbiam in luxuriam corruentes, ex aperto casu malum culpæ latentis erubescant: et tunc etiam majora corrigunt, cum prostrati in minimis gravius confunduntur: reos enim se inter minora conspiciunt, qui se liberos inter graviora crediderant. Pia ergo Domini dispensatione laxatus nonnunquam [c] malignus spiritus de culpa ad culpam trahit, et dum plus percutit, inde eum, quem ceperat, amittit: atque unde vicisse cernitur, inde superatur. Considerare libet intra munitum gratiæ sinum, quanto Deus misericordiæ favore nos continet. Ecce qui de virtute se extollit, per vi- C tium ad humilitatem redit. Qui vero acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed, ut ita dixerim, medicamento vulneratur. Quid enim virtus, nisi medicamentum? Et quid est vitium, nisi vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit ille de vulnere medicamentum; ut qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in usum vitiorum: ille vitiorum illecebras assumit in artem virtutum, et salutis statum percutit, ut servet: ut qui humilitatem currentes fugimus, [d] saluti cadentes hæreamus. Sed inter hæc sciendum est, quod plerique hominum, quo in multis corruunt, arctius ligantur: cumque eos [e] antiquus hostis ex uno vitio percutit, ut concidant, ex alio quoque ligat, D ne surgant. Consideret itaque homo cum quo [f] adversario bellum gerat, et si jam (*jam se in aliquo*) in se aliquid deliquisse perpendit, saltim per culpam ad culpam pertrahi pertimescat: ut studiose vitentur vulnera, quibus frequenter interficitur, quia valde rarum est, quod hostis noster electorum salutem etiam vulneribus servet. [g] Erudiendos enim, sicut diximus, electos suos Dominus sæpe tentatori subjicit; sicut post paradisi claustra, post tertii cœli secreta, ne revelationum magnitudine Paulus apostolus extolli potuisset, (*II Cor.* XII, 7) ei Satanæ angelus datus est: sed ut præfati sumus, ipsa hac tentatione disponitur, ut qui elati perire poterant, humiliati a perditione serventur. Secreto ergo dispensationis ordine, unde sævire permittitur iniquitas diaboli, inde pie perficitur benignitas Dei, quia adversarius noster inde obtemperat nutibus supernæ gratiæ, unde exerceat iram nequissimæ voluntatis suæ.

(*Cap.* 12, *vers.* 1.) His ita gestis, misit Dominus Nathan ad David. Veniens Nathan proposuit similitudinem de divite et paupere: *Unus habens oves, et boves, alter tantummodo ovem unam: hunc unam ovem pauperis tulit dives. Audito David indignatus ait adversus hominem illum: Vivit Dominus quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. Dixit autem Nathan ad David: tu es ille vir. Et dixit David ad Nathan: peccavi Domino: dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* « [h] Si peccatum David tam detestabile Dominus transtulit, quid est quod omnia quæ de eodem peccato per Prophetam Domini dicta sunt, postmodum toleravit? Sed procul dubio [i] Dominus delictum sine ultione non deserit: aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur: quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic David audire post confessionem meruit: *Dominus transtulit peccatum*, et tamen multis post cruciatibus afflictus, ac fugiens reatum culpæ quam perpetraverat, exsolvit. Sic nos salutis unda a culpa primi parentis absolvit, sed tamen reatum ejusdem culpæ diluentis absoluti quoque adhuc carnaliter obimus, quia delicta nostra, sive per nos, seu per semetipsum resecat, etiam cum relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult vindicari.

[j] Quod vero dicit, *duo homines erant in civitate una:* Urias, et David intelligitur, [k] et addisce personas. Pauperculi ovem *mulierem* dicit: hoc est uxorem ejus, quæ adulterata est, quæ de mensa ejus vescebatur, et de calice ejus potabat, et in gremio ejus cubabat. Considera pauperem, incentiva pietatis habere: in divitibus autem fulcimina multa, superbiam: apud pauperes uxor, et ancilla, et ministra est: et procreat filios, et ipsa mater, et nutrix est: apud divites autem non est ita. Sed cum generavit filium, statim eum tradit foris: et pietatis insignia abscidit superbia. Erubescit fieri nutrix, quæ facta est mater. Quomodo ergo in gremio ejus cubabat?

[a] Nonnulla Gregorii monita præterit Claudius, qui subsequentia ex Gregorio [num. 25] exscribit.
[b] Edit., *quo ceciderint:* lectio nostra præstat.
[c] Edit., *Behemot.*
[d] Edit., *ei.*
[e] *Behemot.*
[f] Hoste.
[g] Hæc habes numero 28, alias cap. 14, [seu 13].
[h] Hæc in Rabano perquire.
[i] Quæ subsequuntur ex Gregorii libro IX Moralium [num. 54, cap. 34, olim 27] exscripsere Rabanus et Claudius.
[j] Quæ sequuntur, videntur ex Augustino desumpta, sed locum invenire non potui.
[k] Locus iste in vulgato Eucherio corruptus est.

Auxit parabolam narratione pietatis. Venit ergo peregrinus homo ad regem illum. Quis itaque est peregrinus? concupiscentia videlicet. Ut ergo illius ostenderet castitatem, peregrinam concupiscentiam nominavit. Nunquam enim alienas nuptias dissipavit: neque iniquis conspexit oculis, sed percussus in illa muliere perdidit castitatem: quia paululum remissiorem se reddiderat securitate pacis. Venit peregrinus; iniqua, et agrestis concupiscentia: ad illum divitem venit. Ille non accepit de gregibus, aut armentis suis, ut peregrino pararet epulas, sed misit et rapuit ovem pauperis, quæ in sinu ejus cubitabat, et de mensa edebat. Cum hæc igitur audisset rex David, iratus est valde adversus hominem illum, et dixit ad Nathan: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir ille qui fecit hoc. Ovem reddet in quadruplum, et ipse gladio punietur.* O judicii superaffluentem justitiam! non erat amoris fibra, ut juste non diceret. Jubet quidem in quadruplum secundum legem: lex enim præcipit furantem quadrupli restitutione vinciri: (*Exod.* XXII, 1) iste autem, et legem est prætergressus; jubet siquidem et ipsum interimi, et quadruplum obnoxium detineri. Prompsit itaque sententiam, et judicium [a] eliminatum. Cum hoc audisset Propheta, jactabat omnem umbram imaginis, et in medium profert gladium, et cum fiducia dicit: *Tu es, Rex, qui hoc opus fecisti.* O secure, non gladio secans sensum doloris, sed in compendio accusationis. Cum hoc oportuit, occultavit narrationem: cum vero tempus invenit, statim percussit et abscidit sine grandi plagæ vulnere, sed hoc solummodo dicens: *tu es, Rex:* at ille velociter ad conscientiam rediens, tanquam fidelis et idoneus servus, culpam simpliciter confitetur, et dicit: *Peccavi Domino*, et Propheta respondit: *Dominus transtulit peccatum tuum.* Velox confessio: velocior medicina: facto peccavit: verbo pœnituit: annuit Deus: et correptio facta est; vulnus aperuit et sanitas redit; sed non fuit his Propheta contentus, nam post correptionem, post pœnitentiam, post emendationem, post peccatorum absolutionem, psalmum ob hanc causam conscripsit, ita ut etiam posteræ generationis fiat illius passio, medicina; ut illius naufragium sit aliis portus: et quibus ille vulneratus, emendavit, alii in iisdem incidentes; ipsa possint uti medicina, et emendatione sanari.

(*Cap.* 16.) *Fugiens David Absalon filium suum, nudisque pedibus incedens transgressus est torrentem Cedron, et cunctus populus cum eo, et pervenerunt usque Bahurim. Ecce egressus Semei, filius Gera de cognatione domus Saul, mittens lapides, maledicebat Regem dicens: egredere, egredere, vir sanguinum, et vir Belial.* [b] « Quisquis fidelium divinæ gratiæ illustratione compungitur, sancto desiderio de imis ad summa evehi, supernæ contemplationis penna festinat, hæc beati regis David, et aliorum sanctorum præcedentium Patrum gesta, ubi aliquid injuste perpessi sunt, ante mentis oculos ponat, atque in eis se imitatione exercendo proficiat, et quod in præsenti titillat ex vitio, vel præteritorum malorum memoria reprimat, vel donorum præcedentium consolatione restringat, vel etiam imitatione, ut dictum est, Patrum præcedentium provocetur ad melius. Quod necesse est ut, sicut proposuimus exemplis evidentioribus, approbemus. [c] Ut enim unum de multis loquar, quatenus studiosus lector multa in uno intelligat: quisquis verborum contumeliis pressus cum virtutem patientiæ servare non sufficit, David factum ad memoriam reducat: quia cum Semei conviciis urgeretur, et armati proceres ulcisci contenderent, ait: (*vers.* 10) *Quid mihi et vobis est, filii Sarviæ? Dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David. Et quis est qui audeat dicere, quare sic fecit?* Et paulo post: *Dimitte eum, ut maledicat juxta præceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam: et reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna.* Quibus profecto verbis indicat, quia perpetrato Bersabee scelere, exsurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum, malum, quod perpetravit, et contumeliosa verba, non tam convicia, quam adjutoria credidit, quibus se purgari, sibique misereri posse judicavit. Tunc enim illata convicia bene toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur, quod injuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia pejus est, quod meremur: sicque fit, ut contumeliis gratia magis quam ira debeatur, quarum interventu Deo judice, pœna gravior declinari posse confiditur.

[d] « Illud vero quid significet, quod parricida filius Absalon patrem insequens, primo pater ejus declinans fugit ante faciem ejus securus de victoria, qui aspiciebat imperium perire: quem etiam flevit magno luctu, et deploravit exitum parricidæ. Scribitur enim fugisse David a facie bellantis adversum se (*Edit.* sibi) filii. Et quoniam scriptum est de populo Jerusalem: (*Isa.* I, 2) *Filios nutrivi, et exsultavi, ipsi vero spreverunt me*, filius ergo ejus impius significatur tropice, id est populus Judaicus, qui eum tradidit: Absalon autem, sicut quidam interpretatur, intelligitur *patris pax*. Quod mirum videtur in historia quemadmodum patris pax possit intelligi, qui patrem bello persecutus est. Sed qui diligenter ad allegoriam intendunt, inspiciunt Absalon esse Jerusalem, quæ etiam et ipsa *pax* interpretatur, a cujus facie Christus fugit, quando eam patiendo deserens, in gentibus

[a] Illimitatum: id est superans limites legis, quæ mortem furis non præcipiebat.

[b] Paterium hic exscribit Claudius, ideoque nonnulla adjungit, quæ expressissime in libro XXX Moralium, quem Paterius allegat, non invenies. An quia Paterius aliqua de suo inserit, tametsi Gregorii verbis conjunctissima, ut scilicet explicationi librorum Regum accommodet? an potius etiam quia vetusti codices a Paterio lecti nonnihil differebant a nostris? Priorem sententiam postremæ huic præfero.

[c] Subsequentia invenies num. 37, alias cap. 10 olim 17, lib. XXX Moral. sancti Gregorii.

[d] Hæc exscripsit ex Isidoro [in lib. II Regum, cap 3] Claudius.

per fidem successit. [a] Alii Absalon, Judam traditorem accipiunt, quem tanta et tam (miseranda) miranda patientia Christus pertulit tanquam bonum, cum ejus cogitationes non ignoraret: cum adhibuit ad convivium, in quo corporis et sanguinis sui figuram discipulis commendavit et tradidit, [b] Quod denique in ipsa traditione, et osculum accepit, bene intelligitur Christum pacem exhibuisse traditori suo, quamvis ille tam sceleratæ cogitationis interno bello vastaretur: et ideo Absalon patris pax dicitur, quia pater habuit pacem, quam ille non habuit.

[c] « Sed fortasse quis dicat, si David imaginem Christi gerebat, quomodo multas uxores et concubinas habuisse scribitur: cum has res Christus et horrescat, et damnet? hoc enim in prophetia fiebat. Multæ enim uxores David, multarum gentium et nationum imaginem indicabant, quæ per fidem Christi consortio jungentur: concubinæ vero ejus significant hæreticorum ecclesias, quæ sub Christi nominis titulo manere se gloriantur. Sed quia propter carnalia lucra sectantur Christum, non conjuges, sed concubinæ vocantur. Denique nunc reges, si plures habent uxores, vel concubinas, crimen est: quia jam transierunt figuræ, pro quibus uxorum vel concubinarum venia concedebatur: at nunc, quia figuræ transierunt, venia nulla datur. »

(*Cap. 20, v. 4, et subseq.*) Percusso Absalon, cum reversus esset David in Jerusalem, dixit Amasæ, ut congregaret omnes viros Juda in diem tertium, et constitueret eum principem pro Joab. Morante Amasa extra placitum, præcepit David Joab, et Abisai, ut irent et apprehenderent Sibam filium Bochri. Cumque invenisset Joab in Gabaon, Joab tenuit manu

A dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum, qui percussit eum in latere, et mortuus est. [d] « Quid est quod Joab mentum Amasæ dextra tenuit, sed sinistram ad gladium latenter mittens, ejus viscera effudit? nisi hoc, quod patenter datur intelligi. Dextra namque mentum tenere, est quasi ex benignitate blandiri: sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit.

« [e] Sequitur psalmus septimus decimus, et merito quæritur, cur solus iste psalmus in libris Regum reperiatur conscriptus: nec immerito psalmus iste regnorum libris solus invenitur, quia regnum illud significatur, ubi adversarium non habemus. Titulus enim ejus est: *in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul.*
B Quis enim figuratur in David, nisi ille qui venit secundum carnem ex semine David, qui utique in corpore suo, quod est Ecclesia, adhuc patitur inimicos? Unde ille persecutori, quem voce mactavit, et in suum corpus trajiciens, quodammodo manducavit: insonuit de cœlo. (*Act.* IX, 4) *Saule, Saule, quid me persequeris?* Quando autem meretur eripere hoc corpus de manu inimicorum ejus? nisi cum et illa novissima inimica destruetur mors, ut perveniatur ad regnum Dei. »

[f] *Diligam te virtus mea.* « Diligam te, Domine, per quem fortis sum. »

*Domine, firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.* « Domine, qui me firmasti, quia refugi ad te: refugi autem, quia liberasti me. »

C *Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum.* « Deus meus, qui mihi adjutorium prius vocationis tuæ præstitisti, ut sperare in te possim. »

[a] Vide quæ tradit Aug. n. 1 Enarrationis in ps. III.

[b] Terruit locus iste multos ex nostris; adeo ut suspicati sint nonnulli mendosum esse locum hunc, legendumque alio modo. Sed revera retinenda est ea lectio, quam proposuimus: nam locus hic, si recte intelligatur, nullum nobis timorem incutit. Bellarminus sane locum hunc, quem ex Augustino desumptum diximus, expendit *, monetque loqui « Augustinum de figura corporis in cruce suspensi; id est de repræsentatione Dominicæ passionis; eodem enim modo Augustinus Eucharistiam figuram corporis vocavit, quo veteres Græci antitypa; de qua voce diximus in testimoniis Basilii. » Hactenus Bellarminus, qui revera antea, id est cap. 15, lib. II, postquam sibi objecisset Basilium in liturgia [Basilio enim Bellarmini tempore tribuebatur Liturgia, quæ Basilii nomine inscribitur] Eucharistiam appellantem antitypa [ἀντίτυπα] respondet corpus et sanguinem Domini, ut sunt sub speciebus panis, et vini, signa esse ejusdem corporis, et sanguinis, ut fuerunt in cruce: repræsentat enim Eucharistia passionem Christi. Hinc Chrysostomus, homil. 17, in epistolam ad Hebræos dicit, Eucharistiam esse typum, seu figuram sacrificii crucis, et tamen ibidem asserit, nunc eumdem Christum offerri, qui tunc oblatus fuit. Copiose porro hoc in loco argumentum hoc persequitur Bellarminus, qui etiam de eo agit sub initium fere capitis 24 ad quod lectorem amando, hæc tantum seligens: « Illustrat Lanfrancus rem totam insigni similitudine [Lucæ ultimo]: Dominus finxit se longius ire, quod exponit Augustinus lib. contra mendacium cap. 13, ubi dicit, Christum ea fictione significasse, se supra omnes cœlos ascensurum. ** Idem igitur Christus sui ipsius figura fuit, et dici rectissime posset Christus fingens se longius ire, et quodammodo Christus in cœlum ascendens. » Notare hæc volui, ne aut trepidaret Lector timore, ubi non est timor: aut ea in re Claudium reprehenderet, in qua utique reprehendendus ille non est.

[c] « Hæc quoque Isidoro desumpsit Claudius, sed
D capite proxime superiori, id est 2: ex qua quidem re suspicari licet, alium fortasse capitum ordinem in antiquis Isidori codicibus fuisse servatum.

[d] Subsequentia habes etiam in Paterio, qui ea desumpsit ex lib. XV Moralium Gregorii Magni [n. 25].

[e] Cap. 22, num. 2, et subseq. Et psal. XVII. Quæ lineolis notantur, ex Isidoro desumpsit Claudius. Quære itaque illa in capite 6, in lib. II Regum. Ea etiam habet Rabanus Maurus: ex qua re vides quanto in pretio Isidori commentaria haberentur.

[f] Hæc interpretatio tota desumpta est ex Augustino, cujus Enarrationem in psalmum hunc [id est 17] exscripsit Claudius.

* De sacram. Euchar. lib. II, cap. 24, 55, ex tomo septimo: ubi sibi objicit hæc Augustini verba desumpta ex Commen. in psal. III. « Christus adhibuit Judam ad convivium, in quo corporis sui figuram discipulis commendavit. »

** Aliud affine, nec minus perspicuum exemplum præbet Ambrosius in cap. 2 Lucæ lib. II, num 63, his verbis: « post triduum reperitur in templo, ut esset indicio, quia post triduum triumphalis illius passionis in sede cœlesti et honore divino fidei nostræ se suscitatus offerret, qui mortuus credebatur. »

*Protector meus, et cornu salutis meæ, et redemptor meus.* « Protector meus, quia non de me præsumpsi, quasi erigens adversum te cornu superbiæ, sed te ipsum cornu, hoc est firmam celsitudinem salutis inveni: quod ut invenirem, redemisti me. » A

*Laudans invocavi Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.* « Non meam gloriam, sed Domini quærens, invocabo Dominum, et non erit unde mihi noceant impietatis errores. »

*Circumdederunt me dolores mortis.* « Id est circumdederunt me dolores carnis. *Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Turbæ iniquæ ad tempus commotæ velut flumina pluvialia cito desitura egerunt, ut conturbarent me. »

*Dolores inferni circumdederunt me.* « In his qui me circumdederunt, ut perderent, erant dolores invidiæ, qui mortem operantur, perducuntque ad infernum peccati. *Prævenerunt me laquei mortis.* Prævenerunt me, ut priores nocere vellent, quod eis postea redderetur. Tales autem homines capiunt in perditionem, quibus mala persuaserunt jactatione justitiæ. Cujus non re, sed nomine, adversus gentes gloriantur. B

*Et in pressura mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi: et exaudivit de templo sancto suo vocem meam.* « Et exaudivit de corde meo, in quo habitat, vocem meam. *Et clamor meus in conspectu ejus.* Et clamor meus, quem non in auribus hominum, sed coram ipso intus habeo, *introivit in aures ejus.* »

*Et commota est, et contremuit terra.* « Ita clarificato filio hominis, commoti sunt, et contremuerunt peccatores. *Et fundamenta montium conturbata sunt.* Et superborum spes, quæ in hoc sæculo fuerunt, conturbatæ sunt. *Et commota sunt, quoniam iratus est eis Deus.* Ut scilicet jam firmamentum non haberet in cordibus hominum spes temporalium bonorum. » C

*Ascendit fumus in ira ejus.* « Ascendit lacrymosa deprecatio pœnitentium, cum cognovissent quid minetur Deus impiis. *Et ignis a facie ejus exardescit:* Et flagrantia charitatis post pœnitentiam de notitia ejus exardescit. *Carbones succensi sunt ab eo.* Qui jam mortui erant, deserti ab igne boni desiderii, ac luce justitiæ, et frigidi, tenebrosique remanserant, rursus accensi et illuminati revixerunt. »

*Et inclinavit cœlum, et descendit.* « Et humiliavit justum, ut descenderet ad hominum infirmitatem. *Et caligo sub pedibus ejus.* [a] (Caligo ejus sub pedibus, quia non ea claritate ab inferioribus cernitur, qua in superioribus dominatur.) Impii enim, qui terrena sapiunt, caligine malitiæ suæ non cognoverunt eum: terra enim sub pedibus ejus tanquam scabellum pedum ejus. » D

*Et ascendit super Cherubim, et volavit.* « (Cherubim quippe id est *plenitudo scientiæ* ascendisse perhibetur, et volasse, quia majestatis ejus celsitudinem scientia nulla comprehendit. Volavit ergo, qui a longe in altum ab intellectu nostro se rapuit), [b] ut nemo ad Deum perveniret, nisi per charitatem; (*Rom.* 13. 10) plenitudo. enim legis charitas est: cito enim se incomprehensibilem esse monstravit dilectoribus suis, ne illum corporeis imaginationibus se comprehendere arbitrarentur. ([c] *Super Cherubin Dominus ascendit, et volavit.* Quia super plenitudinem scientiæ, quæ esse in hominibus potuit, Incarnationis suæ gloriam exaltare dignatus est, ut hæc ejus volare sit potentiæ suæ mysterium ab intellectu humano subducere: quantalibet enim plenitudine scientiæ vita spiritualium fulgeat, apprehendere non valet, quomodo factum sit, ut qui exstitit, conciperetur, et ante sæcula auctor hominum nasceretur homo in finem [d] sæculorum, Deus caro esset; Verbum infans fieret. Unde recte et illic additur: *Volavit super pennas ventorum:* quia videlicet transcendit omnes intellectus animarum. Vento quippe animam figurari, pro velocitate suæ cogitationis, non inconvenienter accipimus.) Illa autem celeritas, qua se incomprehensibilem esse monstravit, super virtutes animarum est, quibus se veluti pennis ab æternis timoribus in auras libertatis extollunt. »

*Et posuit tenebras latibulum suum.* « Et posuit obscuritatem sacramentorum, et occultam spem in corde credentium, ubi lateret ipse non eos deserens. [e] (Quia dum caligine nostræ infirmitatis obscuramur per ignorantiam nostram, nobis absconditur, ne a nobis modo in æterna et firma charitate videatur.) [f] In his etiam tenebris, ubi per fidem adhuc ambulamus, non per speciem, quandiu quod non videmus, speramus et per patientiam exspectamus. ([g] Quia vero auctor noster, nobis in hoc exilio dejectis, lucem suæ visionis abstulit, si se nostris oculis, quasi in tenebrarum latibulo abscondit. Quas nimirum cæcitatis nostræ tenebras cum studiose conspicimus, mentem ad lamenta revocamus. Flet enim cæcitatem, quam foris patitur, si humiliter meminit, quod interiori lumine privatur. Cumque tenebras, quibus circumdatur, respicit, splendoris intimi ardenti se desiderio affligit, omnique intentionis nisu semetipsa concutit, et supernam lucem, quam condita deseruit, repulsa quærit. Unde fit plerumque, ut in ipsis piis fletibus illa interni gaudii claritas erumpat, et mens quæ in tempore prius cæca jacuerat, ad inspectionem fulgoris intimi [h], superius vegetata convalescat.) *In circuitu ejus tabernaculum ejus.* Conversi tamen ad ipsum ambiunt qui credunt ei, quia in medio eorum est, cum omnibus

[a] Ea, quæ hic parenthesi clausi, ea quoque, quæ deinceps parenthesi claudam, noverit lector, non in Augustini Enarratione inveniri, sed inserta ex Gregorio allegato in locum hunc a Paterio, quem si vult, consulat lector.

[b] *Ut nemo:* rursus habes in Augustino.

[c] Iterum in Gregorio hæc perquire.

[d] Edit. *in fine.*

[e] Quæ sequuntur, donec pervenias: *in his etiam* nec in Augustino, nec in Gregorio reperi.

[f] Rursus nos docet Augustinus.

[g] Hæc diligentissime pro more exscripsit ex Paterio, ideoque ex Gregorio, Claudius.

[h] Edit., *suspiriis*, aptius, ut arbitror.

æqualiter favet, in quibus, tanquam in tabernaculo, habitat hoc tempore. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Nec propterea quisquam in illa luce, quæ futura est, cum ex fide ad speciem venerimus, jam se esse arbitretur, si Scripturas recte intelligit. In prophetis enim, atque in omnibus divini verbi prædicatoribus obscura doctrina est [a] (quia ante adventum Domini, dum occultis sacramentis gravidi, mysteria immensa gestarent, intuentium oculis, eorum intelligentia caligabat.) »

*Præ fulgore in conspectu ejus :* « in comparatione fulgoris, qui est in conspectu, manifestationis ejus. *Nubes ipsius* transierunt. Prædicatores verbi ejus, non jam Judææ finibus continentur, sed transierunt ad gentes. (Universa mundi spatia miraculorum claritate percurrunt.) *Grando et carbones ignis.* Objurgationis figuratæ, quibus velut grandine corda dura tunduntur. Si autem terra culta, et mitis, id est pius animus exceperit, duritia grandinis in aquam, id est terror fulguratæ, et quasi congelatæ objurgationis in doctrinam satiantem resolvitur. Igne autem charitatis accensa corda reviviscunt. Hæc omnia in nubibus ipsius ad gentes transierunt. (Quia videlicet sancti viri corda audientium, et terrentes feriunt, et blandientes infundunt. Nam quemadmodum feriant, propheta noster testatur dicens (*Psal.* CXLIV, 6) : *Virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt :* et quemadmodum blandientes vigent, secutus adjunxit (*Ibid.*, *v.* 7) : *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. Et justitia tua exsultabunt.*) »

*Et intonuit de cœlo Dominus.* « Et evangelica fiducia de corde justi sonuit Dominus. *Et Altissimus dedit vocem suam.* Ut haberemus eam, et in profundo rerum humanarum audiremus cœlestia. »

*Et misit sagittas suas, et dissipavit eos.* « Et emisit Evangelistas pennis virtutum recta itinera transvolantes, non suis, sed ejus a quo missi sunt viribus. Et dispersit eos, ad quos missi sunt, ut aliis eorum essent odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. *Et coruscationes multiplicavit, et conturbavit eos.* Et miracula multiplicavit, et conturbavit eos. »

*Et apparuerunt fontes aquarum.* « Et apparuerunt qui facti erant in prædicantibus fontes (*Joan.* IV, 14) aquarum salientium in vitam æternam. *Et revelata sunt fundamenta orbis terrarum.* Revelati sunt prophetæ, qui non intelligebantur, super quos ædificaretur orbis terrarum credens Domino. *Ab increpatione tua, Domine* clamantis (*Luc.* X, 9) : appropinquavit super vos regnum Dei : *Ab increpatione spiritus iræ tuæ :* dicentis (*Luc.* XIII, 5) : *nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter moriemini.* »

*Misit de summo, et accepit me.* « Vocando ex gentibus in hæreditatem gloriosam, Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam : *Assumpsit me de multitudine aquarum.* Assumpsit me de multitudine populorum. »

*Eruit me de inimicis meis fortissimis,* « Eruit me de inimicis meis, qui prævaluerunt ad affligendam, et ad pervertendam istam temporalem vitam meam. *Et ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me :* quandiu sub ipsis sum ignorans Deum. »

*Prævenerunt me in die afflictionis meæ,* « Priores mihi nocuerunt in tempore quo mortale, et laboriosum corpus gero. *Et factus est Dominus firmamentum meum.* Et quoniam amaritudine miseriarum firmamentum terrenæ [b] voluntatis contribulatum, atque convulsum est, factus est Dominus firmamentum meum. »

*Et eduxit me in latitudinem.* « Et quia carnales patiebatur angustias, eduxit me in spiritualem latitudinem fidei. *Eruit me, quoniam voluit me.* Antequam illum ego vellem, eruit me de inimicis meis potentissimis, qui mihi invident jam volenti eum, et ab his qui oderunt me, quia volo eum. »

*Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam.* « Retribuet mihi Dominus secundum justitiam bonæ voluntatis, qui prior præbuit misericordiam, antequam haberem bonam voluntatem. *Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* Et secundum puritatem factorum meorum retribuet mihi, qui tribuit mihi, ut bene facerem, educendo me in latitudinem fidei. »

*Quia custodivi vias Domini.* « Ut in [c] latitudinem bonorum operum, quæ per fidem sunt, et longanimitas perseverando consequatur. »

*Nec impie gessi a Deo meo, quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo sunt semper.* « Quoniam omnia judicia ejus, id est [d] per misericordiam justorum, et pœnas impiorum, et flagella corrigendorum, et tentationes probandorum perseveranti contemplatione considero. *Et justitias ejus non repuli a me.* Quod faciunt deficientes sub sarcina earum, et revertuntur ad vomitum suum. »

*Et ero immaculatus coram eo, et observabo me ab iniquitate mea. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam.* « Itaque non solum propter latitudinem fidei, quæ per dilectionem operatur, sed etiam propter longitudinem perseverantiæ retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam. »

*Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi in conspectu oculorum ejus.* « Quoniam quæ videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur æterna sunt, quo pertinet altitudo spei. »

*Cum sancto sanctus eris.* « Est etiam occulta profunditas, qua intelligeris cum sancto sanctus eris, quia tu sanctificas. *Et cum viro innocente innocens eris :* et quia nulli noces, sed criniculis peccatorum suorum unusquisque constringitur. »

*Et cum electo electus eris.* « Et ab eo quem eligis, elegeris. *Et* [e] *cum perversis subverteris.* Et cum per-

[a] Tradit subsequentia Paterius, ideoque Gregorius.
[b] Edit. *voluptatis.*
[c] Edit. *latitudo.*
[d] Edit. *et præmia justorum.*
[e] Edit. *perversus eris.*

verso videris perversus : [a] ob quod eis non faves, perversus esse videris, quoniam dicunt non est recta via Domini : et ipsorum via non est recta. »

*Quoniam tu populum humilem salvum facies.* « Hoc autem perversum, videtur perversis, quod confitentes peccata sua salvos facies. *Et oculos superborum humiliabis.* Ignorantes autem Dei justitiam, et suam volentes constituere, humiliabis. »

*Quoniam tu* [b] *illuminabis lucernam meam, Domine.* « Quoniam non est nostrum lumen ex nobis, sed tu illuminabis lucernam meam, Domine. *Deus meus, illumina tenebras meas.* Nos enim peccatis nostris tenebræ sumus, sed Deus meus illuminabit tenebras meas. »

*Quoniam a te* [c] *eripiar a tentatione.* « Quoniam non a me, sed a te, eruar a tentatione. *Et in Deo meo transgrediar murum.* Et non in me, sed in Deo meo transgrediar murum, quem inter homines et cœlestem Hierusalem peccata erexerunt. »

*Deus meus, immaculata est via ejus.* « Deus meus non venit in homines, nisi mundaverint viam fidei, qua veniat ad eos, quia immaculata est via ejus. *Eloquia Domini igne examinata.* Eloquia Domini igne [d] examinationis probantur. *Protector est omnium sperantium in se.* Et omnes, qui non in se ipsis, sed in illo sperant, eadem tribulatione non consumentur : spes enim sequitur fidem. »

*Quoniam quis Deus præter Dominum?* « Cui [e] servi sumus. Et quis Deus, præter Dominum, quem, post bonam servitutem tanquam hæreditatem speratam filii possidebimus? »

*Deus qui præcinxit me virtute.* « Deus qui me præcinxit, ut fortis sim : ne diffluentes sinus cupiditatis impediant opera, et gressus meos. *Et posuit immaculatam viam meam.* Et posuit immaculatam viam charitatis, qua ad illum veniam, sicut immaculata est fides, qua venit ad me. »

*Qui perfecit pedes meos tanquam cervi.* « Qui perfecit amorem meum ad transcendenda spinosa, et umbrosa implicamenta hujus sæculi. [f] Cervos, spirituales viros appellat propter alacritatem veloci cursu : robustorum enim mentes in Deo immobiliter fixæ tanto adversa quæque despiciunt, quanto cernunt, quod contra præcepta conditoris excrescunt : æternitatis quippe præmia præstolantes, vires ex adversitatibus sumunt, quia crescente pugna gloriosiorem sibi non ambigunt manere victoriam. Sic itaque electorum desideria dum premuntur adversitate, proficiunt, sicut ignis flatu premitur, ut crescat ; et unde quasi extingui cernitur, inde roboratur. In eo namque ostendimus, quanta ad Deum cupiditate flagramus, si non solum ad eum per tranquilla, et mollia, sed etiam per aspera, et dura transimus. Bene ergo per psalmistam dicitur : *Qui perfecit pedes meos tanquam cervi.* Cervus enim cum montium juga conscendit, quæque aspera, quæque se objiciunt sentibus illigata, dato saltu transgreditur, et absque ullo cursus sui obstaculo, [g] in superioribus elevatur. Ita etiam electorum mentes, quæque sibi in hoc mundo obsistere, atque obviare conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt : et more cervorum, despectis terrenarum rerum sentibus, in superna se evehunt. »

*Et super excelsa statuet me.* « Et super cœlestem habitationem figet intentionem meam, ut implear in (*Eph.* III, 19) omnem plenitudinem Dei. »

*Qui docet manus meas ad prælium.* « Qui docet me operari ad superandos inimicos, qui nobis intercludere cœlestia regna conantur. *Et posuisti, ut arcum æreum, brachia mea.* Et posuisti infatigabilem intentionem bonorum operum meorum. »

*Et dedisti mihi protectionem salutis meæ : et dextera tua suscepit me.* « Id est favor gratiæ tuæ suscepit me. *Et disciplina tua direxit me in finem.* Et [h] correctio tua me deviare non sinens, direxit, ut quidquid ago, in eum finem referam, quo [i] coronetur mihi. *Et disciplina tua ipsa me docebit.* Et eadem correctio tua me docebit pervenire, quod direxit. »

*Dilatasti gressus meos subter me.* « Nec impedient carnales angustiæ, quoniam latam fecisti charitatem meam operantem hilariter, etiam de ipsis, quæ subter me sunt, mortalibus rebus, et membris. *Et non sunt infirmata vestigia mea.* Et non sunt infirmata sive itinera mea, sive signa, quæ impressa sunt ad imitandum sequentibus. »

*Persequar inimicos meos, et comprehendam illos.* « Persequar affectus carnales meos, ne ab eis comprehendar : sed comprehendam illos, ut absumantur : *Et non convertar donec deficiant.* Et ab ista intentione non convertar ad quietem, donec deficiant qui obstrepunt mihi. »

*Et confringam illos ; nec poterunt stare.* « Confringam illos, nec durabunt adversum me. *Cadent subtus pedes meos.* Dejectis illis, præponam amores, quibus ambulo in æternum. »

*Et præcinxisti me virtute ad bellum.* « Et constrinxisti fluentia desideria carnis meæ, virtute, ne in tali pugna præpedirer. *Supplantasti insurgentes in me subter me.* Decipi fecisti eos, qui me insequebantur, ut subter me fierent, qui super me esse cupiebant. »

*Et inimicos meos dedisti mihi dorsum.* « Et inimicos meos convertisti, et dorsum mihi eos fecisti esse. id est, ut sequerentur me. *Et odio habentes me, perdi-*

[a] Verba hæc : *ob quod* [id est ob hoc quod] *eis non faves perversus esse videris* desunt in editis.

[b] Edit. *illuminas.* Et revera deinceps repetit, illuminabis.

[c] Edit., *eruar.*

[d] Edit., *tribulationis.*

[e] Edit., *servimus.*

[f] Verba hæc : *cervos, spirituales viros appellat propter alacritatem veloci cursu* [id est in veloci cursu seu si vis, *velocis cursus*, Claudii sunt : reliqua Gregorii Magni allegati a Paterio ex lib. XVI *Moralium* [num. 24, alias cap. 16, olim 10.]

[g] Sic Paterius, sed in vulgato S. Gregorii libro in *superiora.*

[h] Edit. *correptio.*

[i] Edit. *cohæretur tibi.*

*disti*. Alios autem eorum, qui in odio perdurarunt, disperdisti. » A

*Clamaverunt nec erat qui salvos faceret*. « Quis enim salvos faceret, quos tu non faceres? *Ad Dominum nec exaudivit eos*. Nec ad quemlibet, sed ad Dominum clamaverunt, nec exauditione dignos judicabit non recedentes a malitia sua. »

*Et comminuam illos, ut pulverem juxta* [a] *faciem venti*. « Et comminuam illos : aridi enim sunt, non recipientes imbrem misericordiæ Dei, ut elati, et inflati superbia ab spe firma, et inconcussa tanquam terræ soliditate, et stabilitate rapiantur. *Ut lutum platearum delebo eos*. Per latas, quas multi ambulant, perditionis vias, luxuriantes, et lubricos delebo eos. »

*Erues me de contradictionibus populi*. « Erues me de contradictionibus eorum, qui dixerunt : Si dimiserimus eum vivum [b], omne sæculum post eum ibit. » B

*Constituet me in caput gentium. Populus quem non cognovi*, [c] *serviet mihi*. « Populus gentium, quem corporali præsentia non visitavi, servivit mihi. *In obauditu auris obedivit mihi*. Nec oculis me vidit, sed recipiens prædicatores meos in obauditu auris obaudivit mihi. »

*Filii alieni mentiti sunt mihi*. « Filii non mei dicendi, sed potius alieni, quibus recte dicitur : *Vos ex patre diabolo estis, mentiti sunt mihi. Filii alieni inveteraverunt*. Filii alieni, quibus ut renovarentur, novum testamentum attuli, in [d] veterem hominem remanserunt. *Et claudicaverunt a semitis suis*. Et tanquam uno pede debiles, quia vetus tenentes, novum testamentum respuerunt, claudi effecti sunt, etiam in ipsa veteri lege potius suas traditiones sequentes, quam Dei. (*Matth*. XV, 2) Calumniabantur enim de manibus non lotis, quia tales erant semitæ, quas ipsi fecerant, et consuetudine triverant, aberrando ab [e] itinere præceptorum Dei. » C

*Vivit Dominus, et benedictus Deus meus*. « (*Rom*. VIII, 6) Secundum autem carnem sapere, mors est. *Vivit Dominus, et benedictus Deus meus. Et exaltetur Deus salutis meæ*. Et non terrena consuetudine de Deo salutis meæ sentiam : nec terrenam ipsam salutem, sed in excelso de illo sperem. »

*Deus qui das vindictam mihi, et subdis populos sub me*. « Deus qui vindicas me, subdendo sub me populos. *Liberator meus de inimicis meis*, clamantibus, *crucifige, crucifige*, Judæis. » D

*Ab insurgentibus in me exaltabis me*. « A quibus Judæis insurgentibus in me patientem, exaltabis me resurgentem. *A viro iniquo erues me* : A regno eorum iniquo [f] eripies me. »

*Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine*. « Propterea tibi per me confitebuntur gentes, Domine. *Et nomini tuo psallam*. Et latius innotesces bonis operibus meis. »

*Magnificans salutes regis ipsius*. « Deus qui magnificat, ut admirabilem, faciat salutes, quas ejus filius dat credentibus. *Et faciens misericordiam Christo suo*. Deus qui facit misericordiam Christo suo. *David, et semini ejus usque in sæculum*. Ipsi liberatori manu potenti, qui vicit hunc mundum, et eis [g], quos in evangelio genuit in æternum. »

« Quæcumque in hoc Psalmo dicta sunt, quæ ipsi non proprie Domino, id est capiti Ecclesiæ, congruere possunt, ad Ecclesiam referenda sunt. Totus enim Christus hic loquitur, in quo sunt omnia membra ejus. »

(*II Reg. cap*. XXIII, 1.) *Hæc autem sunt verba novissima, quæ dixit David filius Isai*. Verba novissima David non finienda dicit, sed perficienda, non consumenda, sed quæ cunctis fidelibus perfectionis plenitudinem conferant.

(*Vers*. 2.) *Spiritus Domini locutus est* [h] *super me, et sermo ejus per linguam meam*. Spiritum Domini, Spiritum Sanctum dicit : sermo Dei Christus Filius Dei accipitur, ipse enim Christus est Christus Dei Jacob.

(*Vers*. 6.) *Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur universi*. Prævaricatores Judæi, atque hæretici sunt velut spinæ de Ecclesia, quæ est terra viventium, avulsi, atque æterno incendio combusti peribunt.

(*Vers*. 8.) *Hæc nomina fortium David : sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno*. [i] Non Gesbaa, [i] ut quidam putant, sed ipse David est dictus quasi *tenerrimus ligni vermiculus*. « Per quem virtus simul bellica, et modesta viri designatur civilitas. Quia videlicet sicut vermiculus ligni tener quidem, et fragilis toto suo corpore, nec non et permodicus apparet, nihilominus tamen fortissimum ligni robur exedens, consumit, et cariosum reddit. Unde a terendo ligna, teredenis nomen habet : sic ille affabilis omnibus domi, et quietus, atque humilis videbatur, at in certamine publico robustum se, atque intolerabilem hostibus exhibebat. » Absurdum non est, ut hi tres fortissimi, David, et Eleazar, et Samaa, intelligantur Trinitas, Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus : ad quorum æqualitatem cæteri fortissimi non pervenerunt. (*Vers*. 14, etc.) « Item [k] ipse David in prælio Philistinorum cum sitiens versaretur in bello, et aquam quæreret : *Quis mihi potum dabit, ait, de lacu, qui est in Bethleem?* Et ad portas erat iter cisternæ : et David [l] interfusus hostibus, et eum media hosti-

[a] Edit., *ante*.
[b] *Joan*. XI, 48. In editis deest, *vivum*.
[c] Edit., *servivit*. Revera in explicatione habetur : *servivit*.
[d] Edit., *in vetere homine*.
[e] Edit, *itineribus*.
[f] Edit., *erues*.
[g] Edit., *quos credentes Evangelio*.

[h] Vulgata : *per me*.
[i] Hæc compares cum iis, quæ tradidit Beda [quæstione 9] et manifesto perspicies Claudium ea ex præclarissimo hoc doctore excepisse.
i *Jesbaam* Par. I, IX, 11.
[k] Isidorus [cap. 4, in lib. II Reg.] *subsequentia* inquit.
[l] *Interclusus* legendum arbitror.

lium cinxerant septa castrorum. [a] Præciderunt tres A viri multitudinem adversariorum, et hauserunt aquam de lacu, qui erat in Bethleem, et obtulerunt regi bibendam, sed rex noluit bibere, et [b] profudit illam Domino: *dixitque, non contingat mihi hoc facere, ut sanguinem virorum, qui abierunt* [c], *ex animis illorum bibam.* Vicit ergo naturam, ut sitiens non biberet, et exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus tolerare sitim disceret. Quod si altius velis spectare, et introspicere mysterium, sitiebat David, non aquam quæ est in Bethleem, sed oriundum in eadem Bethleem ex Virgine Christum in spiritu prævidebat. Ergo volebat bibere, non aquam fluminis, sed lavacrum ex latere Christi [d] pluentem: hoc est, non aquarum sitiebat elementum, sed sanguinem Christi: unde etiam non bibit aquam oblatam, B sed Domino fudit significans sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentem, sed illud sacrificium, in quo esset remissio peccatorum, illum sitire fontem æternum, non qui periculis quæreretur alienis, sed pericula aliena deleret.

« In hoc facto [e] cogitandum summopere est, quantum ad mores hominum pertinet, ut qui se illicita meminit commisisse, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere: quatinus per hoc conditori suo satisfaciat: ut qui commisit prohibita, a semetipso abscindere debeat etiam concessa, et se reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis [f] declinasse (*Exod.* xx, 17): Lex certe veteris testamenti alienam uxorem concupisci prohibet, Regem vero fortia C jubere militibus, vel desiderare aquam, non pœnaliter vetat. Et cuncti novimus, quod David concupiscentiæ mucrone transfixus, alienam conjugem, et appetivit, et abstulit, cujus culpam digna [g] vulnera sunt secuta: et malum quod perpetravit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cum longe post, contra hostium cuneos sederet, aquam bibere de Bethleemis cisterna ex desiderio voluit, cujus electi milites inter catervas adversantium medias erumpentes, aquam quam rex desideraverat, illæsi detulerunt. Sed vir flagellis eruditus, semetipsum protinus cum periculo militum aquam desiderasse reprehendit, eamque Domino fundens, libavit: sicut scriptum est: *libavit eam Domino.* [h] In sacrificio quippe Domini effusa aqua conversa est, quoniam culpam concupiscentiæ mactavit per pœnitentiam repre- D hensionis suæ. Qui ergo quondam concupiscere alienam conjugem nequaquam timuit, postea etiam, quod aquam concupisset, expavit. Qui enim se illicita perpetrasse meminerat, contra semetipsum jam rigidus, etiam a licitis abstinebat. »

(*Vers.* 16, etc.) Ad hanc aquam hauriendam irruperunt *castra Philistinorum* tres fortes, Abisai frater Joab, et Banaias filius Joiadæ. (*Vers.* 20.) Iste Banaias percussit duos leones Moab, et ipse descendit, et percussit leonem in media cisterna diebus nivis. [i] « Quomodo sit factum, Josephus narrat apertius: quod videlicet cisterna fuerit nimium profunda, quæ tempore hyemis cum essent omnia nivibus plena, ipsa quoque nimio nivium aggestu fuerit coæquata, quam cum leo superveniens periculi nescius incidisset, ibidem conclusus grandi rugitu clamaret: accurrebant homines videre, quod esset, et dum cum aliis ad tale spectaculum adveniret et Banaias, desiluit statim in cisternam, et aggressum mediis in nivibus interfecit leonem. »

(*Vers.* 23, 24, etc.) Dehinc [j] texitur catalogus virorum fortium in figura sanctorum, qui fortitudine virtutum boni operis, et scientiæ divinæ Trinitatis fulti, non tantummodo se ipsos ab hostibus malignis defendunt, verum infirmos quoslibet protegunt.

[k] Peccat post hæc David populum numerando: præcipit enim David Joab, ut perambularet totum Israel, (*Vers.* 2) et afferret numerum populi: et hæc ideo Scriptura dicit, (*Vers.* 1) quod furor Domini cœpit irasci contra Israel. [l] « Quod in hoc facto aliud demonstratur nisi quod sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, ut sæpe pro malo gregis etiam vere boni delinquat vita pastoris? Ille enim, Deo attestante, laudatus, iste supernorum mysteriorum conscius David propheta, tumore repentinæ elationis inflatus populum numerando peccavit, et tamen vindictam populus, David peccante, suscepit. Cur hoc? quia videlicet secundum meritum plebium disponuntur corda rectorum. Justus vero judex peccantis vitium ex ipsorum animadversione corripuit, ex quorum causa peccavit, sed quod ipse, sua scilicet voluntate superbiens, a culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit. Nam ira sæviens, quæ corporaliter populum pertulit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostravit. Certum vero est, quod ita sibi invicem, et rectorum merita connectantur, et plebium, ut sæpe ex culpa pastorum, deterior fiat vita plebium et sæpe ex merito plebium mutetur vita pastorum. Sed quia rectores habent judicem suum, magna cautela subditorum est, non temere vitam judicare regentium. Neque enim frustra per semetipsum Dominus (*Matth.* xxi, 12) æs nummulariorum fudit, et cathedras vendentium columbas evertit: nimirum significans, quia per magistros quidem vitam judicat plebium, sed per semetipsum facta examinat magistrorum: quambera infligit.

[a] *Præcesserunt.* Sed præstat nostri Codicis lectio.
[b] *Perfudit*, ut arbitror.
[c] Vulgata, *et animarum periculum bibam.* Error aliquis hic inesse videtur.
[d] *fluentem.*
[e] Subsequentia ex Paterio, ideoque ex Gregorio desumpsit Claudius. Vide obsecro Gregorii homiliam 34, in Evangelia [num. 16].
[f] Edit. *deliqnisse.*
[g] Edit. *verbera.* Sed certe mucro *vulnera* non ver-
[h] Edit., *sacrificium.*
[i] Hæc docuit Beda quæst. 10.
[j] Nonnulla ex Isidoro desumit Claudius, sed ita invertit, ac mutat, ut alium plane sensum ea habeant. Vide caput 7 in lib. II Reg. Isidori.
[k] II Reg. cap. xxiv.
[l] Subsequentia habes in Paterio [cap. 25] ideoque in Gregorio, ex cujus commentariis in Job. [lib. xxv, num. 35] desumpsit Paterius.

vis etiam subditorum vitia, quæ a magistris modo vel dissimulantur judicari, vel nequeunt, ejus procul dubio judicio reservantur. Igitur, dum salva fide res agitur, [a] virtus ex merito est, si quidquid prioris est, toleratur. Debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valeat, quod displicet, emendari. Sed curandum summopere est, ne in superbiam transeat justitiæ inordinata defensio; ne dum rectitudo incaute dirigitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur; ne eum sibi præesse quisque despiciat, quem fortasse contingit, ut in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem superbiæ subditorum mens ad custodiam humilitatis edomatur: si infirmitas propria incessanter attenditur: nam vires nostras veraciter examinari negligimus: et quia de nobis fortia [b] credimus, idcirco eos, qui nobis prælati sunt, districte judicamus. Quo enim nosmetipsos minus agnoscimus, eo illos, quos reprehendere nitimur, plus videmus. Singula hæc mala sunt, quæ sæpe a subditis in [c] prælatis, sæpe a prælatis in subditis committuntur, quia et omnes subditos hi, qui præsunt, minus quam ipsi sunt, sapientes arbitran- A tur: et rursum qui subjecti sunt, rectorum suorum actiones judicant: et si ipsos regimen tenere contigeret, se potuisse agere melius putant. Unde plerumque fit, ut rectores minus prudenter ea, quæ agenda sunt, videant, quia eorum oculos ipsa nebula elationis obscurat, et nonunquam is qui subjectus est, hoc cum prælatus fuerit, faciat, quod dudum fieri subjectus arguebat. Et pro eo, quod illa, quæ judicaverat, perpetrat, saltem quia judicavit, erubescat. Igitur sicut prælatis curandum est ne eorum corda æstimatione singulari sapientiæ locus [d] superius extollat, ita subjectis providendum est, ne sibi rectorum facta displiceant. Si autem magistrorum vita jure reprehenditur, oportet ut eos subditi etiam cum displicent venerentur. Sed hoc est solerter B intuendum, ne aut quem venerari necesse est, imitari appetas, aut quem imitari despicis, venerari contemnas: subtilis etenim via tenenda est rectitudinis, et humilitatis, ut sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant; quatenus subditorum mens a servanda magisterii reverentia non recedat.»

[a] Edit., *virtutis est meritum*.
[b] Edit., *fortiora*.
[c] Edit., *prælatos — subditos*.
[d] Edit., *superior*.

## INCIPIUNT CAPITULA LIBRI III.

De senectute David, et successione Salomonis, et nomine ejus.
De visione, quam vidit in Gabaon Salomon, et sapientia ei collata, et judicio duarum mulierum.
De eo, quod scriptum est, quod Salomon tria millia parabolas ediderit, et fuerunt carmina ejus quinque millia, disputaveritque a cedro usque ad hyssopum.
Quomodo Hiram rex Salomonem in opere templi juverit.
Quot operarios Salomon in opere templi habuerit.
De quo lapide templum sit factum.
Quando, vel ubi ædificatum sit templum.
Cujus mensuræ sit factum.
De fenestris, et tabulis ejus per gyrum.
De ascensu, et facturis medii, ac tertii tabernaculi.
Ut parietes cedro, ac pavimentum sit abiete intextum.
De distincta mensura templi ipsius, et oraculi.
Ut omnis domus sit cedro vestita, et auro.
Ut altare oraculi cedro, et auro.
De cherubin factura.
Ut paries sculptus, et pavimentum sit auro vestitum.
De ingressu oraculi, sive templi.
De atriis domus Domini.
Quot annis templum sit ædificatum.
De columnis æreis.
C De mare æreo.
De basibus decem, et luteribus.
Quod in regione Jordanis facta sunt vasa domus Domini.
De altari utroque.
De mensis decem aureis domus Domini.
De decem candelabris.
De cardinibus ostiorum, et perfectione domus Domini.
Ubi venerunt cuncti senes ex Israel ad regem Salomonem, et Hierusalem, et detulerunt arcam de Sion: et tulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in oraculo templi: et post hæc dicit, quod eminerent vectes, apparerentque summitates eorum foris sanctuarium ante oraculum. Dicit etiam, quod non esset aliud in arca testamenti, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Oreb.
De nebula, quæ apparuit in domo Domini.
De classe Salomonis, atque Hiram, quæ ibat per annos singulos in Ophir deferre aurum, simias, pavos, et ligna thyina.
De throno Salomonis, et abundantia argenti, et auri Hierusalem.
D De casu Salomonis, et fine malorum ejus.

## INCIPIT LIBER III.

(*III Reg.* I.) Senuit David, ungiturque Salomon in regem super omnem Israel in Gihon, ut impleretur in illo illa promissio, quæ facta est ad David (*II Reg.* VII, 5, 12, 13): *Non tu ædificabis mihi domum, sed filius tuus, qui egredietur de utero tuo.* In quo quidem futuræ rei imago facta est, in eo quod templum ædificavit, et pacem habuit secundum nomen suum. [a] «Salomon quippe interpretatur *pacificus*, ac per hoc illud vocabulum illi verissime congruit, per quem mediatorem ex inimicis, accepta remissione peccatorum reconciliamur Deo. Etenim (*Rom.* V, 10), *cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*, idem ipse est, ille pacificus, [b] qui fecit *utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legemque mandatorum decretis evacuans, ut duos conderet in se: in unum novum hominem faciens pacem. Et veniens evangelizavit pacem his, qui longe, et pacem his, qui prope.* Ipse in Evangelio dicit (*Jo.* XIV, 27): *pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* His, et

[a] Desumpta sunt subsequentia ex enarratione Augustini in Psal. LXXI [numero ipso primo].

[b] Eph. II, 14. Hæc exscribit Isidorus cap. 2 in III Reg.

aliis multis testimoniis Dominus Christus *pacificus* esse monstratur. [a] Nam id quod ædificavit templum excellentissimum Domino, et ibi Christum significat, qui ædificavit domum Deo in cœlestibus, non de lignis, et lapidibus, sed de hominibus sanctis, hoc est fidelibus, quibus dicit Apostolus (*I Cor.* III, 17): *templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* »

Tribus nominibus vocatum fuisse Salomonem, Scripturæ manifestissime docent, *pacificum* id est Salomonem. *Et Ididam*, id est dilectum Domini, et (*Eccle.* I, 1) *Coeleth*, id est Ecclesiasten. Ecclesiastes autem Græco sermone appellatur, qui cœtum, id est Ecclesiam congregat : quem nos nuncupare possumus *concionatorem*, id est qui loquitur ad populum, et sermo ejus non specialiter ad unum, sed ad universos generaliter dirigitur. Porro pacificus, et dilectus Domini ab eo quod in regno ejus pax fuerit, et eum Dominus dilexerit, appellatus est : nam et psalmus quadragesimus quartus, et septuagesimus primus : *Dilecti* et *pacifici* titulo prænotantur, qui tametsi ad prophetiam Christi, et Ecclesiæ pertinentes, felicitatem, et vires Salomonis excedant, tamen secundum historiam, super *Salomonem* conscripti sunt.

(*Cap.* III, IV.) Abiit itaque Salomon in Gabaon, et immolavit ibi holocaustum Domino : ubi apparuit ei Dominus per noctem, et exaudivit deprecationem, quam postulavit, deditque ei sapientiam et scientiam, in tantum ut nullus ante similis illi fuerit, nec post illum surrecturus sit. Post acceptam autem divinitus sapientiam, mox turpium mulierum causa de judicio tentatur. [b] « Ubi notandum, quod postquam Dominus erroris nostri tenebras lucis suæ cognitionis illustrat, mox tentationis aculeo, visitando probat, quia et accendendo corda nostra ad virtutes provehit et recedendo concuti tentatione permittit. Si enim post virtutum munera, nulla tentatione [c] concuteretur, hoc se jam habere animus ex se ipso gloriaretur. Ut ergo ea [d] firmitas dona habeat, et infirmitatem suam humiliter agnoscat, per accessum gratiæ ad alta sustollitur et per recessum, quid ex se ipso sit, probatur. Quod bene nobis ex historia hujus sacræ lectionis innuitur. Quia Salomon, et divinitus accepisse sapientiam, et tamen post acceptam eamdem sapientiam, meretricum statim pulsatus quæstione memoratur. Mox enim, ut gratiam tantæ revelationis accepit, certamen turpium mulierum pertulit : quia nimirum sæpe cum mentem nostram concessis virtutibus respectus intimæ [e] claritatis illuminat, hanc protinus etiam lubricæ cogitationes A turbant, ut quæ sublevata immenso munere exultat, etiam tentatione pulsata, quid sit, inveniat. Sic Helias, et visitatus desuper, sermone cœlos aperuit, et tamen probatus, subito infirmus per deserta fugiens [f], nimium mulierem expavit. Sic Paulus ad tertium cœlum [g] ducitur, paradisi penetrans secreta considerat, et tamen ad semetipsum rediens, contra carnis bellum laborat (*Rom.* VII, 21), legem aliam in membris sustinet, cujus in se rebellione fatigari, spiritus legem dolet. Post [h] donationem ergo muneris, idcirco Deus hominem probat, quia et collato munere sublevat, et abstracto paululum, ipsum sibi hominem demonstrat. Quod eo usque procul dubio patimur, quo detersa funditus labe peccati, ad promissæ incorruptionis substantiam reformemur.

B [i] « In isto judicio Salomonis, ubi primum habuisse judicium inter duas mulieres de pietate certantes describitur, quarum in una dilectio ardebat, in altera simulatio subripiebat Christi figura fuit; ubi mulier illa improba plebs scilicet synagogæ vel hæreticorum vere matris, hoc est Ecclesiæ filium appetebat : quem [j] non ut reservaret, sed revera ut interimeret, cupiebat; sed sicut gladio Salomonis [k] dirimente, propriæ matris gemitu, iste verus repertus est partus, ita et spiritu Jesu Christi docente, plerumque hi, qui a matre seducti, et capti sunt errore hæreticorum, vel synagogæ, nonnunquam merentur pro semetipsis gementem recognoscere Ecclesiam matrem : unde satis, convenienterque apparet, hanc mulierem, hæreticorum, vel synagogæ C figurasse impietatem, quæ et suos nequiter nutriendo, interimunt, et alienos, quousque perdant, illiciendo persuadent. Moraliter vero [l] in hac sententia, quid aliud per matrum lactantium nomina, nisi doctorum ordo? quid vero per earum filios, nisi discipulorum persona signatur? Nam magistri nimirum vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt, facere negligunt, per somnium torporis occidunt, et negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. Unde plerumque, dum ipsi reprehensibiliter vivunt, et habere discipulos vitæ laudabilis nequeunt, alienos sibi attrahere conantur, quatenus dum bonos se D habere sequaces ostendunt, apud judicia hominum excusent mala, quæ agunt, et quasi per subditorum vitam, mortiferam tegant negligentiam. Unde et illic mulier, quæ filium exstinxit proprium, quæsivit alienum : sed tamen veram matrem Salomonis gladius invenit, quia videlicet cujus fructus vivat, vel cujus intereat, in extremo examine ira districti ju-

[a] Subsequentia porro in Isidoro tantum inveni.

[b] Hæc quæ lineolis pro more notavi, ex Paterio, ideoque ex Gregorio Magno Claudius sumpsit. Vide, obsecro, quæ tradit ille lib. VIII Moralium [num. 48, cap. 29, alias 17].

[c] Edit., *concutitur* et mox : *gloriatur.*

[d] *Et firmitatis.*

[e] *Largitatis.*

[f] *Unam.*

[g] *Raptus.*

[h] *Dationem.*

[i] Hactenus Paterius, Ideoque Gregorius. Quæ subsequuntur, ex Isidoro didicit Claudius. Vide cap. III libri tertii Reg. v. 17.

[j] In edit., *nisi ut reservaret*, sed male.

[k] *Diripiente*, sed hoc quoque male.

[l] Rursus redit Paterius, seu Gregorius, num. 13 et 17 lib. XXIII Moralium subsequentia tradens.

dicis demonstrat. Ubi et illud est solerter intuendum, A quod vivens filius prius dividi præcipitur, ut soli postmodum matri reddatur : quia in hac vita quasi partiri conceditur vita discipuli, dum ex illa nonnunquam alter apud Deum meritum, alter vero apud homines laudem habere permittitur. Sed falsa mater, eum, quem non genuit, occidi non metuit; quia arrogantes magistri, et caritatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeunt, eorum vitam crudeliter insequuntur. Invidiæ enim face succensi, nolunt aliis vivere, quos conspiciunt se non posse possidere. Unde et illic perversa mulier clamat (*vers.* 26) : *nec meus sit, nec istius.* Ut enim diximus, quos sibi obsequi non vident, ad gloriam temporalem, eos aliis invident vivere per veritatem. Vera autem mater satagit, ut B ejus filius saltim apud extraneam sit, et vivat; quia concedunt veraces magistri, ut ex eorum discipulis alii quidem magisterii laudem habeant; si tamen integritatem vitæ iidem discipuli non amittant, per quæ pietatis viscera, hæc eadem vera mater agnoscitur, quia omne magisterium in examine charitatis approbatur, et sola totum recipere meruit, quæ quasi totum (*concessit*) cessit : quia fideles præpositi pro eo quod ex bonis discipulis suis non solum aliis laudem non invident, sed utilitatem eis etiam (*profectus*) provectus exorant; ipsi et integros, et viventes filios recipiunt quando in supremo examine ex eorum vita perfectæ retributionis gaudia sequuntur :

[a] « *Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas : et fuerunt carmina ejus* [b] *quinque millia.* Quid C enim per tria millia parabolas, nisi plenitudo fidei in lege, et Evangeliis a Christo tradita designatur? quæ dum tota multipliciter per allegoriarum sensus sub [c] ministerio Trinitatis disseritur, quasi tria millia parabolæ nuncupantur. Carmina autem ejus quinque millia pro quinque sensibus corporis intelliguntur, quos qui in diversis virtutibus bene [d] gerit, beatus est, et per eos quasi quinque millia carmina Domino canit.

(*Vers.* 33.) « Disputavit autem Salomon a cedro usque ad hyssopum. Cedri nomine celsitudo gloriæ in electis accipitur : sicut et Propheta testatur dicens (*Psal.* XCI, 13) : *Justus ut palma florebit, et sicut cedrus, quæ est in Libano, multiplicabitur.* Hyssopus D autem herba est humilis, saxo hærens, qua signatur humilitas Christi. Redemptor quippe noster a cedro usque ad hyssopum disputavit, quia ab alta excellentia cœlestis gloriæ usque ad carnis humilitatem descendendo pervenit : si quidem et cedri nomine pravorum superba elatio designatur, sicut per David dicitur (*Psal.* XXVIII, 5) : *Vox Domini confringentis cedros.* A cedro itaque Christus usque ad hyssopum [e] disputat, quia pravorum corda, et humilium judicat. *Super ligna autem disputavit*, dum in cruce pependit. Tunc enim in cedro, sæculi arrogantiam inclinavit, quam etiam ad hyssopi humilitatem, id est usque ad crucis stultitiam, ac contemptibilem fidem deduxit. »

(*Caput* V.) Sequitur [f] dehinc historia : « quando Salomon ædificaturus domum Domino, quæsierit auxilium ab Hiram rege Tyri, qui erat amicus David omni tempore, et cum ipso quoque Salomone, postquam regno potitus est, pacem habere jam cœperat, promptumque mox Salomon ad adjuvandum se, in omnibus ejus invenerit animum, ita ut artifices illi, et ligna, et aurum, prout opus habebat, dederit : cujus beneficii gratia Salomon ei per annos singulos plurimos tritici, et olei choros in cibum domui ejus dabat. Nulli autem dubium, quod Salomon, qui interpretatur *pacificus*, et ipso nomine, et serenissimo regni sui statu illum significet, de quo dixit Isaias (IX, 7) : *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis.* Hiram vero, qui latine dicitur *vivens excelse*, credentes ex gentibus, et vita simul cum fide gloriosos figuraliter exprimit. Neque aliquid prohibet, quin Hiram, qui rex erat, regalique potentia Salomonem, id est *Pacificum* in ædificio domus Domini juvabat, conversos ad fidem [g] ipsos rerum Dominos typice denuntiet, quorum ope constat Ecclesiam sæpe adjutam, ac nobiliter augmentatam, et contra hæreticos, schismaticos, et paganos principalibus erectam esse decretis. Petit ergo Salomon in opere templi auxilium ab Hiram, quia cum veniens in carne Dominus, dilectam sibi domum, videlicet Ecclesiam, ædificare disponeret, non de Judæis tantummodo, verum etiam de gentibus, adjutores operis elegit, nam de utroque populo ministros sermonis assumpsit. Misit Hiram Salomoni præcisa de Libano ligna cedrina, et abiegna, quæ in domo Domini ponerentur, quia conversa gentilitas misit ad Dominum viros quondam ad sæculum claros, secure dominicæ increpationis de monte suæ superbiæ jam dejectos et humiliatos, qui ad normam evangelicæ veritatis instituti, in ædificio Ecclesiæ pro suo quisque merito, vel tempore collocarentur.

« *Misit etiam artifices*, quia conversos ad veram sapientiam philosophos, qui gratia eruditionis, populis quoque regendis jure proponerentur, Domino gentilitas obtulit, qualis ipsis apostolorum temporibus Dionysius Areopagita, qualis deinceps doctor suavissimus, et fortissimus martyr Cyprianus, aliique quamplurimi. *Misit aurum :* quod in eadem pene significatione accipitur. Quia nimirum viros sapientia, et ingenio præclaros [h] ostendit, pro quibus cunctis oblationibus gentilitas a Domino dona exspectat gratiæ cœlestis : triticum videlicet verbi Dei, et

[a] Cap. IV, 32. Subsequentia perquire in Isidoro librum III Regum commentariis illustrante.

[b] Vulgata, *quinque et mille*

[c] *Mysterio.*

[d] *Regit.*

[e] Edit. *disputavit.* Præfero lectionem codicis nostri, nam deinceps habet *judicat.*

[f] Quæ sequuntur lineolis pro more notata, in Rabano etiam sunt.

[g] *Earum rerum.*

[h] Fortasse legendum est *obtulit.*

oleum charitatis, atque unctionis, et illuminationis A Spiritus sancti. Convenit apte rebus Ecclesiæ, quod auxilium sancti operis flagitans : ait ad Hiram Salomon (*III Reg.* v, 6) : *Præcipe genti, ut præcidat mihi cedros de Libano, et servi mei sint cum servis tuis.* Servi quippe Hiram, qui præcidebant cedros Salomoni de Libano, doctores sunt electi de gentibus, quorum officii est eos, qui in mundo hoc, rebus et gloria lætabantur, a superbiæ fastu corrigendo sternere, atque ad obsequium sui redemptoris eorum vota transferre. Cum quibus videlicet servis, erant et servi Salomonis, ac pariter memorato instabant operi, quia primi doctores ex gentibus necesse habebant ipsorum Apostolorum, qui a Domino didicerant, eruditione in verbo fidei institui : ne si absque magistris docere inciperent, magistri existe- B rent erroris. Idcirco etenim Salomon servos Hiram cædere sibi voluit ligna de Libano, quia doctiores erant servis suis ad cædendum. Sed idcirco etiam servos suos similiter adesse voluit, ut ostenderet cædentibus, cujus mensuræ ligna fieri deberent. Cujus rei figura in promptu est, quia nimirum Apostoli certius verbum Evangelii, quod a Domino audiere, noverunt. Sed gentiles ab errore liberati [a] atque ad veritatem Evangelii transformati, melius ipsos gentium errores noverant : et quo certius noverunt, et artificiosius hos expugnare, atque evacuare didicerunt. » [b] Paulus quidem sacramentum Evangelii, quod per revelationem didicerat, melius novit; sed Dionysius melius revincere poterat falsa ethnicorum dogmata, quorum cum erroribus syllogismos a pue- C ro, et argumenta cuncta noverat. Cui sensui convenit apte quod sequitur (*Cap.* vi, *vers.* 6) : *Scis enim, quod non est in populo meo vir, qui noverit cædere ligna sicut Sidonii.* Non enim erat in populo Judæorum, ubi Dominus corporaliter præsens docebat, ullus virorum, qui tam docte nosset errores refellere gentilium, quam ipsi ad fidem conversi gentiles, et ex gentibus facti Christiani. Sidonii namque et Tyrii, quia gentilium fuerunt populi, merito figura gentium accipiuntur. Quod autem servos Salomon noster in hoc opus miserit, in sequentibus mystico sermone designatur, cum dicitur (*vers.* 13 *et* 14) : *Elegit Salomon operarios de omni Israel :* [c] *et erat indictio triginta millia virorum, mittebatque* D *eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim, ita ut duobus essent in domibus suis.* « Ubi primo notandum quod non frustra Salomon operarios de omni Israel elegit; neque erat ulla portio populi, de qua non digni tanto opere viri assumerentur. Quia nimirum non de una stirpe Aaron sacerdotes eligendi, sed de omni sunt Ecclesia quærendi, qui ædificare domum Domini, vel exemplo suo, vel dicto sufficiant : et ubicunque inventi fuerint, mox in officium doctorum absque ulla personarum acceptione promovendi, talesque, cum ad erudiendos infideles, atque in collegium Ecclesiæ vocandos ordinantur, quasi ad cedendas in Libano materias templi, viri strenui, atque electi mittuntur. Et quidem numerus triginta millium, quo iidem lignorum cæsores censebantur, potest ad eorum figuram apte referri, qui in fide sanctæ Trinitatis sunt perfecti, quod doctoribus maxime congruit. Verum, quia triginta millia ita erant ordinati, ut dena millia per menses singulos operi sancto instarent, magis denarii numeri sacramentum perpendere debemus. Dena namque millia virorum de Israel ad cædenda ligna in opus domus Domini mittuntur, quia quicunque doctores, atque insipientium eruditores sunt ordinandi, decem præcepta legis per omnia et ipsi observare, et auditoribus satis debent observanda monstrare; sed et præmia in cœlis futura, quæ denario solent figurari, et ipsi sperare, et auditoribus suis speranda semper debent intimare. Terni autem menses, quorum distantia singulis erat lignorum cæsoribus imposita, perfectionem trium virtutum evangelicarum typice denuntiant, eleemosynæ videlicet orationis, et jejunii. » [d] Harum fecit mentionem, quæ non ad hominum ostentationem, sed ad solam interni inspectoris gloriam essent facienda, alioquin a fructu æternitatis vacua manerent. Quibus verbis aperte docuit omnes virtutum fructus, his tribus quasi ramis de una charitatis radice prodeuntibus insinuari. « Per *eleemosynam* namque comprehenduntur omnia, quæ ad dilectionem proximi explenda benivole in fratres operamur : per *orationem* omnia, quibus per internam compunctionem nostro conditori conjungimur. Per *jejunium* omnia quibus nos a contagione vitiorum, et illecebris sæculi observamus, ut libera mente, et corpore casto dilectioni valeamus inhærere semper, et nostri conditoris, et proximi. Et isti sunt tres menses operariorum templi. Nam quia mensis plenitudine dierum lunaris circuli perficitur, per illum plenitudo virtutis cujusque spiritualis ostenditur, in qua mens fidelium a Domino quotidiana illustratione quasi luna a sole respicitur. »

[e] Unus vero mensis, quo ligna ad opus templi cædebant, eleemosyna est, id est opus misericordiæ, quæ erga salutem proximi, ut in unitatem sanctæ Ecclesiæ bene proficiendo perveniat, docendo, castigando, temporalia commoda impendendo, vitæ

[a] Additur *vel conversi*, quæ in Rabano ipso exstant quidem, sed deest vox *liberati*. Eam si vult, deleat lector.

[b] Hactenus Rabanus : reliqua, a quibus lineolæ absunt in tantummodo Claudio reperi, secuto scilicet morem, quem alibi his verbis exposuit : *nonnulla etiam, ut mihi visum est, infra illorum locutionem, mea studui conjungere verba, quæ utramque expositionem absque scissione conjungerent.* [In epistol. ad Galat.]

[c] Rursus redit Rabanus.

[d] Quæ notata non invenis, a vulgatis Rabani exemplaribus absunt. An quia ea Claudius de suo inseruit : an potius quia operariorum negligentia ea abstulit? Judicaverit lector.

[e] Hæc non exstant in vulgatis Rabani operibus. Cur id evenerit, lectori dijudicandum relinquo.

exempla monstrando, laboramus. Duo autem reliqui menses, quibus in domibus suis manere, ac suis necessitatibus sunt vacare, permissi, oratio est, et jejunium, quibus præterea ea, quæ erga necessitatem fratrum foris operamur, nostræ salutis proprie curam intus conversa ad Dominum mente, gerimus. Et quoniam illi solum perfecte vel suæ, vel fraternæ salutis curam gerunt, qui se intuitione divinæ gratiæ humiliter subdunt, recte sequitur (*Vers.* 14) : « *Et Adoniram erat super hujuscemodi indictione.* Adoniram namque, qui latine dicitur : *Dominus meus excelsus*, quem melius, quam ipsum, quem nomine imitatur insinuat, Dominum videlicet Salvatorem? Et tunc Adoniram operariis templi præponitur, ut sua provisione rite ordinet, quibus mensibus singuli ad operandum exeant, quibus denuo ad curandum domum suam redeant, cum Dominus, et Salvator noster mentes sanctorum prædicatorum sua familiarius illustratione informat, ad discernendum, quando oporteat, ædificandi Ecclesiam opus inire : prædicando, vel alia pietatis officia præstando, et quando rursum conveniat ad suam ipsorum conscientiam examinandam, quasi ad inspiciendam domum suam, reverti, et hanc orationibus, ac jejuniis superno inspectore, ac visitatore dignam reddere. »

(*Vers.* 15 *et* 16.) *Fuerunt itaque Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant, et octoginta millia latomorum in monte, absque præpositis, qui præerant singulis operibus, numero trium millium trecentorum præcipientium populo, et his, qui faciebant opus*, etc. « [a] Latomos dicunt lapidum cæsores. Idem autem lapidum cæsores, quod et lignorum cæsores figurate designat : hoc est sanctos prædicatores, qui mentes insipientium de labore verbi Dei exercent, eosque ab ea, in qua nati sunt, turpitudine, ac deformitate transmutare contendunt : ac regulariter institutos unitati fidelium, ædificio videlicet domus Dei, aptos reddere curant. Quod autem et ligna, et lapides in monte ceduntur, et cæsa, ac præparata utraque materia, ad montes domus Domini transfertur, patet sensus; quia omnes homines in monte superbiæ nati sumus : quia de prævaricatione primi hominis, quam superbia fecit, originem carnis traximus. Quicunque gratia Dei præordinati sumus ad vitam, excidimur catechizando, et sacramenta fidei percipiendo, de monte superbiæ in montem domus Domini transferimur, qui eruti de potestate tenebrarum, ad arcem virtutum, quæ est in unitate sanctæ Ecclesiæ, pervenimus. Notandum autem, quod iidem operarii ita erant distributi, ut pars in monte lapides cederent, pars item onera portarent. Diversa sunt namque dona spiritus, et quidam majorem dicendi, ac protervos arguendi con- A stantiam habent, quidam mitiores ad consolandos pusillanimes, et infirmos sublevandos existunt, quidam utriusque virtutis munere præditi ad opus Domini conveniunt, quales fieri voluit eos, de quibus loquitur Apostolus dicens [c] : *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes* (*I Thess.* v, 14). Præpositi autem, qui præerant singulis operibus, ipsi sunt sacræ conditores Scripturæ, quorum magisterio in omnibus erudimur, quomodo [b] inscios docere, et contemptores corripere : (*Gal.* vi, 2) quomodo nos invicem onera nostra portare, ut impleamus legem Christi, conveniat. »

[c] Quanto autem quisque plus in sustentandis proximorum necessitatibus, sive in castigandis eorum er- B ratibus laborat, tanto certiora in futuro præmia, vel quietis animarum post mortem, vel beatæ corporum immortalitatis [d] exspectat, [e] « Unde recte præfati operarii septuaginta millia, et octoginta millia esse perhibentur. Septuaginta millia videlicet propter sabbatismum animarum (septimus enim dies in Sabbatum, id est requiem consecratus est). Octoginta millia propter spem resurrectionis, quæ octava die (id est post Sabbatum) in Domino præcessit, et in nobis quoque octava die, similiter, et octava ætate futura speratur. Præpositi autem erant tria millia trecenti, propter fidem nimirum sanctæ Trinitatis, quam sancta nobis eloquia prædicant. Quod vero pro tribus millibus trecentis præpositis in libro C Paralipomenon (*II Par.* ii, 18), tria millia sexcenti sunt scripti, ad eamdem prorsus sublimium virorum perfectionem respicit. Nam quia in senario numero [f] Dominus mundi ornatum complevit, recte in eo perfecta bonorum solent opera figurari. Et quia sancta Scriptura cum fide veritatis, opera justitiæ docet habenda, recte præpositi operum templi tria millia, et sexcenti fuisse perhibentur. Nec prætereundum, quod hæc septuaginta, et octoginta millia portantium onera et latomorum cum præpositis suis, non fuerunt de Israel, sed de proselytis, id est advenis, qui morabantur inter eos. Scriptum namque est in libro Paralipomenon (*II Par.* ii, 17) : *Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post dinumerationem, quam dinumeravit David pa-* D *ter ejus : et inventi sunt centum quinquaginta millia, et tria millia sexcenti, fecitque* [g] *eos septuaginta millia qui humeris onera portabant*, etc. Proselyti autem vocabantur Græce, qui ex aliis nationibus progeniti, in fidem et consortium populi Dei accepta circumcisione transierunt. Fuerunt itaque operarii domus Domini de filiis Israel, fuerunt de proselytis, fuerunt de gentibus. De filiis videlicet Israel, triginta millia, qui ad præcidendos de Libano cedros missi

[a] Rursus Rabanus occurrit, quem docentem habes, dum lineolas invenies.
[b] *Mitiores*, sed præstat nostra lectio.
[c] Quæ lineolis carent a Rabano edito absunt.
[d] Deesse videtur *post judicium extremum*, aut aliud ejusmodi. Quomodo locutiones illæ, quæ *quietem* mortuis tribuunt, accipiendæ sint, docet Muratorius in libro, quem *de Statu mortuorum* inscripsit.
[e] Redit rursus Rabanus.
[f] Deest in editis vox *Dominus*, quam tamen sensus exposcit.
[g] Rabanus, et editio vulgata *ex eis*.

sunt : de proselytis isti, de quibus nunc locuti sumus, A lapidum cæsores. De gentibus, Hiram ipse, et servi ejus, qui cum servis Salomonis ligna cædebant de Libano. Omne igitur hominum genus, per quos ædificanda erat Ecclesia, in ædificio templi præcessit : Judæi namque, proselyti, et gentiles conversi ad veritatem Evangelii unam, eamdemque Christi Ecclesiam, sive recte vivendo, sive etiam docendo construunt.

(*Vers.* 27.) « *Præcepitque rex, ut tollerent lapides grandes pretiosos in fundamentum templi, et quadrarent eos.* Fundamentum templi nullum est aliud mystice intelligendum, quam illud, quod ostendit Apostolus dicens (*I Cor.* III, 11) : *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, Christus Jesus.* Qui propterea recte fundamen- B tum domus Domini potest vocari, quia sicut ait Petrus (*Act.* IV, 12) : *Non est aliud sub cœlo datum hominibus nomen, in quo oporteat nos salvos fieri.* In quod fundamentum lapides grandes, et pretiosi ponuntur, cum præcipui factis, ac sanctitate viri familiari mentis sanctitate suo adhærent conditori; ut quo firmius in illo spem suam ponunt, eo fortius aliorum vitam dirigere, (quod est latitudinem portare) sufficiant. Lapides ergo, qui in fundamentum templi ad portandum ædificium omne ponebantur, proprie sunt prophetæ, et apostoli, qui verbum et sacramenta veritatis, sive visibiliter, sive invisibiliter, ab ipsa Dei sapientia perceperunt. » [a] Unde et nobis, qui eorum vitam, sive doctrinam studemus, pro nostro modulo imitari, *fundatos* dicit Apostolus C (*Eph.* II, 20) : *super fundamentum apostolorum et prophetarum.* Sed et generaliter quicunque, et fideliter ipsi Domino adhærere, et impositas sibi fratrum necessitates fortiter ferre didicerunt, hi possunt lapidibus grandibus, ac pretiosis indicari. « [b] Qui bene lapides primo quadrari, ac sic in fundamento poni jubentur : quadratum namque omne, quocunque vertitur, stare fixum consuevit. Cui nimirum figuræ corda assimilantur electorum, quæ ita in fidei firmitate consistere didicerunt, ut nulla occurrentium rerum adversitate, nec ipsa etiam morte a sua rectitudine possint statu declinari. » [c] Quales videlicet doctores Ecclesia, non solum de Judæa, verum etiam de gentibus per plures suscepit. Unde bene de lapidibus hujus mundi grandioribus pretiosis D et quadratis subditur :

(*Vers.* 18.) « *Quos dolaverunt cæmentarii Salomonis, et cæmentarii Hiram.* Dolantur namque lapides pretiosi, cum electi quique præcedentium sanctorum instructione, et instantia, quidquid in se habent noxium et inane, relinquunt, atque ante conspectum sui conditoris solam insitæ justitiæ regulam, quasi stabilem quadraturæ formam ostendunt. Dolaverunt autem lapides non solum cæmentarii Salomonis, sed et cæmentarii Hiram, quia ex utroque populo fuerunt nonnulli, qui ipsorum quoque doctorum sublimium, imo doctores existerent, » [d] et quasi quadrantes eos ad sublevandum domus Domini ædificium pararent. Neque enim soli Jeremias et Isaias, et cæteri ex circumcisione prophetæ, verum etiam beatus Job cum filiis suis, qui erant de gentibus, maximam vitæ, sive patientiæ formam, doctrinæ salutaris præconia sequentis ævi doctoribus ministrarunt : quo abjectis verbis, actibus, cogitationibus supervacuis, ad portandum onus sanctæ Ecclesiæ digni, et apti inventi sunt.

[e] *Porro Giblii præparaverunt ligna et lapides ad ædificandam domum.* « Giblos est civitas in Syria Pheniciæ, a quo Giblii sunt vocati, cujus meminit Ezechiel dicens (XXXVII, 8) : *Sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui. Senes Giblii, et prudentes ejus.* Pro quo in Hebræo continetur : *Gobel*, sive *Gebal*, quod interpretatur *diffiniens*, sive *determinans.* Quod vocabulum apte convenit eis qui corda hominum ad ædificium spiritale, quod ex virtutibus animæ construitur, parant : sic etenim solum suos auditores fidem, et opera justitiæ sufficiunt docere, dum ipsi prius sacris paginis edocti, diligenter, quæ sit fides tenenda, quo virtutum calle incedendum, certa diffinitione veritatis didicerunt. Nam frustra sibi officium doctoris usurpat, qui discretionem catholicæ fidei ignorat, neque sanctuarium Domino, sed ruinam sibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicerunt, conantur. In ædificando ergo domum Domini primo sunt ligna, et lapides cædendi de monte, quia eos, quos in fide veritatis instituere quærimus, primo necesse est, ut abrenuntiare diabolo, ac de sorte primæ prævaricationis, in qua nati sumus, doceamus renascendo erui, deinde quærendi sunt lapides pretiosi, et grandes, atque in fundamentum templi ponendi, ut meminerimus, abdicata conversatione priori, eorum in omnibus vitam, moresque inspicere, eosque nostris auditoribus imitandos proponere, quos per virtutem humilitatis specialiter Domino adhærere noverimus. » [f] Quos invincibili mentis stabilitate, quasi quadratos quodam modo, atque ad omnes tentationum incursus, immobiles perdurare conspicimus, quos pretiosos, et grandes merito, ac fama comperimus. Post fundamentum vero talibus, ac tantis lapidibus compositum, ædificanda est domus Domini, præparatis diligentius lignis, ac lapidibus, ac decenti ordine collocatis. Quæ olim de prisco suo situ [g] (vel radice) fuerant abstracta, quia post prima fidei rudimenta, post collocata in nobis juxta exemplum sublimium virorum fundamenta humilitatis [h] « addendus est in altum paries operum bonorum, quasi super impositis sibi invicem ordinibus lapidum (*Psal.* LXXXIII, 8) *ad ambulandum*, ac

[a] Quæ lineolis notata non sunt, a Rabano absunt.
[b] Hæc rursus Rabani verba sunt.
[c] Quæ notata non sunt, in edito Rabani non leguntur.
[d] Desunt hæc quoque in Rabano.
[e] En iterum Rabanus.
[f] Quæ lineolis carent, in Rabano non exstant.
[g] Verba hæc : *vel radice* aliam lectionem indicant; nolui tamen demere. Demat, si vult, Lector.
[h] Subsequentia in Rabano reperies.

proficiendum *de virtute in virtutem*. Vel certe lapides fundamenti grandes pretiosi, et quadrati, primi sunt, ut supra diximus, Ecclesiarum magistri (*Eph.* II, 20), qui ab ipso Domino verbum audierunt salutis. Superpositi autem ordines lapidum, sive lignorum, sequentes suo quoque tempore sacerdotes, quorum vel prædicatione, ac ministerio fabrica crescit Ecclesiæ, vel (*ornatur*) ordinatur virtutibus. Quales autem colore fuerint lapides, quibus factum est templum, in libro Paralipomenon aperte declaratum est, dicente David ad Salomonem, cum ei impensas templi, et quæ paraverat, ostenderet (*I Par.* XXIX, 2) : *Omnem pretiosum lapidem, et marmor parium abundantissime præparavi.* Marmor autem parium marmor candidum dicitur, quale eadem insula gignere consuevit. » [a] Unde poeta de illa (*Virg.* III *Æn.*):

Olearon, niveamque Paron, sparsasque per æquor
Cyclada, sed crebri legimus freta concita ventis.

Nivea ergo Paron dicitur, eo quod candidissimi generis marmor mittat. « Est autem una de Cycladibus insulis, quo videlicet lapide templum fuisse factum Josephus insinuat dicens : *Elevavit itaque templum usque ad cameram ex lapide albo constructum :* [b] *altitudo fuit viginti quinque cubitorum, et centum.* Nec mysterii sensus in abdito est; cuivis etenim patet, quia marmor candidum, ex quo domus Domini constructa est, mundam electorum actionem, simul et conscientiam ab omni nævo corruptionis castigatam designat, quales esse voluit sapiens ille architectus eos, quos super fundamentum Christi locabat, lapides pretiosos, auro argentoque redimitos (*II Cor.* VII, 1) : *Charissimi*, inquit, *mundemus nos ab omni inquinamento carnis, et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* » [c] Ædificium in superiore hujus voluminis parte habes a beato Beda expositum [d].

(*Cap.* VIII, 1, *et II Par.* V, 2.) *Venerunt cuncti senes ex Israel ad regem Salomonem in Jerusalem, ut deferrent arcam fœderis Domini de civitate David, id est de Sion, et tulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini, intuleruntque eam in locum suum in oraculo templi in sancta sanctorum subtus alas cherubin : siquidem cherubin expandebant alas suas super locum arcæ, protegebantque arcam, et vectes ejus desuper. Cumque eminerent vectes, apparerentque summitates eorum foris sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus : qui et fuerunt ibi usque in præsentem diem.* « Hoc manifestius in Paralipomenon volumine scribitur (*Ibid.*, *vers.* 9) : [e] *Vectium*, inquit, *quibus portabant arcam, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum. Si vero quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterant.* Ubi notandum, quia et si capita vectium accedentibus propius, ac diligentius intuentibus apparebant ante oraculum, non tamen fieri poterat, ut ipsa eorum capita ante oraculum eminerent, quia nimirum necesse erat, ut clauso oraculo, et appenso ante ostia velo, ipsi quoque vectes toti cum arca, et cherubin abderentur interius; quod fieri non poterat, si prominentes ulterius vectes producendis ad claudendum ostiis locum non darent. Quorum positionem vectium Scriptura non sine causa, sed magni intuitu sacramenti tam diligenter expedire curavit : constat enim, quod domus templi exterior, peregrinantem in terris Ecclesiam : sancta sanctorum autem internam supernæ patriæ felicitatem designat. Item illata in sancta sanctorum arca, assumptam Christi humilitatem, et intra velum regiæ cœlestis inductam : vectes vero, quibus eadem arca portabatur, prædicatores verbi, per quos ipse mundo innotuit, typice denuntiant. [f] Apparebant enim summitates vectium foris ante oraculum non semper, sed cum ostia ejusdem oraculi aperiri contingeret, neque hoc omnibus, sed iis solummodo, qui propius accedentes attentius ea, quæ intus erant, satagebant intueri. Ipsa autem arca, qualis et quomodo esset posita (*solis iis*) solum eis, qui oraculum intrassent, videre licebat, quia nullus sanctorum adhuc vita positus, tametsi multum in altitudine se mentis attollens, sed soli illius patriæ cives gloriam inibi sui Redemptoris (*plene*) plane contuentur. Sunt et vectes cum arca in oraculo reconditi, quia absconditi sunt etiam nunc perfecti quique electi, qui nos præcesserunt de mundo in abdito vultus Dei, a conturbatione hominum, quorum tamen summitates vectium nonnunquam aperto oraculo his, qui appropiant, visuntur : cum perfectioribus quibusque, atque oculum sui cordis tota intentione purificantibus, divina gratia aliquid extremum de supernorum civium gaudio contemplandum donaverit. Quæ nimirum contemplatio his, qui paulo longius recesserunt, minime conceditur, quia quanta exterius mente vaga remanent, tanto minus, quæ sint interna gaudia, vident. »

(*Vers.* 10.) Deinde sequitur : *In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Oreb, quando pepigit fœdus Dominus cum filiis Israel, cum egrederentur de terra Ægypti.* Quæri potest quomodo hic dicat quod in arca non esset aliud, nisi duæ tabulæ testimonii, cum apostolus Paulus, magister gentium in fide et veritate, Hebræis, id est filiis Israel, scribat dicens (*Hebr.* IX, 2) : *Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur sancta. Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum : aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam*

[a] Quæ lineolis carent, Rabanus minime habet.
[b] Editus Rabanus : *altitudo fuit sexaginta cubitorum.*
[c] Hactenus etiam Rabanus.
[d] Plurima omittit codex noster, quæ habet vulgatus Eucherius ex Beda desumpta ; ad quem quidem idem codex Lectorem allegat. Hic aliqua certe desunt, quæ notantur in serie capitum.

[e] Beda cap. seu quæstione 14 quæ sequuntur lineolis notata tradit. Rabanus hæc pariter habet.
[f] Nonnulla, quæ vulgatis Bedæ, et Rabani libris leguntur, prætermittit hic Claudius. An quia parum idonea iis, quæ sibi explicanda proposuerat? judicaverit Lector.

*ex omni parte auro, in qua erat urna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ testamenti.* Ecce teste Apostolo didicimus, quod et ista ibidem fuerunt : non enim ausus est aliud eis scribere, nisi quod certum tenebant illi : omnia hæc in ipsa arca fuisse, sed non plenius apparet, quando intromissæ ibidem sint : excepto quod in libro Numeri scriptum est (*Num.* XVII, 9 *et* 10) : *Protulit Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel : videruntque, et receperunt singuli virgas suas. Dixitque Dominus ad Moysen, refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel : et quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur.* Denique et de manna, ita in Exodo scriptum est (*Exod.* XVI, 33, 34) : *Dixitque Moyses ad Aaron, sume vas unum, et mitte ibi man, quantum potest capere Gomor, et repone coram Domino ad servandum in generationes vestras, sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum.* Erat autem in arca urna aurea habens manna, quia in homine Christo habitat (*Coloss.* II, 9) *omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Erat autem virga Aaron, quæ excisa denuo floruerat, quia (*Joan.* V, 22, 27, 29, 30, etc.) potestas omnis judicandi penes eum est, cui judicium in humilitate passionis videbatur esse sublatum. Erant et tabulæ testamenti, quia in illo sunt (*Coloss.* III, 3) *omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ absconditi.* Adhærebant ei vectes, quibus portabatur, quia doctores, qui quondam laborabant in verbo Christi, nunc præsenti visione gaudent gloriæ Christi : quod enim unus eorumdem dixit (*Philip.* I, 23) : *Cupio dissolvi, et cum Christo esse,* de omnibus utique sui operis consortibus intelligendum reliquit.

(*Cap.* VIII, 10.) *Factum est cum exissent sacerdotes de sanctuario, nebula implevit domum Domini : et non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam : impleverat enim gloria Domini domum Domini.* [a] « Gloria Domini intelligitur Christus, cujus fide repletus est universus mundus. De qua gloria (*Num.* XIV, 19, 20, etc.) cum pro adorato vitulo Dominum deprecaretur Moyses, ut parceret populo peccatori, respondit Dominus : *Propitius ero illis, verumtamen vivo ego, et vivit nomen meum, quia implebitur gloria mea omnis terra.* Et septuagesimus primus psalmus canit (*vers.* 19) : *Implebitur gloria ejus omnis terra.* Unde et angeli clamabant pastoribus (*Luc.* II, 14) : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quod autem nebula implevit domum Domini, *et non poterant sacerdotes ministrare propter nebulam,* hæc sententia superbos Judæorum pontifices ac doctores insinuat, qui dum Nativitatis Christi sacramenta investigare despiciunt, debitum fidei suæ ministerium per erroris nebulam perdiderunt. Ita enim eorum mentes infidelitatis caligo replevit, ut exigentibus propriis meritis, non agnoscant cultum credulitatis. »

Post perfectum omne opus domus Domini et longam orationem Salomonis (*III Reg.* IX, 3), et divina ad eum oracula facta inter cætera refert Scriptura (*Ibid.* 11, 26) quod classem navium fecerit rex Salomon in Asyongaber. Asyongaber portus est maris Rubri (*Num.* XXXIII, 35) et fuit tricesima prima mansio filiorum Israel, quando profecti sunt de Ægypto : ipso etiam loco post (*III Reg.* XXII, 49) classis Josaphat, ut Scriptura testatur, vi tempestatis attrita est. Classis sunt navigia maris : classis etiam dicta navium multitudo.

(*Ibid.* IX, 27, 28.) Post hæc iterum refert Scriptura, quod venerint servi Hiram cum servis Salomonis in eisdem navibus in Ophir, sumptumque inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad regem Salomonem in Jerusalem. Ophir, unde, sicut jam diximus, aurum afferebatur Salomoni, fuit unus de posteris (*Gen.* X, 25, 29) Heber nomine Ophir, ex cujus stirpe venientes a fluvio Cophenæ usque ad regionem Indiæ, quæ vocatur Hieria, eos habitasse refert Josephus, a quo et regio ipsa tale vocabulum est consecuta. Unde septuaginta interpretes derivato vocabulo non Ophir, sed *Ophira* transtulerunt.

(*III Reg. cap.* X, 1.) *Sed et regina Saba audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus.*

Sicut enim hæc regina venit a finibus terræ, id est India, ut quidam dicunt, audire sapientiam Salomonis, ita venit Ecclesia post multa sæcula ad Redemptorem, et eruditorem suum, ut de stultitia erroris, doctrinam perciperet veritatis. Hæc est illa regina, de qua ad Dominum dicitur (*Ps.* XLIV, 10) : *Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato circumamicta varietate,* id est diversarum circumdata pretioso decore virtutum : hæc etiam omnium credentium mater est, quæ natos ad mortem, regenerat ad salutem : per quam Christus plus restituit in gratia, quam periit in natura : et Adæ transgressoris degenerem prolem in adoptionem divinæ paternitatis assumpsit, et de paradiso exhæreditatis, cœli reddidit cives. Hæc post synagogam quidem vocata, sed ante synagogam promissa. Hæc enim jam in primo homine præfigurata est. Nam sicut ex Adæ latere fabricata est Eva : ita ex Christi corpore, et vulnere redempta crevit Ecclesia.

(*Cap.* X, *vers.* 2.) *Ingressa regina Saba Jerusalem cum multo comitatu, et divitiis, cum camelis portantibus aromata, et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas, venit ad Salomonem, et locuta est ei universa quæ habebat in corde suo.*

Ergo in figura reginæ hujus, Ecclesia venit ex gentibus, et finibus terræ imponens finem cupiditatibus, vitiisque terrenis, audire sapientiam Salomonis, id est viri pacifici Domini nostri Jesu Christi (*Eph.* II, 14) *qui fecit utraque unum* solvens inimicitias inter Deum, et hominem in carne sua. Venit post veteres et profanas superstitiones audire, et discere de fidei

[a] Quæ sequuntur, illustrantque locum hunc, desumpta sunt prorsus ex capite 2 Isidori in librum III Regum.

illuminatione, et judicio futuro : de animæ immortalitate, de spe resurrectionis, et gloria. Venit ergo in Jerusalem cum multo comitatu : id est, non jam cum una tantum gente Judæorum, sicut prius synagoga solos habuit Hebræos, sed totius mundi gentibus, diversisque nationibus. Venit ergo exhibens munera digna Christo, aurum, et gemmas pretiosas, et hoc camelis portantibus aromata, id est ex gentili populo venientibus, qui fuerant prius vitiorum fœditate distorti, et malorum onere curvi, ac peccatorum pravitate deformes. Cum his tanquam muneribus regina hæc ingreditur ad pacificum regem Christum, exhibens secum aromata fidei, aurum puritatis, incensum pretiosum, splendoresque gemmarum, morum scilicet insignia, ornamenta virtutum. (*III Reg.* x, 2, *et II Par.* ix, 1.) *Et locuta est ei universa, quæ habebat in corde suo :* Id est aperuit ei cor suum, manifestavit ei occultam conscientiam suam in confessione, et pœnitudine præcedentium delictorum. Videamus quid agat hæc regina.

(*V.* 4.) *Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, et cibos mensæ ejus, et holocausta, quæ offerebat in domum Domini, non habebat ultra spiritum.*

Quid erat rationis, ut præpotens regina domum, expensas, et cibos regios tanto opere miraretur? Ergo hoc in loco aliqua majora nos oportet inquirere. Vidit ergo Ecclesia ex gentibus congregata sapientiam Christi, id est post carnalia instituta gentilium, post humanam, et animalem doctrinam philosophorum, accepit intellectum salutis, et vitæ, inspexit spiritualia mirabilia bonorum, agnovit verum fabricatorem cœli ac terræ, et potentissimum humani generis conditorem. De cujus sapientia dicitur (*Sap.* xi, 21) : *Omnia in mensura, et pondere, et numero constituisti.* Vidit et domum quam ædificaverat, id est, incarnationem hominis assumpti. De qua domo dicit Apostolus (*Coloss.* ii, 9) : *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Vidit et cibos Salomonis, videlicet illos, de quibus dicebat (*Jo.* iv, 34) : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem patris ejus, qui me misit.* Cibus Christi est salus nostra, reficitur cœlestibus epulis, profectibus nostris. Cibus ejus sumus, dum acquisiti ab Ecclesia, in membra ejus, corpusque transimus : vel cibus ejus altaris sacramenta cœlestia, de quibus dicitur (*Ps.* lxxvii, 24, *et Joan.* vi, 50, etc.) : *Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo.* Vidit et holocausta ejus : orationem sine dubio, supplicationumque mysteria; et obstupuit. Ibi vidit inæstimabiles divitias Domini sui.

(*V.* 6 *et subs.*) *Dixitque ad regem : Verus est sermo, quem audieram in terra mea, super sermonibus tuis, et super sapientia tua : et non credebam narrantibus; donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi, quod media pars nuntiata mihi non fuisset. Majora sunt sapientia, et*

A *opera tua, quam rumor, quem audivi.* Cum ergo pervenit hæc, sive Ecclesia, sive quæque anima sancta in æternam Jerusalem, id est visionem pacis, et ingressa fuerit beatam requiem, et gloriam cœlestium promissorum, multo plura, et magnificentiora perspiciet, quam ei sunt in hac terra per sacra eloquia, per prophetas atque apostolos nuntiata. *Nunc enim tanquam in speculum in ænigmate :* tunc autem oculis suis videbit : *id est facie ad faciem* (*I Cor.* xiii, 12). Cum, inquam, unaquæque anima fidelis, et sancta in illo sæculo plena bonorum operum fructibus, divinis fuerit præsentata conspectibus, exhibens in se, imo se ipsam xenium Deo suo, proferens digna cœlo, et valitura cœlum multiplicia munera, gemmas misericordiæ, justitiæ margaritas diversorum ornamenta meritorum,

B id est aromata compunctionis, et suave olentis balsama castitatis proferens, sicut dixi, aurum infinitum nimis, id est integrum in se reconsignans pio inæstimabile pretium Redemptori, spiritualibus cordis, et corporis oblationibus placitura, ut possit cœlestium mirabilibus inserta, vocem propheticæ exsultationis assumere (*Psal.* lxv, 13) : *Introibo domum tuam in holocaustis.* Tunc beata et illustris anima inter stupendas remuneratoris sui constituta divitias, ineffabilibus reginæ hujus verbis uti ad Deum poterit dicens : *Verus est sermo, quem audivi in terra mea super sermonibus tuis. Majora sunt opera tua, quam rumor, quem audivi.* Hoc est dicere : o Domine, de tribulationibus meis magna quidem sperare præsumpsi : sed majorem percepi veniam. Manifesta,

C quam cerno, dulcedinis magnitudinem, cogitationis meæ sensum superat exspectationis effectus. [a] Et revera id, quod parat Deus diligentibus se, fide non comprehenditur, spe non attingitur, charitate non capitur, desideria, et vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest. Videbit homo merita sua insuspicabili retributionum largitate succrescere, habebit de perceptione fructum, non habebit de satietate fastidium.

*Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus, et summitas throni rotunda erat in parte posteriori.* Thronus eburneus æternam judicis potestatem auro divinitatis fulgentem, quam [b] Dominicus homo a Patre accepit, figuram gestasse non dubium est. Sex

D gradus hujus throni omnem creaturam visibilem et invisibilem, quæ sex diebus facta est, et Christo Domino a Patre subjecta typice demonstrabant. Quod autem ipse thronus in posteriorem sui partem rotundus esse describitur, hoc procul dubio datur intelligi, quia præsens mundus, qui per metas temporum volvitur, in sua extremitate a Domino sit judicandus. At vero duodecim leunculi per sex gradus bini stantes, sanctorum apostolorum significant potestatem, quibus dictum est a Domino (*Matth.* xix, 28) : *Se-*

[a] *Remunerationis pretium.* Sic vulgatus Eucherius.

[b] Locutio hæc per se Nestoriana est : sed mitefieri illa potest ad eum modum, quo mitefiunt nonnullæ Patrum locutiones hujus similes, ideo liberiores, quia ante exortum Nestorii errorem prolatæ. Cæterum ex iis [nisi fallimur] est locutionibus, quæ in Claudio reprehensæ sunt, isque non temere Nestorii asseclis annumeratus.

*debitis super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israel.*

Post aliquanta iterum refert Scriptura (*vers.* 27) : *Quod fecit Salomon, ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta lapidum.* Hæc locutio tropica, non propria est : tale est quale in Genesi legimus, ubi dixit Deus ad Abraham (XIII, 16) : *Faciam semen tuum quasi pulverem terræ.* Quod ea locutione dictum est, quam Græci vocant hyperbolem : quæ utique tropica, non propria est : quem tamen modum, ut cæteris tropis uti solere Scripturam, nullus qui eam didicit, ambigit. Iste autem tropus, id est, modus locutionis fit, quando id quod dicitur, longe est amplius quam quod eo dicto significatur. Quis enim non videat, quod erat incomparabiliter amplior lapidum numerus, quam argenti pondus in civitate Jerusalem?

(*Cap.* XI.) *Rex autem Salomon amavit mulieres alienigenas multas : filiam quoque Pharaonis, et Moabitidas, et Ammonitidas, Idumæas, et Sidonias, et Hethæas : de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel, non ingrediamini ad eas : neque de illis ingredientur ad vestras : certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore; fueruntque ei uxores quasi reginæ septingentæ, et concubinæ trecentæ, et averterunt mulieres cor ejus.* Ammonendi sunt quibus hoc sæculum prosperatur, qui nullis adversitatibus hujus mundi feriuntur, quod Salomon post acceptam sapientiam, usque ad idolatriam cecidisse describitur, quia nihil in hoc mundo, priusquam caderet, adversitatis habuisse memoratur, sed concessam sapientiam funditus deseruit : eo quod eum nulla saltem minima tribulationis disciplina custodivit, nisi postquam Deum deseruit, et se a Deo desertum esse cognovit. [a] « Jam vero de cæteris operibus ejus quid dicam? Eum vehementer arguit sancta Scriptura, atque condemnat, et nihil de pœnitentia ejus, vel in eum indulgentia Dei, omnino commemorat. Nec prorsus occurrit, inter [b] posteriora ejus male gesta, quod saltim in allegoria boni aliquid significent : hinc ejus flenda submersio; nisi forte quis dicat mulieres alienigenas, quarum amore deceptus est, significasse electas Ecclesias de gentibus. Posset enim fortasse hoc non absurde intelligi, si illæ propter Salomonem desererent deos suos, et colerent Deum ejus. Cum vero ipse propter illas offendit Deum suum, et coluit deos earum, non est quid inde boni conjici possit; nec tamen nihil arbitrandum est boni aliquid significare potuisse, sed malum; apparet enim in persona hujus Salomonis mira excellentia, et subversio terribilis. Quod igitur in illo diversis temporibus exstitit, prius bonum, et posterius malum, hoc in Ecclesia in isto adhuc sæ-

A culo simul, et uno tempore ostenditur. Nam bono illius, bonos Ecclesiæ, malo autem illius, malos Ecclesiæ significatos puto, tanquam in unitate areæ. Sic in illo uno homine bonos in granis, malos in paleis, aut certe in unitate unius segetis bonos in tritico, malos in [c] zizania. »

(*Cap.* XI, 29.) *Factum est igitur in tempore illo, ut Hieroboam egrederetur de Hierusalem, et inveniret eum Ahias Silonites propheta in via, opertus pallio novo : erant autem duo tantum in agro. Apprehendensque Ahias pallium suum novum, quo opertus erat, scidit in duodecim partes, et ait ad Hieroboam : Tolle tibi decem scissuras, hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus : porro una tribus re-*

B *manebit ei propter servum meum David, et alia tribus propter Hierusalem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel.*

[d] « Illud vero, quod post mortem Salomonis decem tribus a templo separatæ sunt, et duæ relictæ, satis indicat, quod de tota ipsa gente Apostolus ait (*Rom.* XI, 5) : *Reliquiæ per electionem salvæ factæ sunt.* »

Quod vero unitas pallii prophetæ in duodecim partes scissa est, ex quibus scissuris Hieroboam decem accepit, hoc figurasse videtur, quod concordia Ecclesiæ ab hæreticis conscissa, ipsi magistri erroris, a quibus unitas divisa est, plebem in decem tanquam errores a catholicis dividunt, et tyrannice sibi subditam detinent.

C Post multa alia refert Scriptura libri Regum, et dicit (*Rom.* XI, 41) : *Reliqua autem verborum Salomonis, et omnia, quæ fecit, et sapientia ejus : ecce universa scripta sunt in libro verborum dierum Salomonis.*

In libro Paralipomenon, quem Græco vocabulo taliter nuncupamus, quem nos Latine *præteritorum* possumus dicere, ita de Salomone scriptum est (*II Par.* IX, 29) : *Reliqua vero operum Salomonis primorum, et novissimorum scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Ahiæ Silonitis : in visione quoque Addo videntis contra Hieroboam.* Hos libros hodie nusquam, neque apud ipsos Hebræos inveniri posse asseverant; sicut nec librum Bellorum Domini, cujus in libro Numerorum mentio est (XXI, 14) :

D neque librum Justorum (*Jos.* X, 13) : neque carmina Salomonis : neque disputationes ejus sapientissimas de lignorum natura, herbarumque omnium, itemque jumentorum, volucrum, reptilium, et piscium, vel quod jam ex libro *verba dierum* protulimus, ubi dicit : *Reliqua vero opera Salomonis priorum, et novissimorum scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ, in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo videntis contra Hieroboam filium Nathan,* et multa hujusmodi volumina, quæ Scriptura quidem

[a] Hæc perquire cap. 6 Isidori in III Regum : in commentariis quoque Rabani in locum hunc.

[b] Edit., *occurrit, quid saltem in allegoria.*

[c] Edit., *zizaniis.*

[d] Desumpta sunt hæc ex cap. 7. Isidori in lib. III Reg.; et fortasse etiam subsequentia ex eodem Isidoro desumpta sunt; sed periit porro, nisi fallimur, reliqua pars Commentariorum Isidori, quæ hic allegatur.

probat sed hodie constat non esse. Vastata namque A a Chaldæis Judæa, etiam bibliotheca antiquitus congregata inter alias provinciæ opes hostili igne consumpta est, ex qua, pauci qui nunc in sancta Scriptura continentur libri, postmodum Ezræ pontificis et prophetæ sunt industria restaurati.

## INCIPIUNT CAPITULA LIBRI IV.

De propheta Domini, qui venit ad Hieroboam in Bethleel, et pseudopropheta, qui eum decepit, propter quod et mortuus est.
De Achab rege, et Hiezabel uxore ejus.
De Hierico ædificatione, quam fecit Achiel de Bethel.
De Helia, et virtutibus ejus.
De morte filii mulieris viduæ, quem suscitavit Helias.
De manifestatione Heliæ ad Achab, et Sacerdotibus idolorum, et altare quod exstruxit Helias, et igne a Deo misso, nec non et largitate pluviæ.
De nequitia Jezabel adversus Heliam, et fuga ejus.
De adventu ejus ad montem Dei Oreb.
De egressione ejus in Damascum, et unctione Asahel regis in Syria : et Hieu filii Namsi regis super Israel, et Heliseo propheta post se in Israel.
De eo, quod scriptum est : *Hoc faciant mihi dii, et hoc addant, si sufficit pulvis Samariæ pugillus, universi populi, qui sequitur me.*
De visione Micheæ prophetæ, ubi vidit Dominum sedentem super solium excelsum : et mendacio falsorum prophetarum.
De morte Achab, et successione filii ejus.
De duobus quinquagenariis cum militibus suis igne combustis.
De confabulatione Heliæ cum Eliseo, et raptu ad cœlum.
De Heliseo, ubi Hierico steriles, et malignas aquas sanavit.
De parvulis ab eo maledictis, et ab ursis devoratis.
De muliere, cujus filii a creditore diripiebantur, sed per Heliseum liberati sunt.
De viro, et muliere, qui transeunte Heliseo frequenter in domo sua eum recipiebant.
De surrectione pueri, ubi per servum suum baculum misit, et mortuus non revixit.
De emundatione Naaman Syri a lepra sua.
De ferro a ligno exilienti, et in profundo demerso, et consilio regis Syriæ, ut comprehenderet Heliseum.
De fame, quæ facta est in Samaria obsidentibus Assyriis, quando caput asini octoginta argenteis vendebatur.
B De unctione regis Joas filii Azariæ, quem Joiadas pontifex constituit regem, et operibus ejus.
De Amasia rege Juda, qui percussit Edom in valle Salinarum.
De Hieroboam rege Israel, qui restituit terminos Israel.
De his, qui in Samariam a rege Assyriorum adducti sunt.
De Ezechia rege Juda, et Senacharib rege Assyriorum, et blasphemia Rapsaces, atque percussione exercitus Senacharib.
De ægritudine regis Ezechiæ, et quindecim additis annis.
De divitiis ejus Chaldæis morbo jactantiæ ostensis [a].
De Manasse, et malitia ejus.
De Josia rege, et Cholda [b] prophetissa, et operibus ejus.
De Nabuchodonosor, et exercitu ejus, et malo regum Juda, propter quod tradita est Hierusalem in manu Chaldæorum ad vastandum.

[a] An aliquid hic deest ? C

[b] Vulg. *Holdam*.

## INCIPIT TEXTUS LIBRI IV.

Post divisionem regni Israel inter Roboam, et Hieroboam, postquam recessit Israel a domo David, sequitur Scriptura, et dicit (*III Reg.* XII, 20) : [a] *Factum est autem cum audisset omnis Israel, quod reversus esset Hieroboam, miserunt, et vocaverunt eum, congregatoque cœtu constituerunt eum regem super Israel.* [b] « Non est [c] utique dubitandum voluntati Dei, qui in *cœlo, et in terra omnia quæcunque voluit, fecit*, et qui etiam illa, quæ futura *sunt, fecit*, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse, quod vult, et cum vult, [d] nisi forte, ut ex multis, ista de Hieroboam sufficiat, quando Deus voluit ei propter peccatum Salomonis regnum dare. Sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato regi, sive non subdere : quod utique in eorum erat D positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem. [e] Sic ergo cum voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas. »

(*Cap.* 13.) Deinde refert Scriptura, quod venerit Propheta de Juda in Bethel ad Hieroboam regem sacrilegum, objurgare eum propter sacrilegia idolorum, quæ fecerat, unde avertit filios Israel a Domino Deo patrum suorum, jussusque est, ibi non manducare, neque bibere : qui, pro eo quod deceptus est a pseudo-propheta, et inobediens fuit verbo Domini, a leone in via interemptus est. [f] « Quid est homo cujuslibet sit meriti, si conditoris sui protectione deseratur? quæ nimirum protectio minus necessaria creditur, si semper habeatur. Sed utiliter plerumque subtrahitur, ut sibimetipsi homo, [g] quia sine illa nihil sit, ostendatur. Manus igitur Domini aliquando nos nobis per adversa insinuat, quæ etiam nescientes

[a] Ex hoc loco constat multo diversam ab ea, quam nunc servamus, librorum Regum fuisse olim propositam divisionem. Claudius enim IV *Regum* hic incipit, quando quidem nos hæc habemus versiculo 20 capitis XII libri III Regum. Oportet tamen, dum Claudium edimus, eam divisionem retinere, quam ille proposuit.

[b] Ista ad magnam partem invenies cap. 14, alias num. 45, libri de Correptione, et Gratia.

[c] Edit., *itaque*.

[d] Augustinus hæc habet : « Nisi forte, ut ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Sauli Regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, » etc. Hæc nonnihil immutavit Claudius, ut Jeroboam applicaret, quod de Saule dixerat Augustinus.

[e] Nonnulla hic ab Augustino inseruntur, quæ omisit Claudius, utpote rei suæ minime opportuna.

[f] Hæc perquire in Paterio, ideoque in Gregorio Magno, cujus librum XXIII Moralium consule [num. 53 et 54].

[g] Id est *quod*. Edit. *quam*.

nos in prosperis portat, quia destituti dum cadere incipimus, et tamen adjuti retinemur, et doctrina fit, quod in lapsum trepidavimus, et custodia, quod in statu permaneamus. Nemo ergo se alicujus virtutis æstimet, etiam cum quid fortiter [a] poterit : quia si divina protectio deserit, ibi repente enerviter obruitur, ubi se valenter stare [b] gloriatur. Quid est enim quod vir Dei contra altare Samariæ ad prophetandum directus, præsente rege auctoritatem liberæ vocis exercuit, ejusdemque regis extensum brachium in [c] rigorem mirabiliter astrinxit, quod tamen mox misericorditer saluti restituit? Cujus in domum invitatus comedere noluit, qui ne in via comederet, prohibitionis dominicæ præcepta servavit, qui tamen in eadem via, et seductus comedit, et pastus interiit. Qua in re, quid subtili consideratione colligimus : quid, ut ita dixerim, formidandum suspicamur, nisi quod forsitan apud semetipsum tacitus, et pro præceptis dominicis regem se contempsisse [d] gloriatus, ab interna mox soliditate quassatus est. Et inde in opere culpa surripuit, unde gloria in corde [e] surrepsit. Unde falsis prophetæ verbis deceptus disceret, quia nequaquam propriæ fortitudinis fuerit, quod ad regis verba restitisset. Bene autem ex ejus ore mortis sententiam accepit, cujus seductione vitæ præcepto deviavit, ut inde pœnam veraciter adsumeret, unde negligenter culpam admisisset. Sequitur :

(XIII, 21.) « *Hæc* [f] *dicit Dominus, quia inobediens fuisti ori Domini, et non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, et reversus es, et comedisti panem, et bibisti aquam in loco, in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in sepulcro patrum tuorum*, et reliqua.

« Quanti hæc pœna pendenda sit, si secundum Evangelium cogitemus, ubi post corpus occisum nihil metuendum esse didicimus, ne membra [g] exanimata patiantur, nec pœna dicenda est. Si autem humanum erga suam carnem consideremus affectum, potuit inde terreri, vel contristari vivus, quod sensurus non erat mortuus. Et hæc erat pœna, quoniam dolebat animus, id de suo corpore futurum, quamvis cum fieret, non doleret : hactenus enim voluit Dominus servum suum plectere, qui non sua contumacia spreverat præceptum ejus implere, sed aliena decipiente fallacia obedire se credidit, quando non obedivit. Neque enim putandum est, ita fuisse interemptum morsu bestiæ, ut ad supplicium tartareum, ejus deinde anima raperetur, quando quidem ipsum ejus corpus idem leo qui occiderat, custodivit, jumento etiam, quo vehebatur, illæso, et simul cum illa immani fera intrepida præsentia ad sui Domini funus adstante, quo mirabili signo apparet hominem Dei coercitum potius temporaliter usque ad mortem, quam punitum esse post mortem. De qua re Apostolus cum propter [h] quorumdam offensas, commemorasset infirmitates, mortesque multorum (*I Cor.* XI, 31 *et* 32) : *si enim nosmetipsos*, inquit, *judicaremus, a Domino non judicaremur : cum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Eum sane ipse, qui deceperat (*vers.* 30) in monumento proprio satis honorifice sepelivit, seque sepeliendum juxta ejus ossa curavit : ita sperans parci posse ossibus suis, cum veniret tempus, quando secundum illius hominis Dei prophetiam (*IV Reg.* XXIII, 16, 17), Josias rex Juda in illa terra multorum eruit ossa mortuorum, eisdemque ossibus sacrilega altaria, quæ sculptilibus fuerant constituta, funestavit : pepercit quippe illi monumento, ubi jacebat Propheta, qui ante annos amplius quatercentos ista predixerat : et propter ipsum nec illius, qui eum seduxerat, sepultura violata est. Affectu namque illo (*Eph.* v, 29), quo nemo unquam carnem suam odio habet, provideral cadaveri suo qui occiderat mendacio animam suam. Ex hoc igitur, quod carnem suam quisque naturaliter diligit, et illi pœna fuit addiscere, non eum futurum in sepulchro patrum suorum, et huic cura prospicere, ut parceretur ossibus suis, si juxta eum jaceret, cujus sepulchrum nemo violaret. Hunc affectum martyres Christi certantes pro veritate, vicerunt. Nec mirum quod contempserunt, quod non fuerant peracta morte sensuri, qui non potuerunt eis, quos viventes sentiebant, cruciatibus vinci. Poterat utique Deus, qui leonem prophetæ corpus, quod ipse occiderat, ulterius non permisit attingere, et fecit de peremptore custodem : poterat, inquam, a suorum interfectis corporibus, canes, quibus fuerant projecta, prohibere : poterat, et ipsorum hominum innumerabilibus modis tenere sævitiam, ne cadavera incendere, nec [i] in aera dispergere auderent : sed hoc quoque experimentum multiplici varietati tentationum deesse non debuit, ne fortitudo confessionis, quæ immanitati persecutionis pro corporis salute non cederet, pro sepulcri honore trepidaret; postremo ne fides resurrectionis consumptionem corporum formidaret. Debuerunt ergo et ista permitti, ut etiam post hæc tanti horroris exempla, martyres in Christi confessione ferventes, hujus quoque testes fierent veritatis, in qua didicerant, eos, a quibus sua corpora interficerentur, postea nihil habere, quod facerent : quoniam quidquid mortuis corporibus facerent, utique nihil facerent, quando in carne omni vita carente, nec aliquid sentire posset qui inde migravit, nec aliquid inde perdere, qui creavit. »

Prætermissa multa libri Regum historia, ad Achab scelestissimi regis, et sacrilegæ uxoris ejus Jezabel

[a] *Potest.*
[b] *Gloriabatur.*
[c] *Rigore.*
[d] *Gloriabatur ei.*
[e] *Surrexit.*
[f] Subsequentia lineolis pro more notata tradidit Augustinus cap. 7, alias num. 9, libri *de Cura Mortuorum* [alias *de cura gerenda pro mortuis*].
[g] Edit. *exanima.*
[h] *Quasdam.*
[i] Deest in edit. *in aera*, sed habetur : *ne cineres dispergere.*

tempora cursim tendimus, ut de virtutibus sanctorum Prophetarum Heliæ, atque Helisei saltim tenuiter aliquid disseramus.

(*III Reg.* XVI, 28.) Interea refert Scriptura, quod *Achab filius Zambri mortuo patre super Israel regnaverit, in Samaria viginti, et duobus annis, feceritque malum in conspectu Domini super omnes, qui fuerunt ante eum : nec satis fuit ei, ut ambularet in peccatis Hieroboam filii Nabath, insuper duxit uxorem Hiezabel filiam* [a] *Methbaal regis Sidoniorum, abiitque, et servivit Baal in templo, quod ædificaverat in Samaria, et plantavit illuc lucum; et addidit Achab in opere suo irritare Dominum Deum Israel super omnes reges Israel, qui fuerant ante eum.*

Lucus, locus est silvester spissus, dictus ab eo, quod parum luceat : locus multis vestitus arboribus : locus amœnus, ubi multæ arbores sunt. Dictus lucus per [b] catachresin, quia caret luce præ nimia nemorum umbra densis arboribus septus, solis lucem detrahens. Potest et a conlucendo crebris luminibus dici, quæ ibi propter religionem gentilium, cultumque fiebant. Solebant autem Pagani in lucis his dæmones consulere, et responsa ab illis, in signis, et vocibus accipiebant, unde et a fando fana sunt appellati. Cum enim in diebus Heliæ, scisso jam inter duas partes populo Judæorum, Achab percussionem inveniens regni Israelitarum, apicem obtineret, Hiezabel externæ feminam gentis, et profanæ mentis duxit uxorem : cujus cura, atque instantia idolorum ita profecerat cultus, ut ad sacrilegum ritum rex pariter traduceretur, et populus. Crassabatur in injuriam Dei diabolus antiquus artifex tyrannidis, multimodam Dei religionem destruere satagens. Crassabatur in corde mulieris, cujus instinctu divina lex, et ejus sacerdotium spernebatur. Occidebantur Prophetæ, et altaria tollebantur, stupebant omnia, et tantum commissum facinus perhorrebant, mundum dico in omnibus tabescentem; quod membris speciebusque suis nomen creatoris ascriberet error humanus. Sed quæris forte, ut tibi probetur utrum peccantibus hominibus metuant elementa; audi Hieremiam magnificum prophetarum divino ore clamantem (*Jer.* II, 12) : *Expavit*, inquit, *cœlum in istum, et terra commota est, quia duo mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus contritos, qui non possunt aquam continere.* Turbata ergo erant elementa, turbata non officio, sed affectu, quod unicum, ut dixi, Deitatis nomen, hominum eis error imponeret, famulatumque debitum conditori cæca devotione præberet. Erat hic Elias medius in tanto discrimine animarum, erat medius in ipso mundi naufragio, quod nor aquarum inundatio, sed pœnalis, et cæca diaboli æmulatio invexerat orbi terrarum. Solus enim hic, latentibus cæteris, velut lucerna ardens offerebat se his quos videbat profundæ noctis mersos caligine, nunc monendo, nunc arguendo, nunc curando, nunc etiam comminando (*Jer.* I, 6). Sed nunc lumen cæco, nec surdo prodest inferri sermonem. Crescebat in dies singulos error infaustus, et omnem creaturam mortis umbra contexerat : ad omnem formam, omnemque speciem inclinabatur miserum hominum genus. Quid enim de Sole, Luna, ac Stellis, de terra, ac maris principalibus dicam, et clarissimis elementis? Cunctis animantibus volantibus, quadrupedibus, et reptilibus, muscis quoque, et vermibus, æterni, et singularis Dei prosternebatur imago. Quemadmodum igitur ferret illa mens, tota pietatis, et fidei, Heliæ dico Prophetæ, et tantam ruinam, tantamque perniciem animarum? jacebat populi illius corpus regio morbo constrictum, et velut ex animo jam, et sine sensu discerptis membris, et per rupes, et scopulos, per nemora, lucosque jactatis, nullas in se divinæ imaginis reliquias possidebat. Nullum huic poculum, nullum medicamenti genus proderat, si daretur, quia membra, si quod apponeret propellebant. ferro erat utendum, vulnus cruore sanandum : consequenter tamen ut creverat, a *capite*, inquit Isaias, *usque ad pedes* (*Cap.* XVI, 34).

[c] *In diebus autem regni Achab, ædificavit* [d] *Achiel de Bethel Hierico : in Abiram* [e] *primogenito suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas ejus.* Patet sensus, quia cum præfatæ conditor urbis, fundamenta illius ponere inciperet, primogenitus ejus, qui vocabatur *Abiram*, mortuus est : et cum urbe ædificata portas munire tentaret, novissimum filiorum suorum, cognomento *Segub*, amisit : quod ita futurum Josue (*Jos.* VI, 26) cum eam destructam anathemati traderet, imprecando prædixit : *Maledictus*, inquiens, *vir coram Domino, qui suscitaverit, et ædificaverit civitatem Hierico. In primogenito suo fundamenta illius* [f] *jactet, et in novissimo liberorum ponat portas ejus.* Quia vero Achiel [g] *uniens Deo* : Bethel interpretatur *domus Dei*, Achiel de Bethel destructa a Josue atque anathematizata Hierico mœnia restaurat. [h] Cum quis eorum, qui in Ecclesia habitum religionis assumpserat, ad agenda scelera, quæ ei Dominus Jesus in die baptismatis donaverat, [i] redit, quasque ipse anathematizaverat, diaboli pompas, luxuriose vivendo repetit : cum errorum dogmata, vel gentilium fabulas a veritate Ecclesiastica, qua imbutus est, quasi de Bethel egrediens, ruinas Hierico resuscitat : meritoque talis coram Domino maledictus, et primum filiorum in fundatione nefariæ civitatis, et novissimum in portarum positione amittit; quia et fundamenta fidei, a

[a] *Ethbaal.*
[b] *Antifrasim.*
[c] Subsequentia invenies in Bedæ quæstionibus 30 in libros Regum : quæstione 16.
[d] *Hiel.*
[e] *Primitivo.*
[f] Edit. *jaceat.*
[g] *Vivens.*
[h] Notat hic Cornelius a Lapide eadem, quæ noster scriptor, quem *Eucherius* putat, appellatque, tradere Angelomum. Sed quam multa cum nostro scriptore communia habet Angelomus!
[i] *Conuonaverat.*

quibus bona ædificia inchoare, [a] et claustra bonæ actionis, quibus perfici debuerat [b] perdidit. Hæc et allegorico sensu exposui, ut reminiscaris, quam sit verus Apostoli sermo, qui dicit (*I Cor.* x, 11) : *Quia omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos.* »

Sequitur. *Dixitque Helias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab, vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto.* [c] « Sciendum est quod duobus modis in conspectu Domini venimus, uno quidem, quo hic peccata nostra subtiliter perpendentes, in ejus nos conspectu ponimus, et flendo dijudicamus, alio vero modo in conspectu Domini venimus, cum in extremo judicio ante tribunal judicis adsistimus : nam quotiens conditoris nostri potentiam ad sensum reducimus, totiens in conspectu illius stamus. Unde recte nunc per virum Dei Heliam dicitur : *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto.* »

[d] Helias jam, non ut solebat lenis, ac mitis, sed immitis, ac severus accedit ad ipsum corporis caput, accedit ad regem Achab, et dicit ei : *Vivit Dominus Deus virtutum Deus Israel, in cujus conspectu adsto, si fuerit pluvia, aut ros in his annis, nisi in oris mei sermone.* Magna vis propheticæ dignitatis : humanus sermo est, et divinus effectus : in terris homo loquitur, et imperio ejus cœlestes obediunt potestates. Commovit omnem creaturam unus sermo Prophetæ, et miro modo humi sonans, aera concussit. Turbatus est humani ministerii ordo, et a sæculis instituta elementorum harmonia contabuit, cum sicco humidum, calido frigidum negaretur : sed elementa pœnam suam læta suscipiunt, dummodo vel in salutem hominum, vel in honorem proficiant conditoris. Jubetur Helias secedere, ac latere : ab avibus cibus ei cœlitus ministratur : siccatur deinde torrens, deficiunt pocula. Procedens enim velut ignis sententia ipsa quodammodo terræ vitalia penetravit, confestimque omnia arefecit. Nulla agrorum gratia : pratorum nulla venustas : ripæ quoque virgultis, quondam florentibus prætextæ squalore turpissimo fatiscebant, cum fontes aquis, flumina cursibus privarentur. Migrat inde Propheta, et ex Dei præcepto transit ad præparata cellaria, totiusque affectionis oblitus, de se cogitat solo : non commovetur humanitate, nec ulla flectitur pietate : non respicit ad ipsa jura naturæ, non parvulum sub sicco ubere matris exhalantem : senum ac juvenum profunda inediæ nece fessa, non jam corpora, sed cadavera turbido præterit vultu, non exoranti colono, non supplicanti respondet agricolæ : sed crudelior feris, et bellus effectus immanior, humanum omne despicit genus.

*Et factum est verbum Domini ad Heliam* dicens

A (*III Reg.* xvii, 3) : *Recede hinc, et vade contra orientem, et abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem, et ibi de torrente bibes : corvisque præcepi, ut pascant te ibi. Abiit ergo, et fecit juxta verbum Domini. Corvi quoque deferebant ei panem, et carnes mane : similiter panem, et carnes vespere : et bibit de torrente. Post dies autem siccatus est torrens, non enim pluerat super terram.*

Helias igitur recte Dei filio assimilatus est, cui et auctoritas, et nomen veridice congruit; Helias enim *Deus meus* interpretatur : quod nomen substantialiter Dei filio inest : auctoritatem sibi videlicet faciendi, quod velit originaliter vindicans : quoniam omnia, quæ sunt Patris, sua quoque esse testatur est : thesbites autem *captivans*, sive *convertens* interpretatur. B De Domino hoc Psalmista ait (*Psal.* lxvii, 19) : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* Et iterum (*Psal.* cxxv 4) : *Convertere Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro.* Ac ne forsitan moveat quempiam, quod Heliam Dei comparaverim filio, legat epistolam ad Hebræos, et id Apostolum protulisse reperiet dicendo (*Hebr.* vii, 3) : Quodammodo *hic Melchisedech assimilatus filio Dei permanet in æternum Pontifex : sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum habens, neque finem.* Quod utique nulli hominum, nisi Dei filio olim congruere potuit, qui ex quo, vel unde originem trahat, Scriptura penitus non indicat. Id ipsum etiam, et de Helia Scriptura testatur, cum subito nomen illius introducit, et a qua tribu, vel familia ortus sit, C minime profertur. Torrens *Carith*, qui interpretatur *Divisio*, sive concisio, judaico populo congruere certissimum est : qui populus torrenti merito comparatur, quia quod ad observandum per legem ei fuerat divinitus traditum, opportuno tempore Incarnationis dominicæ finiendum erat, quando umbræ, et imagines legis expletæ noscuntur. [e] « Pascitur deinde Helias tempore famis a corvis mane afferentibus panem, et ad vesperam carnes : et Manichæi non intelligunt in illis libris Christum, cui quodammodo salutem nostram esurienti, confitentur peccatores [f] fidei primitias spiritus nunc habentes, in fine autem, velut ad vesperam sæculi etiam carnis resurrectionem, percipientes? » potest et per panem, et carnem, quas mane, et vespere corvi Heliæ D afferre, Scriptura pronuntiat, intelligi in panibus opera pietatis, quæ in peregrinis, et indigentibus, sibi testatus est Dominus dari (*Matth.* x, 4). In carnibus autem castigatio intelligenda est corporis, sive cruciatus, quos pro divino amore, vel cultu, sancti omnes sibi intulisse, vel a persecutoribus pertulisse *mane, et vespere*, id est sub veteri testamento, et evangelica prædicatione, leguntur.

[a] *Domum.*

[b] *Perdit.*

[c] Hæc habes in Paterio, qui hæc desumpsit ex libr. xi. Moralium Gregorii [num. 49].

[d] Est in exemplare vox *Christus*, quæ prorsus inepta est. Deinceps vero aut, aliqua ex parte, exscripsit veterem translationem homiliæ Chrysostomo *tributæ, quæque* legitur in editione Montfauconii pag. 730, et seq., tom. II, et inscribitur *in Petrum Apostolum, et in Heliam Prophetam*, aut ad eam certe respexit Claudius. Vide num. 2 illius, quam dixi, homiliæ.

[e] Subsequentia notata desumpsit Claudius ex cap. 34 lib. xii contra Faustum, et Isidoro cap. 8 in III Reg. id ipsum tradente.

[f] Edit., *fidem.*

(*Cap.* XVII, 7, 8, *et subseq.*) Postquam vero exsiccatus est torrens, dicitur Heliæ a Domino : *Surge, et vade in Sareptam Sidoniorum, et manebis ibi : præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te. Surrexit, et abiit in Sareptam. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, et vocavit eam : dixitque ei : da mihi paxillum aquæ in vase, ut bibam. Cumque illa pergeret, ut afferret, clamavit post tergum ejus dicens : affer mihi et buccellam panis, obsecro, in manu tua ; quæ respondit : vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, et pauxillum olei in lecytho. En colligo duo ligna, ut ingrediar, et faciam illud mihi et filio meo, ut comedamus, et moriamur. Ad quam Helias ait, noli timere : sed vade, et fac sicut dixisti. Verumtamen primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer mihi ; tibi autem, et filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel : hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem, qua daturus est Dominus pluviam super faciem terræ. Quæ abiit, et fecit juxta verbum Heliæ, et comedit et ipse, et illa et* [a] *filius ejus, et ex illa die hydria farinæ non defeci', lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Heliæ.* [b] Ut interim omittam, quid intrinsecus lateat Sacramenti, quod de terra Israel ad Sidoniam mittitur regionem, unde caput omnium, et causa malorum Jezabel orta fuit · illud breviter perstringatur, quod pergit ad viduam penuria laborantem, et in ipso vitæ, mortisque confinio constitutam, quæ exierat, ut ligna colligeret, et tam sibi, quam parvulis extremam victus substantiam procuraret. At Helias videns mulierem squalore confectam, non movetur, non cunctatur, non revocat pedem, sed ingerit se, et immergit, fitque ei ipse gravior fame : et dicit ad eam : *Da mihi parum aquæ, ut bibam.* O, si tibi, beate homo, vidua respondisset : et justa te voce repellens diceret : Quid petis a me, quod omnibus abstulisti? Quid quæris a muliere, quod mundo negasti? hæc omnium necessitas, et hæc penuria, oris tui auctoritate prolata est. Ego a te debeo satiari ; et tu venis ad me? Sed nulla horum mulier, nec corde, nec ore usa sermone est. Mox devota mens, et evangelicæ non indigna mercedis, frigidæ poculum prophetæ defert sitienti. Addit quoque Helias, et dicit : *Affer mihi etiam panis buccellam in manu.* At illa : *Vivit Dominus Deus tuus, si est mihi panis, nisi manus plena farinæ in hydria. En colligo duo ligna, ut ingrediar, et faciam illud mihi, et filio meo, et manducabimus, et moriemur.* Sed quid? Ad hæc Helias :

A *confide*, inquit, *et fac secundum verbum meum. Sed prius fac mihi inde subcinericium, tibi autem, et filio tuo facies postea.* [c] O magnificum mulieris animum ! O mirabile mentis propositum. O vere venerabile per sæculum factum ! potum petit, mox offert. Et quod regibus forsitan jam deerat, quod divites non habebant, hoc vidua ex abundantia erogabat. Poscit panem ab ea, quæ cum filio erat die postero moritura. Nec habere se negat, quem fatetur simpliciter, nec metuit prodere veritatem. Et non tam postulanti, quam quodammodo exigenti, omnem causam pandit in medium : quantitatem victus, et numerum personarum, ut hospitem non minus velit habere, quam judicem. Non dixit, non possum facere quod jubes, nec ait : considera viduam, non tam

B de se, quam de filio tabescentem. Considera parvulorum chorum, nec me illis auferas, nec matrem patiaris tanta orbatam prole derelinqui. Non ait : tu es utique, qui Orbem terræ, famis sententia condemnasti. Te, omne hominum genus irascente, deperiit. Deinde transisti patriam : terram omnem pene gentis tuæ, et provinciam peragrasti : nusquam locuples obviavit, qui esurientem susciperet, et reficeret jejunantem. Ego tibi sola occurri, aut ego jam sola remansi, quæ præter pecuniæ egestatem, etiam mole opprimor filiorum, quæ tantam natorum plebem plaga ipsa patior graviorem. Exeo domum, non ut spicas colligam, sed ligna, non ut alimoniam deferam, sed fomenta. Quos a fame liberare non possum, conor saltim a frigore defensare. Certe quia

C tam crudelis es, ut non consideres, quod injungas, illo sane contentus esse debueras, ut nobiscum pariter ederes quod remansit, vel prius sineres parvulos satiari ; tunc tibi quod remansisset, offerri, sed singulariter tibi præcipis fieri cibos, et non solum singulariter, sed te vis primitus satiari : nulla te miserorum convenit cura, nec ipsa naturæ religio interpellat. Parvulis, et lactentibus extremum de ipsis dentibus auferre vis cibum : sed illa horum nihil aut egit, aut dixit ; quinimo intrepida currit, et imperata consummat. Erat in illo tempore spectaculum angelis hominibusque gratissimum : [d] quod inter gentes, et in terra profana, vidua mulier jam tunc esset filia Abrahæ, multo hospitalior ipso parente, multo humanior fidei genitore (*Gen.* XVIII, 2,

D etc.). Erat quidem Abraham hospitalis, et erga peregrinos magno detentus affectu, sed erat vere opulens, erat dives, aderat ei posse quod vellet, quia minor erat animus, quam facultas, nec sensus animum superabat ; hæc vero, quæ non solum marito ; sed et facultatibus viduata, non solum natalibus

[a] *Domus ejus.*

[b] Suspicor multa ex Augustino ad hujus loci explicationem resumpta esse ; sed locum quem indicem, nondum reperi. An sermonem aliquem consuluit Claudius, quo nunc destituimur? Judicet lector.

[c] Quæ sequuntur, compares opto cum numero 3 illius homiliæ quæ in *SS. Petrum et Heliam* inscribitur, et inter dubia Chrysostomi opera posita est a Montfauconio pag. 729 tomi II. Plura enim desumpta ex ea sunt, sed cum aliqua diversitate : ex qua quidem re, liquido constat, jam dudum fuisse eam homiliam latinitate donatam, et fortasse in earum numero esse, quas transtulisse Cassiodorum discimus.

[d] Subsequentia fere omnia, sed cum aliqua diversitate ex homilia in *SS. Petrum et Heliam* in rem suam transtulit Claudius.

tenuis, sed et temporis malo constricta, ad tantam devenerat paupertatem, ut in domo nihil, nisi quod augeret famem, possidere poterat, parvulorum turba ipsa inedia gravior est, sed in his omnibus malis liberalis animus, et mens devota præstabat. Pergit, et ut præceperat homo Dei, fideliter complet, suscipit Prophetam, et recipit. Quo ergo ore, quibus vocibus hanc feminam laudem? « Nihil mihi dignum occurrit, quod tantæ virtutis animum valeat exæquare. Considero enim, quemadmodum studio humanitatis omnem inde despexit naturalis affectus, non de se, non de parvulis : nihil eam a mentis proposito revocaverit, nec proprii sexus infirmitas, nec materna erga parvulos viscera pietatis. Occidit naturæ officia hospitalitatis intuitu, et effectus est devotus erga hospitem matris animus, filiorum [a] crudele sepulcrum. Quantum enim ad illam spectat, mortui sunt parvuli, et genitricis quodammodo manibus strangulati, atque sepulti Quantum autem ad Dei misericordiam, non mortui sunt vere, nec fame, vel inedia consumpti : quia soli cæteris pereuntibus, convaluerunt. Confestim siquidem, et Propheta tantam fidem divina mercede remunerans ait : *Vivit Dominus, quia hydria farinæ tuæ non deficiet, et vas olei non imminuetur.* Facta est igitur manus viduæ perenne torcular, et mola jugiter fundens : Et quid dico mulieris manum? In verbo Prophetæ tota domus viduæ piorum cellarium facta est, non ibi ros, non pluvia, non veris aura, non calidi soles, non nimbus necessarius, non aratrum, non agricola, non colonus, sed omnia, et in omnibus sermo Prophetæ affatim viduæ ministrabat. » Sciendum tamen quod in LXX interpretibus hæc vidua, non unum tantum filium, sed plures habuisse narratur. [b] Mulier vero, quæ fuisse in *Sarepta* scribitur, Ecclesiæ typum gestabat, quæ a suo diutius conditore deserta, populum rectæ fidei nescivit, quasi pauperem egena stipe nutriebat, id est verbo fructum expertem docebat, donec adveniret sermo propheticus, qui ex siccato vellere Israelis, ut pote clausa cœli janua, fame periclitabatur in Judæa : quæ ob hoc dicta est vidua, quia ut pote gentilis, nec dum fuerat divino cultui mancipata, nec sacræ legis habebat notitiam ; Sarepta autem civitas, quæ interpretatur : *incendium* sive *tribulatio panis*, vel *panis angustia*, præsens accipiendus est Mundus, in quo incendium pessimæ conflagrat cupiditatis : ubi rebus supervacuis adquirendis quasi aucupandi cura impendebatur. Ubi diræ cupiditatis incendium, panisque spiritualis antea flebat angustia. Ergo, ut de Helia Scriptura pronuntiat, Dominus noster ad nationum Ecclesiam veniens, et eam extra portam civitatis, patrium videlicet inolitum errorem reperiens, non eam signis, et mirabilibus, maximisque portentis, ut Israeli fecerat, ad confessionem sui

A nominis provocavit, sed verbo eidem tantummodo imperavit dicens : *Da mihi pauxillum aquæ in vase, ut bibam, et buccellam panis in manu tua.* Aqua enim in vase, fides accipienda est cordis (*Rom.* x, 10), *qua creditur ad justitiam.* Buccellam vero panis in manu, misericordiæ est intelligendum opus, quo fides et opera vinculo sibi quodam indissolubili connectuntur. Ubi enim una defecerit, altera penitus nequaquam stabit. Quod antea Jacobus ait Apostolus : (ii, 26) *fides sine operibus mortua est.* Et opera sine fide, inania redduntur, et frivola. Ecclesia ergo in typo illius mulieris viduæ, juxta Domini præceptum ad afferendum eidem aquam pergendo, quodammodo fidem sui cordis præparatam ostendit Domino. Panem sibi confitetur necdum fuisse, condigna B videlicet opera divinæ culturæ, sed modicum se testatur habere farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho. Pugillum farinæ in hydria, naturalem indicat legem, quæ divina largitione humanæ naturæ insita est, per quam discernitur bonum, vel malum, et, ut quod sibi quisquam fieri non vult, [d] alii ullo tempore non faciat. Paululum vero olei in lecytho, rationabilis accipiendus est intellectus, per quem creatura intelligit creatorem, et piis operibus eidem placere studet : quæ idcirco dixit : se parum habere, quia necdum per baptismi Sacramentum spiritualis gratiæ acceperat donum. Ibi tamen farina, oleumque, ore prophetico benedicitur : id est fructus, et hilaritas charitatis, sive gratia corporis dominici, et chrismatis unctio indefectivo verbo cœlestis mu- C nere fecundatur. Cujus hactenus in vasis oleum gaudii spiritualis, et benedictionis farina non defecit, cæteris, quæ non credunt, gentibus, inopia panis divini, et venatui deditis inutili. Quod autem ait, duo se ligna colligere, ex quibus modicum farinæ coqueret quod habebat, et cum filiis suis comedens, mortis jam exitium exspectaret, ita accipiendum est: in duobus lignis non solum ligni nomine, sed etiam numero lignorum crucis mysterium præsignabat; per quam sibi, et filiis suis, id est populo, qui Christo fuerat crediturus, panem vitæ perpetuæ dari credebat, præteritis peccatis per lavacrum baptismi mori: illo videlicet genere, quod Dominus in Evangelio prædicavit (*Jo.* xx, 29) : *Beati qui non viderunt, et* D *crediderunt.* Per panem vero subcinericium, parvulum illud jam præfigurabat, quod in exordio fidei observare gentes per epistolam Apostoli decrevisse leguntur : [c] *Ut ab idololatriæ se tantummodo cultu, et a fornicatione, ac suffocatis abstinerent.* Hæc enim, quæ rudibus adhuc, et feris hominibus ab Apostolis consilio sapienti indulta sunt, ad comparationem evangelicæ prædicationis, ad quam postmodum introducti sunt, valde exigua, et parva fuisse noscuntur. Quod autem ait : *mihi primitus facito*, hoc voluit ad omnes credentes ex gentibus, ut non suis meritis

[a] Hæc habet interpretatio Montfauconii. *Videre erat viscera projecta, et Prophetam susceptum : totam filiorum turbam sepulcrum effecit ; quantum enim fuit viduæ in proposito, illi mortui sunt, sed Dei benignitate factum est, ut viverent, et incolumes essent.*

[b] Multa his affinia docet Berengaudus in Apocalypsim ad ea verba. *Et cum aperuisset sigillum quartum.*

[c] In exemplari est : *alii tempore non faciat.*

ascriberent, quod obdurato, spretoque Israele ipsi salvati sunt; sed sibi, qui ut crederent, eisdem misericors exstitit. Quod autem dictum est ad Cain non [a] *recte offert, qui non recte dividit*, hoc est : qui non Deo, sed sibi omne bonum, quod habet, ascribit : sive aliter, panis subcinericius historia accipienda est legis, quæ spiritualem intelligentiam opertam continebat littera. Per fermentatum vero panem, Evangelii intelligenda est prædicatio, cujus veteris testamenti tanquam fermentum inserta sunt testimonia. Quod autem pascentem se pavit Helias, ita intelligendum est : universi enim vero fideles, licet sua fide, et piis operibus Deum pascant, tamen, ut hoc habeant, ab illo eisdem condonatur. *Omne enim datum optimum*, ut scriptum est (*Jacob.* I, 17), *et omne donum perfectum desursum est, a luminum patre descendens*. Divina enim munera metuentibus Deum nequaquam penitus minuentur. Rursum aliter : per panem subcinericium, quem sibi verus Helias Dominus noster, a nationum Ecclesia ad vescendum præcipit exhiberi, quod aliud accipiendum est, nisi pœnitentium satisfactio? Id ipsum psalmographo sub persona pœnitentis canente cum dicit (*Psal.* CI, 10) : *Quia cinerem sicut panem manducabam, et potum meum cum fletu temperabam*. His enim satisfactionibus Dominus se pasci hortatur.

*Factum est autem post verba hæc : ægrotavit filius mulieris matris familiæ, et erat languor fortissimus ita ut non remaneret in eo halitus. Quæ dixit ad Heliam : Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum? Cui ait Helias : da mihi filium tuum. Quem tollens de sinu ejus portavit in cœnaculo quo manebat, et posuit eum super lectum suum, expanditque se, ac mensus est super puerum tribus vicibus. Et conversa est anima pueri ad eum, et revixit, depositumque de cœnaculo tradidit matri suæ et ait : en filius tuus vivit. Quæ respondit : in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Dei in ore tuo verum est.*

Quod enim dicit filium mulieris nimio languore detentum, ad mortem usque fuisse perductum, hanc intelligentiam habere dignoscitur. Post perceptam enim quis divinam cognitionem, seu evangelicam prædicationem, perceptoque bonorum operum gustu, pro commissis facinoribus, et præteritis erroribus, in gravissima langueat afflictione necesse est; quia, ut scriptum est : [b] *qui addit scientiam, addit* (pœnitentiæ salubrem) *dolorem* : castigatione assidua, vim facit perditioni suæ, ut evadere valeat perpetuam mortem, et vitam consequatur beatitudinis sempiternæ : hoc ipsum Paulo Apostolo confirmante, cum dicit (*I Cor.* XV, 9) : *se non esse dignum vocari Apostolum, eo quod persecutus fuerit Ecclesiam Dei, et expugnaverit illam* : in descensu enim fontis, originali peccato, ac pristinis vitiis per baptismum, qui Christo crediderit, moritur. Unde sublatus ad sacri Altaris cœnaculum, per unctionem chrismatis, et invocationem Patris, ac Filii, et Spiritus Sancti, communionemque Corporis, et Sanguinis Domini, vivificari manifestum est : et tunc ab omni Ecclesia, cujus pueri hujus mater figuram gerebat, illa profertur confessio : *quia Dominus Jesus verus Dei filius est*, et in gremio Patris, vel dextera sit constitutus, rursumque depositus de altari, cœtui fidelium, tanquam matri, redditur vivus. Sive aliter : postquam enim fidelis quis pristinis vitiis per pœnitentiam, et satisfactionem, sua mortificaverit membra, sublatus a terrenis cupiditatibus, et carnalibus desideriis, per meditationem legis, ac prophetarum, evangelicaque prædicatione vivificari meruerit, templumque fuerit divinum effectus, illuc intentionem animi contendit dirigere, ubi Christus est *ad dexteram Patris sedens*, et in carne adhuc habitans, conversationem jam nititur habere in cœlis. Sed quantumlibet quis homo ad Deum contendat erigere mentem, et per excessum quemdam, theoriæ se gaudeat in supernis Christo Domino adhærere, corporis tamen compellente natura, cui anima juncta est, ut de supernis ad inferiora rursum retrahatur, necesse est. Quod autem dicit, Heliam se super puerum expandisse, tribusque vicibus mensum fuisse, hoc ipsum explesse Dominum manifestum est, cum per legem, et prophetarum vaticinia, seu propria prædicatione salutem protulit gentium populo. Superiora jam figuraliter exposita verba Heliæ de vidua, multo aliter apud antiquas translationes reperiuntur, in quibus Helias Domino supplicat dicens. [c] « *O Domine testis hujus viduæ, cum qua ego inhabito apud ipsam, tu male fecisti, ut occideres filium ejus*. Nihil in hoc dicto moveret animum, si vera pronuntiatio servaretur. Vox est enim non credentis, quod tam male faceret Deus cum ea vidua, quæ tam pie prophetam susceperat, eo præsertim tempore, quo ibi erat, cui protulerat illa totum victum suum tam exiguum in tam magna, et summa inopia. Ita ergo dictum est, ac si diceret : *O Domine testis hujus viduæ, cum qua ego inhabito apud ipsam : tune male fecisti, ut occideres filium ejus?* Ut subintelligatur, quod utique Dominus testis cordis illius mulieris, videbat quanta esset pietas, unde etiam Heliam ipsum ad eam miserit, non male faciendi causa mortificaverit filium ejus, sed exhibendi miraculi ad gloriam nominis sui : quo tantum prophetam, et tunc viventibus, et posteris commendaret, sicut dicit Dominus (*Joan.* XI, 4), non ad mortem mortuum fuisse Lazarum, sed ut glorificetur Deus in filio suo. Et hoc consequentia probant; ex ipsa etiam fiducia, qua credidit Helias, non ad hoc illud contigisse, ut acerbo luctu hospita ejus affligeretur, sed potius ad hoc factum, ut Deus magnificentius ostenderet viduæ, qualem Dei famulum suscepisset. Sequitur Scriptura, et dicit : *Et insufflavit*

[a] Gen. IV, 7, ex veteri versione Septuaginta, quam sequitur Augustinus XV *De Civit.* cap. 10.

[b] Eccle. I, 18 : *qui addit scientiam, addit et laborem*.

[c] Quæ deinceps posita sunt, tradidit Augustinus ad quæstionem 5 libri II *de diversis quæstionibus ad Simplicianum*.

*puero tuo, et invocavit Dominum, et dixit : Domine* A *Deus meus, revertatur nunc anima pueri hujus in eum, et factum est sic.* Hæc ergo deprecatio, qua petiit Helias tam breviter, et tam fideliter, ut resurgat puer, satis indicat, quo affectu dicta sint superiora. Et ipsa mulier ostendit, ad hoc mortificatum fuisse filium suum, ad quod Helias factum esse præsumpserat, cum illa verba non confirmando, sed renuendo enuntiaverat. Cum enim vivum recepisset filium suum ait (*vers.* 24) : *Ecce cognovi, quoniam homo Dei es tu, et verbum Dei in ore tuo certissimum est.* Multa autem sunt in Scripturis, quæ nisi illo modo [a] ponantur, in contrariam sententiam recidunt, sicuti est (*Rom.* VIII, 33) : *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat.* Si quasi confirmans respondeas, vides quanta perversitas oriatur, sic B ergo pronuntiandum est, ac si diceretur : Deusne qui justificat? ut subaudiatur, non utique. Ac per hoc apertam puto esse illam Heliæ sententiam, quam non servata pronuntiatio faciebat obscuram. »

(*III Reg. cap.* XVIII, 1, 7, *etc.*) *Factum est verbum Domini ad Heliam : vade : et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. Qui perrexit : et occurrit in itinere Abdiæ dispensatori regis Achab, et ait : vade, nuntia Achab : adest Helias, qui abiit et nuntiavit ei : venitque in occursum ejus, et ait ad Heliam. Tune es qui conturbas Israel? Ad quem Helias, non turbavi, inquit, Israel: sed tu et domus patris tui, qui dereliquisti mandatum Domini, et secuti estis Bahalim. Verumtamen mitte nunc, et congrega ad me universum Israel in montem Carmeli, et* C *Prophetas Bahal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum, qui comedunt de mensa Jezabel. Misit itaque Achab ad omnes filios Israel, et congregavit Prophetas in montem Carmeli. Accedens autem Helias ad omnem populum ait : usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum. Sin autem Bahal, sequimini illum; et non respondit ei populus verbum. Ad quos rursum ait Helias : ego remansi Propheta Domini solus. Prophetæ autem Bahalim quadringenti quinquaginta viri sunt. Dentur ergo nobis duo boves, et illi eligant bovem unum, et in frusta cedentes ponant super ligna : ignem autem non subponant. Ego quoque faciam bovem alterum, et imponam super ligna ignemque non subponam. Invocent illi nomina deorum suorum, et ego invocabo* D *nomen Domini : et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Responditque omnis populus et ait :* Optima propositio. *Dixitque Helias Prophetis Bahal : eligite bovem unum, et facite vos primum, quia plures estis. Et fecerant ita : invocabantque nomen Bahal de mane usque ad meridiem, et non erat vox, nec qui responderet .... Incidebantque se secundum ritum suum cultris, et lanceolis, donec perfunderentur sanguine. Cumque transisset meridies, et tempus adesset jam quo sacrificium [b] verum offerri deberet, dixit Helias ad populum : accedite ad me, et accedente ad se populo, curavit altare Domini, quod destructum fuerat, et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob, et ædificavit altare in nomine Domini : fecitque aquæductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris, et imposuit ligna, et ait : implete quatuor hydrias aqua, et effundite super holocaustum, et ligna. Quod cum fecissent, idipsum, etiam secundo, et tertio fieri jussit, repletaque est fossa, et aquæductus, aqua.*

[c] Vide cur Helias etiam hoc facit, et diligenter adverte. Habebat beatus Helias, et per gratiam propheticæ dignitatis, et per divini cultus studium, peritiam omnium, quæ in templis dæmonum agebantur, scientiam. « Noverat inter cætera inepta potius commenta, quam callida, etiam hujuscemodi compositam fraudem, qua facilius irretirentur animæ miserorum, ut aræ eorum non simpliciter ante pedes delubri statuantur, sed pendens crepido supra quam structa est, rogus subterranea fornice bajuletur, ad quam ex adversa parte concavi parietis occultu aditu descendatur, ac per patulas cavernas, præparatos ignes doli minister, sacrificii tempore, clandestinis officiis subministret. Quo attonitus miserorum animus, dum nullas desuper videt adhibitas flammas, hostiamque cernit ex improviso comburi, per invisibilem potestatem ignes cœlo credat esse delatos.

« Ne ergo hoc incredulæ mentes etiam de divinis suspicarentur altaribus, vallum quod fieri præceperat, aqua jussit impleri : ut, si qua esset sub altario fovea, proderetur, vel descendens deorsum aqua, latentes utique ignes exstingueret. Nec vero sufficit semel rigasse locum : tertio id agitur : sed nec hoc est Propheta contentus, ipsa altaris ligna præcipit inundari, ut omnis fraudis suspicione submota, divinæ potestatis esse virtutem, nec rex, nec populi, nec ipsi dubitarent Dæmonum sacerdotes. »

[d] *Cumque jam tempus esset, ut holocaustum offerretur, accessit Helias ad altare; et exclamavit dicens: Domine Deus meus exaudi me hodie in igne, sicut exaudisti me in aqua, ut cognoscat populus hic, quoniam tu es Dominus Deus Israel, et ego servus tuus, et propter te feci opera hæc. Exaudi me Domine, exaudi in igne, et cognoscat populus hic quia tu es Dominus Deus, et tu convertisti cor populi hujus retrorsum. Et ecce clamante eo, cecidit ignis de cœlo, devoravitque holocaustum, ac ligna, et lapides, pulverem quoque et aquam, quæ erat in fossa aquæductus, lambens. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, et ait : Dominus, ipse est Deus. Do-*

[a] *Pronuntientur.*

[b] Nescio cur addita sit vox hæc *verum*, nisi forte respiciat ad sacrificium legitimum, quod deinceps Deo oblaturus erat. De qua re vers. 36.

[c] Quæ sequuntur reperi cum aliqua, sed levi varietate in homilia quæ in *SS. Petrum et Heliam inscribitur*, positaque est, ut jam dixi, a Montfauconio inter dubias Chrysostomi homilias [pag. 729 tomi II]. Vide obsecro numerum 4 ejusdem homiliæ pag. 737.

[d] Vers. 36, sed multo cum discrimine Vulgatam inter et interpretationem hanc : sed in homilia, quam inter Chrysostomi dubias esse dixi, et hic fere exscribitur, hæc interpretatio allegatur.

*minus ipse est Deus : dixitque Helias ad eos, apprehendite omnes Prophetas infames, et ne unus quidem effugiat de illis. Quos apprehendentes continuo duxit eos Helias ad torrentem Cison, et ibi eos trucidare præcepit.* A

Clementissimus enim Deus, qui non obliviscitur misereri, nec in ira continet miserationes suas, rursum ad Israelem filium suum dignatus est mittere, ut eisdem pluviam evangelicæ prædicationis tribueret. Tres enim anni famis, scientiam sanctæ Trinitatis populo Judæorum, vel in toto mundo, defuisse præsignabant. Achab vero, cujus nomen interpretatur *frater patris*, a quo etiam Dei prophetas interfectos pronuntiat Scriptura, principum Sacerdotum typum gerebat. Quod autem dicit Achab ad Heliam [a]: *Tune es ille, qui conturbas Israel?* hoc ipsum et de B Domino, Sacerdotum principes dixisse Pilato leguntur (*Luc.* XXIII, 2): *Invenimus hunc subvertentem gentem nostram.* Hic enim, ut Dominus eis legitur exprobrasse, filii fuere patris sui diaboli, cujus opera facere studuerunt, ut vitæ suæ auctorem crucifigendum impie proclamarent : *Vos enim* (ait Dominus) (*Joan.* VIII, 44) *de diabolo patre estis, et opera patris vestri facere vultis.* Ille enim *homicida est, et ab initio mendax* (*Epist. Jo.* III, 8) : *et in veritate nunquam stetit.* Abdias autem cujus nomen interpretatur *servus Domini*, qui etiam, eo tempore, quo Achab Prophetas Domini præceperat trucidari, centum Prophetas in speluncis celaverat, victum eisdem quotidie administrans, illos quodammodo præsignabat, qui ex principibus Judæorum occulti discipuli Domini C erant (*Joan.* XIX, 38), hoc est Nicodemus, et cæteri, quos Evangelista pronuntiat. Prophetæ Baal, et prophetæ Lucorum, scribarum, et Pharisæorum typum gerebant, qui sacræ Legis negligentes præcepta, populum propriis traditionibus pervertebant, quibus *Væ* futurum Dominus legitur prædixisse. Carmelus vero mons qui interpretatur *scientia circumcisionis*, Christi præfigurabat Ecclesiam, in qua non præputii circumcisio accipienda sit, scire præcipimur : per circumcisionem enim præputii, carnis libidinem luxuriæ, atque luxuriam sciendum est abscindendam. Per cordis vero circumcisionem, immundæ cogitationes intelligendæ sunt amputandæ. Bovem vero, quem Helias mactavit in holocaustum, atque in frusta concidit, vetus intelligendum est testa- D mentum, ex quo ad confutandas Judaicas superstitiones, ea quæ de illo scripta fuerant, multis in locis excussisse Dominum Jesum evangelica prædicatione manifestat, cum dixisse scribitur (*Matth.* XXI, 42) : *Non legistis, quod dictum est, lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Et intellexerunt*, inquit, *scribæ, et pharisæi quod de illis diceret*, etc., quæ in Evangelio reperiuntur. Bovem vero alterum a falsis Prophetis electum, populum significat reprobum, per pharisæos, atque scribas, seu hæreticos, non Deo, sed Diabolo auctori eorum, ab ipsis oblatum. Transactum meridiei tempus, vergentis mundi significabat cursum, in cujus vesperum Dominus Jesus Christus in verum sacrificium, quod ipse est, se ipsum Patri ad deponenda humani generis delicta obtulit. Altare quod ab Helia curatum est, ex duodecim lapidibus restauratum, Sanctæ Trinitatis accipienda est confessio, quæ in Judæis olim, vel in hæreticis destructa fuit, a Domino per Apostolos in Ecclesia reformata est. Ligna vero, quæ super Altare composita fuerant, crucis patibulum præsignabant, in qua dominicum affixum est corpus, quod verum, et acceptabile Deo Patri fuit holocaustum [b]. Quatuor hydriæ repletæ aqua, totidem numero significabant Evangelia, in quibus baptismi Sacramentum, quod in nomine Sanctæ Trinitatis datur, habetur præceptum. Ignis quoque, qui lapides altaris, et quæ super eum fuerant, nec non et aquam voravit, Sanctum præsignabat Spiritum, qui non solum Apostolos, sed cunctos credentes per lavacrum regenerationis in Dei sacrificium assumit, et sanctificat. Falsi vero Prophetæ, qui ab Helia interfecti leguntur, adversæ accipiendæ sunt potestates, de quibus Dominum in cruce pronuntiavit Apostolus triumphasse, sive illi accipiendi sunt, qui adversum Dominum impie proclamasse leguntur (*Matth.* XXVII, 25) : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.* Quod utique temporibus Vespasiani, et Titi expletum, qui legit Josephum historiographum, non habebit ambiguum.

Deinde historia sequitur, et dicit [c] *Ascendit Helias in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua;* [d] *et exorabat Dominum : dixitque ad puerum suum, ascende, et circumspice contra mare septem vicibus. Quod cum fecisset, septima vice apparuit nubecula parva quasi hominis vestigium ascendens de mare, et subito contenebrati sunt cœli, et facta est pluvia grandis.* Quod enim Helias exorat, ut pluvia tribuatur a Deo, hoc quoque Dominum fecisse pro suis discipulis, et qui per verbum illorum credituri erant, Evangelista pronuntiat.

Ministrum Heliæ, cui jussum est contemplari contra mare, omnium prophetarum, qui ante Salvatoris adventum fuerunt, typum gestasse non dubium est, quibus in gratiam Spiritus Sancti per omne tempus, quod ante adventum Salvatoris præcessit, incarnationem illius præstolare datum est. Nubecula parva, quæ velut vestigium hominis ascendisse de mari describitur, Dominus, ac Redemptor noster accipiendus est : sicut enim vestigium extremum corporis membrum est, ita quoque Dominus Jesus humilis, et parvus, ac pauper in mundo existere voluit, qui nos a peccato mundaret. Cœli contenebrati sunt, quia sancti prædicatores divini Verbi

[a] Hæc omissa sunt in superiori Scripturæ loco, sed exstant v. 17.

[b] Vers. 34. *Implete quatuor hydrias aqua.*

[c] Vers. 42, sed cum aliquo discrimine Vulgatam inter et hanc interpretationem.

[d] Verba hæc *exorabat Dominum*, in Vulgata non exstant.

occulti Sacramentis sunt repleti: *pluvia facta est* A *magna*, quia evangelicus imber per Apostolorum prædicationem totius mundi rigavit fines. Currus Achab, quem Helias accinctis lumbis præibat, Diaboli accipienda potestas est, cui a Domino dicitur (*Matth.* IV, 10): *Vade retro Satanas; non tentabis Dominum Deum tuum.* In tantum enim Diaboli potestas in adventu Domini inanis exstitit, et infirma, ut nec in porcos dominandi haberet licentiam: nisi ei fuisset permissum.

(*Cap.* XIX.) *Nuntiata sunt*, inquit, *Jezabel cuncta, quæ gesserat Helias, et quemadmodum Prophetas occidisset Bahal. Quæ statim nuntium misit ad eum dicens: hæc mihi faciant Dii, et hæc addant, nisi hac hora cras ponam animam tuam sicut animam unius ex illis. Quod audiens Helias timuit valde, et abiit* B *quocumque eum ferebat voluntas, venitque in Bersabee Judæ, et illic reliquit puerum suum. Ipse autem perrexit in desertum locum, viam unius diei. Cumque venisset illuc, et sedisset subter unam juniperum, ait: sufficit mihi Domine, tolle animam meam.*

[a] « Sancti viri, qui sublevante spiritu ad summa rapiuntur, quamdiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur; ut nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt; sed ne extollantur superbia, fit in eis ipsarum quædam mensura virtutum. Hinc est enim quod Helias, dum tot virtutibus in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, dum Jezabel postmodum, quamvis Reginam, tamen mulierculam fugiit. Perpendo quippe hunc miræ virtutis virum, C ignem de cœlo trahere, et secundo quinquagenarios viros cum suis omnibus petitione subita concremare: verbo cœlos a pluviis claudere: verbo cœlos ad pluvias aperire, suscitantem mortuos, ventura quæque prævidentem: et ecce rursus animo occurrit, quo pavore ante unam mulierculam [b] fugit. Considero virum timore perculsum de manu [c] Domini mortem petere, nec accipere: de manu mulieris mortem fugiendo vitare. Quærebat enim mortem, dum fugeret, dicens: *Sufficit mihi, tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei.* Unde ergo sic potens, ut tot illas virtutes faciat? Unde sic infirmus, ut ita feminam pertimescat? nisi quia dispensatione superni nutus mensura occulti libraminis appenduntur, ut ipsi sancti Dei homines, et D multum valeant per potentiam Dei, et rursum quadam mensura moderati sunt per infirmitatem suam? In illis virtutibus Helias quid de [d] Domino acceperat, in istis infirmitatibus quid de se esse poterat, agnoscebat. Illa potentiæ virtus fuit: ista infirmitas custos virtutis.

« In illis virtutibus ostendebat quid acceperat: in istis infirmitatibus hoc quod acceperat, custodiebat. In miraculis monstrabatur Helias: in infirmitatibus servabatur. » Post hæc sequitur: (XIX, 5) *projecitque se, et dormivit in umbra juniperi. Et ecce Angelus Domini tetigit eum, dixitque ill . surge, et comede. Respexitque, et vidit ad caput suum subcinericium panem, et vas aquæ. Comeditque, ac bibit, ac rursum dormivit. Tetigitque eum secundo Angelus et dixit: surge, et comede: grandis enim tibi restat via. Consurgensque comedit, et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus usque ad montem Dei* [e] *Oreph.* Quid igitur Jezabel? *hæc faciant mihi Dii, et hæc addant; nisi posuero animam tuam, sicut animam unius ex illis. Et audivit Helias, et fugit viam dierum quadraginta* [f] O violentiam verbi! O formidinis eminentiam! audito mulieris verbo, fugit Helias, et fugit non una, non duabus, non tribus diebus, sed ingressus est in eo sermo mulieris, et quid ageret, nesciebat, tanti itineris spatio, metu exagitante, jactatus, velut cum Zephiri flatibus cursu impulsæ navis arborem violentus ex adverso turbo corripuit, impletumque reflexit, ita Prophetæ animum virtutum velis navigantem mulieris perculit sermo, totamque ejus navem per omnes formidinum fluctus turbato rectore jactavit, quid ergo tu Helias? tu enim es, qui verbo clauseras cœlum, et fraudaveras imbres, qui mandaveras aeri, et divinos ignes eduxeras, qui falsos salubriter interfici jusseras sacerdotes, qui constanter in faciem exprobraveras Regi, quod ipse, et domus *sua populum everteret Israel:* qui dixeras: vivit Dominus: *Si erit pluvia, aut ros nisi in verbo oris mei:* qui domum viduæ, spicarum aream, et torcular feceras olei, qui omnibus imperaveras elementis, sermonem nunc meretricis audiens, expavisti, et una muliercula profugum fecit, timorisque captivum. O rem stupendam! Vide duos istos, Petrum et Heliam, magnificos viros, et cæteris clariores, velut duas civitatum arces in sublime porrectas, a mulieribus fatigari. Petrus timet puellam: Jezabel deterret Heliam. Et quia ejusdem culpæ vitio uterque subjacuit, amborum naturalis infirmitas unum sortita est proditorem. Fugit ergo Helias viam quadraginta dierum. Ubi est zeli tui ardor incontinens, ubi constantiæ flamma? Ubi auctoritas libertatis, cum dicebas: *vivit Dominus, si erit pluvia super terram*, vel cum Regem comminus arguebas, tantaque mirabilia faciens unum adulteræ non tulisti sermonem? Sed considera, quid in his ostendatur. Quid scilicet, quamdiu homini Domini gratia cooperatur, omnia secunda sunt, omnia fida: elementa serviunt, et principes prosternuntur, reges adorant, populi venerantur. Si vero se, semel perfectionis, vel correptionis causa supernum ab homine suspendat auxilium, confestim fragilitas naturæ monstratur: mox insurgunt quæ videbantur esse subjecta: quæ prius ut Dominum metuebant inci-

[a] Subsequentia tibi præbet Paterius, ideoque Gregorius lib. XIX Moral. num. 9 et 10.
[b] *Fugerit.*
[c] Dei.
[d] *Deo.*
[e] *Horeb.*
[f] Quæ sequuntur habes numero 4 crebro allegatæ homiliæ in *SS. Petrum et Heliam*, sed verbis aliquando transpositis, et eorum ordine immutato.

piunt esse terrori. Jezabel, quæ interpretatur *fluxus vanus*, Synagogæ gestavit typum, quæ vanis superstitionibus serviens, in Evangelica prædicatione credere noluit, et auctorem vitæ *persequens*, sicut et Jezabel Heliam, exstinguere magis, quam credere maluit. Puer Heliæ, qui in Bersabee, qui interpretatur *puteus juramenti*, dimissus est, Sacerdotale accipiendum est ministerium, quod templo Domini in Hierusalem, cultui exhibebatur divino. Desertum vero, ad quod via unius diei Helias legitur pervenisse, et sub arbore juniperi quievisse, universus accipiendus est mundus, qui propter dæmonum cultum in maligno fuerat positus, ad quem Dominus relicta Judæa, per prædicatores suos transire dignatus est, et ibi quasi dormit, dum per fidem in cordibus fidelium requiescit. Arbor vero juniperi agrestis, atque inculta, Ecclesiam præsignabat ex gentibus, quæ sacrarum Scripturarum nequaquam fuerat exculta præceptis, ad quam Israeliticum Regnum transiturum Dominum prædixisse, Evangelista pronuntiat (*Matth.* XXI, 43) : *Auferetur a vobis* (Judæis) *Regnum*, inquit, *et dabitur genti facienti voluntatem Dei*. Viam vero unius diei, quam Helias egisse legitur, unitas intelligenda est Trinitatis, quam evangelica prædicatio cunctis nationibus introduxit. Panis subcinericius, et vas aquæ, quid aliud indicant, nisi gentium pœnitentiam, et lacrymarum effusionem, quibus Dominus valde reficitur?

(*Vers.* 8, 9, *etc.*). *Post hæc pervenit*, inquit, *Helias ad montem Dei* [a] *Oreph, et mansit in spelunca. Et ecce sermo Domini ad eum dixitque illi. Quid hic agis Helias ? at ille respondit : zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini, filii Israel, altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio : et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam.*

[b] « Fugiens ergo Helias venit ad quemdam locum, et obdormivit ibi, et venit ad eum Dominus. Dominus scilicet ad servum et ait (*III Reg.* XIX, 13) : *Quid tu hic Helias? velut notans eum timoris, et fugæ*. Quid tu, inquit, hic Helias? putasne fugisti? et furor te unius mulierculæ profugum fecit? Ubi est illa constantia? ubi libertas? Disce de cætero non tibi ipsi confidere, nec propriæ, cum res secundo cursu feruntur, imputare virtuti. Verumtamen Helias respondet, et dicit : aliud quidem mente retinens, aliud ore depromens (*Vers.* 14) : *Domine Prophetas tuos occiderunt : altaria tua demolierunt; et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam.* Hoc est, hæc cogitatio, quæ tantum Prophetam de ipso dejecit fastigio meritorum, communemque hominem demonstravit. Denique mox eum corripit sermo divinus. Non ita, inquit, est Helias : falleris, et humanæ cogitationis laqueis irretiris. Non idcirco fugisti, nec te ideo, quod solus esses, Regina perterruit. Nec enim tu es tantummodo, qui non adoraveris Bahal : sunt mihi fideles famuli, sunt multi amici, A et septem millium virorum electorum electissima virtus, quam nec error humanus inclinare, nec inanis gloriæ cogitatio potuit elevare (*Vers.* 18.) *Hi omnes non curvaverunt genua ante Bahal;* sed in stabili poplite ad instar cœlestis exercitus me semper adorant. Fugisti ergo, non quod in te solo furor adulteræ desæviret, sed quod tibi hanc electionem genuerit magnitudo virtutum, ut tam arrogantem ferres de genere humano sententiam, erasque paulisper mea gratia deserendus, et nisi tibi tantæ elationis frena laxassem, lapsum incurreres graviorem, et disceres bona facta non tuæ virtuti ascribere, sed divinæ. Non igitur alia ex causa fugisti, nisi quod, secedente gratia mea mulier te minaci sermone deterruit. Consideremus ergo quanta vis B fuerit in adulteræ sermone, gratia recedente, quanta fortitudinis magnitudo. Quadraginta diebus oberrat fugiens Helias per invia, et deserta, tantique ingenii vir metu consternatus non sentit esuriem. Quid agis Helias? ubi est, ut sæpe jam memini, illa omnibus stupenda fiducia? ubi os illud metuendum? ubi lingua terribilis alternis imperans elementis? Sed hæc tibi, ut dixi, constabant gratia ministrante. Vide ergo quemadmodum levitate culpæ permittitur jacere tantus Propheta, ut emendatus elationis vitio, atque correptus, integro vestiatur moderationis, et clementiæ indumento. »

« Jam ergo eruditi sumus, et docti in Petro atque Helia, quemadmodum eos Dominus nostri causa patitur circumscribi delicto : quemadmodum illos fi- C dei, pietatisque signiferos, et generis humani columnas, permiserit metu dominante quassari, ut populorum essent exemplum, a Deo sibi non peccandi gratiam minime condonatam, ne cum ipsi a culpis essent, ac vitiis alieni, peccatoribus diri existerent, et crudeles; sed cum forte quis fuerit delicto præventus, non statim abjiciant, non condemnent jacentis affectum : sed impartiantur viscera charitatis, porrigant manum, et erigant lapsum, spem ei divinæ clementiæ promittentes, sicque etiam se vivere exemplo ipsorum commendent magistrorum. Hæc autem idcirco diximus, non justos culpando, sed peccatores ad spem erigendos protulimus. Et primo quidem virtutes eorum extulimus : nunc culpas in- D tulimus, ut et justis formam cautelæ, et peccatoribus salutis portum fidelissimum monstraremus. »

Merito quæritur quomodo licite sacrificaverit Helias extra templum Dei, quando et ignem de cœlo impetravit, et prophetas dæmoniorum convicit. Quod mihi non videtur alia ratione defendi, quam illa, qua defenditur et Abrahæ factum, quando filium Deo jussus voluit immolare. Cum enim jubet ille, qui legem constituit aliquid fieri, quod in lege prohibuit, jussio ipsa pro lege habetur, quoniam auctor est legis. Non enim deesse possent miracula alia præter sacrificium, quibus superarentur, et convincerentur prophetæ lucorum : sed Spiritus Dei, qui fuerat in

[a] *Horeb.*
[b] Hæc quoque habes numero 4 crebro allegatæ homiliæ de SS. *Petro et Helia.*

Helia, quidquid in hac re fecit, contra legem esse A non potest, quia dator est legis.

Alia adhuc insuper quæstio animum pulsat: quare interpellaverit Helias Dominum, quod Israel derelicto Deo prophetas [a] occiderit, et ejus destruxerit altaria, cum in lege olim jussum fuisset, non eos posse amplius habere altaria, quam unum, primum in tabernaculo, deinde in templo, nisi quod liquide datur intelligi, quod postquam decem tribus a domo David excisæ, et a templo, et Hierusalem sunt separatæ, illi, qui in decem tribubus, quæ vocabantur Ephraim, cultores divini nominis erant: et ut putandum est ad illa altaria recurrebant, quæ olim erexerant Patriarchæ, Abraham, Isaac, et Jacob, locis competentibus, ubi eis Deus apparuerat, ad hoc B altaria cultores divini nominis, et si non ad sacrificandum, tamen ad orandum Deum patrum suorum recurrebant. Hæc videntes sacrilegi Israelitæ, et idolorum cultores, destruebant, ut nec ibi locus esset, ubi veri adoratores Dominum precarentur; et hoc est, quod in superiori parte jam præmissum est, quod instauraverit Helias altare Domini quod destructum fuerat.

(*Vers.* 11). Dixitque Dominus ad Heliam: *Egredere et sta in monte coram Domino, et ecce Dominus transit, et Spiritus grandis, et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum.*

Quod autem ait ante Dominum *præcessisse spiritum grandem, etc.* ejus adventum significat ad corda credentium quibusdam occultis, et ineffabilibus si- C gnis esse profuturum. Nam quod ait: *Subvertens montes et conterens petras ante Dominum*, hoc est quod Apostolus ait (*II Cor.* x, 4, 5): *Arma militiæ nostræ non carnalia, sed spiritualia, ad destructionem munitionum..., et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.*

(*Vers.* 11, 12). *Non in spiritu Dominus, et post spiritum commotio: non in commotione Dominus, et post commotionem ignis: non in igne Dominus, et post ignem sibilus auræ tenuis.* [b] « Spiritus ante Dominum evertit montes, et petras conterit, quia pavor, qui ex adventu ejus irruit, et altitudinem cordis nostri dejicit, et duritiam liquefacit. Sed spiritui commotionis, et igni non inesse Deum dicit: In sibilo vero auræ tenuis inesse non negat: quia nimi- D rum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfecte conspicere prævalet, Dominus non est. Cum vero subtiliter aliquid conspicit: hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit: quasi enim sibilum auræ tenuis percipimus cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita subtiliter degustamus. Tunc ergo verum est, quod [c] Deum cognoscimus, cum [d] plene nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus: unde bene illic subditur: *Quod cum audisset Helias: operuit vultum suum pallio, et egressus stetit in ostio speluncæ.*

[e] « Quid est quod Propheta cum vocem Domini secum loquentis audiret, in speluncæ suæ ostio stat, et faciem velat? nisi quia dum per contemplationis gratiam vox supernæ intelligentiæ fit in mente, totus homo jam intra speluncam non est, quia [f] animum carnis cura non possidet, sed stat in ostio, quia mortalitatis angustias exire meditatur. Sed jam qui in ostio speluncæ consistit, et verba Dei in aure cordis percipit, necesse est, ut faciem velet, quia dum per supernam gratiam ad altiora [g] intelligentiæ ducimur, quanto subtilius levamur, tanto semper per humilitatem nosmetipsos intellectu nostro premere debemus, nec conemur (*Rom.* XII, 3) *plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem;* ne dum nimis invisibilia discutimus, aberremus, ne in illa natura incorporea corporei luminis aliquid quæramus: aurem enim intendere, et faciem operire, est vocem interioris substantiæ audire per mentem, et tamen ab omni specie corporea oculos cordis avertere, ne quid sibi in illa corporale animus fingat, quæ ubique tota, et ubique incircumscripta est. »

(*Vers.* 15.) *Et dixit Dominus ad Heliam, vade revertere in viam tuum per desertum in Damascum. Cumque perveneris, unges Azahel Regem super Syriam, et Hieu filium Namsi unges Regem super Israel, et Heliseum filium Saphat qui est de Abelmeula, unges Prophetam pro te. Et erit, quicunque fugerit gladium Azabel, occidit cum Hieu: Et quicunque fugerit gladium Hieu, interficiet eum Heliseus.* [h] *Abelmeula urbs est una* [i] *de principibus Salomonis. Est autem nunc vicus* (ut in locorum libro legimus), *in Aulcone, decimo ab Scythopoli milliario distans contra australem plagam, et nunc dicitur* [j] *Betula.* « Damascus enim, qui interpretatur *sanguinem bibens*, sive *propinans*, totius Mundi typum gerebat, in quo habitatores, illius, immolandi dæmonibus filios suos sanguinem bibere, ac propinare non est ambiguum. Sanguis enim pro peccato, ac morte ponitur in Scripturis: quam non solum sibi infelices videbantur inferre, sed et suis imitatoribus propinabant. Azahel vero, qui interpretatur *factura Dei*, universarum gentium continebat figuram, cui valde congruit interpretatio: *Dei factura*. Opus enim divinum fuit, ut obdurato Israele, et signis, atque virtutibus Domini penitus nequaquam credente, nationum populi cum omni mentis alacritate crederent in crucifixum. Sive aliter *factura Dei*, id est *imago Dei* per fidem Christi gentibus constituta,

[a] *Altaria destruxerunt, prophetas tuos occiderunt.*

[b] Subsequentia usque dum pervenias ad ea verba: *stetit in ostio speluncæ*, lineolis notata perquire in Paterio, ideoque in Gregorio, cujus librum v in Job consule [num. 66, alias cap. 36, olim 25].

[c] *De Deo.*

[d] *Plane:* sed præstat *plene.*

[e] Hæc quoque in Gregorio invenies; sed alibi tradita; scilicet num. 18 homiliæ I in Ezechiel.

[f] *Animam.*

[g] Intelligentia.

[h] Vide librum Hieronymi de locis hebraicis.

[i] *De præcipuis.*

[j] *Bethaula*, alii *Bethulia.*

nulli poterit esse dubium. Nam, ut in Jacob, et Esau figura præcesserat majoris quondam filii, primatus, ac benedictio ad juniorem fratrem translata, ita etiam in istis, Azahele videlicet, et Hieu, divina dispensatione intelligimus geri, ut gentium populus, qui fuerat junior, per Azahelem præponatur in persona *Hieu* primogenito, ut scriptum est, Israeli, et juxta Scripturæ testimonium, *populus, qui erat in capite, propter prævaricationes assiduas, et piaculum, quod intulit Domino, factus in cauda est*, translatoque ab eodem regno, ut Dominus fuerat protestatus, datum est gentium populo, Dei voluntatem videlicet exsequenti. Sed quia divinæ pietatis est omnes *homines salvos fieri*, sicuti Esau, licet juniori fratri subjectum, nequaquam benedictione privavit, ita quoque et hic Heliæ a Deo prædicitur : *relinquam mihi septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Bahal*. Relinquam enim, ad futurum tempus pertinere, intelligi voluit, quod in Domini adventum constat fuisse expletum. Illud pro certo exstitisse intelligendum est, quod qui ex omni Israeli per apostolos Christi fidem susceperunt, septiformi spiritu Christi uncti sunt. Hieu vero, cujus vocabulum interpretatur *ipse*, vel *est*, filius videlicet Namsi, qui interpretatur *adtrectans*, vel *palpans*, Apostolorum specialiter præfigurabat personam : illis quippe horum nominum valde congruit interpretatio. Beati enim Apostoli semper esse pro certo est, qui pro Trinitatis confessione, et veridica prædicatione, Deo et universo Orbi perpetuo vivunt. Joannes quoque in epistola sua cum de verbo vitæ, hoc est de Dei filio, qui carnem assumpsit, scriberet, ita effatus est (*Joan. Epist. I*, I, 3) : *quem nostris oculis vidimus, et auribus nostris audivimus, et manus nostræ tractaverunt*. Quod autem dicitur Heliæ, Heliseum filium Saphat de Abelmeula unges prophetam pro te : ita intelligendum est : Heliseus enim interpretatur *Dei mei salus*, Saphat autem *judicans*. Abelmeula vero *luctus parturiens :* Dei enim filius, qui est vera fidelium salus (*Joan.* V, 22), et cui omne judicium tradidit pater, in quo judicio impiis, et incredulis erit luctus parturiens, Gehennæ videlicet cruciatus, qui in substantiæ suæ splendore, atque virtute non poterat ab omnibus contemplari, ex deitate, ut Apostolus ait (*Philip.* II, 7) suam inaniens majestatem, in Helisei præfiguratione, Servi dignatus est suscipere formam, qui verus homo ex virginis utero procreatus, Sanctoque Spiritu unctus. Quod autem ait historia, *qui effugerit gladium Azahel, occidet eum Hieu, et qui effugerit gladium Hieu, occidet eum Heliseus*, hoc modo intelligi potest. Gladius enim Azahel Syri, illorum doctrina accipienda est, qui ex gentibus dominicæ Incarnationis, et Passionis, ac Resurrectionis vates inspirati divinitus exstiterunt, ad confutandos videlicet judæo-

A rum doctores, qui hoc mysterium populis occultabant. Gladius vero Hieu, qui super Israel unctus est, prædicatio intelligenda est Joannis Domini præcursoris, qui Saducæos, et Pharisæos venientes ad baptismum suum, increpans dixisse scribitur (*Luc.* III, 7) : *Genimina viperarum : quis vobis ostendit fugere a ventura ira?* Gladius præterea Helisei, evangelica accipienda est prædicatio, de qua Dominus dixisse scribitur (*Matth.* X, 34) : *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium :* quia fideles, et justos quodammodo dividit, ac separat ab infidelibus et injustis, et quia in cordibus credentium cupiditates interemit noxias, et vitia universa, atque peccata.

Interea ait Dominus ad Heliam : *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante*
B *Bahal, et omne os quod non adoraverit eum, osculans manum.*

[a] « Certum est, quod cordis sui oculum per elationis tenebras exstinguit, qui cum recte agit, considerare meliorum merita negligit. At contra magno humilitatis radio semetipsum illuminat qui aliorum bona subtiliter pensat, quia dum ea, quæ ipse fecerit, facta foris, et ab aliis conspicit, eum, qui de singularitate intus erumpere nititur, superbiæ tumorem premit. Hinc est, quod vocem Domini ad Heliam solum se æstimantem dicitur : *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Bahal.* Ut dum non solum se remansisse cognosceret, de elationis gloria, quæ ei de singularitate
C [b] surgebat, declinaret. Propheta nempe erat, et sæpe mysteria superna cognoverat. Quid ergo difficile fuit agnoscere in hoc mundo [c] fideliter Deo famulos et alios remansisse? Sed hinc solerter intuendum est, oculum cordis elatio quam nequiter claudat, quia qui [d] humiliter et occulta Dei [e] noverat, elatus et aperta nesciebat. »

Post hæc enim inquit (XIX, 19) : *Helias reperit Heliseum filium Saphat, arantem in duodecim jugis boum. Et ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat. Cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super eum, qui relictis statim bobus cucurrit ad Heliam, et ait : Osculer, oro te patrem meum, et matrem meam, et sic sequar te. Cui dixit Helias : revertere, quod enim meum erat, feci tibi.*
D *Reversus itaque Heliseus tulit par boum, et mactavit illos, et in aratro boum coxit carnes eorum, deditque populo ad comedendum.*

Duodecim juga boum, viginti quatuor veteris testamenti figuraliter accipiendi sunt libri. Duodecim vero aratores duodecim intelligendi sunt Apostoli : sed in omnibus illis Dominus existere dignatus est operator, qui dixit (*Jo.* XV, 5) : *Sine me nihil potestis facere.* Osculum patris, reconciliationis dignoscitur signum. In duobus enim bobus lex accipienda est, et prophetia, quarum umbras, et imagines Do-

[a] Vide Paterii caput 12, in lib. III Regum : hæc porro ille desumpsit ex Gregorii lib. XXXI in Job [num. 107].

[b] *Surgere poterat, declinaret.*

[c] *Fideles.*

[d] *Humilis.*

[e] Additur *judicia.*

minus noster, per incarnationis suæ, ac passionis mysterium occidit in littera, et in crucis suæ coxit aratro, nec non ad comedendum fidelibus præbuit, ut jam non vivant secundum litteram, sed secundum spiritum.

(XX, 10.) Post hæc refert Scriptura, quod Benedad rex Syriæ obsidens, et impugnare incipiens Samariam ait: *Hæc faciant mihi Dii, et hæc addant: si sufficerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me.*

Hunc habet sensum. [a] « Samaria juxta morem civitatum habebat terram interius [b] propter muros pene ipsis muris æqualem, ne videlicet eos sine subsidiis terræ adjacentis erectos, creber insistente manu hostili, dejiceret ictus arietis [c]. Extrinsecus autem murorum altitudo longe super faciem terræ transcenderat, maxime cum in montis vertice, ut Scriptura refert, fuerit urbs eadem posita. Ait ergo Rex superbus obsessam terrens civitatem, quod tantam haberet secum exercitus multitudinem, ut si quisque militum ejus, solummodo lapidem, vel cespitem, vel stipitem ad construendum contra urbem, aggerem apportasset, tam sublimis ex eo posset agger exsurgere, qui superficiei civitatis ipsius, quæ erat intra muros, esse videretur æqualis: ita ut ex equo pugnantes contra civitatem, tela vel faces mittere possent. Cujus temeritatem arrogantiæ modesto sermone compescens Rex Israel ait (*Vers.* 11): *Dicite ei. Ne glorietur accinctus æque ut discinctus.* [d] Alius est autem accinctus, alius discinctus, alius non accinctus. Accinctus namque est qui cingulo circumdatus incedit, discinctus qui cingulum nuper deposuit: verbi gratia, vel balneum intraturus, vel lectum ascensurus, vel alteram forte tunicam induturus. Non accinctus, qui nuper tunica indutus, nec dum se addita zonæ circumpositione munivit. Sic ergo, et in expeditione castrensi qui positus est, recte *accinctus* nominatur, id est armis indutus. Qui pugna confecta victor domum rediit, jure *discinctus* vocatur, quia nimirum depositis armis optatæ pacis otium gerit. Qui vero necdum pugnare, neque se ad certamen parare jam cœperat, merito *non accinctus* esse dicitur. Ait ergo Rex Israel Regi Syriæ glorianti, [e] quasi jam cepisset Samariam, quam obsidere cœperat: [f] Negligetur accinctus, æque ut discinctus; ac si aperte dicat: Noli gloriari quasi jam victor bellici discriminis, qui adhuc in acie positus, quem victoria sequatur, ignoras. Et verum profecto dicebat: nam mox inito certamine, Benadab non victis adversariis triumphans, sed cæso suo exercitu fugiens domum rediit, Benadab Regem Syriæ typum habuisse diaboli, qui princeps est hujus mundi, non dubium est: qui cum [g] triginta, et duobus Regibus, hoc est omnibus vitiis suis adversum humanum genus pugnare non desistit: Achab vero qui interpretatur *frater patris*, hoc in loco personam gestavit Judæorum, cum quibus diabolus prius conflictum habuit. »

(XXII, 19.) Interea sequitur Scriptura de visione Michææ prophetæ, ubi ait ad Achab: *Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli a dextris, et a sinistris ejus, et dictum est: In quo decipiam Achab, ut ascendat, et cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba hujusmodi; et alius aliter. Et egressus unus dixit: ego decipiam Achab. Et dictum est ei: in quo decipies? qui respondit dicens: egrediar, et ero mendax spiritus in ore omnium prophetarum ejus.* [h] « Quid per solium Domini, nisi angelicas potestates accipimus, quarum alis præsidens inferius cuncta disponit? Et quid exercitus cœli, nisi ministrantium angelorum multitudo describitur? Quid est ergo quod exercitus cœli a dextris, et a sinistris ejus stare perhibetur? Deus enim, qui ita est intra omnia, ut etiam sit extra omnia, incircumscriptus est: et veritas illa, æterna beatitudo, quæ dextera ejus dicitur, sinistram non habet, quia nihil est quod displiceat, quia simul omnia contuetur, simul cuncta aspicit; ea autem, in quibus et bonus spiritus vivit, et malus, exercitum cœli a dextris, et a sinistris ejus habere describitur. Unde per dexteram intelligimus angelos electos: per sinistram vero spiritus reprobos. Non enim ministrant Deo solummodo boni, qui adjuvant, sed etiam mali qui probant, non solum quia a culpa redeuntes sublevant, sed etiam quia redire nolentes gravant. Nec movere debet quod exercitus cœli etiam repulsi angeli vocantur, quia et ipsi quamvis ab æthereo cœlo expulsi sunt, adhuc tamen in aereo cœlo demorantur: quas enim suspendi in aere novimus, aves cœli nominamus. Et de eisdem spiritibus Paulus dicit (*Eph.* VI, 12): *Contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Quorum caput enuntians ait (*Eph.* II, 2): *Secundum principem potestatis aeris hujus.* Ad dexteram ergo et sinistram exercitus stat, quia voluntas electorum spirituum divinæ pietati concordat, et reproborum sensus suæ malitiæ serviens, judicio districtionis ejus obtemperat: unde et mox spiritus fallax in [i] medio prosilisse describitur, per quem Achab rex exigentibus suis meritis decipiatur: neque enim fas est credere bonum spiritum, fallaciæ deservire voluisse, ut diceret: *Egrediar et ero mendax spiritus in ore omnium prophetarum ejus*; sed quia Achab rex peccatis præcedentibus dignus erat, ut tali debuisset deceptione damnari, quatenus qui sæpe volens ceciderat

[a] Loci hujus explicationem excepit Claudius a Beda quæst. 17 libri XXX quæstionum in libros Regum eam proponente.
[b] *Prope.*
[c] *Murorum enim altitudo longe*, etc. Sed præstat nostri codicis lectio.
[d] *Aliud*, et sic deinceps.
[e] *Quod*: præstat nostra lectio.
[f] *Ne glorietur.*
[g] Vers. 6. *Reges triginta duo cum eo.*
[h] Subsequentia habet Paterius, ideoque Gregorius [libro II Moralium, n. 38, cap. 20, olim 21]: sed multum inest discriminis inter ea quæ allegatus Gregorii liber exhibet, et noster habet codex cujus lectionem sequor. Vulgatam consulat lector.
[i] *Medium.*

in culpam, quandoque nolens caperetur ad pœnam; occulta justitia, licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant. » [a] Sed quomodo Deus hæc agat ubique præsens, et ubique totus, ac semper præsens, et quomodo ejus simplicem, et incommutabilem, æternamque veritatem consulant sancti Angeli, omnesque ab eodem creati sublimes, et mundissimi spiritus, atque id quod in eo sempiterne justum vident, pro congruentia rerum inferarum, temporaliter peragant : quomodo etiam lapsi spiritus, qui in veritate non steterunt propter immunditiam, et infirmitatem concupiscentiarum, et pœnarum suarum non valentes præsentem intrinsecus contueri, et consulere veritatem, signa forinsecus per creaturam exspectent, eisque moveantur, sive ad faciendum aliquid, sive ad non faciendum : quove modo cogantur æterna lege, qua universitas regitur, vincti, atque constricti, vel sinente Deo operari, vel cedere jubenti, et complecti arduum, et explicare longissimum est.

(XXII, 40, 52, *et seq.*) Post mortem Achab regnare cœpit Ochosias filius ejus pro eo, de quo refert Scriptura (*IV Reg.* I, 2.) : *Quod cecidit per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, et ægrotavit.*

Ochosias rex Samariæ, qui se a domo David separavit, et per cancellos decidit, hoc significare videtur, quod hæretici, sive schismatici, et si aliquam bonæ actionis arcem conscendere videntur, quia tamen compagem Ecclesiæ unitatis non habent, quasi patentibus, et non solidis laterum præsidiis ad vitiorum semper infima relabuntur, dum divino destituti auxilio, sive pertinaciæ fastu intereunt.

(*IV Reg.* I, 9.) Deinde refert Scriptura eadem, quod idem Ochosias miserit duos principes quinquagenarios ad Heliam, quem quia procaciter eum hominem Dei vocaverunt, illo orante, cœlesti igne consumpti sunt: tertius autem missus salvatus est. « Figuraliter autem [b] quinquagenarius numerus confessio pœnitentiæ est, [c] per quam declaratur remissio peccatorum. Judæi enim nolentes Christum Deum esse verum nec principem [d] indulgentiæ largitorem, dicunt ei (*Joan.* VIII, 57) : *quinquaginta annos nondum habes, et Abraham* [e] *vidisti?* Hi tales futuro divini ignis incendio exstinguuntur, tertius autem [f] quinquagenarius, qua conversus ad fidem Trinitatis, demonstrat pœnitentiæ sacramenta, idcirco ad indulgentiam meruit pervenire. [g] Sciendum est quod Scriptura sacra duobus modis *maledictum* memorat : aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat : aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ. Maledictum quippe judicio justitiæ ipso primo

A homine peccante prolatum est, cum audivit (*Gen.* III, 17) : *Maledicta terra in opere tuo.* Maledictum justitiæ judicio profertur, cum ad Abraham dicitur : (*Gen.* XII, 3) : *Maledicam maledicentibus tibi.* Rursum quia maledictum non judicio justitiæ, sed livore vindictæ promitur, voce Pauli prædicantis admonemur, qui ait (*Rom.* XII, 14) : *Benedicite, et nolite maledicere.* Et rursum idem (*I Corinth.* VI, 10) : *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Deus ergo maledicere dicitur, et tamen maledicere hominem prohibet, quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus non facit, nisi examine, et virtute justitiæ. [h] Nam et sancti viri cum maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed justitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile Dei judicium aspiciunt, et [i] male foras

B exsurgentia, quia maledicto debeant ferire, cognoscunt, et eo in maledicto non peccant, quod ab interno judicio non discordant. Hinc est quod Petrus in offerentem sibi pecunias Simonem sententiam maledictionis intorsit dicens (*Act.* VIII, 20) : *Pecunia tua tecum sit in perditionem ;* qui enim non ait *est*, sed *sit*, non indicativo, sed optativo modo se hoc dixisse significavit : hinc Helias duobus quinquagenariis ad se venientibus dixit : *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et consumat vos.* Quorum utique sententia quanta veritatis ratione convaluit, terminus causæ monstravit. Nam et Simon æterna perditione interiit, et duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit. Virtus ergo subsequens testificatur, qua mente maledictionis sententia pro-

C mitur, cum et maledicentis innocentia permanet, et tamen eum, qui maledicitur, usque ad interitum maledictio absorbet. Itaque ex utriusque partis fine colligitur, quia ab uno, et intimo judice in reum sententia sumpta jaculatur. »

(*Cap.* II, *vers.* 2, 4, *etc.*) Quod enim abstrahendus Helias, atque elevandus ad cœlum, jusserit Heliseo, ut resideret in Galgalis : aut in *Bethel : aut Hierico :* sive Jordane : et ille semper juraverit per Dominum, quod non relinqueret eum, hoc figurasse videtur, quod apostolorum in se habuerit figura, qui ab ipsa revelatione fidei (sic enim interpretatur Galgala), Christo Domino individue adhærentes usque in diem ascensionis ejus in cœlum ab ejus comitatu non re-

D cesserunt. Cumque transissent Jordanem (*Ibid.*, *vers.* 9), dixit Helias ad Heliseum : *Postula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Heliseus : obsecro, ut fiat duplex spiritus tuus in me.*

Secundum historiæ fidem duplex spiritus Heliæ Heliseo collatus est, quia multo plures virtutes Heliseus, quam Helias operatus est. Tropologice vero duplex spiritus Heliæ Heliseo attributus est, quia post ascensionem Domini per adventum Spiritus

[a] Hactenus Gregorius : subsequentia porro verba Claudii esse videntur, non vetustioris scriptoris.
[b] Isidorus cap. 1 in lib. IV Regum, quæ hic tradit Claudius, expressissime docet.
[c] *Qua.*
[d] *Pœnitentiæ dicunt*, etc.
[e] Nosti?
[f] *Cognovit.*
[g] Quæ sequuntur omnia ad loci hujus explicationem desumpsit Claudius ex cap. 1, alias num. 2, libri IV Moralium S. Gregorii.
[h] *Cum vero.*
[i] *Mala.*

sancti duplex intelligentiæ donum, hoc est Veteris, A ac Novi Testamenti, Apostolis est collatum.

(*Ibid.*, *vers.* 11.) *Cumque pergerent, et incedentes sermocinarentur: ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque; et ascendit Helias per turbinem in cœlum. Heliseus autem videbat, et clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus, et non vidit eum amplius.*

Currus Israel, hoc est mente videntium Dominum, non incongrue Dominus Jesus Christus accipitur, qui electos suos patienter tolerando, velut in curru portat, atque per prædicationem, et disciplinam suam sicut auriga agitat. Moraliter autem. [a] « Quid est quod Helias currus Israel, et auriga dicitur: nisi quia auriga agitat, et currus portat? Doctor ergo, B qui mores populi, et per patientiam sustinet, et sacri eloquii verbis docet, et *currus* dicitur, et *auriga*. Currus, quia tolerando portat: auriga, quia populum bonis admonitionibus exercet. [b] Quid est quod Helias ad cœlum raptus esse dicitur? Nunquid nam eum adhuc in hac carne corruptibili positum, ad illius summæ quietis sinum, ante resurrectionem, ascensionemque Domini, credimus esse perductum? Sed aliud est cœlum aereum, aliud æthereum: cœlum quippe aereum terræ est proximum, unde et *aves cœli* dicimus, quia eas volitare in aere videmus. In cœlum itaque aereum Helias sublevatus est, ut in secreta [c] quadam terræ regione repente duceretur, ubi in magna jam carnis et spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et mortis C debitum solvat. Sublevatus namque Helias ascensionem dominicam designavit; ille enim mortem distulit, non evasit. Redemptor autem noster, quia non distulit, sed superavit, eamque resurgendo consumpsit, [d] æternæ resurrectionis suæ gloriam ascendendo declaravit. Notandum quoque est, quod Helias in curru legitur ascendisse, ut videlicet aperte monstraretur, quia purus homo adjutorio egebat alieno. Per angelos quippe illa facta, et ostensa sunt adjumenta, quia nec ad cœlum [e] quidem aereum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas gravabat. Redemptor autem noster, non curru, non angelis sublevatus legitur, quia is, qui fecerat omnia, nimirum super omnia, sua virtute ferebatur: illuc etenim revertebatur, ubi erat, et D inde redibat, ubi [f] manebat, quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per divinitatem suam et terram pariter continebat, et cœlum. » [g] Neque enim arbitrandum est Heliam vel sic esse jam, sicut [h] erunt sancti, quando peracto operis die, denarium pariter accepturi sunt (*Matth.* xx, 20): vel sic quemadmodum sunt homines, qui ex ista vita nondum emigrarunt, de qua ille tamen non morte, sed translatione migravit. Jam itaque aliquid melius habet, quam in hac vita posset, quamvis nondum habet, quod ex hac vita recte gesta in fine habiturus est: pro nobis enim meliora providerunt (*Hebr.* xi, 40), ne sine nobis perfecti perficerentur. Aut si quisquam putat hoc Heliam mereri non potuisse, si duxisset uxorem, filiosque procreasset (creditur enim non habuisse, quia hoc Scriptura non dixit, quamvis et de celibatu ejus nihil dixerit), quid de Enoch respondebit, qui filiis genitis Deo placens, non mortuus, sed translatus est? (*Genes.* v, 21, 24.) Cur ergo et Adam, et Eva, si juste viventes, caste filios procreassent, nonne eis possent translatione, non morte succedentibus cedere? Nam si Enoch, et Helias in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes, quod debitum ut solvant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam, et quod tandiu dilatum est, morituri: nunc tamen in alia vita sunt, ubi ante resurrectionem carnis, antequam animale corpus in spirituale mutetur, nec morbo, nec senectute deficiunt: quanto justius, atque probabilius primis illis hominibus præstaretur, sine ullo suo, parentumve peccato viventibus, ut in meliorem aliquem statum filiis genitis cederent, unde sæculo finito cum omni prosperitate sanctorum, in angelicam formam non per carnis mortem, sed per Dei virtutem multo felicius mutarentur.

(*IV Reg.* ii, *vers.* 12, *et* 13.) *Apprehenditque vestimenta sua, et scidit illa in duas partes, et levavit pallium Heliæ, quod ceciderat ei.* Heliseus enim Domini, ac Redemptoris nostri figuram gestavit. Vestimenta vero illius veteris testamenti accipiendæ sunt Scripturæ, quæ tunc scissæ, hoc est, revelatæ hominibus sunt, quando per passionem, et resurrectionem, sive ascensionem ipsius in cœlos expletæ sunt. Pallium vero Heliæ ab Heliseo collectum virtus accipienda est Verbi, quam ad glorificandam carnem suam mundo reliquit.

(*Vers.* 19, *et subseq.*) *Habitanti Heliseo in Hierico, venerunt ad eum viri civitatis, et dixerunt ei: Ecce habitatio civitatis hujus valde optima est, ut ipse, tu Domine, perspicis, sed aquæ pessimæ sunt, et terra sterilis. At ille ait: Afferte mihi vas novum, et mittite in eo sal. Quod cum attulissent, egressus ad fontem aquarum misit in eum sal, et ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, et non erit in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ usque ad diem hanc, juxta verbum Helisei, quod locutus est.*

[i] Civitas Hierico mundi hujus præsignabat figuram, cujus habitatio secundum conditoris creationem, non simpliciter tantum, sed valde, ut ab om-

[a] Subsequentia habes primo quidem num. 15 homiliæ 7 in Ezechiel, tum num. 5 et 6 homil. 29 *in Evang.*

[b] Hactenus hom. 7 *in Ezech. ex hom.* in Evang.

[c] *Secretam regionem.*

[d] *Et resurrectionis.*

[e] *Quod est.*

[f] *Remanebat.*

[g] Hactenus Gregorius loco citato. Reliqua habes ab Augustino tradita cap. 6, num. 11, libri ix de Genesi ad litteram.

[h] Edit. *sunt.*

[i] Explicationem hanc excepit ab Isidoro Claudius, sed verborum ordinem nonnihil immutavit. Vide caput 2 Isidori in lib. IV Regum.

nibus cernitur, optima est : aquæ vero illius pessimæ, doctrina est accipienda philosophorum, et poetarum, hominum videlicet mentes ad dæmonum cultus, et libidinem, atque luxuriam provocans. Terra vero sterilis omne indicat hominum genus : qui relicto creatore Deo, obscuratis sensibus deserviebant omnibus creaturis. Quem enim in hoc facto miraculo, nisi Dominum Jesum Christum præfiguraverat, qui postquam Verbum caro factum est, atque per ministrum in Jordane fluvio baptizari dignatus est, aquas Hierico steriles, hoc est hujus mundi, convertit in lavacri fecunditatem? ut quidquid ex eis regeneratum fuisset, talem acciperet spiritum. In sale quippe sapientia : in vase vero rudi, caro Domini intelligitur.

(II, 23.) *Ascendit Heliseus in Bethel. Cumque ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, et illudebant ei dicentes : Ascende calve, ascende calve; quibus maledicens in nomine Domini, continuo egressi sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta et duos pueros. Et abiit exinde in montem Carmeli.*

[a] Heliseus, qui interpretatur *Dei salus*, personam Salvatoris gestasse non dubium est, qui Salvator ascendens in Bethel, hoc est ad domum Dei cœlestem, a Judæis, quasi a pueris insipientibus, subsannatus est; clamantibus iisdem Judæis : *Ascende calve, ascende calve, Crucifige, crucifige* in Calvariæ loco, ob cujus piaculi facinus plebs Judæorum decursis duobus, et quadraginta annis post resurrectionem Salvatoris, et ascensionem in *cœlum*, a principibus Romanorum, Vespasiano videlicet, et Tito, quasi a duobus ursis consumpta est; mons vero Carmelus, Ecclesia intelligenda est, ad quam, spreto Israele, suum Dominus transtulit regnum.

(*Cap.* IV.) *Mulier quædam*, inquit, *de uxoribus prophetarum venit ad Heliseum, et ait : Servus tuus vir meus, mortuus est, et tu nosti quia timens erat Deum. Et ecce nunc veniens creditor meus duos filios meos vult tollere in servitium sibi. Cui dixit Heliseus : Quid habes in domo tua? Indica mihi : et illa, modicum*, inquit, *olei, quo ungar : ad quam Heliseus, vade et pete tibi vasa non pauca : et ingressa cubiculum tolle de ipso oleo, et mitte in vasis : tu infunde, et filii tui offerant vasa. Cumque impleta fuerint, vende, et redde creditori tuo : tu autem, et filii tui vivite de reliquo. Quæ abiit, et fecit sicut ei vir Dei præceperat.*

[b] Mulier hæc vidua, antiquam sanctorum Patrum, qui sub lege fuerunt, significavit Ecclesiam, quæ in adventu Salvatoris, a legalibus præceptis, quasi a legitimo viro destituta, cum duobus superstitibus filiis, id est gemino populo derelicta est. Creditor hujus Ecclesiæ, diabolus intelligendus est, qui humanum genus ante adventum Salvatoris per originale delictum, et quotidiana peccata obnoxium tenebat, quia A gratiam evangelicæ prædicationis intra litteram legis, et prophetiam veteris testamenti non revelatam apud se continebat. Postquam vero ad cognitionem veri Helisei, hoc est Salvatoris nostri, pervenire promeruit, ejus consilio a vicinis suis plurima vasa vacua petiit, quia post apostolorum prædicationem multitudinem credentium ex diversis gentibus intra domum fidei ad se collegit.

De oleo quoque, quod apud se habebat, in cætera vascula transfudit, quia gratiam spiritualem per ora prædicatorum in cunctis gentibus mutavit. De quo oleo, id est divina gratia, filios suos redemit, quia per donum Spiritus sancti, atque charitatis unctionem a perpetua servitute peccati semetipsam cum cunctis fidelibus liberavit.

B (*Vers.* 8.) *Factum est autem, ut Heliseus transiret, et erat ibi mulier magna, quæ tenuit eum, ut comederet panem. Cumque frequenter inde transiret, divertebat ad eam, ut comederet panem, quæ dixit ad virum suum : Animadverto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo cœnaculum parvum, et ponamus in eo lectum, et mensam, sellam, et candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi*, etc.

Mulier ista Sunamitis typum Ecclesiæ repræsentabat, quæ priusquam verum Heliseum, hoc est Salvatorem nostrum, per fidem susciperet, sterilis fuit. Postquam vero eumdem Dominum in hospitio cordis sui suscipere promeruit, populum fidelem, quasi unicum filium genuit. In cœnaculo, altitudo fidei : C in lectulo vero, quies spiritualis, atque contemplationis otium præfiguratur. In mensa autem, unitas fidei, et concordia prædicationis innuitur. In sella vero, docendi potestas : in candelabro, illuminatio fidei, sive claritas virtutum exprimitur.

Post hæc refert Scriptura (*Vers.* 20, *et seq.*) de filio Sunamitis, quem puer Helisei missus cum baculo non resuscitat : per semetipsum vero veniens, atque ad ejus membra se colligens, huc illucque deambulans, et in ore mortui septies aspirans, hunc ad redivivam lucem protinus per mysterium compassionis animavit. « Quia videlicet [c] auctor humani generis Deus quasi mortuum puerum doluit, cum exstinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit. Et quia per Moysen, terrorem legis protulit, quasi per puerum D virgam misit : per legem quippe, virgam Deus tenuerat cum dicebat : si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur. A peccati igitur morte timor nos suscitare non valuit, sed [d] tantum vitæ aspirata mansuetudinis gratia erexit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit, quia Paulo attestante (*Hebr.* VII, 19) *nihil ad perfectum adducit lex*. Ipse autem per semetipsum veniens, et super cadaver se humiliter sternens, ad exæquanda mortui membra se collegit, quia (*Philip.* II, 6) *cum in forma Dei*

[a] Hanc quoque explicationem desumpsit ab Isidoro Claudius, nonnullis tamen immutatis.

[b] Similem hujus explicationem habet Paterius, ideoque Gregorius, quem consule.

[c] Subsequentia desumpta sunt ex Paterio, ideoque ex Gregorio hæc tradente n. 63 cap. 40 lib. IX Moral.

[d] *Ad statum.*

*esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Huc illucque deambulat, quia et Judæam juxta, et longe positas gentes vocat. Super mortuum septies [a] inspirat, quia per aperitionem divini numinis gratia septiformis spiritus in peccati morte jacentibus aspirat; moxque vivens erigitur, quia is quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam rediit. »

(*Cap.* v.) Jam nunc historia Naaman Syri persequenda est. Superius ostendimus Heliseum typum habuisse Domini Salvatoris. Naaman vero princeps militiæ Syriæ, qui leprosus erat, et suggerente ancilla ad beatum Heliseum sanandus advenit, populum gentium figuravit. Puella vero parvula, quæ de terra Israel ab Assyriis capta, et in Syriam ducta, uxori Naaman servitium exhibebat, et dominæ suæ suggesserat, quod si ad beatum Heliseum pergeret, sanitatem consequeretur, legis accipienda est fama : idcirco videlicet parvula nuncupata, quia ut Apostolus ait : *Nullum ad perfectum perducere valuit* (*Hebr.* vii, 19); omnis enim perfectio in Domino Jesu Christo est : fama quippe eorum, quæ in lege de castitate, et sobrietate, patientia, justitia, hospitalitate, pietate, cæterisque virtutibus habebant Scripturæ, ad universas pervenerat nationes : quia licet in tempore illo in sola Judæa prophetia floruerit, fieri tamen non poterat, nisi ut etiam ad alias vicinas gentes beata ejus notitia perveniret. Et quanquam eamdem custodire contenderent, tamen velut captiva eisdem serviebat, quia idolatriæ cultui deditæ erant. Tamen audivit Naaman puellam, et venit ad Heliseum sanandus a lepra : et populus gentium, qui audivit famam legis, et prophetiam, veniens ad Christum, ab omnium peccatorum lepra purgandus. Quid tamen dixit beatus Heliseus per nuntium ad Naaman, videamus. Ait enim ei (*vers.* 10) : *Vade*, inquit, *lavare septies in Jordane.* Quod cum audisset Naaman, tantum ut lavaretur septies in Jordane (*vers.* 11, *et seq.*), indignatus est, et volebat renuere, sed ab amicis suis consilio accepto acquievit ut lavaretur, et purgatus est. Hoc significavit, quia populus gentium, antequam Christus crucifigeretur, ipse per se Christo loquenti non credidit : sed postea dicentibus apostolis, ad sacramentum baptismi fideliter venit. Heliseus namque in præfiguratione futurorum Naaman Syrum videre noluit, et tamen minime despexit : sic nimirum Dominus Jesus Christus populum gentium, qui eum carnalibus oculis minime vidit, exterum a sua salute non fecit. Dixit ergo Heliseus ad Naaman : *ut lavaretur septies in Jordane.* Notandum quod sicut Heliseus mittit Naaman ad Jordanem fluvium, ita a Christo populus gentium missus est ad baptismum. Quod autem Heliseus non per se ipsum Naaman aut tetigit, A aut baptizavit, hoc significatum est, quod Christus non per seipsum venit ad populum gentium, sed per apostolos suos, quia illis dixit (*Matth.* xxviii, 19) : *Ite, et baptizate omnes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* : et hoc attendendum est, quia Naaman, qui populum gentium figurabat, in illo fluvio sanitatem recepit, quem postea Christus suo baptismate consecravit. Quod audiens Naaman, ut lavaretur septies in Jordane indignatus est dicens (*vers.* 11, *et* 12) : *Nunquid non meliora sunt flumina regionis meæ, flumina Damasci, Abana et Pharphar, ut in ipsis laver, et munder? Hæc illo dicente consilium dederunt servi sui, ut acquiesceret prophetæ consilio.*

Quid autem hoc significet, intuendum est. [b] Sanctus Heliseus, sicut diximus, typum habebat Domini B Salvatoris : Naaman figurabat populum gentium; quod vero de suis fluminibus sanitatem se recepturum esse credebat; hoc indicabat, quod genus humanum de libero arbitrio, et de propriis meritis præsumebat : sed propria merita sine gratia Christi libertatem habere possunt, sanitatem recipere omnino non possunt. Unde nisi ad exemplum Naaman humanum genus consilium Helisei audisset, id est per Christi gratiam donum baptismatis humiliter excepisset, ab originali et actuali lepra liberari non posset. Sive aliter flumina Damasci, quarum aquas Naaman Syrus meliores aquis Jordanis esse opinabatur, hujus mundi significant sapientiam, quam populus gentium, priusquam fidem Christi perciperet, C pro magno habens, evangelica præcepta negligens, contemnebat. *Lavare*, inquit, *septies* dixit propter septiformem gratiam Spiritus sancti, quæ in Christo Domino requievit. Denique quando in eo fluvio Dominus baptizatus est, Spiritus sanctus in columbæ specie super eum venit.

Cum ergo in figura baptismi Naaman fluvio descendisset, *facta est*, inquit Scriptura (*vers.* 14), *caro ejus tanquam pueri parvuli.* Hanc similitudinem in populo Christiano compleri videmus, quia omnes qui baptizantur, sive senex, sive juvenis, omnes tamen infantes appellantur, quia per Adam et Evam veteres nascuntur, per Christum et Ecclesiam novi regenerantur. Prima generatio perducit ad mortem : secunda generatio perducit ad vitam. Prima generatio D filios iræ facit : secunda generatio vasa misericordiæ : sicut Apostolus dicit : *In Adam omnes moriuntur, in Christo omnes vivificabuntur.* Quomodo ergo Naaman senex septies lavando factus est velut puer, sic populus gentium cum esset peccatis veteribus senex, et multis iniquitatum maculis, velut lepra, perfusus, per gratiam baptismi ita renovatur, ut in eo, nec originalis, nec actualis lepra peccati remaneat, et qui fuerat criminum ponderibus curvus, ad exemplum Naaman, salutari lavacro renovatur, ut parvulus, et prima stola induitur. De qua Apostolus ait : *Quicunque in Christo baptizati estis,*

[a] *Aspirat.*

[b] Heliseum fuisse typum quemdam Domini Jesu, ut cæteros prætercam, expressissime tradidit Augustinus num. 11, alias cap. 9 sermonis 11 de verbis Apostoli [in nova serie 26].

*Christum induistis.* In emundatione Naaman Syri decima virtus ponitur Helisei. Denarius enim numerus consummationem, sive perfectionem demonstrat, quia in fine mundi Dominus legitur advenisse, in quo universis gentibus lepra infidelitatis adspersis salus cognoscitur attributa. Quod vero, posteaquam mundatus est Naaman, munera obtulit beato Heliseo, et ille accipere noluit, Christi in hoc gratia figuratur, quæ ideo gratia dicta est, quia gratis datur. Sic enim ipse Dominus in Evangelio discipulis suis dixit: (*Matth.* 10, 8) *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite; gratis accepistis, gratis date.*

Dixitque interea Naaman ad Heliseum: (*vers.* 17) *Obsecro, concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimas diis alienis, nisi Domino soli.*

Onus terræ duorum burdonum Incarnationis Christi prætendebat sacramentum, cujus mysterium uterque populus ex circumcisione videlicet et præputio, ob spem æternæ beatitudinis portare non renuit.

Post hæc refert Scriptura eadem, quod interrogavit Heliseus Giezi puerum suum. (*Vers.* 25) *Unde venis, Giezi? qui respondit: Non ivit servus tuus quoquam. Et ille ait: Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tuum? Nunc ergo accepisti argentum, et accepisti vestes, ut emas oliveta, et vineas, et oves, et boves, et servos, et ancillas: sed et lepra Naaman adhærebit tibi, et semini tuo usque in sempiternum.*

[a] « Si enim Propheta Heliseus puerum suum Giezi, absens corpore, vidit accipientem munera, quæ dedit illi Naaman Syrus quem propheta memoratus a lepræ deformitate mundaverat, quod servus nequam, domino suo non vidente, latenter se fecisse putaverat: quanto magis in illo corpore spiritali videbunt sancti omnia, non solum si oculos claudant, verum etiam unde sunt corpore absentes! Tunc enim erit perfectum illud, de quo loquens Apostolus ait: (1 *Corin.* 13, 9 *et* 10) *Ex parte*, inquit, *cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Deinde, ut quomodo posset, aliqua similitudine ostenderet, quantum ab illa, [b] quam facturus est, distet hæc vita, non qualiumcunque hominum, verum eorum qui præcipua hic sanctitate sunt præditi: *Cum essem* (inquit) (*ibid.* 11, *et* 12) *parvulus, quasi parvulus sapiebam, quasi parvulus loquebar, quasi parvulus cogitabam. Cum autem factus sum vir, evacuavi ea quæ parvuli erant. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* Si ergo in hac vita, ubi hominum mirabilium prophetia ita comparanda est illi vitæ, quasi parvuli ad juvenem, vidit tamen Heliseus accipientem munera servum suum, ubi ipse non erat: ita ne, cum venerit quod perfectum est, nec jam corpus corruptibile [c] aggravat animam, sed incorruptibile nihil impediet, illi sancti ad ea, quæ videnda sunt oculis corporis, quibus Heliseus absens ad servum suum videndum non indiguit, indigebunt? Nam secundum interpretes septuaginta, ista sunt ad Giezi verba Prophetæ: (*vers.* 26) *nonne cor meum* [d] *tecum, quando* [e] *conversus est* [f] *vir de curru in* [g] *obviam tibi:* [h] *et accepisti pecuniam*, etc. Sicut autem ex Hebræo interpretatus est Hieronymus presbyter: *Nonne cor meum*, inquit, *in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui?* Corde suo ergo se dixit hoc vidisse Propheta, adjutus quidem mirabiliter, nullo dubitante, divinitus, sed quanto amplius tunc omnes munere isto abundabant, [i] cum (1 *Corin.* 15, 18) *Dominus erit omnia in omnibus!* Habebunt tamen etiam illi oculi corporei officium suum, et in loco suo uterque erit illis spiritus per spiritale corpus. Neque enim ille Propheta, quia non eis indiguit, ut videret absentem, non eis usus est ad videnda præsentia; quæ tamen spiritu videre posset, etiam si illos clauderet, sicut vidit absentia, ubi cum eis ipse non erat. Absit ergo ut dicamus illos sanctos in illa vita, Deum clausis oculis non visuros, quem spiritu semper videbunt. Sed utrum videbunt, et per oculos corporis, cum eos apertos habebunt, inde quæstio est. Si enim tantum [j] potuerunt in corpore spirituali, eo modo utique etiam ipsi oculi spirituales, quantum possunt isti, quales nunc habemus, procul dubio per eos videri Deus non poterit. Longe itaque alterius erit potentiæ, si per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed ubique tota est. » Giezi minister Helisei, qui cupiditate argenti deceptus, pecuniam a Naaman Syro accepit, et post paululum lepræ contagione est percussus, Judæ proditoris typum gessisse non dubium est. Sicut enim Giezi ideo serviebat beato Heliseo, ut pecuniam posset adquirere, ita et Judas propterea adhæserat Domino Salvatori, ut fraudem faceret et terrenas divitias congregaret. Denique sic de illo in Evangelio scriptum est: (*Joan.* 12, 6) *Quia fur erat, et loculos habebat, et ea, quæ mittebantur, exportabat.* Nam Giezi, qui gratiam magistri potuerat promereri, sicut dominus suus consecutus fuerat beati Heliæ, cupiditate victus meruit in æternum crudeli lepra perfundi: Judas vero per amorem pecuniæ, et apostolatus gratiam perdidit, et laqueo vitam finivit: ac sic intelligimus omnes malos sacerdotes intra Ecclesiam intus in anima peccati lepra fuisse perfusos, qui contra dominica præcepta ministerium, quod

[a] Quæ pro more lineolis notata sunt, desumpsit Claudius ex Augustino hæc tradente capite 29 libri XXII *de Civitate.*

[b] *quæ futura est.*

[c] *Aggravabit.*

[d] Additur *erat.*

[e] *Reversus.*

[f] *Homo.*

[g] *In occursum.*

[h] Hæc desunt in editis.

[i] *Deus.*

[j] *Poterunt.*

gratis acceperunt, gratis non administrant : et pro omni opere, quod in Ecclesia gerunt, non futuram mercedem, sed præsentem quærunt retributionem.

Potest enim Giezi Judæorum populum figurari, qui eo tempore peccati lepra percutitur, quo ab eo gentium populus liberatur. Denique sic infideles Judæi in passione Domini clamaverunt : (*Matth.* 27, 25) *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Tunc enim peccati lepra perfundi meruerunt, quando super cœlestem medicum ore sacrilego clamaverunt : (*Joan.* 19, 15) *Tolle, tolle : crucifige eum.* Ergo eo tempore in illis remansit lepra, quo ad nos transiit gratia. Denique sic et Apostolus Paulus ad eos locutus est, dicens : (*Act.* 13, 46) *Vobis*, inquit, *oportuit primum loqui verbum Dei : sed quia vos indignos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Quando doctrina Apostolorum ad gentes transiit, tunc in miseris Judæis peccati lepra remansit.

(6, 4, 5.) Post hæc refert Scriptura, quod eunte beato Eliseo cum filiis prophetarum ad Jordanem fluvium, dum sibi ligna conciderent, ceciderit securis in aqua : et ille, de cujus manu corruit, clamaverit ad beatum Eliseum : (*IV Reg.* 6, 5) *Heu heu, et hoc ipsum mutuo acceperam.* Post hæc in loco, ubi securis illa ceciderat, Beatus Eliseus misit lignum, et natavit ferrum.

[a] « Dominus Jesus Christus, cujus figuram Eliseus gestavit, cum per præsentiam corporis sui Judæorum impietatem, tanquam infructuosam arborem succidere vellet, quia de illo Joannes dixerat : (*Matth.* 3, 10) *Ecce securis ad radicem arborum posita est.* Item interveniente passione, corpus illud velut manubrium deseruit, et in inferni profunda descendit. Quod in sepultura positum, ad vitam, tanquam ad manubrium suum spiritu redeunte surrexit. » Sive aliter : Eliseus namque typum habuisse Domini Salvatoris frequenter supra jam diximus. Sed in puero illo filio prophetæ, cujus securis de manu lapsa est, non incongrue Christus Dominus intelligitur : securis illa, quæ cecidit, Adam, sive totum genus humanum significasse videtur. Tenebat ergo filius prophetæ securem in manu sua : et Dominus ac Salvator noster humanum genus, quod creaverat in manu potentiæ suæ : sed quomodo securis illa de manu prophetæ, et in profundo corruit, ita et genus humanum cum de manu Dei omnipotentis per superbiam se excussit, cecidit in fluvium luxuriæ, et omnium peccatorum gurgite se submersit. Securis ergo illa in profundo jacebat, quia genus humanum in omnium criminum abysso, infelici ruina corruerat, sicut scriptum est : (*Psalm.* 68, 2) *Infixus sum in limo profundi.* Iterum (*ibid.* 3) *Deveni in altitudinem maris, et tempestas dimersit me.* Fluvius enim A ille, ubi securis cecidit, significat præterfluentem, et fugitivum, et descendentem in voluptatem, vel luxuriosum sæculi hujus cursum : fluvius enim a fluendo nomen accepit. Et quia omnes peccatores transitoriis voluptatibus inhærentes fluere dicuntur : ideo securis illa in fluminis limo jacebat oppressa. Veniens vero Eliseus, misit lignum, et natavit ferrum. [b] Quid est, lignum mittere, et ferrum in lucem producere? nisi patibulum crucis ascendere, et de profundo inferni humanum genus eripere : ac de omnium peccatorum imo per crucis mysterium liberare. Postquam vero natavit ferrum, misit manum Propheta, et recepit illud, et reddidit ad utilem usum domini sui. Ita et de nobis factum est, qui de manu Domini superbiendo cecideramus, per crucis lignum B ad manum vel potestatem Domini reddimur. Item moraliter : [c] « Ferrum in manubrio est donum intellectus in corde : lignum vero per hoc cædere, est prave agentes increpare. Quod nonnunquam dum fluxe agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem scientia non vitatur, ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur. Quam profecto intelligentiam ad hoc novimus dari, ut ante dantis oculos ex bona debeat actione restitui. Unde et recte is, qui ferrum amiserat, clamabat : *Heu, heu, Domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam :* habent enim hoc electi proprium, ut si quando eis in sua scientia furtiva vanæ gloriæ culpa subripitur, ad cor velociter redeant, et quidquid in se ante districti judicis oculos damnabile inveniunt, lacrymis inse- C quantur. Qui flentes non solum caute inspiciunt, quæ mala commiserunt, sed ex accepto munere quæ reddere etiam bona debuerunt : quia nimirum tanto se amplius peccatores sentiunt, quanto ex neglectis bonis, quæ agere poterant, debitores tenentur. Recte ergo, qui ferrum perdidit, clamabat : *Heu, heu, heu, et hoc ipsum mutuo acceperam*, ac si dicat : Illud per dissolutionem negligentiæ perdidi, quod ut per bona opera redderem, ex gratia creditoris acceperam. At nunquam Deus mentem deserit, quæ in peccatis se veraciter agnoscit. Unde et mox Eliseus veniens, lignum deorsum mittit, et ferrum in superficiem attulit : quia videlicet Redemptor noster, pie nos respiciens, cor peccatoris humiliat, et ei [d] qui amise- D rat, intelligentiam reformat, lignum mergit, et ferrum [e] levat, quia cor affligit, et scientiam reparat. Unde bene in alia translatione dicitur quod [f] *infregit lignum, atque jactavit, et sic ferrum sustulit*. Lignum namque confringere est, cor elatione conterere. Lignum ad ima jactare, est [g] elevatum cor in [h] cogitatione, ut diximus propriæ infirmitatis humiliare, atque illico ferrum [i] in superficiem redit, quia [j] adversum exercitationis pristinum intelligentia recur-

[a] Prior pars hujus explicationis ex Isidori commentariis in IV Regum desumpta est.

[b] Subsequentia videntur vetustam explicationem ex alio Scriptore desumptam proponere.

[c] Subsequentia tradidit Gregorius Magnus num. 9 et 10 alias cap. 5 libri XXII Moralium, eaque allegat etiam Paterius,

[d] *Quam.*

[e] *Relevat.*

[f] *Confregit.*

[g] *Elatum.*

[h] *Cognitione.*

[i] *Ad.*

[j] *Ad usum pristinæ.*

rit. Igitur quoniam donum intellectus, quod accipitur, vix cum tot difficultatibus custoditur, curandum valde est, ne otio torpeat, curandum ne in exercitatione operis vitio elationis evanescat : sancti namque viri minime exultant, cum cognoscunt quæ [a] faciunt : sed cum faciunt quæ [b] cognoverunt : et si intelligendo largiores congaudent munere largitoris, mœrentes tamen considerant debitum operis : ut videlicet actione persolvant, quod eis [c] prorogatum est in [d] cogitatione. Stultus namque est debitor, qui gaudens pecunias mutuas accipit, et tempus quo reddere [e] debet, non attendit. Moderatur autem lætitia accipiendi, quando solerti providentia etiam constitutum tempus reddendi cogitatur. »

(*Vers.* 8.) *Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, consiliumque iniit cum servis suis dicens : In loco illo,* B *et illo ponamus insidias* ; et reliqua. Rex Syriæ Samariam obsidens, diaboli gestabat typum, qui ante adventum Salvatoris Judæorum populum sua obsidione concluserat, cujus sævitiæ atque occultæ insidiæ, quas humano prætendebat generi, veri Elisei, hoc est Domini Salvatoris præscientia, atque virtute frustratæ sunt. Exercitus regis Assyriorum, qui ad capiendum Eliseum ab eo missus est, scribarum et pharisæorum habuerunt typum, qui instinctu diaboli ad persequendum *Deum* instigati sunt, et per virtutem ejusdem Domini et Salvatoris nostri, justo judicio obcæcati sunt : et rursum per misericordiam illius, pane verbi Dei sunt pasti, et aqua scientiæ refecti. Merito movet, quomodo potuerint Syri isti ire in Samariam, si tali C erant cæcitate percussi, ut omnino nihil viderent. Hac aurasia [f] et illi percussi sunt, qui quærebant ostium Loth : hoc enim modo sua calamitate turbati, amentes facti sunt, usque dum irent in Samariam, et ulterius Prophetam tali modo comprehendere non quæsiverunt.

(*V.* 24, *et seq.*) *Factum est autem post hæc congregavit Benadab rex Syriæ universum exercitum suum, et ascendit, et obsedit Samariam. Facta est autem fames magna in Samaria, et tamdiu obsessa est civitas, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis*, etc. Fames Samariæ illata inopiam significat verbi Dei, sive egestatem fidei, per quam diabolus D ante adventum Salvatoris Dei populum concluserat. Caput asini octoginta argenteis venundatum significat superbiam, quæ *initium est omnis peccati.* Per asinum enim, quod immundum est animal, omnia vitia diaboli præfigurasse non dubium est, quorum, ut dictum est, caput est superbia. Hanc reprobi omnes neglecto decalogo legis, atque ogdoada Evangelii, in qua imago est Dei, in cibum sibi maluerunt absumi, quam panem verbi Dei. Quarta vero pars A cabi stercoris columbarum, quod quinque argenteis emptum, in cibum sumi dicitur, hoc figurasse videtur, quod populus reprobus, relicta cultura Dei, atque quinque corporis sensibus subditus, per idolorum culturam, et simulationem, velut quodam fetore peccatorum pasti, diabolo satisfaciebant. Duæ mulieres, quarum una famis inopia coctum filium suum comedit, reprobam plebem ex Judæis significasse non dubium est, quæ omne bonum, quod in se originaliter habere potuit, inopia fidei consumpta consumpsit : alia vero, quæ in tale facinus consensum præbere renuit, electam plebem procul dubio figuravit.

(*Cap.* 7, 3.) *Quatuor ergo viri erant leprosi juxta introitum portæ, qui dixerunt ad invicem. Quid hic esse volumus donec moriamur?* etc. Quatuor leprosi, qui extra civitatem positi futuram Israeli [g] defensionem pronuntiant, illos indicasse videntur, qui ex populo Judæorum immunditiam peccatorum suorum prius cæteris confessi sunt, et ad tantam pervenire meruerunt gratiam, ut victum atque fugatum diabolum per victoriam crucis Christi cæteris annuntiarent. Quinque equos, qui in Samaria præ inopia famis tantummodo remansisse dicuntur, carnalem Judæorum populum sub quinque libris legis derelictum figurasse certum est. Dux ille, qui futuram frumenti abundantiam per Eliseum venturam audiens, credere noluit, scribarum atque pharisæorum gestavit figuram, qui fertilitatem fidei in Ecclesia divinitus collatam vidit, et quia credere noluit, ob hoc in impietate sua mortuus, a fidelibus conculcatus est.

(*Cap.* 8.) *Eliseus autem locutus est ad mulierem, cujus vivere fecerat filium dicens : Surge, vade*, etc. Mulier Sunamitis, quæ ob inopiam famis, consultu Elisei de Judæa ad terram Philistiim transivit, primitivam Ecclesiam, quæ per Apostolos ex circumcisione in Christo credidit, præsignavit. Quæ Ecclesia ob infidelitatem Judæorum atque inopiam verbi Dei, quæ illos obtinuit, revelante sibi divino Spiritu, ad populum gentium transmigravit : hæc enim in fine mundi, postquam plenitudo gentium introierit, ad priorem populum revertens, prædicante Elia, electos ex eadem plebe quasi pristinam patronorum suorum possessionem in proprio jure recipiet, et tunc omnis Israel salvus fiet.

(*Cap.* 11, 4.) *Anno septimo misit Joada, et assumens centuriones, et milites... præcepit illis, dicens... Tertia pars vestrum introeat sabbato*, etc. [h] « Quod ait Joiada pontifex sacerdotibus, et levitis in templo, et proferens Joas filium Azariæ, quem sex annis, quibus regnavit Athalia, clam nutriebat in templo : *Tertia pars vestrum introeat sabbato, et observet excubitum domus regis, tertia autem pars sit ad portam Seir, et tertia pars ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum. Custodietis excubitum domus*

[a] *Faciant.*
[b] *Cognoverant.*
[c] *Prærogatum.*
[d] *Cognitione.*
[e] *Debeat.*
[f] Num corruptus nonnihil sit locus iste, alii viderint. Codex habet : *has auras.*
[g] Arbitror *liberationem.*
[h] Explicationem loci hujus prorsus excepit Claudius a Beda 18, explicatione in libros Regum hæc tradente,

*Messa. Duæ vero partes e vobis omnes egredientes sabbato custodiant* [a]*, excubitum domus Domini circum regem, et vallabitis eum habentes arma in manibus vestris*, etc. Quæ ibidem dicta, vel facta commemorantur, melius intelliguntur, si de locis templi, in quibus actum est, latius aliqua replicentur. Templum quidem ipsum, exceptis porticibus, quibus omni ex parte sibi adhærentibus circumdabatur, habebat intra parietes (hæc est enim mensura prima, quam *verba dierum* nominant) sexaginta cubitos longitudinis, viginti autem latitudinis. Cujus omnis ambitus atrio tres cubitis alto erat circumdatus, habente introitum a parte orientis, cujus in libro Regum ita meminit Scriptura : (*III Reg.* 6) *Et ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, et uno ordine lignorum cedri*. Interius videlicet hoc appellans atrium, eo quod alia circa hoc exteriora sint facta. Porro in *verbis dierum* ita : (2 *Paral.* 4) *Fecit etiam atrium Sacerdotum, et basilicam grandem, et ostia in basilica, quæ texit ære*. Atrium videlicet Sacerdotum hoc nominans [b], quia nimirum ad hoc erat factum, ut ab ingressu templi cæteros arceret, solisque hoc Sacerdotibus licere designaret. Erat autem hoc idem atrium ab australi, occidentali et septentrionali parte vicinius muro templi. Porro ad ortum solis, unde et introitum per gradus habebat, in magnam se prolixitatem a templo protendebat, utpote quod in illa sui parte altare holocausti, in illa luteres bis quinos, in quibus hostiæ lavarentur, in illa mare æneum, in quo intraturi ad ministerium sacerdotes lavarentur : in illa Sacerdotum immolantium, et psallentium habebat choros levitarum. Circumdabatur autem hoc atrium undique versum a [c] longa æde præmaxima in quadrum, cujus interior paries (id est, qui templum a quatuor mundi partibus respiciebat) inferius erat per totum in arcubus constructus, ulterior vero firma soliditate fundatus. Et januas habens æreas, ut supra dictum, [d] memoravimus ; et ostia in basilica, quæ texit ære ; quæ etiam porticibus communita maximis, et opportunis erat discreta cœnaculis. Et rursum extra hanc ædem in gyro [e] altera simili schemate facta [f] : sed et tertia nihilominus circa illam eodem ordine facta per gyrum, interiora omnia longe, lateque circuibat : In hoc tantum a prioribus distans ædibus, quod orientalis, et septentrionalis ejus paries ostia minime habebat, eo quod uterque eorum ad muros pertineret civitatis. Hæc autem sunt atria, de quibus canitur in Psalmis : (*Psal.* 133 *et* 134) *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri :* et quoniam ipsa domus Domini in editiore loco constructa erat, fiebat, ut atria, quanto exteriora [g] fuerint, tanto altiores haberent parietes, utpote inferius fundamenta habentes, adeo ut ultima quadringentos in altitudine cubitos haberent, nec tamen æquandæ templi altitudini aliquantulum propinquarent. Quorum omnium in libro Paralipomenon (*Paral.* 28) ita generalis fit mentio : *Dedit autem David Salomoni suo descriptionem porticus, et templi, et cellariorum, et cœnaculi, et cubiculorum in aditis, et domus propitiationis, nec non et omnium quæ cogitaverat, atriorum et exedrarum per circuitum in thesauro domus Domini, et in thesauris Sanctorum*. Sed et Josephi Scriptura, (*Antiq.* 8. 3) vel pictura ab antiquis formata, plenius, quo sint hæc ordine facta, distinguit. His vero ita compositis, in Sancta Sanctorum summi tantum Sacerdotis erat semel in anno cum sanguine hostiarum ingredi ; in sanctuario ante oraculum Sacerdotes tantum purificati introibant. In atrio interiore Sacerdotes omnes, et Levitæ. Circa hoc atrium sub (dio) divo, vel si tempestas arcebat, in ædibus circumpositis viri Israelitæ ad orandum, sive ad audiendum verbum Dei [h] conveniebant. In tertio ordine atriorum stabant ad orandum mulieres Israeliticæ sub (dio) divo : vel si tempestas non sinebat, proxima circumpositarum ædium tecta subibant. Porro in ultimo ordine atriorum gentiles, qui ad orandum forte convenerant, intrabant. Ubi etiam post tempora dispersionis ii, qui de gentibus nuper advenerant Israelitæ, [i] diebus septem purificati, sic tandem, interiora sanctorum petebant. Quæ autem intra atria, vel in atriis erant pavimenta, lapide vario sunt omnia strata. Ita vero ostia in ædibus contra invicem posita erant, ut ii etiam, qui in ultimis consistebant, templum possent intueri. Erant autem sortes viginti quatuor, et Sacerdotum, et Levitarum, et Janitorum, qui per totidem septimanas sibi ex ordine succederent, sabbato nova turma intrante ad officium, et post Sabbatum ea, quæ proxima septimana ministraverat, domum redeunte. Sed hic pontifex proponit necessitatem augendi circa novum regem exercitus, et eos, qui intrandi septimanam habebant ordinem, suscepit, et illos, qui jam suam septimanam ministrando impleverant, ne abirent, retinuit. Qui alios quosque Levitas de cunctis urbibus Juda simul, et principes familiarum Israel, missis in hoc centurionibus Hierosolymam, congregaverat, ut *Verba dierum* narrant, (1 *Paral.* 23) quos educturus filium regis tali ratione distinxit, ut omnes, qui impleverant sabbatum, et egressuri erant, in duas divisi partes regem in interioribus atrii locis armati circumstarent : reliqua vero multitudo, id est qui non erant de stirpe Levi, exteriores atriorum januas contra furorem reginæ, si quid forte adversi moliretur, custodirent. Porro hic qui nuper ad sabbatum venerant Sacerdotes, Levitæ, et Janitores in tres divisi partes, domum regis, id est palatium, observarent : ne vel hoc regina collecto exer-

[a] *Excubias.*
[b] Edit. : hoc tantum habent : *quod ingredi Sacerdotibus licere designaret.* Præstat nostri codicis lectio.
[c] *Longe.*
[d] *Commemoravimus.*
[e] *Altare*.
[f] Factum.
[g] *Fierent* : sed fallitur.
[h] *Convenire solebant.*
[i] Deest in editis *diebus septem.*

situ contra regem, defenderet : Servarent et portam habitaculi scutariorum, per quam de templo ad palatium descendebatur, sicut infra [a] dicitur : duxeruntque regem de domo Domini, et venerunt per viam portæ scutariorum in palatium, et sedit super thronum regum, ubi etiam porta [b] Siref, et domus Messa, quæ cum porta scutariorum nominatur, esse videntur. Scutarios autem tutores [c] Regum appellat, testante libro Paralipomenon : (2 *Paral.* 12) quia cum Roboam scuta ærea pro aureis fecisse commemorasset, adjecit : *Et tradidit illa principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatii :* in quo videlicet libro distinctius hæc cuncta replicantur : *Tertia pars vestrum, qui veniunt ad sabbatum Sacerdotum, Levitarum, et Janitorum erit in portis; tertia vero pars ad domum regis, et tertia in porta, quæ appellatur Fundamenti; omne vero reliquum vulgus sit in atriis domus Domini, nec quisquam alius ingrediatur domum Domini, nisi Sacerdotes, et qui ministrant de Levitis : ipsi tantummodo ingrediantur,* [d] *qui sanctificati sunt, et omne reliquum vulgus observet custodias Domini. Levitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua,* etc.

(*Vers.* 12.) « Quod sequitur de eodem : [e] *Produxitque filium regis, et posuit super eum diadema, et testimonium,* in diademate insigne capitis regium : in testimonio designat decreta legis Dei, quibus quid agere rex debeat, et qualiter vivere, præcipitur. Denique in libro verborum dierum apertius : (2 *Paral.* 23, 11) *Et imposuerunt*, inquit, *ei diadema, dederuntque in manu ejus tenendam legem.* Et magnæ utique erat, salutarisque prudentiæ, ut per tyrannicæ, impiæque reginæ necem, succedente in regnum filio regis legitimi, cum ipso [f] regum habitu, simul disciplina legis Dei servanda committetur, et qui se prælatum populo regendo videret, ipse se regendum divinis legibus subdi debere meminisset. »

(*Cap.* 12, 13.) *Et non fiebat ratio his hominibus, qui accipiebant pecuniam,* etc. [g] « Quod instaurantibus templum Domini tempore præfati regis Joas dicitur : *Et non fiebat ratio his hominibus, qui accipiebant pecuniam, ut distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam,* devotionem ostendit eorum, de quibus sermo est, qui tantum studii in religione habuerint, ut nullus dubitaverit, quin pecuniam Domini sine alicujus fraudis suspicione tractarent : et hanc de ærario sublatam fideliter artificibus ad muniendam domum, prout singulis opus esset, offerrent.

(13, 20.) *Post hæc mortuus est*, inquit, *Eliseus, et sepelierunt eum. Latrunculi vero de Moab venerunt in terram ipso videlicet anno. Quidam autem sepelientes hominem viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulcro Elisei, quod cum tetigisset ossa Elisei : continuo revixit homo, et stetit super pedes suos.*

Latrunculi enim Moab figuraliter dæmones intelligendi sunt, qui ad incestum et omne opus execrabile vitiorum stimulis perurgent infelicium mentes. Qui vero mortuum sepeliebant, ii accipiendi sunt, qui, ut Apostolus Jacobus ait : (5, 19) *Impios et peccatores ab errore viæ suæ assidua exhortatione convertunt ad tramitem pietatis, et castitatis, animasque eorum salvantes a perpetua morte, cooperiunt multitudinem peccatorum.*

Sive aliter. Sepelientes mortuum, ac latrunculos fugientes illi merito appellandi sunt, qui pie vivere volentes in Christo, fugiunt, ac declinant vitia universa, atque peccata, quæ mortem videlicet operantur, corporaque in fontem projiciunt baptismi, in quo secundum Apostolum credentes *sepeliuntur cum Christo* (*Rom.* 6, 4. *Coloss.* 2, 12), ut per communionem corporis, et sanguinis ejus deinceps possint vivere cum Christo.

(14, 7.) *Ipse* (videlicet Amasias) *percussit Edom in valle Salinarum decem millia*, etc. Quod dicitur de Amasia rege Juda : *Ipse percussit Edom in valle Salinarum decem millia et apprehendit petram in prœlio, vocavitque nomen ejus* [h] *Jethel.* [i] « Vallis Salinarum erat, ubi sales faciebant, vel fœno videlicet salsuginis, ut multis in locis deciso, exsiccato et incenso, vel aquis puteorum sale fervefactis, et usque ad salis firmitatem coquendo perductis, vel alio quolibet ordine, quo sal fieri consuevit, in quo etiam loco Joab duodecim millia Idumæorum percussisse legitur. Nec prætereundum quod pro valle Salinarum vetus editio quasi nomen regionis [j] Gemela posuit. Petra autem civitas est Arabiæ nobilis in eadem terra Edom, quæ in libro Numerorum Recem dicitur, et ab Assyriis hodie usque sic appellatur. [k] Jecethel vero, quod Amasias victor ei nomen imposuit, interpretatur cœtus Dei, vel auxilium Dei, agente eo fideliter, ut perenni inderetur memoriæ, quod hanc, vel cœtus populi Dei, vel Deo adjuvante, ceperit. »

(14, 25.) *Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath* etc. [l] « Quod dicitur de Hieroboam rege Israel : *Ipse restituit terminos Israelis ab introitu Emath, usque ad mare solitudinis,* Emath, quæ nunc *Epiphania* dicitur, septentrionalis erat terminus Israelis : Mare autem solitudinis, quod hebraice dicitur *Araba,* mare mortuum designat, quod in longitudine per stadia DCXXX usque ad [m] Zoaras Arabiæ in latitudine per centum quinquaginta usque ad vicina Sodomorum [n] prætenditur. »

[o] *Et unaquæque gens fabricata est Deum suum,* etc.

[a] *Dicetur.*
[b] *Seir.*
[c] *Regis.*
[d] *Quia.*
[e] Hujus quoque, et subsequentis loci explicatio ex Beda desumitur. Ibidem, num. 20, et 21.
[f] *Regni.*
[g] Hæc pariter ex Beda desumpsit Rabanus.
[h] *Jectehel.*

[i] Hæc habet Beda quæstione 21, inter 30 quæstiones in libros Regum.
[j] *Gemelach.*
[k] *Jecthel.*
[l] Hoc pariter, et subsequens Beda desumpta sunt.
[m] *Zoaros.*
[n] *Progreditur.*
[o] 17, 29.

« Quod dicitur de his, quæ in Samariam a rege Assyriorum adductæ sunt, nationibus. *et unaquæque gens fabricata est Deum suum, posueruntque eum in fanis excelsis, quæ fecerant* [a] *Samariæ gens, et gens in urbibus suis, in quibus habitabant.* Viri enim Babylonii fecerunt *Sochoth Benoth :* Viri autem Cutheni fecerunt *Nergel.* Et viri de [b] Emetha fecerunt Asima. Porro Hevæi fecerunt [c] *Nebaaz,* et *Thartha.* In libro quidem locorum legitur, quod Benoth, et Nergel fuerunt civitates, quas construxerunt in regione Judææ Samaritani, qui de Babylonia transierant. Asima quoque oppidum quod ædificaverunt, qui ad eam venerant de Emath. Nebaaz etiam, et [d] Tartha civitates, quas Hevæi in eadem Judææ terra condiderunt. Videtur autem juxta consequentiam sermonis, etiam idolorum, quibus [e] hæ gentes prius in terra sua servierunt, hic posse vocabula intelligi, [f] quia cum dictum esset, *et unaquæque gens fabricata est Deum suum,* quasi ad expletionem sententiæ subjunctum est : *Viri enim Babylonii fecerunt Sochoth Benoth,* id est tabernacula *Benoth.* Et melius, ni fallor, faceret interpres, si Sochoth latine in *tabernacula* verteret, et nomen idoli *Benoth* absolute poneret : et sicut in sequentibus manifeste dicitur : (17, 31) *Hi autem, qui erant de Sepharvaim, comburebant filios suos igni Adramelech, et Anamelech diis Sepharvaim :* ubi ostenditur Adramelech, et Anamelech idola fuisse urbis Sepharvaim : ita videtur consequens, ut etiam *Nergel* Cuthenorum, Asima Emathenorum, Nebahaz, et Tharthac idola fuerunt Evæorum.

(18, 13.) *Anno quartodecimo regis Ezechiæ ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes civitates Judæ munitas, et cepit eas,* etc. Historia manifesta est, et interpretatione non indiget. [g] In verbis autem Rabsacis arrogantia consideranda est, quæ velut quædam contraria fortitudo imitatur consuetudinem prophetarum, ut quod illi solent in prologis ponere ; *hæc dicit Dominus,* quo auctoritatem et magnitudinem loquentis ostendant, iste nunc dixerit : *Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum.* Consideremus verba Rabsacis, [h] « ac primum quod dicit : [i] *Confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum,* falsum est : nulla enim narrat historia, quod Ezechias ad Ægyptios miserit, et Pharaonis auxilium postularit, quodque infert : (*vers.* 22) *Si responderis mihi, in Domino Deo nostro confidimus,* verum est : sed rursum jungit mendacium veritati, quod (*Ibid.*) *abstulerit Ezechias excelsa illius, et altaria :* hoc enim non contra Dominum, sed pro Domino fecerat, ut idololatria, et veteri errore destructo, juberet Dominum adorari in Jerusalem, ubi erat templum ejus. Quodque paucitatem obsessorum volens ostendere, (*vers.* 23) equorum duo millia pollicetur, quorum Ezechias ascensores præbere non posset, non de imbecillitate venit populi Judæorum, [j] qui equitandi carebat scientia, sed de observatione mandatorum Dei, qui per Moysen super regem præceperat Israel : (*Deuter.* 17, 16, *et* 17) *Non multiplicabit sibi equos, et uxores plurimas non habebit.* Ad id autem, quod dixerat : (*vers.* 22) *Si responderis mihi, in Domino Deo confidimus,* etc., callide, prudenterque respondit, se non sua voluntate, sed Domini venisse præceptis [k].

« Et dixit Heliachim, et cæteri ad Rabsacen : [l] *Loquere ad servos tuos Syra lingua, siquidem intelligimus eam,* etc. Accusatio Rabsacis Ezechiæ testimonium est, quod captis cunctis Judææ urbibus, confisus in Domino sit [m], dixeritque ad populum : (*II Par.* XXXII, 7). *Nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem, quæ est cum eo : multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo ; cum illo enim est brachium carneum : nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est nostri, pugnatque pro nobis. Et confortatus est,* inquit, *populus hujuscemodi verbis Ezechiæ.* Unde Rabsaces destruere vult quod ille construxerat, et loquitur ad populum : (*IV Reg.* 18, 29) *Non seducat vos Ezechias, et non vobis tribuat fiduciam super Domino Deo.* Rursumque adjiciens comminationem, et terrorem, ut (*vers.* 27) *comedant,* inquit, *stercora sua, et bibant urinam pecudum suorum* [n] *vobiscum.* Per quæ ostendit fame eos, et penuria, sitique esse capiendos, simulque illecebras jungit formidini, ut quos terrore non vicerat, repromissionibus et persuasione decipiat dicens : (*vers.* 31) *Facite mecum quod est utile.* Ergo sensus est : Facite (inquit) quod vobis prosit, et in benedictionem proficiat vestram. Sive hoc dicit : Benedicite regi Assyriorum, et laudate eum : et Dominum confitemini, ut præmia consequamini : et donec revertar de Ægypto, sive capta Lomna redeam, habitate in urbe vestra, et rebus vestris fruimini : postea autem : (*vers.* 32) *Veniam et transferam vos in terram, quæ similis est terræ vestræ.* Quidam putant terram eis Mediæ repromitti, quæ habebat terræ Judæ similitudinem, tam in situ, quam in frugibus. [o] Quodque infert : *Ubi est Deus Emath, et Arphad, et Sepharvaim, Ana, et Ava? Nunquid liberaverunt Samariam de manu mea?* Ostendit horum omnium civitatum, sive gentium diis servisse Samaritas, et quia non erant dii, sed idola, merito cultores vanitatis, ut decebat esse [p] submersos. Est autem Emath urbs Cœlesyriæ, quæ nunc *Epiphania*

[a] *Samaritas.*
[b] *Hemath.*
[c] *Nebahaz, et Tharthac.*
[d] *Tharthac.*
[e] *Hæc.*
[f] *Quod cum.*
[g] *Vers.* 19. *Hæc dicit Rex Magnus, Rex Assyriorum.*
[h] Hæc, quæ tradidit Claudius. Rabanus in locum *hunc* pariter tradidit.
[i] *An speras in baculo,* etc.
[j] *Quasi equitandi ignavi.*
[k] Vers. 25. *Nunquid sine Domini voluntate,* etc.
[l] Vers. 26.
[m] Vers 13.
[n] Vulgata legit : *Urinam suam.*
[o] Hactenus Rabanus : subsequentia præbet Beda quæst. 24, in libros Regum, et rursus Rabanus.
[p] *Subversos.*

dicitur : juxta [a] Emesan, ut supra monuimus. [b] Arphat urbs Damasci, quam expugnatam a rege Assyriorum etiam Hieremias scribit : (*Hier.* 4, 47) Sepharvaim, quod numero plurali *libros*, vel *litteras* sonat, nomen est locorum, de quibus Assyrii transmigrantes habitaverunt in Samaria, ut in locorum libris invenimus. Verum in Isaia hoc quoque vocabulum esse civitatis apparet, ubi aperte dicitur : (*Isai.* 36, 19) *Ubi est Deus urbis Sepharvaim?* tametsi pluraliter dictum, ut Thebarum, Athenarum. Pro Ana, et Ava vetus editio quasi unius urbis nomen [c] Ana, et Ava posuit. Et quidem in Hebræo ita scriptum est : verum quia syllaba *u*, quæ in medio nominis posita est, conjunctionem apud eos significat, potest etiam ita distingui ut dicantur Ane et Gave, ut Aquila transtulit, sive Anua et Avua, ut noster vertit interpres. »

(*Vers.* 36.) *Tacuitque omnis populus, et non respondit ei quidquam. Siquidem præceptum regis acceperant, ut non responderent.* [d] « Vere justus Ezechias agebat cuncta fideliter, et universa cum consilio : ideo enim jusserat blasphemanti Assyrio non respondere, ne eum ad majores blasphemias provocaret. »

(*Vers.* 37.) *Et ingressus est Heliachim, et cæteri cum eo ad Ezechiam scissis vestibus.* « Perspicua relinquentes, ea tantum, in quibus latens sensus est, disseramus. Scindit vestes, quia Rabsacen audierant blasphemantem. (*Cap.* 19, 1) Scindit et ipse rex vestimenta sua, quia peccatorum suorum, et populi esse credebat, quod Rabsaces usque ad portas Hierusalem venerit, et contra Dominum talia sit locutus. Pro regio ergo cultu obvolutus est sacco, et de palatio ad templum gradiens, Heliachim pontificem, et [e] Sobnam scribam; et (*vers.* 2) seniores de Sacerdotibus misit ad Isaiam filium Amos Prophetam. In quo regis consideranda est humilitas atque prudentia. Ipse pergit ad templum, principes populi, et senes sacerdotum non stolis Sacerdotalibus, sed ciliciis coopertos mittit ad Isaiam Prophetam filium Amos.

(*Vers.* 3.) *Dixerunt*, inquit, *ad eum : hæc dicit Ezechias. Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiæ dies hæc.* Tribulationis nostræ, correptionis Dei, blasphemiæ hostium, ponitque similitudinem parturientis mulieris, et dolentis, quod venerint filii usque ad partum, et vires non habet parturiendi. [f] « Hæc juxta litteram peccatis facientibus videmus, quia cum hostes irruunt, defensores [g] nostri præparantur, sed nullatenus ad præparata convalescunt. Scriptum namque est : (*Isai.* 11, 2) *Requiescet super eum spiritus consilii, et fortitudinis*, quæ utraque sibi necessario juncta sunt, quia neque virtus sine consilio esse utilis valet, neque consilium sine virtute. Quid igitur prosunt qui per consilium præparantur, dum ad prælium per fortitudinem non procedunt? Afflictus ergo, atque turbatus Ezechias rex loquitur dicens : *Dies tribulationis, et blasphemiæ dies iste, venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens.* Filii quippe usque ad partum veniunt, quando apta consilia usque ad desiderium efficiendi operis procedunt, sed virtutem non habet parturiens, quia dum infirmus quisque concipit consilia, hæc ad utilitatem aliquam per partum operis non producit. » Sequitur :

(*Vers.* 4.) *Si forte audiat Dominus Deus tuus universa verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum Dominus suus.* Non enim audemus Dominum omnium nostrum Dominum dicere, quo irascente tanta patimur : sed *tuum* dicimus Dominum, et hanc habemus ultionis fiduciam : quoniam vivens Deus blasphematur a cultore idolorum mortuorum.

Cumque venissent servi regis Ezechiæ ad Isaiam, prævenit eos Isaias : eodem enim spiritu, quo futura noscebat, etiam absentem regem audierat, et dicit quid respondere deberent domino suo humilitate mixta fiducia conscientiæ. *Dicite*, inquit, *Domino vestro*, qui vester est Dominus meus : etenim *Hæc dicit Dominus :* (*vers.* 6, 7) *Noli timere* verba, quibus non tu, sed ego sum blasphematus : *Ecce ego immittam ei spiritum, et audiet nuntium, et revertetur in terram suam, et dejiciam eum gladio in terra sua.* Ut duo pariter Ezechias, quæ optabat, audiret; se de obsidione, et periculo liberandum : et inimicum, iratumque regem in sua terra esse moriturum.

(*Vers.* 8.) *Reversus est autem Rabsaces, et invenit regem Assyriorum expugnantem* [h] *Lomna*, etc. [i] « Pugnasse autem Sennacherib regem Assyriorum contra Ægyptios, et obsedisse Pelusium, jamque extructis aggeribus urbe capienda, venisse Thracam regem Æthiopum in auxilium : et una nocte juxta Hierusalem centum octoginta quinque millia exercitus Assyrii, pestilentia corruisse; narrat Herodotus, [j] et plenissime [k] Berosus Chaldaicæ scriptor historiæ.

(*Vers.* 14, 15.) *Itaque cum accepisset Ezechias litteras de manu nuntiorum, et legisset eas, ascendit in domum Domini, et expandit eas coram Domino*, etc. Contra Sennacherib regis blasphemias, solita Ezechias arma corripuit, rursumque pergit ad templum, et epistolas ejus expandit coram Domino, au-

[a] *Aemesam.*
[b] *Arphad.*
[c] *Aneumgava*
[d] Rabanus, et subsequentia tradit ad litteram fere.
[e] *Soboam.*
[f] Hactenus Rabanus : subsequentia a Paterio, ideoque a Gregorio Magno desumpta sunt : sed locum Gregorii, quem allegat, Paterius non indicat.
[g] Edit., *vestri.*
[h] *Lobnam.*
[i] Rursus Rabanus hæc ipsa nos docet, qui tamen hæc tantum tradit : *Urbe capienda* [fortasse Urbi capiendæ]. *Venisse Tharacam Regem Æthiopum in auxilium narrat Herodotus.*
[j] *Lib.* II, *cap.* 141. Sed intermixtis fabulis.
[k] Destituimur prorsus his libris.

dacter Dominum deprecatus, et solum Deum asserit esse viventem, per quem idola intelligimus imagines mortuorum.

Misit (*vers.* 20) autem Isaias ad Ezechiam dicens : *Hæc dicit Dominus Deus Israel : Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum, audivi. Iste est sermo, quem locutus est Dominus de eo : sprevit te, et subsannavit te, virgo filia Sion : post tergum tuum caput movit, filia Hierusalem.* [a] « Quia tam audacter Ezechias Dominum deprecatus est, nec misit ad Isaiam, ut prius miserat, non ipse propheta pergit ad eum, sed mittit nuntios, qui ei dicerent verbum Dei super Sennacherib contra quem rogas, Domini ista sententia est. *Virgo filia Sion, et filia Hierusalem,* quæ ideo virgo appellatur; et filia, quia ex cunctis gentibus simulacra adorantibus, hæc sola conservat castitatem religionis Dei, et unius divinitatis cultum. *Subsannavit te atque despexit.* Et quæ, ne te ad majores blasphemias concitaret, *præsenti* non respondebat. *Post, te* abeunte, *movebit caput suum.* Certa de ultione, secura de pœna, et hæc locutus est : non contra me, sed contra Dominum superbisti, nec ipse per te, sed per servos tuos, ut major esset arrogantia blasphemantis. [b] *Dixisti enim quod in quadrigarum tuarum multitudine ascenderis in altitudinem montium, et juga Libani excelsa succideris.* Cedros atque abietes illius, quæ vel de cunctis gentibus metaphorice de principibus earum debemus accipere : vel Hierusalem, quæ interpretatur *Libanus ;* ut cedros ejus, atque abietes ad potentes quoque, et optimates, altitudinem vero summitates illius, saltumque Carmeli referamus ad templum. Quodque infert : *Ego fodi, et bibi aquam, et exsiccavi vestigio pedis mei, omnes rivos aggerum :* Hoc intelligi potest juxta historiam, quod pro multitudine exercitus omnia fluenta siccaverit, ut puteos sibi fodere sit compulsus : juxta translationem, quod omnes populos, qui sub aquarum nomine interdum scribuntur, suo vastaret exercitu.

(*Vers.* 25.) « *Nunquid non audisti quæ olim fecerim ? ex diebus antiquis ego plasmavi illud, et nunc adduxi : eruntque in columnam, collium pugnantium civitates munitæ. Et qui sedent in eis, humiles manu, contremuerunt, et confusi sunt quasi fenum agri, et virens herba tectorum, quæ arefacta est, antequam veniret ad maturitatem. Habitaculum tuum, et egressum tuum, et introitum tuum, et viam tuam ego præscivi, et furorem tuum contra me, insanisti in me, et superbia tua ascendit in aures meas.*

« Hæc ex persona Domini contra verba Assyrii sentienda sunt, quod ad blasphemiam ejus sic responderit Dominus. Num ignoras, quod hæc, quæ fecisti, mea feceris voluntate, et ego hæc futura prædixerim, ac per te facienda mandaverim ? Itaque quod olim decreveram, hoc est expletum tempore, ut colles, (id est principes) qui inter se pugnabant, et civitates munitissimæ me contrahente manum meam, nec solitum auxilium præbente eradicarentur, et contremiscerent, ac perirent, et compararentur non olivæ, et vineæ, fructuosisque arboribus, sed feno, et gramini, herbisque domatum, quæ frugibus impedimenta sunt, et ante marcescunt, quam ad maturitatem perveniant. Itaque sessionem, et egressum, et introitum tuum ante cognovi, et insaniam, qua contra me debacchaturus eras, prophetis vaticinantibus sum locutus; per quos olim dicturum esse te noveram. (*Isai.* XIV, 14) *In cœlum ascendam, super sidera cœli ponam thronum meum, eroque similis Altissimo.* Itaque furor tuus, et superbia tua pervenit in aures meas, et nequaquam te ultra portabo, ut intelligas quod potuisti, non tuis potuisse te viribus, sed meo arbitrio. Merebantur enim impiæ gentes; et [c] infructuosæ arbores, ut per te quasi securim, et serram meam succiderentur et caderent.

(*Vers.* 28.) « *Ponam itaque circulum in naribus tuis, et camum in labiis tuis,* ut blasphemantium ora constringam, et nequaquam ultra talia loqui audeas, frenumque injiciam labiis tuis, quod tuam ferociam domet, et te reducat in Assyrios.

« *Tibi autem* (*Ezechia*) *hoc erit signum. Comede hoc anno quæ repereris, et in anno secundo quæ sponte nascuntur. Porro in anno tertio seminate, et metite : plantate vineas, et comedite fructum earum.*

« Omnia hæc Propheta per nuntios ad Ezechiam loquitur, quid Sennacherib dixerit, quid ei Dominus responderit : non ad ipsum sermonem facit, ne forsitan dubitet ventura, quæ dicta sunt. Et idcirco illi maxime prophetæ apud populum sermonum suorum habebant fidem, quia non solum de his, quæ multa post sæcula futura erant, sed etiam quæ in continenti, et post non grande temporis spatium essent implenda, memorabant, et quod intra biennium, et rex Assyriorum interiret, et urbi Hierusalem securitas redderetur; *hoc erit,* inquit, *signum eorum, quæ futura pronuntio,* quod hoc anno es comedas quæ repereris : anno autem secundo quæ sponte nascuntur : in anno autem tertio, fugato jam Assyrio, et obsidione laxata, *seminate et metite : plantate vineas, et fructus earum comedite.* Siquidem [d] urbis hujus reliquiæ, quæ nunc hostili vallantur exercitu, et evasuras esse non credunt, tantam recipient rerum omnium abundantiam ac felicitatem, ut instar arboris alta radice fundatæ, pomis densissimis impleantur.

[e] « *Et quodcunque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum* Quid hoc loco radicum nomine, nisi latentes cogitationes accipimus, quæ in occulto prodeunt, sed in ostentatione operis per apertum surgunt ? Radicem ergo deorsum mittere, est cogitationem bonam in

[a] Subsequentia fere docet etiam Rabanus.

[b] Vers. 23. sed hic, et deinceps nonnihil differens a Vulgata interpretatio proponitur.

[c] Edit. *fructuosæ,* sed perperam.

[d] *Parvæ urbis reliquiæ.*

[e] Vers. 30. Hactenus etiam Rabanus : desumpta sunt subsequentia ex Paterio, ideoque ex Gregorio. Vide n. 81, alias caput 48, libri VIII Moralium.

abditis multiplicare, fructum vero sursum facere, A est efficacia operis recta, quæ cogitavit, ostendere. *Mittit ergo radicem deorsum, ut faciat fructum sursum.* Ac si aperte diceretur : in imis cogitatio nascitur; ut in summis retributio reddatur.

[a] «*De Hierusalem enim, et de monte Sion egredientur reliquiæ*, et implebunt terram Judæam, non suo merito, sed Dei misericordia, imo zelo quod adversus impios zelatus est populum suum. Quod autem ad extremum infert : (*Vers.* 34) *Protegam urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum :* illud significat, quod non merito suo, sed Dei clementia conserventur, imo patris eorum David memoria, in quo admonentur, et suæ negligentiæ, et illius fidei, atque justitiæ, et quod in tantum justitiam diligat Deus, ut etiam posteros B sanctorum hominum non suo merito, sed majorum virtute tueatur.

(*Vers.* 35.) «*Factum est ergo in nocte illa, venit Angelus Domini, et percussit* [b] *castra Assyriorum centum octoginta quinque millia.* De hoc quoque in Paralipomenon legitur : (*II Par.*. 32, 21) *Et misit Dominus Angelum, qui percussit omnem virum robustum, et bellatorem, et principem exercitus regis Assyriorum reversusque est cum ignominia in terram suam.* Centum octoginta quinque millia fortissimorum virorum ab uno Angelo una nocte cæduntur, et absque vulneribus occisorum mors sæva discurrit, excludens a corporibus animas Domini voluntate : et ipse rex Assyriorum idcirco servatus est, ut sciret potentiam Dei blasphemantia ora comprimere, C fieretque testis illius majestatis, quem paulo ante contempserat. [c] De talibus autem rebus agit omnipotens Deus multa per angelos, non ut ipse ab eis discat, sed ut ab illo ipsi per verbum ejus agant, aut nuntient sine corporali sono etiam quod voluerit, ab eo missi, ad quos voluerit, totum ab illo per illud verbum ejus audientes, id est in ejus veritate invenientes, quid sibi faciendum, quid, quibus, quando nuntiandum sit. [d] *Sed tamen non ex angelis homines beatificat, sed ex se ipso, sicut angelos.* [e] Nec aliqua ex aliquo tempore (vel ab angelis, vel ab hominibus) cognovit, ut nosset, sed futura omnia temporalia, atque in eis etiam, quid, et quando ab illo petituri fueramus, et quos, et de quibus rebus, vel exauditurus, vel non exauditurus esset, D sine initio præscivit. Universas autem creaturas suas, et spirituales, et corporales, non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit.

(*Vers.* 35.) *Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum,* [f] *et frendens abiit, et reversus est Sennacherib rex Assyriorum, et mansit in Ninive. Cumque adoraret in templo* [g] *Neesrach Deum suum, Adramelech et Sarasar, filii ejus, percusserunt eum gladio : fugeruntque in terram Armeniorum, et regnavit pro eo* [h] *Asorathan filius ejus.*

[i] «Cum enim rex iste reversus esset Niniven urbem [j] sedem regni sui, et adoraret in templo Nesrach Deum suum, quasi victoriam de hostibus reportaret, et delubrum idoli sui triumphans, et gratulabundus ingrederetur, contemptor veri Dei, in fano falsi numinis trucidatur. Nec angelico periit gladio, quod erat commune cum pluribus, sed parricidio filiorum, qui fugerunt in terram Ararath, in qua Scriptura Asorathan filium ejus, qui regnavit pro eo testatur misisse habitatores Samariæ, ne terra remaneret inculta. Ararath autem regio Armeniorum campestris per quam Araxis fluvius fluit, incredibilis est ubertatis, ad radices Tauri montis, qui usque illuc extenditur. Ergo et arca, in qua liberatus est Noe, cum liberis suis, cessante diluvio, non ad montes generaliter Armeniæ delata est, quæ appellatur Ararath, sed ad montes Tauri altissimos, qui *Ararath* imminent campis.

(*Cap.* 20.) *In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem et venit ad eum Isaias filius Amos, propheta, dixitque ei, hæc dicit Dominus : Præcipe domui tuæ : morieris enim tu, et non vives.*

«*Quem* (*Prov.* III, 12) *diligit Dominus corripit, et castigat omnem filium, quem recipit.* Ne elevaretur cor Ezechiæ post incredibiles triumphos, et de media captivitate victoriam, infirmitate corporis visitatur, et audit se esse moriturum, ut conversus ad Dominum flectat sententiam ejus. [k] Sed nulla, quæ in hoc mundo hominibus eveniunt, absque omnipotentis Dei occulto consilio fiunt. Nam cuncta Deus [l] futura præsciens, ante sæcula decrevit qualiter per sæcula disponantur. Statutum quippe jam homini est, vel quantum hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantum unumquemque adversitas feriat, ne electos ejus aut immoderata prosperitas elevet, aut nimia adversitas gravet : statutum quoque est [m] in æterna veritate, quantum in [n] ista vita mortali [o] unusquisque temporaliter vivat : [p] quia etsi annos quindecim Ezechiæ regi ad vitam addidit omnipotens Deus, tamen cum eum mori permisit, tunc eum præscivit esse moriturum. Qua in re quæstio oritur,

[a] Vers. 31. En iterum nos docet Rabanus.
[b] *In castris.*
[c] Hactenus quoque Rabanus; quæ sequuntur ad magnam partem excepit ab Augustino Claudius ; qui tamen nonnulla immutavit, ut in rem suam verteret. Consule, obsecro, quæ tradit Augustinus num. 22 [cap. 13] lib. XV de Trinit.
[d] 7. de Civit. *cap.* 30.
[e] Hæc prorsus excepit ex loco allegato libri XV *de Trinitate.*
[f] *Recedens.*
[g] *Nesroch.*
[h] *Asarhaddon.*
[i] Redit Rabanus.
[j] *Primam.*
[k] Hactenus Rabanus : subsequentia excepit Claudius a Paterio, ideoque a Gregorio hæc tradente n. 2 lib. XII. Moral.
[l] *Secutura.*
[m] Desunt verba hæc *in æterna veritate,* quæ ex nostro exemplari addi debent.
[n] *Ipsa.*
[o] Deest unusquisque.
[p] *Nam.*

quomodo ei per Prophetam dicatur : *Dispone domui tuæ, quia morieris tu et non vives* : cui mortui sententia dicta est, sed protinus ad ejus lacrymas est addita vita, sed per Prophetam Dominus dixit, quo tempore mori ipse merebatur. Per largitatem vero misericordiæ, illo eum tempore a morte distulit, quo ante sæcula ipse præscivit : nec propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur, nec dominica [a] instituta convulsa sunt, quia ut ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante sæcula præfixum fuit, atque spatium vitæ, quod inopinate foris est additum sine augmento præscientiæ fuit intus statutum. »

(*Vers.* 2.) *Convertitque Ezechias faciem suam ad parietem.* [b] « Quia ad templum ire non poterat, ad parietem templi, juxta quod Salomon palatium ex- B truxerat : vel absolute ad parietem, ne lacrymas suas assidentibus sibi ostentare videretur : [c] et ait : *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim in conspectu tuo in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te, fecerim.* Perfectionem cordis in eo nunc dicit, quod idola destruxerit, templi valvas aperuerit, serpentem æneum comminuerit, et cætera fecerit, quæ Scriptura libri Regum et Paralipomenon commemorat. *Flevitque fletu magno* propter promissionem Domini ad David, quam videbat in sua morte perituram. Eo enim tempore Ezechias filios non habebat : post tertium enim annum concessæ vitæ Manassem genuit. Ergo iste omnis est fletus, quia desperaverat Christum de suo semine nasciturum. [d] Plerumque enim justi aliquibus C necessitatibus afflicti sua opera coguntur fateri : sed cum eorum dicta injusti audiunt, hæc per elationem potius, quam per veritatem existimant prolata. Ex suis enim cordibus verba justorum pensant, et dici humiliter posse vera bona non [e] existimant. Sicut enim gravis culpa est, sibi hoc hominem arrogare, quod non est, sic plerumque culpa nulla est, si humiliter bonum dicat, quod est. Unde sæpe contingit, ut justi et injusti habeant verba similia : sed tamen cor semper longe dissimile. Et ex quibus dictis Dominus ab injustis offenditur, in eisdem quoque a justis placatur. Nam Pharisæus ingressus templum dicebat : (*Luc.* XVIII, 12) *Jejuno bis in sabbato : decimas do omnium quæ possideo.* Sed justificatus magis publicanus, quam ille exiit. Ezechias quoque rex D cum molestia corporis afflictus ad extremitatem pervenisset vitæ, in oratione compunctus dixit : *Obsecro, Domine : memento quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto.* Nec tamen Dominus hanc confessionem perfectionis ejus despexit, aut renuit, quem mox in suis precibus exaudivit. Ecce Pharisæus se justificavit in opere. Ezechias justum se asseruit etiam in cogitatione, atque unde ille offendit, inde iste [f] Domino placuit. Cur itaque hoc? Nisi quia omnipotens Deus singulorum verba [g] ac cogitationes pensat, et in ejus auribus superba non sunt, quæ humili corde proferuntur. »

(*Vers.* 4, *et* 5.) *Et factum est verbum Domini ad Isaiam dicens : Revertere, et dic Ezechiæ duci populi mei : Audivi orationem tuam : et vidi lacrymas tuas. Ecce ego sanavi te, die tertio ascendes templum Domini.* Vocatusque est Ezechias dux populi, et Filius David, cujus opera sectabatur, *fecerat enim rectum juxta omnia, quæ fecit David pater ejus,* et auditur ejus oratio : videnturque lacrymæ, *quoniam ambulaverat coram Domino, in veritate et corde perfecto,* et fleverat fletu magno, et quod placitum est in oculis ejus fecerat.

(*Vers.* 6.) *Et addam diebus tuis quindecim annos : sed et de manu regis Assyriorum liberabo te, et civitatem hanc, et protegam urbem istam propter me, et propter David servum meum.* [h] « Secundum quasdam causas futurorum moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad vitam, id utique faciens, quod ante constitutionem mundi se facturum esse præsciebat, et in sua voluntate servabat. Non ergo id fecit, quod futurum non erat, hoc enim magis futurum erat, quod te facturum esse præsciebat : tamen illi anni additi non recte dicerentur, nisi ad aliquid adderentur, quod se aliter in aliis causis habuerat. Secundum aliquas igitur causas inferiores jam vitam finierat, secundum illas autem, quæ sunt in voluntate, et præscientia Dei, qui ex æternitate noverat, quod illo tempore facturus erat, et hoc vere futurum erat, tunc erat finiturus vitam, quando finivit vitam. Quia etsi oranti concessum est, etiam sic eum oraturum, ut tali orationi concedi oporteret, ille utique præsciebat, cujus præscientia falli non poterat, et ideo quod præsciebat, necessario futurum erat. » Quindecim anni, qui ab ægrotatione, Ezechiæ regi, miserante Deo, ad vitam ei protelati sunt, mystice figurant, quia quicunque utriusque testamenti plenitudinem custodiunt, æternæ salutis præmium consequuntur, ac per legis consummationem, et Evangelii plenitudinem ad vitæ æternæ transeunt beatitudinem.

(*Vers.* 7.) *Dixitque Isaias : Afferte mihi massam ficorum. Quam cum attulissent, et posuissent super ulcus ejus, curatus est.* Ac per hoc non spernendam esse medicinam, quæ usu constet, et experimento, quia et hanc fecerit Deus. Post hæc ait Isaias : (*vers.* 9) *Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est. Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias : Facile est umbram*

[a] *Statuta.*
[b] En iterum Rabanus.
[c] Vers. 3. Adduntur hæc in vulgato Rabano : *aut recte juxta Jeremiam, ad cor suum, qui circum, id est parietem cor appellat, ut tota mente Dominum precaretur.* Alia nonnulla postea etiam adduntur, quæ a nostro exemplari absunt.

[d] Subsequentia docuit ex Gregorio lib. XII Moral. n. 36 Paterius.
[e] *Æstimant.*
[f] *Dominum placavit.*
[g] *A cogitationibus.*
[h] Hæc ex Augustino desumpta sunt, ea docente num. 28, cap. 17, lib. VI *de Genesi ad litteram.*

*crescere decem lineis, nec hoc volo, ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. Invocavit itaque Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.*

[a] « Idem nomen graduum, quod et linearum significat, id est distinctionem horarum, quas duodecim per diem in horologio notare solemus. Sive ut Hieronymus dicit, ita erant exstructi gradus arte mechanica, ut per singulos umbra descendens, horarum spatia terminaret. Erat autem hora diei decima, quando hæc regi loquebatur. Vis ergo, inquit, ut ascendat umbra decem lineis procedente sole super terram per boreales plagas usque ad orientem, [b] quod sub terram quotidiana consuetudine cursus sui erat facturus : an, ut revertatur umbra totidem gradibus, conversa retrorsum facie solis, ipsoque per australem plagam ad orientem regresso? At rex : *Facile est*, inquit, *umbram crescere decem lineis, nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus.* Vidit namque, quia majoris miraculi esse poterat si sol contrarium suo mori cursum ageret, quam si consueto processu incedens, tametsi multo altius, id est super [c] translatus ad orientem, quasi secundi diei mane, nulla interveniente nocte facturus advolaret. Nam et hoc qui in insula Thyle, quæ ultra Brittanniam est, vel in ultimis Scytharum finibus degunt, omni æstate diebus aliquot fieri vident; quia sol cætero orbi in occasu, et sub terra positus, nihilominus tota nocte supra terram appareat. Et quomodo a parte occidentis ad orientem humilis [d] redit, manifeste videatur, [e] donec tempore opportuno denuo toti orbi communi exortu reddatur : sicut et veterum historiæ, et nostri homines ævi, qui illis de partibus adveniunt, abundantissime produnt. Nunquam autem ii, qui interiora austri incolunt, vident solem per meridianas plagas ad orientem ab occasu redire.

Ut manifestiorem enim sensum legentibus faceret, quod signum, et præsentis temporis, et futuri typus erat, ut quomodo Sol revertebatur ad exordium suum, ita et Ezechiæ vita addita annos redderet, nobis quoque in hebdomade, et ogdoade viventibus, per resurrectionem Christi vitæ spatia protelentur. [f] « Vel certe decem gradus in descensu solis, temporum ordines sunt, per quos umbra figurarum Christi descenderat, et per quos iterum Sol justitiæ Christus post resurrectionem ascendit. Primus itaque gradus descensionis de Deo in angelo fuit : [g] in quo ad antiquos patres apparere dignatus est, quia *magni consilii nuntius erat.* Denique et ad

A Jacob sic loquitur. *Et dixit*, inquit, *Angelus Dei : Ego sum Deus cui unxisti titulum, et vovisti votum*, ut et Angelum, et Deum ostenderet. Secundus gradus descensionis in Patriarchis fuit, quia in *omnibus*, ut ait Apostolus, *ipse est operatus.* Tertius in legisdatione : quia et in lege ipse locutus est. Quartus gradus in Jesu Nave, qui populum in terram repromissionis introduxit. Quintus in Judicibus, quia eumdem populum per eos ipse regebat. Sextus in regibus Judæorum, quia in eis ipse regnabat. Septimus in Prophetis, quia per eos est nuntiatus. Octavus in Pontificibus, quia ipse summus Sacerdos est Patris. Nonus in homine. Decimus in passione. Per hos enim decem gradus, quos ipse per umbram legis priscæ Christus descendit, ac rursus post resur-
B rectionem suam Sol justitiæ Christus per eosdem gradus [h] rursum ascendit in cœlum, et omnem illam umbram legis veritatis radiis illustravit, obscura revelans, clausa reserans, et omnia tecta denudans. »

(20, 12.) *In tempore illo misit* [i] *Merodach Baladan rex Babylonis litteras, et munera ad Ezechiam : audierat enim quod ægrotasset Ezechias*, etc. [j] « *In tempore illo*; hoc est in eodem anno, quo hæc gesta sunt, quæ superius narrantur, misit Merodach filius Baladan rex Babylonis litteras, et munera ad Ezechiam, quia apud eos astrorum observantia est, stellarumque cursus longo usu, et exercitatione cognitus, quod et in Domini nativitate monstratur. Intellexerunt Solem reversum diei spatia duplicata,
C servire ei quem Deum solum [k] putabant : cumque causas hujus miraculi, rationemque perquirerent, fama per omnes gentes volitante, didicerunt propter ægrotationem regis Judæ etiam cursum signi clarissimi commutatum : quod etiam liber Paralipomenon plenissime testatur dicens : (*II Paral.* 32, 30) *Ipse est Ezechias, qui fecit in omnibus suis prospere quæ voluit. Attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerunt ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram, reliquit eum Deus, ut tentaretur, et nota fierent omnia, quæ erant in corde ejus.* Idcirco autem tentationi relictus est, quia post tantam victoriam, et Solis regressum, et congratulationem regni potentissimi, cor illius elatum est. Denique in eodem volumine scribitur :
D (*Ibid. vers.* 23) *Multi deferebant hostias, et sacrificia Domino in Hierusalem, et munera Ezechiæ regi Judæ : et exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus.* (*Vers.* 24.) *In diebus illis ægrotavit usque ad mortem : et oravit Dominum, et exaudivit eum, et dedit ei signum. Sed non juxta beneficia, quæ acce-*

[a] Quæ sequuntur ad hujus loci explicationem posita tradit Beda. [*Quæst.* 25 in libros Regum.]

[b] *Quæ subtus.*

[c] *Terras elatus.*

[d] *Redeat.*

[e] Verba hæc : *donec tempore opportuno denuo toti orbi communi exortu reddatur* desunt in editis.

[f] Quæ deinceps legis, ab Isidoro cap. 6 in libros Regum mutuatus est Claudius.

[g] Verba hæc : *in quo ad antiquos patres apparere dignatus est* in editis desunt : per errorem utique.

[h] *Sursum*, præstare videtur nostra lectio.

[i] Berodach.

[j] Pleraque in Rabano exstant. Claudius tamen nonnulla a Rabano fusius exposita paucioribus tradidit.

[k] Additur, *id est Solem.*

A *perat, retribuit, quia exaltatum est cor ejus, et factum est contra eum ira, et contra Juda, et Hierusalem.* Rursumque Scriptura sancta elationem cordis ejus dicit pœnitentia mitigatam, inferens : *et humiliatus est postea, eo quod exaltatum est cor ejus, tam ipse, quam habitatores Hierusalem; et idcirco non venit ira Domini super eos in diebus Ezechiæ.*

« (*IV Reg.* xx, 13, etc.) *In diebus illis Ezechias lætatus est in adventu legatorum Merodach Baladan :* quem patrem fuisse Nabuchodonosor Hebræi autumant, et in oblatione munerum, et congratulatione sanitatis suæ. *Ostenditque eis domum aromatum suorum, et thesauros argenti, et auri, et odoramentorum, et unguenti optimi, et omnes thesauros vasorum suorum : non fuit res, quam non ostenderit eis in domo sua et in omni potestate sua :* Unde iram Dei justissime merebatur, quod non solum thesauros suos, atque palatii, sed et templi ostenderet, quod certe fuit potestatis ejus, de cujus valvis aureas laminas ante jam tulerat.

« (*Vers.* 14.) *Intravit autem Isaias Propheta ad Regem Ezechiam.* Rursumque post corporis sanitatem, et signi magnitudinem, offerri videmus aliam occasionem superbiæ, quam ut prudens, et Dei cultor vitare debuerat, nec monstrare alienigenis divitias suas, quas Deo tribuente possederat, ex quo juxta leges quoque tropologiæ discimus, *non mittendas margaritas ante porcos, nec dandum sanctum canibus.* (*Matth.* vii, 6) Qui enim fidelis est, spiritu abscondit negotia, et quicunque hoc non fecerit, omnis virtus illius enervatur, (peritque) per id quod posteritas, amisso virili robore in muliebrem redigitur mollitudinem. Ingreditur ergo Isaias ad regem, et quasi nescius sciscitatur *quid dixerunt viri isti ? et unde venerunt ?* Duo interrogat, quid locuti sunt, et unde venerunt : ille ad unum respondit, altero prætermisso. (*Vers.* 14) *De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone.* Quod quanto terra longior sit unde venerunt, tanto iste rex gloriosior, propter quem venerunt : *Et venerunt,* inquit, *ad me,* qui debuerat dicere : *venerunt ad glorificandum Deum,* pro signi magnitudine de Babylone, quæ urbs in toto orbe potentissima est. Rursumque Isaias : *Quid,* inquit, *viderunt in domo tua?* Et ille respondit ex parte verum, *quod omnia viderint in domo illius, nec fuerit res, quam non ostenderit eis in thesauris suis,* sed alterum tacuit, de quo verebatur offensam : quod *ostenderit eis cuncta, quæ haberet in potestate sua :* haud dubium quoniam et templi supellectilem ostenderit : propter quæ Isaias Dei sermone profert sententiam : (*Vers.* 16) *Audi verbum Domini exercituum.* Veniet tempus, quando omnia hæc, quæ in domo tua sunt, et non tuo, sed patrum tuorum labore quæsita, in Babylonem transferantur, et de semine tuo fiant eunuchi in aula regis. Ex quo Hebræi volunt Danielem, Ananiam, Misahelem, et Azariam, qui fuerunt de regio semine, factos esse eunuchos, quos in ministerio Nabuchodonosor fuisse non dubium est. (*Dan.* i, 6, 7. *Hactenus etiam Rabanus. Reliqua docet Claudius.*) Eunuchos enim, id est abscissos, non negamus aliquos fuisse de semine regio in palatio regis Babylonis, juxta prophetiam beati Isaiæ, sed de Daniel et sociis ejus credendum nullo modo est : quia si essent, de pulchritudine corporis et aspectu illorum non timeret dux ille, (*Ibid. Vers.* 10) qui eos adhuc pueros erudiebat, quia species faciei solet deperire in pueris abscissis. Fuit autem consuetudo apud antiquos *eunuchos* vocare cubicularios et custodes palatii, qui uxores habebant, et abscissi corpore non fuerunt.

B (*Vers.* 19.) Dixitque Ezechias : *Bonum verbum Domini, quod locutus est : fiat tantum pax in diebus meis.* [a] In quo ab Hebræis reprehenditur, cur non sit imitatus bonitatem Moysis, qui locutus est ad Deum : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facies, dele me de libro quem scripsisti.* « [b] Quid hoc loco Prophetæ sententia contra Ezechiam regem, nisi arrogantium hypocritarum cogitationes suas in exquirenda hominum admiratione significat? Per omne enim quod hypocritæ faciunt, quia occultis cogitationibus laudes hominum requirunt, quasi radices scirpi in acervum petrarum mittunt : operaturi quippe laudes suas cogitant : laudati autem has secum taciti in cogitationibus versant : gaudent se præcipuos in humana æstimatione claruisse. Cumque

C inflati favoribus apud semetipsos intumescunt, sæpe mirantur taciti etiam ipsi quod sunt. Videri quotidie semetipsos altiores cupiunt, ac miris [c] inventionibus in opere excrescunt : quia sicut [d] virtutes omne vitium enervant, sic arrogantia roborat. Cogit namque mentem juvenescere, et contra vires valere, quia et quod negat vigor valetudinis, [e] imperat amor laudis. Unde et factis suis, ut diximus, arbitros inquirunt : si vero operi testes deesse contingant, narrant ipsi quæ gesserint. Cumque efferri favoribus cœperint, sæpe eisdem suis operibus, quæ [f] egisse se referunt, mentiendo aliquid adjungunt. Cum vero et vera dicunt, hæc dicendo aliena faciunt, quia quæsitis [g] remuneratis favoribus [h] a vera, et intima retributione vacuantur. In eo enim,

D quod bona sua patefaciunt, ostendunt malignis spiritibus, quasi insidiantibus hostibus, quæ prædentur. Horum ergo vitam, illa cunctis notissima Ezechiæ culpa figuravit. Qui postquam una prece, et sub unius noctis spatio, centum [i] octuagintaquinque millia hostium, angelo feriente, prostravit, postquam occasui proximum ad altiora cœli spatia solem reduxit : postquam vitam propinquante jam termino coarctatam in tempora longiora protelavit, susceptis Babylonici regis nuntiis bona omnia, quæ possidc-

[a] Pauca hæc rursus Rabanus tradit.
[b] Quæ sequuntur omnia Paterius, ideoque Claudius ex Gregorio desumpsit num. 81 et 82 lib. viii Moralium hæc tradente.
[c] *Intentionibus.*
[d] *Virtus humilitatis enervat.*
[e] *Impetet.*
[f] *Peregisse.*
[g] *Remunerati*
[h] *Ab eorum intima.* Præstat nostra lectio.
[i] *Octoginta.*

bat, ostendit, sed Prophetæ voce protinus audivit : *Ecce dies veniunt, et auferentur omnia quæ in domo tua sunt in Babylonem, et non relinquetur quicquam, dicit Dominus.* Sic nimirum hypocritæ, postquam magnis virtutibus excrescunt, quia cavere malignorum spirituum insidias negligunt, et celari in eisdem virtutibus nolunt, bona sua ostendendo, hostium faciunt, et prodentes subito amittunt quidquid diutius studentes operantur. Hinc per Psalmistam dicitur : (*Psal.* 77, 71) *Tradidit in captivitatem virtutes eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici.* Virtus quippe, et pulchritudo arrogantium, inimici manibus traditur, quia omne bonum, quod per concupiscentiam [a] laudum ostenditur, occulti adversarii viri mancipatur. Hostes namque ad rapinam [b] provocant ; quia suas eorum notitiæ divitias [c] denudant. Quousque enim ab æternæ patriæ securitate disjungimur, (per) in latronum insidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere deprædari formidat, abscondat necesse est bona, quæ portat. O miseri, qui affectantes laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus laborum : cumque se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt. Quos nimirum maligni spiritus, cum ad jactantiam provocant, eorum, sicut diximus, opera captivantes denudant. [d] Hinc est enim, quod per Evangelium veritas dicit : (*Matth.* VI, 3) *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Hinc est, quod de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur : (44, 14) *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Hinc Paulus ait : (*II Corin.* I, 12) *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Filia quippe regum Ecclesia, quæ in bono est opere spiritualium principum prædicatione generata, gloriam intus habet quia hoc quod agit, in ostentationis jactantia non habet. Gloriam suam Paulus testimonium conscientiæ memorat, quia dum favores oris alieni non appetit, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat. Occultanda sunt ergo quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus. »

(21, 1.) *Duodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, et quinquaginta quinque annis regnavit in Hierusalem. Fecitque malum in conspectu Domini juxta idola gentium, quas delevit Dominus a facie filiorum Israel. Conversusque est, et ædificavit excelsa, quæ dissipaverat Ezechias pater ejus : et erexit aras Baal, et fecit lucos, sicut fecerat Achab rex Israel, et adorabit omnem militiam cœli, et coluit eam. Et exstruxit aras in domo Domini, de qua dixit Dominus :* (*II Reg.* VII, 10) *In Hierusalem ponam nomen meum. Et exstruxit altaria universæ militiæ cœli in duobus atriis templi Domini. Et traduxit filium suum per ignem : et ariolatus est, et observavit auguria, et fecit* [e] *phytones, et aruspices multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, et irritaret eum.*

Hæc ergo omnia, id est sive auguratio, sive auspicium, sive quælibet immolatio, sive etiam sortitio, aut quicunque motus avium, vel pecudum, et inspectio quæcunque fibrarum, aut aliquid quod de futuris videatur ostendere, in operatione dæmonum fieri non dubito, dirigentium vel avium, vel pecudum, vel si fibrarum motus, aut sortium secundum ea signa, quæ docuerunt iidem dæmones observari ab his quibus artis hujus scientiam, tradiderunt ; a quibus omnibus is, qui homo Dei est, et in portione Dei numeratur, penitus debet esse alienus : nec aliquid in his habere commune, quæ occultis machinis dæmones operantur, ne forte rursus per hæc dæmonibus societur, atque eorum spiritu et virtute repleatur, et ad idolorum cultum denuo [f] reparetur.

Post aliquanta (*Cap.* XXII, 14) dicitur, quod *miserit Josias nuntios ad Holdam prophetissam, uxorem Sellum, quæ habitabat in Hierusalem in Secunda* propter librum legis divinæ, qui inventus fuerat.

« [g] Quid hoc sit, quod dicit, quod habitaverit in Secunda : in superiori parte [h] libri hujus scribitur de Rege Ezechia, *ædificavit quoque, agens industrie, omnem murum, qui fuerat dissipatus. Et exstruxit turres desuper, et forinsecus alterum murum.* Meminit hujus loci Sophonias dicens : (*Cap.* I, v. 10) *Vox clamoris ad portam piscium, et ululatus ad Secundam :* pro qua vetus editio quasi proprium nomen loci transtulit in [i] Masana. Masana quippe interpretatur Secunda. Quod ergo dicitur hæc prophetissa habitasse in Secunda, in secundi muri parte [j] intelligere debemus. »

(*IV Reg.* XXII, 18.) *Regi autem Juda, qui misit vos, ut consuleretis Dominum, sic dicetis : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Pro eo quod audisti verba voluminis, et perterritum est cor tuum, et humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, et habitatores ejus, quod videlicet fierent in stuporem, et in maledictum : et scidisti vestimenta tua, et flevisti coram me, et ego audivi, dicit Dominus : Idcirco colligam te ad patres tuos, et colligeris ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum* [k].

« Territus iste Dei comminationibus fleverat, et sua vestimenta consciderat, et fit omnium malorum

[a] *Laudis.*
[b] *Provocat.*
[c] *Qui denudat.*
[d] Multis interjectis addit subsequentia. Atque ex hoc quidem loco constat Claudium plane sequi Paterium, qui id ipsum agit.
[e] Pythones.
[f] Legendum arbitror *retrahatur.*
[g] Explicationem loci hujus Beda exhibet, quæst. 26.
[h] Id est II. Para. 32, 5. Et revera Beda, ex quo, ut diximus, desumpsit Claudius, hæc habet, *in libro Paralipomenon declaratur,* ubi scriptum est de præfato Rege Ezechia.
[i] *Masena.*
[j] *Intellige.*
[k] Quæ sequuntur tradidit Augustinus num. 16 et seqq. capp. 13. et seqq. libri *de Cura mortuorum.*

futurorum de præparata morte securus, quid ita requieturus esset in pace, ut illa omnia non videret. Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, ubi non vident quæcunque aguntur, aut eveniunt in ista vita [a] hominum. Quomodo ergo vident tumulos suos, aut corpora sua, utrum abjecta jaceant, an sepulta? quomodo intersunt miseriæ vivorum, cum vel sua ipsi mala patiantur, si talia merita contraxerunt: vel in pace requiescant, sicut huic Josiæ promissum est, ubi mala nulla, nec patiendo, nec compatiendo sustineant, liberati ab omnibus malis, quæ patiendo et compatiendo, cum hic viverent, sustinebant? Dixerit aliquis: Si nulla est mortuis cura de vivis, quomodo ille dives (*Luc.* XVI, 27), qui apud inferos torquebatur, rogabat Abraham patrem, ut mittat Lazarum ad quinque fratres suos nondum mortuos, et [b] agat cum eis, ne [c] veniant et ipsi in eumdem tormentorum locum? Sed nunquid quia hoc ille dives dixit, ideo, quid fratres agerent, vel quid paterentur, illo tempore, scivit? Ita illi fuit cura de vivis, quamvis quid agerent, omnino nesciret, quemadmodum est nobis cura de mortuis, quamvis quid agant utique nesciamus. Nam si nihil de mortuis curaremus, non utique pro illis Deo supplicaremus. Denique Abraham, nec Lazarum misit, et Moysen ac prophetas hic eos habere respondit, quos audire deberent, ut ad illa supplicia non venirent. Ubi rursus occurrit quomodo quid hic ageretur Abraham pater ipse nesciebat, ubi sciebat esse Moysen, et Prophetas, id est libros eorum, quibus homines obediendo, tormenta inferna vitarent. Denique noverat divitem illum in deliciis, pauperem vero Lazarum in laboribus [d] vixisse. Nam et hoc illi ait: (*Ibid.* 25) *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua: Lazarus autem mala.* Sciebat ergo hæc, quæ utique apud vivos, non apud mortuos, gesta fuerunt. Verum, non cum agerentur in vivis, sed cum eis mortuis potuit, Lazaro indicante, cognoscere, ne falsum sit quod ait propheta: (*Is.* 63, 16) *Abraham nescivit nos.* Proinde fatendum est nescire quidem mortuos, quid hic agatur, sed dum hic agitur: postea vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ sinuntur indicare, qui sinuntur etiam ista meminisse: et quæ illos quibus hæc indicant, oportet audire. Possunt et ab angelis, qui rebus, quæ aguntur hic, præsto sunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere, judicat, cui cuncta subjecta sunt. Nisi enim essent angeli, qui possent interesse, et vivorum, et mortuorum locis, non dixisset dominus Jesus: (*Luc.* XVI, 22) *Contigit autem mori inopem illum, et afferri ab angelis in sinum Abrahæ.* Nunc ergo hic, nunc illic esse potuerunt, qui hinc [e] illum, quem Deus voluit, abstulerunt. Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, et quos necessarium est ea nosse, non solum præsentia, vel præterita, verum etiam futura, spiritu Dei revelante, cognoscere. Sicut non omnes homines, sed prophetæ, dum hic viverent, cognoscebant, nec ipsi omnia, sed quæ illis esse revelanda, Dei providentia judicabat. Mitti quoque ad vivos aliquos ex mortuis, sicut e contrario (*II Corin.* XII, 2) Paulus ex vivis in paradisum raptus est, divina Scriptura testatur. Nam (*II Reg.* XXVIII, 15.) Samuel propheta defunctus [f] vivo regi Sauli etiam futura prædixit. Quamvis nonnulli, non ipsum fuisse, qui potuisset magicis artibus evocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem, illius existiment similitudinem figurasse. » Hæc per excessum idcirco protulimus, ut noverint homines æternam veritatem quærere, qui volunt salvari, a quo creati sumus, (*Acto.* XVII, 28) *in quo vivimus, per quem movemur et sumus.* Animas autem sanctas, eas esse credimus, et non humanis miseriis interesse, sicut dicit Isaias, qui erat filius Abrahæ, ad Deum (63, 16) *Tu, Domine, pater noster es: Abraham nescivit nos: et Israel non cognovit nos.*

« Post hæc sequitur historia de gestis Josiæ, ita dicens: (*Cap,* XXIII, 10) *Contaminavit quoque Topheth, quod est in convalle filii Ennon, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem Moloch* [g].

« Frequens est in Scripturis horum mentio locorum, maxime in libro Regum et Jeremiæ Prophetæ. Est autem vallis Ennon, sive filii Ennon, juxta murum Jerusalem contra orientem, in qua nemus pulcherrimum, Siloe fontibus irrigatur. Topheth autem [h] erat locus in eadem convalle juxta Piscinam fullonis, cujus meminit Scriptura, et juxta agrum [i] *Acheldemach*, qui usque hodie monstratur ad australem plagam montis Sion. Solebant autem in Topheth, quia locus erat amœnissimus, [j] hodieque hortorum præbet delicias, posita ara sacrificare dæmonibus, nefandoque igne suos consecrare liberos, sive holocaustum offerre, sicut in libro verborum dierum de Achaz rege scriptum est: (*Para.* XXVIII, 3) *Ipse est, qui adolevit incensum in valle Benennon, et lustravit filios suos in igne Benennon*: siquidem filium Ennon significat. Vallis autem Ennon hebraice dicitur [k] Gehenn, cujus nomine in novo testamento pœna inferorum gehenna cognominatur: quia nimirum, sicut in convalle Ennon, qui idolis servierunt, in ea, prophetis attestantibus, perierunt, ita peccatores ex his, quæ peccaverunt, æterna damnatione [l] puniuntur. Denique Hieremias cum referret præcepisse sibi Dominum, ac dixisse: (*Hier.* XIX, 2) *Egredere ad vallem filii Ennon, quæ est juxta in-*

[a] *Hominibus.*

[b] *Ageret.*

[c] *Venirent.*

[d] Additur *doloribusque.*

[e] *Illuc.*

[f] Edito: *vivo Sauli etiam Regi.* Præstat nostra lectio.

[g] Hæc omnia tradidit Beda, quæst. 27, 28, 29 et 30.

[h] In editis additur *sive Thaphet*: utrumque enim scribitur.

[i] Acheldana.

[j] *Unde usque hodie.*

[k] *Gehennon.*

[l] *Punientur.*

*troi um portæ fictilis*, paulo post dicit : *Et non vocabitur locus iste amplius Topheth, et vallis filii Ennon, sed vallis occisionis : et dissipabo consilium Juda, et Hierusalem in loco isto, et subvertam eos gladio.* (*Isa.* 30, 31) Isaias quoque manifestissime Topheth infernum appellat, cui eum perpetuum diaboli interitum sub nomine Assur describeret, dicens : *A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus : Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum*, statim quomodo, et ubi esset periturus subdit, dicens : *Præparata est enim ab heri Topheth a rege præparata, profunda et dilatata.* Pulchre ait, et *dilatata*, quia *Topheth* dicitur *latitudo : nutrimenta* inquit *ejus, ignis, et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Contaminavit autem Josias Topheth, vel ossa mortuorum ibi, sicut in sequentibus de aliis idolorum locis fecisse legitur, vel aliqua quælibet immunda dispergens, quatenus abominationi potius, quam delectationi aptus, omnibus, qui aspicerent, locus appareret.

« Quod sequitur de eodem rege Josia : (*v.* 11) *Abstulit quoque equos, quos dederant reges Juda Soli, in introitu templi Domini.* Et paulo post : *Currus autem Solis combussit igni*, ostendit [a] omnium gentium idololatriæ et superstitioni Judæos eo tempore fuisse mancipatos, ita ut in venerationem Solis, quem more Gentilium Deum esse credebant, simulacro ejus, quod fecerant, currus, equosque subdiderint, et hoc in atriis templi Domini. Sic enim solent gentiles pingere vel facere simulacrum Solis, ut puerum imberbem in curru ponentes, equos eidem, quasi curru cœlum petentes subjugent. Cui propterea pueri aptant imaginem, quia Sol, velut quotidie novo ortu natus, in nullum per sæcula senium incidit. Ut autem eidem currus et equos tribuant, de miraculo sumptum Eliæ prophetæ, quia curru igneo et equis igneis est raptus ad cœlum, Johannes Constantinopolitanus Episcopus æstimat. [b] Quia enim græce ἥλιος dicitur Sol, sicut etiam Sedulius, cum de Hæliæ ascensu caneret, ostendit dicens :

Quam bene fulminei præluceus semita cœli
Convenit Eliæ, merito qui et nomine fulgens,
Hac ope dignus erat! nam si sermonis Achivi
Una per accentum [c] mutetur littera, Sol est :

audientes Græci ab [d] Israelitis, quos divinas habere litteras fama prodebat, prædicari, quod Elias curru igneo et equis sit igneis ad cœlestia translatus : vel certe hoc ipsum inter alia depictum in pariete videntes, crediderunt vicinia decepti nominis, Solis hic transitum per cœlos esse designatum, et miraculum divinitus factum commutaverunt in argumentum erroris humana stultitia commendatum. Quos imitati ipsi Judæi satagerunt, ne in aliquo Gentilium stultissimis minus stulti parerent. »

[a] *Omni generi idololatriæ et superstitionis.*
[b] *Quod.*
[c] *Mutatur.*
[d] *Israeliticis.*
[e] *Affert.* Præstat nostra lectio.

Quod paulo post de eodem rege dicitur : (*v.* 13 *et* 14) *Excelsa quoque, quæ erant in Hierusalem ad dexteram partem montis offensionis, quæ ædificaverat rex Salomon Astaroth idolo Sidoniorum, et Chamos offensioni Moab, et Moloch abominationi filiorum Ammon, polluit rex, et contrivit statuas, et succidit lucos, replevitque loca eorum ossibus mortuorum.*

« Luce est clarius, quod excelsa nominare solet Scriptura loca in collibus posita frondentibus, in quibus vel dæmonibus immolabant, vel etiam Domino, locorum amœnitate allecti, contra interdictum, relicto altari, quod erat in templo, hostias offerebant. Unde sæpius in hoc libro de Regibus, qui minus perfecte justi fuere, dicitur : *verumtamen excelsa non abstulit. Montem* autem *offensionis* montem idoli dicit, quia nimirum consuetudinis est Scripturarum *offensionem*, idola nuncupare, quia vel in illis offenditur Deus, vel offensionum, et ruinam suis [e] afferunt cultoribus : sicut in hac ipsa sententia [f] subsequenter intimatur, dum dicitur : (*III. Reg*, XI, 7) *Quod ædificaverat Salomon rex Israel, Astaroth idolo Sidoniorum, et Chamos offensioni Moab : et Moloch abominationi filiorum Ammon.* Ubi hoc quoque, ni fallor, palam ostenditur, quod utinam non ostenderetur, quia videlicet Salomon de admisso idololatriæ scelere nunquam perfecte pœnituit. Nam si *fructus pœnitentiæ dignos faceret*, satageret ante omnia, ut idola, quæ ædificaverat, de civitate sancta tollerentur, et non in scandalum stultorum, quæ ipse, cum fuisset sapientissimus, erronee fecerat, quasi sapienter ac recte facta reliquisset. Meminit supra, et hujus loci Scriptura dicens : *Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos idolo Moab in monte, qui est contra Hierusalem, et Moloch idolum filiorum Ammon.* Nec videri debet contrarium, quod ibi mons, in quo facta sunt hæc idola, contra Hierusalem, hic in Jerusalem esse positus asseritur, quia nimirum in tanta erat urbis vicinia positus, ut ad ipsam pertinere, [g] et ipsam quoque sordibus, quæ in eo congerebantur, attingere videretur. »

(24, 14 *et* 15.) *Transtulit* (*Nabuchodonosor*) *omnem Jerusalem et universos principes ; transtulit quoque Joachim in Babylonem, et Judices terræ duxit in captivitatem de Jerusalem in Babylonem, et omnes viros robustos*, etc. Quod referens de Nabuchodonosor, quia transtulerit omnem Hierusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitus, decem millia in captivitatem, addidit Scriptura dicens : (*V.* 16) *Et omnem artificem et clusorem.*

« Hoc est quod supra eidem populo Israel Philistiim regnantes fecisse narrantur, cum dicitur : (*I Reg.* 13) *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel : caverant enim Philistiim, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam.* Sicut enim tunc illi caverunt, ne habentes fabros ferrarios He-

[f] *Subsequenti.* Præstat nostra lectio.
[g] *Et ipsa quoque sordibus, quæ in eo congregabantur, attaminare videretur.* Præstare videtur nostra lectio.

bræi, qui arma ad repugnandum facerent : ita nunc Chaldæi, [a] destructa Hierusalem et vastata omni terra repromissionis, [b] sategerunt, ut nullus in ea [c] remaneret artifex, nullus clusor, qui vel fœdata urbis mœnia componere, vel possit resarcire [d] diruta : quin potius quidquid apud gentem exterminatam, artis invenerant, totum in Babyloniam transferunt, ut vel ad nihilum ultra valeat, vel illius civitatis utilitatibus proficiat. Cujus tam deflendæ historiæ, quæ multum negligentiæ nostri temporis congruit, non opinor allegoriam esse reticendam. Constat namque, quia Hierusalem, et terra Israel civitatem Christi, id est Ecclesiam sanctam : Babylon autem, et Chaldæi, sive Philistæi civitatem diaboli, id est omnem malignorum, sive hominum, sive Angelorum multitudinem designat; servitque Israel Philistæis, sive Chaldæis, cum fideles quique nomine tenus in Ecclesia consistentes, cæterum ab immundis vel spiritibus, vel hominibus decepti, aut avaritiæ, aut luxuriæ, aut alteri cuilibet peccato mentis colla submittunt. Abducit autem Nabuchodonosor Hierusalem, et universos principes, fortesque exercitus decem millia in captivitatem, cum et magistros populorum, et eos qui invincibili animo Domino servire, ac decalogum legis fideliter in Dei ac proximi videbantur amore conservari, subito sive illecebris mundi, seu adversitatibus subacti, [e] aut majoribus polluunt se facinoribus, aut certe in hæresim declinando, apertæ apostasiæ [f] nomen incidunt. Arma vero, quibus contra diabolum repugnantes, libertatem a Deo nobis donatam defendimus, [g] quid sunt aliud, nisi eloquia Scripturarum, in quibus et ipsius Domini, et sanctorum ejus exemplis, quo ordine bella vitiorum superari debeant, luce clarius discimus? Sed Philistæi filios Israel fabris armorum privant, cum maligni spiritus animos fidelium a meditatione sacræ lectionis, sæcularia illis negotia inserendo, retardant : ne vel ipsi per hujus exercitium resistendi fiduciam sumant, vel alios forte, qui legere nesciunt, ad resistendum vitiis, exhortando aut corripiendo accendant. Tollunt fabros armorum, cum eos, qui sacra eloquia norunt, in tantum sceleribus obruunt, ut dicere bona, quæ [h] didicerint, prorsus erubescant. Transferunt omnem artificem et clusorem in Babyloniam de Hierusalem, cum eos, qui multifaria virtutum operatione pluribus prodesse, et civitatem Dei contra irruptiones tentationum munire solebant, a proposito deflectunt, atque ingenium, quod tuitioni sanctæ Ecclesiæ impendere debuerant, ad voluntatem potius regis vitiorum, dispensare

A compellunt. Quod si clusorem hoc loco, non ostiorum, sive murorum, sed auri potius, gemmarumque intelligere voluerimus, ad unum profecto, eumdemque spiritalis expositio finem respicit. Dictum quippe est de Sapientia : (*Prov.* xx, 15) *Quia aurum est, et multitudo gemmarum :* atque ideo clusores horum, non alios aptius, quam doctores intelligere valemus, qui quandiu recte vivunt, ac docent, in ornatum sanctæ civitatis industriam suæ artis impendunt. At si forte erraverint, quid nisi a rege Chaldæorum captivi Babyloniam transferuntur? Artificem et clusorem ab Hierosolymis Babyloniam transmigrare, est talentum verbi cœlitus acceptum in terra defodi, id est scientiam spiritualem ad peccatorum opera converti. »

Post hæc refert Scriptura, (xxv, 5, 6, etc.) quod B fugientem regem Sedechiam ab exercitu Chaldæorum, apprehensumque duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha, qui locutus est cum eo judicium : filios autem Sedechiæ occidit coram eo, et oculos ejus effodit, vinxitque eum catenis, et adduxit in Babylonem.

[i] « Dum Scriptura sacra Sedechiæ captivitatem narrat, ordinem captivitatis internæ denuntiat : Rex quippe Babylonis est antiquus [j] possessor intimæ confusionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat, quia sæpe sic bona opera interficit, ut hæc se amittere ipse, qui captus est, dolens cernat. Nam [k] gemit plerumque animus, et tamen carnis suæ delectationibus victus, bona, quæ genuit, amans perdit, et quæ patitur damna considerat, nec tamen C virtutis brachium contra regem Babylonis levat; sed dum videns nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc [l] quoque peccato superducitur, ut ipso quoque rationis lumine privetur. Unde Babylonis rex, extinctis prius filiis, Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus, post intelligentiæ lumen tollit, quod recte Sedechias in Reblatha patitur. Reblatha quippe, *multa hæc*, interpretatur. Ei enim quandoque et lumen rationis [m] claudetur, qui pravo usu ex iniquitatis suæ multitudine gravatur. »

[n] Sicut enim quarta die cœlum in initio creaturarum luminaribus ornatum exstitit, ita quarta ætate mundi Israeliticus populus cœlesti fide inclytus, a Prophetis, quasi a stellis illuminatus, reD gno David et Salomonis gloriosus, templi etiam sanctissimi altitudine, toto est nobilitatus in orbe. Sed accepit vesperam, quando, crebrescentibus peccatis, regnum illud a Chaldæis dissipatum, templum dirutum, et tota gens illa est in Babyloniam translata.

[a] *Vastata Jerusalem et omni terra.* Præstare videtur nostra lectio.
[b] *Satagunt.*
[c] *Remaneat.*
[d] *Dirupta.*
[e] *a :* præstat nostra lectio,
[f] *notam.*
[g] *Quæ.*
[h] *didicerant.*
[i] Subsequentia lineolis notata Paterius ex Gregorio desumpsit, ideoque etiam Claudius. Consule num. xxxvii, cap. 13, olim 16, libri vii Moral.
[j] Additur : *hostis.*
[k] *bona gignit.*
[l] *quandoque peccati usu.*
[m] *clauditur.*
[n] Quæ sequuntur lineolis minime notata in nullo vetusto scriptore inveni : Augustiniani tamen styli nonnihil habent.

[a] Quæ quarta sæculi ætas a David usque ad transmigrationem Babylonis, habet annos juxta Hebraicam veritatem quadringentos septuaginta tres [b] : juxta Septuaginta interpretes aliquid amplius. Generationes juxta utrosque codices septemdecim : quas tamen Evangelista Matthæus certi mysterii gratia, quatuordecim ponit, a qua juvenili ætate in populo Dei Regum tempora cœperunt. Hæc namque in hominibus ætas apta, ad gubernandum solet existere. Sedechias autem suprascriptus filius Josiæ regnavit annis undecim : hujus undecimo anno, regum autem Babylonis octavo, secundum dies lunares mense quarto, quinta die mensis, juxta solares vero dies, octavo kalendas Julii, luna quinta, quem illi quintum diem computant, feria septima, aperta est civitas, et ingressi sunt omnes principes regum Babylonis, possederuntque civitatem, et captivum transduxerunt populum in Babylonem. Et inde postea Nabuzardan princeps militiæ exercitus Babylonis mense quinto, decima die mensis lunaris, solaris vero quinto kalendas Augusti, luna decima, quam Hebræi decimum diem quinti mensis vocant, [c] destructi sunt muri civitatis, et templum pariter incensum, atque vastatum est, anno, ex quo fundari cœpit, quadringentesimo, et trigesimo. Si vero a me quæratur per quid sciam hoc : aut quomodo potuit hoc fieri, ut talibus diebus, vel comprehensa fuerit civitas, vel incensa : respondeo, quia ipso anno decimo kalendas Aprilis exstitit, secundum dies lunares, anni principium, et primi mensis initium. Jam ipsa in Babyloniam transmigratio, quo etiam per Hieremiam prophetam spiritus Dei jubet, ut pergant, et orent pro eis ipsis, in quorum regno peregrinantur, quod in illorum pace etiam pax esset istorum, et ædificarent domos, et novellarent vineas, et plantarent hortos, quis non agnoscat quid præfiguraverint, qui attenderit veros Israelitas, in quibus dolus non est, per apostolicam dispensationem cum evangelico sacramento ad regnum gentium transmigrasse? Unde nobis Apostolus tanquam Hieremiam replicans dicit : (*I Timoth.* II, 1) *Volo ergo primum omnium fieri deprecationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et his, qui in sublimitate sunt, ut quietam, et tranquillam*

A *vitam agamus in omni pietate, et castitate : hoc enim bonum, et acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire.* Ex hoc quippe etiam illis credentibus constructa sunt domicilia pacis, basilicæ Christianarum congregationum, et novellatæ vineæ populorum fidelium, et plantati horti, ubi etiam inter omnia olera granum illud sinapis regnat, sub cujus umbraculis longe, lateque porrectis, etiam altipetax superbia gentium, tanquam in cœli volatilibus confugiendo, requiescit. Nam quod etiam post septuaginta annos secundum ejusdem Hieremiæ prophetiam reditur ex captivitate, et templum renovatur, quis fidelis Christi non intelligat, post evoluta tempora, quæ septenarii dierum numeri repetitione

B transcurrunt, etiam nobis, id est Ecclesiæ Dei ad illam cœlestem Hierusalem ex hujus sæculi peregrinatione redeundum? per quem? nisi per Jesum Christum, vere Sacerdotem magnum, cujus figuram gerebat ille Jesus Sacerdos magnus illius temporis, quo templum ædificatum est, post captivitatem, quem propheta Zacharias vidit in sordido habitu, devictoque diabolo, qui ad ejus accusationem stabat, ablatam illi sordidam vestem, et datum indumentum honoris et gloriæ : sicut corpus Jesu Christi, quod est Ecclesia, adversario in fine temporum per judicium superato, a luctu peregrinationis in gloriam sempiternæ salutis assumetur. Quod etiam in psalmo dedicationis domus Dei apertissime canitur (*Psal.* XXIX, 12) : *Convertisti planctum meum in gau-*

C *dium mihi : conscidisti saccum meum, et accinxisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea, et non compungar.* Quis potest ex occasione alterius operis omnia, quæ in illis veteribus legibus, et Prophetarum libris figurate Christum annuntiant, quanta libet perstringere brevitate, nisi forte quis putet ingenio fieri, ut ea quæ rerum ordine sua tempora cucurrerunt, ad Christi significationes interpretando vertantur? Hoc forte Judæi possunt dicere, sive Pagani. Eis autem, qui se Christianos putari volunt, premit cervicem apostolica auctoritas dicens (*I Corin.* X, 6) : *Omnia hæc in figura contingebant illis.* Et hæc omnia figuræ nostræ fuerunt.

*Explicit tractatus libri Regum quartus.*

[a] Vide quæ tradit Augustinus cap. 43, libri XVI *de Civitate*.

D

[b] *Edit.* octuaginta tres.

[c] Hic aliquid deest.

# INCIPIT PRÆFATIO CLAUDII EPISCOPI.

Quia igitur jam fautore Deo, in superioribus libris quibusdam interrogationibus tuis satis factum esse puto, frater charissime Theutmire, nunc autem quasdam quæstiones tuas, in fine libri hujus connectere studemus, quia superfluum mihi visum est, ut nudas litteræ quæstiones inter spirituales permiscere debuissem allegoriæ flores. Quædam vero remanent indiscussæ, quia nec in antiquis translationibus aliquid exinde translatum reperi, nec in majorum nostrorum opusculis aliquid expositum legi. Et hæc me ignorare fateor, quia nec quidpiam me aliquid exinde legisse reminiscor. Et ideo de imperitia non erubesco, quia lectione non doceor; nec de periculo formido, quia, quæ non intelligo, docere non præ-

sumo. Et dum quæstiones tuas in manibus meis te- A nerem, finitis jam superioribus libris, ut respondendo aliquid exinde scriptitarem, pervenit ad manus meas epistola ex Aquis, regio directa palatio, qualiter tu librum tractatus mei, quem tibi ante biennium præstiti, in epistolas ad Corinthios, Episcoporum judicio, atque Optimatum damnandum, ad eumdem jam dictum palatium præsentari feceris. Quem tractatum ibidem non damnandum, sed scribendum, amici mei non solum [a] humiliter, sed etiam amabiliter susceperunt. Ignoscat tibi Dominus testis vitæ meæ, et largitor operis mei, qui non timuisti sermonibus detrahere veritatis, et sedens adversum me loqueris mendacium, et adversus filium matris Ecclesiæ posuisti scandalum, mortemque, quam Oza pro illicita præsumptione pertulit in corpore, (sic) B si ita vives, gestas in mente.

I.

(*I Reg.* I, 18.) De eo quod scriptum est : *Vultus ejus quoque non sunt amplius in diversa mutati :* ita a Septuaginta interpretibus scriptum habetur. *Et abiit mulier in viam suam, et intravit in hospitio suo* (id est adhuc in Sylo), *et manducavit cum viro suo, et bibit, et facies ejus non concidit amplius* : id est, quia postquam precem suam effudit ex toto animo in tabernaculo Domini, et dixit ad illam Heli sacerdos : *Vade in pace. Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam petisti a Domino*, confisa de Domini bonitate, et Pontificis oraculo, non anxia sicut antea, sed læta de Domini confidentia, reversa est in domum suam. Et hoc est quod dicit : *Et facies ejus non concidit amplius.* C

II.

(*Cap.* II, 18.) De eo quod scriptum est : *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini puer accinctus ephod lineo.* Ephod autem quod est in Exodo, (*cap.* XXV, 7) *super humerale* dicitur. Non autem omnes Sacerdotes talem utebantur super humeralem, qualem summus Pontifex, sicut Aaron, et posteri ejus, quod esset ex auro, et jacynto, et purpura, et cocco atque bisso. Aliud est enim ex supra dictis coloribus ex auro habere contextum, aliud in similitudine sacerdotum simplex, et lineum : hoc autem genus vestimenti, quod *super humerale* nos dicimus, scimus apud Hebræos *ephod* appellari, et solis convenire Pontificibus. Sed hic statim illud occurrit, D quod Samuel, qui Levita fuit, scribitur habuisse ætatis adhuc puerilis, ephod, id est superhumerale, lineum factum illi ab ejus matre. Non erat utique tale, quoniam cum datus est nutriendus adhuc puer, non erat summus Sacerdos. Sed hoc in libro formationum litteræ et spiritus, in tractatu, videlicet Exodi, quem ante aliquos annos exposuimus, sufficienter a nobis expositum est.

III.

(VI, 18.) Interrogatus etiam quid sit *Habel magnum* super quem posuerunt arcam Domini, quando reversa est de terra Philisthiim, quærens quæsivi cum multa diligentia in diversis translationibus, et non repperi *Habel magnum*, sed lapidem magnum, super quem imposuerunt arcam testamenti Domini [b].

IV.

(VII, 15.) Quæris et illud, quare de Samuel scribitur, quod *judicaverit Israel cunctis diebus vitæ suæ :* et in vita sua amiserit principatum. Judicium enim non semper ad dominationem, sed ad doctrinam pertinet. Et ideo judices *doctores populi* appellantur. Sicut Debora scribitur, quod (*Judith.* IV, 4, *et* 5) *judicaverit Israel ;* id est docuerit, et ideo Samuel judicavit Israel omnibus diebus vitæ suæ, quia viam mandatorum Dei docuit Israel, omnes dies vitæ suæ.

V.

(X, 2.) De eo quod scriptum est : cum unxisset Samuel Saul regem, ait ad eum : *Cum abieris hodie a me, invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel in finibus Benjamin salientes magnas foveas, et liberabis populum Domini de manu inimicorum ejus.* Magnæ foveæ significabant afflictionem, et dejectionem, atque tribulationem Israelitarum, quæ patiebantur ab Ammonitis, et Allophylis, et cæteris hostibus, qui in circuitu eorum erant. Duo vero viri transilientes eas, præsagium erant magnarum victoriarum, quas Dominus egit per manum Saul de Naas rege Ammonitarum, et Satrapis Philistinorum.

VI.

Quæris etiam cur Saul bis ungatur in regem, et David tertio, cum hoc non ita sit, ut Saul bis unctus fuerit, sed semel et David bis. David tamen legitur unctus esse a Samuele, (*I Reg. cap.* XVI, 13) primum in domo patris sui, (*II Reg.* V, 3) deinde post in Hebron super domum Judam, tertio in Hierusalem. David, qui interpretatur *fortis manu*, sive *desiderabilis :* figuram gestasse Domini Salvatoris, non dubium est. Qui quasi in domo paterna unctus est, quoniam tantum per legem, et Prophetas (*Psal.* LXXV, 2) *in Judæa notus erat, et Israel magnum ejus habebatur nomen.* Sed postea in Hebron super omnem Judam denuo unctus est, quoniam per prædicationem Evangelicam et Apostolicam, in universa terra admirabile factum est nomen ejus, id est in Ecclesia, ubi vera confessio fidei est, quia *Judas* interpretatur *confessio*. Tertio ungetur noster David, id est Dominus Jesus Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, in Hierusalem, id est in *visione pacis;* quando devicta morte (*I Cor.* XV, 54) *absorbebitur mors in victoria, et mortale hoc induet immortalitatem.* (*Apoc.* VII, 17, *et* 21) *Quoniam absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, et mors non erit ultra, neque luctus, neque clamor, sed nec dolor ullus. Sed erit Deus omnia in omnibus.* Hanc tertiam unctionem percipiet noster David, id est Dominus Jesus Christus, in corpore suo, quod est Ecclesia in fine sæculi,

[a] *humaniter*, ut puto.
[b] Rabanus *Abel magnum Urbem* esse ait *in termino Israel.*

(*I Cor.* XV, 24) *quando tradiderit regnum Deo, et Patri, et evacuaverit principatus* [a].

VII.

(*Cap.* XV, 1.) Quæris etiam, cum Dominus misisset Saul percutere peccatores Amalech, (*vers.* 6) cur pepercit Chineo, dicens post pauca : *Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto.* Et inde quæris quis fuerit *hic Chineus*, et ubi legitur, hanc fecisse misericordiam. Chineus dictus est *familia populi* descendens ex stirpe Hietro soceri Moysi, qui et alio nomine *Raguhel* dictus est : hi enim propter honorem Dei cœli, cujus mirabilia per Moysen cognoverunt, et ipsi per annos quadraginta in deserto viderunt. Circa quem desertum ipsi habitaverunt, et idcirco familiares, et benevoli, atque amici filiis Israel, populo videlicet Hebræo semper fuerunt, et ipsa a Samuele, Saul recordata est misericordia, quam filiis Israel, quando exierunt de Ægypto, exhibuerunt. De hac stirpe fuit [b] Aber Chineus vir sanctæ mulieris Jahel, (*Jud.* IV, 17) quæ in tentorio suo occidit Sisaram hostem filiorum Israel, ducem regis [c] Gabini.

VIII.

Inquiris adhuc cur Samuel Agag regi dixerit (*I Reg.* XV, 32) : *Siccine separat amara mors ?* Cum hoc non Samuel Agag, sed Agag occidendus Samueli dixerit. Verbum hoc, quod inquiris, quid sit *siccine ?* non natura sui in ipsa historia, sed interpretis voluptuositas fecit obscurum. Tale est enim, quod dicit : *siccine* : velut si diceret; sic separat, aut taliter separat amara mors ? Tale quod et in cantico Deuteronomii (XXXII, 5) scriptum reperitur, inter cætera ait : *Generatio prava, atque perversa, hæccine reddis Domino ?* dum in antiqua translatione decentius et clarius scriptum habetur : *Hæc Domino retribuisti, populus stulte et insipiens ?*

IX.

Addimus, et quod tu rogasti, quod non dixit Deus ad Samuel (XVI, 1) : *vade, et unge mihi David :* sed *vade, et unge mihi de filiis Isai*, etc., cur dubie, et non specialiter David nominavit? Ne scilicet pateretur David quod passus est Joseph (*Gen.* XXXVII, 5 *et seq.*). Sicut enim illi addiscentes futurum sibi olim regem, aut Dominum insidiati sunt, et post multas injurias vendiderunt, sic formidinis dandum erat, ne et isti hæc eadem perpetrarent, unde ignorantia cautelæ effecta est mater.

X.

(*I Reg.* XVII, 39, 40, *et* 49.) De eo quod scriptum est : quod David contra Philistæum pergens ad præliandum arma Saul portare noluit, sed quinque lapides de torrente in peram misit, tamen unum solum projecit : veniens enim David de pascuis ovium, postquam unctus est jussione Dei oleo benedictionis, ministerio quidem hominis, sed Dei nutu, quod superposuit capiti ejus cornu chrismatis omni diademate, et purpura potiorem [d], et sic perrexit habens

A divinam in capite unctionem, non lorica indutus, non protectus clypeo, non telis munitus, sed habens benedictionem Dei omnium potentiorem. Quod ergo opus erat, quia non credebat rex, coactus est jam virtutes exponere suas : Dixitque David ad regem (*I Reg.* XVII, *vers.* 34, 35 *et* 36) : *Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo, vel ursus, tollebatque arietem de medio gregis, et sequebar eos, et percutiebam, eruebamque de eorum ore prædam, et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos. Erit igitur et Philistæus hic incircumcisus, quasi unus ex eis.* Credidit rex signi magnitudine provocatus, et dixit ad David : *Induere armatura mea, et sic egredere.* Quod cum fecisset, juxta morem progredi non

B valebat, quia non permittebat hoc fieri Deus. Scilicet ut nudus vinceret, et non arma Saulis virtutem victoriæ partirentur : ne diceret rex, quoniam arma vicerunt mea, projecit arma, et induit fiduciam. Egreditur inermis, et loricatus fide egreditur pastor et miles : jactat lapidem non natura corporis fixus, sed virtute fidei, et uno rotatu fundæ in fronte percussit blasphemum : quo corruente cucurrit, et accepto gladio ejus amputavit caput illius, ut compleretur illud quod scriptum est (*Psal.* IX, 17) : *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Et sic in nomine Domini reportavit ex hoste victoriam : et abstulit in tempore illo opprobrium a filiis Israel. Quid tamen ista significant, in libro primo operis hujus ex dictis majorum nostrorum, ut Domi-

C nus dedit, et invenire potuimus, jam expositum est.

XI.

Jam nunc illud quod in priori parte operis hujus prætermisimus, quod nec tu interrogasti, paullisper proponendo aggrediar. *Quare dixerit Dominus* nimirum, præscius futurorum (*Actor.* XIII, 22) : *inveni David filium Jesse virum secundum cor meum : qui faciat omnes voluntates meas :* cum talia, et tanta homo ipse commiserit. Quod quidem si de ipso David, qui reprobato Saule, et exstincto, fuit rex Israel, dictum intelligamus, patet profecto, quia Deus præscius futurorum est, qui prævidit in eo tantam pietatem, tamque veracem pœnitentiam, ut esset in eorum numero, de quibus ipse dicit (*Psal.*

D XXXI, *vers.* 1) : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et q orum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Cum ergo præsciret eum Deus peccaturum, et peccata sua pia humilitate, et sincera pœnitentia deleturum, cur non diceret : *inveni David virum secundum cor meum*, cui non erat imputaturus peccatum, tam multa bona facienti, et cum tanta pietate viventi, et in ipsa pietate pro peccatis suis sacrificium contriti spiritus offerenti ? Propter hæc omnia verissime dictum est : *inveni David secundum cor meum*, qui licet *secundum cor suum*, non esset quod peccavit, tamen secundum cor suum

[a] Deest itaque solutio quæstionis, quæ respicit Saul.

[b] *Haber Cinæus.*

[c] *Jabin regis Azot.*

[d] *Potius*, ut arbitror.

fuit, quod pro peccatis suis congrua pœnitentia satisfecit. Hoc ergo solum in illo secundum cor non fuit, quod illi Deus non imputavit. Hoc itaque ablato, id est non imputato, quid remansit nisi unde verissime diceretur: *inveni David secundum cor meum?* Si autem hoc prophetice dictum de Christo velimus accipere, nullus nodus quæstionis occurrit. Nisi forte, ut quæratur a nobis quomodo Christum recte isto nomine vocare potuerit? Sed respondemus: propter *semen David*, ex quo carnem Christus assumpsit. Nec sine exemplo rationem hujus in Christo nominis reddidimus: invenimus quidem apertissime Christum Jesum, ac prophetam ab Ezechiel *David* esse appellatum, ubi legitur ex persona Dei Patris (xxxiv, 23): *Et suscitabo super pecora mea pastorem unum, qui pascat ea, servum meum David, et ipse pascet ea, et* B *ipse erit his in Pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum. Et servus meus David princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum.* Et alio loco: (xxxvii, 22) *Et rex*, inquit, *unus erit omnibus imperans, et non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna. Neque polluentur ultra in idolis suis, et abominationibus suis, et in cunctis iniquitatibus suis. Et salvos eos faciam de universis sedibus suis, in quibus peccaverunt: et mundabo eos, et erit mihi populus, et ego ero eis Deus. Et servus meus David rex super eos. Et Pastor unus erit omnium eorum.* Osee quoque propheta cum pronuntiaret tempus Judæorum quale nunc habent, et in Christum eos postea credituros, eumdem Christum David nomine C prophetavit dicens: (iii, 4) *Quoniam diebus multis sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine manifestationibus:* sicut nunc esse Judæum ambigit nemo. Sed quod ait Apostolus Paulus Gentibus loquens (*Rom.* xi, 30): *Sicut enim vos aliquando non credidistis Deo: nunc autem misericordiam consecuti estis in illorum incredulitate. Sic et ipsi nunc non crediderunt in vestra misericordia: ut et ipsi misericordiam consequantur:* hoc propheta iste tanto ante prædicens securus adjunxit (*Ose.* iii, *vers.* 5): *Et post revertentur filii Israel: et inquirent Dominum Deum suum, et David regem suum, et stupescent in Domino, et in bonis ipsius in novissimis diebus.* Ecce hic per David nomen, prophetatus est Christus, quoniam quando D ista prophetabantur, ille David rex Israel jam olim ante dormierat. Dominus autem Jesus ex ejus semine fuerat in carne venturus, propter quod prophetico loquendi modo appellabatur *David*. Videtur autem apostolus Paulus hoc testimonium ita posuisse in Actibus apostolorum, ut non nisi de illo rege David, qui Sauli successit, possit intelligi. Nam et inter cætera exinde inquit (*Act.* xiii, 22): *postulaverunt regem, et dedit illis Deus Saul filium Cis virum de tribu Benjamin in annis quadraginta, et amoto illo suscitavit illis Deus David regem. Cui et testimonium perhibens dixit: Inveni David filium Jesse virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Sed quoniam secutus adjungit, et dicit: *hujus Deus ex semine, secundum promissionem adduxit Israel Salvatorem Jesum*, altius significavit in Domino Jesu potius esse intelligendum illud testimonium, qui vere *facit omnes voluntates Patris Dei*, quam in illo rege David, qui licet secundum superiorem disputationem remissis peccatis propter piam quoque pœnitentiam non immerito dici possit *inventus secundum cor Dei*; tamen omnes voluntates Dei quomodo fecit? qui cum excellentissime laudaretur, quando ejus tempora, et facta, Scriptura narravit, notatus est tamen, [a] quod non destruxit excelsa ubi sacrificabat populus Dei contra præceptum Dei, quia tantummodo in tabernaculum testimonii sibi sacrificari jusserat, quamvis, et in iisdem excelsis eidem sacrificaretur Deo: quæ postmodum excelsa ex ipso David semine propagatus rex Ezechias cum testimonio magnæ suæ laudis evertit. (*IV Reg.* xviii, 4.)

XII

Interrogas quare Saul iratus dixit ad Jonathan filium suum: (*I Reg.* xx, 30) *Fili mulieris virum ultro rapientis:* has tales mulieres (qualem improperat Saul matrem fuisse Jonathan) græca lingua lupas, id est meretrices vocat, quod illa non fuit. Lupa meretrix dicitur a rapacitate vocata, et a libidine ejusdem animalis, quod ad se rapiat miseros, et apprehendat: inde, et *lupanaria* dicta loca, ubi meretrices sunt. In Septuaginta autem scriptum est: *et iratus factus est in iracundia Saul ad Jonathan valde, et dixit ei: filius puellarum, qui se ultro coinquinant:* quod tantumdem valet quam et illud quod supra scriptum est.

XIII.

(xxi, 1.) Perquiris cum David fugeret ante Saul, et venit ad Abimelech sacerdotem, et quæsivit ab eo panes: et respondit sacerdos non *habere se panem, nisi panem sanctum, qui sublatus fuerat de altari*, quem non licebat comedere nisi solis sacerdotibus, et sciscitatus est eum, utrum pueri mundi essent, maxime a mulieribus, quo respondente: *si de mulieribus agitur, ab heri, et nudius tertius continuimus nos, et fuerunt vasa puerorum sancta.* Vasa puerorum dixit *sancta*, id est a mulieribus castas mentes, vel corpora, quia multis locis in veteri populo *sanctificatio* pro abstinentia mulierum, solet appellari, ut est illud in Evangelio (*Joan.* xi, 55): *Ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante diem festum paschæ, ut sanctificarent se ipsos:* id est ut mundi essent a mulieribus in solemnitate paschali. Quod vero sequitur: porro via hæc *polluta est*, non dixit de via pedum, vel plateis regionis, sed de ista vita mortali, quæ revera via est, in qua non est justus, qui faciat bonum, et non peccet, et ubi inter sanctos nemo immaculatus. De qua via orat propheta dicens: *Viam iniquitatis amove a me.* Et iterum: *gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ut non dominetur mihi omnis injustitia.* Deinde sequitur

[a] III Reg. ii, 2, et 3: tamen nondum ædificato templo, vetitum minime arbitror in excelsis sacrificare vero Deo. Sunt etiam, qui ad Salomonem referant, quod Claudius de Davide ait.

*sed et ipsa in vasis meis sanctificabitur hodie* : ac si A aperte dicat, qui a mulieribus casti ab heri, et nudius tertius fuimus, accepto sancto pane vitam nostram in castitate salutem, vel tot diebus, et multo amplius custodiemus.

XIV.

(XXIII.) Sequitur de Ceila civitate nimis stolida interrogatio tua, eo quod eam expugnasset David, si aliud nomen habuisset, annon, cum eam David non expugnavit, sed obsessam, atque expugnatam ab hostibus liberavit. Et dicis te minime recordari, quod de hac civitate mentionem faciat Scriptura divina, nisi in propheta Isaia, ubi legitur : *Væ Ceila civitas, quam expugnavit David;* quod omnino falsissimum est, cum in Isaia propheta scriptum sit (XXIX, 1) : *Væ Arihel Arihel, civitas,* B *quam expugnavit David;* et intelligitur hoc dixisse de terrena Hierusalem. Ceila supradicta civitas fuit in tribu Juda, ubi quondam sedit David, quando fugiebat Saul : et nunc est, ut in *Locorum* libro legimus, *Villa Ceila ad orientalem plagam Eleutheropoleos pergentibus Hebron, quasi in octavo milliario, in qua sepulcrum monstratur Abacuc prophetæ* [a].

XV

Quod vero inquiris de montibus Gelboe, qui maledicti sunt a David in morte Saul, utrum juxta litteram stare possit, annon? Exaggerantis animi, et nimii doloris verba sunt, quod juxta litteram stare non potest, *ut ibi ros, aut pluvia postea non fuerit;* quid tamen ista significent, in priore parte C operis hujus, jam expositum est.

XVI.

(*II Reg.* 5. 6.) Quod vero dicit : *Abiit rex, et omnes viri, qui erant cum eo in Hierusalem ad Hiebusæum habitatorem terræ.* Nomen Hierusalem per anticipationem hoc loco dicitur, sicut et in libro Judicum scribitur (*cap.* 1. 7. 8.) Adonibezech rex Hierusalem, [b] quæ nunc [c] *Hiebus*, et usque ad tempora David taliter nuncupata est, sed scriptor historiæ per anticipationem *Hierusalem*, et *Sion*, civitatem David voluit nuncupare, non quod tunc hoc esset, sed quod factum est, post quam eam cepit David. Hiebusæus autem dictus est populus ortus a filio Chanaan (*Gen.* 10. 15. *et* 16.), qui di- D ctus est *Hiebusæus*, cujus possessio fuit Hierusalem, quæ postea cecidit in sorte tribus Benjamin. Deinde sequitur Scriptura; quod dictum sit David ab eis (id est ab Hiebusæis) (*II Reg.* V, 6) : *Non ingredietur David huc :* cum enim forti murorum ambitu septa civitas esset, et bellatorum auxilio roborata, per superbiam Hiebusæi dixerunt : *Nisi abstuleris cæcos, et claudos, non ingredieris huc;* et sensus, vel ordo verborum est, quia non solum urbem, aut viros bellatores jure belli poteris capere, sed nec ipsos cæcos, vel claudos in muro positos poteris expugnare.

XVII.

(*II Reg.* 5. 7.) De eo quod scriptum est : *cepit autem David arcem Sion*, sed postquam eam David cepit, ædificavit arcem ejus, quasi corporis caput, et vocavit eam *Sion*. [d] Arx est caput, et summitas civitatis, quia castrum in capite civitatis propter fortitudinem factum est.

XVIII.

(VIII. 16.) De eo quod scriptum est : *Joab autem filius Sarviæ erat super exercitum : porro Josaphat filius* [e] *Ailad erat a commentariis : et Sadoch filius Achitob, et Achimelech filius Abiathar, Sacerdotes erant : et Sarajas scriba : Banajas autem filius Joiadæ super Cerethi, et Pheleti : filii autem David Sacerdotes erant.* Addis post hæc, et interrogas : qui erant Cerethi et Phelethi, vel filii David quomodo essent *Sacerdotes, cum non essent de tribu Levi?* Tradunt Hebræi, quod Cerethi et Pheleti fuerint ex posteris eorum, de quibus dixit Dominus ad Moysen (*Num.* XI. 16) : *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint, ac magistri, et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam, et loquar tibi, et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris.* Ex horum stirpe, sicut jam dixi, fuere conservatæ posteritates, vel familiæ, quæ dicerentur Pherethi et Cerethi : ut Cerethi interpretentur *dans judicium*, et Phelethi *puniens :* ut quos illi jubebant dando judicium, interimi, isti punirent. Sed illa occurrit perplexa valde sententia, quomodo filii David sacerdotes essent, quod erant filii Aaron; sed neque aliquam consanguinitatem dicuntur habere ex tribu Levi; quod quidem non Scripturæ divinæ auctoritas, sed interpretis temeritas fecit. Et dum de hac ego ipse vehementer in meo dubitarem corde, verti me ad antiquos interpretes, et taliter diversis translationibus scriptum reperi : *Et erat David faciens judicium, et justitiam in omni populo suo, et Joab filius Sarviæ erat super militiam, et Josaphat filius alius erat a commentariis, et Sadoch filius Achitob, et Achimelech filius Abiathar erant sacerdotes; et Asa scriba, et Banaias filius Joadæ consiliarius, et Ochibi, et Ophilit, et filii David principes erant aulæ regiæ.*

XIX.

(*II Reg.* 18. 18.) Quæris quare de Absalom Scriptura dicat post mortem ejus, *quod erexit sibi titulum dicens : non habeo filium :* cum in hoc libro super scriptum habeatur, (14. 27.) quod tres habuerit filios, et (*ibidem, et* 13. 1.) unam filiam nomine Thamar eleganti forma. Recapitulando enim

[a] An tibi hæc satisfaciunt, optime Lector ?
[b] Expressissime id traditur Jos. 18. 29.
[c] Jebus, quæ est *Jerusalem.*
[d] Scriptum inveni *Archis;* num per inscitiam Amanuensis, an potius, quia vox ea displicuit Claudio? Viderit Lector. Si vis, retine vocem *Archis.*
[e] *Ahilud.*

hæc scriptor historiæ hujus, post mortem videlicet Absalon, ista recapitulavit. Non quod tunc factum fuerit, sed quod factum olim fuerat, antequam filios haberet, et quia desperaverat se posse habere filios, idcirco in modum Capitolii titulum nominis sui erexerat. Quem, sicut Scriptura dicit, appellavit *manus Absalon*. Congruit huic assertioni nostræ antiqua translatio, quæ dicit, quod *cum adhuc viveret Absalon, statuerit stellam manu factam in valle regis, quoniam dixit, non est mihi filius, ut commemoret nomen meum, et vocavit eam stellam* (id est statuam illam, quam fecerat in nomine suo) et nominavit hanc *stellam : manus Absalon usque in hodiernum diem*. Stellam diminutivo vocabulo pro statua posuit, quasi statuellam, vel staturellam, super opus Capitolii, quam superius titulum nominavit.

XX.

[a] Quæris adhuc cur inter numerum fortium David scribatur de uno quolibet eorum, hæc, vel alia fecit, sed *usque ad tres non pervenit*. Qui fuerint hi tres? aut cur hoc scribatur? (23. 19. etc.), Prius proponit tres, qui cæteris hominibus, id est triginta tribus jure fortitudinis præcellunt. Deinde ponit alios tres, qui tribus prioribus inferiores fuerunt, et tamen triginta merito fortitudinis prælati sunt. Et post hos sequuntur triginta ordine suo. Et ut apertius fiat, quod dicimus, eorum nomina per ordinem ponimus; id est David; secundus Eleazar; tertius [b] Semaa, horum princeps fuit David. Deinde alii tres, id est primus Abisai, secundus Banaja, tertius Asael, Abisai quoque princeps erat de his secundis tribus. Qui ideo sic ponitur, ac si diceretur, sicut David inter priores princeps erat, sic et Abisai inter sequentes erat princeps. Et ideo inter tres erat nominatissimus, inter tres inclytus : secundus, et princeps eorum : secundus enim erat, id est inferior tribus prioribus : princeps vero sequentibus : quorum unus ipse erat, sed usque ad tres primos non pervenerat, quia merito, et fortitudine usque ad David, et Eleazarum, atque Semaam non pervenerat, etc.

XXI.

(*II Reg*. 24. 1.) Quæris et hoc quare culpatur David pro dinumeratione populi, cum [c] Josaphat, cæterique reges populum Dei dinumeraverint, et inculpabiles, et sine vindicta permanserint, cum potius ante Josaphat Moyses bis Dei populum numeraret. Quid enim Josaphat Dei populum numeravit, necessitate fecit, et Moyses Deo jubente, David vero præsumptione, et temeritate, et exigente populi iniquitate, unde jam in superiore A parte in fine secundi libri operis hujus tractatum est.

XXII.

(*III Reg*. 2, 5.) Sciscitaris et hoc : cur de David scriptum est, quod senuerit, cum septuaginta non supergressus sit annos, et *opertus vestibus* non calefiebat, et quod inventa adolescentula speciosa Abisac Sunamiti dormiebat cum rege, et ministrabat ei. Rex autem non cognovit eam : cum in vetustiore ætate legamus, et videamus cum feminis non posse coire. Non est mirum si septuagenarius homo ab adolescentia sua multis angustiis, et tribulationibus agitatus, atque confractus virili ætate friguerit, cum videamus multos adolescentes, atque adolescentulas, ita torpente motu sanguinis in prima adolescentia B friguisse, ut nec illi ullo motu libidinis moveantur, nec illæ concepto semine aliquo calore in viscera sua continere, vel vivificare possint acceptum semen. Sanguis enim melancholicus, id est nigri fellis, ut physici dicunt, frigidissimus est, et quos nimium possederit, steriles tam ad gignendum, quam ad concipiendum reddit. Aiunt præterea iidem physici stultos esse homines, qui frigidiores sanguine sunt, prudentiores vero, qui calidiorem sanguinem habent, unde et senes, in quibus jam frigescit, et pueri in quibus necdum calet, minus sapiunt et stupidiores sunt.

XXIII.

(*III Reg*. 2. 5. 7.) Quæris et hoc : quare dixit C David de Joab : *posuit cruorem prœlii in balteo suo, qui erat circa lumbos ejus, et in* [d] *calceamenta sua, quæ erant in pedibus*, etc. In antiqua autem translatione ita scriptum habetur : *Et nunc tu scis, quæ fecit mihi Joab filius Sarviæ, et quæ fecit duobus principibus militiæ Israel Abner filio Ner, et* [e] *Abessæ filio Jether, principi militiæ Juda : occidit eos et vindicavit sanguinem belli in pace, et dedit sanguinem innocentium in vita mea, et in zona mea, quæ erat circa lumbos meos, et in calceamento meo, quod erat in pede meo, et facies ei secundum sapientiam tuam, et deduces canitiem ejus cum sanguine ad inferos*. Quia enim jubente Deo lex jus finit (*Exod*. 21. 14.), *si quis de industria occiderit hominem, ab altari meo, expelle eum, ut moriatur*. Et iterum in D Deuteronomio dicit : (19. 11. 12. 13.) *Nec aliter mundari potest terra possessionis vestræ, nisi in sanguine ejus, qui sanguinem fuderit*. Ipse enim David redundare peccatum homicidii Joab dixit, quod non vindicavit, quod vindicare potuit, et debuit per legis auctoritatem, et regiam potestatem. Et idcirco, quod antea non fecit, circa mortem suam Salo-

[a] Hic collocanda sunt procul dubio, quæ sequuntur usque ad num. 21; quæque in fine codicis posita erant : etenim sicut ibi loco minime apto ponuntur, ita hic aptissimo. Mirandum porro id non est; etenim id in codicibus quandoque visitur, et ego indubitatum exemplum jampridem attuli in epistola Adriani papæ ad Carolum Magnum. Consulat lector, quæ tradidi *De Cultu sanctorum* dissert. *10, cap. 15.*

[b] *Semma.*

[c] A Josaphat populum fuisse numeratum, minime invenio; at recensitus est ab Achab III Reg. 20. 15. 27. et a Joram Regibus Israel IV Reg. 3. 6, et ab Amasia Rege Judæ minime malo II Paral. 25. 5, imo etiam a Salomone dum adhuc Deo esset acceptus.

[d] *Calceamento suo, quod.*

[e] *Amasæ.*

omni filio suo fieri jussit, ut hic per legis senten- A tiam puniatur, ne in perpetuum puniretur a Deo. Sed quia de Joab mentionem fecimus debemus repetere quod antea in superioribus prætermissum est, cum maledixit ei David propter Abner filium Ner, inter cætera ita dixit : (*II Reg.* 3. 29.) *Nec deficiat de domo Joab fluxum seminis sustinens, et leprosus, et tenens fusum, et cadens gladio*, etc. Quod multo aliter apud Septuaginta scriptum reperitur : *Et audivit David postea quam mortuus est Abner, et dixit innocens ego sum, et regnum meum apud Dominum ex hoc, et usque in æternum, de sanguine Abner filii Ner. Veniet super caput Joab, et super omnem domum patris ejus, et non deerit de domo Joab gonorus, et leprosus, et tenens sitalem, et cadens in gladio, et indigens pane.* Gonories hæc passio B est vesicæ cum veretri, qui seminis lapsu vexatus creberrime sine ulla tentigine virum attestante debilitationem cum pallore corporis, et acinacie patitur : hanc passionem Græce *Gonorian* vocant. Est autem sævissima, et turpis valde, ut nesciant quomodo genitalia semen dimittant ; compatiuntur enim seminales meatus, ut non possint continere substantiam seminis præ debilitatione, et diffundunt urinam tenuem, rubicundam, et acerrimam, et ex humore multo frequenti, tempore incerto sponte projicitur. Hi autem tales, si diligentiam non habeant in hanc passionem, sequitur eos mors, pereunt enim aliquanti silentio utentes, negligentia, et non adhibentes curas, deficiunt in passione. *Tenens scitalem, nescimus* quid sit, quia germen est ; C nisi quod nostra translatio dicit *tenens fusum*, deinde cadens gladio, ut sit sensus, quia is, qui nobiliorem se, occidit in dolo, et a virili robore debilitatus in mollitiem mulieris resolutus, atque effeminatus coram inimicis suis cadat gladio, et pauper, et miser effectus indigeat pane. An forte *tenens fusum* dicitur sustinens illam passionem, quam nonnulli *fusum* vocant, quam medici *tysim* nominant? Tysis autem ulceratio est tumor in pulmonibus, qui in juvenibus facilius inveniri solet. Tysis autem apud Græcos dicta, quod sit consumptio totius corporis, quæ fit ex reumatismo gutturis cum febricula, et cum distillatione assidua, et catarrho instillante multo tempore : et sic pulmones vitiant. Est autem passio pulmonum peri- D culosa, et maligna valde. Fit autem hæc passio sicut jam dictum est, in ætate juvenili. Alia vero translatio taliter dicit : *non deerit de domo Joab reumaticus et leprosus*, etc.; hæc enim juxta litteram in Joab non videmus impletum, qui omne tempus vitæ suæ in tanto honore usque in mortem David vixit, et tanta salute corporis viguit, ut semper fieret dux exercitus Israel, et bellator fortissimus: sed dictum est hoc a David ex nimio dolore animi, sicut et de montibus Gelboe, quod ad litteram non stat, ut ostenderet se non consensisse in morte Abner principis Israel.

## XXIV.

(*III Reg.* 3. 2.) De eo quod scriptum est : *Dilexit autem Salomon Dominum ambulans in præceptis patris sui, excepto quod in excelsis ambulabat, et accendebat thymiama :* et post hæc inquiris, quid erat *excelsum*, quod frequenter in hoc libro legitur, et dicis : *Cur Samuel non culpatur, qui in excelso legitur immolasse :* egressus enim ex Ægypto populus Dei, postquam venerat ad montem Sinai (*Exod.* 19. 20, *et seq.*), et audierunt de medio ignis Dominum loquentem ad se : et ibi quodammodo inierunt pactum cum Deo, et spoponderunt se facturos omnia, quæ jussisset Dominus, atque sicut unus est Deus, et unus erat populus Dei (*Deuter.* 12. 5. 8. 12. 13. 14. 21. 26. 27.), ita jussisset in tabernaculo unum habere altare Dei, in quo sacrificiis, et laudibus honorarent Deum. Post multa vero tempora exigentibus peccatis illorum, et arca Dei captivata est ab alienigenis, in qua erat fœdus scriptum, quod inierunt cum Deo, non se alium colituros Deum, præter Deum patrum suorum, Abraham, Isaac, et Jacob : cujus insuperabile nomen manet in æternum, et memoriale in generatione et generatione. Post hæc dissipatum est tabernaculum, quod sine arca, in qua erat fœdus scriptum inter Deum, et populum, remansit sine honore, atque inane : et ita visum quibusdam sanctis fuit, ut Dominum Deum suum inter destructionem tabernaculi et templi ædificationem in locis amœnis, et mundis, atque excelsis Deum cœli, incenso, atque sacrificiis honorarent, quod illicitum fuit fieri populo illi, postquam arca de captivitate reversa est, et tabernaculum erectum, et sibi templum ædificatum. Et inde est, quod Scriptura frequenter reprehendit eos qui adhuc adolebant in excelso, et inculpabiliter se ista facere putabant. quia Samuel, qui Deo placuerat, et Salomon, et alios multos illius temporis homines, ita fecisse sciebant : imo cum magna laude inter omnes reges illos, digni habentur in laudibus apud Deum, qui talia destruxerunt (*IV Reg.* 18. 4, *et* 22.), id est Ezechias, et (*IV. Reg.* 23. 5. 8. 13. 19. 20.) Josias.

## XXV

Quæris cum legatur in libro Regum (III. 8.), atque Paralipomenon (2. *Paral.* 5. 10.), quod in arca non est aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Oreb, cur Paulus scribat ad Hebræos, quod in arca sint tabulæ, Virga Aaron, et Manna. Si non erant, cur Apostolus ista dixit : et si erant quis ea ibi misit ? Sed huic in tertio libro operis hujus responsum est. Hoc solummodo de quæstione tua remansit, utrum ipsa fuit Virga Aaron quæ fronduit, unde in Ægypto fuerunt signa facta, et in mari mirabilia prorsus. Omnino una, eademque ipsa fuit, quæ et *Virga Dei* in Exodo, et aliquando Moysi, aliquando Aaron dicta est pro operum diversitate.

## XXVI.

Quæris etiam et hoc : quid de ipsa arca factum

est, vel si unquam visura (*id est* videnda) ab hominibus. De qua re nihil aliud quidpiam me legisse fateor, nisi quod in libro Machabæorum secundo inter cætera scriptum est (II. 2. 5. etc.) : *Et veniens Jeremias in locum, invenit domum speluncæ, et tabernaculum, et arcam, et altare incensi intulit illuc, et ostium oppilavit : et accesserunt quidam, qui eum simul sequebantur, ut notarent sibi locum, et non potuerunt invenire. Ut autem cognovit Jeremias studium quæstus illorum, dixit illis, quod ignotus erit locus iste, donec congreget Deus congregationem populi sui, et propitius ei sit, et tunc Dominus ostendet hoc, et apparebit majestas Domini, et nubes sicut Moysi.* Unde credendum est, Dominum hæc per Eliam facturum. Dicunt enim nonnulli diffidendo, et omnipotentis Dei potentiam ignorando, quomodo potest fieri, ut tabernaculum illud ex lana, et lino factum per tot possit durare sæcula? quibus respondemus, quia virtute illa, quo per quadraginta annos in tribubus eorum nullus fuit infirmus, et quorum pes ambulando non fuit [a] subitus, nec calceamenta disrupta, nec vestimenta vetustate consumpta, virtus ipsa perseveravit in vestibus, et in lignis tabernaculi per annos quadringentos octuaginta usque ad tempora Salomonis, et deinceps per alios quadringentos triginta annos usque ad eversionem Hierusalem, quæ facta est sub Nabuchodonosor, et ipsa virtus perseveratura est in ipso tabernaculo usque ad finem sæculi. Sed quia beatæ memoriæ presbyter Beda in expositione *de factura tabernaculi et templi* [b] altare incensi extra velum dicit positum esse, unde me per tuas litteras interrogasti. Quare ergo in libro *informationum litteræ, et spiritus* in Exodo dixerim esse ultra velum? Unde te, ipsum beatum Bedam, si vivus in corpore esset, interrogare vellem, si postquam subtracta arca de templo est, et altare incensi ultra velum intraturus quæreret, vel ubi sanguinem poneret, vel cujus altaris cornua tangeret, vel cui incensum offerret, post quam arca testamenti non erat ibi.

XXVII.

(*III Reg.* 9. 11. 12. 13.) Item alia quæstio de eo quod scriptum est : *Dedit autem Salomon Hiram viginti oppida in terra Galileæ, quæ cum non placuissent ei, appellavit eas terram Chabul usque in diem hanc.* Hæc quæstio si te latet, nec mihi patet. Hoc tantum scire te volo, quod in antiquis translationibus aliter scriptum reperitur : taliter enim illic scriptum est : *Tunc dedit Solomon regi Hiram viginti civitates in terra Galileæ. Et exivit Hiram de Tyro civitate sua, et abiit in Galilæam, ut videret civitates, quas dedit illi Salomon, et non placuerunt ei. Et dixit. Quæ sunt hæ civitates, quas dedisti mihi, frater? Et cognominavit eas finis usque in hodiernum diem.* Quid tamen hoc sit, vel quare nominavit eas *finis*, nescire me fateor; nisi forte idcirco ista dixerit, quod non esset amplius alias civitates quæsiturus ab eo. Hoc tamen scimus, quia mutua eorum amicitia non fuit in eis usque in diem mortis eorum dirupta, quia post hæc (*III Reg.* 9. 14.) *misit Hiram centum viginti talenta auri :* et postea *fecerunt ambo in Asiongabis classem navium* (*III Reg.* 10. 10. 26. *et* 27), *quæ iret annis statutis in Ophyr afferre Salomoni aurum et dentes elephantinos, simiasque et pavos.*

XXVIII.

(x. 11, *et* 12.) Addis etiam inquirere, quod me fateor ignorare quod fecerit Rex Salomoni de lignis tynis pulchram domum Domini, et domum Reginæ, et citharas, lyrasque cantoribus. Post hæc sequitur : *Non sunt allata hujuscemodi ligna tyna, neque visa usque in præsentem diem.* In septuaginta autem interpretibus taliter scriptum reperi : *Et navis Hiram, quæ attulerat aurum ex Ophyr, attulit etiam trabes non dolatas multas valde, et lapides pretiosos. Et fecit rex ex trabibus non dolatis his firmamenta domus Domini, et domus regis et nablas, et cynniras cantoribus. Non sunt inventa talia ligna non dolata in terris, neque visa usque in diem hanc :* alia vero translatio ita dicit : *et navis Hiram, quæ attulit aurum et sephoram, attulit trabes multas valde, non dolatas, et lapides pretiosos, et fecit rex de lignis non dolatis inflaturam domus Domini, et domus regis, et nablas, et ambucos in canticis : non exierunt talia ligna usque in hunc diem.* Quod de India hæc talia venerint ligna testis est Scriptura divina, sed quid de natura ligni illius nos dicere possumus, quam se fatentur, et ignorare ipsi prophetæ, qui hanc historiam postmodum scripserunt?

XXIX.

(*III Reg.* 10. 16.) Post hæc sequitur eadem historia, et dicit : *Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro puro : sexcentos siclos dedit in lamina scuti unius, trecentasque peltas ex auro probato : trecentæ minæ auri unam peltam vestiebant.* Peltam dicunt physici scutum esse [c] Amaxonum lunatum in modum lunæ semis, vel ternæ, aut quartæ, vel certe, quod magis credendum est, mediæ, quibus Amaxonas (*Id est* Amazones) olim utebantur in pugna : sed non istos tales fuisse credibile est, quia non hoc indicat Scriptura. Mina Græce appellatur, quæ habet siclos sexaginta, et faciunt obolos mille ducentos : siclus facit duos semes solidos, qui græce dicitur stater, viginti habens obolos. Obolus habet siliquas septem, et partem quintam siliquæ, qui pondere duplo dragmam facit, quem nostri *scrupulum* vocant : fiebat enim ex ære ad instar sagittæ, unde et nomen a Græcis accepit; obolus enim græce *sagitta* dicitur. Mina est libra una. Talentum minas habet sexaginta. In septuaginta ita scriptum est : *Et fecit Salomon trecentas hastas aureas ductiles. Trecenti aurei inerant in hasta : et trecenta scuta aureos..... mensamque extra velum.*

[a] *Solutus* [ut puto.]

[b] Videantur quæ tradit Beda lib. 2. de Tabernaculo : ad verba ea : *Inseretur autem velum per circu-*

[c] Id est *Amazonum.*

*res ductilia. Trecentas minas auri habebat in uno scuto.* Alia vero translatio ita dicit : *Et fecit rex Salomon trecentas lanceas aureas ductiles. Ducenti quinquaginta aurei inerant in lancea una, et trecenta scuta aurea trecenteni aurei in scuto uno.* Deinde sequitur Scriptura (*vers.* 17) : *Posuitque ea rex in domum sylvæ Libani.* Si Salomonis erat, cur ligna cedrina ab Hiram petebat ex Libano? non enim dixit Scriptura posuit ea *in monte saltus Libani*, sed *in domo sylvæ Libani*, per speciem locutionis : per efficientem id quod efficitur, et per continentem id quod continetur. Libanus dictus est templum cum porticibus, et vestibulis, atque basilicis magnis, unde jam ad litteram supra dictum est : *Qui in quadro per circuitum ambiebant templum*, et quia revera opus magnum erat, multa ligna Libani, et innumera ibidem erant, ideo vocabatur *sylva Libani*, sed et ipsum templum *Libanus* in Scriptura vocatur, dicente Zacharia propheta (II. 1) : *Aperi Libane portas tuas, et comedat ignis cedros tuos;* sed et Jeremias adversus Sellum filium Josiæ regis inter cætera sic ait (22. 22) : *Omnes pastores tuos pascet ventus, et amatores tui in captivitatem ibunt : et tunc confunderis, et erubesces ab omni malitia tua, qui sedes in Libano, et nidificas in cedris.* In Libano enim illis erat sedere, spem salvationis suæ habere per templum. In cedris nidificare, erat propter ædificia templi peccantem populum salvari, ne propter meritum illius loci captivarentur. Libanus autem dictus est mons frigidus, et convallis in Syria Phœniciæ quæ fuit possessio Chananæorum imminens mari magno, quorum metropolis fuit Tyrus. Unde ligna cedrina abiegna, atque punica Sidonii deponebant in mari magno, et inde in ratibus veniebant per mare usque ad Jopen, et inde per angaria boum per milliarios quadraginta usque ad Hierusalem. Mons enim iste a candore nivium, nomen accepit *Libanus.* Libanus enim candor, sive candidatio interpretatur. Similiter et templum illud propter altitudinem mœnium, et excellentiam, vel fulgorem, aut candorem parietum tale nomen sortitum est.

## XXX.

Merito quæri debet (licet hoc tu non interrogasses) quid sit, quod hoc in libro, de sacrilegis, et sceleratis Israel regibus, frequenter dicat Scriptura divina : *fecitque quod erat malum in conspectu Domini :* et cum sint multa hominum mala, prætermissis omnibus malis, singulariter unum nominat malum, ad cujus comparationem cætera mala cum sint mala, quasi ne mala esse videntur. Sicut enim ad comparationem boni, bonus bonorum Deus dicitur, et Sanctus Sanctorum, et Deorum Deus, et Dominus Dominorum, ita in factis hominum, atque gestis idolorum cultura *malum malorum*, et *scelus scelerum*, et *peccatum peccatorum* dici potest. Hic in divina Scriptura, et *iniquitas*, et *abominatio*, et *sordes* et *peccatum*, et *fornicatio*, et *odiositas* nominari

A solet, et peccatum, ut de jam perditis regibus Israel frequenter in divina Scriptura dicit : *Non recessit a peccatis Hieroboam, qui peccavit et peccare fecit Israel.* Peccata, hic cum sit unum, pluraliter propter duos vitulos posuit. Ignominiam, et sordes, ut Moyses in Exodo de filiis Israel loquitur (*Exod.* 32. 25) : *Expoliaverat enim eos* (id est Aaron filios Israel) *propter ignominiam sordis, et inter hostes nudum constituerat*, id est destitutum absque auxilio Dei. Iniquitas dicitur idolorum cultura, (10. 10) sicut in Osea propheta duos vitulos, duas nominat *iniquitates.* Fornicatio, multis modis in prophetis nominari solet. Sicut et illud (*Jer.* 3. 1) : *tu autem fornicata es cum amatoribus*, id est pro proposito uno Deo, cum quo spirituale connubium cum castitate mentis te-
B nere debuisti, servisti diis multis, et sic infeliciter in corde tuo prostituta es cum amatoribus multis, id est dæmonibus. Licet enim quisque unum videatur colere, aut adorare figmentum, in ipso uno, omni militiæ dæmonum servit. Sed quia se sermo de simulacrorum, atque idolorum cultura opposuit, debemus etymologias nominum illorum exprimere, ut noverint nostra tempora, cui malo serviunt homines. Simulacrum est figura, exemplum, effigies, figmentum, forma, vultus, aspectus, species, similitudo. Simulacrorum usus exortum est, cum ex desiderio mortuorum constituerentur imagines, vel effigies tanquam in cœlum receptorum (*Sap.* 14. 15) pro quibus se in terris dæmones colendos apposuerunt, et sibi sacrificare a deceptis, et perdi-
C tis hominibus suaserunt. Fuerunt enim quidam eorum viri fortes, aut urbium conditores, quibus mortuis homines, qui eos dilexerunt simulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium, sed paulatim [a] hunc errorem, persuadentibus dæmoniis ita in posteris irrepsit, ut quos illi pro sola nominis memoria honoraverunt, successores eorum Deos existimarent, atque colerent. Simulacra autem a similitudine nuncupata, quasi simulata, eo quod manu artificis ex lapide, vel alia materia eorum vultus imitantur, in quorum honore finguntur. Ergo simulacra, vel pro eo quod Diis similia, vel pro eo simulata, atque conficta, vocantur : unde et falsa sunt. Iterum idolum est si-
D mulacrum, quod humana effigie factum, et consecratum est juxta vocabuli sui interpretationem : *Idos* enim Græce *forma* sonat, et idem per diminutionem sonat idolum dictum hoc quod apud nos *formula* sonat. Igitur omnis forma, vel formula idolum se dici exposcit. Idololatria idololorum servitus, sive cultura interpretatur. Nam *latria* Græce, latine *servitus* dicitur, quæ quantum ad veram religionem pertinet, nonnisi et soli Deo debetur. Ac si ut impia superbia, sive hominum, sive dæmonum sibi exhibere, vel jubet, vel cupit, ita pia humilitas, vel hominum, vel Angelorum sanctorum sibi oblatam recusat, et cui debeatur, ostendit. Quidam vero latini ignorantes græcæ linguæ etymologiam,

[a] Id est *hic error* : vel lege : *hunc errorem persuadentibus dæmoniis, is irrepsit, ut*, etc.

imperite dicunt *idolum* ex *dolo* sumpsisse nomen, A eo quod diabolus creaturæ cultum divini nominis invexit. Sciendum summopere est, quia non solum qui visibilia figmenta, atque imagines colit, sed etiam quamlibet sive cœlestem, sive terrenam, sive spiritualem, sive corpoream creaturam, vice nominis Dei colit [a], et salutem animæ suæ, quæ a solo Deo est, ab illis sperat, de illis est, de quibus dicit Apostolus (*Rom.* I. 25.) : *Et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula :* Et de quibus dicit Propheta (*Jerem.* 17. 5.) : *Maledictus homo, qui spem suam ponit in homine, et a Domino recedit cor ejus.* Sciendum sane, quod gentes diis suis nomen simulacri, vel idoli non imposuerunt, sed sancti Dei homines divini nominis, et unius Dei B cultores, diis gentium tale nomen imposuerunt.

XXXI.

Prætermissis quibusdam quæstiunculis tuis, quæ in superioribus libris sunt jam solutæ, ad id quod Helias dixit de Achab (*III Reg.* 21. 24): *Si mortuus fuerit in civitate, comedent eum canes : si autem in agro, comedent eum volucres cœli.* Et post hæc addis (22. 37.) : *quomodo verum est, cum ipse perlatus fuisse legatur in Samaria, et sepultus in sepulcro suo Israel.* In septuaginta autem patribus aliquid amplius habetur : nam post aliqua dicitur : *Mortuus est rex vespere, et stetit præco militiæ in exercitu occidente sole dicens : unusquisque eat in civitatem suam, et in terram suam, quoniam defunctus est rex : et venerunt in Samariam, et sepelierunt re-* C *gem in Samaria, et laverunt currum illius in lacu Samariæ, et lambuerunt canes in sanguine ejus secundum verbum Domini, quod locutus est, nec mentiri potuit spiritus Dei, qui erat in Helia.* Sanguis enim, qui defluxit de corpore ejus, et cucurrit in lectum currus, qui ex corio erat magna pars corporis ejus fuit, et hoc coagulatum quasi carnes, comederunt canes, et sic impletum est, quod servus Domini Helias totum aperte prædixit; vel quod potius credendum est, canes eum comederunt, quando filios ejus, qui et caro ejus fuerunt, comederunt. Quod vero dicit, quod meretrices se laverunt in sanguine ejus, non ob aliud hoc fecerunt, nisi propter aliquam magiam peragendam. D

XXXII.

(*IV Reg.* 5. 1.) Inquiris quæ sit salus, quam Deus per Naaman principem contulerit. Sed nulla melius intelligenda est, quam illa, quam ipse per emundationem lepræ concepit in mente, quando se spopondit nullum alium colere Deum, nisi Deum Israel; et ita magnitudine sanitatis ejus, et præconio linguæ illius multi derelictis idolis, Deum Israel cœperunt colere solum : et hæc fuit salus quam Deus per illum dedit Syriæ, quia revera nulla alia talis salus homi-num est, qualis cognitio creatoris, et remedium peccatorum. Quid tamen ista significent, in præcedenti libro sufficienter expositum est.

XXXIII.

(VI. 21.) Dicit etiam eadem Scriptura, quod tanta, ac talis fames facta est in Samaria, et tamdiu obsessa civitas est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars capi stercoris columbarum quinque argenteis. Capi stercoris vesicula gutturis intelligi potest, excepto quod nominis ambiguitas nos dubios reddit, quod non ait caput, aut capitis. Obsessa enim multo tempore ab hostibus civitas, dum nulli hominum egressus pateret, columbæ liberæ volando ferebantur in agros, sive ad exercitum, et invento grano replebant vesiculas gutturis, et hac eadem hora regressæ in civitatem, antequam ruminando grana consumerentur : sic venundabatur argenteis quinque granorum copia, non stercoris fetor. Hæc non alicubi legi, nec ab alio didici, sed ut mihi visum est, taliter dixi : si quid tamen tu melius de hoc invenire potueris, bene eris, si nos feceris nosse.

XXXIV.

(*IV Reg.* 14. 9.) Est hæc quæstio tua de rege Joas, quæ non est impossibilis ad intelligendum, sed est nobis difficilis ad loquendum ; cur Joas rex Israel ad Amasiam regem Juda remisit dicens : *Carduus Libani misit ad cedrum, qui est in Libano dicens : Da filiam tuam filio meo uxorem.* Tropice enim, non proprie dictum est. Tropos autem est dictio translata a propria significatione ad non propriam similitudinem, ornatus et necessitatis causa; sunt autem tropi, qui latine *modi*, vel *mores* interpretari possunt quatuordecim, quibus propositis, unum ex illis ad medium deducimus, cujus nomen metaphora est. *Metaphora* autem dicitur rerum, verborumque translatio, hæc fit modis quatuor : ab animali ad animale [b]. Item in libro Job. (*cap.* 4. 10): *Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt,* ut per jam dictam metaphoram intelligatur ibi *leo* Job, et *leæna* uxor, et *dentes catulorum leonum,* filii. Et in Psalmo: (*Psal.* 11. 1.) *Quare fremuerunt gentes :* nam et homines, et bestiæ qui fremere dicuntur, animam habent. Et in Hieremia Propheta (4. 7) : *Ascendit leo de cubili suo* (id est Nabuchodonosor de Babylonia), *et prædo gentium se levavit.* Leo et prædo animam habent. Ab inanimali ad animale, ut est illud (*Isa.* 55. 12) : *montes cantabunt coram Deo laudem, et omnia ligna silvarum plaudent manu.* Montes, et ligna silvarum inanimalia sunt : cantare vero, et manibus plaudere, animalis sit. Ab inanimali ad inanimale; sicut habes in Propheta scriptum (*Zach.* 11. 1) : *Aperi Libane portas tuas, et comedat ignis cedros tuos;* translatio est enim de civitate ad montem, quorum nullum animam habet : et hoc ipsum

[a] Quæ hic traduntur, si de cultu rigorose sumpto accipiantur, verissima sunt. Si de cultu late sumpto, in eorum numero sunt, quæ reprehensa in Claudio sunt. Vide quæ tradidi numero 24 et seq. capitis 3 dissertationis 1, *De Cultu sanctorum :* ea quoque, quæ numero 6 et 7 capitis 6 dissertationis 2, de eodem Claudio docui.

[b] Aut aliquid deest, aut legendum est, *id est veluti,* aut *item ut.*

unde interrogas : *Misit Joas rex Israel ad Amasiam* A *regem Juda dicens : da filiam tuam filio meo uxorem*, ut per tropum allegoriæ, Joas rex se cedro, et regem Juda carduo comparaverit, et populum suum per eamdem significationem bestiis saltus dicens : *Transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, et conculcaverunt carduum* (id est Amasiam) : et post hæc addit (*IV Reg.* 14. 10.) : *Percutiens invaluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum · contentus esto gloria tua, et sede in domo tua, quare provocas malum, ut cadas tu, et Judas tecum?* etc. Quod ita factum est.

XXXV.

(xv. 35.) Movet te : et hoc : Cur de Jonatha rege Juda scribitur : *Ipse ædificavit portam domus Domini sublimissimam.* Et post hæc addidisti : *nunquid a* B *Salomone ante ædificata non fuerat?* An novam construxit, et Israel? non enim nova constructa est, sed ipsa, quæ sublimissima olim a Salomone ædificata fuerat, et *sublimissima* vocabatur, hanc inchoatam reparando in sublime erexit.

XXXVI.

(*IV Reg.* 18. 4.) De Ezechia etiam inquiris cur in Scriptura dicatur divina, quod postquam dissipavit excelsa, et contrivit statuas, et succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecit Moyses, vocavitque eum [a] Nabas, etc.? Quod quidem docente Isaia Propheta fecisse credendum est : [b] ipsum interrogas, quod ego scire desidero. Si esset, qui mihi ostenderet, etymologiam C nominis hujus, quia nec in translatione antiqua aliter hoc scriptum reperi nomen : excepto quod *Nabas* serpens lingua illorum dicitur ; novissima vero syllaba quid sit, nescire me fateor. Est enim hoc magnum documentum, quod ad ædificationem Ecclesiæ proficere potest, si est, qui hoc animadvertere possit, quare Ezechias cum magna sui laude, atque præmio animarum pro salute destruxit, quem ad salutem illius populi Moyses Deo jubente fecerat. Quis enim nesciat Moysen majoris esse meriti, quam Ezechiam regem? De Moyse enim in libro Numerorum dixit Dominus ad Aaron, et Mariam (*Num.* 12. 6.) : *Audite verba mea : Si fuerit Propheta inter vos, in visione illi Dominus cognoscar, in somnio loquar ad illum : at non ita famulus meus Moyses, qui* D *in tota domo mea fidelissimus est : os ad os loquar ad illum : in specie, et non in ænigmate Dominum videt.* Quia enim serpentem, quem Moyses sicut jam dictum est, Deo jubente fecerat, ne serpentina morte populus periret, eum, quem Deus fieri jusserat, populus ipse venerari, et colere cœperunt, et mortem quam temporaliter parentes illorum ad tempus evaserunt, denuo morituri, isti perceperunt, in perpetuum in anima morituri ; et idcirco destruxit iste, quod Deo jubente fecerat ille : ac per hoc magna auctoritas ista habenda est in Ecclesia, ut si nonnulli ex præcessoribus, vel majoribus nostris fecerunt aliqua, quæ illorum tempore esse potuerunt sine culpa, et postmodum vertuntur in errorem, et superstitionem, sine tarditate aliqua, et cum magna auctoritate a posteris destruantur [c].

XXXVII, XXXVIII.

Superest nobis inquisitio necessaria, licet non fuerit interrogatio tua, quomodo divina insonet Scriptura (*IV Reg.* 19. 35.) : *Quod egressus Angelus Domini percussit de exercitu Assyriorum centum octuaginta quinque millia.* Et Daniel Propheta ait (6. 22.) : *Misit Dominus Angelum suum, et conclusit ora leonum.* Et in Psalmo trigesimo secundo (*Psal.* 33. 8), secundum emendatiorem translationem : *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* Et alia multa his similia, et excellentiora exempla. Quæ si cuncta per ordinem Scripturæ divinæ replicare voluerimus, ante vita, quam sermo deficiet. [d] Quod enim mittantur Angeli ab eo, qui ubique est, et cœlum, terramque implet, non mole, sed virtute, sicut veritas, et sapientia mentem (*Sap.* 8. 1.), *qui attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter :* « de quo Apostolus Atheniensibus prædicavit dicens (*Act.* 17. 27. 28. *Vide caput* 12 *alias num.* 23, *libri* IV *de Genes. ad litteram*) : *In illo vivimus, movemur, et sumus.* Liquide cogitatum, quantum humana mens valet, adjuvat hanc sententiam, qua credimus, et dicimus Deum in his, quæ creavit, indesinenter operari. Neque enim tanquam substantia ejus, sic in illo sumus, quemadmodum dictum est (*Joan.* 5. 26.) : *Quod habeat vitam in semetipso :* sed utique cum aliud simus, quam ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur, et hoc est opus ejus [e], quod continet omnia, et quo ejus Sapientia sicut jam dictum est (*Sap.* 8. 1.), *pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Per quam dispositionem (*Act.* 17. 28.) *in illo vivimus, movemur, et sumus :* unde colligitur, quod si hoc opus suum rebus subtraxerit, nec vivemus, nec movebimur, nec erimus [f]. Nec enim ipse diabolus a potestate omnipotentis alienus est, nam et maligni unde alicunque subsisterent, vitam non haberent, nisi per eum qui vivificat omnia. Nec ita sane Deus deseruit eamdem reprobam angelicam creaturam suam, ut non se illi exhiberet Deum creantem, et vivificantem, et inter pœnalia mala, etiam bona malis multum præstantem (*num.* 22.). Creatoris namque potentia et omnipotentis, atque omnitenentis virtus causa subsistendi est [g] omnis creaturæ, quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis, si aliquando cessaret, simul et illorum cessarent species, omnisque

[a] Vulgata : *Nohestan.*

[b] In Isaia *hæc non invenio.*

[c] Et hic est ex iis locis, qui in Claudio merito suspectus est.

[d] Quæ sequuntur ab Augustino excerpsit Claudius, sed non ex uno libro cuncta desumpsit, sed ex variis. Nonnulla Augustini loca indicabo, quæ consulat Lector.

[e] Edit., *quo.*

[f] Confer, obsecro, locum hunc cum edito.

[g] *Omni.*

natura concideret. Neque enim sicut structor ædium A cum fabricaverit, abscedit, atque cessante illo, atque abscedente stat opus ejus, ita mundus, [a] et omnis creatura sive visibilis, sive invisibilis, sive corporea, sive spiritualis, vel ictu oculi stare non poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit, qui novit quiescens agere, et agens quiescere, potestque ad opus novum non novum adhibere consilium [b]. Qui cum crearet, non est defessus, nec cum cessavit, refectus : sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine indigentia creator, sine situ præsens, sine habitu omnia continens, sine loco ubique totus, sine tempore sempiternus, sine ulla sui mutatione mirabilia faciens, nihilque patiens, [c] habet quidem nuntios, id est Angelos, non tamen est, ut aliquid ei, quod nesciat, annuntient : non enim sunt ulla quæ nesciat; sed B bonum eorum est, de operibus suis consulere [d] veritatem : et hoc est quod ei dicuntur nonnulla nuntiare, non ut ipse ab eis discat, sed ut ab illo ipsi per verbum ejus sine corporali sono nuntient etiam quod voluerit ab eo missi ad quos voluerit, totum ab illo, per illud verbum ejus audientes, id est in ejus veritate invenientes quid sibi faciendum, quid, quibus, quando nuntiatum sit. Nam et nos oramus eum, nec tamen necessitates nostras docemus eum *Novit enim* (ait Verbum ejus [*Matth.* 6, 8, *et* 32.] *pater vester, quid vobis necessarium sit priusquam petatis ab eo :* nec ista ex aliquo tempore cognovit, ut nosset, sed futura omnia temporalia, atque in eis etiam quid, et quando ab illo petituri fueramus, et C quos, et de quibus rebus vel exauditurus, vel non exauditurus esset, sine initio ante præscivit. [e] Universas autem creaturas suas, et spirituales, et corporales non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt quia novit, non enim nescivit, quas fecerat, creaturas. Quia scivit, creavit, non quia creavit, scivit : nec aliter ea scivit creata, quam creanda [f] : hunc enim Deum colimus (docente nos Scriptura divina) qui naturis a se creatis et subsistendi, et movendi initia, finesque constituit : qui rerum causas habet, novit, atque disponit : qui vim seminum condidit : qui rationalem animam, quæ dicitur animus, quibus voluit, viventibus indidit : qui sermonis facultatem, usumque donavit : qui munus futura dicendi, quibus placuit, spiritibus impertivit, et per quos placet, D malas valetudines pellit : qui bellorum quoque ipsorum, cum sic emendandum, et castigandum est genus humanum, exordiis, progressibus, finibusque moderatur : qui mundi hujus ignem vehementissimum, et violentissimum pro immensæ naturæ temperamento et creavit, et regit, qui universarum aquarum creator, et gubernator est : qui solem fecit corporalium claris congruam, et motum dedit : qui ipsis etiam inferis dominationem suam, potestatemque non subtrahit : qui semina, et alimenta mortalium sive arida, sive liquida naturis competentibus attributa substituit : qui terram fundat, atque fecundat : qui fructus ejus animalibus, hominibusque largitur : qui causas non solum principales, sed etiam subsequentes novit, atque ordinat : qui lunæ statuit modum suum : qui vias cœlestes, atque terrestres locorum mutationibus præbet, qui humanis ingeniis, quæ creavit, etiam scientiam artium variarum ad adjuvandam vitam, naturamque concessit : qui conjunctionem maris et feminæ ad adjutorium propagandæ prolis instituit : qui hominum cœtibus, [g] quod focis, et luminibus adhiberent, ad facillimos usus munus terreni ignis indulsit. Hæc autem facit, atque agit unus verus Deus : sed sicut Deus, id est ubique totus, nullus inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes sectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cœlum et terram, præsente potentia, non indigente natura. Sic itaque administrat omnia, quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere, et agere motus sinat. Quamvis enim nihil esse possint sine ipso, non sunt quod ipse. Agit autem multa etiam per Angelos, sed nonnisi ex se ipso beatificat Angelos. Ita quamvis propter aliquas causas hominibus Angelos mittat, non tamen ex Angelis homines, sed ex se ipso, sicut Angelos, beatificat. Ab hoc uno et vero Deo speramus vitam æternam : habemus enim ab illo præter hujusmodi beneficia, quæ ex hac, de qua nonnulla diximus, administratione naturæ, bonis, malisque largitur, magnum, et bonorum proprium magnæ dilectionis indicium. Quanquam enim, quod sumus, quod vivimus, quod cœlum terramque conspicimus, quod habemus mentem, atque rationem, qua cum ipsum, qui hæc omnia condidit, inquiramus, nequaquam valeamus actioni sufficere gratiarum, tamen quod nos oneratos, obrutosque peccatis, et a contemplatione suæ lucis aversos, ac tenebrarum, id est iniquitatis dilectione cæcatos, non omnino deseruit, misitque nobis Verbum suum, qui est ejus unicus filius, quo pro nobis assumpta carne nato, ac passo, quanti Deus hominem penderet, nosceremus, atque illo sacrificio singulari, a peccatis omnibus mundaremur, ejusque spiritu in cordibus nostris dilectione diffusa, omnibus difficultatibus superatis, in æternam requiem, et contemplationis ejus ineffabilem dulcedinem veniremus : quæ corda, [h] quæ linguæ ad agendas ei gratias satis esse contenderint [i] ? » Deus itaque summus et verus cum Verbo suo, et Spiritu sancto, qui tria unum sunt, Deus

[a] In edito Augustini loco desunt hæc : *et omnis creatura sive invisibilis, sive visibilis, sive corporea, sive spiritualis.*

[b] Num. 25 cap. 14. Reliqua ex aliis Augustini locis collecta sunt. Compara hæc cum iis, quæ tradit Augustinus cap. 30 libri VII *de Civitate.*

[c] XV *de Trinitate*, cap. 13, n. 22.

[d] Additur *hic veritatem.*

[e] Rursus 6 *de Trinitate*, cap. 10, num. 11.

[f] Quæ sequuntur ad magnam partem ex eodem Augustino desumpsit Claudius. Compara locum hunc cum capite 30 libri VII *de Civitate.*

[g] *Quem.*

[h] *Quot.*

[i] Subsequentia videntur ex Augustino desumpta, sed locum, in quo hæc tradat S. Doctor, hactenus non inveni.

unus omnipotens, creator, et factor omnis corporis, cujus sunt in participatione felices [a], qui fecit hominem rationalem ex anima, et corpore, qui eum peccantem, nec impunitum esse permisit, nec sine misericordia dereliquit, qui bonis, et malis essentiam etiam cum lapidibus, vitam seminalem etiam cum arboribus, vitam sensualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum solis Angelis dedit, a quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo, a quo est mensura, numerus, pondus, a quo est quidquid naturaliter cujuscunque generis est, cujuslibet æstimationis est, a quo sunt semina formarum, formæ seminum, motus seminum atque formarum, qui dedit, et carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis fecunditatem, membrorum dispositionem, salutem concordiæ, qui et animæ irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum, rationali autem insuper misericordiæ intelligentiam, voluntatem : qui non solum cœlum, et terram, nec solum Angelum, et hominem, sed nec exigui, et contemptibilis animantis visceri negavit spinulam, nec herbæ flosculum, nec arbori folium sine suarum partium convenientia, et quadam veluti pace dereliquit. Et post : [b] « mysterium vitæ æternæ jam inde ab exordio generis humani per quædam signa, et Sacramenta temporibus congrua, quibus oportuit, per Angelos prædicatum est. Deinde populus Hebræus in unam quamdam Rempublicam, quæ hoc Sacramentum ageret, congregatus est; ubi per quosdam scientes, per quosdam nescientes, id quod ex adventu Christi, usque nunc, et deinceps agitur, prænuntiaretur esse venturum; sparsa etiam postea eadem gente, per gentes propter testimonium Scripturarum, quibus æterna salus in Christo futura prædicata est. Omnes enim non solum prophetiæ, quæ in verbis sunt, nec tantum præcepta vitæ, quæ mores, pietatemque conformant, atque illis litteris continentur, verum etiam sacra, sacerdotia, templum, sive tabernaculum, altaria, sacrificia, cæremoniæ, dies festi, et quidquid aliud ad eam servitutem pertinet, quæ Deo debetur, et græce proprie [c] *latria* dicitur, ea [d] significata, et pronuntiata sunt, quæ propter æternam vitam fidelium in Christo, et impleta credimus, et impleri cernimus, et implenda confidimus [e]. » Nos vero dum Angelorum ministeria volumus ostendere, per quemdam mentis excessum nescientibus immutabilis Dei bonitatem, et veritatem divini operis insignia prædicamus.

XXXIX.

Interrogas quoque, quis sit Sacerdos primus, aut quis secundus. Primus Sacerdos est Pontifex, sicut Aaron, et Eleazar, atque posteri eorum, quibus licitum erat quotidie ultra velum ingredi in Sancta Sanctorum. Secundi vero Sacerdotes erant, qui in nostro presbyteri dicuntur tempore, de quibus dicit Apostolus (*Hebr.* 9. 6) : *In exteriore vero tabernaculo semper introibant Sacerdotes sacrificiorum officia consummantes.* Cæteri vero, qui dicebantur Levitæ, eo quod essent ex tribu Levi, nec in interiorem, nec in exteriorem licentiam ingrediendi habebant; sed tantum erant janitores, et cantores, ministrique Sacerdotum, et ad exterius holocaustorum altare, lignorum cæsores, et ignium administratores, et sanctarum carnium in populo dispensatores. De his duobus filiis in Psalmo dicit (*Psal.* 134. 20. 21) : *Domus Aaron benedicite Domino* [f] : *domus Levi benedicite Domino.*

XL.

Et post hæc quid sunt Tyrones, interrogas. Tyrones a Tyria [g] urbe Phœnicum nomen acceperunt, quæ olim fuit metropolis Chananæorum, in qua habitavit Hiram rex, amicus Salomonis [h]. Tyrones dicuntur pueri fortes, qui ad militiam eliguntur, et ad arma gerenda habiles existunt : hi enim non ex sola professione nativitatis, sed ex aspectu, et valetudine corporis æstimantur. Romanæ autem militiæ mos fuit pueros primum exercere armis : nam sexto decimo anno Tyrones militabant, quo etiam solo sub custodibus agebantur. Servos sane nunquam apud eos militasse constat, nisi servitute deposita.

*Explicit Claudius episcopus in libros Regum.*

[a] Ser. 43 alias de verbis Apostoli 27, num. 3 et 4.

[b] Rursus quæ sequuntur, ex Augustino excerpit Claudius S. Doctoris exscribens caput 32 libri VII *de Civitate.*

[c] Λατρεία.

[d] *Significaverunt, et prænuntiaverunt.*

[e] Subsequentia non exstant in editis Augustini libris : an olim exstiterint, an ex aliis Augustini locis ea desumpserit Claudius, an de suo substituerit, judicaverit Lector.

[f] Non video quomodo dicantur *duo filii*, quando quidem Aaron erat ex stirpe Levi.

[g] *Tyro.*

[h] Etymologiam hanc expendat, obsecro, lector.

# CLAUDII EPISCOPI

## PRÆFATIO IN CATENAM SUPER SANCTUM MATTHÆUM.

(Ex Maii Spicilegio, tom. IV, pag. 301.)

### EDITORIS MONITUM.

Claudii Taurinensis episcopi (qui de sua ætate mox ipse loquetur) Commentariorum in Pauli Epistolas præfationem edidi in septimo collectionis Va-

ticanæ script. vet. volumine p. 274 (Infra col. 837). Nunc autem præfationem ejusdem divulgare placet in Catenam ab eo contextam ex Latinis præsertim Patribus super Matthæi Evangelium; quam ineditam in duobus conspexi codicibus, altero quidem vetustatis tam venerandæ ut ipsi Claudio videatur coævus, altero autem sæculi ferme XI. Sane quia Latinis Catenis non æque ut Græcis abundamus, utile foret Claudianam hanc ad publicum usum deferre; quod me aliquando facturum non despondeo. Interim tamen eruditum ejus prologum libenter typis committo, cujus nonnisi duas paucorum versuum particulas vulgavit olim Baronius ad annum 815, ex eoque in epistolas Hibernicas (quasi Claudius esset gente Hibernensis, quod immerito creditum est) Usserius transtulit. Cæteroquin hæc præfatio nonnisi in antiquiore codice superfuit, quia alter codex acephalus est.

## INCIPIT PRÆFATIO.

DOMINO SANCTO AC BEATISSIMO
ET MIHI PECULIARI CULTU AFFECTUQUE SPECIALITER
EXCOLENDO PATRI JUSTO ABBATI
CLAUDIUS PECCATOR.

« Anno 815 incarnationis Salvatoris Jesu Christi Domini nostri, postquam pius ac mitissimus princeps, sanctæ Dei Ecclesiæ catholicæ filius Hludowicus anno secundo imperii sui, cœlesti fultus auxilio adversus barbaras nationes movisset exercitum; teque abeunte et discedente tua paternitate ex palatio jam dicti principis ad tutum dilectumque tibi semper tui monasterii portum; injunxisti mihi ut aliquod dignum memoriæ opusculum in expositione Evangelii ad legendum dirigerem fratribus monasterii vestri (*a*). » Atque utinam tanta esset fandi facultas, quanta est obediendi voluntas cumque aliud scribendum ex præcedenti jam tempore mea teneret voluntas, ad id quod jusseras meam continuo studui dirigere voluntatem; et Evangelium secundum Matthæum ex opusculis sanctorum Patrum, licet non ad purum, quod etiam difficile est fieri, tamen ut valui inquirere atque explanare conatus sum ex tractatibus doctorum et majorum nostrorum, qui nos in studio hujus operis, sicut scientia ita et tempore præcesserunt, id est Origenis, Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Rufini (*b*), Joannis, Fulgentii, Leonis, Maximi, Gregorii, et Bedæ. Sed sicut in arce capitis inter omnia membra lingua plus membris omnibus sonat, ita in exponendo Evangelio, inter omnes est beatissimus Augustinus. Multis etiam in locis, ubi horum defuit sensus vel verba, hoc utcunque valuit, explere studuit mea paupertas.

Te enim jubente, scio quod meum apud multos prædicabitur judicium, qui secundum carnem tantum, et non etiam justum noverunt judicium judicare, quasi aliqua temeritate in pugillatione vel reprehensione majorum hoc ego aggredi nisus fuerim opus. Legat quisquis ille est apologeticum beati Hieronymi presbyteri, quem in præfatione expositionis hujus Matthæi scripsit ad quemdam Eusebii nomine, in quo ait: « satis miror, Eusebi dilectissime, cur Romam subito navigaturus, hanc tibi a me quasi sitarciam dari volueris, ut Matthæum breviter exponens, verbis stringerem, sensibus dilatarem. Si meminisses responsionis meæ, nunquam in paucis diebus rem annorum peteres. » Spopònditque se illi hoc in posterum plenissime expositurum. Quod quidem nequaquam faceret, si non multa prætermissa illic sacramenta esse, idem vir sanctus sciret. Legat et alios ipsius Evangelii Latinos expositores Hilarium et Fortunatum, et juxta historiæ ordinem omnes sensus physicos, allegoricos, atque etiam ethicos requirat diligenter ad purum; et tunc nosse poterit utrum ego otiose an devote, superflue an necessarie, in hoc opere laboraverim. Et si ei non placuerit fructus laboris mei, audiat salva charitate responsum; cui non placet, negligat.

Obsecro etiam paternitatem tuam, et cunctorum fratrum benivolam charitatem, ut non vos terreat prolixa expositio, nec voluminis magnitudo; quia revera sanctum Evangelium, quod regno cœlorum simile a Salvatore nostro multis in locis esse perhibetur, non potest paucis enuntiari verbis vel sensibus explicari; quia et congruum fuit, ut sacra nostri Salvatoris dicta cæteris Scripturis, sicut merito ita et specie discernerentur; ne illa cœlestium arcanorum dignitas passim atque indiscrete cunctis pateret, sanctumque canibus, et margaritæ porcis exponerentur. Et ideo ab ipso Salvatore nostro procuratum est, ut illa suorum castitas eloquiorum promiscuis cunctorum oculis abdita sub quasi quodam velamine pudicitiæ contegeretur. Ac divina optimaque dispensatione provisum est, ut Scriptura ipsa evangelica Domini nostri ita tegeretur cœlestibus obumbrata mysteriis, sicut secreto suo ipsa divinitas operiebatur; quod ex subjectis plenius manifestatur exemplis.

Quod vero quædam minus ordinata quam decet in hoc codice multa reperiuntur, non omnia tribuas imperitiæ, sed quædam propter paupertatem, quædam ignosce propter corporis infirmitatem et meorum oculorum imbecillitatem, quia non fuerunt in tabellis excepta, vel schedulis digesta, sed ut a me inveniri vel discerni potuerunt, ita in hoc affixa codice sunt. Date itaque veniam imprudentiæ meæ, quam extorsistis; quia ut auribus vestris verbosus existerem, dignatio vestra me coegit, confidens quod voluminis prolixitas, si displiceat affatu, placet affectu; cum intellexeritis, eum (*scilicet codicem*) non pro eloquentiæ sermone, sed pro vestro amore digestum. Simulque quia sciebam almitatem vestram in amicitiis meis plus reprehendere taciturnitatis ve-

(*a*) Hactenus Baronius loco cit.

(*b*) *Rufini*. Mendum prisci amanuensis existimo pro *Rabano*: etenim in catena ubi scribitur littera *R*, Rabanum non Rufinum intelligendum esse comperi, collato loco illo « Si quis uxorem dimiserit excepta causa fornicationis » qui totus est Rabani: quod equidem magnopere miror, quia coævi quidem fuerunt Claudius et Rabanus, sed tamen paulo senior Claudius. Fortunati quoque nomen nonnisi ex præfatione Hieronymi ad Comm. in Matth. videtur Claudius cognovisse.

recundiam, quam loquacem familiaritatis audaciam. Legite si vivetis (*ita cod.*), atque transcribite.

Obsecro etiam ut postquam vobis bene cognitus fuerit, fratribus nostris, quibus adhuc incognitus est, remittatur. Denique ego præsentiam vestram intra mentis meæ arcana possideo, et effigiem vestram in speculo mei cordis intueor, quam illic charitas nostra perfecte depinxit, ut nullius ætatis possit oblivione deleri, quæ jugi recordatione momentis singulis innovatur. Illic enim vobiscum et consuetudinem pietatis vestræ secretius conloquor; illic etiam de vitæ melioris conversatione pertracto: illic vos labiis mentis exosculor, et manibus mentis amplector. Quo fit ut vera dilectio, quæ in visceribus meis viva vestri figuratione nutritur, et igniculo charitatis accenditur, amoris vestri B mihi necessitudinem repromittat, et animus meus mihi animi vestri fidejussor existat; dum quantum mihi de vobis præsumere debeam, conscium mutuæ dilectionis pectus interrogo.

Et ideo specialiter deposco tam vos quam omnes etiam cœlestium præceptorum factores, et divinorum eloquiorum sectatores « ad quoscunque sive per hoc sive per aliud quodcunque opusculum notitia nominis A mei pervenerit, intercessionem peccatorum meorum supplex ab omnibus exquiro, subnixa prece deposcens, ut ita misericordissimo Domino nostro assiduis petitionibus flagitetis, ut in omnibus delictis meis atque peccatis omnibus, opitulantibus vobis, consuetudinaria clementia et copiosa bonitate deletis, etsi non ad idem præmium, saltim ad eumdem nos portum quietis jubeat pervenire (*a*). » Ut quatenus hic propter spatia interjecta terrarum, oculis corporis sæpius nos videre non possumus, vel ibidem de mutua præsentia gaudeamus. Et quando vobis a justo judice retribuetur corona meritorum, mihi a piissimo redemptore et advocato perfectissimo commissorum venia non negetur. Et ideo per ineffabilem gratiæ ac virtutis operationem nobis præstare dignetur, ut quos hic veritate fidei conjungit, illic habitatione non separet; concedatque divina miseratio, ut paternitatem tuam per annos multos exteriore vigore et alacritate integræ sanitatis indulgeat; quia vere tunc reparatum esse me sentio, si de sospitate vestra semper optata cognovero. Filios vestros et fratres meos salutans veneror, et venerans saluto. Mementote mei, viri Dei.

(*a*) Hanc item particulam ediderat Baronius.

# CLAUDII EPISCOPI

## PRÆFATIO IN COMMENTARIOS SUOS AD EPISTOLAS PAULI APOSTOLI (*a*).

(Maii Script. vett. Coll. nov., tom. VII, p. 274.)

Venerabili in Christo sinceraque charitate dili- C gendo Theudemiro abbati Claudius inspirante gratia Dei episcopus perpetuam beatitudinis opto in Domino salutem.

Non velut pertinaciter rigidus, renisus sum voluntati tuæ diu multumque, studiosissime clientule, ut dilucidatas gentium magistri Epistolas non tibi dirigerem; sed obstrepentibus quæ isto in sæculo rotatico causis insurgunt præpeditus, necdum facere potui. Proposueram in corde meo quippe, ut in scrutandis meditandisque Scripturis, quando ad illarum dulcedinem primitus accessi, vigil et indefessus existerem, ne acumen mentis obdormire permitterem inerti torpore: cogitans penes me, tunc veraciter me vivere angelorum pane; et si non ut summi viri, saltem quemadmodum languens vivere nitens, lingua D lambere aliquid valuissem, et alios admonerem, ut apostolicam meo sectarentur exemplum. Unde quæ retro sunt obliviscentes, ad ea quæ interiora sunt per intelligentiam extendentes nos, in spirituali speculo crescentes, minime retineamur ab inlicitis cupiditatibus. Ut Cicero ait (*b*): « Quæ nobis, inquit, dies noctesque considerantibus acuentibusque intelligentiam, quæ est mentis acies, caventibusque ne quando illa hebescat, id est in philosophia viventibus, magna spes est. » Post paululum adjungens ait: « Et si ut antiquis philosophis, hisque maximis longeque clarissimis placuit, æternos animos ac divinos habemus, sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicaverint hominum vitiis et erroribus, hoc his faciliorem ascensum et reditum in cœlum fore ». Deinde addens hanc ipsam clausulam repetendo, sermonem finiens: « Quapropter, inquit, ut aliquando terminetur oratio, si aut exstingui tranquille volumus, cum in his artubus (*c*) vixerimus; aut si ex hac in aliam aut (*d*) paululum meliorem domum exspecto.

(*a*) Ex antiquo codice Bobiensi, nunc Vaticano. Porro hujus præfationis in Parisiensi codice lectæ meminit etiam Richardus Simonius Hist. crit. T. N., cap. 25. Ego vero hanc interim edo, omissis commentariis, quorum postea divulgandorum etiam

(*b*) In fragmentis operis de Philosophia, sive in Hortensio, apud August. de Trin. lib. XIV fin.

(*c*) Perperam *artibus* in editionibus Ciceronis.

(*d*) Edd., *haud paulo*.

sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera et cura ponenda est (a). Ardor namque iste, etsi non instruit quærentis animum, ingenium saltem exercet; et invenit scire se quod se fortasse nescire putabat; unde admonitus scit quod antea nesciebat. » Dum enim victum labore et nummis emerem, commodius in divinis Scripturis mea versabatur intentio. Ad diœceseos curam accedens, quot causæ surgunt, eo amplius sollicitudines pariunt. Brumale tempus vias palatinas terens eundo et redeundo, minus licet implere supra commemoratum amorem. Post medium veris procedendo armatum pergamenam (b) pariter cum armis ferens, pergo ad excubias maritimas, cum timore excubando adversus Agarenos et Mauros; nocte tenens gladium, et die libros et calamum implere conans cœptum desiderium. Nisi enim ille vir, cum gratia præcedente, spiritui præsideret, quem commendat Apostolus, cum de capite viri non velando loquitur, illud menti meæ accideret quod de semine jacto citra viam Dominus protulit. Qui etiam te agere vitam demonstras, quando me sine sollicitudine consideras, et ob hoc molestus es mihi exactor. Nec enim debes molestus esse mihi, quando ego si, ut voluntas adest, possibilitas adesset, debitor tui non fuissem: si ante has sollicitudines hoc opus non fuissem aggressus, rogantibus fratribus, ut nosti, vix nunc exinde aliquid valuissem agere. Et vere fateor me primitus invitum accessisse et in hoc opus et in Pentateuchum, quod postulas, imperantibus fratribus in schola constitutis, quibus viva voce Scripturas tradebam, præcipiente pio principe Hludowico imperatore, compulsus etiam a memorato principe ut non tantum verba per oblivionem palantem traderem, sed etiam calamo diu permanente scriberem, ut quod ore promebam, calamo scriptitarem. De admonitione fratrum et exhortatione unde rogasti quod scriberem, ut votum quod voverunt Domino reddant; et votum, ut dico, non propositum, quod scripsisti, quod solius Dei est; nullam admonitionem meliorem potui invenire, quam Epistolæ primæ Pauli apostoli, quam misi, quia tota inde agitur ut merita hominum tollat, unde maxime nunc monachi gloriantur (c): et gratiam Dei commendat, per quam omnis qui vovit, quod vovit Domino reddat.

(a) Hactenus Cicero apud Augustinum. Subsequens autem periodus utrum Ciceronis an Claudii sit eruditi dispiciant.

(b) Cod., *pergameno*.

(c) Temeraria hæc et falsa Claudii sententia confutatione non indiget. Et quidem scimus, Claudium de cultu quoque sacrarum imaginum perperam opinantem a Theudemiro abbate (quem Claudius nunc alloquitur) fuisse refutatum. Ut mittam Arianismi criminationem Claudio impactam, qua cæteroquin critici homines eum absolvunt.

# CLAUDII EPISCOPI

## PRÆFATIO EXPOSITIONIS IN EPISTOLAM AD EPHESIOS, AD LUDOVICUM PIUM IMPERATOREM.

(Mabill., Vet. Analect., p. 91.)

Proprio domino meo inclyto atque glorioso, mihi speciali cultu affectuque præ cunctis mortalibus diligendo, gratia Dei Patri patriæ potius quam imperatori, cujus imperii dignitas ex fonte orta est pietatis, sanctæ Dei Ecclesiæ catholicæ filio Hlodohico Claudius peccator.

Cum nostris temporibus tepescentibus studiis rarus quisque inveniatur quotidiana intentione promptissimus, non solum ad disserendum quæ indiscussa sunt, sed etiam ad legendum quæ jam a majoribus disserta sunt, mirum a me opus tanta ac tam sublimis vestra exigit imperialis potestas, cum Epistolas magistri gentium apostoli Pauli ex tractatibus majorum nostrorum disserere jubet qui nos illuminantes e Christo in studio hujus operis affatim scientia et tempore præcesserunt. Novit namque sacratissima et mihi semper amantissima serenitas vestra, quæ piis est semper operibus intenta, et sanctis lectionibus erudita, quam sub imperiali diademate theoreticam non ambigo peragere vitam; quid de laude earumdem epistolarum in Epistola sua secunda scripserit beatus porro apostolus Petrus, in qua ait: *Sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus Epistolis loquens in eis de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles homines depravant, sicut et cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Ecce teste beato Petro ejus coapostolo invenimus quod adhuc in carne viventibus ipsis apostolis, ob difficultatem sensus illarum ab indoctis hominibus, qui eas non recte intellexerunt, diversæ hæreses emerserunt. Quis ergo ad expositionem illarum digne vel proprie accedere possit, quas tantus ac talis primus in carne Domini confessor et Novi Testamenti Ecclesiæ pastor asserit esse difficiles intellectu? Attamen, licet non viribus meis, sed meritis vestris, adjuvante illo qui aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas: qui est fidelis in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis; qui dixit: *Petite, et accipietis; quærite et invenietis, pulsate, et aperietur vobis*; largiente pietate ejus, circa socordiam sensus mei Epi-

stolas beati jam dicti apostoli Pauli ad Ephesios atque ad Philippenses, non tam ex majorum tractatibus, quam ex diversorum tractatuum sententiis, veluti mendicus non habens propriam segetem, sed post terga metentium ex aliorum segete congregat sibi victum, ne hiemis tempore fame periclitetur: ita et ego ex aliorum dictis, has brevi stylo comprehendi Epistolas. Quam expositionem si aptam ad legendum judicaverit serenitas vestra, ad auctorem referite Christum: quia hoc ipsum, ut præfatus sum, donante Domino vestrum est. Si vero reprehensioni patuerit propter sermonis rusticitatem, remota fallacia quæ rectam fidem offendit, hujusmodi homines a nobis non pertimescendos ille admonuit, de quo loquimur, et quem tenemus in manibus, qui regnum Dei non in sermone, sed in virtute esse perdocuit, ac semetipsum verbo potius quam scientia imperitum esse scripsit. Funestum atque detestabile Pelagii dogma, qui ingratus divinæ gratiæ exstitit prædicator per cœlestis gratiæ gratissimum præconem beatissimum Augustinum de hac epistola, quantum potui, funditus abdicavi.

Sed et illorum qui ex hac ad Ephesios Epistola fulciri moliti sunt hæresem suam, ubi ait, *Sicut elegit nos ante mundi constitutionem*, animas hominum ante mundi principium fuisse et coæternas Deo creatori senserunt; sive etiam in Epistola ad Philippenses Deum Patrem potiorem Filio crediderunt. Hæc omnia, velut mortale præcipitium aut lethale

A virus, catholicis auribus denuntio fugienda: quorum idcirco reticeo vocabula, ne derogare videar, præcessores potius, quam dicere veritatem.

Epistolam sane Apostoli ad Galatas in qua anno præterito, in quantum valui, studiosissime laboravi, nihil in ea nuper auxi: sed ita, ut antea a me comprehensa est, huic vero operi juxta ordinem suum in capite sociavi.

De cæteris vero epistolis, licet plurima penes me teneantur excerpta, multa tamen adhuc supersunt perquirenda. Sed quia me anno præsenti, præpedientibus peccatis meis, graviter obligastis, et nimiis anxietatibus deditus, mihi vivere non libet, neque Scripturas perscrutari licet. Unde obsecro

B clementiam vestram, ut non mihi sitis molestus exactor: quia si me adjuverit pietas divina, ego ad reddendum devotus sum debitor. Omnipotens Dominus, qui est Rex regum et Dominus dominorum, vos dominum meum inimicorum omnium superare insidias faciat; concessoque præmio sincerissimæ charitatis, ad profectum et ornatum totius Ecclesiæ, ita vivere concedat, ut finito mortalis vitæ termino, liberum a peccati conscientia suo sancto astare faciat throno. *Explicit.*

INCIPIT TRACTATUS.

Ephesii sunt Asiani. Hi accepto verbo veritatis perstiterunt in fide, hos collaudat Apostolus scribens eis a Roma de carcere, etc.

# CLAUDII EPISCOPI

# ENARRATIO IN EPISTOLAM D. PAULI AD GALATAS.

(Biblioth. max. Patrum, tom. XIV.)

## AUCTORIS

### EPISTOLA DEDICATORIA.

Domino piissimo et in Christo summo mihi honore singulariter excolendo Dructeranno abbati Claudius peccator.

Tres, ni fallor, et eo amplius jam pertranseunt tempore anni, quod me adhuc in Aluenni cespitis arvo, in palatio pii principis domini Ludovici tunc regis, modo imperatoris, detentum socordia sensus mei tua fervida dilectione adorsus excitare, ut aliquem fructuosum laborem in Epistolis magistri gentium assumerem apostoli Pauli. Sed quia laboribus et turbinibus mundi depressus hactenus parere jussioni tuæ nequivi, modo largiente Deo in isto Quadragesimæ tempore epistolam beati jam dicti apostoli Pauli ad Galatas ex tractatibus beatorum Augustini et Hieronymi Patrum permixtis procuravi ordinare sententiis. In quibus tractatibus cum ad congruentem expositionem multa deesse cernerem, verti me

C ad alios libros præfati jam Patris Augustini et exinde eam, quæ in illis deerat tractatibus, explere studui expositionem. Nonnulla etiam, ut mihi visum est, infra illorum locutionem, mea studui conjungere verba, quæ utramque expositionem absque scissione conjungerent, et legentis exercerent sensum, et fastidium facerent evitare. Hanc interim quasi manubias quasdam tuæ ovans dirigere studeo sanctitati: ut quoties eam manu tenueris et legeris, mei memor esse digneris: et in unum conjungat immensa ubique præsens Christi charitas, quos spatia terrarum dissociant. De cæteris vero epistolis, jam multa in manibus nostris tenentur excerpta, ad quas, si Dominus voluerit, et vitam atque salutem concesserit, o[illegible]us vobis pro nobis, ad expositionem illarum

D quantocius potuero accedere procurabo. Pius et misericors Deus et reverendam mihi beatitudinem tuam, ad profectum et ornatum Ecclesiæ suæ, et annis multiplicare dignetur, et meritis. Vale in Domino vir Dei, et memento mei.

## *ARGUMENTUM*

## EPISTOLÆ D. PAULI AD GALATAS.

Galatæ sunt Græci. Galatia dicta a priscis Gallorum gentibus, a quibus exstitit occupata. Nam Galli in auxilium regis Bithyniæ vocati, regnum cum eo post peractam victoriam diviserunt: sicque deinde Græcis admisti, primum Gallogræci, nunc ex antiquo Gallorum nomine Galatæ dicuntur, et eorum regio Galatia nuncupatur. Hi verbum veritatis primum ab Apostolo acceperunt, sed post discessum ejus tentati sunt a falsis apostolis, ut in legem et circumcisionem verterentur. Hos Apostolus revocat ad fidem veritatis, scribens eis ab Epheso. Hoc vel maxime argumento Galatæ erant a pseudoapostolis persuasi atque seducti, quod Paulum, per quem vero Evangelio crediderant, non esse apostolum audiebant: videlicet, quia neque de duodecim electus, neque Christum, ut Petrus et cæteri, aliquando secutus fuisset. Quam derogationem necesse habebat veris rationibus, ac auctoritate sancti Spiritus refutare, per ordinem probans non se ab hominibus, neque per hominem missum, sed per eum qui ipsum et cæteros in ordinem apostolatus elegit.

## ITEM ALIUD ARGUMENTUM.

Causa propter quam scribit Apostolus ad Galatas, hæc est, ut intelligant gratiam Dei id secum agere, ut sub lege jam non sint. Cum enim prædicata eis esset Evangelii gratia, non defuerunt quidam ex circumcisione, quamvis Christiani nomine, nondum tamen tenentes ipsum gratiæ beneficium, et adhuc volentes esse sub oneribus legis, quam Dominus Deus imposuerat, non justitiæ servientibus, sed peccato: justam scilicet legem injustis hominibus dando, ad demonstranda peccata eorum, non auferenda. Non enim aufert peccata nisi gratia fidei quæ per dilectionem operatur. Sub hac ergo gratia jam Galatas constitutos illi volebant constituere sub oneribus legis, asseverantes nihil eis prodesse Evangelium, nisi circumciderentur, et cæteras carnales Judaici ritus observationes subirent. Et ideo Paulum apostolum suspectum habere cœperant, a quo illis Evangelium prædicatum erat, tanquam non tenentem disciplinam cæterorum apostolorum, qui gentes cogebant judaizare. Cesserat enim talium hominum scandalis apostolus Petrus, et in simulationem eorum ductus erat, tanquam et ipse hoc sentiret, nihil prodesse gentibus Evangelium, nisi onera legis implerent. A qua simulatione idem apostolus Paulus eum revocavit, sicut in hac ipsa Epistola docet. Talis quidem quæstio est et in Epistola ad Romanos: verumtamen videtur aliquid interesse, quod ibi contentionem ipsam dirimit, litemque comprimit, quæ inter eos qui ex Judæis et eos qui ex gentibus crediderant orta erat: cum illi tanquam ex meritis operum legis sibi redditum Evangelii præmium arbitrarentur, quod præmium incircumcisis, tanquam immeritis, nolebant dari; illi contra Judæis se præferre gestirent, tanquam interfectoribus Domini. In hac

A vero Epistola ad eos scribit qui jam commoti erant auctoritate illorum qui ex Judæis erant et ad observationes legis cogebant. Cœperant enim eis credere, tanquam Paulus apostolus non vera prædicasset, quod eos circumcidi noluisset: et ideo sic cœpit: *Miror quod sic tam cito transferimini, ab eo qui vos vocavit in* gloriam *Christi, in aliud Evangelium.* Hoc ergo exordio causæ quæstionem breviter insinuavit: quanquam et ipsa salutatione (cum dicit se apostolum *non ab hominibus, neque per hominem*, quod in nulla alia Epistola dixisse invenitur) satis ostendit, et illos qui talia persuadebant non esse a Deo, sed ab hominibus: et cæteris apostolis, quantum ad auctoritatem testimonii evangelici pertinet, imparem se haberi non oportere. Quandoquidem non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, se apostolum noverit. Singula igitur ab ipso Epistolæ vestibulo, permittente Domino et adjuvante studium nostrum, sic considerauda et tractanda suscepimus.

B

## IN CAPUT PRIMUM EXEGESIS.

*Paulus apostolus.* Quod nomen suum apostolus Paulus in omnibus pene Epistolis præponit in titulo, auctoritas est. Ut enim judices sæculi hujus, quo nobiliores esse videantur, ex regibus quibus serviunt, et ex dignitate, qua intumescunt, vocabula sortiuntur; ita et Apostolus grandem inter Christianos sibi vindicans dignitatem, apostolum se Christi titulo prænotavit, ut ex ipsa lecturos nominis autoritate terreret, judicans omnes qui in Christo crederent, debere sibi esse subjectos. Apostolus autem, hoc

C est missus, Hebræorum proprie vocabulum est, quod Silas quoque sonat: cui a mittendo missove nomen impositum est. Aiunt Hebræi inter ipsos quoque prophetas et sanctos viros esse quosdam, qui et prophetæ et apostoli sint; alios vero qui tantum prophetæ. Denique Moysen cui dicitur: Et ego mittam te ad Pharaonem; et ipse respondeat: Provide alium, quem mittas (*Exod.* III), et Isaiam, cui loquitur Deus: Quem mittam, et quis ibit ad populum istum (*Isa.* VI)? esse et apostolos et prophetas. Unde et nos possumus intelligere, Joannem quoque Baptistam et prophetam et apostolum appellandum. Siquidem ait Scriptura: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes* (*Joan.* I). Et in Epistola ad Hebræos propterea Paulum solita consuetudine nec nomen suum, nec Apostoli vocabulum præposuisse,

D quia de Christo erat dicturus: Habentes ergo principem sacerdotum et apostolum confessionis nostræ Jesum (*Hebr.* IV): nec fuisse congruum ut ubi Christus apostolus dicendus erat, ibi etiam Paulus apostolus poneretur. Quatuor autem genera apostolorum sunt: unum, quod neque ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem; aliud, quod a Deo quidem est, sed per hominem; tertium, quod ab homine, et non a Deo; quartum, quod neque a Deo, neque per hominem, sed a semetipso. De primo genere potest esse Isaias et cæteri prophetæ, et ipse apostolus Paulus, qui

neque ab hominibus, neque per hominem, sed a Deo A Patre et Christo missus est. De secundo, Jesus filius Nave, qui a Deo quidem est apostolus constitutus, sed per hominem Moysen. Tertium genus est, cum hominum favore et studio aliquis ordinatur, ut nunc videmus plurimos non Dei judicio, sed redempto favore vulgi, in sacerdotium subrogati. Quartum est pseudoprophetarum et pseudoapostolorum, de quibus Apostolus, *istiusmodi*, inquit, *pseudoapostoli, operarii iniquitatis, transfigurantes se in apostolos Christi* (*II Cor.* XI), qui dicunt, Hæc dicit Dominus, et Dominus non misit eos.

*Non ab hominibus, neque per hominem.* Non superbe, ut quidam putant, sed necessarie, neque ab hominibus, neque per hominem, se apostolum esse proponit, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, B ut eos qui Paulum extra duodecim apostolos ventilabant, et nescio unde subito prorupisse, vel a majoribus ordinatum, hac auctoritate confunderet. Potest autem et oblique in Petrum et in cæteros dictum accipi, quod non ab apostolis ei sit traditum Evangelium, sed ab ipso Jesu Christo, qui et illos apostolos elegerat. Hoc autem totum ideo præparatur, ut nemo sibi contra legis onera pro Evangelii gratia disputanti posset opponere. Sed Petrus hoc dixit, sed apostoli hoc statuerunt, sed præcessores tui aliud decreverunt: quod quidem in sequentibus, nunc quasi occulto sermone præcludens, manifestius facit, dum ab eis qui videntur esse aliquid, nihil in se collatum refert: et ipsi Petro in faciem restitisse C se scribit, nulla dicens necessitate compulsum, ut hypocrisi cederet Judæorum. Quod si temerarium quibusdam videtur, eum contra apostolos, quamvis occulte, locutum, qui Hierosolymam idcirco perrexit ut cum eis conferret Evangelium, ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset. Sequitur:

*Sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis.* Quia enim et Filii et Patris una est operatio: et ut scias quia Deus est Christus, a quo ille est factus apostolus, diligenter adverte quod ante nominaverit Filium quam Patrem, contra calumnias Arianorum. Illud vero quod addidit, *qui suscitavit eum a mortuis*, secundum hoc creditur suscitatus, secundum quod mori potuit, sola scilicet carne.

*Et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ.* In aliis Epistolis Sosthenes et Silvanus, interdum et Timotheus in exordio præponuntur. In hac tantum, quia necessaria erat auctoritas plurimorum, omnium fratrum nomen assumitur, qui et ipsi forsitan ex circumcisione erant, et a Galatis non contemptui ducebantur. Plurimum quippe facit ad populum corrigendum multorum in una re sententia atque consensus. Postquam enim auctoritatem suam commendavit, hos addit, ut omnes commotos adversus eos ostenderet, quamvis sufficeret auctoritas ejus, nec posset refutari. Tamen ut grave factum illorum ostendat, quo a prima fide destiterant, multos secum accensos ad errorem illorum arguendum designat. Facile enim poterit quis intelligere errare se, si se a multis videat reprehendi. Quod autem ait, *Ecclesiis Galatiæ*, et hoc notandum, quia hic tantum generaliter, non ad unam Ecclesiam unius urbis, sed ad totius provinciæ scribebat Ecclesias. Et Ecclesias vocat, quas postea errore arguit depravatas. Ex quo noscendum dupliciter Ecclesiam posse dici, et eam quæ non habeat maculam aut rugam, et vere corpus Christi sit; et eam quæ in Christi nomine absque plenis perfectisque virtutibus congregetur.

*Gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino Jesu Christo.* Gratia Dei est, qua nobis donantur peccata, ut reconciliemur Deo. Pax autem, qua reconciliamur Deo, non ut in cæteris epistolis, Dei Patris et Domini nostri Jesu Christi, gratiam ponit, et pacem, per quas absque operum merito et peccata nobis concessa sunt pristina, et pax indulta post veniam: sed prudenter jam causam agit adversum eos qui fuerant a lege præventi, et putabant se posse ex operibus justificari, ut scirent se salvos gratia, et in eo perseverare debere quod cœperant.

*Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut nos eriperet de præsenti sæculo maligno.* Neque Filius se dedit pro peccatis nostris absque voluntate Patris, neque Pater tradidit Filium sine Filii voluntate. Sed hæc est voluntas Filii, voluntatem Patris implere, ut ipse loquitur in Psalmo: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui* (*Psal.* XXXIX). Aperte ostendit nihil prodesse legem, quando Christum dicit obtulisse se, ut pro nobis pateretur, ut nos justificaret, quos lex reos tenebat, ut eruti a lege per fidem Christi, jam non peccatores essemus, sed justificati secunda nativitate Filii Dei appellati. Sæculum præsens malignum propter malignos homines qui in illo sunt, intelligendum est, sicut dicimus malignam domum propter malignos inhabitantes in ea, non tamen sæculum ipsum quod die et nocte, annis currit et mensibus, appellari malum, sed ea quæ in sæculo fiunt. Quomodo sufficere dicitur diei malitia sua (*Matth.* VI). Et dies Jacob parvi scribuntur et mali (*Gen.* XLVII); non quod spatium temporis, in quo vixit Jacob malum fuerit, sed quod ea, quæ sustinuit, per varia eum exercuerunt temperamenta.

D *Secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est gloria.* Quanto igitur magis homines non debent arroganter ad seipsos referre, si quid operantur boni, quando et ipse Dei Filius in Evangelio non gloriam suam se quærere dixit, neque voluntatem suam venisse facere, sed voluntatem ejus qui eum misit (*Joan.* VIII). Quam voluntatem gloriamque Patris nunc commemoravit Apostolus, ut ipse quoque Domini exemplo, a quo missus est, non se quærere gloriam suam significaret, nec facere voluntatem suam in prædicatione Evangelii, sicut paulo post dicit: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Ut firmum sit et plenum auctoritate, quod dicit, quia Christus nos liberavit, addidit, quia istud cum Patris fecerit voluntate.

*In sæcula sæculorum.* Infinitis beneficiis infinita A gloria debetur.

*Amen.* Prologum suum Hebræo sermone concludit, Amen. Septuaginta transtulerunt, γένοιτο, fiat; Aquila, πεπιστωμένος. Nos vero vere sive fideliter interpretari possumus: quod etiam in Evangelio a Salvatore semper assumitur, sua per Amen verba confirmante.

*Miror quod tam cito transferimini, ab eo qui vos vocavit in gloriam Christi, in aliud Evangelium, quod non est aliud.* Enumeratis beneficiis mirari se dicit Apostolus quod ab Evangelii libertate potuerint solis verbis retrahi in legis servitutem, a quo nullis tormentis debuerint separari. Evangelium enim si aliud est præter id quod sive per se, sive per aliquem Dominus dedit, jam nec Evangelium dici potest. Vi- B gilanter autem cum dixisset, *Transferimini ab eo qui vos vocavit in gloriam Christi*, quam volebant illi evacuare, quasi frustra venerit Christus, si adhuc tenenda erat circumcisio carnis, atque hujusmodi legis opera tantum valebant, ut per illam homines salvi fierent, addidit:

*Nisi sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi.* Volunt, inquit, Evangelium Christi mutare, convertere, turbare: sed non valent, quia hujus naturæ est ut non possit aliud esse quam quod verum est. Non quemadmodum istos conturbant, ita etiam convertere possunt Evangelium Christi, quia manet firmissimum: sed tamen convertere volunt, quia ab spiritualibus ad carnalia revocant intentionem credentium. Illis enim ad ista C conversis, manet Evangelium non conversum. Et ideo cum dixisset conturbantes vos, non dixit et convertentes, sed *volentes*, inquit, *convertere Evangelium Christi.*

*Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Veritas propter seipsam diligenda est, non propter hominem, aut propter angelum, per quem annuntiatur. Qui enim propter annuntiatores eam diligit, potest et mendacia diligere, si qua forte ipsi sua protulerint. Propterea autem sibi, qui aliud in Judæa facere, aliud docere in gentibus criminabatur; et angelo, quem majorem etiam præcessoribus suis apostolis esse contestabatur, anathema denuntiavit, D ut non magna Petri et Joannis putaretur auctoritas, cum nec sibi liceret, cui eos ante docuerat, nec angelo aliter prædicare, quam semel didicerant. Sic itaque et angelum nominatim posuit, alios vero absque nomine. Si quis, inquit, vobis evangelizaverit, ut in generali vocabulo nec præcessoribus faceret injuriam, et tamen nomina eorum latenter ostenderet. Nemo miretur Apostolum, qui ferit[illegible] morum mansuetabat, sic esse commotum. Pro Galatarum enim salute indignatur adversus inimicos disciplinæ Christianæ. Indignatio enim hæc ostendit, non leve peccatum esse, post acceptam fidem converti ad legem. Nam tam firmum et verum Evangelium, quod eis prædicaverat, asserit, ut etiam seipsos, id est apostolos (si immutati forte aliter prædicarent) non audiri doceret: quorum utique fama, quod essent apostoli Christi, peragraverat omnem locum: aut si forte diabolus angelum Dei fingens, ut facile possit audiri, de cœlis appareret contra hæc prædicans, sciretur esse contrarius, et abominatio haberetur. Si ergo apostolos Christi, quorum tam præclara opinio in signis et prodigiis erat faciendis, et angelum de cœlo, quem possit spiritalis ratio commendare, aliter docentes, quam ab apostolo Paulo docti erant, anathematizari præcipit, quanto magis quos nullum testimonium ad seducendum potest commendare? Ideo autem iterat contestationem, ut confirmet eos in prima traditione. Iterata enim lex sollicitiores reddit negligentes.

*Sicut enim prædiximus, et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit.* Aut præsens hoc prædixerat, aut quia iteraverit quod dixit, propterea voluit dicere, sicut prædiximus; tamen ipsa iteratio saluberrime intentionem movet ad firmitatem retinendi eam, quæ sic commendatur, fidem. Potest et hyperbolice dictum accipi: non quod aut apostolus, aut angelus, aliter potuerint prædicare, quam semel dixerint: sed etiam, si hoc posset fieri, ut et Apostolus et angeli mutarentur, tamen non esse ab eo, quod semel acceptum fuerat, recedendum. Facit autem hoc, non contra solos Galatas, sed et contra omnes hæreticos, qui traditiones apostolicas mutare conantur.

*Modo enim hominibus suadeo, an Deo? an quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Nemo Deo suadet, quia manifesta sunt illi omnia, sed hominibus. Ille bene suadet, qui non se illis placere vult, sed ipsam, quam suadet, veritatem. Qui enim placet hominibus, non ab ipsis suam gloriam quærens, sed Dei, ut salvi fiant, non jam hominibus, sed Deo placet. Aut certe jam cum et Deo placet, simul et hominibus, non utique hominibus placet. Aliud est enim placere hominibus, aliud et Deo et hominibus (*II Cor.* v). Non putemus ab Apostolo nos doceri, ut exemplo suo hominum judicia contemnamus, qui in alio loco dixit: *Scientes ergo timorem Domini hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus.* Et illud: *Sine offensione estote, Judæis et gentibus, et Ecclesiæ Dei, sicut ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant* (*I Cor.* x). Si enim fieri potest ut pariter et Deo et hominibus placeamus, placendum est et hominibus. Sin autem aliter non placemus hominibus, nisi Deo displiceamus, Deo magis quam hominibus placere debemus. Alioqui et ipse infert cur omnibus per omnia placeat, Non quærens, inquiens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salventur. Qui autem ex ea charitate quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliena, placet hominibus, ut salventur, utique Deo primum placet, cui salus hominum chara est. Habet autem et verbum, quod hic specialiter additum est, *modo*, vel placendum esse pro tempore

hominibus, vel displicendum, ut qui modo non placet propter Evangelii veritatem, placuerit quondam ob salutem plurimorum. Placuerat Paulus aliquando Judæis, cum, æmulator existens paternarum traditionum, sine querela in lege versatus est, et tantum habuit in majorum cæremoniis ardoris et fidei, ut in Stephani nece particeps fuerit, et Damascum perrexerit ad eos, qui a lege desciverant, vinciendos (*Act.* VIII, IX). Sed postquam in vas electionis de persecutore translatus est, et cœpit prædicare fidem, quam quondam expugnaverat, cœpit pariter displicere Judæis, quibus ante placuerat. Hoc est ergo quod ait : Nunquid quæro Judæis placere, quibus displicendo, Deo placui? Si enim illis placerem, adhuc *Christi servus non essem*. Assererem quippe legem, et Evangelii gratiam destruerem : nunc autem propterea ne in simulationem quidem observandæ legis adducor, quia non queo et Deo placere pariter et Judæis, quibus quicunque placet, Deo displicet.

*Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem : neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Nunc principium epistolæ aperit. Ipsum enim sensum vult manifestare, quia non ea quæ docebat, ab homine didicerat, ut forte dubitaretur de his quæ docebat, neque secundum humanum judicium apta erat ejus prædicatio, ut indigna divina auctoritate videretur, sed a Dei Filio dicit se didicisse per revelationem, cum jam post resurrectionem esset in cœlis, sicut supra memoravit, et ea quæ didicit convenire voluntati majestatique ejus a quo se didicisse testatur. Evangelium quod secundum hominem est, mendacium est : *Omnis* enim *homo mendax* (*Psal.* CXVI; *Rom.* III); quia quidquid veritatis invenitur in homine, non est ab homine, sed a Deo per hominem. Ideo jam quod secundum hominem est, nec Evangelium dicendum est, quale illi asserebant qui in servitutem ex libertate attrahebant eos quos Deus ex servitute in libertatem vocabat. Inter accipere autem et discere hoc interest quod accipit Evangelium, cui primum insinuatur, et qui ad fidem ejus adducitur, ut credat vera esse quæ scripta sunt; discit autem is qui ea quæ in illo per ænigmata et parabolas figurata sunt, explanata et disserta cognoscit, et cognoscit non homine revelante, sed Christo. Potest, sicut in principio diximus, cum exponeremus, *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem*, ita et in præsenti loco oblique in Petrum accipi, et in cæteros præcessores ejus, quod nullius pro lege auctoritate moveatur, qui Christum solum Evangelii habeat præceptorem. Porro revelationem illam significat, cum Damascum vadens in itinere Christi vocem audivit : *Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX)? Et cæcatus oculis verum lumen mundi intuitus est.

*Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Propositum suum, quo prius juxta carnem vigebat repugnans Ecclesiæ, breviter memorat : sed, ut famulus Christi esset, hunc se reliquisse : magis enim se devotum quam illos, in vindicanda lege fuisse designat. Non tamen propter hominum favorem, sed hoc putans utile apud Deum. Per ignorantiam enim cum humanitati placeret, Deo se servire putabat, liberam habens conscientiam. Nesciebat enim jam tempus asserendæ legis non esse. Quapropter doctrinam secutus patrum Judæorum, aut in errore, aut in malevolentia constitutorum, omni industria et fervore mentis id agebat, ut cæteris coæqualibus sibi æmulatione legis præstantior videretur : sic insaniens contra disciplinam Christi, ut nulli hominum parceret, fidei fœdera assecuto; sed cum revelatione Dei laborem hunc inanem esse didicisse, et magis contrarium, destitisse ab eo, et se fidei gratiæ destinasse, ut profectus ei esset apud Deum. Si ergo hic, qui Israelita est, et qui dignitate doctoris fultus erat apud Judæos, eruditus a Gamaliele viro prudentissimo, locum habens cum optimis vita hominibus reliquit legem : quanto magis ii qui extra legem erant, legi se subjicere non debuerant? Et si hic gaudet exisse se de sub jugo servitutis, quid est ut hi libertatem suam obligaverint vinculis legis? Plurimum prodest Galatis ista narratio, quomodo Paulus vastator quondam Ecclesiæ et Judaismi acerrimus defensor, ad Christi fidem repente conversus sit. Et hoc eo tempore, quo crucifixus primum annuntiabatur in mundo, quo novum dogma, et a gentibus, et a Judæis, totius orbis finibus pellebatur. Dicere enim poterant, Si ille, qui a parva ætate Pharisæorum institutus est disciplinis, qui omnes coætaneos suos in Judaica traditione superabat, nunc defendit Ecclesiam, quam quondam validissime persequebatur, et magis Christi gratiam et novitatem vult habere cum invidia omnium quam venustatem legis cum laude multorum, quid nos facere oportet, qui ex gentilitate esse cœpimus Christiani? Pulchre vero adjunxit : *Supra modum persequebar Ecclesiam Dei*, ut hinc quoque admiratio nasceretur, quod non unus quicunque de his qui leviter persequebantur Ecclesiam, sed ille qui cæteros in persecutione vincebat, conversus ad fidem sit : et prudenter dum aliud narrat, interserit, non tam Dei se servisse legi quam paternis, id est, Pharisæorum traditionibus, qui docent doctrinas, mandata hominum, et rejiciunt legem Dei, ut statuant traditiones suas. Quam elegans autem observatio pondusque verborum.

*Audistis*, inquit, *conversationem meam aliquando in Judaismo.* Conversationem, non per gratiam : ut ostendat non potuisse se inde humano consilio, nisi divina revelatione et misericordia, separari. Aliquando, non modo. In Judaismo, non in lege Dei. *Quoniam supramodum persequebar Ecclesiam Dei*, et devastabam illam. Non persequebar ut cæteri,

sed *supramodum*. Nec sufficiebat, quamvis vehemens persecutio, sed quasi quidam grassator Ecclesiam et prædo vastabam. Nec ait Ecclesiam Christi, ut tunc putabat, quam ducebat contemptui, quam persequebatur : sed, ut nunc credit, Ecclesiam Dei : vel ipsum Christum Deum esse significans, vel ejusdem Dei esse Ecclesiam, qui quondam legis doctor fuit.

*Et proficiebam*, inquit, *in Judaismo supra multos coætaneos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum*. Rursum profectum, non legis Dei, sed Judaismi vocat : nec super omnes, sed super plurimos ; nec super senes, sed super coætaneos, ut et studium suum referret in lege, et jactantiam declinaret. Paternas autem traditiones, non Domini mandata commemorans, et Pharisæum ex Pharisæis indicavit, et habuisse quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam. Usque hodie autem, qui Judaico sensu Scripturas intelligunt, persequuntur Ecclesiam Christi, et depopulantur illam, non studio legis Dei, sed traditionibus hominum depravati.

*Cum autem placuit ei, qui me segregavit de utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizem illum in gentibus*. Segregatur quodammodo de ventre matris, quisquis a carnalium parentum consuetudine cæca separatur. Vel etiam in præscientia ab utero segregavit, quando voluit et fecit quod sciebat esse futurum. Potest et non inconvenienter uterus matris suæ intelligi Synagoga.

*Continuo non acquievi carni et sanguini*. Acquiescit autem carni et sanguini, quisquis carnalibus propinquis et consanguineis suis carnaliter suadentibus assentitur.

*Neque veni Hierosolymam ad antecessores meos apostolos*. Si de apostolis dixerat, *Continuo non acquievi carni et sanguini*, quid necesse fuerat id ipsum iterare dicendo, *Neque veni Hierosolymam ad antecessores meos apostolos*, ut aliquid ab illis discerem? Iste itaque sensus tenendus est quem supra exposuimus.

*Sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum*. Si de Damasco abiit in Arabiam, ut doceret quod fuerat ei revelatum, non sibi videtur historiæ ordo convenire, referente Luca in Actibus apostolorum (*Cap.* IX) quod cum Paulus post fidem Christi per dies multos Evangelium Damasci loqueretur audenter, factæ fuerint ei insidiæ, et in sporta per murum nocte dimissus sit, et venit Jerusalem tentans se jungere discipulis, a quibus cum vitaretur, et timerent ad eum accedere, a Barnaba ad apostolos illum esse perductum, et ibi narrasse quomodo Deum viderit in itinere, et Damasci fiducialiter egerit in nomine Jesu. *Erat*, inquit, *cum illis intrans et exiens in Jerusalem, et fiducialiter agens in nomine Domini. Loquebatur quoque, et disputabat cum Græcis. Illi autem quærebant occidere eum. Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, et dimiserunt Tarsum*. Hic autem dicit se primum isse in Arabiam, et iterum reversum Damascum. Post triennium venisse Hierosolymam, vidisse Petrum, et cum eo mansisse diebus quindecim. Nec, præter Jacobum fratrem Domini, alterum apostolum vidisse, quæ ut vera credantur (dubia quippe videri absentibus poterant) sub testatione confirmat dicens : *Quæ autem dico vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*. Possumus igitur æstimare isse quidem Paulum secundum Lucæ historiam Hierosolymam, non quasi ad antecessores apostolos, ut aliquid ab illis disceret, sed ut persecutionis impetum declinaret, qui sibi Damasci propter evangelium Christi fuerat concitatus, et sic venisse Hierosolymam quasi ad quamcunque aliam civitatem. Unde eum statim propter insidias recessisse, et venisse in Arabiam sive Damascum. Atque inde post triennium ad videndum Petrum Hierosolymam revertisse. Vel certe statim ut baptizatus sit, et accepto cibo confortatus, fuisse eum cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot (*Act.* IX). Et stupentibus cunctis in synagogis Judæorum prædicasse continuo quod Jesus esset Filius Dei, et tunc isse in Arabiam, et de Arabia Damascum revertisse, et ibi fecisse triennium : quos dies multos Scriptura testatur, dicens : *Cum implerentur autem dies multi, consilium fecerunt Judæi, ut eum interficerent*. Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum, et custodiebant portas nocte ac die, ut eum interficerent. Accipientes ergo discipuli ejus nocte per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta. Cum autem venisset Hierosolymam, tentabat se jungere discipulis. Lucam vero idcirco de Arabia præteriisse, quia forsitan nihil dignum apostolatu in Arabia perpetrarat, et ea potius compendiosa narratione dixisse quæ digna Christi Evangelio videbantur. Nec hoc segnitiæ apostoli deputandum, si frustra in Arabia fuerit, sed quod aliqua dispensatio, et Dei præceptum fuerit, ut faceret. Nam et postea legimus in Actis apostolorum, Paulum cum Sila egressum prohibitum esse a Spiritu sancto verbum in Asia loqui. Aliter : *Sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum*. Quid mihi prodest ista relatio, si legam quod Paulus post revelationem Christi statim ierit in Arabiam, et de Arabia Damascum fuerit reversus, nesciam autem quid ibi gesserit, quidve utilitatis habuerit : Itus ac reditus? Dat occasionem altioris intelligentiæ in hac eadem epistola ipse Apostolus de Abraham et Sara, et Agar disputans. *Quæ quidem sunt*, inquit, *per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta : unum quidem in monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem* (*Gal.* IV). Et docet Vetus Testamentum, hoc est, ancillæ filium, in Arabia, quæ interpretatur humilis et occiduo constitutum. Statim itaque ut credidit Paulus ad legem et prophetas, et Veteris Testamenti jam in occiduo, positi sacramenta conversus, quæsivit in eis Christum, quem jussus fuerat in gentibus

prædicare : et reperto illo, non est ibi diutius commoratus, sed reversus Damascum, hoc est, ad sanguinem et ad passionem Christi. Et inde prophetica lectione firmatus, pergit Hierosolymam, locum visionis et pacis. Non tam disciturus aliquid ab apostolis, quam cum eis Evangelium, quod docuerat, collaturus.

*Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.* Si cum evangelizasset Paulus in Arabia, postea vidit Petrum : non ideo ut per ipsum Petrum disceret Evangelium, qui tribus jam annis docuerat, sed ut fraternam charitatem etiam corporali notitia cumularet. Quod si cui non videtur, cum superiori sensu jungat hæc omnia : quod nihil sibi apostoli contulerint, quod jussus sit ire Hierosolymam, ad hoc esse ut videret apostolum : tum intelligeret, eo Paulum non ivisse discendi studio, qui et ipse eumdem prædicationis haberet auctorem, sed honoris priori apostolo deferendi.

*Et mansit apud eum diebus quindecim.* Propterea quindecim ponit dies, ut ostendat, non fuisse grande tempus quo potuerit aliquid a Petro discere : ut ad illum sensum, a quo cœpit, cuncta referat, se non ab homine doctum esse, sed a Deo.

*Alium autem apostolum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Jacobum vidit Hierosolymæ, quia ibi erat constitutus ab apostolis episcopus. Fratrem Domini consobrinum ejus debemus intelligere. Negat se itaque præter hos quemquam apostolorum vidisse, nec occulta contradictio nasceretur, Etiamsi a Petro non es doctus, alios habuisti apostolos præceptores. Non vidit autem eos, non quo contemptui duceret, sed quia illi ad Evangelium prædicandum toto fuerant orbe dispersi.

*Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Quod ad commendationem ejus pertinet locuturus, testem Deum dat, quia ita se habent, quæ dicturus est, ne forte videretur compositum, cum personæ ejus non conveniat aliquid fingere : sed cum se commendat, hos vult proficere. Commendatio enim hæc istis proficit, ut sciant ea, quæ ab hoc dicuntur, esse verissima : qui dicit, *ecce coram Deo, non mentior.* Jurat utique ; et quid sanctius hac juratione? Sed non est contra præceptum Domini ista juratio, in quo ait : *Sit sermo vester, est, est, non, non. Quod autem amplius est, a malo est* (*Matth.* V) ; quantum ergo in ipso est, non jurat Apostolus : non enim appetit jurationem cupiditate aut delectatione jurandi, quod ex malo est, sed infirmitas et incredulitas hoc exigit eorum qui aliter non moventur ad fidem. Hoc autem non solum de his quæ nunc scribit ad Galatas, potest accipi : sed et generaliter de omnibus Epistolis, quia non sunt falsa quæ scribat, et cor ejus verbaque non discrepent.

*Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ.* Post Hierosolymæ visionem venit ad Syriam, quæ nobis dicitur excelsa atque sublimis, et inde transiit ad Ciliciam, quam in fide Christi cupiebat assumere, evangelizans eis vocationem pœnitentiæ Cilicia quippe interpretatur assumptio, sive vocatio lamentabilis.

*Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ in Christo sunt.* Animadvertendum non in sola Hierosolyma Judæos in Christo credidisse, nec tam paucos fuisse, ut Ecclesiis gentium miscerentur, sed etiam multos, ut ex illis Ecclesiæ fierent

*Tantum autem auditum habebant, quod qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat, et in me glorificabant Deum.* Hoc dicit quia cum Judaismum defenderet, contra fidem, sicut et ii a quibus Galatæ fuerant eversi, a Deo electus est, et doctus dissimulare a Judaismo, et novam legem prædicare, ita ut gauderent in eo ex Judæis credentes, quos pridem persequebatur, Deo agentes gratias, qui de persecutore fecit defensorem, ut perinde scirent Galatæ circumventos se, ut sub nomine Christi Judæos se profiterentur, circumcidentes carnem præputii sui, cum Christo lex aliud impleret, quam Judaismus. Illic enim circumcisio carnis est, hic cordis ; illinc sub elementis servitur neomeniis et sabbato ; hic soli Deo in spiritu, quia corde creditur. Illic conditio est causa peccati, hic libertas ex remissione peccatorum : multa itaque distantia est.

## IN CAPUT II.

*Dehinc post annos quatuordecim rursum ascendi Hierosolymam, cum Barnaba assumpto et Tito.* Ascendit igitur post quatuordecim annos Hierosolymam, et qui prius ad videndum tantum perrexerat Petrum, et diebus quindecim manserat apud eum, nunc se dicit ideo perrexisse, ut conferret cum apostolis Evangelium assumpto Barnaba circumciso, et Tito ex gentibus habente præputium, *ut sub ore duorum vel trium testium staret omne verbum* (*Deut.* XVII).

*Ascendi autem secundum revelationem.* Ne moveret eos, quare vel tunc ascenderit, quo tandiu non ascenderat : quapropter si ex revelatione ascendit, tunc proderat ut ascenderet : quoniam multo tempore fama ejus crebrescebat apud omnes Judæos, facie autem non videbatur. Perambulabat enim fundare et roborare Ecclesias solita constantia inter gentes. A Judæis autem causa legis mala illi fiebat opinio, quasi discordaret a prædicatione cæterorum apostolorum : et hic fiebat multis scrupulus, ita ut et gentes possent perturbari, ne in aliud ducerentur ab eo, quam tradebant apostoli, qui cum Domino fuerant. Nam ipsa occasione subversi sunt Galatæ a Judæis dicentibus quia aliud traderet Paulus quam Petrus. Hinc factum est ut, admonitus revelatione Domini, ascenderet Hierosolymam cum testibus prædicationis suæ, id est, Barnaba et Tito, uno ex Judæo, et altero ex gentili : ut si quod de eo haberent scandalum, horum testimonio tolleretur, aperiens illis sensum prædicationis suæ, cum apostolis vero secreto contulit, ut scirent non illum discordare a regula Evangelica, hoc est, ne putarent in vacuum currere, aut cucurrisse, sicut æstimabant

aliquanti ex Judæis credentibus. Nec enim aliquid ab eis discere poterat, qui a Deo fuerat instructus: sed propter concordiam et pacem Dei notum factum est, ut tolleretur scrupulus aut suspicio fratribus, aut coapostolis; et ut gentibus prodesset cognoscentibus, quia concordabat Evangelium ejus cum apostolis.

*Et contuli cum eis Evangelium, quod prædico in gentibus.* Aliud est autem conferre, aliud discere. Inter conferentes æqualitas est: inter docentem et discentem minor est ille qui discit. In principio fidei in transitu apostolos vidit. Post annos, ut ipse ait, decem et septem plene cum eis loquitur et se humiliat, et ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset, inquirit duplicem ob causam, quo et humilitas ostenderetur Pauli, qui doctor in toto orbe gentium ad præcessores apostolos cucurrisset, et Galatæ discerent, non reprobasse Evangelium ejus eos quoque qui in Judæa Ecclesiis præsidebant. Simul autem et illud docet, quod pro Christi fide et Evangelii libertate ad eos ipsos qui de eo plura falso cognoverant, quod legem infringeret, Moysen destrueret, circumcisionem penitus auferret, ausus sit ducere Titum, hominem incircumcisum; et inter tantam multitudinem Judæorum, et inimicos suos, qui quasi ob zelum legis sanguinem ejus haurire cupiebant, nec ipse tamen, nec Titus aliquo sint terrore superati necessitati cedere. Quæ potuit habere veniam, vel pro loco, vel pro auctoritate majorum, vel pro numero Ecclesiarum quæ ex Judæis in Christo credebant; vel pro tempore, ne tantam simul invidiam sustinerent. Totum autem quod ait, illud est, ut doceat se nunquam de persecutore apud eos ipsos quos prius persecutus fuerat potuisse existere gloriosum, nisi prædicatio ejus eorum quoque qui ante eum male noverant, esset judicio comprobata, et ad propositum occulte redit, tam breve tempus se in Judæa fecisse confirmans, ut etiam vultu credentibus esset ignotus, ex quo ostendit non Petrum, non Jacobum, non Joannem se habuisse doctores, sed Christum, qui sibi Evangelium revelasset. Simul autem notandum quod supra dicit, Ecclesiam expugnasse, hic fidem; homines, hic rem; ut nec opportunius inferretur, ibi evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat. De Ecclesia enim similiter sonare non poterat.

*Seorsum autem his qui videbantur, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.* Quod seorsum exposuit Evangelium eis qui eminebant in Ecclesia, cum jam illud exposuisset coram omnibus, non ideo factum est, quod aliqua falsa dixerat, ut seorsum potioribus vera diceret, sed aliqua tacuerat, quæ adhuc parvuli portare non poterant: qualibus se ad Corinthios lac dicit dedisse, non escam (*I Cor.* III). Falsum enim dicere nihil licet. Potest autem hoc, quod ait: *Contuli cum eis Evangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem his qui videbantur, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem*, et sic intelligi: quod abscondite cum apostolis gentium evan-
A gelicæ libertatis et legis abolitæ vetustatem contulerit, propter multitudinem credentium Judæorum, qui necdum poterant Christum ad impletionem et finem legis audire, qui et absente Paulo Hierosolymæ jactaverant, frustra eum currere, aut cucurrisse, qui putaret legem veterem non sequendam. Non quo Paulus timuerit, ne per decem et septem annos falsum in gentibus Evangelium prædicasset; sed ut ostenderet præcessoribus suis, non se in vacuum currere, aut cucurrisse, sicut putaverant ignorantes.

*Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset ex gentibus; compulsus est circumcidi: propter subintroductos autem fratres falsos, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo* B *Jesu, ut nos in servitutem redigerent: quibus ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Si Titus, cum esset ex gentibus, nullo potuit terrore compelli, ut circumcideretur Hierosolymis, Judæorum metropoli civitate, in qua tanta Paulus blasphemiæ in Moysen flagrabat invidia, ut postea pene a Judæis interfectus sit, quando a tribuno liberatus, et Romam vinctus ad Cæsarem mittitur. Quid est, ut vos circumcidamini, cum Titus ab apostolis, qui videbantur aliquid esse, non est compulsus circumcidi, sed susceptus est incircumcisus: hoc in toto sermonis sui contextu agit, ut doceat se Hebræum ex Hebræis, omnia quondam legis opera servantem, Circumcisum octava die, secundum legem Pharisæum: Nihilominus tamen ob C Christi gratiam universa contemnere. Nam cum isset Hierosolymam, et falsi fratres, qui ex circumcisione crediderant, eum vellent impellere ut circumcideret Titum: nec Titum, nec se cessisse violentiæ, quominus custodirent Evangelii veritatem. Quod si dicit se necessitate superatum, ut circumcideret Titum, quomodo Galatas revocat a circumcisione, a qua nec Titum, qui secum fuerat ex gentibus Hierosolymis potuit excusare? Itaque aut juxta Græcos codices est legendum, *Quibus neque ad horam cessimus subjectioni*, ut consequenter possit intelligi, *ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Aut si Latini exemplaris alicui fieri placet, secundum superiorem sensum accipere debemus, ut ad horam cessio non circumcidendi Titum, sed eundi Hierosolymam D fuerit. Quod scilicet idcirco subjectioni cesserint Paulus et Barnabas eundi Hierosolymam, seditione ob legem Antiochiæ concitata, ut per epistolam apostolorum sua sententia firmaretur, et maneret apud Galatas Evangelii veritas, quæ non esset in littera, sed in Spiritu; non in carnali sensu, sed in intelligentia spiritali: nec in manifesto Judaismo, sed in occulto. Quidam post quatuordecim annos eum Hierosolymam ascendisse, tunc dicunt, quando in Actibus apostolorum de quæstionibus observandæ vel prætermittendæ legis intercedentes, Antiochiæ orta dissensio est, et placuit ire Hierosolymam, et sententiam majorum præstolari: quando ipse quoque Paulus et Barnabas missi sunt: et hoc esse quod

in codicibus legatur Latinis, *quibus ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii perseveraret apud vos.* Quod scilicet propterea Paulus et Barnabas, de re manifesta, quasi dubia, se mitti passi sunt Hierosolymam, ut majorum quoque judicio Evangelii gratia confirmata credentibus probaretur, et nulli resideret ultra dubitatio circumcisionis omissæ, cum apostolorum esset litteris imperatum, jugum legis ab iis qui in Christum ex gentibus crediderant auferendum. Sciendum vero quod, *autem,* conjunctio, quæ in præsenti loco ponitur, *propter subintroductos autem falsos fratres* superflua sit; etsi legatur, non habeat quod ei respondeat, illamque concludat. Sed hunc esse ordinem lectionis et sensus: Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset ex gentibus, compulsus est circumcidi, statimque subjungat quæ causa fuerit ut ad circumcisionem impelleretur invitus: *propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent.* Id est, illi qui subintroierunt explorare libertatem nostram, vehementer observabant et cupiebant circumcidi Titum, ut jam circumcisionem, etiam ipsius Pauli attestatione et consensione, tanquam saluti necessariam, prædicarent: et sic eos in servitutem redigerent, id est, sub onera legis servilia revocarent: quibus se nec ad horam, id est, nec ad tempus cessisse dicit subjectioni, ut veritas Evangelii permaneret apud gentes, qui cum minis, terrore, multitudine vellent nos a libertate Christi in legis traducere servitutem, nec ad tempus quidem eis cessimus ut circumcideremus Titum: maxime cum et aliqua ob Ecclesiasticam pacem potuerit nos necessitas excusare: Et hoc totum fecimus ut vobis nulla fieret occasio ab Evangelii gratia recedendi. Si igitur Hierosolymis inter tantos Judæos, imminentibus hinc inde falsis fratribus, et his qui majores erant, aliqua ex parte cohibentibus, nulla potuimus vi ac ratione compelli ut observaremus circumcisionem, quam sciebamus esse finitam, vos ex gentibus, vos in Galatia, vos, quibus vis nulla inferri potest, ultro a gratia recedentes ad legis jam abolitæ transcendetis vetustatem.

• *Ab his autem, qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus personam hominis non accipit.* Licet, inquit, Petrum et Joannem Dominus secum apostolos habuerit, et transfiguratum eum in monte viderint, et super ipsos Ecclesiæ sit positum fundamentum, nihil mea interest, quia non adversum eos loquor qui eo tempore Dominum sequebantur, sed adversus eos qui nunc legem proponunt gratiæ. Nec detraho præcessoribus, nec in aliqua parte accuso majores: sed hoc dico, quia *Deus personam hominis non accipit,* id est, sine personarum acceptione ad salutem vocavit, *non reputans illis delicta eorum.* Et ideo absentibus illis, qui priores facti erant apostoli, Paulus a Domino perfectus est, ut quando cum eis contulit, nihil esset

A quod perfectioni ejus adderent, sed potius viderent eumdem Dominum Jesum Christum, qui sine personarum acceptione salvos facit, hoc dedisse Paulo, ut ministraret gentibus, quod etiam Petro dederat, ut ministraret Judæis. Non ergo inventi sunt in aliquo dissentire ab illo, ut cum ille se perfectum Evangelium, accepisse diceret, illi negarent, et aliquid vellent, tanquam imperfecto, addere: sed e contrario pro reprehensoribus imperfectionis approbatores perfectionis fuerunt: et dederunt dextras societatis, id est, consenserunt in societatem, et paruerunt voluntati Domini, consentientes, ut Paulus et Barnabas irent ad gentes: ipsi autem in circumcisione, quæ præputio, id est gentibus contraria videtur.

B *Mihi autem qui videbantur, nihil contulerunt.* Nihil se dicit ab apostolis assecutum, sed a Deo: quia qui imperitis sensum tribuit disciplinæ Christianæ, ipse et mihi, inquit cum essem legis peritus dignatus est impartire sensum rationis hujusmodi. Quomodo ergo fieri poterat, ut hic ab his disceret, quem peritum inveniens peritiorem fecit gratia Christi? Ipse superius cum illis contulit, et multa ad eos retulit, quæ in gentibus perpetrarat. Illi nihil contulerunt ei, sed tantummodo, quæ ab eo dicta sunt, comprobantes, dextras dedere consortii, et unum suum Paulique Evangelium firmaverunt.

*Sed contra, cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis.* Totum autem, quod dicit, hoc est, unum atque idem C mihi Evangelium præputii et Petro circumcisionis credidit. Me misit ad gentes, illum posuit in Judæa. Nec gentes poterant adulta jam ætate non pro futuro circumcisionis dolore cruciari, et abstinere se ab escis, quibus semper assueverant, et quas Deus creaverat ad utendum. Nec hi, qui ex Judæis crediderant, et circumcisi erant, et ex consuetudine, quasi secunda natura, putabant se cæteris gentibus plus habere, facile contemnere poterant ea, in quibus gloriabantur. Providentia utique Dei alius apostolorum circumcisis datus est, qui legis umbris videretur acquiescere, alius in præputio constitutus, qui Evangelii gratiam non putaret esse servitium, sed liberam fidem, ne sub aliqua occasione impedimen- D tum fidei nasceretur, et propter circumcisionem sive præputium, non crederetur in Christo.

*Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes.* Id est, non illi sum inferior, quia ab uno sumus ambo in unum ministerium ordinati. Ex quo perspicimus propterea dextras datas Paulo et Barnabæ a Petro, Jacobo, et Joanne, ne in observatione varia diversum Christi Evangelium putaretur: sed et circumcisorum, et habentium præputium esset una communio, ne gentes legis onere et difficultate deterritæ a Christi fide, et credulitate discederent. Occulto oritur hic quæstio. Quid igitur? Petrus si invenisset ex gentibus, non eos adducebat ad fidem? Aut Paulus, si ex circumcisione aliquos reperisset, non eos ad Christi

baptismum provocabat ? Quæ ita solvitur : Ut dicamus, principale singulis in Judæos et gentes fuisse mandatum, ut qui defendebant legem, haberent quem sequerentur : qui legis gratiam præferebant, non deesset eis doctor et prævius. In commune vero hoc eos habuisse propositi, ut Christo ex cunctis gentibus Ecclesiam congregarent. Legimus enim et a sancto Petro gentilem baptizatum fuisse Cornelium, et a Paulo in synagogis Judæorum Christum sæpissime prædicatum, sed tamen plena auctoritas Petro in Judaismi prædicatione data dignoscitur, et Pauli perfecta auctoritas in prædicatione gentium invenitur. Unde et magistrum se gentium vocat in fide et veritate. Unusquisque enim pro viribus suis et dispensationem sortitus est. Difficilius enim fuit, eos qui longe a Deo erant, ad fidem attrahere et suadere, quam proximos. Petrum solum nominat, et sibi comparat : quia primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam : se quoque pari modo electum, ut primatum habeat in fundandis gentium Ecclesiis.

*Et cum cognovissent gratiam quæ data mihi, Petrus, et Jacobus, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, et Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem.*

Ab apostolis, qui clariores inter cæteros erant, quos et firmitatis causa columnas appellat, quique cum Domino semper in secretis fuerant, gloriam ejus digni in monte respicere : ab his itaque probatum dicit donum, quod accepit a Deo, ut dignus esset habere primatum in prædicatione gentium, sicut et habebat Petrus in prædicatione circumcisionis. Et sicut dat Petro socios viros egregios, inter apostolos, ita et sibi jungit Barnabam, qui divino judicio ei adjunctus est : gratiam tamen sibi soli primus vindicat concessam a Deo, sicut et soli Petro concessa est inter apostolos, ita ut apostoli circumcisionis dextras porrigerent apostolis gentium, ad concordiam societatis demonstrandam : ut utrique scientes perfectionis spiritum in dispensationem Evangelii se a Domino consecutos, in nullo se invicem egere ostenderent. Columnæ igitur sunt Ecclesiæ apostoli (*Matth.* xxvii), et maxime Petrus, et Jacobus, et Joannes. E quibus duo cum Domino ascendere merentur in montem, quorum unus in Apocalypsi Salvatorem introducit loquentem : *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei* (*Apoc.* iii), docens omnes credentes, qui adversarium vicerint posse columnas Ecclesiæ fieri. Ad Timotheum vero Paulus scribens ait : *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna autem et firmamentum veritatis* (*I Tim.* iii). His et cæteris instruimur, tam apostolos omnesque credentes, quam ipsam quoque Ecclesiam columnam in Scripturis appellari, et nihil interesse de corpore quid dicatur an membris, cum et corpus dividatur in membra, et membra sint corporis. Dederunt itaque Petrus, Jacobus et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras Paulo et Barnabæ societatis. Sed Tito, qui

A

cum eis erat, dextras non dederunt. Necdum quippe ad eam mensuram pervenerat, ut possent et Christi mercimonia ex æquo cum majoribus credi, et eumdem teneret negotiationis locum, quem Barnabas tenebat, et Paulus. Idcirco igitur hæc, quæ inter se et apostolos facta sunt, manifestat, ut sciant Galatæ, quia quod ab eo acceperant, hoc verum est, et probatum.

*Ut nos in gentibus, ipsi autem in circumcisionem, tantum, ut pauperum essemus memores, quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.* Sancti pauperes, quorum præcipue ab apostolis Paulo et Barnabæ cura mandatur, ii sunt, qui ex Judæis credentes pretia possessionum suarum ad pedes apostolorum deferebant egentibus largienda : vel qui a contribulibus,

B

cognatis, et parentibus suis quasi desertores legis, et in crucifixum hominem credentes, detestationi et piaculo ducebantur. In horum ministerio sanctus apostolus Paulus quanto labore sudaverit ; epistolæ ejus testes sunt, scribentes ad Corinthios, ad Thessalonicenses, et ad omnes gentium Ecclesias, ut præpararent munus hoc per se, vel per alios qui eis placuissent, Hierosolymam deferendum. Unde nunc confidenter dicit, quod etiam sollicitus fui facere hoc ipsum. Communis cura erat omnibus apostolis de pauperibus sanctis, qui erant in Judæa, qui rerum suarum venditarum pretia ad pedes apostolorum posuerant. Si ergo ad gentes Paulus et Barnabas missi sunt, ut Ecclesiæ gentium, quæ hoc non fecerant, ministrarent, participantes in orationibus ipsorum,

C

qui hoc fecerant, sicut ad Romanos dicit : *Nunc autem pergam Jerusalem ministrare sanctis. Placuit enim Macedoniæ et Achaiæ communionem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Jerusalem. Placuit enim illis, et debitores eorum sunt. Si enim in spiritalibus eorum communicaverunt gentes, debent et carnalibus ministrare eis* (*Rom.* xv).

*Cum autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim, quam venirent quidam ab Jacobo, cum gentibus edebat. Cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant, et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.* Petrus autem cum venisset Antiochiam, objurgatus est a Paulo, non

D

quia servabat consuetudinem Judæorum, in qua natus atque nutritus erat, quanquam apud gentes eam non servaret, sed objurgatus est, quia gentibus eam volebat imponere, cum vidisset quosdam venisse ab Jacobo, id est, a Judæa. Nam Ecclesiæ Hierosolymitanæ Jacobus præfuit. Timens ergo eos, qui adhuc putabant in illis observationibus salutem esse constitutam, segregabat se a gentibus, et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi apponenda gentibus illa onera servitutis. Unde et Paulus hac eadem arte, qua ille se simulabat, ei restitit in faciem : et loquitur coram omnibus, non tam ut Petrum arguat, quam ut ii, quorum causa Petrus se simulaverat, corrigantur. Quod in ipsius objurgatione verbi satis

apparet. Non enim ait, Si tu cum Judæus sis, gentiliter, et non Judaice vivis, quomodo gentes cogis judaizare? Indissolubili argumento constringit Petrum, imo per Petrum eos qui pugnabant inter se. Si, inquit, o Petre, tu natura Judæus, circumcisus a parva ætate, et universa legis præcepta custodiens, nunc ob gratiam Christi scis ea nihil per se habere utilitatis, sed exemplaria esse et imagines futurorum, et cum his qui ex gentibus sunt cibum capis, nequaquam ut ante superstitiose, sed libere et indifferenter victitans, quomodo eos qui ex gentibus crediderunt, nunc recedens ab eis, et quasi a contaminatis te separans et secernens, compellis judaizare? Hoc totum idcirco ait, non tam ut Petrum arguat, sicut jam dixi, quam ut ii, quorum causa Petrus se simulaverat, corrigantur. Si enim immundi sunt, a quibus recedis, idcirco recedis, quia non habent circumcisionem : compellis eos ergo circumcidi, et Judæos fieri, cum tu ipse natus Judæus, gentiliter vixeris. Et latenter ostendit causam quare adversum eum disputaverit : quia scilicet gentes simulatione sua judaizare compelleret, dum eum cupiunt æmulari. Quod autem hoc ei coram omnibus dixit, necessitas coegit, ut omnes illius objurgatione sanarentur. Non enim utile erat errorem, qui palam noceret, in secreto emendare ; huc accedit, quod infirmitas et charitas Petri, cui ter a Domino dictum est, *Amas me? Pasce oves meas*, objurgationem talem posterioris pastoris pro salute gregis libentissime sustinet. Sed dicet aliquis : Quare Paulus in facie restiterit Petro, et eum reprehensibilem indicavit, cum et ipse factus sit Judæis Judæus? Compatiendo enim id fecit, non mentiendo. Fit enim quisque tanquam cui vult subvenire, quando tanta misericordia succurrit alteri, quanta subveniri sibi vellet, si esset ipse in eadem miseria constitutus. Itaque fit tanquam ille, non quia fallit eum, sed quia se cogitat sicut illum. Unde illud est Apostoli : *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans teipsum, ne et tu tenteris.* Nam si propterea, quia dixit, factus sum Judæis tanquam Judæus, et iis, qui sub lege erant, tanquam sub lege essem, ideo putandus mendaciter suscepisse legis veteris sacramenta, quando caput totondit in Chencris, et facto calvitio oblationem obtulit in Jerusalem, et Timotheum circumcidit, et nudipedalia exercuit, quæ utique manifestissime de cæremoniis Judæorum sunt : debuit et gentium idololatriam eodem modo mentiendo suscipere, qui dixit, etiam his qui sine lege erant, tanquam sine lege se factum, ut eos lucrifaceret, quod utique non fecit. Non enim alicubi sacrificavit idolis, aut adoravit illa figmenta, annon potius libere, tanquam martyr Christi, detestanda et vitanda monstravit? Id autem, quod ipse Paulus apostolus fecit, ut quasdam observationes legitimas Judaica consuetudine retinendo, et agendo, in se, non se inimicum legi propheticisque monstraret, absit ut mendaciter eum fecisse credamus.

A De hac quippe re satis est ejus nota sententia, qua fuerat constitutum, nec Judæos, qui tunc in Christum credebant, prohibendos esse a paternis traditionibus, nec ad eas gentiles, cum Christiani fierent, esse cogendos : ut illa sacramenta, quæ divinitus præcepta esse constaret, non tanquam sacrilega fugerentur : nec tamen putarentur sic necessaria jam Novo Testamento revelato, tanquam sine his, quicunque converterentur ad Deum, salvi esse non possent. Erant autem qui hoc putabant, atque prædicabant, quamvis jam recepto Christi Evangelio, et eis simulate consenserant Petrus et Barnabas. Ideoque cogebant gentes judaizare. Id erat enim cogere, sic ea necessaria prædicare, tanquam et recepto Evangelio nulla sine illis salus esset in Christo. Hoc error quorum-
B dam putabat, hoc timor Petri simulabat, hoc libertas Pauli redarguebat. Galatarum infirmitas compulit eum narrare, quod nec ipsi Petro pepercit veritatem Evangelii non libere defendenti, sicut ad profectum Corinthiorum manifestavit visionem, quam annis quatuordecim occultaverat : hoc autem totum agit, ut ostendat, se nunquam circumcisionis fuisse fautorem, sicut de illo pseudoapostoli jactabant. Sunt vero nonnulli, qui non Petrum apostolorum principem, sed quemdam alium eo nomine, qui a Paulo est reprehensus, accipiunt : qui si Pauli apostoli studiosius verba legissent, ista non dicerent. Dicturus etenim Paulus, cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti : ut de quo Petro loqueretur, ostenderet, in ipso suæ narrationis initio præmisit
C dicens : Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes. Patet ergo de quo Petro Paulus loquitur, quem et apostolum nominat, et præfuisse Evangelio circumcisionis narrat. Et fuerunt quidam, qui secundam Petri Epistolam, in qua Epistolæ Pauli laudatæ sunt, ejus dicerent non fuisse. Sed si ejusdem Epistolæ verba pensare voluissent, longe aliter sentire poterant. In ea quippe scriptum est : *Voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Atque subjungit : *Et hanc vocem nos audivimus, cum essemus cum ipso in monte sancto* (*II Petr.* I).

D Legant itaque Evangelium, et pronitus agnoscent, quia cum vox ista de cœlo venit, Petrus apostolus in monte cum Domino stetit. Ipse ergo hanc Epistolam scripsit : qui hanc vocem in monte cum Domino audivit : *Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores.* Peccatorum autem nomen gentibus imposuerunt Judæi, jam vetusta quadam superbia, tanquam ipsi justi essent, videndo stipulam in oculo alieno, et non trabem in suo. Secundum eorum morem locutus Apostolus ait : *Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores* ; id est, quos appellant peccatores, cum sint et ipsi peccatores : Nos ergo, inquit, natura Judæi, cum gentiles essemus, non quia ipsi peccatores appellant, tamen et nos peccatores,

in Christo Jesu credidimus, ut justificemur per fidem Christi. Non autem quærerent justificari, nisi essent peccatores.

*Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credidimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis.* Credimus in Christum, ut quod lex nobis non dederat, fides tribueret, quam habemus in Christo. Quod si recedentes a lege in qua salvari non potuimus, transcendimus ad fidem, in qua non carnis quæritur circumcisio, sed cordis pura devotio, et nunc a gentibus recedendo hoc agimus, ut quicunque non est circumcisus, immundus sit. Ergo fides in Christum, in qua nos putamus ante salvari, peccati est ministra quam justitiæ, quæ aufert circumcisionem, quam qui non habuerit, immundus est, sed absit, ut, quod semel destruxi, et novi mihi non profuisse, rursum vindicem. Semel a lege discedens, legi sum mortuus, ut in Christo viverem, Crucique ejus affixus, et in novum renatus hominem, fide magis quam carne subsisterem, et cum Christo egrederer e mundo, quod semel adorsus sum, teneo, non mihi gratis Christus est mortuus, in quem frustra credidi, si potui absque fide ejus in veteri lege salvari.

*Propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Justificabatur quondam ex lege non omnis caro, sed tantum ii homines, qui in Palæstina provincia erant. Nunc autem ex fide Jesu Christi justificatur omnis caro, dum Ecclesiæ ejus in toto orbe fundantur. Potest autem et per opera legis non inconvenienter circumcisio, sabbatum, dies festi, baptismata, festa temporum, azyma panum, et cætera, quæ in sacramento, non propter justitiam, sed occupandi populi gratia, et ad domandam duritiam sunt data, intelligi.

*Quod si quærentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores.* Non autem quærerent justificari, nisi essent peccatores. An forte, quia in Christo voluerunt justificari, peccaverunt? Quia si jam justi erant, aliud quærendo utique peccaverunt. Sed ita est, inquit, *ergo Christus peccati minister est.* Quod utique non possunt dicere, quia et ipsi qui nolebant nisi circumcisis gentibus tradere Evangelium, in Christum crediderant, et ideo quod dicit, *absit*, non solus, sed cum ipsis dicit. Destruxit autem superbiam gloriantem de operibus legis, quæ destrui et deberet et posset, ne gratia fidei videretur non necessaria, si opera legis, etiam sine illa, justificare crederentur: et ideo prævaricator est, si rursus illa ædificat, dicens, quod opera legis etiam sine gratia justificant, ut Christus peccati minister inveniatur.

*Nunquid Christus peccati minister est? Absit.* Si enim gentes fide sola non salvat, nec nos, quia ex operibus legis nemo justificabitur. Ergo adhuc et nos peccatores sumus, et Christus peccati minister est, tanquam non valens peccata donare: sicut et

A lex, quæ per Moysen data est, quæ tantum peccata ostendit, non abstulit.

*Si enim quæ destruxi, hæc iterum ædifico, prævaricatorem me constituo.* Quid ergo? Quia fidem Christi oppugnabas antea, quam nunc ædificas, prævaricatorem te constituis? Sed illam non destruxi, quia destrui non potest. Hanc autem superbiam vere destruxerat, constanterque destruebat, quia destrui poterat. Et ideo non ille prævaricator est, qui rem veram conaretur destruere, et posteaquam veram esse, ac destrui non posse cognosceret, tenuit eam, ut in ea ædificetur. Sed ille prævaricator est, qui cum destruxerit rem falsam, quia destrui potest, eam rursus ædificat.

*Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vi-*
B *vam.* Mortuum autem se legi dicit, ut jam sub lege non esset, sed tamen per legem, sive quia Judæus erat, et tanquam pædagogum legem acceperat, sicut postea manifestat. Hoc autem agitur per pædagogum, ut non sit necessarius pædagogus, sicut per ubera nutritur infans, ut jam uberibus non indigeat: et per navem pervenitur ad patriam, ut jam navis opus non sit. Sive per legem spiritaliter intellectam legi mortuus est, ne sub ea carnaliter viveret, ut per eamdem legem spiritaliter intellectam moreretur carnalibus observationibus legis. Bene autem adjungit, *ut Deo vivam.* Deo quippe vivit, qui sub Deo est, legi autem, qui sub lege est. Sub lege autem vivit, quantum quisque peccator est, id est, in quantum a
C vetere homine non est mutatus.

*Christo confixus sum cruci.* Quia dixerat, se per legem legi mortuum, quomodo mortuus fuerit, ostendit. Christo confixus sum cruci, id est, omnibus peccatis mortuus sum, propter quæ lex data est, et ideo lex mihi minime necessaria est.

*Vivo autem jam non ego: vivit vero in me Christus.* Non vivit ille, qui quondam vivebat in lege, quia persequebatur Ecclesiam. Vivit autem in eo Christus, sapientia, fortitudo, sermo, pax, gaudium, cæteræque virtutes; quas qui non habet, non potest dicere; Vivit in me Christus. Quis ergo audeat Christo legem imponere, qui vivit in Paulo? Non enim audet quis dicere Christum non recte vivere, ut ei coercendo lex imponenda sit. Hoc autem totum
D sub sua persona adversum Petrum de Petro disputat.

*Quod autem nunc vivo in carne, in fide, inquit, vivo filii Dei.* Aliud est in carne esse, aliud in carne vivere. *Qui enim in carne sunt, Deo placere non possunt* (*Rom.* VIII). Unde ad bene viventes dicitur: *Vos igitur in carne non estis, sed in spiritu.* Quod vero subdidit, *in fide vivo filii Dei*, ita intelligendum est, ut etiam sic Christus vivat in credente, habitando in interiore homine per fidem, ut postea per speciem impleat eum, cum absorptum fuerit mortale a vita: quoniam futura vita promissa est Christianis. Ideoque qui nunc in hac vita auxilio Dei munitus vivit, in fide vitæ promissæ vivit. Hic enim in imaginem illius contemplatur, quasi pignus habens

vitæ futuræ Ut autem ostenderet, quod vivit in illo Christus, et quod in carne vivens, in fide vivit Filii Dei, non meriti sui esse, sed per gratiam Dei, quæ Christi amore nobis quæsita est, addidit :

*Qui dilexit me et tradidit seipsum pro me.* Pro quo utique, nisi pro peccatore, ut eum justificaret? Et dicit hoc qui Judæus natus, et educatus erat, et abundantius æmulator exstiterat paternarum suarum traditionum. Ergo etsi pro talibus se tradidit Christus etiam ipsi peccatores erant. Non ergo meritis justitiæ suæ datum dicam, qui non opus erat dari justis. *Non enim veni vocare justos*, ait Dominus, *sed peccatores* (*Matth.* IX). Ad hoc utique ne sint peccatores. Ad Romanos Apostolus de Deo loquitur, quod proprio *Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus eum tradiderit* (*Rom.* VIII). Non vero ait, quod se ipse tradiderit Christus, sed pater tradidit, ut salvaret perditum mundum : Christus seipsum tradidit, ut Patris suamque faceret voluntatem. Judas autem, et sacerdotes, et seniores populi, et Pilatus vitam morti nescii tradiderunt. Itaque cum ipse quoque pro nostra salute tradiderit, beatus multumque felix erit, qui vivente in se Christo, per singulas cogitationes et opera potest dicere, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit seipsum pro me.

*Non abjicio gratiam Dei.* Ut dicam per legem esse justitiam. Ille autem abjicit gratiam Dei, qui post Evangelium vivit in lege, et post baptismum sordidatur peccatis.

*Si enim per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Id est, sine causa mortuus est, quando per legem, id est, per opera legis, quibus Judæi confidebant, posset esse justitia in hominibus. Gratis autem mortuum Christum nec illi dicunt, quos refellit, quoniam Christianos se volebant haberi. Non ergo recte per illa legis opera Christianos justificari suadebant. Idcirco enim Christus mortuus est, ut ea præstaret quæ lex non poterat : ac per hoc non gratis mortuus est. Mors enim ejus justificatio peccatorum est. Hucusque contra Petrum : nunc ad Galatas revertitur, quibus recte dicit.

## IN CAPUT III :

*O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?* Dupliciter hic locus intelligi potest : vel ideo insensatos Galatas appellatos, a majoribus ad minora venientes, quod incœperant spiritu, et carne consummabantur ; vel ob id, quod unaquæque provincia suas habeat proprietates, vel unaquæque gens vel bonum, vel malum habere asseratur, quod alia non habet. Nos istas altitudines declinantes, superiora sectabimur : aut stultitiæ eos argui dicentes, per quam spiritum legis, et litteram dijudicare non possint : aut vitio gentis corripi, quod indociles sint et vecordes, et ad sapientiam tardiores. Quod autem sequitur, *Quis vos fascinavit?* dicitur fascinus proprie infantibus nocere, et ætati

A parvulæ, et his qui necdum firmo vestigio figant gradum. Unde et quidam de gentilibus :

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Hoc utrumque verum sit, necne, novit Deus, viderit lector : quia potest fieri, ut et dæmones huic peccato serviant, et quoscunque in Dei opere vel cœpisse, vel profecisse cognoverint, eos a bonis operibus avertant. Nunc illud in causa est, quod ex opinione vulgi sumptum putamus exemplum, ut quomodo tenera ætas nocere dicitur fascino : sic etiam Galatæ in Christi fide nuper nati et nutriti lacte, et non solido cibo, veluti quodam fascinati sint toxico, et non stomacho a fide nauseante, Spiritus sancti cibum evomuerint. Irascentis enim cum miraculo verba sunt : quia sic fuerunt depravati, B ut nec se agnoscerent circumventos. Omnis enim qui fascinatur, transit a bono ad malum : sicut et hi de libertate et securitate ad servitium et sollicitudinem transierunt.

*Ante quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, et in vobis crucifixus.* Nobis enim recte proscriptus est Christus de cujus patibulo et passione, alapis et flagellis omnis prophetarum prædicit chorus, ut crucem ipsius non de Evangelio tantum, in quo crucifixus refertur, sed multo antequam descendere dignaretur ad terras, et hominem, qui est crucifixus, assumeret, noverimus. Nec parva laus Galatarum est, quod ita crediderint in crucifixum, ut eis fuerit ante proscriptus, quod scilicet lectitantes prophetas, et omnia veteris legis sacra- C menta noscentes, via et ordine venerint ad credendum.

*Hoc solum volo a vobis discere, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Respondetur utique, ex auditu fidei. Ab Apostolo enim prædicata est eis fides : in qua prædicatione utique adventum, et præsentiam sancti Spiritus senserant. Sicut illo tempore in novitate invitationis ad fidem etiam sensibilibus miraculis præsentia sancti Spiritus apparebat, sicut in Actibus Apostolorum legitur. Hoc autem factum erat apud Galatas, antequam isti ad eos pervertendos et circumcidendos venissent. Iste ergo sensus est : Si in illis operibus legis esset salus vestra, non vobis Spiritus sanctus, nisi circumcisis daretur. Deinde intulit :

D *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini?* Hoc est, quod superius in exordio dixerat : Nisi aliqui sint, qui conturbant vos, et volunt convertere Evangelium Christi. Conturbatio enim ordini contraria est. Ordo est autem a carnalibus ad spiritalia surgere, non ab spiritalibus ad carnalia cadere, sicut istis acciderat : Cum Judæi non aliter spiritum accipiant, nisi per fidem ; vos e contrario putatis vobis spiritum non sufficere, nisi et legi subdamini. Et hæc est Evangelii conversio retrorsum, quod, quia bonum non est, non est Evangelium cum hoc annuntiatur.

*Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa.*

Multa jam pro fide toleraverant, non timore tanquam sub lege positi, sed magis in ipsis passionibus charitate timorem vicerant : Quoniam *charitas Dei diffusa erat in cordibus eorum per Spiritum sanctum* (*Rom.* v), quem acceperant : Sine causa ergo, inquit, tanta passi estis, qui ex charitate, quæ in vobis tanta sustinuit, ad timorem relabi vultis; si tamen sine causa tanta passi estis. Hic *si tamen* non dubitantis est, sed confirmantis. Ut est illud : Si *tamen justum est apud Deum retribuere his, qui vos tribulant, tribulationem, et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum* (*II Thess.* i). Quod enim sine causa factum dicitur, superfluum est. Superfluum autem, nec prodest, nec nocet. Hoc vero videndum est, ne ad perniciem valeat. Non enim hoc est non surgere, quod est cadere : quamvis isti nondum cecidissent, sed jam inclinarentur, ut caderent. Nam utique adhuc in eis Spiritus sanctus operabatur, sicut consequenter dicit :

*Qui ergo tribuit vobis spiritum, et operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei?* Tribuit, hoc est, administrat, præsentis temporis est legendum, ut ostendatur per singulas horas atque momenta semper dignis Spiritum sanctum ministrari. Et quanto quis in Dei opere et amore profecerit, tanto magis sancti Spiritus in se habere virtutes, quas auditus fidei, et non legis opera consummant. Non quo legis opera contemnenda sint, et absque eis simplex fides appetenda, sed ipsa opera fide Christi adornentur. Scita est enim sapientis viri illa sententia, non fidelem vivere ex justitia, sed justum ex fide (*Habac.* ii). Simul ostenditur Galatas, accepto post fidem sancto Spiritu, dona habuisse virtutum, id est, prophetiam, genera linguarum, morborum curationes, et cætera, quæ ad Corinthios in donis spiritalibus enumerantur : et tamen post tanta, quia forsitan gratiam discernendorum spirituum non habeant, a falsis doctoribus irretiti sunt.

*Sicut Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Hoc enim maxime in eo victoriosum est, quod antequam circumcideretur, deputata est fides gentium ad justitiam. Et ob hoc refertur rectissime, quod ei dictum est : Quia *benedicentur in te omnes gentes* (*Gen.* xxii). Imitatione utique fidei ejus, qua justificatus est etiam ante sacramentum circumcisionis, quod ad fidei signaculum accepit, et ante servitutem legis, quæ multo post data est tempore. Recte talis reputatur fides ad justitiam, qui legis opera supergressus, Deum non metu, sed dilectione promeruit.

*Cognoscitis ergo, quia qui ex fide sunt, hi sunt filii Abraham.* Verum est quia credentes filii sunt Abrahæ, Quia si Abraham ex fide justificatus est primus, quotquot post hunc credunt, filii ejus sunt, sive ex Judæis, sive ex gentibus. Plenius de hoc in epistola ad Romanos disputabat, quod fides reputata sit Abrahæ, et cæteris, quicunque hac mente crediderint, quia incircumcisus credidit Abraham, A qui exsultavit, ut videret diem Domini, et vidit, et lætatus est. Unde et ad infideles Judæos dicitur : Si filii essetis Abraham, opera Abrahæ faceretis.

*Providens autem scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.*

Non quo ipsa scriptura, atramentum videlicet et membranæ, quæ insensibiles sunt, possint futura prænoscere, sed quo Spiritus sanctus, et sensus qui in litteris latet, multis post sæculis ventura prædixerint. Porro exemplum, quod de Genesi sumptum est, ita in proprio volumine continetur. *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Quod B Apostolus super Christo interpretans ait : *Non est scriptum in seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus.* Itaque nonnunquam vel detraxerunt verba, vel addiderunt. Nulli vero dubium, quod in Isaac, et in Jacob, sive in duodecim patriarchis, et cæteris qui de Abraham stirpe descendunt, non fuerint benedictæ universæ nationes : sed in Christo Jesu per omnes gentes laudabant Deum, et benedicitur novum nomen super terras.

*Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, scriptum est enim : Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis hujus, ut faciat ea.*

Sub timore vult intelligi, non in libertate, ut sci- C licet corporali præsentique vindicta vindicaretur in eos qui non permanerent in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut facerent ea. Huc quoque accederet, ut in ipsa corporum pœna etiam maledicti ignominiam formidarent. Ille autem justificatur apud Deum, qui eum gratis colit non scilicet cupiditate appetendi aliquid ab ipso præter ipsum aut timore amittendi. In ipso enim solo vera nostra beatitudo atque perfectio est. Et quoniam invisibilis est oculis carneis, fide colitur, quandiu in hac carne vivimus, sicut supra dixit : *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei*, et ipsa est justitia, quo pertinet quod dictum est, quia justus ex fide vivit. Hinc etenim ostendere voluit, quod in lege nemo justificatur, quia scriptum est, justum D ex fide vivere. Qua in re intelligendum est in lege, quod nunc ait, in operibus legis dictum esse : et hoc istis, qui in circumcisione carnis, et talibus observationibus continentur, in quibus qui vivit, ita in lege est, ut sub lege vivat, sed legem, ut dictum est, pro ipsis operibus legis nunc posuit, quod de posterioribus manifestatur. Ait enim : *Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in illis.* Non ait, qui fecerit eam, vivet in ea, ut intelligas legem in hoc loco pro ipsis operibus positam, qui autem vivebant in his operibus, timebant utique, ne si non ea fecissent, lapidationem, vel crucem, vel aliquid hujus modi paterentur. Ergo qui fecerit ea, inquit, vivet in illis, id est, habebit

præmium, ne in ista morte puniatur. Non ergo apud Deum, cujus ex fide, si quis in hac vita vixerit, cum hinc excesserit, tunc eum magis habebit præsentissimum præmium. Non utique ex fide vivit, quisquis præsentia, quæ videntur, vel cupit, vel timet : quia fides Dei ad invisibilia pertinet, quæ post dabuntur. Nam est ista quædam in operibus legis justitia, quando sine suo præmio relicta non est, ut qui fecerit, vivat in eis. Unde ad Romanos dicit : *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed apud Deum* (*Rom.* IV). Aliud est ergo non justificari, aliud non justificari apud Deum. Qui omnino non justificatur, nec illa servat, quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum. Qui autem in operibus legis justificatur, non apud Deum justificatur, quia temporalem inde exspectat, visibilemque mercedem. Sed tamen est etiam ista, ut dixi, quædam, ut sic dicam, terrena carnalisque justitia. Nam et ipse Apostolus eam justitiam vocat, cum alibi dicit : *Secundum justitiam, quæ in lege est conversatus* qui fuerim *sine querela* (*Phil.* III). Propterea Dominus noster Jesus Christus jam libertatem daturus credentibus, quasdam earum observationum non servavit ad litteram. Unde etiam cum sabbato esurientes discipuli spicas evulsissent, respondit indignantibus, *Dominum esse filium hominis etiam sabbati* (*Matth.* XII). Itaque illa carnaliter non observando carnali conflagravit invidia, et suscepit quidem pœnam propositam illis, qui eam non observassent, sed ut credentes in se talis pœnæ timore omnino liberaret, ad quod refertur, quod nunc consequenter adjunxit :

*Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum : quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Mors hominis ex pœna peccati est, unde et ipsa peccatum dicitur. Non quia peccat homo dum moritur; sed quia ex peccato factum est, ut moriatur : sicut alio modo dicitur : Lingua proprie caro, quæ intra dentes sub palato movetur; et alio modo dicitur lingua, quod per linguam fit; secundum quem modum dicitur lingua Græca, alia Latina. Et manus alio modo dicitur ipsum proprie corporis membrum, quod movemus ad operandum; et alio modo manus dicitur scriptura, quæ fit per manum. Dicimus enim : Probata est manus ejus; lecta est adversus eum manus ejus; habeo manum tuam : manus utique proprie membrum est hominis. Non autem opinor illam scripturam membrum esse hominis, et tamen dicitur manus, eo quod manu facta sit. Sic et peccatum non tantum ipsum opus malum, quod pœna dignum est, sed etiam ipsa mors, quæ propter peccata est, peccatum appellatum est. Illud itaque peccatum, quo reus esset mortis, non commisit Christus. Illud autem alterum, id est, mortem, quæ peccato inflicta est humanæ naturæ, suscepit pro nobis. Hoc suspendit in ligno, hoc maledictum est per Moysen. Ibi mors damnata est, ne regnaret, et maledicta est, ut periret. Quapropter per Christi tale peccatum damnatum est et nostrum

A peccatum, ut nos liberaremur : ne regnante peccato nos damnati remaneremus. Quid ergo miratur Faustus, maledictum esse peccatum, maledictam esse mortem, maledictam esse mortalitatem carnis sine peccato Christi? Ex peccato tamen hominis etiam in Christo factum. Ex Adam quippe corpus assumpsit, quia ex Adam descendit virgo Maria, quæ peperit Christum. Dixerat autem Deus in paradiso : *Qua die tetigeritis, morte moriemini* (*Gen.* II). Hoc est maledictum, quod pependit in ligno. Ille neget Jesum maledictum, qui negat et mortuum; qui autem confitetur et mortuum, et negare non potest mortem de peccato esse, et ob hoc etiam ipsum peccatum vocavit : audiat Apostolum dicentem : Quoniam vetus noster homo simul cum illo cruci-
B fixus est, et intelligat quem maledictum Moyses dixerit, ideoque securus Apostolus ait de Christo : *Factus est pro nobis maledictum*, sicut non timuit dicere, pro omnibus mortuus est. Hoc est enim, mortuus est, quod maledictus : quoniam mors ipsa ex maledicto est, et maledictum est omne peccatum, sive ipsum, quod fit, ut sequatur supplicium, sive ipsum supplicium, quod alio modo vocatur peccatum, quia fit ex peccato. Suscepit autem Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum, et finiret etiam supplicium nostrum. Ex ingenio meo ista dixerim, si non Apostolus toties hoc inculcat, ut et dormientes excitet, et calumniantes confundat. *Misit*, inquit, *Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati* (*Rom.* VIII),
C quia non de traduce mortalitatis in Maria per masculum venerat, sed tamen quia de peccato est mors. Illa autem caro, quamvis ex virgine, tamen mortalis fuit : et eo ipso, quo mortalis erat, similitudinem habebat carnis peccati. Hoc appellat etiam peccatum, consequenter dicens : *Ut de peccato damnaret peccatum in carne.* Item alio loco. *Eum*, inquit, *qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso* (*II Cor.* II). Cur ergo timeret Moyses dicere maledictum, quod Paulus non timuit dicere peccatum? Plane hoc propheta ei prævidere debuit, et prædicere paratus ab hæreticis cum Apostolo reprehendi. Quisquis enim reprehenderit prophetam dixisse maledictum, cogitur reprehendere Apostolum dixisse peccatum. Nam utique maledictum
D comes peccati est. Nec ideo major invidia est, quod addiderit Deo, ut diceret, *Maledictus Deo omnis, qui pependerit in ligno.* Nisi enim Deus odisset peccatum, et mortem nostram, non ad eam suscipiendam atque delendam Filium suum mitteret. Quid ergo mirum, si maledictum est Deo, quod odit Deus? Tanto enim libentius nobis donat immortalitatem, quæ futura est Christo veniente, quanto misericordius odit mortem nostram, quæ in ligno pependit Christo moriente. Quod autem additum est, omnis, ut diceretur, *Maledictus omnis qui pependit in ligno*, non sane Moyses minus prævidit etiam justos in cruce futuros, sed bene prævidit hæreticos veram mortem Domini negaturos, et ideo volentes ab hoc maledicto Christum

sejungere, ut a mortis etiam veritate sejungerent. Si A enim vera illa mors non erat, nullum maledictum Christo crucifixo pependit in ligno : quia nec vere crucifixus est, sed contra longe futuros hæreticos quam de longe clamat Moyses : Sine causa tergiversamini, o quibus displicet veritas mortis Christi, maledictus omnis qui pependit in ligno. Non ille, aut ille, sed omnis omnino, etiam et Filius Dei, etiam prorsus. Nam hoc est, quod non vultis, inde satagitis, inde seducitis. Displicet enim vobis maledictus pro nobis, quia displicet mortuus pro nobis. Tunc enim extra maledictum illius Adam, si extra illius mortem. Cum vero ex homine et pro homine mortem suscepit, ex illo et pro illo et maledictum, quod mortem comitatur, suscipere non dedignatus est, etiam ille prorsus, etiam ille Filius Dei, semper vivus B in sua justitia, mortuus autem propter delicta nostra, in carne suscepta ex pœna nostra, ac per hoc additum est, omnis, ne Christus ad veram mortem non pertinere diceretur, si a maledicto, quod morti conjunctum est, insipienti honorificentia separetur. Qui autem ex veritate evangelica fidelis est, intelligit jam non esse contumeliam Christi ex ore Moysi. Cum eum dixit maledictum, non ex divinitate majestatis suæ, sed ex conditione pœnæ nostræ, ex quo in ligno suspensus est. Quare non est laus Christi ex ore Manichæorum, cum eum negant carnem habuisse mortalem, in qua veram mortem pateretur. Quia ex illo prophetico maledicto laus intelligitur humilitatis : ex isto hæretico quasi honore crimen objicitur falsitatis. Si ergo negas maledictum, negas C et mortuum. Si negas mortuum, non jam contra Moysen, sed contra apostolos dimicas. Si autem confiteris mortuum, confitere suscepisse pœnam peccati nostri sine peccato nostro. Jam vero ubi audis pœnam peccati, aut ex benedictione crede venientem, aut ex maledictione. Si ex benedictione venit pœna peccati, opta esse semper in pœna peccati. Si autem optas inde liberari, crede per divinæ sententiæ justitiam ex maledictione venisse. Confitere ergo maledictum suscepisse pro bonis, quem confiteris mortuum esse pro nobis. Nec aliud significare voluisse Moysen, cum diceret : *Maledictus omnis, qui in ligno pependerit*, nisi mortalis omnis, et moriens omnis, qui in ligno pependerit. Poterat enim dicere, maledictus omnis D qui mortalis, aut maledictus omnis moriens. Sed hoc est quod asserit prophetia. Quia sciebat Christi mortem in cruce pensuram, et futuros hæreticos, qui dicerent : Pependit quidem in ligno, sed specie quadam, non ut vere moreretur. Clamando ergo maledictus, nihil aliud clamavit, nisi quia vere mortuus, sciens mortem hominis peccatoris, quam sine peccato ipse suscepit, de illo maledicto venientem, quo dictum est : *Si tetigeritis, morte moriemini.*

*Ut adoptionem spiritus accipiamus per fidem.* Id est, ut quod non timetur in carne, sed quod spiritu diligitur, credituris annuntietur.

*Fratres, secundum hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat.* Cum enim testator mutet testamentum, non confirmatum mutat. Testatoris enim morte confirmatur. Quod autem mors testatoris valet ad confirmandum testamentum ejus, quia consilium jam mutare non potest, hoc incommutabilitas promissionis Dei valet ad confirmandam hæreditatem Abrahæ, cujus fides deputata est ad justitiam.

*Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini. Non dicit, et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus.* Semen Abraham, cui dictæ sunt promissiones, Christum dicit Apostolus, hoc est, omnes Christianos fidem imitantes Abrahæ. Quos ad singularitatem redigit commendando, quod non dictum est et seminibus, sed semini tuo. Quia una est fides, et non possunt simul justificari, qui vivunt ex operibus carnaliter, cum his qui vivunt ex fide spiritaliter. Vincibiliter autem quod infert, lex non nata erat, nec posset post tot annos ita dari, ut antiquas Abrahæ promissiones irritas faceret. Si enim lex justificat, non est justificatus Abraham, qui multum ante legem fuit. Quod quia dicere non possunt, coguntur fateri non legis operibus justificari hominem, sed fide. Simul etiam nos cogit intelligere, omnes antiquos patres, qui justificati sunt, ex ipsa fide justificatos. Quod enim nos ex parte præteritum, id est, primum adventum Domini, ex parte futurum, id est, secundum adventum Domini, credendo salvi efficiemur, hoc totum illud est, utrumque adventum futurum credebant revelante sibi Spiritu sancto, ut salvi fierent. Unde est etiam illud : *Abraham concupivit diem meum videre, et vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII).

*Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit, ad evacuandam promissionem.* Primum propter imperitos ipsos annos minutatim atque subtiliter discutiamus. Et post quid exinde sentiendum sit, exponemus. Igitur Abraham, cum septuaginta quinque esset annorum, divinum accepit oraculum, ut egrederetur de terra sua : qui post viginti quinque annis genuit Isaac, qui erat annus vitæ suæ centesimus. Qui Isaac anno vitæ suæ sexagesimo genuit Jacob, et Esau. Hi sunt anni a prima Abrahæ promissione octoginta quinque. Denique Jacob anno vitæ suæ nonagesimo primo genuit Joseph, et anno vitæ suæ centesimo tricesimo, qui erat annus vitæ Joseph tricesimus nonus, descendit in Ægyptum. Hi sunt anni a prima promissione Abrahæ ducenti quindecim. Manseruntque filii Israel in Ægypto, post introitum Jacob, annis ducentis quindecim. Post mortem vero Joseph annos centum quadraginta quatuor. Inter mortem Joseph et nativitatem Moysi fuerunt anni sexaginta, quia octoginta annorum erat Moyses, quando apparuit ei Deus, et misit eum ad Pharaonem. Si quis ista dubitat, vel calculandi et inveniendi summam annorum non habet scientiam, sumat annos ab introitu Jacob in Ægyptum, et inveniet usque ad mortem

Joseph annos septuaginta unum. His adde sexaginta quatuor, fiunt centum triginta quinque, quia sexagesimo quarto anno post mortem Joseph invenitur natus esse Moyses. His adde octoginta annos vitæ Moysi, quia tot annorum erat, quando missus est ad Pharaonem. Hos adde ad centum triginta quinque superiores annos, et fiunt ducenti quindecim. A prima igitur promissione Abrahæ usque ad introitum Jacob in Ægyptum fuerunt anni ducenti quindecim. Et inde usque ad transitum maris Rubri, anni ducenti quindecim. Fiunt in summa quadringenti triginta. Et hoc est, quod ait Apostolus hoc loco. Non autem dico testamentum confirmatum a Deo, quæ facta est post quadringentos et triginta annos. Sed dicet aliquis : Quomodo potest fieri, ut tam paucos filii Israel in terra Ægypti steterint annos, cum Scriptura libri Geneseos narret, quod dixerit Deus ad Abraham : *Scito prænoscens, quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et efficient annis quadringentis* (*Gen.* xv)? Non itaque, quod ait, in servitutem redigens eos, ad quadringentos annos referendum est, tanquam per tot annos habuerint in servitute, sed referendi sunt quadringenti anni ad id, quod dictum est, peregrinum erit semen tuum in terra non sua. Quia sive in terra Chanaan, sive in Ægypto peregrinum erat illud semen, antequam hæreditatem sumerent in terra, ex promissione Dei, quod factum est, posteaquam ex Ægypto liberati sunt, ut per speciem locutionis, quam grammatici hyperbaton vocant, dictum esse intelligatur. Et est sensus vel ordo verborum : Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua quadringentis annis. Illud autem interpositum intelligatur, et in servitutem redigent eos, et nocebunt illis, ita ut ad quadringentos annos ista interpositio non pertineat. In extrema enim parte annorum summæ hujus, hoc est, post mortem Joseph factum est, ut in Ægypto populus Dei duram perageret servitutem. Sequitur quæstio satis necessaria. Si enim fides justificat, et priores sancti, qui apud Deum justificati sunt, per ipsam justificati sunt, quid opus erat legem dari? Simplex autem sensus, qui hoc loco texitur, hanc vim habet, ut doceret Apostolus, non posse per legem, quæ postea data est, repromissiones, quæ ante factæ sunt ad Abraham, destrui, et posteriora prioribus præjudicare. Cum repromissiones ad Abraham ante quadringentos et triginta annos datæ sint, quod benedicerentur in illo universæ nationes : legis autem observatio, quod qui fecisset eam, viveret in ea, post quadringentos et triginta annos Moysi data sit in monte Sinai. E contrario hic dici poterat : Quid ergo necesse fuerit, legem post tantum tempus repromissionis dari, cum ex data lege suspicio destructæ sponsionis potuerit oboriri : et manente repromissione, non profutura lex data sit; quam prævidens Apostolus quæstionem, in sequentibus ipse sibi proponit, et explicat, dicens :

*Quid igitur lex? propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promissum erat : ordinata per angelos in manu mediatoris : mediator autem unius non est, Deus autem unus est.* Quia manente repromissione quæ facta fuerat ad Abraham, lex postea data per Moysen frustra videbatur illata, cur data sit, explicat : propter transgressiones, inquit. Post offensam enim in eremo populi, post adoratum vitulum, et murmur in Dominum, lex transgressiones prohibitura successit. Superbienti ergo populo lex posita est, ut quoniam gratiam charitatis nisi humiliatus accipere non posset : et sine hac gratia nullo modo præcepta legis impleret, transgressione humiliaretur, ut quæreret gratiam, nec se suis meritis salvum fieri, quod superbum est, opinaretur, ut esset non sua potestate et viribus justus, sed in manu mediatoris justificantis impium. Per angelos autem ministrata est omnis dispensatio Veteris Testamenti, agente in eis Spiritu sancto, et ipso Verbo veritatis nondum incarnato, sed nunquam ab aliqua veridica administratione recedente : quia per angelos disposita est illa dispensatio legis, cum aliquando suam, aliquando Dei personam, sicut prophetarum etiam mos est, agerent. Perque illam legem morbos ostendentem, non auferentem etiam prævaricationis crimine contrita superbia est. Disposita est per angelos, sed in potestate mediatoris, ut ipse liberaret a peccatis per transgressionem legis coactos confiteri, opus sibi esse gratia et misericordia Domini, ut sibi peccata dimitterentur, et in nova vita per eum, qui pro se sanguinem fudisset, reconciliarentur Deo. In istis enim erat per transgressionem legis confringenda superbia, qui gloriantes de patre Abraham, quasi naturalem se jactabant habere justitiam, et merita sua in circumcisione cæteris gentibus tanto perniciosius, quanto arrogantius præferebant. Gentes autem facillime etiam sine hujusmodi legis transgressione humiliarentur. Homines enim nullam ex parentibus originem justitiæ se trahere prævidentes, simulacrorum etiam servos invenit evangelica gratia. Non enim sicut istis dici poterat, non fuisse illam justitiam parentum eorum in colendis idolis, quam esse arbitrabantur : ita etiam Judæis dici poterat, falsam fuisse justitiam patris Abraham. Itaque illis dicitur : *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, et ne dixeritis vobis, patrem habemus Abraham. Potens est enim Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abraham* (*Luc.* III). Istis autem dicitur : *Propter quod memores estis, quod vos aliquando gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne manufacta, qui eratis illo tempore sine Christo, alienati a societate Israel, et peregrini testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo* (*Ephes.* II). Denique illic infideles de oliva sua fracti, hic autem fideles de oleastro in oliva illorum inserti esse monstrantur. Illorum ergo erat de legis transgressione atterenda superbia, sicut ad Romanos, cum Scripturarum verbis peccata eorum exaggerasset : *Scitis autem*, inquit, *quoniam quæcunque lex dicit, his qui in lege sunt, loquitur, ut omne os obstruatur, et reus fiat omnis mundus*

*Deo* (*Rom.* III). Judæi scilicet de transgressione legis, et gentes de impietate sine lege. Unde et iterum ait : *Conclusit enim Deus omnia in credulitate, ut omnibus misereatur* (*Rom.* XIII).

*Lex ergo adversus promissa Dei? Absit.* Non ergo lex data est, ut peccatum auferret, sed ut sub peccato omnia concluderet. Lex enim ostendebat esse peccatum, quod illi per consuetudinem cæcati possent putare justitiam, ut hoc modo humiliati cognoscerent non in sua manu esse salutem suam, sed in manu mediatoris. Absit utique, quia non est lex inimica promissionis, quippe cum confirmet eam. Nam primus Moyses dixit : *Prophetam vobis suscitavit Deus de fratribus vestris* (*Deut.* XVIII; *Act.* XIII). Hoc dictum de Christo Petrus apostolus probat in Actibus apostolorum.

*Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat.* Sicut mediator Dei et hominum inter dantem et accipientem legem medius fuit, sic lex ipsa, quæ post repromissionem data est, inter repromissionem et completionem ejus media subrepsit. Quæ non idcirco arbitranda est promissionem excludere, quia postea subsecuta eam, quæ prius fuit videtur abolere : sed ex eo, quod non potuit vivificare, nec id tribuere, quod repromissio prima pollicita est, manifestum est in custodiam eam repromissionis, non in subversionem datam. Si enim data esset lex quæ posset præstare vitam, et id quod repromissio spoponderat exhibere, vere promissio per legem putaretur exclusa. Nunc autem propter transgressiones, ut supra diximus, posita, magis eos arguit peccatores, quibus post repromissionem in custodiam, et, ut ita dicam, in carcerem data est : ut quia per arbitrii libertatem noluerunt innocentes exspectare promissum, legalibus vinculis præpediti, et in servitutem mandatorum redacti, custodirentur in adventum futuræ in Christo fidei, quæ finem repromissionis afferret. Justitiam hanc dicit, quæ apud Deum reputatur justitia, id est, fidei, quia et lex habuit justitiam, sed ad præsens, non quæ justificaret apud Deum, remittere enim peccata non potuit, ut de peccatoribus faceret justos; sed ad hoc data est, ut terrore esset provocans homines ad bonam vitam, irreverentes puniens. Ideoque non est data lex, quæ posset vivificare, sed condemnare. Nec vero æstimandum, Scripturam auctorem esse peccati, quia omnia sub peccato conclusisse dicatur, cum mandatum, quod ex ore præcipitur, ostendat potius, arguatque peccatum, quam sit causa peccati. Quomodo et judex non est auctor sceleris, nequam homines vinciendo, sed concludit eos, et nocentes sententiæ suæ auctoritate pronuntiat, ut debitores pœnæ indulgentia, postea, si voluerit, principalis absolvat. Quod autem dicit, *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ revelanda*

A *erat*, ac si aperte dicat : Jam nos reatus legis non obligat, jam per gratiam liberatos. Namque antequam spiritalem gratiam humiliati reciperemus, nihil nisi mortificabat nos littera, jubens quod non poteramus implere. Unde dicit : *Littera enim occidit : spiritus autem vivificat* (*I Cor.* III). Conclusio enim eorum erat tantum timor unius Dei, et quod prævaricatores ipsius legis inventi sunt, non ad perniciem, sed ad utilitatem valuit eis, qui crediderunt. Cognitio enim majoris ægritudinis, et desiderari medicum vehementius fecit, et diligi ardentius. Cui enim plurimum dimittitur, plurimum diligit.

*Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo Jesu, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sub pædagogo sumus. Omnes enim Filii Dei estis per* B *fidem, quæ est in Christo Jesu.* Pædagogus Græcum est. Pædagogus, pedissequus. Pædagogum eruditorem, vel nutritorem puerorum dicimus. Pædagogus dicitur qui parvulis assignatur, ab eo quod pueros agat, id est, ducat, et lascivientem refrenat ætatem, ut prona in vitia corda teneantur, dum tenera studiis eruditur infantia, et ad majores philosophiæ, ac regendæ reipublicæ disciplinas metu pœnæ coercita præparetur. Non tamen pædagogus magister et pater est, nec hæreditatem et scientiam pædagogi is qui eruditur, exspectat, sed alienum custodit filium pædagogus ab eo, postquam ille ad legitimum capiendæ hæreditatis tempus advenerit, recessurus. Denique et nomen pædagogi hoc ipsum sonat, et est compositum ab eo, quod pueros agat, id est, doceat. C Itaque et Moysi lex populo lascivienti, ad instar pædagogi severioris apposita est ut custodiret eos, et futuræ fidei præpararet, quæ postquam venit, et credidimus in Christum, jam non sumus sub pædagogo. Tutor a nobis curatorque discedunt, et legitimum ætatis tempus ineuntes vere Dei filii nominamur : cui nos generat, non lex abolita, sed mater fides, quæ est in Christo Jesu. Quod si quis post consummatum ætatis suæ tempus, quando jam hæres, et liber, et filius appellatur, voluerit esse sub pædagogo, sciat se non posse legibus parvuli vivere. Ubi enim nunc compleri potest illud, *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui* (*Exod.* XXXIV), subversa Jerusalem, et templo usque ad cineres dissipato? Ubi salutares et D pro peccato hostiæ? Ubi similatum decoctio, holocaustorum oblatio, æternus ignis, altari omnino destructo (*Lev.* IV, V *et* VI)? Noxiis vero quæ poterit pœna discerni, Scriptura dicente : Auferetis malum de medio vestrum (*Deut.* XIII), servientibus Judæis, et Romanis regnantibus? Atque ita fit, ut nec sub patre, nec sub pædagogo vivant, dum et lex impleri non potest post successionem fidei, et fides, dum pædagoga lex aperitur, non tenetur.

*Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quod autem Christus sit indumentum fidelium, non solum de præsenti loco, verum etiam de alio comprobatur, Paulo eodem cohortante : *Induite vos Dominum Jesum Christum* (*Rom.* XIII), dum

immutantur, Christum induunt, quando hoc appellantur, quod credunt. Si igitur, qui in Christo baptizati sunt, Christum induerunt, manifestum est eos, qui non sunt induti Christum, non fuisse baptizatos in Christo. Quod autem filios Dei dicit esse omnes per fidem, qua induerunt Christum, quicunque in ipso baptizati sunt, ad hoc valet, ne gentes de se desperarent, quia non custodiebantur sub pædagogo, et ideo se filios non putarent, sed per fidem induendo Christum, omnes filii fiunt, non natura sicut unicus filius, qui etiam sapientia Dei est: neque potentia et singularitate susceptionis, ad habendam naturaliter, et agendam personam sapientiæ, sicut ipse mediator unum cum ipsa suscipiente sapientia sine interpositione alicujus mediatoris effectus, sed filii fiunt participatione sapientiæ, id est, præparante atque præstante mediatoris fide, quam fidei gratiam nunc indumentum vocat, ut Christum induti sunt, qui in eum crediderunt, et ideo filii Dei, fratresque ejus mediatoris effecti sunt.

*Non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Nec Judæus idcirco melior est, quia circumcisus est, nec gentilis ideo deterior, quia præputium habet, sed pro qualitate fidei, vel Judæus, vel Græcus melior, sive deterior. Servus quoque et liber non conditione separantur, sed fide, quia potest et servus libero esse melior, et liber servum in fidei qualitate prævertere. Masculus similiter et femina fortitudine et imbecillitate corporum separantur. Cæterum fides pro mentis devotione censetur: et sæpe venit, ut et mulier viro causa salutis fiat, et mulierem vir in religione præcedat. Cum autem ita se res habeat, et tota diversitas generis, conditionis, et corporum Christi baptismate, et indumento illius auferatur. Omnes unum sumus in Christo Jesu, ut quomodo Pater et Filius in se unum sunt, ita et nos in ipsis unum simus. Etsi hoc facit fides, per quam in hac vita juste ambulatur, quanto perfectius, atque cumulatius id species ipsa factura est, cum videbimus facie ad faciem? Nam nunc quamvis primitias spiritus habentes, qui vita est propter injustitiam fidei, tamen quia adhuc mortuum est corpus propter peccatum, differentia ista, vel gentium, vel conditionis, vel sexus, jam quidem ablata est ab unitate fidei, sed manet in conversatione mortali, ejusque ordinem in hujus vitæ itinere servandum esse, et apostoli præcipiunt, qui etiam regulas saluberrimas tradunt, quemadmodum secum vivant, et pro differentia gentis, Judæi et Græci; et pro differentia conditionis, domini et servi; et pro differentia sexus, viri et uxoris, vel si qua talia cætera occurrunt: et ipse prior Dominus, qui ait: *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt* (*Matth.* XXII). Alia sunt enim, quæ servamus in unitate fidei sine ulla distantia, et alia in ordine vitæ hujus, tanquam in via, ne nomen Dei et doctrina Salvatoris nostri blasphemetur, et hoc non solum propter iram, ut effugiamus offensiones hominum, sed etiam propter conscientiam, ut non simulate quasi ad oculos hominum ita faciamus, sed pura dilectionis conscientia propter Deum, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Illud autem quod ait, *Omnes vos unum estis in Christo Jesu.* Et addidit: *Si autem vos unum estis in Christo Jesu: ergo Abrahæ semen estis.* Hic ostendit unum semen Christum, non tantum mediatorem intelligendum esse, verum etiam Ecclesiam, cujus ille corporis caput est, ut omnes in Christo unum sint, et capiant secundum promissionem hæreditatem per fidem, in qua inclusus erat, id est, in cujus adventum tanquam sub pædagogo custodiebatur populus usque ad ætatis opportunitatem, qua in libertatem vocandi erant, qui in eodem populo secundum propositum vocati sunt, id est, qui in illa area frumentum inventi sunt.

*Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis secundum promissionem hæredes.* Quare promissiones ad Abraham et semen ejus factæ sunt, quod est Christus Jesus. Consequenter hi, qui Christi filii, id est, semen ejus sunt, semen quoque dicuntur Abraham, cujus sunt semen ex semine. Verum quotiescunque Dominus noster Jesus semen Abrahæ nominatur, corporaliter sentiendum est, quod ex ejus stirpe generetur. Quoties autem nos, qui Salvatoris sermone suscepto credidimus in eum, et nobilitatem generis Abrahæ, ad quem est promissio facta, suscepimus, spiritaliter semen fidei et prædicationis accipere debemus. Deinde etiam hoc considerandum, quod quando de Domino loquitur, ad Abraham autem dictæ sunt promissiones et semini ejus, hoc est, in Christo Jesu, repromissiones pluraliter ponat. Quando vero de his, qui per Christum semen sunt Abrahæ, singulariter repromissio nuncupetur, ut in præsenti loco: *Ergo Abrahæ semen estis secundum promissionem hæredes*, decens quippe erat, ut quod in Christo uno pluraliter dicebatur, id in multis hominibus singulariter poneretur.

## IN CAPUT QUARTUM.

*Dico autem, quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium; sed sub tutoribus et actoribus est, usque ad præfinitum tempus a patre.* Recte hi sub tutoribus et actoribus esse dicuntur, qui habentes spiritum timoris, necdum meruerunt spiritum libertatis et adoptionis accipere. Ætas enim infantiæ ad peccata formidat, pædagogum metuit, non confidit esse se liberam. Licet per naturam dominus sit, et secundum utramque intelligentiam qua tutores et actores vel prophetas vel angelos diximus, parvulus iste tam diu sub actoribus est, donec legitimum perfecti viri tempus impleverit. Legitimum autem tempus secundum Romanorum legem viginti quinque annorum spatio terminatur. Ita ad humani generis perfectionem Christi reputabatur adventus. Statim ut ille venerit, et omnes in virum perfectum creverimus, pædagogus a nobis tutorque discedunt: tunc auctoritate Domini, et hæreditatis possessione perfrue-

mur, in qua prius nati, quodammodo putabamur alieni.

*Ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis hujus mundi eramus servientes.* Aliqui elementa mundi legem interpretantur Moysi, et eloquia prophetarum, quod per hæc quasi initia et exordia litterarum, Dei timorem, qui sapientiæ principium est, suscipiamus. Denique ad eos qui jam deberent esse perfecti, et veritate neglecta adhuc disciplinarum principiis inhærebant, scribit in Epistola ad Hebræos Apostolus : *Etenim cum deberetis esse magistri propter tempus, rursum necesse habetis, ut doceamini quæ sint elementa principii sermonum Dei* (*Hebr.* v). Potest igitur, ut dicimus, Moysi lex, et prophetæ pro elementis accipi litterarum, quod per eas syllabæ junguntur et nomina, et non tam sui quam alterius rei utilitate discantur : ut possimus orationem legere contextam, in qua sensus magis, et ordo verborum, quam litterarum principia considerantur. Quod autem legem et prophetas elementa mundi interpretati sumus, mundus pro his qui in mundo sunt, accipi solet, eodem Paulo dicente : *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* v). Et in Evangelio : *Et mundus per eum factus est, et mundus eum non recepit* (*Joan.* I). Quæri potest, quomodo secundum hanc similitudinem sub elementis hujus mundi fuerint Judæi, cum illis per legem quam acceperat unus Deus, qui fecit cœlum et terram colendus commendaretur. Sed potest esse alius exitus capituli hujus : ut cum superius legem pædagogum fecerit, sub quo erat ille populus Judæorum, nunc procuratores et actores dicat elementa mundi, sub quibus serviebant : ut filius ille parvulus, id est populus propter unam fidem ad divinum semen Abrahæ pertinens, quoniam et de Judæis et de gentibus congregatus est, partim fuerit sub pædagogo legis tempore pueritiæ suæ, id est, ex ea parte, qua de Judæis congregatus est, partim sub elementis hujus mundi, quibus tanquam procuratoribus et actoribus serviebat, ex ea parte qua de gentibus congregatus est, ut quod miscet Apostolus personam suam. Non dicens, Cum essetis parvuli sub elementis hujus mundi eratis, sed dicens, *Cum essemus parvuli sub elementis mundi hujus eramus servientes*, non pertineat ad significationem Judæorum ex quibus Paulus originem ducit, sed magis ad gentium, hoc duntaxat loco : quoniam et eorum personæ decenter se potest adnectere, quibus ad evangelizandum missus est. Potest et in elementis mundi neomenias significare et sabbatum. Neomeniæ enim dies sunt lunares, quos observant Judæi : sabbatum vero dies requietionis. Antequam veniret ergo promissio, id est, donum gratiæ Dei, et purificans justificaret credentes, quasi imperfecti et parvuli per legem Dei subjecti eramus conservis, quasi pædagogis. Libertas enim nostra obnoxia erat causa peccati. Nihil tamen de elementis sperabant Judæi, sicut et pagani : sed creatorem Deum venerabantur in creatura. Deinde jam dicit : *Veniente* plenitudine temporis, Deum misisse Filium

A suum, ad liberandum parvum hæredem servientem ex parte legi, tanquam pædagogo : ex parte elementis hujus mundi, tanquam procuratoribus et actoribus.

*At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus*, inquit, *Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Plenitudo temporis, est completum tempus, quod præfinitum fuerat a Deo Patre, quando mitteret Filium suum, ut ex virgine factus quasi homo nasceretur, subjiciens se legi usque ad tempus baptismi, ut formam daret quomodo peccatores abluti, et a jugo legis erepti, dignatione Dei essent filii, et adoptarentur, sicut promiserat, redempti sanguine Filii ejus. Mulierem pro femina posuit, more locutionis Hebræorum. Non B enim quia de Eva dictum est, *Formavit eam in mulierem*, jam passa erat concubitum viri, quod non scribitur passa, nisi cum dimissi essent de paradiso. *Factum* autem dixit, propter susceptionem creaturæ, quia qui nascuntur ex feminis, non tunc ex Deo nascuntur, sed tamen Deus illos fecit, ut sic nasci possent, ut omnem creaturam. *Factum autem sub lege* dixit, quia et circumcisus est, et hostia pro illo legitima oblata est. Nec mirum si et ille legis opera sustinuit, ex quibus eos liberaret, qui eis serviliter tenebantur. Qui etiam mortem sustinuit, ut ex ea liberaret eos, qui mortalitate tenebantur.

*Ut adoptionem, inquit, filiorum recipiamus.* Adoptionem propterea dixit, ut distincte intelligamus C unicum Dei Filium : nos enim beneficio et dignatione misericordiæ ejus filii Dei sumus. Ille natura est filius, qui hoc est quod pater. Nec dicit accipiamus, sed recipiamus, ut significaret hoc nos admisisse in Adam, ex quo mortales sumus. Hoc ergo quod ait, *ut eos, qui sub lege erant, redimeret*, et ad liberandum eum populum pertinet, qui parvulus sub pædagogo serviebat. Et refertur ad id quod dixit, *factum sub lege.* Illud autem quod ait, *ut adoptionem filiorum recipiamus*, refertur ad id quod dixit, *factum ex muliere;* hinc enim adoptionem recipimus, quod ille unicus non dedignatus est participationem naturæ nostræ factus ex muliere : ut non solum unigenitus esset, ubi fratres non habet, sed etiam primogenitus ex multis fratribus fieret : duo enim proposuit, D *factum ex muliere, factum sub lege.* Sed mutato ordine respondit, jam illum populum adjungens, qui parvulus sub procuratoribus et actoribus serviebat, id est elementis hujus mundi, ne reputarent se non esse filios, quia non erant sub pædagogo.

*Quoniam autem filii Dei estis, inquit, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba pater.* Duo sunt verba, quæ posuit, ut posteriore interpretaretur primum. Nam hoc est abba, quod pater. Eleganter autem intelligitur, non frustra duarum linguarum verba posuisse idem significantia propter universum populum, qui de Judæis et gentibus in unitatem fidei vocatus est, ut Hebræum verbum ad Judæos, Græcum ad gentes : utriusque tamen verbi eadem significatio ad ejusdem fidei spiritusque uni-

tatem pertineat. Nam et ad Romanos, ubi similis quæstio de pace in Christo Judæorum gentiumque tractatur, hoc dicit : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater* (*Rom.* VIII). Cum ergo dixisset Apostolus, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum recipiamus*, restabat, ut etiam gentes, quæ non erant sub lege, ad eamdem tamen adoptionem filiorum pertinere ostenderet, quod de sancti Spiritus dono, qui omnibus datus est, docet. Unde se etiam Petrus de baptizato incircumciso centurione Cornelio defendit apud Judæos, qui crediderant, dicens : Non se potuisse aquam negare illis (*Act.* IX). Quoniam Spiritum sanctum accepisse claruerat. Sic et hic, *quoniam*, inquit, *filii Dei estis, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba pater.* Deinde manifestissime ostendit de his etiam se dicere, qui ex gentibus ad fidem venerant ad quos etiam epistolam scribit.

*Itaque jam non est servus, sed filius.* Habentes, inquit, spiritum Filii Dei, clamantem in vobis, Abba pater, non servi cœpistis esse, sed filii qui ante nihil differebatis a servo, cum essetis natura quidem Domini, sed sub tutoribus et actoribus parvuli degebatis. Non est servus, quia sublatus de potestate legis socius factus est benedictionis proprii filii Dei. Hoc totum agit, propter id quod dixerat, *quandiu hæres parvulus est, nihil differt a servo.*

*Quod si filius, et hæres per Deum.* Id est, per misericordiam Dei, non per promissionem patrum, de quibus carnaliter, sicut Judæi, natus non esset, tamen filius Abrahæ secundum imitationem fidei. Cujus fidei gratiam per misericordiam Domini meruistis.

*Sed tunc quidem nescientes Deum, servistis iis, qui natura non erant dii. Nunc vero cognoscentes Deum, magis autem cogniti ab eo, quomodo convertimini iterum ad infirma, et egena elementa, quibus rursum servire vultis?* Quoniam prius per ignorantiam peccabant servientes idolis, facile illis remissum significat, sicut dicit in Genesi Abimelech ad Deum : *Domine, num,* inquit, *gentem ignorantem perdes* (*Gen.* XX)? Galatas quoque, quos ab idolorum cultu ad fidem Dei veri transtulerat, arguit quomodo idolis derelictis, qui natura non erant dii : *Et cognoscentes Deum, magis autem cogniti ab eo*, spiritu quoque adoptionis accepto, rursum quasi parvuli, et sub tutoribus et pædagogo esse cupientes, ad infirma et pauperrima revertantur elementa, quæ propterea infirmo et pauperi sensu populo data sunt in deserto, quia non poterant accipere et sustinere majora. Eadem autem elementa, quæ nunc infirma et egena appellavit, superius tantum mundi elementa posuit. Et ubi elementa mundi dicta sunt, ibi non est additum infirma et egena. Hic rursum, ubi infirma vocata sunt mundi, ut supra diximus, nomen est tacitum. Puto itaque quia quandiu quis parvulus est,

A nec statum a patre tempus implevit, ut filius et hæres appellari queat, sub elementis eum mundi, lege videlicet esse Moysi. Cum autem post libertatem et adoptionem, et hæreditatem filio debitam rursum reversus fuerit ad legem, circumcidi volens, et totam Judaicæ superstitionis litteram sequi, tunc quæ prius ei mundi tantum fuerant elementa, infirma quoque et egena dicuntur exordia. In tantum enim nihil prosunt cultoribus suis, ut ne hoc quidem eis exhibere valeant quod ante præstiterant, Hierosolyma, templo, altarique destructis. Illud vero quod ait, *cognoscentes Deum, magis autem cogniti ab eo*, nihil nos movere debet. Manifestum est enim quandiu per fidem ambulamus, non per speciem, nondum

B nos cognovisse Deum; sed ea fide purgari, ut opportuno tempore cognoscere valeamus; sed si in ipsa correptione, imo autem cogniti a Deo, proprie accipitur, putabitur Deus quasi ex tempore aliquid cognoscere, quod ante non noverat. Translate ergo dictum est, ut oculos Dei accipiamus ipsam dilectionem ejus, quam commendavit mittendo pro impiis occidendum unicum Filium. Sic enim de his qui diliguntur dicere solemus quod ante oculos habeantur, hoc est ergo cognoscentes, imo cogniti a Deo. Quod et Joannes dicit : *Non quod nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.*

*Dies observatis, menses, annos, et tempora.* Judæi enim serviliter observant dies, et menses, et annos, et tempora in carnali observatione sabbati, et neo-

C meniæ, et mense novorum, et septimi cujusque anni, quem vocant sabbatum sabbatorum. Quæ, quoniam erant umbræ futurorum, jam adveniente Christo in superstitione remanserunt : cum tanquam salutaria observarentur a nescientibus quo referenda sint, ut tanquam hoc dixerit Apostolus gentibus : Quid prodest vos evasisse servitutem qua tenebamini, cum serviretis elementis mundi, quando rursus ad talia reditis, seducti ab eis qui nondum cognoscentes libertatis suæ tempus inter cætera opera legis quæ carnaliter sapiunt, etiam temporibus serviunt : quibus et vos rursus, ut antea, servire vultis, et observare cum eis dies, et menses, et annos, et tempora, quibus et serviebatis antequam Christo crederetis?

D *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Satis vero caute inter auctoritatem Apostoli et sancti hominis lenitatem verba moderatus est, inferens : *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Nunc autem videns eos zelum Dei habere, sed non secundum scientiam, nec penitus eorum desperavit salutem, qui pio fuerant errore decepti, nec rursum irreprehensos reliquit, ne et ipsis perseverandi in errore, et cæteris occasionem similiter tribueret enarrandi. *Timeo* autem *vos* posuit pro eo quod est, timeo de vobis. Sine causa laborat magister, cum ipse provocat ad majora discipulos, et illi retro lapsi ad minora et humiliora revolvuntur.

*Estote sicut et ego, quia et ego sicut vos.* Id est

obsecro vos, fratres, ut Judaicas observationes contemnatis dierum, mensium, temporum, atque annorum, quæ sunt umbræ futurorum; me imitemini, qui sine querela in lege versatus omnia arbitratus sum quasi purgamenta, atque quisquilias, ut Christum lucrifacerem. Fui quippe et ego sicut vos nunc estis, cum eisdem observationibus strictus tenebar, et Ecclesiam Christi, quia ista non faceret, persequens devastabam. Qui utique cum Judæus natus sim jam ista carnalia spiritali de dijudicatione respuo. Deinde opportune ac decenter facit eos recolere charitatem suam, ne tanquam inimicum illum deputent. Hoc dicit, dent operam corrigendi se, quia non est impossibile, ut sint sicut ipse, quia et ipse hoc erat, id est, homo, quod et illi : et cum fuisset in errore persequens Ecclesiam, correptus convertit se, et dicit :

*Fratres, obsecro vos, nihil me læsistis. Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem, et tentationem vestram, quæ erat in carne mea, non sprevistis, neque respuistis : sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum.* Nunc mitius agit cum eis, et bona eorum incipit memorare, ut post magnas correptiones bona opera sua audientes recrearentur, et data opera reformarentur, ne objurgationibus diutius pressi asperiores fierent exacerbati. Et est sensus : Quando vobis primum evangelium annuntiavi, et propter infirmitatem carnis vestræ, quia non poteratis sacramenta suscipere majora, prædicavi vobis quasi parvulis, et meipsum infirmum esse simulavi, ut vos infirmos lucrifacerem : Nonne *quasi angelum Dei suscepistis me, quasi Christum Jesum?* Cum igitur in nullo me illo tempore læseritis, et me vestri causa humilem atque dejectum similem Dei Filio putaveritis, quomodo ad majora vos provocans lædor a vobis perdendo laborem meum, et dispensationem illam, qua me parvulum esse simulaveram? In eo enim lædit discipulus magistrum, si per negligentiam suam præcepta laboremque ejus spernit.

*Et tentationem vestram in carne mea non sprevistis, neque respuistis.* Tentati sunt enim cum persecutionem pateretur Apostolus, utrum timore desererent eum, an charitate amplecterentur. Et neque sprevistis, inquit, tanquam inutilem istam tentationem, neque respuistis, ut non susciperetis communionem periculi mei. Potest locus iste et ita edisseri : Quando veni ad vos, non veni in sermone sapientiæ, sed homo humilis atque contemptus, nihil magnum deferens nisi crucifixum. Cum igitur me videretis in corpore infirmitatibus obnoxio constitutum regna cœlestia pollicentem, non irrisistis, nec æstimastis dignum esse contemptu. Intelligebatis quippe humilitatem carnis meæ, et ipsius habitus vilitatem, ad vestram tentationem fieri. An videlicet contemneretis eum, qui ab incredulis miserabilis putabatur? Sed e contra illum humilem, vilem, atque contemptum, ita ut angelum, et plus quam angelum suscepistis. Quod autem ait : *Sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum,* hoc magis laudat in eis quia pressuris non deformatus est apud eos, sed commendatus. Scientibus pro his credunt pati illum exitia. Sicut ergo angelum Dei exceperunt Apostolum, credentes Dei donum esse quod prædicat, sic ei deferentes quasi auctori Domino Jesu Christo. Ostendit et angelo Christum esse majorem, quem secundum dispensationem corporis minorem Psalmista cantaverat dicens : *Minorasti eum paulo minus ab angelis;* et tantum sua verba in principio valuisse demonstrat ut angeli putarentur et Christi. In memoriam revocat illis tempus quando primum prædicavit illis Evangelium Dei. Ipso enim tempore injuriis agebatur Apostolus, et cædibus infirmabatur : infirmus enim videtur, qui humiliatur, et non resistit propter evangelium Dei. Et in hoc laudat conscientiam eorum, quia non sunt abstracti a fide. Injuria enim Apostoli tentatio erat Galatarum, in qua firmi inventi sunt, non dubitantes de fide, possent enim scandalum passi dicere : Quæ est virtus, aut spes in hac fide, quando minister ejus sic humiliatur? Sed quia jam animum futuris spebus infercierant præsentes exitus pro Christi nomine non pertimescebant, certi fidem nostram non in terris, sed in cœlis habere dignitatem, et pro his tribulationibus magna rependi præmia. Sic ruborem illis incutit, quia post hæc laudabilia circumventi fuerant, ut vituperabiles viderentur.

*Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi.* Ostendit quanta cum charitate susceperint, et quomodo totos se ejus doctrinæ tradiderint : ut quæ charissima sunt corporis sui membra eidem dare cuperent : quod vel sic evangelico lumini vicem redderent, si sua lumina tradidissent. Quamvis, inquit, vos eo tempore, quo evangelium juxta carnem susceperatis beatos dicerem, quod in initiis fervebatis; tamen nunc quia non video ædificio culmen impositum, et pene nequidquam jacta fundamina, cogor dicere : Ubi est ergo beatitudo vestra, qua vos beatos arbitrans ante laudabam? Vere enim et ipse fateor, quia sic me vobis humilia prædicantem, vel persecutionibus afflictatum in principio dilexistis, ut si fieri posset (hyperbolice autem sunt accipienda quæ loquitur) eruissetis vobis oculos, et mihi, ut omnium vestrum luminibus plus cernerem, dedissetis. Optabatis quippe vos cæcos esse per ineffabilem in me charitatem, ut plus in meo corde evangelii lumen oriretur. Emolumentum meum vestris damnis crescere volebatis, et hoc illo tempore, quo vobis quasi parvulis atque lactentibus, sive propter infirmitatem carnis vestræ, parva et humilia annuntiabam, sive propter meæ carnis injurias indignus videbar fide. Nunc vero quia ab elementis et syllabis, et lectione puerili cœpi vos ad majora studia provocare, ut libros teneatis in manibus, et ut plena eruditionis et sensum verba discatis, recalcitratis, irascimini, gravis vobis videtur esse perfectio doctrinarum, et in tantum in

alios mutati estis affectus, ut me, quem quasi angelum et Christum susceperatis, cui volebatis oculos tradere, nunc habeatis inimicum, quia vobis plenam annuntio veritatem. Eleganter autem sententiam terminavit, dicens :

*Ergo inimicus vobis factus sum veritatem dicens vobis?* Hæc est natura veritatis, ut eam inimicitiæ prosequantur, sicut per adulationem perniciosæ amicitiæ consequuntur; libenter enim quod delectat auditur : offendit omne quod nolumus. Sicut et hi diligere cœperant sabbati otium, et dies festorum, epulas prædicantes contra Apostolum, qui omnem continentiam suo docebat exemplo.

*Æmulantur vos non bene.* Id est invident vobis, qui vos carnales de spiritalibus volunt facere. Hoc est æmulantur non bene, invidia Judæorum subversos eos significat. Videntes enim sic illos proficere in Evangelio, et tantam habere charitatem in Apostolum id egerunt, quatenus illos deciperent. Erant enim legis causa Apostolo inimici, ut manente nomine Salvatoris, facerent eos Judæos, gaudentes in eversione eorum. Non enim patiebantur, ut gratiam promissam audirent incircumcisis gentibus datam. Ideo imitatores suos illos voluerunt fieri ut more eorum circumciderentur.

*Sed excludere, inquit, vos volunt : ut illos æmulemini.* Hoc est, imitemini. Quomodo, nisi ut servitutis jugo detineamini, sicut ipsi detinentur? Loquitur itaque Galatis, qui ab assertoribus legis inducti fuerant, ut eos imitarentur, cum illi potius Galatas debuerint imitari : quia naturale est, majorem de minori, non minorem fieri de majore.

*Bonum æmulemini in bono semper.* Id est nolite assertores Judaicæ observationis imitari, sed ea quæ bona sunt imitemini. Quomodo enim qui divitias, potentiam, dignitatem, alicujus imitatur, non tam bona, quam ea quæ fugienda sunt, æmulatur: ita et vos e contrario bonum æmulemini in bono, magis quærentes spiritalia, quam carnalia : ut non illi vos Judæos, sed vos illos Christianos esse doceatis. Hoc autem facite semper, ut perseveranti gradu ad finem boni operis pervenire possitis. Æmulemini siquidem bonum in bono, ut prius cum apud vos essem, qui postquam a vobis recessi, omnia quæ credideram perdidistis, de statione certa et fido portu rursum in altum unda relabente subtracti. Nec mirum, si recedente Apostolo, vase electionis, et in quo Christus Dominus loquebatur, Galatæ sunt mutati cum etiam nunc cernamus in Ecclesiis id ipsum fieri. Volens igitur Paulus ostendere magistrorum pro discipulis sollicitudinem, quos patiantur affectus, ne sectatores sui excidant a salute, ait :

*Filioli mei, quos iterum parturio.* Per Evangelium in lucem producti, et per doctrinam geniti, iterum me dolorem sustinere fecistis, ostendit per pœnitentiam eos posse renasci. Qui enim in alio loco, quasi pater dixerat : *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres* (*I Cor.* IV), jam non quasi pater, sed ut mater loquitur in Christo,

A ut utriusque anxietatem et pietatem in se parentis agnoscant.

*Donec formetur Christus in vobis.* Formatur enim Christus in eo, qui formam accepit Christi. Formam autem accipit Christi, qui adhæret Christo, dilectione spiritali. Ex hoc enim fit, ut ejus imitatione sit quod ille, quantum gradu suo sinitur. Qui enim dicit se in Christo (ait Joannes) manere, debet quomodo ille ambulavit, et ipse ambulare. Sed cum homines a matribus concipiantur, ut formentur, jam formati autem parturiantur, ut nascantur, potest movere quod dictum est, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis, nisi parturitionem hanc pro curarum angoribus positam intelligamus, quibus eos parturivit, ut nascerentur in Christo.

B Et iterum parturit propter pericula seductionis quibus eos conturbari videt, sollicitudo autem illa, et cura de illis, quia se quodammodo parturire dicit, tam diu esse poterit, donec perveniant in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non moveantur omni vento doctrinæ. Non ergo propter initium fidei, quoniam nati erant, sed propter robur, et perfectionem dictum est, donec formetur Christus in vobis. Sive aliter, formatur Christus in corde credentium, cum omnia illis sacramenta panduntur, et ea quæ obscura videbantur, perspicua fiunt.

*Vellem autem esse apud vos, et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis.* Quid aliud intelligatur, nisi quia filiolos suos esse dixerat, parcens eis, fortasse ne severiore objurgatione commoti facile in eis odium traduceretur a deceptoribus illis, quibus absens non posset resistere, non
C
video. *Vellem ergo, nunc adesse apud vos, et mutare vocem meam,* id est, negare vos filios, quia confundor in vobis. Malos enim filios, ne de his erubescant, etiam parentes abdicare solent, quia scribere tanta non possum, quanta vos audire meremini; quoniam epistola non potest vocem objurgantis exprimere. Non valet irascentis resonare clamorem, et dolorem pectoris apicibus explicare : quia detrimentum discipulorum confusio et opprobrium est magistri, sicut profectus eorum gloria est præceptoris. Confunditur ergo in eis, quia jam filii facti, servi esse desierant.

D *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non audistis?* Notandum legem hic dictam esse Geneseos historiam, non ut vulgo æstimant quæ facienda sint, quæve vitanda, sed totum quod de Abraham et ejus uxoribus liberisque contexitur, legem appellatam. Legimus et in alio loco prophetas quoque legem vocari. Audit ergo legem, qui juxta Paulum non superficiem, sed medullam ejus introspicit. Non audit legem, qui similis Galatis exteriorem tantum corticem sequitur.

*Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit : unum de ancilla, et unum de libera.* De duobus filiis Abrahæ quod dicit, facile intelligitur. Nam et ipse Apostolus interpretatur hanc allegoriam. Per hos enim duos filios Abraham duo testa-

menta significata sunt. Post mortem autem Saræ, quos de alia uxore genuit, non pertinent ad hanc significationem. Et ideo multi legentes Apostolum, librum autem Geneseos ignorantes, putant solos duos filios habuisse Abraham. Hos ergo solos commemorat Apostolus, quia solos adhuc habebat, cum hæc significarentur, quæ consequenter exponit. Quod ille de ancilla, quæ Agar vocabatur, vetus testamentum significat, id est populum veteris testamenti, propter jugum servile carnalium observationum, et promissa terrena, quibus irretiti, et quæ tantummodo sperantes de Deo, non admittuntur ad hæreditatem spiritalem cœlestis patrimonii. Non autem sufficit quod de libera uxore natus est Isaac ad significandum populum hæredem novi testamenti : sed plus hic valet quod secundum promissionem natus est. Ille autem et de ancilla, et secundum carnem : Sicut et Cethura, quam postea duxit Abraham, non secundum promissionem, sed secundum carnem suscepit filios. Isaac enim mirabiliter natus est per repromissionem, cum ambo parentes senuissent. Quod si data per Apostolum fiducia, qua duos illos allegorice accipiendos apertissime ostendit, voluerit aliquis etiam Cethuræ filios in aliqua rerum figura futurarum inspicere (Non frustra de talibus personis, administratione Spiritus sancti, hæc gesta conscripta sunt) inveniet fortasse hæreses et schismata significari : quia ii filii de libera quidem, sicut isti de Ecclesia sed tamen secundum carnem nati sunt.

*Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: Qui autem de libera per repromissionem.* Nimiæ difficultatis est demonstrare Isaac tantum, qui de Sara natus est, fuisse de repromissione generatum : et non etiam Ismael, qui de Agar ancilla est ortus Ægyptia. Scriptura quippe refert, quod cum persequente Sara, Agar feta fugisset, et venisset ad eam angelus in deserto, moneretque ut subjiceretur dominæ potestati, idem ipse angelus etiam hæc locutus sit : *Multiplicans multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine.* Et postea de Ismaeli (quæ utique repromissionis verba nemo dubitaret): *Iste erit rusticanus homo : manus ejus super omnes, et manus omnium super eum et contra faciem omnium fratrum suorum habitabit.* Sed et hoc dici potest, de Ismaele post conceptum ejus vel angelum, vel Deum locutum. De Isaac vero antequam in Saræ utero conciperetur, Deum fuisse pollicitum. Ismael, carnis filius : Isaac fidei fuit. Illum enim Abraham secundum carnalem consuetudinem genuit : istum contra naturam senilem, per repromissionem credendo suscepit. Qui sunt secundum carnem nati, nisi dilectores mundi? Qui sunt per repromissionem nati, nisi amatores regni cœlorum, quia et ipsis promissum est, desiderantes vitam æternam, gratis colentes Deum? Nunc interim breviter ad altiora tendendum est, ut dicamus unumquemque nostrum primum non juxta repromissionem nasci, quam Scripturarum verbis simplicibus instruitur, adhuc A expositionibus delectatur. Quando vero ad sublimiora transcenderit, et legem intellexerit spiritalem, tunc eum de repromissione generari : et ut apertius loquar, quotidie eos, qui faciunt opera Abrahæ, de Abraham nasci : verum illos qui habent spiritum servitutis iterum in timore, ex ancilla generari Ægyptia.

*Quæ sunt per allegoriam dicta.* Allegoria proprie de arte grammatica est, hoc est aliud ex alio figuratum. Dedit regulam Apostolus quomodo allegorizare debemus. Scilicet ut manente veritate historiæ, figuras intelligamus. Nam cum dixisset Abraham vere duas uxores habuisse, postea quid hæ ipsæ figurarent ostendit. Et hoc ipsum facit, ubi aliqua sanctorum honesta facta referuntur, non ubi peccata damnantur. B Cæterum derelicta mysteria dicere, Deum aut impossibilitatis aut ignorantiæ notare est, quia aut aliter sacramenta sua monstrare non potuerit, aut nesciens sibi necessaria, peccata quorumdam antea generaliter condemnaverit. Deinde vel postea ea non reprehendisset, et vindicasset, si illa propter mysteria sua fieri ipse voluisset. Præcepta vero difficile invenies ita interpretata, ne eorum virtutem evacuare videretur.

*Hæc enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui conterminus est ei, quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis.* Pene cunctorum super hoc loco ista est explanatio, ut C Agar ancillam interpretentur in lege et in populo Judæorum : Saram autem liberam in Ecclesia quæ de gentibus congregata est, quæ mater sanctorum sit, Paulo dicente, *Quæ est mater omnium nostrum.* Hæc diu non peperit, antequam Christus de virgine nasceretur et sterilis fuit, necdum risus mundi Isaac de electo patre cum voce sublimium dogmatum agnitus erat. Resonare si quidem Abraham in nostra lingua pater electus cum sonitu refertur. Agar autem quæ interpretatur incolatus, sive peregrinatio, sive mora, generat Ismaelem, qui tantum audiat præcepta, nec faciat : hominem rusticum, sanguinarium, deserta sectantem, quæ universis fratribus suis de libera procreatis inimicus sit, et adversa eis fronte consistat. Nec mirum vetus testamentum D quod in monte Sina, qui est in Arabia, et confinis est ei quæ nunc est Jerusalem, constitutum est atque conscriptum, non esse perpetuum, cum et incolatus a perpetua possessione diversus sit, et Sinai montis nomen tentationem sonet, et Arabia significet occasum.

*Illa autem, quæ sursum est libera est, quæ est mater nostra.* Ideo cœlestem Jerusalem Sara significat, quæ diu deserta est a concubitu viri propter cognitam sterilitatem, quoniam novi testamenti populus, quamvis sit novus, prædestinatio tamen ejus apud Deum, et ipsa Jerusalem cœlestis antiqua est. Hanc terrenam Jerusalem virum habere dicit, quia secundum carnem generat. Illam autem cœlestem Jerusalem, quam dicit matrem nostram, sterilem ap-

pellat, quia non parit secundum carnem, nec dolores patitur, hoc est non parturit : generat autem sine passione spiritaliter exclamans in lætitiam. Hæc autem Jerusalem, quæ in præsenti est, deorsum et humili, infimoque loco dimersa est.

*Scriptum est autem : Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe et clama quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum.* Virum habuit synagoga legem, et juxta Annæ quoque prophetiam, fetosa quondam in liberis fuit : sterilis vero Ecclesia sine viro Christo, sine ullo sponsi sermonis alloquio diu jacuit in deserto. Sed postquam accepit illa librum repudii in manus suas, et omnia ornamenta viri in idoli vertit ornatum : tunc maritus priori singulo putrescente, alium lumbis suis balteum, aliud de gentibus lumbare contexit. Unde hæc statim ut viro juncta concepit et peperit; et in Isaia exclamat Dominus per prophetam : *si est gens nata simul*, quando una die in Actibus apostolorum, tria millia et quinque millia hominum crediderunt (*Act.* VI). Nec puto necesse esse, de multitudine Christiana, et de Judæorum paucitate dicamus, cum in toto mundo crucis vexilla resplendeant, et vix ratus atque notabilis in urbibus Judæus appareat.

*Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filii sumus.* Dicimus itaque Apostolum ideo eos appellare secundum Isaac filios promissionis, quia non penitus eorum desperet salutem; et rursum eos ad spiritum, quo cœperant æstimet reversuros. Fiantque filii liberæ, qui si carne fuerint consummati filii sint ancillæ.

*Sed quomodo tunc, qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum, qui secundum spiritum : ita et nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Itaque fratres non sumus ancillæ filii, sed liberæ : qua libertate nos Christus liberavit.* Non puto invenire nos posse ubi Ismael persecutus fuerit Isaac : sed tantum illud, quod cum filius Ægyptiæ, qui major natu erat, luderet cum Isaac, indignata sit Sara, et dixerit Abraham : Ejice ancillam, et filium ejus, non enim hæreditabit filius ancillæ cum filio meo Isaac (*Gen.* XXI). Et utique simplex lusus inter infantes expulsione et abdicatione indignus est. Verum Apostolus quasi Hebræus ex Hebræis, et ad pedes magistri Gamalielis edoctus, qui quondam furentes adversus Dominum Pharisæos consilio refrenaret ex verbis Saræ dicentis : *Non enim hæreditabit filius ancillæ cum filio meo Isaac*, intellexit lusum illum simplicem non fuisse : qui persecutio nominatur. Sed quia forsitan Ismael quasi major natu, et eo tempore circumcisus, quo jam poterat intelligere, et sentire quod passus est, sibi primogenita vendicabat, Scriptura jurgium parvulorum lusum vocavit. Unde et Sara hæc verba non sustinens, et consuetudine sibi primogenita vendicantis ancillæ filii a parva ætate non patiens, erupit in vocem : *Ejice ancillam cum filio suo. Non enim hæreditabit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Quod cum durum visum fuisset Abrahæ (semper enim primogenitis majora dabantur) non solum Ismaelem priorem esse desinere, sed ne æqualem quidem cum minore fratre accipere portionem : Deus qui liberam intus esse et foris expelli volebat ancillam, Saræ verba confirmat, et loquitur ad Abraham (*Gen.* XXII) : Non durum sit coram te, de puero et ancilla : *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, quoniam in Isaac vocabitur tibi semen.* Sicut ergo tunc major frater Ismael lactantem adhuc et parvulum persequebatur Isaac, circumcisionis prærogativa sibi primogenita vendicans : ita et nunc secundum carnem Ismael adversum minorem fratrem de gentibus populum Christianum sustollitur, inflatur, erigitur.

*Itaque fratres non sumus ancillæ filii, sed liberæ.* Quantumvis se iniquitas extollat, ancilla est, et subjicienda est sanctis, quantumvis se extollant, et filios Abrahæ esse se jactitent, quandiu ancillæ filii fuerint et carnaliter legem intellexerint, et sub ejus terrore redacti serviliter vixerint, vobiscum hæreditatem habere non poterunt. Non ergo debetis derelicta matre nostra ancillam sequi, quæ licet ejusdem viri fuerit uxor, tamen ad tempus, quia nondum poterat Sara generare : id est nondum testamentum novum revelatum erat.

*Qua libertate Christus nos liberavit.* Ea enim libertas nunc maxime apponenda est servitutis jugo, quo in operibus legis tenebantur, qui ad circumcisionem istos trahebant.

## IN CAPUT V.

*State, et nolite iterum jugo servitutis contineri.* Quando dicit state significat eos nondum funditus cecidisse : alioqui commodius diceret, surgite. Quod vero ait, *nolite iterum jugo servitutis detineri*, nullum aliud hic jugum rectius possumus intelligere, quo eos detineri non vult, nisi circumcisionem, et cæteras observationes Judaicas. Galatæ enim, qui ad Pauli apostoli prædicationem idolis derelictis statim ad Evangelii transcenderant gratiam, non revertebantur ad legis Judaicæ servitutem, quam nunquam prius cognoverant; sed volentes observare tempora, circumcidi carne, et hostias offerre corporeas, quodammodo in eosdem revertebantur cultus quibus in idololatria ante servierant.

*Ecce ego Paulus dico vobis.* Ego Paulus audenter vobis dico, neminem pertimescens, non occultans nomen meum, ut audientes non tam missi quam mittentis auctoritate moveantur. Tanquam si diceret, Ecce me imitemini, ut non timeatis; aut in me causam refundite, si timetis.

*Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest.* Quomodo accepturi sumus quod ait, ne iterum servitutis jugo detineamini, cum ad eos scribat, qui Judæi nunquam fuerant? Nam hoc agit utique, ne circumcidantur, sed nimirum hic declaratur et confirmatur sententia illa, de qua superius disputavimus. Quid enim aliud hoc loco gentibus dicat,

non invenio, nisi ut prosit illis quod a servitute superstitionis suæ per fidem Christi liberati sunt : ne iterum servi esse velint sub jugo observationum carnalium, quamvis sub lege Dei, tamen carnalem populum serviliter alligantium. Christum autem nihil eis profuturum esse dicit si circumcidantur : sed illo modo, quo eos isti volebant circumcidi, id est, ut in carnis circumcisione ponerent spem salutis. Non enim Timotheo non profuit Christus, quia Paulus ipse illum jam Christianum juvenem circumcidit. Fecit autem hoc propter scandalum suorum, nihil simulans omnino, sed ex illa indifferentia, qua dicit circumcisio nihil est, et præputium nihil est (*I Cor.* VII). Nihil enim obest ista circumcisio ei qui salutem in illa non esse credit. Tunc siquidem non prodest circumcisio, cum aliquid per semetipsam putatur utilitatis afferre. Sed illos solos ab hujusmodi observationibus non fuisse prohibendos, quos fides, quæ revelata est, iis jam imbutos invenerat: ut in eis jam consummaretur ipsa actio prophetica, quos ante ad impletionem prophetiæ jam tenuerat, ne si et ab ipsis removeretur, improbata potius quam terminata videretur. Si autem et gentibus imponeretur, aut non Christi promittendi causa instituta esse, aut adhuc Christum promittere putaretur. Prius itaque populus Dei, antequam Christus veniret, legem prophetasque adimplere, illa omnia, quæ hinc promittebant, observare jubebantur : liber in eis, qui hæc quo pertinerent intelligebant; servus autem in eis, qui non intelligebant. Posterior ergo populus accedens ad fidem, quia jam Christus venisse, passus esse, ac resurrexisse prædicabatur, in his quidem hominibus, quos jam talibus sacramentis institutos eadem fides invenerat nec cogebatur ista observare, nec prohibebatur. In his autem qui talibus vacui, nulla generis, nulla consuetudinis, vel congruenti necessitate retenti crediderant, etiam prohibebatur, ut super eos jam inciperet apparere. Illa omnia propter promittendum Christum fuisse instituta : quo veniente atque hæc promissa adimplente, jam oporteret cessare.

*Contestor autem omnem hominem circumcidentem se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Deus qui circumcisionem primo ad Abraham, deinde ad Moysen in lege præcepit non solum circumcisionem, sed et alia multa observanda constituit : dies festos Hierosolymis frequentandos, hostiarum holocausta mane semper et vespere, immolationem in uno tantum loco, quinquagesimum remissionis annum, et cætera, quæ facile est de Scripturis excerpere sibi unumquemque lectorem. Itaque cohortabimur Ebionem, et sectatores ejus, qui post Evangelium credentes in Christo circumcidendos putant, ut aut circumcisionem faciant, et cætera quæ præcipiuntur in lege; aut si impossibile est cuncta fieri, cesset et circumcisio, quæ cæteris quasi inutilis præmissa est. Quod si responderint possibilia tantum debere se facere (non enim Deum ea a nobis exigere quæ non possumus, sed quæ possumus implere), dicemus eis A non ejusdem esse Dei custodire velle legem, et eos qui legem custodiant, derelinquere. Aut quomodo propter intermissam legem reos eos faciet qui, etiamsi velint, universa complere non possint ? Nos vero legem sequi spiritalem, quæ dicat, *Non infrenabis os bovi trituranti* (*Deut.* XXV); et cum Apostolo intelligere, *Nunquid de bobus cura est Deo ? sed propter nos utique dicit* (*Rom.* IX); et observare sabbata delicata ; non ut bos et asinus noster et vilia pecora de quibus scriptum est : *Homines et jumenta salvos facies, Domine* (*Psal.* XXXV). Homines rationales quosque, et spiritales viros. Animalia vero eos qui tardioris ingenii sunt, et a spiritalibus ad agenda Domini sabbata erudiuntur. Nec contrarium esse id quod supra scriptum est, *si circumcidamini, Christus* B *vobis nihil prodest.* Et uod sequitur, *Testificor omnem hominem circumcidentem se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Quod ideo ait, ut vel terrore tam innumerabilium observationum, quæ in legis operibus scriptæ sunt, ne omnes implere cogerentur, quod nec ipsi Judæi nec parentes eorum implere potuerunt, sicut Petrus in Actibus apostolorum dicit, Abstineant se ab his quibus eos isti subjugare cupiebant.

*Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis.* Quomodo nemo potest duobus dominis servire, sic umbram pariter et veritatem legis implere difficile est. Umbra in lege veteri est donec spiret dies, et amoveantur umbræ. Veritas in Evan- C gelio Christi. *Gratia* enim *et veritas per Jesum Christum factæ sunt* (*Joan.* I). Perdit ergo gratiam Christi, et Evangelium quod tenuerat amittit qui in aliqua observatione legis se justificari putat, et cum gratiam amiserit, a Christi fide destruitur, et in ejus opere conquiescit. Magis autem intelligitur, ut id quod supra specialiter de circumcisione præceperat dicens : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest*, nunc tota lege generaliter comprehendat, nihil eos in Christi opere proficere, qui in quacunque observatione se crediderint justificandos dicendo : Si ergo in lege spem ponitis, infirmam Christi gratiam judicatis, et quod gratis jam accepistis, tanquam non habentes, propriis vultis laboribus adipisci. Nondum autem erat factum, sed quia voluntas D moveri cœperat, ita plerisque locis loquitur quasi jam factum sit.

*Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus.* Spiritum ad distinctionem litteræ posuit. Spes justitiæ Christus intelligendus; quia ipse est veritas, patientia, spes, justitia, omnes virtutes : cujus nos secundum exspectamus adventum quo judicaturus est omnia, et jam non patientia, sed justitia adfuturus ut reddat unicuique secundum opera sua. Cujus diei præsentiam Apostolus, et qui ei sunt similes exspectantes aiunt, *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* IX) Ut cum Filius Deo et Patri tradiderit regnum, et in subjectis omnibus fuerit et ipse subjectus. Tunc caput subjiciatur quodammodo et corpori, et sit Deus

omnia in omnibus. Quia qui nunc est ex parte per singulos, tunc incipiet totus esse per cunctos :

*Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* His qui in Christo Jesu volunt vivere, virtutes appetendæ sunt, vitia fugienda. Media vero quæ inter virtutes et vitia sunt, nec fugienda sunt nec appetenda, ut circumcisio, et præputium, et cætera his similia. *Circumcisio quidem prodest, si legem custodias ;* quæ idcirco utilis fuit his qui in lege vixerunt, non quia circumcisi erant, sed quia credita sunt illis eloquia Dei, quæ in opera vertentes a salute extranei non fuerunt. Ex eo siquidem tempore, quo Evangelium in toto orbe radiavit, superflua est circumcisionis injuria, quæ tunc, ut cætera quoque legis, valuit, quando et benedictiones carnales legem servantibus spondebantur. Quod scilicet si implessent eam, benedicti essent in civitate, benedicti in agro, plena haberent horrea, et multa alia quæ in repromissionibus continentur (*Deut.*, xxviii). Nos autem in Christo Jesu valere volumus, et confortari, id est, in vera circumcisione, et non circumcisione Judaica. *Neque enim qui in aperto Judæus est, neque manifesta in carne circumcisio, sed in abscondito Judæus, et circumcisio cordis in spiritu, non littera.* Nihil itaque prodest in Christo carnis circumcisio, sed cordis et aurium quæ aufert illud opprobrium Judæorum.

*Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire?* Sensus iste est. Cum igitur curreretis, veritati magis quam imaginibus servientes a quo præpediti doctore perverso umbram legis sequimini, et Evangelii relinquitis veritatem?

*Persuasio hæc non est ex eo qui vocavit vos.* Persuasionem istam non dicit Dei esse, sed eorum qui talia asserebant. Hæc enim suasio carnalis est, ille autem in libertatem vocavit. Hortatur ergo eos nullum eorum audire debere, qui ad illos veniebant ut ista suaderent. *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (*I Cor.* v). Ne quis diceret, Cur omnes corripis, dum non omnes erraverint? prædicit quod modicum malitiæ fermentum totam possit Ecclesiæ massam corrumpere. Nolite putare paucorum hominum, qui de Judæa venientes aliud docent, insidias contemnendas, quia *modicum fermentum totam massam corrumpit.* Item aliter hoc dicit, quia licet quippiam legis admiscentes fidei, violant tamen fidem, ne habeat fructum, aut sit acceptabilis, hoc ideo adjecit, ne forte incolumem se putarent habere gratiam fidei, si pauca legis observarent.

*Ego confido in vobis in Domino, quia nihil aliud sapietis.* Providens igitur spiritu, quia nihil aliud essent credituri, nisi quod per Epistolam docebantur, ait : *Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis.* Nam et additio Dominici nominis idipsum significat. Si enim per conjecturam hoc æstimabat, potuerat tantum dicere, *Ego confido in vobis.* Nunc autem apponens in Domino, divino quodam confidens spiritu quod futurum cognoverat prophetavit.

*Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicunque est ille.* Occulte, inquiunt, Petrum lacerat, cui supra in facie restitisse se scribit, quod non recto pede incederet ad Evangelii veritatem, sed nec Paulus tam procaci maledicto de Ecclesiæ principe loqueretur, nec Petrus dignus qui conturbatæ Ecclesiæ reus fieret. Ex quo arbitrandum est de alio quodam dici, qui aut cum apostolis fuerat, aut de Judæa venerat, aut ex Pharisæis crediderat, aut certe magnus sit apud Galatas æstimatus, ut portet judicium Ecclesiæ conturbatæ, quicunque est ille. Turbati ergo fuerant Galatæ inter spiritum et litteram, circumcisionem, et concisionem Judaismum occultum et manifestum, quid agerent ignorantes. Brevius autem et sic accipi potest : Quicunque est ille qui vos ad Pharisæorum doctrinam trahit, et desiderat in carne circumcidi, quamvis sit eloquens, et in legis ordinatione se jactitet, nihil amplius dico, nisi hoc quod etiam vos abnuere non potestis, quod portabit pro hoc opere judicium, et consequetur pro suo labore mercedem. Qui dum vellent istam servitutem persuadere et viderent eos Pauli apostoli auctoritate revocari, dicerent etiam ipsum Paulum id sentire, sed non eis facile aperire voluisse, sententiam suam opportune subjecit.

*Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior?* Legimus in Actibus apostolorum, et ipse quoque apostolus Paulus in Epistolis suis sæpe commemorat se a Judæis persecutiones creberrimas sustinuisse, propterea quod doceret eos qui de gentibus crediderant in Christo, non debere circumcidi. Hi itaque (de quibus supra ait, *Qui autem conturbat vos portabit judicium, quicunque est ille*) ut deciperent Galatas etiam hoc addebant : Non solum Petrus et Jacobus, et Joannes, et cæteri in Judæa apostoli circumcisionem, et alia præcepta legis observant, sed ipse quoque Paulus, qui vos aliter docuit, quam se rei veritas habet. Timotheum circumcidit, et Judæis frequenter Judæus factus est, veritate cogente, quam opinionem de Galatarum mentibus Paulus nunc volens tollere ait : *Ego autem, fratres, si circumcisionem prædico, quid adhuc persecutionem patior?* Omne, inquit, in me odium Judæorum, et qua adversum me furunt insania, ob nihil aliud est, nisi quod doceo gentes non debere circumcidi, et legis onera superflua, et jam abolita custodire. Cum autem persecutionem patior, manifestum est me circumcisionem non prædicare quam destruo. Non enim tam persecutionem patior a Judæis quia prædico crucifixum, et Jesum esse dico Christum, quem lex et prophetæ prænuntiaverunt, quam quia doceo legem esse completam : ac per hoc illi inimici sunt crucis ejus, qui per legem dicunt esse justitiam, non per gratiam fidei.

*Utinam et abscindantur, qui vos conturbant.* Quæritur, quomodo Paulus discipulus ejus qui dicit, *Benedicite maledicentibus vobis* (*Luc.* vi) ; et ipse loquens, *Benedicite et nolite maledicere* (*Rom.* xii) ; et in alio loco, *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* iii) ; nunc et maledixerit eis qui Ecclesias Ga-

latiæ conturbabant, et cum optantis voto maledixerit : *Utinam et abscindantur qui vos conturbant.* Tam enim detestanda abscisionis est passio, ut et qui invitus eam intulerit, legibus publicis puniatur : et qui seipsum castraverit insanus habeatur; non tantum, inquit, circumcidantur, sed et abscindantur. Sic enim fient spadones propter regnum cœlorum, et carnalia seminare cessabunt. Videbat quippe totam provinciam, quam ipse suo sanguine et periculis ab idololatria ad Christi traduxerat fidem, subita persuasione turbatam, et dolore apostolico, dolore patris se tenere non poterat. Mutabat vocem, et quibus blanditus fuerat irascebatur, ut quos nequiverat lenitate, saltem objurgatione retineret. Quidam dicunt, utinam abscindantur ab errore, et inserantur veritati. Alii dicunt, si putant sibi hoc prodesse, non solum circumcidantur, sed etiam et abscindantur. Quod Paulus non tam maledixerit eis, quam oraverit pro illis, ut eas partes corporis perderent per quas delinquere cogebantur. Et quomodo in Evangelio dictum est, Melius esse aliquem sine oculo, et sine manu, et sine pede, et qualibet alia parte membrorum intrare in regnum cœlorum, quam totum ire in gehennam : ita et nunc optare eis magis unam partem corporis perdere, quam per occasionem integri corporis perpetuo igne damnari. Si enim exspoliatio membri proficit, multo magis sublatio.

*Vos autem in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem carnis detis.* Vos, inquit, fratres in libertatem vocati estis, forsitan ideo quia non omnes vocationem capere poterant libertatis. Propter quod nunc auditis tantum ne libertatem in occasionem detis carnis. Per dilectionem enim oportet minores servire majoribus; quia qui vult esse major, erit omnium servus. Neque enim ut spiritales laceret Christi carnes, neque occasionem illis tribuat, ut se remordeant provocantes, ne ab invicem consumantur. Quibus nos possumus addere, ut dicamus de servitute legali ad Evangelii libertatem vocatos, quibus superius dicitur, *State et nolite rursum jugo servitutis hærere*, etiam nunc moneri, ut leve Christi jugum et delectabilia Evangelii præcepta sectantes nequaquam sibi putent licere ut hac ipsa libertate vivendi in occasionem carnis utantur. Scilicet ut juxta carnem vivant, juxta carnem circumcidantur : sed spiritu magis stent, spiritu præputium carnis abscindant, et ad spiritus altiora tendentes humilitatem litteræ derelinquant.

*Sed per charitatem servite invicem.* Qui enim per charitatem servit, libere servit, et sine miseria obtemperans Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur. Tunc enim nos charitas a jugo culpæ liberos reddit, cum vicissim nos nostro per amorem servitio subjicit : cum et aliena bona nostra credimus, et nostra aliis, quasi sua offerentes, exhibemus. Tantum autem bonum est charitas, ut omnis lex in illa recapituletur. Cujus virtus tanta est, ut nomen eo usque extollatur ut et ipse Deus charitas appelletur.

*Omnis enim lex in uno sermone completur.* Omnem ergo legem nunc dicit ex his operibus quæ ad bonos mores pertinent, quia et illa quæ sunt in sacramentis, cum bene a liberis intelliguntur, nec carnaliter observantur a servis, ad illa duo præcepta referantur necesse est, dilectionis Dei et proximi. Recte itaque accipitur ad hoc pertinere, quod etiam Dominus ait : *Non veni legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* v); qui erat ablaturus timorem carnalem, spiritalem autem charitatem daturus, qua sola lex impleri potest. *Plenitudo enim legis charitas* (*Rom.* XIII). Et quoniam fides impetrat Spiritum sanctum, per quem *charitas Dei diffusa est cordibus* operantium justitiam, nullo modo quisquam ante gratiam fidei de bonis operibus glorietur. Quapropter istos jactantes se de operibus legis ita refellit Apostolus, dum ostendit opera vetusta sacramentorum umbras futurorum fuisse : quas jam post adventum Domini libero hæredi necessarios non esse monstravit; opera vero ad bonos mores pertinentia non impleri, nisi dilectione, per quam fides operatur. Unde si opera legis quædam post fidem superflua, quædam ante finem nulla sunt, vivat justus ex fine, ut et onus grave servitutis abjiciat, levi sarcina Christi vegetatus : et justitiæ metas non transgrediatur, levi jugo charitatis obtemperans : legis etiam ipsa opera quæ quæruntur, uno possunt sermone concludi et uno præcepto compleri. Non ergo sola ad vitam sufficit fides, ut laciniosa legis præcepta uno dilectionis capite concludantur.

*Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quæri autem potest cur Apostolus et hic solam commemoravit proximi dilectionem, quam lege dixit impleri, et ad Romanos, cum in eadem quæstione versaretur : *Qui enim diligit alterum*, inquit, *legem implevit. Nam non adulterabis*, *non homicidium facies*, *non furaberis*, *non concupisces*, *et si quod aliud mandatum in hoc sermone recapitulatur. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem legis est charitas* (*Rom.* XIII). Cum ergo in duobus præceptis, dilectionis Dei et proximi, perfecta sit charitas, cur Apostolus et in illa et in hac Epistola solam proximi dilectionem commemorat, nisi quia de dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant : in dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, dum inique cum hominibus agunt ? Consequens est autem ut qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum diligit, diligat et proximum tanquam seipsum : quia hoc jubet ille quem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligit. Item diligere proximum, id est omnem hominem, tanquam seipsum quis potest, nisi Deum diligat, cujus præcepto et dono dilectionem proximi possit implere? Cum ergo utrumque præceptum ita sit ut neutrum sine altero possit teneri, etiam unum horum commemorare plerumque sufficit, cum agitur de operibus justitiæ : sed opportunius illud de quo quisque facilius convincitur.

Unde Joannes dicit : *Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere* (*I Joan.* IV) ? Mentiebantur enim quidam dilectionem se Dei habere, et de odio fraterno eam non habere convincebantur. De quo judicare in quotidiana vita et moribus facile est. Charitas vel dilectio in quatuor modis completur, hoc est, primo Deus diligendus est ; secundo, nos ipsos diligamus ; tertio, proximos ; quarto, inimicos : Deum plus quam nos, proximum sicut nos, inimicum quasi proximum. Et nisi Deum primum dilexerimus, nos diligere non possumus. Hoc est non peccare : et si nos non diligimus, ad quam formam proximos diligemus ? Si autem proximum non amamus, multo magis inimicum. Si ergo volumus dilectionem habere, primo Deum plus quam nostras animas diligamus. Quod ita probatur, si propter Deum etiam salutem nostram et ipsas animas contemnamus. Non ergo sola ad vitam sufficit fides, nisi quis sicut se diligit, ita et proximum : et non solum ei malum non facit, quod sibi non vult : sed etiam bonum facit, quod sibi vult ab alio fieri : et universam legem implet, quæ habet duo genera mandatorum, hoc est, non faciendum malum, et faciendum bonum.

*Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Hoc enim maxime vitio contentionis et invidiæ, perniciosæ dispensationes inter eos nutriebantur, male de invicem loquendo, et quærendo quisque gloriam suam, vanamque victoriam per contentionem, quia vos meliores alterutrum judicatis, quando detrahitis alterum ; quando aliena torquemini felicitate, et ex alterius bono vestrum malum facitis, tunc invicem mordetis, et quando maledicto vos putatis ulcisci : quibus studiis consumitur societas populi, dum in partes scinditur. Quomodo autem ista vitare possint, nisi spiritu ambulent, et concupiscentias carnis non perficiant ? Melius est autem ne contra rationem, et totius Epistolæ consequentiam, subito in extraordinaria præcepta Paulus erumpat, hoc ita intelligere, ut ad circumcisionem observationemque legis cuncta referamus. Si vos, inquit, conturbant alii, vos autem conturbamini, si totam Scripturam veterem legentes sic intelligitis, ut scripta est : *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Deut.* XIX), et ira desiderat ultionem, ultio vero imponit dolorem, quod lex non solum non prohibet, verum etiam præcipit, justitiam in talione restituens, sequitur, ut et nudatus nudet, et vulneratus revulneret, et comestus remordeat, et quæ videtur justitia esse, consumptio sit, non unum vindicans, sed utrumque consumens.

*Dico autem : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.* Si ergo non consentiatur concupiscentiis carnis, quantisvis agantur motibus, non tamen perficiantur operibus. Proinde cum caro concupiscit adversum spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non ea quæ volumus faciamus, nec carnis perficiuntur concupiscentiæ, quamvis faciant, nec nostra perficiuntur opera bona, quamvis fiant. Sicut enim tunc

A perficitur carnis concupiscentia, cum consentit ei spiritus ad opera mala, ut non concupiscat adversus illam, sed cum illa : sic et bona opera nostra tunc perficientur, quando ita spiritui caro consenserit, ut adversus eum etiam ipsa non concupiscat. Hoc enim volumus cum perfectionem justitiæ concupiscimus, hoc intentione non intermissa velle debemus. Sed quia perficere in ista corruptibili carne non possumus, ideo dixit ad Romanos : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII). Vel sicut habent codices Græci : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non ;* id est non mihi adjacet perficere bonum. Non ait facere, sed perficere bonum. Quia facere bonum, est post concupiscentias non ire. Perficere autem bonum, est non concupiscere. Quod ergo B est ad Galatas, concupiscentias carnis ne perfeceritis, hoc e contrario est ad Romanos : *Perficere autem bonum non invenio*, quia nec illæ perficiuntur in malo, quando eis non accedit nostræ voluntatis assensus ; nec nostra voluntas perficitur in bono, quandiu illarum, cui non consentimus, permanet motus. Ipse autem conflictus, in quo etiam baptizati velut in agone decertant, cum caro concupiscit adversum spiritum, et spiritus adversus carnem : ubi et spiritus facit bonum opus non consentiendo concupiscentiæ malæ, non perficit ; quia ipsa mala desideria non absumit : et caro facit malum desiderium, sed nec ipsa perficit, quia non sibi consentiente spiritu et ipsa ad opera damnanda non pervenit. Iste ergo conflictus non Judæorum, nec quorumlibet aliorum, sed plene Chri- C stianorum, fidelium et bene viventium est.

*Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.* Non enim caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit, caro enim nihil nisi per animam concupiscit : sed concupiscere caro adversus spiritum dicitur, quando anima carnali concupiscentia spiritui reluctatur. Tunc enim caro adulterium, spiritus autem desiderat castitatem. Totum hoc nos sumus, et caro ipsa quæ discedente anima moritur, quæ pars nostra infirma est, nec fugienda dimittitur, sed recipienda reponitur. Tunc erit justus sine ullo omnino peccato, quando nulla lex erit in membris ejus repugnans legi mentis ejus. Nec recepta D ulterius relinquetur. Unde dicit, Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Et quia supra secundum duplicem intelligentiam hunc locum cœperamus exponere, reddenda sunt quæ omisimus *Caro concupiscit adversus spiritum*, id est historiæ et Scripturæ carneus intellectus contra allegoriam et spiritalem doctrinam repugnat. *Spiritus autem adversus carnem*, id est sublimiora dejectis, æterna brevibus, umbræ veritas refragatur. Et carneus Scripturæ sensus, quia impleri non potest ( nec enim valemus omnia quæ scripta sunt facere), ostendit nos non in nostra positos potestate legis explendæ, cum etiamsi velimus litteram sequi, impossibilitas non admittit.

*Hæc enim invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, ista faciatis.* Hæc facit ratio ut voluntatem

non sequatur effectus : quia in hac vita pugnat caro contra spiritum, et spiritus adversus carnem. Fit ergo per sanctificationem perfectam, ut omnis carnalis appetitus spiritui nostro illuminato et vivificato, id est voluntati subjiciatur. Et sicut nunc videmus multis puerilibus delectationibus nos carere quæ nos pueros, si denegarentur, acerrime cruciabant, ita credendum est de omni carnali delectatione futurum esse, cum perfecta sanctitas totum hominem reparaverit ; nunc autem quandiu est in nobis quod resistit bonæ voluntati, auxilio Dei per bonos homines, et bonos angelos indigemus, ut donec sanetur vulnus nostrum, non ita molestetur ut perimat etiam bonam voluntatem : hanc autem mortem peccato meruimus, quod peccatum erat omnino in libero arbitrio : cum in paradiso nullus dolor denegaret delectationes voluntati bonæ, nec quidquam recte habenti se homini resistebat. Nunc vero paulatim subrepens delectatio mortificat animam, ut si abstinere velit, sine molestia et angore non possit.

*Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Ut intelligamus eos sub lege esse, quorum spiritus ita concupiscit adversus carnem, ut non ea quæ volunt faciant, id est non se teneant conjunctos in charitate justitiæ, sed a concupiscente adversum se carne, vincantur. Non solum ea repugnante legi mentis eorum, sed etiam captivante illos sub lege peccati, quæ est in membris mortalibus. Qui enim non ducuntur spiritu, sequitur ut carne ducantur. Non autem pati adversitatem carnis, sed duci a carne damnatio est. Et ideo, Quod si spiritu ducimini, inquit, non adhuc estis sub lege. Nam et superius non ait, *spiritu ambulate, et concupiscentias carnis* non habueritis, sed *ne perfeceritis.* Quippe eas omnino non habere, non jam certamen, sed certaminis præmium est, si obtinuerimus victoriam perseverando sub gratia. Commutatio enim corporis in immortalem statum sola carnis concupiscentias non habebit. Et si vos totos spiritalibus occupetis, non vobis opus est lex, carnalibus data est. *Si spiritu*, inquit, *ducimini non estis sub lege.* Utique legi, quæ timorem incutit, non tribuit charitatem, quia *charitas Dei diffusa est in cordibus vestris.* Non per legis litteram, sed *per spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* v). Hæc est lex libertatis, non servitutis. In quantum quisque spiritu ducitur, non est sub lege : quia quantum condelectatur legi Dei, non est sub legis timore, quia timor tormentum habet, non delectationem.

*Manifesta autem sunt opera carnis quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, animositates, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes.* Agunt autem hæc, qui cupiditatibus carnalibus consentientes facienda esse decernunt, etiamsi ad implendum facultas non datur. Cæterum qui tanguntur hujusmodi motibus, et immobiles in majore charitate consistunt. Non solum non eis exhibentes membra corporis ad male operandum, sed neque nutu consensionis ad exhibendum consentientes, non hæc agunt et ideo regnum Dei possidebunt. Non enim jam regnat peccatum in eorum mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, quamvis habitet in eodem mortali corpore peccatum, nondum exstincto impetu consuetudinis naturalis, qua mortaliter nati sumus, et ex propriis vitæ nostræ, cum et nos ipsi peccando auximus quod ab origine peccati humani damnationis trahebamus. Aliud est enim non peccare, aliud non habere peccatum. Nam in quo peccatum non regnat, non peccat, id est qui non obediat desideriis ejus. In quo autem non exi-stunt omnino ista desideria, non solum non peccat, sed etiam non habet peccatum. Quod etiam si ex multis partibus in ista vita possit effici, ex omni tamen parte non nisi in resurrectione carnis, atque commutatione peragendum est. Cur ergo hæc omnia et his similia doctor gentium in fide et veritate opera carnis appellat, nisi quia eo locutionis modo, quo totum significatur a parte, ipsum hominem vult nomine carnis intelligi? Quod si quisquam dicit carnem causam esse in malis moribus quorumcunque vitiorum, eo quod anima carne perfecta sic vivit, profecto non universam hominis naturam diligenter advertit. Nam corpus quidem corruptibile aggravat animam. Corruptio autem corporis, quæ aggravat animam, non peccati primi est causa, sed pœna. Nec caro corruptibilis animam peccatricem, sed anima peccatrix fecit esse corruptibilem carnem : ex qua corruptione carnis, licet existant quædam incitamenta vitiorum, et ipsa desideria vitiosa, non tamen omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda sunt carni, ne ab his omnibus purgemus diabolum, qui carnem non habet. Quis enim servitutem, quæ idolis exhibetur, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidias, non potius intelligat animi vitia esse quam carnis ? Quandoquidem fieri potest ut propter idololatriam vel hæresis alicujus errorem a voluptatibus corporis temperetur : et tamen etiam tunc homo', quamvis carnis libidinem contemnere atque cohibere videatur, secundum carnem vivere hac apostolica auctoritate convincitur, et in eo quod abstinet a voluptatibus carnis, damnabilia opera carnis agere demonstratur, etenim si diabolus ea quæ fornicator agit, vel ebriosus, vel si quid homini mali est quod ad carnis pertinet voluptates, non agit, qui carnem non habet, non potest dici absque culpa, cum sit etiam talium criminum suasor et instigator occultus : est tamen maxime superbus atque invidus, quæ illum vitiositas sic obtinuit, ut propter hoc esset in carceribus caliginosi hujus aeris æterno supplicio destinatus. Hæc autem vitia, quæ tenent in diabolo principatum, carni tribuit Apostolus, quam certum est diabolum non habere. Dicit enim inimicitias, contentiones, æmulationes, animositates, invidias, opera esse carnis. Quorum omnium malorum caput atque origo superbia est, quæ sine carne regnat in diabolo. At hæc omnia cum habeat ille sine carne, quomodo sunt ista opera carnis, nisi quia opera sunt hominis, quem nomine

carnis appellat? Si enim sapientia carnis inimica est A Deo, inimica autem sunt omnia dogmata falsitatis Deo repugnantia, consequenter hæreses inimicæ Deo ad carnis opera referuntur. Hæresis autem Græce ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Quicunque igitur aliter Scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, et de carnis operibus est eligens quæ pejora sunt.

*Et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Potest autem movere quod ait, *quæ dico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, si quæratur ubi ista prædixerit, nam B in hac Epistola non invenitur. Ergo aut præsens cum esset, hoc prædixerat; aut cognoverat pervenisse ad illos Epistolam quæ missa est ad Corinthios. Ibi enim sic ait: *Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI). Hic ergo cum enumerasset opera carnis, quibus clausum est Dei regnum, subjecit etiam opera spiritus, quæ fructum spiritus vocat.

*Fructus autem spiritus est charitas.* Omnium virtutum prima est charitas, quæ, sicut notavimus, in quatuor dividitur partes: in dilectione Dei, in sua uniuscujusque, in proximi, et inimici.

*Gaudium spiritale, pax.* Si tranquilla mens nullis C passionibus perturbetur.

*Longanimitas.* Illatas injurias sustinere.

*Bonitas.* Semper benefacere velle.

*Benignitas.* Nulli injuriam facit, nec desiderat fieri. Notandum quod et fides a Deo detur, quam inter fructus spiritus septimo loco Apostolus posuit: et hoc notandum quia a Deo est.

*Fides.* Vel Deo credere, vel hominibus promissa complere.

*Modestia.* Non irasci.

*Continentia.* Continentia pro tempore est.

*Castitas.* Sempiterna: et non solum a fornicatione, sed ab omni iniquitate continere.

*Adversus hujusmodi non est lex.* Non enim ista D prohibuit, et qui Novum implet, non est sub Veteri Testamento. Hinc intelligamus illos sub lege positos, in quibus ista non regnant. Nam in quibus hæc regnant ipsi lege legitime utuntur, quia non est illis lex ad coercendum posita. Major enim et præpollentior delectatio eorum, justitia est. Non enim, ait, adversus hæc non est lex, sed *adversus hujusmodi*, hoc est, sive ista, sive etiam cætera hujusmodi. Sed tamen diligenter considerantibus, non hic omni modo carnalium spiritaliumque operum oppositio inordinata atque confusa est. Ob hoc autem latet, quia pauciora vel singula quibusdam pluribus opponuntur. Nam ex eo quod in capite carnalium vitiorum posuit fornicationes, in capite autem virtutum spiritalium charitatem, quem non divinarum litterarum studiosum faciat intentum ad perscrutanda cætera? Si enim fornicatio est amor a legitimo connubio solutus et vagus explendæ libidinis consectando lætitiam, quid tam legitime ad spiritalem fecunditatem conjungitur, quam anima Deo, cui quanto fixius inhæserit, tanto est incorruptior? Inhæreat autem charitate. Recte igitur fornicationi opponitur charitas, in qua sola est custodia castitatis. Immunditiæ autem sunt omnes perturbationes de illa fornicatione conceptæ, quibus gaudium tranquillitatis opponitur. Idolorum autem servitus ultima fornicatio est animæ, propter quam etiam bellum adversus Evangelium reconciliatis Dei furiosissimum gestum est: cujus reliquiæ, quamvis pene sopitæ fuerint, adhuc tamen recalent. Huic itaque pax contraria est, qua reconciliamur Deo, eademque pace etiam cum hominibus custodita veneficiorum, inimicitiarum, contentionum, æmulationum, animositatum dissensionumque vitia sanantur in nobis. Ut autem in aliis, inter quos vivimus, justa moderatione versemur, et ad sustinendum longanimitas, et ad curandum benignitas, et ad ignoscendum bonitas militat. Jam vero hæresibus fides, invidiæ mansuetudo, ebrietatibus et comessationibus continentia reluctatur. Ne quis sane arbitretur hoc esse invidia quod est æmulatio. Vicinæ enim sunt, et propter ipsam vicinitatem plerumque utrumlibet horum pro altero, æmulatio pro invidia, vel invidia pro æmulatione ponitur. Sed quia utrumque hic locis suis dictum est, utique distinctionem de nobis flagitant. Nam æmulatio est dolor animi cum alius pervenit ad rem quam duo pluresve appetebant et nisi ab uno haberi non potest. Istam sanat pax, qua id appetimus quod omnes qui appetunt si assequantur, unum in uno fiunt. Invidia vero dolor animi est, cum indignus videtur aliquid assequi, etiam quod tu non appetebas. Inter invidum autem et invidiosum hoc interest quod invidus feliciori invidet, invidiosus autem ipse est qui ab alio patitur invidiam. Hanc sanat mansuetudo. Cum quisque ad judicium Dei revocans non resistit voluntati ejus, et magis ei credit recte factum esse quam sibi quod putabat indignum. Regnant ergo spiritales isti fructus in homine, in quo peccata non regnant. Regnant autem ista bona, si tantum delectant, ut ipsa teneant animum in tentationibus, ne in peccati consensionem ruat.

*Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Unde autem crucifixerunt, nisi timore illo casto permanente in sæculum sæculi, quo cavemus offendere illum, quem toto corde, tota anima, tota mente diligimus: et ideo si hoc modo omnia simul crucifixa sunt membra, et destructum est in nobis omne opus peccati, et caro quasi pendens in cruce, sæculi desideriis exstincta atque mortificata, nihil adversum Dei præcepta in sæculo concupiscit: ut quid eis legem juxta litteram tenere convenit, quæ ad vitia peccatorum coercenda data est? simul illud notandum quod eos

dixerit Christi esse, qui carnem suam cum vitiis crucifixerunt. Hæc sententia illos revincit qui solam fidem ad salutem animarum suarum sufficere arbitrantur.

### IN CAPUT VI.

*Si vivimus spiritu, spiritu et ambulemus.* Nequaquam per legem, sed per charitatem nobis invicem servientes. Non debemus de Scripturarum interpretatione contendere, et dicere verbi gratia, Circumcisio melior est. Non, sed præputium. Contemnenda historia, et allegoria sequenda. Imo allegoria vana est, et umbratica, et nullis veritatis fulta radicibus: unde evenit ut invicem nascantur invidiæ. *Excludere enim*, ait, *vos volunt, ut illos æmulemini.* Non tam veritatem legis volentes docere, quam vincere. In eo autem illi fallebantur, quod negare quidem non poterant, sectandum sibi esse Spiritum sanctum, assertorem et ducem libertatis suæ, sed ad opera servilia carnaliter conversi, retrorsum se conari non intelligebant. Propterea non ait, Si spiritu vivimus, spiritum sectemur. Fatebantur enim Spiritui sancto servire oportere, et eum non spiritu suo sed carne volebant sectari: non spiritaliter obtinentes gratiam Dei, sed in circumcisione carnali, et cæteri hujusmodi, spem constituentes salutis. Illis enim dicit, qui mutua concertatione se alterutrum præponere cupiebant, Per spiritum, inquit, vitam habemus, sed si spiritaliter conversemur, et non legi carnaliter serviamus (*Rom.* VIII).

*Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Prorsus magnifice et omnino divino ordine posteaquam eos instruxit adversus illos, a quibus in servitutem legis seducebantur, hoc in eis caute, ne instructiores facti et volentes jam calumniis carnalium respondere, contentionibus studeant et appetitu inanis gloriæ legis oneribus non servientes, vanis cupiditatibus serviant. Nihil autem sic probat spiritalem virum quam peccati alieni tractatio, cum liberationem ejus potius quam insultationem, potiusque auxilia quam convicia meditatur: et quantum facultas tribuit, suscipit et ideo dicit:

*Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Eum quoque qui spiritalis est cohortatur, cum sui timore ne cesset manum porrigere corruenti: et pulchre præoccupatum in delicto hominem vocat, qui mori possit, et ipso nomine fragilitatem conditionis ostendens, ut dignus sit venia, qui velut homo errore deceptus, et mersus in voraginem, seipsum sine auxilio et adjutore erigere non possit. Spiritali autem non additur homo, sed quasi Deo præcipitur, ut hominem præoccupatum in delicto instruat: sive, ut melius habetur in Græco, perficiat in spiritu lenitatis. Qui autem perficitur, non ei desunt universa, sed aliqua. Denique si non peccatis pluribus, sed vitio aliquo præoccupatis erravit, lenitatis spiritum, et mansuetudinis in correctione peccantis, spiritalis adhibeat, ne rigidus, ne iratus, et tristis corrigere cupiat errantem, sed provocet eum, spondens salutem, veniam repromittens; Christi testimonium proferat, quod gravi legis et peccatorum onere depressus ad jugum suum suave, leve invitet onus, ut discant quia humilis sit, et mitis, et mansuetus corde, et inveniant requiem animabus suis (*Matth.* XI). Locus iste de Epistola ad Romanos in fine pandendus est. Ibi enim cum similiter de escis et observationibus scriberet Judæorum, et eos qui legis juxta litteram præcepta contemnerent, firmos atque perfectos: illos vero, qui adhuc antiqua consuetudine ducebantur, infirmos parvulosque narraret, et videret jurgium esse inter spiritales et carneos; admonuit spiritales ne contemnerent carnales, et ait, *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum: alius enim credit manducare omnia, qui autem infirmus est solus manducet. Is qui manducat, non manducantem non spernat, et qui non manducat, manducantem non judicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es qui judicas alienum servum? suo domino stat aut cadit. Stabit autem, potens est enim Deus statuere illum* (*Rom.* XIV); et multa in medio super hoc sensu disserens, adjecit in finem: *Noli propter escam destruere opus Dei.* Et iterum: *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat ad bonam ædificationem* (*Rom.* XV).

*Considerans teipsum, ne et tu tenteris.* Nihil enim ad misericordiam sic inclinat, quam proprii periculi cogitatio. Considerando temetipsum, quia et tu homo es, et poteris aliquo præveniri peccato, et ita demum indigere adjutorio Dei, et proximi: quia sani infirmos sustinere debent, et mortuos sepelire, quia procul dubio et infirmari et mori posse se credunt

*Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Quia Veteris Testamenti custodia timorem habebat, non potuit apertius significare Novi Testamenti donum esse charitatem, quam hoc loco, ubi Apostolus dicit: Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi. Hanc enim legem Christi dicere intelligitur, qua ipse Dominus præcepit ut nos invicem diligamus tantum in ea sententia præcepti pondus constituens ut diceret: *In hoc cognoscitur quoniam discipuli mei estis, si vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII). Hujus autem dilectionis officium est invicem onera vestra portare. Sed hoc officium non est sempiternum, perducit sane ad beatitudinem sempiternam, in qua nulla erunt onera nostra, quæ invicem portare jubemur. Nunc vero in hac vita, id est dum in hac via sumus, onera nostra portemus, ut ad eam vitam quæ caret omni onere, pervenias. Nihil enim sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio. Nec tamen invicem portaremus onera nostra, si unum tempus esset infirmitatis amborum, qui onera sua sustinet, aut unum infirmitatis genus; sed diversa

tempora et diversa genera infirmitatis faciunt ut onera nostra invicem portare valeamus. Verbi gratia : Iram fratris tunc portabis, cum tu adversus eum non irasceris, ut rursum eo tempore quo te ira præoccupaverit, ille te lenitate et tranquillitate supportet. Sed et hunc locum cum superioribus copulemus, duplicem enim sequitur intelligentiam. Si quis infirmus in fide est, et adhuc lacte nutritus infantiæ, nec potest tam cito a legali observatione ad spiritalia sacramenta transire, vos qui robustiores estis, ejus onera portate, ne per scientiam vestram frater pereat, pro quo Christus mortuus est : portat quoque fratris necessitatem qui gravatum pauperem onere egestatis adjuvat.

*Nam si quis existimat se esse aliquid, cum nihil sit, seipsum seducit.* Non eum seducunt laudatores ejus, sed ipse potius, quia cum sibi sit præsentior quam illi, magis vult se in illis quærere quam in seipso. Et ideo ait : Si quis existimat se esse aliquid, in eo quod putat se esse aliquid, et non ex clementia in proximum, sed ex suo opere et labore se judicat, sua tantum virtute contentus : iste ex hac ipsa arrogantia nihil fit, et ipse se decipit. Mentem autem decipit, qui se putat esse sapientem. Et secundum Isaiam, *Sapiens in se et in conspectu suo intelligens* (*Isa.* v). Ad circumcisionem et ad legem ita loci hujus connectitur intellectus : Qui spiritalis est, et misericordiam in proximum non habet, contemnens humilem, quia ipse sublimior est, ipse se decipit : nesciens hanc spiritus esse legem, ut nos invicem diligamus.

*Opus autem suum probet unusquisque, et sic in seipso tantum gloriam habebit, et non in altero. Unusquisque enim proprium onus portabit.* Et non in altero, id est, cum alter eum laudat. Non ergo laudatores nostri minuunt onera conscientiæ nostræ, atque utinam non etiam accumulent plerumque, ne illis offensis laus nostra minuatur, cum aut objurgatione illos curare negligimus, aut jactanter eis aliquid nostrum ostentamus, potius quam constanter ostendimus. Omitto ea quæ fingunt et mentiuntur de se homines propter hominum laudes. Quid enim ista cæcitate tenebrosius, ad obtinendam inanissimam gloriam erroremque hominis aucupari, et Deum testem in corde contemnere? quasi vero ullo modo comparandus sit error illius qui te bonum putat, errori tuo, qui homini de falso bono placere studes, de malo vero displices Deo.

*Unusquisque enim onus suum portabit.* Videtur superioribus contraire, ubi ait : *Alter alterius onera portate.* Si enim unusquisque onus suum portabit, alter alterius onera portare non poterit. Sed videndum, quod ibi præceperit ut peccantes in hac vita nos invicem sustentemus, et in præsenti sæculo alterutrum auxilio simus : hic autem de Domini dicat in resurrectione judicio, quod non ex alterius peccato et comparatione deterioris, sed juxta nostrum opus, aut peccatores ab eo judicemur, aut sancti, recipiente unoquoque secundum opus suum. Obscure

A licet, docemur per hanc sententiolam novum dogma, quod latitat : dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos adjuvari. Cum autem ante tribunal Christi venerimus, nec Job, nec Daniel, nec Noe, rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum (*Ezech.* xiv).

*Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis.* Sensus itaque iste est, quia superius spiritalibus præceperat, ut eos qui præoccupati fuerant in aliquo delicto, instruerent in spiritu lenitatis, et alter alterius onera portarent, adimplentes legem Christi : nunc e contrario his qui adhuc imbecilliores, et discipuli, et carnales erant imperat ut quomodo ipsi a magistris spiritalia metunt, sic
B magistris carnalia præbeant, qui totos se divinæ eruditioni, et studio tradentes, vitæ hujus necessariis indigent, et fiat illud quod de manna scriptum est, *qui multum, non abundavit ; et qui modicum, non minoravit* (*II Cor.* viii). Bona autem in præsenti loco, juxta vulgi consuetudinem moremque communem, victum et vestitum, cæteraque quæ homines inter bona numerant, appellavit. *Habentes enim victum et vestitum, his contenti simus* (*II Tim.* x). Nec mirum si Paulus ea quæ erant corpori necessaria boni appellatione signavit : cum etiam Salvator noster ad eos qui necdum ad virtutum culmen ascenderant, sed adhuc humilius incedebant, et sibi addi poscebant fidem, dixerit. *Si ergo vos, cum mali sitis, scitis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater*
C *cœlestis dabit bona petentibus se* (*Matth.* vii) !

*Nolite errare, Deus non irridetur : quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Prævidens in spiritu, eos qui docentur, et debent magistris sumptus et vitæ necessaria ministrare, posse obtendere paupertatem et dicere : Ager meus hoc anno aruit siccitate, Vineam grando contrivit, Redditus, qui esse poterant, tributa rapuerunt, Non habeo unde tribuam quod jubetur ; adjecit, *Nolite errare, Deus non irridetur.* Scit, inquit, corda vestra ; non ignorat facultates. Excusatio verisimilis homini potest utcunque placere, Deum non potest fallere. Et simul cohortatur ad id quod præceptum est exhibendum, semen nominans, ne putet perditum quod multiplicato fe-
D nore recepturus est.

*Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem.* Hoc dicit de amatoribus voluptatum magis quam Dei. In carne enim sua seminat, qui omnia quæ fecit, etiamsi bona videantur, propterea tamen facit ut carnaliter ei bene sit.

*Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Seminatio in spiritu est ex fide cum charitate servire justitiæ, et non obedire desideriis peccati, quamvis de mortali carne existentibus. Messis autem vitæ æternæ cum inimica novissime destruetur mors, et absorbebitur mortale a vita, et corruptibile hoc induet incorruptionem. In hoc ergo tertio gradu, quo sub gratia sumus, seminare debemus opera bona quæ supra jam dicta sunt. Aliter :

Qui legem carnaliter intelligit, repromissiones quoque carnales, et quæ in præsenti sæculo corrumpuntur, exspectat. Qui autem spiritalis auditor est, seminat in spiritu, et de spiritu metet vitam æternam. Simul notandus ordo sermonis, et cum superioribus copulandus, quod homo vocatur in spiritu seminans, qui quando cœperit vitam metere sempiternam homo fortasse esse desistet. Illud etiam pariter observandum quod qui seminat in carne cum additamento suæ carnis ponitur. *Qui autem seminat in spiritu* non dicitur in spiritu suo, sed simpliciter in spiritu. Qui enim bona seminat non in suo quopiam, sed in Dei spiritu seminat, de quo et vitam est messurus æternam.

*Bonum autem facientes, non deficiamus.* Indeficientem ergo justitiam indeficiens præmium subsequetur. Cohortatur eos ad studium perseverantiæ, qui in hac vita mercedem boni operis exspectant, nescientes quia sicut in semine aliud sationis, aliud messis est tempus : sic et in præsenti vita sementis est opera, quæ nunc vel in spiritu vel in carne seruntur. Messis vero operum futurum judicium : et qualitate sementis [sic et in præsenti vita sementem esse opera quæ vel in spiritu vel in carne metantur, messem vero futurum judicium, et pro qualitate vel diversitate sementis, etc.] diversas nos facere mensuras, centesimum, sexagesimum, et tricesimum fructum : quam segetem nemo potest metere deficiens. *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Quale est autem, ut cum peccatores quotidie in malis operibus augeantur, nos in bono opere lassemur ?

*Tempore enim suo metemus, non deficientes.* Nunc tempus seminandi est, non metendi. Non ergo hic nostram mercedem quæramus accipere, ne hieme tenera herba dimissa in præsenti, ut acerba non prosit, et non sit quod in futuro metatur. Dicetur enim nobis, *Recepistis bona vestra in vita vestra.* Et iterum, *receperunt mercedem suam* (*Luc.* xvi, *Matth.* v).

*Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Tempus sementis, ut diximus, tempus est præsens, et vita quam currimus : in hac licet nobis quod volumus seminare ; cum ista vita transierit, operandi tempus auferetur. Unde et Salvator ait : *Operamini dum dies est, veniet nox, quando jam nullus poterit operari* (*Joan.* xi).

*Maxime autem ad domesticos fidei.* Quos hic credendum est, nisi Christianos significari ? Nam omnibus hominibus et Judæis, et paganis, atque Christianis, et bonis, et malis, misericordiæ opus impendere debemus : ne eis quod Deus non negat nos negare videamur : maxime tamen his qui peculiarem nobiscum Deo fidem exhibent famulatum. Omnibus enim pari dilectione vita æterna optanda est, sed non omnibus eadem possunt exhiberi dilectionis officia. Videtur mihi locus iste posse et superioribus cohærere, ut domesticos fidei magistros nominet, quibus supra omnia quæ putantur bona ab auditoribus suis jusserat ministrari. Deinde cum docuissent opera ipsa legis, quæ salubria sunt et ad bonos mores pertinent, dilectione fidei posse tantummodo impleri, non timore servili, redit ad illud, unde tota causa agitur.

*Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu.* Hi qui circumcidi Galatas volebant, disseminaverant alia Paulum facere, alia prædicare, et suo opere destruere sermonem, quod qui legem assereret abolitam, ipse inveniretur in lege. Hanc opinionem quia non poterat Paulus apud omnes præsens ipse subvertere (prohibebatur quippe vinculis, quæ ob Christi martyrium sustinebat), seipsum per litteras repræsentat, et ne aliqua suppositæ Epistolæ suspicio nasceretur, ab hoc loco usque ad finem manu sua ipse perscripsit, ostendens superiora ab alio exarata. Quod autem sub nomine ejus a falsis doctoribus epistolæ mitterentur, ad Thessalonicenses quoque demonstrat scribens : *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini, ne quis vos seducat ullo modo* (*II Thes.* ii). Et ut totam Epistolam quam mittebat a suspicione erueret falsitatis, manu sua in fine subscripsit dicens : *Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni Epistola.* Id est, quod apposui *mea manu*, intelligite quam fiducialiter scripserim, et neminem pertimuerim, qui litteras mea manu scripsi. Sive opera intelligamus in manibus, quam ob causam crebro et in prophetis dicitur, *Sermo Domini qui factus est in manu Jeremiæ*, sive *Aggæi* : ut ad hanc similitudinem in manu quoque Pauli factum Dei sciamus esse sermonem.

*Quicunque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi : tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur.* Multum persequebantur Judæi eos qui videbantur deserere traditas homini observationes, quos ipse quam timeat satis ostendit, cum tales litteras etiam sua manu scribere voluit. Docet ergo timorem adhuc in istis operari, tanquam sub lege constitutis, qui ad circumcisionem gentes cogerent. Et ideo superius jam ostendit ex quo loco sua subscripserit manu, et nunc quid subscripserit replicat. Caius Cæsar, et Octavianus Augustus, et Tiberius successor Augusti leges promulgaverunt ut Judæi qui erant in toto Romani imperii orbe dispersi proprio ritu viverent, et Patrum cæremoniis deservirent. Quicunque igitur circumcisus erat, licet in Christum crederet, quasi Judæus habebatur a gentibus. Qui vero absque circumcisione se non esse Judæum præputio præferebat, persecutionibus tam gentilium quam Judæorum fiebat obnoxius. Has igitur persecutiones hi qui Galatas depravarant declinare cupientes, circumcisionem pro defensione discipulis persuadebant, quam nunc Apostolus confidentiam in carne vocat, quod scilicet tam gentibus, quos

timebant, quam Judæis, quibus volebant placere, A circumcisionem in persecutione proponerent. Nam nec Judæi prosequi eos poterant, nec gentiles, quos videbant et proselytos circumcidere, et ipsos legis præcepta servare.

*Neque enim qui circumciduntur legem custodiunt; sed volunt vos circumcidi.* Vel si circumcisio legem faceret custodiri, aliquid videretur habere rationis ista persuasio, sed propter terrenam felicitatem, vel cupiditate adipiscendi, vel amore amittendi. Et ideo non vere custodiunt : quoniam carnalis cupiditas, qua peccator mutatur potius quam augetur, cupiditate alia non sanatur : quia facit eos carnalis timor et cupiditas servos qui carnaliter cuncta observare se credunt. Unde hoc est omne quod student, quod agunt, quod nituntur, ut apud Judæos de B vestra carnis injuria glorientur et jactitent suo gentes magisterio circumcisos. Hoc autem totum faciunt ut Judæis placeant, et expugnante legis invidia conquiescant [et expugnatæ legis invidia conquiescant]. Sive aliter :

*Neque enim qui circumciduntur legem custodiunt.* Illam enim dicit custoditionem legis, non occidere, non mœchari, non falsum testimonium dicere, et si qua homini ad bonos mores pertinere manifestum est; quia nisi charitate et spe bonorum æternorum quæ per fidem accipiuntur, impleri non posse jam dictum est.

*Ut in carne vestra glorientur.* Id est, ut non solum non patiantur persecutionem a Judæis, qui nullo modo ferebant incircumcisis legem prodi, sed etiam C glorientur apud eos, quod tam multos proselytos fecerint. Ut enim unum proselytum facerent Judæi, mare et terram eos circuire solere Dominus dixit (*Matth.* XXIII).

*Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Non in propria justitia, vel doctrina, sed in fide crucis per quam mihi omnia peccata dimissa sunt. Ut ego mundo morerer, ut eum non teneam, id est, ut neque mundus mihi nocere possit, neque ego de mundo aliquid cupiam. Qui autem in cruce Christi gloriatur, non vult placere in carne, quia persecutiones carnalium non timet, quas prior, ut crucifigeretur, ille sustinuit, ut vestigia D sua sectantibus præberet exemplum. Sive aliter mundus ei crucifixus fuerat, quia hunc cordi suo jam mortuum non amabat : sed et se ipsum mundo crucifixerat, quia talem se ei exhibere studuit, ut ab eo quasi mortuus concupisci non possit. Si enim uno in loco sint mortuus et vivens, et si mortuus vivum non videt, vivus tamen mortuum videt. Si vero utrique sunt mortui, alter alterum nequaquam videt. Ita qui jam mundum non amat, sed tamen ab illo non videns amatur, et ipse velut mortuus mundum non videt : hunc tamen mundus adhuc mortuus videt. Si vero nec ipse in amore mundum retinet, nec rursum a mundi amore retinetur, vicissim sibi uterque exstincti sunt, quia dum alter alterum non appetit, quasi mortuus mortuum non attendit. Quia igitur nec Paulus mundi gloriam quærebat, nec a mundi gloria ipse quærebatur, et se mundo et mundum sibi crucifixum esse gloriatur. Quod quia multi appetunt, sed tamen usque ad culmen exstinctionis omnimodæ non assurgunt, ideo ait :

*In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium.* Hoc tempore neque circumcisio prodest, neque præputium nocet, sed hoc solum prodest : Si quis renatus nova circumcisione utatur. Servat hoc loco Apostolus usque in finem illam indifferentiam, ne quis eum putaret vel in Timothei circumcisione simulate aliquid egisse, vel in cujusquam agere, si forte aliqua talis causa exstitisset. Ostendit enim non ipsam circumcisionem obesse aliquid credentibus, sed spem salutis in talibus observationibus constituta. Nam et Actibus apostolorum hoc modo inveniuntur illi circumcisionem persuadere, ut aliter eos qui ex gentibus crediderant, salvos fieri negent posse. Non ergo ipsius operis, sed hujus erroris perniciem refellit Apostolus, cum dicit : *Neque circumcisio aliquid est, neque præputium.*

*Sed nova creatura.* Novam creaturam dicit vitam novam per fidem Jesu Christi, in qua nova creatura transfigurabitur corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis Christi, cum vetera transierint, et facta fuerint omnia nova.

*Et quicunque hanc regulam sequuntur, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei.* Id est, eos qui vere ad visionem Dei præparantur, non qui vocantur hoc nomine et carnali cæcitate videre Deum nolunt, quando gratiam ejus respuentes, servi esse temporum cupiunt. Dei vero Israel dictus est ad distinctionem ejus qui Dei Israel esse cessavit. Dicunt enim se esse Judæos, et non sunt : sed mentiuntur, cum sint de synagoga Satanæ. Nec mirandum est si ad distinctionem spiritalis Israel carnalis Israel dicitur, qui nec pacem habeat, nec misericordiam, de quo et ad Corinthios scribitur : *Videte Israel secundum carnem* (*I Cor.* X).

*De cætero nemo mihi molestus sit.* Nemo me amplius interroget, quasi dubitans : omnem enim jam exposui veritatem. Idcirco hoc dicit quia non vult per turbulentas contentiones tædium sibi fieri debere quantum satis erat exposita materia cum jam in Epistola quam ad Romanos scripsit, tum in hac ipsa.

*Ego enim stigmata Jesu in corpore meo porto.* Id est, ego signa et characteres, non circumcisionis, sed crucis per passionem in corpore meo circumfero, et plagas vel flagella, quæ propter Christum sustineo, et habeo alios conflictus, et certamina cum carne mea, quæ in persecutionibus quas patior mecum dimicant. Stigmata enim dicuntur notæ quædam pœnarum servilium, ut si quis verbi gratia servus in compedibus fuerit propter noxam, id est, propter culpam, vel hujusmodi aliquid passus fuerit,

stigmata habere dicatur. Et ideo in jure manumissionis inferioris est ordinis. Nunc ergo Apostolus stigmata voluit appellare, quasi notas pœnarum de persecutionibus quas patiebatur. Propter culpam enim persecutionis qua persecutus erat Ecclesias Christi, hæc sibi retribui cognoverat, sicut ab ipso Domino dictum est Ananiæ, cum idem illum Ananias tanquam persecutorem Christianorum formidaret. *Ego illi ostendam*, inquit, *quæ oporteat eum pati pro nomine meo*. Verumtamen propter remissionem peccatorum, in qua baptizatus erat, omnes illæ tribu- A lationes non ei valebant ad perniciem, sed ad coronam victoriæ proficiebant. Conclusio Epistolæ tanquam subscriptio manifesta est. Nam et in nonnullis aliis Epistolis hac ita utitur :

*Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, Amen.* Subscriptio Pauli talis est. Optat autem ut gratia cum eis Domini, non legis opera, comitetur. Cum spiritu, inquit, non cum carne : in cujus circumcisione gloriantur carnales. Vos autem spiritaliter circumcisi estis, et spiritaliter conversamini.

---

# CLAUDII EPISCOPI
# EXPOSITIO EPISTOLÆ AD PHILEMONEM.

(Ex Maii Spicil. tom. IX.)

## MONITUM EDITORIS.

Claudii Taurinensis episcopi, qui sub Ludovico Pio vixit, expositiones Epistolarum Pauli apostoli, cum alibi tum in antiquis etiam Vaticanæ bibliothecæ codicibus jacent. Has divulgare olim cogitabam, quo tempore prologum in priorem ad Corinthios edidi Script. vet. T. VII, p. 274. Verumtamen lectis postea studiosius his Claudii scriptis, mihi demum innotuit, nihil fere ibi esse (exceptis prologis) nisi ex cognitis aliorum Patrum commentariis breviata excerpta; quod alioqui Claudii vitium Simonius atque Trombellius jamdiu persenserant. Igitur delegi unicum Claudii commentarium super brevissima ad Philemonem Epistola, quem hoc loco lectoribus repræsento, ut mecum videant nihil Claudium habere quod uberius atque splendidius in divi Hieronymi ad eamdem Epistolam commentario non legatur.

## INCIPIT EXPOSITIO.

Philemoni familiares litteras facit pro Onesimo servo ejus. Scripsit autem ei ab urbe Roma de carcere, et hoc ejus principium est : *Paulus vinctus Jesu Christi*. In nulla Epistola hoc cognomine usus est, licet in corpore epistolarum, ad Ephesios videlicet et Philippenses et Colossenses, esse se in vinculis pro confessione testetur. Majoris autem mihi videtur supercilii, vinctum Jesu Christi se dicere quam apostolum : gloriabantur quippe apostoli quod digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Sed necessaria est auctoritas vinculorum. Rogaturus pro Onesimo, talis rogare debuit qui posset impetrare quod posceret. Felix nimirum, qui non in sapientia, non in divitiis, non in eloquentia et potentia sæculari, sed in Christi passionibus gloriatur! Non omnis autem qui vinctus est, vinctus est Christi; sed quicunque pro Christi nomine, et pro ipsius confessione vincitur, ille vere vinctus dicitur Jesu Christi; ut sanguis effusus ille tantum martyrem facit, qui pro Christi nomine funditur. *Et Timotheus frater*. Hoc ideo ut sciamus, hanc quoque de carcere et inter vincula fuisse dictatam, ubi semper Timotheus cum B illo perseveravit : quo tempore videntur ad Philippenses, Colossenses et ad Ephesios Epistolæ esse dictatæ. (Vers. 2.) *Philemoni dilecto et adjutori nostro, et Appiæ sorori charissimæ*. Scribunt igitur Paulus et Timotheus Philemoni charissimo et cooperatori, qui ideo charissimus dictus est, quod in eodem Christi opere versetur. Appiæ quoque sorori, quæ vel soror vel conjux ejus creditur esse. Inter duos quippe viros et apostolicos, inter cooperatorem Pauli et commilitonem ejus, medium Appiæ nomen inseritur, ut tali ex utroque latere fulta comitatu, non videatur ordinem sexus habere, sed meriti. *Et Archippo commilitoni nostro*. Hunc Archippum arbitrandum est cum Paulo et Timotheo contra adversarios pro Christi nomine dimicantem exstitisse C victorem, et propterea nunc commilitonem dici, quod in eodem certamine belloque superaverit. *Et ecclesiæ quæ est in domo tua*. Scribitur ecclesiæ quæ in domo ejus est. Verum hoc ambiguum est, utrum ecclesiæ quæ in domo Archippi sit, an ei quæ in domo Philemonis; sed ut certius putatur, non ad Archippi, sed ad Philemonis referendum est personam, cui ipsa quoque epistola deputatur.

(Vers. 3.) *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo*. Adhuc a duobus ad plures scribitur, et in omnibus pene Epistolis æquale principium est, ut gratiam et pacem a Deo Patre, et a Christo Domino imprecetur. Ex quo ostenditur unam Filii Patrisque esse naturam, cum idem potest Filius præstare quod Pater, et id dicitur Pater præstare D quod Filius. Gratia autem est, quia nullo merito, nec opere salvamur. Pax, qua reconciliamur Deo per Christum suum. Licet Paulus et Timotheus pariter scribant, et ad Philemonem, et Appiam, et Archippum, tamen in sequentibus approbatur Paulus tantummodo ad Philemonem scribere, et unum cum uno sermocinari. (Vers. 4.) *Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis*. Hæc jam non ut Paulus, et Timotheus Philemoni, et cæteris,

sed solus Paulus ad solum Philemonem loquitur. Hunc autem morem scribendi in aliis Epistolis ejus invenire possumus, quod cum ad plures et plures in præfatione ponantur, postea per totum corpus Epistolæ, unus disputans inducatur. Quod vero ait, gratias ago Deo meo semper, et memoriam tui facio in orationibus meis, ambigue dictum est utrum gratias agat Deo semper, an memoriam ejus faciat in orationibus suis semper. Sed tamen utrumque intelligi potest, quod ille qui præcepit aliis, ut in omnibus gratias agant Deo, nullis angustiis poterit coarctari, ut gratias semper Deo ipse non referat. Si autem pro sanctis et melioribus quibusque Paulus semper orabat, sanctus autem et Philemon est, tantam habens in se fidem et charitatem, ut non solum auditu ei, verum opere nosceretur; et pro Philemone Paulum semper orasse credibile est, quo scilicet fides et charitas quam habebat in Christo, et in omnes sanctos ejus, per communicationem fidei, et operationem agnitionis in omni bono, Christi misericordia servaretur.

(Vers. 5.) *Audiens charitatem tuam, et fidem quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos.* Quod charitatem haberet Philemon in Domino, non difficilis interpretatio est, quia post Deum diligere jubemur et proximos; et non solum fidem et charitatem in Deum, et in sanctos ejus sufficere nobis posse credamus, sed ut id quod credimus opere compleatur. (Vers. 6.) *Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis boni in Christo Jesu.* Quantis gradibus quantisque profectibus apostolicus in altiora sermo se tendit! ut quidquid boni in Philemone laudatur, de apostolorum exemplo sumatur: et inde bonum sit, quia de Christi fonte ducatur. (Vers. 7.) *Gaudium enim magnum habui, et consolationem in charitate tua, quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater.* Plenius inculcat et edocet quare dixerit *Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis.* Dignum siquidem erat agere gratias Deo semper pro charitate Philemonis, qui internum cordis affectum, et profundos animi sanctorum recessus suscipiendo refrigeraverat.

(Vers. 8, 9.) *Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet; et propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi.* Multis erga Philemonem laudibus ante præmissis, cum res talis sit pro qua rogaturus est, quæ et præstanti sit utilis et roganti, poterat Paulus magis imperare quam petere; sed hoc ex fiducia illa veniebat, quod qui tanta ob Christum opera perpetrarat, utique impar sui in cæteris esse non poterat. Sed vult magis petere quam jubere, grandi petentis auctoritate proposita, per quam Apostolus obsecrat, et senex et vinctus Jesu Christi. Totum autem pro quo rogat, illud est. Onesimus servus Philemonis fugam furto cumulans quædam rei domesticæ compilarat. Hic pergens ad Italiam, ne de proximo facilius posset apprehendi, pecuniam domini per luxuriam prodegerat. Hoc ne quis putet temere, et ut libet a nobis fictum, in sequentibus discat. Nunquam enim Paulus diceret, *Si quid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam;* nec sponsor rei fieret ablatæ, nisi esset id quod ablatum fuerat dissipatum. Hic igitur cum ob confessionem Christi Paulus Romæ esset in carcere, credidit in Dominum Jesum, et ab eo baptizatus digna pœnitentia maculas vitæ prioris abstersit, in tantum ut Apostolus conversationis ejus testis fieret, qui quondam Petrum increpuerat non recto pede in Evangelii veritate gradientem. Quantum igitur ad peccatum et ad facinus pertinet quod homines læserat, veniam non meretur. Quantum vero ad Apostoli testimonium qui scit eum plene esse conversum, grandi pondere premitur qui rogatur; quia e servo fugitivo atque raptore minister apostoli factus erat. Quod autem aliud habebat Apostolus ministerium, nisi Evangelii Christi Jesu? Jam non quasi a domino, sed quasi a conservo et coevangelista ignosceretur ei qui servus esset Christi similiter et minister.

(Vers. 10.) *Obsecro te pro meo filio quem genui in vinculis Onesimo.* Volens impetrare quod postulat, jam non pro servo Philemonis, sed pro filio suo se asserit deprecari, et illo filio quem genuerat in vinculis Evangelii, hoc est quem pro Christi Evangelio sustinebat. (Vers. 11.) *Qui tibi aliquando inutilis fuit.* Tibi, inquit, soli, non cæteris. Nunc e contrario utilitatis compensatione, qua et ipsi domino et Paulo utilis est, cæterisque per Paulum, plus charitatis meretur, quam odii ante meruerat. Unde ait: *nunc autem et tibi et mihi utilis* (Vers. 12.); quia illo in carcere vinculisque detento, posset ei in Evangelio ministrare. *Tu autem illum ut mea viscera suscipe.* Viscera significant interdum cordis affectum, et plenam ex animo voluntatem, cum totum quidquid a nobis est suscipitur a rogato. Aliter autem, omnes liberi viscera sunt intelligenda parentum. *Quem ego volueram mecum retinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii* (Vers. 13.) Idcirco filium suum et filium vinculorum et ministrum Evangelii in vinculis constituti inculcat atque replicat, ut Philemon ille prudenter et dispensatorie tantum in præfatione laudatus, non auderet negare, ne suis laudibus videretur indignus. (Vers. 14.) *Sine consilio autem tuo nihil volui facere; uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Potuit itaque apostolus Paulus absque voluntate Philemonis Onesimum sibi ministrum retentare; sed si hoc sine Philemonis voluntate fecisset, bonum quidem erat ejus, sed non voluntarium. Quod autem non erat voluntarium, alio genere arguebatur non esse bonum. Nihil quippe bonum dici potest, quod ultroneum est. Ex quo Apostoli consideranda prudentia, qui idcirco fugitivum servum remittit ad dominum, ut possit domino suo prodesse, qui prodesse non poterat si domino teneretur absente.

(Vers. 15.) *Forsitan ideo discessit.* Pulchre autem

addens *forsitan*, sententiam temperavit; occulta sunt quippe judicia Dei, et temerarium est quasi de certo pronuntiare quod dubium est. *Forsitan*, inquit, *ideo discessit*. Caute, timide, trepidando, et non toto fixo gradu. Si non posuisset *forsitan*, omnibus servis fugiendum esset, ut Apostoli fierent discipuli. *Ad horam a te*. Quod autem *ad horam* junxit, horam pro tempore debemus accipere. Ad comparationem enim æternitatis, omne tempus breve est. (Vers. 16.) *Ut æternum illum reciperes, jam non sicut servum, sed pro servo charissimum fratrem*. Nullus æternus dominus servi sui; potestas quippe ejus, et utriusque conditio, morte finitur. Onesimus vero qui ex fide Christi factus æternus est æterno Philemoni, quia in Christum et ipse crediderat, spiritu libertatis accepto, jam non servus, sed frater cœpit esse de servo, frater charissimus, frater æternus, æterno et ipse apostolo dominoque suo; cui Onesimum ut carnis conditio, multo amplius postea spiritus copulabat. Et tum quidem quando erat ei subjectus in carne, non erat ei junctus in Domino. Ex quo intelligimus, servum qui crediderit in Christo, duplici domino suo lege constringi, ut ei et carnis necessitate jungatur ad tempus, et in æternum spiritu copuletur. (Vers. 17.) *Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me*. Quod dicit, hujusmodi est: Si me vis habere socium, habeto et Onesimum, quem ego consortem et filium et viscera mea habeo. Quem si non suscipere nec habere volueris, et ipse intelliges quod me habere non possis.

(Vers. 18.) *Si autem aliquid nocuit aut debet, hoc mihi imputa*. Imitator domini sui, et Christum in se loquentem habens, ea juxta vires suas debet facere quæ Christus. Si enim ille infirmitates nostras portavit, et plagas nostras doluit, juste Apostolus pro Onesimo se opponit, et spondet quæ ille debebat. Ut autem supra diximus, totum illud est quod ablatum furto, et luxuria perditum, non poterat absolvi, quod Philemon grandi pretio compensabat, dum pro servo fugitivo, et pecunia perdita, fratrem charissimum et fratrem reciperet æternum, et per eum sibi Apostolum faceret debitorem. *Ego Paulus scripsi mea manu, ego reddam*. (Vers. 19.) Quod Onesimus furto rapuit, ego me spondeo redditurum. Hujus sponsionis epistola hæc et manus testis est propria, quam non solito more dictavi, sed mea manu ipsam conscripsi. *Et non dicam tibi, quod et te ipsum mihi debes*. Propter sermonem enim Christi quem tibi evangelizavi, per quem et Christianus effectus est, te mihi ipsum debes. Quod si meus es, et tua omnia mea sunt, Onesimus quoque qui tuus est, meus est. Poteram igitur eo uti ut meo, sed voluntati tuæ relinquo, ut mercedem habeas ignoscendo. *Ita, frater, ego te fruar in Domino*. (Vers. 20.) Si enim non addidisset *in Domino*, sed *te fruar* tantum dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suæ; quanquam etiam vicinissime dicitur frui, cum dilectione uti. Cum enim adest qui diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat; per quam si transieris, eamque ad illud ubi permanendum est retuleris, uteris ea, et abusive non proprie diceris frui. Si vero inhæseris ac permanseris, finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc vero et proprie frui dicendus es; quoniam non fruendum est nisi i... illa Trinitate, id est summo et incommutabili bono. *Refice viscera mea in Christo*. Sicut ipse vult Philemone frui in Domino, ita viscera sua Onesimum, quem et superius eodem nomine appellavit, refici vult per Philemonem. *Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam et super id quod dico facies*. (Vers. 21.) Qui præsumpsit de eo quem rogaturus est, ipsam quodammodo præsumptionem præjudicat, ne ei negare liceat quod rogatur. Porro si scit ille qui postulat plus quam rogatur rogatum esse facturum, ideo minora petit, ut habeat rogatus voluntariam et majorum præstatione mercedem. Si autem Philemon hoc ad hominis præceptum facit, quanto magis faciet ob dilectionem Dei? Unde et merito Apostoli voce laudatur, quod mandata ejus opere perpetrarit.

(Vers. 22.) *Simul autem et para mihi hospitium*. Hoc idcirco dicit ut dum eum exspectat Philemon ad se esse venturum, magis faciat quod rogatus est, et ut venturus ad novam veritatem prædicaturus crucifixum, et inaudita dogmata delaturus, sciebat ad se plurimos concursuros; et necesse erat plurimum, ut domus in celebri esset urbis loco, ad quam facile conveniretur; deinde ut ab omni importunitate vacua, ut ampla, quæ plurimos caperet audientes, et ne proxima spectaculorum locis, ne turpi vicinia detestabilis: postremo ut in plano potius esset sita; ob quam causam eum æstima etiam Romæ in conducto mansisse biennio. Nec parva ut reor erat mansio, ad quam Judæorum turbæ quotidie confluebant. *Spero enim per orationes vestras donari me vobis*. Filium patri Deus rogatus indulget, et frater sæpe fratris oratione servatur; apostolus vero totius Ecclesiæ precibus conceditur, ob eorum qui eum audituri sunt utilitatem. Et hoc donum non tam in eum dicitur esse qui differtur martyrio ad martyrium præparatus, quam in eos ad quos apostolus mittitur. Quod autem crebro Paulus in carcere fuerit, et de vinculis liberatus sit, ipse alio loco dicit: *in carceribus frequenter*; de quibus nonnunquam Domini auxilio crebro ipsis persecutoribus nihil dignum in eo morte invenientibus dimittebatur. Necdum Christianum sanguinem Neronis gladius dedicaverat, sed pro novitate prædicationis sive a Judæis invidentibus, sive ab his qui sua videbant idola destrui, ad furorem populis concitatis missi in carcerem, rursum impetu et furore deposito laxabantur. Et hoc ita esse, ut dicimus, apostolorum Acta testantur, in quibus et Agrippa loquitur ad Festum potuisse dimitti Paulum si non appellasset Cæsarem, et quia nullam invenerit causam, præter quæstiones quasdam de religione propria, de quodam Jesu quem Paulus vivere prædicaret. Ex quo animadvertemus, et a cæteris judicibus similiter eos potuisse dimitti, id agente Do-

mino ut in toto orbe nova prædicatio dissemina- A retur.

(Vers. 23, 24.) *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas, et Lucas, adjutores mei.* Id quod in principio dicebamus, quoniam ad Colossenses Epistolam eodem tempore, et per eumdem esse scriptam bajulum litterarum, quo ad Philemonem quoque scripta est, etiam eorum qui salutantur, nomina docent : nam et in ipsa ita fere scribitur : *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabæ, et Epaphras qui est ex vobis servus Christi.* Et paulo inferius : *Salutat vos Lucas medicus charissimus, et Demas. Et dicite Archippo : Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Et memores estote vinculorum meorum.* Si aliter ex eo aliquis non putat pariter scriptas, quod B ad Colossenses pauca sint nomina quæ hic non ferantur ascripta, sciat non omnes omnibus aut amicos esse aut notos ; et aliter privatam ad unum hominem, aliter publicam ad universam Ecclesiam epistolam fieri. Qui sit autem Epaphras concaptivus Pauli, ex eo quod hic additum est, *in Christo Jesu*, possumus suspicari, eadem eum Romæ pro Christo vincula sustinuisse quæ Paulum ; et vinctum Christi, ita concaptivum quoque ejus potuisse dici. Aut certe ita quod nobilis et ipse sit in apostolis, ut Andronicus et Junia ; de quibus scribitur ad Romanos : *Salutate Andronicum et Juniam cognatos et concaptivos meos, qui sunt nobiles in apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo.* Hæc de Epaphra.

Cæterum cooperatores Evangelii et vinculorum suo- C rum, eum ad Philemonem Epistolam scriberet, Marcum ponit, quem puto Evangelii scriptorem ; et Aristarchum, cujus supra fecimus mentionem ; et Demam, de quo in alio loco dicit : Demas me dereliquit ; et Lucam medicum, qui Evangelium et Actus apostolorum Ecclesiis scribendo tradidit. Quomodo enim apostoli e piscatoribus piscium piscatores hominum facti sunt, ita hic de medico corporum in medicum versus est animarum ; de quo et in alio loco dicit : *Misimus cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias ;* cujus liber quotiescunque legitur in ecclesia, toties ejus medicina non cessat.

(Vers. 25.) *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro.* Cum enim in spiritu gratia divina fuerit, totum hominem facit spiritalem, ut adhæreat Domino mente et corpore, et impleatur in eo quod scriptum est : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Interpretantur autem secundum Hebræos, Paulus, admirabilis ; Timotheus, beneficus ; Philemon, mire donatus, sive os panis, ab ore non ab osse ; Appia, continens aut libertas ; Archippus, longitudo operis ; Onesimus, respondens ; Epaphras, frugifer et videns sive succrescens ; Marcus, sublime mandatum ; Aristarchus, mons operis ; Demas, silens ; Lucas, ipse consurgens. Quæ nomina si juxta interpretationem suam voluerimus intelligere, non est difficile : admirabilem atque beneficum præcipue ad eum scribere cui universa concessa sunt vitia, et os ejus pateat ad cœlestia ; deinde ad continentem et liberam et longitudinem.

*Explicit.*

---

# CLAUDII CHRONOLOGI

## Quem Taurinensem episcopum non temere suspicamur, qui anno DCCCXIV scribebat,

## BREVIS CHRONICA.

(Apud Labbeum Bibliotheca nova manuscriptorum, p. 309.)

---

Quia igitur fautore Deo annos a conditione mundi cum serie generationis juxta Hebraicam veritatem pariter adnotatos Deo juvante magna ex parte superius jam ostendimus, nunc eosdem denuo recapitulando latius exponemus.

Igitur omnipotens Creator cum universum perfecisset mundi ornatum, tertia die post ornatum cœli condidit hominem. Qui ornatus cœli, id est sol et luna, et stellæ, ratione veridica in æquinoctio vernali inveniuntur primo esse creatæ quod apud nos secundum dies solares XII Kal. Aprilis solemus nuncupare : et ita ratione deducta X Kal. Aprilis luna septima decima invenitur protoplastus Adam ex terræ limo esse formatus pariter atque animatus secundum hanc nostram supputationem. Secundus Adam Christus Dei Filius, Deus pariter et homo, Deus ante sæcula, homo in fine sæculorum, Deus de Deo, homo de homine, Deus de Patre sine initio et matre, homo a certo initio de matre sine homine patre eodem tempore, sed non eadem feria, id est X Kal. Aprilis invenitur resurrexisse a mortuis.

Si quis forte minus Scripturarum divinarum studiis eruditus de hoc opere dubitare tentaverit, re- D deat ad divinos secundum Hebraicam veritatem scriptos libros, et quidquid ibidem invenerit, eos teneat et credat, meque damnare desistat. Neque enim Christianis fas est talem dare auctoritatem hominum chronicis, qualis danda est illis libris qui Spiritus sancti sunt auctoritate per prophetas scripti. Et si cujus forte in hac re obstinata mentis perdurat intentio, eat ad Judæos Ecclesiæ inimicos, et in eorum codicibus Hebræa lingua scriptis annorum summam requirat, et quidquid ibidem invenerit, hoc credat et teneat, quia, ut ait beatus Augustinus in libro de Civitate Dei XV, ei linguæ potius credatur unde est in aliam per interpretes facta translatio.

Adam a die conditionis suæ anno 130 genuit Seth.

Seth cum esset annorum 105, genuit Enos, et impleti sunt dies vitæ Adam in nativitate Enos 235.

Enos anno vitæ suæ 90 genuit Cainan, et impleti sunt dies vitæ Adam in nativitate Cainan 325.

Cainan anno vitæ suæ 70 genuit Malalehel, et impleti sunt dies vitæ Adam in nativitate Malalehel 395.

Malalehel anno vitæ suæ 60 genuit Jareth, et impleti sunt anni vitæ Adam in nativitate Jareth 460.

Jareth anno vitæ suæ 62 genuit Enoch, et impleti sunt anni vitæ Adam in nativitate Enoch 622.

Enoch anno vitæ suæ 65 genuit Mathusalem, et impleti sunt anni vitæ Adam in nativitate Mathusalem 687, ambulavitque Enoch coram Deo postquam genuit Mathusalem annis 300, et non apparuit quia tulit eum Deus anno 57 post mortem Adæ.

Mathusalem anno 87 genuit Lamech, et impleti sunt anni a conditione mundi in natum Lamech 874 et vixit Adam, postquam natus est Lamech, annis 56.

Lamech anno vitæ suæ 182 genuit Noe, anno 125 post mortem Adæ, et impleti sunt anni a conditione mundi in nativitatem Noe 1065.

Noe anno vitæ suæ 500 genuit tres filios Sem, Cham et Japhet, et anno vitæ illius 600 venit diluvium secundum dies lunares, mense primo, septima decima die mensis; secundum solares vero dies, Kalendis Aprilis, luna septima decima; quem Hebræi, qui menses non a sole, sed a luna computant, septimum decimum diem vocaverunt primi mensis, septima feria, quam nos sabbatum nuncupamus, ingressus est Noe in arcam, et hac ipsa die venit diluvium. Mirum omnipotentis Dei judicium in humanum genus, quod per Adam luna septima decima accepit initium, in non custodiendo Dei præceptum septima decima in diluvio incurreret mortis supplicium.

Anno vitæ Noe 600 impleti sunt anni a conditione mundi 1656; eo enim anno quo diluvium fuit, annus bissextilis exstitit : et si more nostro computarentur feriæ vel Kalendæ, essent ipso anno Kalendæ mensis Januarii feria quarta : et quia fuit annus cycli solaris 4, idcirco XI fuerunt in Epacta et XIII Kalendas Aprilis fuit Neomenia, id est novæ lunæ principium, et ipsius anni secundum menses lunares primi mensis initium, impletique sunt ipso anno anni Jubilæi a constitutione mundi 33, cycli decemnovales 82, dies bissextiles 414.

II.

Secunda sæculi ætate, prima hujus die, quæ est decima septima dies mensis secundi, egressus est Noe de arca, uxor ejus, et filii, et uxores filiorum ejus, die prima feria, quam nos propter resurrectionem Domini Dominicam nuncupamus : quia, sicut supra jam dixi, si more nostro ipso tempore computarentur feriæ vel Kalendæ, essent ipso anno, quo egressi sunt de arca, Kalendæ mensis Januarii, feria quinta anno primo post bissextum. Et quia fuit annus quintus cycli solaris, qui est decemnovalis,

A et quartus epactalis, XXII fuerunt in Epacta, et fuit VII Idus Martii mensis Neomenia, id est novæ lunæ principium. Et hæc fuit secundum Hebræos primi mensis initium, et anni principium.

Juxta hanc nostram supputationem, quæ fit per dies solares, exisse inveniuntur de arca Noe, et filii ejus quinto Nonas mensis Maii, luna vigesima septima, stetisseque inveniuntur in arca juxta dies solares annum integrum, qui facit dies 365 et quadra una, id est horas sex, et hebdomadas quatuor, id est dies 28; quater enim septem fiunt 28.

Sem cum esset centum annorum, genuit Arfaxad biennio post diluvium, quia 98 anno vitæ suæ venit diluvium.

Arfaxat anno vitæ suæ 35 genuit Sale; in nativi-

B tate Sale impleti sunt anni post diluvium 37.

Sale anno vitæ suæ 31 genuit Heber; in nativitate Heber impleti sunt anni post diluvium 67.

Heber anno vitæ suæ 34 genuit Faleg; in nativitate Faleg impletus est annus post diluvium 101, qui fuit annus vitæ Noe 701; et hac ratione deducta vixisse invenitur Noe post factam linguarum divisionem annis 249.

Faleg interpretatur divisio, cui propterea pater tale nomen imposuit, quia tempore nativitatis ipsius terra per linguarum confusionem divisa est. Qui anno vitæ suæ 30 genuit Reu; in nativitate Reu, impletus est annus post diluvium 131.

Reu anno vitæ suæ 32 genuit Seruch; in nativitate Seruch impleti sunt anni post diluvium 143.

C Seruch anno vitæ suæ 30 genuit Nachor; in nativitate Nachor impleti sunt anni post diluvium 193.

Nachor anno vitæ suæ 28 genuit Thare; in nativitate Thare impleti sunt anni post diluvium 222.

Thare anno vitæ suæ 70 genuit Abram; in nativitate Abræ impleti sunt anni post diluvium 292.

Anno vitæ Noe 892 natus est Abraham, qui fuit annus vitæ Sem 390; vixisse invenitur Noe, post nativitatem Abrahæ, annis 58.

Fiunt igitur, juxta supputationem, a diluvio usque ad nativitatem Abrahæ, anni 292, et a conditione mundi 1948.

III.

D Tertia mundi ætas a nativitate cœpit Abrahæ patriarchæ, qui cum 75 annorum esset, anno 17 post mortem Noe, qui fuit annus vitæ Sem 465, et patris sui Thare 145, relicta gente et patria sua, secundum divinum oraculum, venit in terram Chanaan, accipiens promissionem nasciturum de semine suo Salvatorem, in quo benedicerentur omnes gentes credituræ in Christum, et seipsum in gentem magnam esse futurum : quarum una spiritalis, altera est promissio carnalis.

His temporibus Ninus et Semiramis in Assyriis regnaverunt.

Abraham anno vitæ suæ centesimo, patris vero sui Thare 170, et Sem 490, genuit Isaac 42 anno

post mortem Noe. Qui Isaac primus et solus in tota Testamenti Veteris serie legitur octava die esse circumcisus, quod non sine magno mysterio privilegium donatum est filio promissionis.

Isaac anno vitæ suæ 60 et patris sui 160, qui erat annus vitæ Sem 550, post mortem Noe anno 102, avi vero sui Thare 25, genuit Esau et Jacob. Vixit vero Abraham postquam nati sunt Esau et Jacob annis 15, et vixit Sem, postquam mortuus est Abraham annis 35, et impleti sunt dies vitæ illius anni 600. Ante diluvium vixit annos 98, et post diluvium 502, et mortuus est anno vitæ suæ 600 qui erat annus vitæ Isaac 101 et Jacob 50; in nativitate Jacob impleti sunt anni tertiæ ætatis 160, et a conditione mundi 2108.

Jacob autem anno vitæ suæ 91 genuit Joseph, qui erat annus vitæ Isaac 151; venditus est autem vitæ suæ 16, qui fuit annus vitæ Jacob 107, patris vero sui 167. Permansit servus annis 14, et eductus de carcere est anno 30 vitæ suæ, qui fuit annus vitæ Jacob 121, et Isaac patris sui 181. Secundum hanc rationem vixisse invenitur Isaac, postquam eductus de carcere est Joseph, annis quatuor, quia 185 annorum erat quando mortuus est, et hic erat annus vitæ Jacob 125, qui etiam post mortem patris sui anno quinto descendit in Ægyptum anno vitæ Joseph 39, vitæ vero suæ 130 descendit in Ægyptum in animabus 70.

Manserunt filii Israel in Ægypto post introitum Jacob annis 215, post mortem vero Joseph annis 144. Inter mortem Joseph et nativitatem Moysi fuerunt anni 64, quia 80 annorum erat Moyses, quando apparuit ei Dominus, et misit eum ad Pharaonem.

Si quis ista dubitat, vel calculandi et inveniendi summam annorum non habet scientiam, sumat ab introitu Jacob in Ægyptum, et inveniet usque ad mortem Joseph annos 71: his adde 64, fiunt 135, quia 64 anno post mortem Joseph invenitur natus esse Moyses. His adde 80 annos vitæ Moysis, quia 80 annorum erat Moyses, sicuti jam dixi, quando missus est ad Pharaonem; ad 135 adde 80, et fiunt 215. A prima igitur promissione Abrahæ usque ad introitum Jacob in Ægyptum, fuerunt anni 215, et inde usque ad transitum maris Rubri anni 215: fiunt in summa 430, et hoc est quod ait Apostolus in Epistola ad Galatas: *Hoc autem dico Testamentum confirmatum a Deo, qua post 430 annos facta est lex.*

Fiunt igitur a nativitate Abrahæ, unde tertia esse cœpit labentis sæculi ætas, usque ad transitum maris Rubri anni 505, et a constitutione mundi usque ad introitum Jacob in Ægyptum anni 2238, et inde usque ad transitum maris Rubri anni 2451.

Sed dicit aliquis, Quomodo potest fieri ut tam paucis filii Israel in terra Ægypti steterint annis, cum Scriptura libri Geneseos narret quod dixerit Deus ad Abraham: *Scito prænoscens, quia peregri-*

A *num erit semen tuum in terra, non sua*, et servitute eos afficient annis 400. Non itaque, quod ait, in servitute redigent eos, ad 400 annos referendum est, tanquam per tot annos eos habuerint in servitute; sed referendi sunt 400 anni ad id quod dictum est; *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua:* quia sive in terra Chanaan, sive in Ægypto, peregrinum erat illud semen, antequam hæreditate sumerent terram ex promissione Dei, posteaquam ex Ægypto liberati sunt, ut per speciem locutionis, quam grammatici hyperbaton vocant, dictum esse intelligatur: et est sensus vel ordo verborum: Sciendo scias quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua 400 annis. Illud autem interpositum legatur, Et in servitute redigent eos, et nocebunt illis, ita ut ad 400
B annos ista interpositio non pertineat; in extrema enim parte annorum summæ hujus, hoc est post mortem Joseph, factum est ut in Ægypto populus Dei duram peragerent servitutem

Testatur Apostolus in Epistola ad Hebræos: *Fide Moyses celebravit Pascha, et sanguinis effusione, ne qui vastabat primitiva* Ægypti, læderet *eos*. Sed quia ab initio mundi usque ad præsens tempus annos vel ætates temporum inquirendo pervenimus, nunc ipsius Paschæ tempus, vel diem, quæ prior in toto tempore Veteris Testamenti celebrata est, subtiliter inquiramus. Si vis hujus Paschæ nosse tempus, vel diem, vel feriam, aut lunam, sume annos ab initio mundi, qui sunt usque ad id tempus 2453; hos partire per quartam partem, et dic: quater 600 fiunt
C 2400, et supersunt 53. Iterum dic: quater deni, 40, et supersunt 13; quater terni, 12, et superest 1; et invenies quod primus annus tunc exstiterit post bissextum. Sume igitur ipsos dies bissextiles, qui fuerunt in toto retro tempore 613, hos adde ad superiores annos, et invenies summam eorum 3066: his iterum adde sex dies, quos intercalares vocamus, et erunt 3072.

Et ut feriam ipsius anni invenire possis, partire supradictam summam, et dic septies 400 fiunt 2800, et supersunt 272. Iterum dic septies 30 fiunt 210, et supersunt 62; et rursum septies octoni fiunt 56, et supersunt sex; et invenies quod feria sexta secundum dies solares exstitit principium anni quam
D nos more gentilium Kalendas Januarias nuncupamus. Iterum sume superiores annos 2453, hos partire per decimam nonam partem; et dic, centies decem et novem fiunt 1900, et supersunt 553: hos iterum partire sub eamdem partem, et dic: decem novies 20 fiunt 280, et supersunt 163; hos denuo partire per eamdem partem similiter, et dic: decem novies novem fiunt 171, et supersunt duo; adde unum et fiunt tria, et invenies quod tertius fuerit annus cycli solaris, qui est decemnovalis: subtrahe unum, et remanent duo: ipse est secundus annus epactæ lunaris. Iterum dic: undecies bini fiunt 22, tantos enim dies habet in duobus annis solaris cursus amplius lunari. His adde 8, et fiunt 30. Et quia annus embolismus fuit, tanti exstiterunt in epacta.

iterum sume summam numeri centum 22 annorum trigiata, qui fuerunt in epacta, et remanent 102, et invenies quod secundum dies solares, pridie Idus Aprilis feria secunda luna quarta decima exstiterit ipsum Pascha. Juxta dies vero lunares III Kal. Aprilis fuit Neomenia, id est novæ lunæ principium, et primi mensis lunaris initium et anni principium.

Secundum vero supputationem nostram, quæ fit per dies solares, Idus Apriles, luna quinta decima, altera die post Pascha, inveniuntur exisse filii Israel de Ramesse, et venisse in Socoth et de Socoth XVIII Kal. Maii, luna sexta decima in Phyairoth, et VI Kal. Junii, luna prima, qui est dies primus tertii mensis lunaris, venerunt ad montem Sinai, et acceperunt legem Deo loquente ad se per angelum pridie Kalendas Junii, die quinquagesimo post agni occisionem, feria secunda, luna quarta, quo die et Pascha in Ægypto celebraverunt.

Moyses anno vitæ suæ 80 eductum ex Ægypto rexit populum Dei Israel in deserto annis 40, quorum primo anno tabernaculum Domino construxit, et septem mensibus omne opus perficiens, mense primo, anni secundi prima die mensis erexit, secundum dies solares ipso anno XIII Kal. Aprilis, feria prima fuit Neomenia, id est novæ lunæ principium, et primi mensis initium : et Pascha Hebræorum feria septima, quarto Nonas Aprilis, luna quarta decima quam illi quartam decimam primi mensis diem secundum dies lunares appellare consueverunt.

Jam ab hoc tempore per duces et judices summam annorum requirere non nobis videtur immorandum, cum tam evidenter historia libri Regum testetur : factum est igitur quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti in anno quarto, mense Zio, ipse est mensis secundus regis Salomonis super Israel, et ædificare cœpit domum Domini, e quibus subtractis 4 Salomonis et 40 David, colliguntur omnes anni ab egressu filiorum Israel ex Ægypto usque ad primum annum regni David 436; a prima promissione Abrahæ usque ad prædictum annum primum regni David, fuerunt anni 866; a nativitate vero Abrahæ usque ad eumdem annum sunt anni 941.

IV.

Quarta sæculi ætas incipit a primo anno regni David, et perseverat usque ad transmigrationem Babylonis, quæ facta est per Nabuchodonosor regem, habens annos juxta Hebraicam veritatem 474; juxta LXX Interpretum translationem amplius : generationes juxta utrosque codices 17.

David rex prior ex tribu Juda regnavit annis 40.

Salomon filius David regnavit annis 40, qui quarto anno regni sui ædificare cœpit templum Domino in Jerusalem, collectis ab egressu filiorum Israel ex Ægypto annis 480, ut Regum quoque liber testimonio est, quod in figuram universi corporis, quo in hoc sæculo Christi ædificatur Ecclesia nimirum actum, quæ in futuro tempore perficitur quod templum septem annis perfecit, et septimo octavi mense dedicavit, qui fuit annus duodecimus regni sui.

Roboam filius Salomonis regnavit annis 17.

Abia filius Roboam regnavit annis tribus.

Asa filius Abia regnavit annis 41.

Josaphat filius Asa regnavit annis 25.

Joram filius Josaphat regnavit annis octo.

Azarias filius Joram regnavit anno uno.

Athalia regnavit annis septem.

Joas filius Azariæ regnavit annis 40.

Amasias filius Joas regnavit annis 29.

Azarias, qui et Ozias filius Amasiæ, regnavit annis 52.

Joatham filius Oziæ regnavit annis sex.

Ezechias regnavit annis 19.

Manasses filius Ezechiæ regnavit annis 55.

Amon filius Manasse regnavit annis duobus.

Josias filius Amon regnavit annis 31.

Joachaz filius Josiæ quem vinctum Nechao Pharao rex Ægypti perduxit in Ægyptum, regnavit mensibus tribus.

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

V.

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Domini Salvatoris in carne ex libro Esdræ prophetæ et historia libri Machabæorum et Josephi atque Africani historiographi usque ad Romana tempora comprehendit annos 589, et ita fit ut a constitutione mundi usque ad Nativitatem Domini Salvatoris in carne, quæ facta est anno Octaviani Cæsaris 42, colligantur omnes anni 3952.

Sed et in libro Chronicorum, quem idem sanctus vir non plus mirabili veritate quam celeritate comprehendit, eosdem annos simili modo secundum Hebraicam veritatem a constitutione mundi, usque ad Nativitatem Domini in carne similiter adnotavit.

Unde sciendum est atque firmissime credendum, et nullomodo dubitandum, omnes annos a constitutione mundi, secundum Hebraicam veritatem usque ad eversionem Hierusalem, quæ facta est undecimo anno Sedeciæ a Nabuchodonosor non posse amplius minus fieri : sed sicut supra jam ostendi, ita tenendi sunt.

Quidquid vero reliquum superest tempus usque ad adventum Domini in carne majorum nostrorum qui chronicas scripserunt, judicio relinquo. Nam si in his non fallimur annis, qui post eversionem Jerusalem comprehensi sunt, colliguntur omnes anni a conditione mundi usque ad præsentem annum, qui est Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 814, quo piæ recordationis et bonæ semper memoriæ Carolus gloriosus princeps ex hoc migravit mortali sæculo, et ei pius princeps sanctæ Dei Ecclesiæ catholicæ Ludovicus successit imperio, anni 4766.

Sed ut apertius appareat quod dicimus, computa eosdem annos per quartam partem, et dic : quater mille, 4000, et supersunt 766; quater centum,

400, et supersunt 366; quater nonaginta 360, et supersunt sex, ex quibus assume quatuor et supersunt duo: præsens enim annus, qui nunc est, secundus est post bissextum.

Item dic: decem novies ducenti 3800, et supersunt 966; decem novies quinquaginta 950, et supersunt 16; adde unum et fiunt 17: præsens enim annus, qui nunc est, decimus septimus annus, est cycli solaris, qui est decemnovalis. Subtrahe unum et remanent 16; sextus decimus annus est epactæ lunaris. Undecies deni 110, undecies seni 66 et fiunt 176; his adde octo, et fiunt 184: hos partire per trigesimam partem, et dic, sexies triginta 180, et supersunt 4, et invenies quod in præsenti anno ipsi currunt ad lunæ cursum.

Si autem quæratur a me quam longo tempore, aut quot annis debeat præsens mortale sæculum perdurare, nescire me fateor, quia non uspiam me legisse reminiscor, et ideo nec de imperitia

A erubesco, quia lectione non doceor, nec de periculo formido, quia quæ non lego nec præsumo, ne transgressor inveniar divini oraculi, qui apostolis de hoc interrogantibus ita respondit: *De die autem illo et hora nemo scit, neque angeli cœlorum*, neque Filius *nisi Pater solus*. Sed quid est quod Pater possit sine virtute aut sciat absque sapientia sua, cum utrumque sit Patri, id est virtus et sapientia sua, sed Filii nescire est, nos nescientes de hoc velle manere. Cæterum cunctis in commune fidelibus suademus ut sive quis ex Hebraica veritate quæ ad nos per beatum interpretem Hieronymum pura pervenisse etiam hostibus Judæis in manifesto est, sive ex LXX Interpretum translatione quæ vel minus sollicite primo edita est, ut multi astruunt, vel a

B gentilibus corrupta, ut beato Augustino videtur, seu certe ex utrisque commisto opere codicibus. . . . . .
*Cætera desunt.*

# LOCA QUÆDAM CLAUDII TAURINENSIS

## *Excerpta ex Commentariis ejus in Epistolas sancti Pauli.*

(Rich. Simon., Hist. crit. Nov. Testam., lib. III, cap. 25.)

*Qui cum in forma Dei esset.* (*Philipp.* II, 6). In forma Dei, æqualis Patri, in forma servi mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.... Non itaque immerito Scriptura utrumque dicit, et æqualem Patri Filium, et Patrem majorem Filio. Illud enim propter formam Dei: hoc autem propter formam servi sine ulla confusione intelligitur...

*Non rapinam arbitratus est*, etc. (*Ibid.*). . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Neque usurpationis erat quod naturaliter possidebat, ut rapina diceretur; sed naturæ inerat, ut esset æqualis.

*Ex præfatione Commentarii in Epistolam primam ad Corinthios.*

Brumale tempus vias palatinas terens eundo et redeundo, minus licet implere supra commemoratum amorem; post medium veris procedendo armatus pergameno pariter cum arma ferens, pergo ad excubias maritimas cum timore excubando adversum Agarenos et Mauros, nocte tenens gladium, et die libros et calamum, implere conans cœptum desiderium. . . . . . . . . . . .

*Ex eadem præfatione.*

Fateor me primitus invitum accessisse, et in hoc opus, et in Pentateucho quem postulas imperantibus fratribus in schola constitutis, quibus viva voce scripturas tradebam, præcipiente pio principe Ludovico imperatore, compulsus etiam a memorato principe, ut non tantum verba per oblivionem palantem traderem, sed etiam calamo diu permanentia scriberem, ut quod ore promebam calamo scriptitarem.

*Qui est super omnia Deus*, etc. (*Rom.* IX, 5). Christus enim Dominus et Salvator noster, Filius Dei verus secundum divinitatem, et filius hominis verus secundum carnem. Non ex eo quod est super omnia

C Deus benedictus in sæcula ex semine David natus est, sed ex illa infirmitate quam suscepit ex nobis.

*Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* (*I Cor.* I, 3). Ne Patris aut nomen aut donum tacuisse videretur, et suspicionem forte aut occasionem daret unionis, docet Christum quidem rite invocandum, sed omnem gratiam esse Patris, ut duos qui in unum sunt per divinitatem ostenderet, et Patris auctoritatem præferret. . . . . . .

*Deus erat in Christo* (*II Cor.* V, 19). Filius enim naturaliter legatus est Patris Dei.... Pater enim per id intelligitur esse in Filio, quod una eorum sit substantia. Ibi est enim unitas ubi nulla est domina, ac per hoc invicem æquales sunt. . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

D *In Epist. ad Hebr.* VII, 17.

Ille (Melchisedech) carnales victimas non offerebat nisi panem et vinum, sicut Christus oblationem panis et vini offerens Deo Patri, id est corpus et sanguinem suum, quam oblationem quotidie offerimus super altare et sumimus.

*In Epistolam ad Philippenses*

Putat aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam episcopum et presbyterum unum esse, et aliud ætatis, aliud esse nomen officii, relegat Apostoli verba ad Philippenses dicentis: *Paulus et Timotheus*, etc.

*Retractatio Claudii episcopi de auctoribus explanationum super Epistolam ad Hebræos.*

Illud quoque in præfatione commoneo, mihi cha-

rissimæ, ut scias Origenem tria volumina in hanc Epistolam conscripsisse, quem et nos ex parte secuti sumus: Apollinarem etiam et Didymum quosdam Commentariolos edidisse; e quibus licet pauca decerpsimus, plura etiam ex sancti viri Augustini sententiis, quas per diversos ejus libros invenire quivimus, hanc exposuimus Epistolam, et nonnulla quæ nobis videbantur adjecimus sive subtraximus, ut studiosus statim in principio lectorum agnoscat hoc opus vel alienum esse vel nostrum.

ELOGIUM SANCTI AUGUSTINI.

Amantissimus Domini sanctissimus Augustinus, A calamus Trinitatis, lingua Spiritus sancti, terrenus homo, sed cœlestis angelus, in quæstionibus solvendis acutus, in revincendis hæreticis circumspectus, in explicandis Scripturis canonicis cautus, etc. Ex ipsius sancti viri sententiis, quas pro diversis ejus libris invenire quivimus, hanc exposuimus Epistolam [a], aliqua etiam ex Origenis Expositione ibidem adjunximus, nonnulla etiam, ut nobis visum est, pertractavimus. Nullam admonitionem meliorem potui invenire, quam Epistolæ primæ Pauli apostoli, quam misi, quia tota inde agitur, ut merita hominum tollat, unde maxime nunc monachi gloriantur, et gratiam Dei commendet.

[a] Scilicet, *ad Romanos*. B

ANNO DOMINI DCCCXL.

# LUDOVICUS I

## COGNOMENTO PIUS, IMPERATOR AUGUSTUS.

# [a] LUDOVICI PII VITA

*Incerto auctore, sed qui se professione astronomum, et in palatio ipsius imperatoris versatum testatur.*

(Apud Chesnium, Historiæ Francorum Scriptores.)

### PROLOGUS.

Cum gesta priscorum bona malave, maxime principum, ad memoriam reducuntur, gemina in eis utilitas legentibus confertur. Alia enim eorum utilitati et ædificationi prosunt, alia cautelæ. Quia enim primi in sublimi veluti specula consistunt, et ideo latere nequeunt, eo fama eorum latius propagatur, quo et diffusius cernitur; et tanto quique illorum bono plurimi alliciuntur, quanto prominentiores se imitari gloriantur. Hæc ita se habere majorum produnt monumenta, qui relatione sua posteritatem instruere studuerunt, quisque principum quo calle mortalium iter triverit. Quorum nos studium imitantes, noluimus esse vel præsentibus inofficiosi, vel futuris invidi, sed Actus Vitamque Deo amabilis atque orthodoxi imperatoris Ludovici, stylo licet minus docto, contradimus. Fateor enim, et absque fuco adulationis dico, quia succumbit cujusque, non dico meum, quod perexiguum est, sed magnorum ingenium, materiæ C tantæ. Etenim auctoritate divina discimus, sanctam Sapientiam docere sobrietatem, sapientiam et justitiam, et virtutem, quibus nihil est dulcius in vita hominibus: quarum ille ita comitatui indivise adhæsit, ut nescires potius quam in eo admirari deberes. Quid enim ejus sobrietate sobrius, quæ alio nomine frugalitas sive temperantia nominatur? Ita enim ea usus est, ut illud vetustissimum proverbium et ad cœlum usque celebratum ei fuerit familiarissimum, quo dicitur: *Ne quid nimis*. Sapientia vero delectabatur ea quam Scripturæ auctoritate didicerat dicente: *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia*. Justitiam porro quanto coluerit affectu, testes sunt qui ejus novere studium quo flagrabat, ut quisque hominum ordo ordini suo justa persolveret, et Dominum D super omnia, proximum vero tanquam se diligeret. Jam vero virtus adeo ei coaluerat, ut tot ac tantis pulsatus malis, lacessitus tam privatis quam externis injuriis, nullo tamen, Deo custode, pectus ejus invin-

[a] Quæ scripsit hic auctor usque ad tempora imperii Ludovici, profitetur in Prologo se Ademari nobilissimi ac devotissimi monachi relatione didicisse, qui eidem Ludovico coævus et connutritus fuit. Posteriora autem per seipsum vidisse atque comperisse significat, dum rebus interesset palatinis. Cæterum editio ista nunc recognita variisque in locis emendata est, ad fidem duorum mss. cod., quorum unum antiquissimum subministravit bibliotheca Thuana, alter paulo recentior servatur in bibliotheca Alex. Petavii.

cibile potuit injuriarum pondere frangi. Uni tantummodo ab æmulis ascribebatur culpæ succubuisse, eo quod nimis clemens esset. Nos autem cum Apostolo dicamus talibus : *Dimitte illi hanc injuriam.* Sed hæc utrum vera sint necne, perlegens quisque scire poterit. Porro quæ scripsi usque ad tempora imperii, Adhemari nobilissimi et devotissimi monachi relatione didici, qui ei coævus et connutritus est. Posteriora autem, quia ego interfui rebus palatinis, quæ vidi et comperire potui, stylo contradidi.

## INCIPIT NARRATIO VITÆ.

Famosissimus regum, nullique suo tempore postponendus, Carolus, cum post obitum paternum, fratrisque Carlomanni infaustum occubitum, populi regnique Francorum suscepisset unicum gubernaculum, invincibile sibi arbitratus est adfore salutis prosperitatisque suffragium, si Ecclesiæ paci concordiæque adminiculans, pacificos quidem sub unione fraterna arctius vinciret, rebelles autem æqua severitate percelleret, nec non et oppressis a paganis opem ferret, sed et ipsos Christiani nominis inimicos ad agnitionem confessionemque veritatis quoquo modo perduceret. His igitur conatibus regni sui auspicia dedicans, et Christo tuenda et corroboranda committens, postquam res Franciæ, prout libuit et utile judicavit, Deo annuente, composuit, ad Aquitaniam transiit, recidua bella meditantem, et Hunoldo quodam tyranno auctore, jam jamque in arma ruentem, bello aggressus est. Ejus ergo terrore coactus est idem Hunoldus et Aquitaniam linquere, et fugæ subsidio vitam delitescendo atque oberrando servare. His peractis, et rebus tam publicis quam privatis pro opportunitate dispositis, reliquit Hildegardam nobilissimam piissimamque reginam in villa regia, cujus vocabulum est Cassinogilus, gemina gravidam prole, et transiit Garumnam fluvium Aquitanorum et Vasconum conterminum : quam regionem jamdudum in deditionem susceperat, Lupo principe se et sua ejus nutui dedente. Ibidem etiam quæ opportunitas utilitasque dictavit expletis, statuit Pyrenæi montis superata difficultate ad Hispaniam pergere, laborantique Ecclesiæ sub Saracenorum acerbissimo jugo Christo fautore suffragari. Qui mons cum altitudine cœlum pene contingat, asperitate cautium horreat, opacitate silvarum tenebrescat, angustia viæ vel potius semitæ commeatum non modo tantum exercitui, sed paucis admodum pene intercludat, Christo tamen favente prospero emensus est itinere. Neque enim regis animus Deo nobilitante generosissimus, vel impar Pompeio, vel segnior esse curabat Annibale, qui cum magna sui suorumque fatigatione et perditione iniquitatem ejus loci olim evincere curarunt. Sed hanc felicitatem transitus, si dici fas est, fœdavit infidus incertusque fortunæ ac vertibilis successus. Dum enim quæ agi potuerunt in Hispania peracta essent, et prospero itinere reditum esset, infortunio obviante, extremi quidam in eodem monte regii cæsi sunt agminis. Quorum quia vulgata sunt nomina, dicere supersedi. Rediens ergo rex, reperit conjugem Hildegardam binam edidisse prolem masculam. Quorum unus, immatura morte præreptus, ante pene mori quam sub luce vivere cœpit. Alter, prospero eventu materno fusus utero, infantilibus nutriebatur impendiis. Nati sunt autem anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi septingentesimo septuagesimo octavo. Sed eum qui vividam promittebat qualitatem, cum per baptismatis sacramentum renasci contigisset, Ludovicum vocitari patri placuit, eique regnum, quod sibi nascendo dicaverat, contradidit. Sciens porro rex sapientissimus atque perspicacissimus Carolus, regnum esse veluti corpus quoddam, et nunc isto, nunc illo incommodo jactari, nisi consilio et fortitudine, velut quibusdam medicis, sanitas accepta tutetur, episcopos quidem modo quo decuit sibi devinxit. Ordinavit autem per totam Aquitaniam comites abbatesque, nec non alios plurimos, quos vassos vulgo vocant, ex gente Francorum ; quorum prudentiæ et fortitudini, nulla calliditate, nulla vi obviare fuerit tutum : eisque commisit curam regni, prout utile judicavit, finium tutamen villarumque regiarum provisionem. Et Biturigæ civitati primo Humbertum, paulo post Sturbium præfecit comitem : porro Pictavis Abbonem, Petragoricis autem Widbaldum, sed et Arvernis Iterium, nec non Wallagiæ Bullum, sed et Tolosæ Chorsonem, Burdigalis Siguinum, Albigensibus vero Aimonem, porro Lemovicis Rothgarium.

Quibus rite peractis, Ligerim cum reliquis transmeavit copiis, et Lutetias, quæ alio nomine Parisius vocatur, sese recepit (779). Post non multum sane tempus incidit ei desiderium dominam quondam orbis videre Romam, principisque apostolorum atque doctoris gentium adire limina, seque suamque prolem eis commendare : ut talibus nitens suffragatoribus, quibus cœli terræque potestas attributa est, ipse quoque subjectis consulere, perduellionumque, si emersissent, proterviam proterere posset. Ratus etiam non mediocre sibi subsidium conferri, si a vicario eorum, cum benedictione sacerdotali, tam ipse quam et filii ejus regalia sumerent insignia. Quæ res Deo prosperante pro voto cessit. Ibidem Ludovicus ejus filius, cunarum adhuc utens gestatorio, benedictione regnaturo congrua et regali insignitus est diademate, per manus Adriani venerandi antistitis (780). Peractis igitur omnibus quæ Romæ agenda visa sunt, rex Carolus cum filiis et exercitu pacifice Franciam repetiit : filiumque suum Ludovicum regem regnaturum in Aquitaniam misit, præponens illi bajulum Arnoldum, aliosque ministros ordinabiliter decenterque constituens tutelæ puerili congruos (781). Qui usque Aurelianam civitatem cunali est evectus gestamine. Sed ibi congruentibus ejus ætati armis accinctus, equo impositus, et in Aquitaniam est, Deo annuente, transpositus. Ubi dum non multis moratur annis, id est quatuor, gloriosus rex Carolus assiduos durosque Saxonibus inferebat referebatque conflictus (785). Inter quos cavens ne aut Aquitanorum po-

pulus propter ejus longum abscessum insolesceret, aut filius in teneriori bus annis peregrinorum aliquid disceret morum, quibus difficulter expeditur ætas semel imbuta, misit et accersivit filium jam bene equitantem, cum omni populo militari, relictis tantum marchionibus, qui fines regni tuentes, omnes, si forte ingruerent, hostium arcerent incursus. Cui filius Ludovicus, pro sapere et posse obedienter parens, occurrit ad Patrisbrunam (786) habitu Vasconum cum coævis sibi pueris indutus, amiculo scilicet rotundo, manicis camisiæ diffusis, cruralibus distentis, calcaribus caligulis insertis, missile manu ferens: hæc enim delectatio voluntasque ordinaverat paterna. Mansit ergo cum patre inde usque ad Herisburg cum eo vadens, usquequo sol ab alto declinans axe, ardorem æstivum autumnali condescensione temperaret. Cujus extremo tempore licentia a patre accepta, hiematum in Aquitaniam rediit.

Ea tempestate Chorso dux Tolosanus dolo cujusdam Vasconis, Adelerici nomine, circumventus est, et sacramentorum vinculis obstrictus, sicque demum ab eo absolutus. Sed hujus nævi ulciscendi gratia, rex Ludovicus et proceres, quorum consilio respublica Aquitanici regni administrabatur, conventum generalem constituerunt in loco Septimaniæ, cujus vocabulum est Mors-Gothorum. Accitus autem idem Vasco, conscius facti sui venire distulit, donec obsidum interpositione fretus, tandem occurrit. Sed eorumdem obsidum periculo nihil passus, insuper muneribus donatus, nostros reddidit, suos recepit, et ita recessit. Æstate vero subsequente, jussu patris Ludovicus rex Wormatiam simpliciter, non expeditionaliter venit: et cum eo in hibernis perstitit (788). Ubi jam dictus Adelericus ante reges dicere causam jussus atque auditus, purgare objecta volens, sed non valens, proscriptus atque irrevocabili est exsilio deportatus. Chorsone porro a ducatu Tolosano submoto, ob cujus incuriam tantum dedecus regi et Francis acciderat, Willelmus pro eo subrogatus est (789). Qui Vasconum nationem, ut sunt natura leves, propter eventum supradictum valde elatos, et propter mulctationem Adelerici nimis reperit efferatos. Quos tamen tam actu quam viribus brevi subegit, illique pacem imposuit nationi. Rex vero Ludovicus eodem anno (790) Tolosæ placitum generale habuit, ibique consistenti, Abutaurus Saracenorum dux, cum reliquis regno Aquitanico conlimitantibus, ad eum nuntios misit, pacem petens et dona regia mittens. Quibus secundum voluntatem regis acceptis, nuntii ad propria sunt reversi.

Interea anno hunc sequente (790), patri regi rex Ludovicus Ingelnheim occurrit, inde Renesburg cum eo abiit. Ibique ense, jam appellens adolescentiæ tempora, accinctus est, ac deinde patrem in Avares exercitum ducentem usque ad Chuneburg comitatus, jussus est reverti et usque ad reversionem paternam, cum Fastrada manere regina. Itaque cum ea hiemem exegit imminentem, patre in expeditione cœpta permanente. At vero ipso ab expeditione Avarica remeante, accepit ab eo mandatum in Aquitania redire, et fratri Pippino suppetias, cum quantis posset copiis, in Italiam pergere. Cui obediens, Aquitaniam autumni tempore rediit, omnibusque quæ ad tutamen regni pertinent ordinatis, per montis Cinisii asperos et flexuosos anfractus in Italiam transvehitur, atque Natalem Domini Ravennæ celebrans (793) ad fratrem venit. Cui conjunctus, junctis viribus Beneventanam provinciam ingrediuntur, cuncta obvia populantur, castro uno potiuntur. Hieme autem transacta, una ad patrem prospere regrediuntur, uno tamen audito offuscante eorum plurimam alacritatem, eo quod compererunt, fratrem suum naturalem Pippinum contra communem patrem rebellionem meditatum, pluresque nobilium hujus sceleris conscios atque irretitos et pessumdatos. Concite ergo pergentes ad patrem in Bajoaria agentem, venerunt in locum cui est vocabulum Salz, et ab eo gratissime sunt recepti. Quidquid autem superfuit æstatis, autumni et hiemis, cum patre rege rex Ludovicus exegit (794). Magnopere enim curabat rex pater, ne regem filium aut nutrimenta honesta laterent, aut externa inhærescentia in aliquo dehonestarent. Qui cum primo vere (795) a patre dimitteretur, interrogatus est ab eo, cur rex cum esset, tantæ tenuitatis esset in re familiari, ut nec benedictionem quidem, nisi ex postulato sibi offerre posset, didicitque ab illo quia privatis studens quisque primorum, negligens autem publicorum perversa vice, dum publica vertuntur in privata, nomine tenus dominus actus sit omnium pene indigus. Volens autem huic obviare necessitati, sed cavens ne filii dilectio apud optimates aliquam pateretur jacturam, si illis aliquid per prudentiam demeret quod per inscientiam contulerat, misit illi missos suos, Willebertum scilicet, Rothomagensis postea urbis archiepiscopum, et Richardum comitem, villarum suarum provisorem, præcipiens ut villæ quæ eatenus usui servierant regio, obsequio restituerentur publico: quod et factum est.

Quibus receptis, rex et prudentiæ suæ monstravit continuo documentum, et misericordiæ, quæ illi genuina probatur, patefecit affectum (796). Nam ordinavit qualiter in quatuor locis hiberna transigeret, ut tribus annis exactis, quarto demum anno hiematurum se quisque eorum susciperet locus, Tehotuadum scilicet palatium, Cassinogilum, Andiacum, et Eurogilum. Quæ loca, quando quartus redibatur ad annum, sufficientem regio servitio exhibebant expensam. Quibus prudentissime ordinatis, inhibuit a plebeiis ulterius annonas militares, quas vulgo foderum vocant, dari. Et licet hoc viri militares ægre tulerint, tamen ille vir misericordiæ, considerans et præbentium penuriam, et exigentium crudelitatem, simul et utrorumque perditionem, satius judicavit de suo subministrare suis, quam sic permittendo copiam rei frumentariæ, suos irretiri periculis. Quo tempore Albigenses tributo quo

in dando vino et annona gravabantur, sua liberalitate relevavit. Habebat autem tunc temporis Meginarium secum, missum sibi a patre, virum sapientem et strenuum, gnarumque utilitatis et honest tis regiæ. In tantum autem regi patri hæc placuisse dicuntur, ut hac imitatione stipendiariam in Francia interdiceret annonam militarem dari, et alia plurima corrigi juberet, congratulans felicibus filii profectibus. Sequente porro tempore Tolosam venit rex, et conventum generalem ibidem habuit. Adefonsi Galletiarum principis missos, quos pro amicitia firmanda miserat cum donis, suscepit et pacifice remisit. Necnon et Bahaluc Saracenorum ducis, qui locis montuosis Aquitaniæ proximis principabatur, missos pacem petentes et dona ferentes suscepit et remisit. Quo tempore verens ne corporis nativo superatus calore, in multimodos luxuriæ raperetur anfractus, cum consilio suorum, Hermengardam futuram reginam, claris ortam natalibus, ut pote filiam Ingrammi comitis, sibi sociavit. Ordinavit autem illo tempore in finibus Aquitanorum circumquaque firmissimam tutelam. Nam civitatem Ausonam, castrum Cardonam, Castamserram, et reliqua oppida olim deserta, munivit, habitari fecit, et Burrello comiti cum congruis auxiliis tuenda commisit. Hieme transacta misit ad illum pater rex, ut ad se contra Saxones euntem, cum populo, quo posset, veniret. Qui ire non differens, ad eum Aquasgrani venit, et cum ipso ad Fremersheim, ubi placitum generale habuit, super ripam Rheni perrexit. In Saxonia cum patre usque ad missam sancti Martini perduravit. Inde a Saxonia cum patre exiit, et in Aquitaniam, magna hiemis exacta parte, concessit. Succedente vero æstate, rex Carolus ad eum misit, mandans ut secum in Italiam proficisceretur : sed mutato consilio jussus est domi manere.

Rege autem Romam pergente, ibidemque infulas imperatorias suscipiente (800), rex Ludovicus Tolosam abiit iterum, atque inde in Hispaniam contendit. Cui Barcinonæ appropinquanti, Zaddo dux ejusdem civitatis tanquam subjectus occurrit, nec tamen civitatem dedidit. Quam transgrediens rex, et Ilerdæ superveniens, subegit illam atque subvertit. Qua diruta, et cæteris municipiis vastatis ac incensis, ad Oscam usque processit. Cujus agros segetibus plenos manus militaris secuit, vastavit, incendit, et quæcunque extra civitatem sunt reperta, incendio depascente sunt consumpta. Quibus expletis, imminente jam hieme, ad propria rediit. Redeunte porro tempore æstivo, imperator gloriosissimus Carolus Saxoniam petiit (801), mandans filio, ut et ipse, tanquam in eadem terra hiematurus, se subsequeretur. Quod ipse agere festinans, ad Neusciam venit, Rhenum ibidem transiit, et patri concurrere accelerabat. Sed antequam ad eum veniret, nuntio obviavit paterno in loco cujus vocabulum est Ostfaloa, cum mandatis ne plus in ambulando fatigaretur, quin potius loco sibi opportuno castra metaretur, et se redeuntem ibidem operiretur. Tota enim gente subacta Saxonum, victor Carolus imperator jam redibat. Cui cum filius occurrisset, multo eum amplexatu deosculans, plurima illum gratiarum actione et laude extulit, utilitatemque obsequelæ illius, sæpe iterando felicem se tali filio prædicavit. Finito tandem diutino atque cruentissimo Saxonico bello, quod, ut ferunt, triginta trium annorum tempus occupavit, Ludovicus rex a patre dimissus, in regnum proprium ad hiberna sese cum suis collegit.

Hieme porro transacta (802), Carolus imperator tempus opportunum nactus, ut pote ab externis quiescens bellis, cœpit circumire loca sui regni mari contigua. Quod dum Ludovicus rex comperisset, Rothomagum misso legato Hademaro, petiit eum in Aquitaniam divertere, et regnum quod sibi dederat invisere, et ad locum qui Cassinogilus vocatur venire. Cujus petitionem pater honorabiliter suscepit, et filio gratias egit : petita tamen negavit, et ut sibi Turonum occurreret mandavit. Quo filius veniens, gratulabunde nimis ab eo susceptus, et in Franciam redeuntem Vernum usque prosecutus est. A quo digrediens, in Aquitaniam regressus est. Æstate hanc sequente (803) Zaddo dux Barcinonensis suasus est a quodam sibi, ut putabat, amico, Narbonam usque procedere. Qui comprehensus, Ludovico regi est adductus, et patri Carolo itidem perductus. Ipso tempore Ludovicus rex coacto populo regni sui Tolosæ, de his quæ agenda videbantur tractans deliberabat. Burgundione namque mortuo, comitatus ejus Fedentiacus Liutardo est attributus. Quam rem Vascones moleste ferentes, in tantam erupere petulantiam, ut etiam homines illius alios ferro perimerent, alios igni comburerent. Qui vocati dum primum venire detrectarent, quoquo modo ad causam dicendam venerunt, et pœnas debitas pro talibus ausis dederunt, ita ut quidam talionis lege igni conflagrarent. His peractis, succedente tempore (804), visum est regi et consiliariis ejus ut ad Barcinonam oppugnandam ire deberent : divisoque in tres partes exercitu, unam quidem Ruscellioni ipse permanens secum retinuit, alteri obsidionem urbis injunxit, cui Rotstagnus comes Gerundæ præfuit ; tertiam autem, ne forte obsidentes urbem improvise ab hostibus occuparentur, ultra urbem sedere præmisit. Obsessi interea intra urbem, Cordubam miserunt auxiliumque poposcerunt. Rex vero Saracenorum protinus auxiliatus eis exercitum direxit. Venientibus porro his qui missi fuerant Cæsaraugustam, relatum est eis de exercitu in via sibi obviam constituto. Erat autem ibi Willelmus primus signifer, Hademarus, et cum eis validum auxilium. Quod illi audientes, in Astures sese verterunt, clademque eis improvise importaverunt, sed multo graviorem reportaverunt. Quibus recedentibus, nostri ad socios urbem obsidentes reversi sunt, et illis juncti tandiu urbem obambientes, et nullum ingredi aut egredi permittentes, vexarunt, donec famis acerbitate coacti sunt etiam vetustissima ostiis coria

detrahere, et in cibum infelicissimum vertere. Alii A autem mortem infelicissimæ præponentes vitæ, e muris semet præcipites mittebant, aliqui vero spe animabantur inani, cogitantes quod Franci hiemis asperitate a civitatis cohiberentur obsidione. Sed hanc illorum spem abscidit prudentium virorum consilium. Advecta enim undecunque materia, cœperunt exstruere casas, veluti in hibernis ibidem mansuri. Quod cernentes civitatis habitatores, a spe deciderunt, et ad desperationem ultimam versi, suum principem Zaddonis cognatum tradiderunt, quem pro eo constituerant, nomine Hamur, et se et civitatem, concessa facultate secedendi, dediderunt hoc modo. Cum enim longa fessam obsidione nostri tenerent urbem, et jam jam capiendam aut tradendam crederent, honesto ut decebat usi consilio, B regem vocant, ut urbs tanti nominis gloriosum nomen regi propagaret, si illam eo præsente superari contingeret. Suggestioni huic admodum honestæ rex assensum præbuit. Venit ergo ad exercitum suum urbem vallantem, quæ indesinenti oppugnatione sex hebdomadibus perduravit, et tandem superata victori manus dedit. Tradita ergo et patefacta civitate, primo quidem die custodes rex illud destinavit, ipse autem ab ejus ingressu abstinuit, donec ordinaret qualiter cum digna Deo gratiarum actione cupitam atque susceptam victoriam ejus nomini consecraret. Antecedentibus ergo eum in crastinum et exercitum ejus sacerdotibus et clero, cum solemni apparatu et laudibus hymnidicis portam civitatis ingressus, et ad ecclesiam sanctæ et victoriosissimæ C Crucis, pro victoria sibi collata, gratiarum actiones Deo acturus, progressus est (805). Porro post hæc Bera comite ibidem ad custodiam relicto cum Gothorum auxiliis, hiemandi gratia ad propria remeavit. Cui pater, comperto quod ei imminere videbatur a parte Saracenorum periculo, fratrem Carolum suffragaturum mittebat: eique Lugduni agenti, et ad fratris adjutorium properanti, nuntius regis fratris occurrit, captam civitatem nuntiavit, et ne longius fatigaretur, edixit. Qui ab eodem loco regrediens, ad patrem est reversus. Rege porro Ludovico in Aquitania hibernum agente tempus, pater rex eum mandavit venire ad suum colloquium Aquisgrani, in Purificatione sanctæ Mariæ genitricis Dei. Cui occurrens, et quousque placuit cum eo commorans, D quadragesimæ tempore rediit. At succedente æstate (806), cum quanto visum est ei bellico apparatu in Hispaniam proficiscitur, profectusque per Barcinonam, et veniens Tarraconam, quos ibidem reperit, cepit, alios fugavit, universaque loca, castella, municipia, usque Tortosam vis militaris excidit, et flamma vorax consumpsit. Interea in loco, cujus vocabulum est sanctæ Columbæ, divisit copias suas in duo, quam maximam quidem partem secum contra Tortosam ducens: porro Isembardum, Hademarum, Beram, Burrellum cum reliquis expeditissime ad superiora dirigens, ut Ibero flumine transito, dum hostes in sedibus securi residerent, ab istis insidiis ex improviso eos aggrederentur, aut certe turbata regione, in pavorem solverentur. Igitur rege Tortosam tendente, memorati viri tandiu superiores in Iberi partes noctibus euntes, diebus silvarum lustra sectantes, obambulaverunt, usquequo Cingam et Iberum natando pariter transierunt. In quo itinere sex dies transigentes septima transmearunt. Qui ubi omnes incolumes evaserunt, terram hostium latissime vastaverunt, et usque villam eorum maximam, quæ Villa-Rubea vocatur, pervenerunt. Unde nimis magnam prædam sustulerunt, ut pote improvisis hostibus, et nihil tale unquam suspicantibus. Quibus gestis, iis qui evadere potuerunt hanc plagam longe lateque nuntiantibus, collecta est Saracenorum Maurorumque multitudo non minima, et eis obvia constitit ad ostium vallis quæ dicitur Vallis-Ibana. Cujus vallis natura est, ut ipsa in profundo jacens hinc inde præruptis atque altis cingatur montibus. Quam nisi Dei provisio intrare prohibuisset, nostri absque ullo pene hostium labore lapidum ictibus poterant interire, vel in manus inimicorum devenire. At dum illi viam præstruunt, nostri autem aliorsum viam apertiorem planioremque petunt, reputantes Mauri hæc nostros non ob sui tantum custodiam, sed metu potius eorum facere, a tergo eos insequuntur. Porro autem nostri prædam retro relinquentes, facies hostibus nudaverunt, restiterunt, Christoque juvante ipsos terga vertere compulerunt. Quos autem apprehenderunt, necaverunt, et læti ad prædam quam reliquerant redierunt: ac tandem post dies viginti suæ digressionis, ad regem alacres, paucissimis suorum amissis, redierunt. Rex autem Ludovicus suos lætanter recepit, et terra hostil' usquequaque vastata domum rediit.

Sequenti vero tempore iterum rex Ludovicus expeditionem in Hispaniam paravit. Sed pater ne per semetipsum illuc pergeret eum impedivit. Præceperat namque tunc temporis fabricari naves contra Nordomannicas incursiones, in omnibus fluminibus quæ mari influebant. Quam curam etiam filio injunxit Rhodanum et Garumnam et Silidam. Attamen misit ei missum suum Ingobertum, qui filii præsentiam præferret, et vice amborum contra hostes exercitum duceret. Rege autem in Aquitania remanente ob supradictam causam, exercitus ejus itinere prospero Barcinonam venit, ibique habito inter se consilio, quomodo hostibus clandestina possent supervenire irruptione, invenerunt hunc modum: scilicet, ut naves transvectorias fabricantes, unamquamque earum in quaternas partirentur partes, quatenus pars quaterna cujusque duobus equis vel mulis vehi posset, et præparatis clavis et marculis facile coaptari valerent: pice vero et cera ac stupa præparatis, mox ut ad flumen veniretur, compagum juncturæ obcludi possent. Sic itaque instructi, maxima pars eorum cum prædicto misso Ingoberto Tortosam petierat. At vero ii qui ad opus supradictum sunt deputati, Hademarus scilicet, Bera et reliqui, trium dierum emenso itinere (erant enim sine sagmatibus)

cœlo pro tecto utentes, igni [*Al.*, foco] ne fumo deprehenderentur renuntiantes, silvis se die occulentes, nocte, quantum posse dabatur, iter agentes, quarto die Ibero compactis navibus ipsi quidem sunt transpositi, equos autem natatui commiserunt. Quod factum magnum voto eorum pepererat effectum, nisi fuisset acerrime deprehensum. Cum enim Abaidun dux Tortosæ littora Iberi obsideret fluminis, et illi quos supra diximus superiora illius modo prædicto transmitterent, Maurus quidam lavandi gratia flumen ingressus, fimum a flumine vidit ferri equinum. Quo viso, sicut sunt nimiæ calliditatis, adnatans fimumque comprehendens, et naribus admovens, exclamavit: Cernite, inquiens, o socii, moneo quam cavete. Nam hoc stercus non onagri est, vel cujuscunque animantis herbidis assueti pastibus, enimvero equina esse hæc egesta constat: quæ certum est fuisse hordeum, et ob hoc equorum vel mulorum pabula; ideoque cautius vigilate, nam in superioribus fluminis hujus, ut cerno, nobis parantur insidiæ. Extemplo duos suorum conscensis equis speculatum dirigunt. Qui, nostris visis, quod verum erat, Abaiduno renuntiant. At illi timore coacti, omnibus, quæ castrensis habitatio habuit, posthabitis atque dimissis, fugæ se commiserunt: omniumque relictorum nostri potiti, in illorum papilionibus illa sunt nocte hospitati. Sed Abaidun collecta multa manu hostium, eis in crastinum præliaturus occurrit. Nostri tamen divino freti auxilio, licet impares multoque numero inferiores, tamen hostes fugere compulerunt, multaque eorum strage viam fugientium impleverunt. Et eo usque manus ab eorum cæde non continuerunt, donec solis dieique lumine recedente, et umbra noctis terram occupante, lumina stellarum noctem solatura succederent. His gestis, Christo favente, ad suos sese magno cum gaudio et opibus collegerunt. Diu etiam simul obsessa urbe domum repedarunt.

Porro anno huic proximo (808) Ludovicus rex per semetipsum Tortosam repetere statuit, habens secum Heribertum, Liutardum, Isembardum, validumque Franciæ supplementum. Quo perveniens, adeo illam arietibus, mangonibus, vineis et cæteris instrumentis lacessivit et protrivit muralibus, ut cives illius a spe deciderent, infractosque suos adverso marte cernentes, claves civitatis traderent. Quas ille rediens cum multo favore patri retulit. Quæ res magnum Saracenis et Mauris pro talibus gestis incussit metum, verentibus ne singulas civitates par sors involveret. Reversus est igitur rex a civitate post quadraginta dies inchoatæ obsidionis, et in proprium se contulit regnum. At post anni instantis excursum (809), exercitum ordinavit, et Oscam cum misso patris Heriberto mittere statuit. Quo pervenientes qui missi fuerant, civitatem obsederunt, obvios quosque aut vivos comprehenderunt, aut in fugam coactos compulerunt. Sed dum circa urbem sedentes, ignaviori se quam decuit studio resolvunt, imprudentes ac leves aliqui juvenum propius muros

A accedentes, verbis quidem eos qui propugnaculis præsidebant, primum lacessere, deinde missilibus incessere tentant. Oppidani porro contemnentes præsentium paucitatem, absentium metientes seram occursionem, apertis portis prosiliunt. Pugnatum hinc inde est: cæsi sunt ab utraque parte, et tandem illi sese in civitatem receperunt, isti autem ad castra mansuri redierunt. Protracta igitur obsidione, peracta vastatione, et quæcunque visa sunt contra inimicos agenda pro iræ satisfactione, ad regem sunt reversi, qui eo tempore in silvis venationum occupabatur studiis. Erat enim tempus autumni perextremum. Receptis ergo suis ab expeditione præmissa redeuntibus, rex hiemem sequentem, in suis consistens, pacifice exegit. At succedente æstate (810), B accito populi sui generali conventu, retulit eis sibi delatum rumorem, quod quædam Vasconum pars jam pridem in deditionem suscepta, nunc defectionem meditata, in rebellionem assurgeret, ad quorum reprimendam pervicaciam ire publica utilitas postularet. Hanc regis voluntatem omnes laudibus prosequuntur: nec talia in subditis contemnenda, sed potius severissime resecanda testantur. Moto igitur et disposito prout oportuit exercitu, Aquas villam pervenit, et ut ad se venirent, qui infidelitatis insimulabantur, jussit. Sed illis venire detractantibus, ad eorum vicinia devenit, cunctaque eorum depopulari manu militari permisit. Ad ultimum cunctis quæ ad eos pertinere videbantur consumptis, ipsi supplices venerunt, et tandem veniam perditis C omnibus magno pro munere meruerunt. Superato autem pene difficili Pyrenæarum transitu Alpium, Pampalonam descendit: et in illis quam diu visum est moratus locis, ea quæ utilitati tam publicæ quam privatæ conducerent ordinavit. Sed cum per ejusdem montis remeandum foret angustias, Vascones nativum assuetumque fallendi morem exercere conati, mox sunt prudenti astutia deprehensi, consilio cauti atque cautela vitati. Uno enim eorum, qui ad provocandum processerat, comprehenso atque appenso, reliquis pene omnibus uxores aut filii sunt erepti, usquequo eo nostri pervenirent quo fraus illorum nullam regi vel exercitui posset inferre jacturam.

D His gestis, in propria rex populusque ejus Deo propitio concessit (811). Et regis quidem ab ineunte ætate, sed tunc quam maxime, circa divinum cultum et sanctæ Ecclesiæ exaltationem piissimus incitabatur animus; ita ut non modo regem, sed ipsius opera potius eum vociferarentur sacerdotem. Nam totius Aquitaniæ qui videbatur clerus, antequam ei crederetur, ut pote sub tyrannis agens, magis equitationi, bellicæ exercitationi, missilium librationi, quam divino cultui operam dare noverat. Regis autem studio undecunque adductis magistris, tam legendi quam cantandi studium, nec non divinarum et mundanarum intelligentia litterarum, citius quam credi poterat coaluit. Præcipue tamen affectu illorum ducebatur, qui cuncta sua pro Domini amore

relinquentes, speculativæ vitæ curabant fieri participes. Nam antequam Aquitania sub eo regeretur, collapsus erat in ea hujuscemodi ordo; at sub eo adeo convaluit, ut etiam ipse fraternum avi Carlomanni imitari gestiens memorabile exemplum, ipse quoque theoricæ vitæ culmina niteretur comprehendere. Sed hujus voti ne compos fieret, obicem se præbuit refragatio patris, vel potius divinæ voluntatis nutus, qui tantæ pietatis virum noluit sub cura suæ solius salutis delitescere : sed potius per eum, et sub eo, multorum salutem adolescere. Et quidem multa, ut dictum est, ab eo sunt in ejus ditione reparata, imo a fundamentis ædificata monasteria, sed præcipue hæc : monasterium sanctæ Mariæ et sancti Petri de Ferrariis, quod antiquitus Bethlehem vocabatur, in cujus curia pater ejus Pippinus occidit leonem, et ipsemet a Stephano papa Romano in regem honorifice consecratus est in eadem ecclesia ; monasterium sancti Filiberti, monasterium sancti Florentii, monasterium Carroffi, monasterium Concas, monasterium sancti Maxentii, monasterium Menatæ, monasterium Magniloci, monasterium Musciacum, monasterium sancti Savini, monasterium Masciacum, monasterium Noviliacum, monasterium sancti Theotfridi, monasterium sancti Pasceutii, monasterium Dosora, monasterium Sollemniacum, monasterium puellare sanctæ Mariæ, monasterium puellare sanctæ Radegundis, monasterium de Vera, monasterium de Utera in pago Tolosano, monasterium Valada in Septimania, monasterium Anianæ, monasterium Galunæ, monasterium sancti Laurentii, monasterium sanctæ Mariæ quod dicitur in Rubine [Orubione], monasterium Caunas, et cætera plurima, quibus veluti quibusdam lychnis totum decoratur Aquitaniæ regnum. Hoc ejus exemplum non modo episcopi multi, sed et laici quamplurimi æmulati, collapsa restaurabant, et nova monasteria certabant instituere; quod cernere oculis est. In tantam denique felicitatem respublica Aquitanici regni profecerat, ut proficiscente quolibet rege, vel in palatio residente, vix aliquis reperiretur se conquerens aliquid a jure perpessum. Tribus enim diebus rex per singulas hebdomadas rei judiciariæ intererat. Nam quadam tempestate misso Archambaldo Commentariensi Imperii, dum ei quædam ferenda filio referendaque commisisset, et ille ordinationem hanc, ut viderat, rediens patri retulisset, adeo exsultasse dicitur, ut præ nimia alacritate lacrymis fluxerit, et circumstantibus, *O*, inquit, *socii, victos nos gratulemur ab hujus juvenis senili sagacitate.* Unde quia servus fuit Domini fidelis in commisso, prudens in augmentando sibi tradito talento, constitutus est potestatem habens in cuncta patrisfamilias domo.

Per idem autem tempus (813) mortuo jam pridem Pippino Italiæ rege, nuperrime autem Carolo itidem fratre res humanas relinquente, spes universitatis potiundæ in eum assurgebat. Misso enim pro quibusdam necessariis patrem consulendis Gerrico Capis prælato, cum in palatio moraretur, præstolans perlatorum responsum, monitus est tam a Francis quam a Germanis ut ad patrem rex veniret, eique propter assisteret : videri sibi, dicentes, quod cum pater jam in senilem vergeret ætatem, et acerbe ferret liberorum infortunatam defectionem, citam illius hæc portenderent corpoream solutionem. Quod Gerricus cum regi, rex vero consiliariis retulisset, quibusdam vel pene omnibus visum est salubre suggestum. Sed rex altiori consilio, ne forte per hoc se patri suspectum redderet, agere distulit. Hæc tamen Divinitas, pro cujus timore et amore facere noluit, ut sibi moris est amatores sui sublimius quam cogitari potest nobilitare, prudentius ordinavit. Pacem porro petentibus his, quos bello fatigare solitus erat, rex articulo duorum annorum præstituto, libenter indulsit. Interea imperator Carolus considerans suum [se] in senectutem adclinem devexum, et verens ne forte subtractus rebus humanis, confusum relinqueret regnum, quod erat donante Deo, nobiliter ordinatum : scilicet ne aut externis quateretur procellis, aut intestinis vexaretur scissionibus, misit ad filium, eumque ab Aquitania evocavit. Quem venientem clementer suscepit, tota æstate secum tenuit, de his quibus eum indigere putavit instruxit : qualiter videlicet sibi vivendum, regnandum, regnum ordinandum, et ordinatum tenendum foret, monuit, et tandem imperiali cum diademate coronavit, et rerum summam penes eum futuram esse Christo favente innotuit, et hoc peracto negotio reditum ad propria concessit. Qui mense Novembri a patre regrediens, Aquitaniam repetiit. Pater vero veluti morti propinquus, crebris et peregrinis incommodis urgeri cœpit. Nam mors veluti quibusdam nuntiis adventum suum jam jamque futurum, talibus prænuntiabat indiciis. Tandem itaque vitiis passionum inter se compugnantibus, et valentiam ejus impugnantibus, naturæ imbecillitas cessit, et lecto decubuit : et in dies atque in horas propinquior morti, prout voluit suis scripto distributis, diem ultimum clausit, Francorumque regno pene ineluctabilem luctum reliquit. At vero in ejus successore veridica probata est Scriptura, quæ in talibus tribulantium consolans animos dicit : *Mortuus est vir justus, et quasi non est mortuus, similem enim sibi reliquit filium hæredem.* Obiit autem quinto Kalendas Februarias idem piissimus imperator Carolus, anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo decimo quarto. Quo in tempore Ludovicus imperator concilium populo generale quasi quodam indixerat præsagio, in Purificatione sanctæ Dei genetricis Mariæ, in loco cujus vocabulum est Teholuados.

Defuncto autem patre piæ recordationis, missus est Rampo ad eum ab eis qui sepulturam ejus curarunt, liberis scilicet et proceribus palatinis, ut et mortem ejus mature cognosceret, adventumque suum nullo modo comperendinaret. Qui cum Aurelianam devenisset ad urbem, Theodulfus ejusdem urbis episcopus, vir undecunque doctissimus, cau-

sam ejus adventus præsensit : et velocissime misso perlatore imperatori innotescere studuit, hoc tantummodo ei suggerendum jubens, utrum præstolaretur venientem in urbem, an itinere aliquo ei occurreret venturo ad urbem. Quam causam ille protinus commentatus agnovit, et ipsum venire ad se jussit. Inde alium atque alium hujusce rei tristes suscipiens nuntios, post quintum diem ab eodem loco pedem movit, et cum tanto, quantum passa est angustia temporis, populo iter arripuit. Timebatur enim quam maxime Wala, summi apud Carolum imperatorem habitus loci, ne forte aliquid sinistri contra imperatorem moliretur. Qui tamen citissime ad eum venit, et humillima subjectione se ejus nutui, secundum consuetudinem Francorum, commendans subdidit. Post cujus ad imperatorem adventum, æmulati eum omnes Francorum proceres, certatim gregatimque ei obviam ire certabant. Tandemque ad Haristallium prospero itinere pervenit, et die tricesimo postquam ab Aquitania promovit, palatio Aquisgrani pedem feliciter intulit. Moverat autem ejus animum jamdudum, quanquam natura mitissimum, illud quod a sororibus illius in contubernio exercebatur paterno : quo solo domus paterna inurebatur nævo. Cui incommodo mederi volens, simul et cavens, ne quod per Odilonem et Hiltrudem olim acciderat, reviviscerct scandalum, misit Walam et Warnarium, nec non et Lantbertum, sed et Ingobertum : qui Aquasgrani venientes talibus, ne accidere possent, cautela prospicerent, et quosdam stupri immanitate et superbiæ fastu reos majestatis caute ad adventum usque suum asservarent. Nam aliqui eorum cum supplices veniam inter iter agendum poposcissent, emeruerunt. Simul et præcipiens ut populus ibidem consistens absque metu semet ibidem opperiretur venturum. At vero Warnarius comes, inscio Wala et Ingoberto, accito nepote Lantberto, Hodoinum jam dicto obnoxium crimine, ad se venire mandavit quasi comprehendendum, et regiæ vindictæ objectandum. Cujus ille insidias, ut pote admordente acriter conscientia, monitus prævidit, et quia declinare detrectavit, et ipse experiri meruit, et ipsi Warnario ultimam cladem importavit. Nam ad eum, sicut ille mandaverat, veniens, et ipsum Warnarium confecit, et Lantbertum cruris læsione non parvo tempore debilem reddidit; et ad ultimum ipse confossus gladio, interiit. Quæ cum nuntiata imperatori fuissent, animum illius ad misericordiam exitium flexit amici, in tantum ut Tullius [illius] quidam talium, qui pene jam imperatoris clementia venia dignus videbatur, luminum amissione mulctaretur. Venit ergo imperator Aquasgrani palatium, et a propinquis atque multis Francorum millibus cum multo favore est receptus imperatorque secundo declaratus. Quibus expletis, studiosis sepulturæ paternæ gratias egit, ac propinquis luctus acerbitate confectis, consolationis congruæ contulit levamen. Sed et quod deerat inferiis genitoris, promptissime supplevit. Nam recitato paterno testamento, nihil relictum est paternorum bonorum, quin secundum ejus sectionem partiretur. Nihil enim ab eo intestatum est relictum. Sed quod ecclesiis metropolitanorum distribuendum censuit, subdivisit superscriptione nominum, quarum partes fuere viginti et una. Quod autem ornatui regio conducebat, posteriori reliquit ætati. Statuit etiam quid, secundum morem Christianorum, filiis filiorumque filiis et filiabus, nec non et servis ancillisque regalibus, sed et in commune omnibus pauperibus distribueretur. Quæ cuncta dominus imperator Ludovicus, ut scripta relegit, exsecutione operis complevit. His peractis, imperator omnem cœtum femineum, qui permaximus erat, palatio excludi judicavit, præter paucissimas, quas famulatui regali congruas existimavit. Sororum autem quæque in sua, quæ a patre acceperat, concessit. Quæ autem nec dum tale quid consecutæ erant, ab imperatore meruerunt, et ad imperata sese verterunt. Post hæc imperator legationes ad patrem destinatas, ad se autem venientes et susceptas diligenter audivit, dapsiliter curavit, sumptuose muneratas remisit. Inter quas vel præcipua fuit imperatoris Constantinopolitani, nomine Michaelis, cui dominus Carolus missos miserat Amalarium Treverorum episcopum, et Petrum Nonantulæ abbatem, pacis confirmandæ gratia. Qui revertentes missos supra dicti Michaelis secum adduxerunt Christophorum protospatharium, et Gregorium diaconem, ad imperatorem Carolum directos, super omnibus quæ scripta fuerant respondentes. Quos cum imperator remitteret, simul cum eis misit missos suos Leoni substituto imperatori, Nortbertum Regiensem episcopum, et Richoinum Pictavum comitem : petens amicitiarum societatem et renovationem antiquarum, simul et pacti confirmationem. Eodem anno generalem conventum Aquisgrani habuit, et per universas regni sui partes fideles ac creditarios a latere suo misit : qui æqui juris tenaces existentes perversa corrigerent, omnibusque jus congruum æquo libramine penderent. Bernardum etiam nepotem suum jamdudum regem Italiæ ad se evocatum, et obedienter parentem, amplis muneribus donatum, ad proprium regnum remisit. Beneventanorum itidem principem Grimoaldum non quidem venientem, sed missos suos mittentem, pacto et sacramentis constrinxit, ut singulis annis septem millia solidorum auri arcæ publicæ inferret. Eodem etiam anno duorum suorum filiorum, Lotharium in Bajoariam, Pippinum in Aquitaniam misit, tertium vero Ludovicum adhuc puerilibus consistentem in annis secum tenuit. Eodem etiam tempore Herioldus, ad quem summa regni Danorum pertinere videbatur, et qui pridem a filiis Godefridi regno pulsus fuerat, ad imperatorem Ludovicum confugium fecit, et juxta morem Francorum manibus illius se tradidit. Quem rex susceptum in Saxoniam ire jussit, et tempus quo ei auxilium ferre posset ad recuperationem sui principatus, ibidem operiri. Quo etiam tempore Saxonibus atque Fri-

sonibus jus paternæ hæreditatis, quod sub patre ob perfidiam legaliter perdiderant, imperatoria clementia restituit : quod alii liberalitati, alii improvidentiæ assignabant, eo quod hæ gentes naturali feritati assuefactæ, talibus habenis deberent coerceri, ne scilicet effrenes in perduellionis procacitatem ferrentur. Imperator autem eo sibi arctius eos vinciri ratus, quo eis beneficia largiretur, non est spe sua deceptus. Nam post hæc easdem gentes semper sibi devotissimas habuit.

Hoc anno (815) cursum vertente, perlatum est imperatori quod Romanorum aliqui potentes contra Leonem apostolicum pravas inierint conjurationes. Quos detractos atque convictos idem apostolicus supplicio addixerit capitali, lege Romanorum in id conspirante. Imperator autem audiens ægre hæc tulit, velut a primo orbis sacerdote tam severe animadversa. Ideoque Bernardum Italiæ regem illuc misit, ut ipse resciens quid verum quidve falsum de hac re rumor sparserit, per Geroldum sibi renuntiaret. Ipse autem Bernardus rex Romam venit, quæ visa sunt per missum supra dictum renuntiavit. Sed mox subsecuti missi ejusdem apostolici Leonis, Joannes episcopus Silvæ Candidæ, et Theodorus nomenclator, nec non Sergius dux, Leonem apostolicum criminibus objectis purgavere. Jusserat porro imperator ut Herioldo suppeditarentur Saxonici comites et Abotriti olim domino Carolo subjecti, quatenus regno proprio restitueretur, misso in hoc ipsum Baldrico legato. Qui cum Egidoram fluvium transissent, devenerunt in terram Nortmannorum, in locum cujus vocabulum est Sinlendi. Sed filiis Godefridi, licet magnis abundantibus copiis et navibus ducentis, nolentibus cominus venire et pugnæ se credere, ab invicem secessum est : direptis incensisque omnibus quæ occurrere potuerunt, insuper et obsidibus quadraginta ab eodem populo susceptis. His gestis ad imperatorem in locum qui dicitur Patrisbruna, redierunt; quo omnis populus ad ejus generalem conventum coierat. Quo in loco principes Sclavorum Orientalium omnes primoresque venerunt. Eodem anno Abulat Saracenorum rex triennem ab imperatore petiit pacem. Quæ quidem primum impetrata est, sed postea tanquam inutilis rejecta, et bellum Saracenis est indictum. Quo tempore Northertus episcopus et Ricoinus comes a Constantinopoli regressi sunt, fœderisque pactum inter ipsum et Francos detulere gratissimum. Eadem etiam tempestate Romani, cum Leo apostolicus gravaretur adverso incommodo, prædia omnia quæ illi domocultas appellant, et noviter ab eodem apostolico instituta erant, sed et ea quæ sibi contra jus quærebantur direpta, nullo judice exspectato, diripere et sibi conati sunt restituere. Quorum cœptis restitit Bernardus rex per Winigisum ducem Spoleti, certumque rerum nuntium de his omnibus direxit ad imperatorem.

Postquam imperator hiemis inclementiam serena valetudine et tranquillo successu transegit (816), succedente æstivi temporis gratissima blanditie, missi sunt ab eo qui dicuntur Orientales Franci, sed et Saxonici generis comites, contra Sorabos Sclavos, qui ab ejus imperio dicebantur defecisse. Quorum conatus quam brevissime ac facillime, Christo donante, compressus est. Sed et Vasconum citimi, qui Pyrenæi jugi propinqua loca incolunt, eodem tempore juxta genuinam consuetudinem levitatis, a nobis omnino desciverunt. Causa autem rebellionis fuit eo quod Siguvinum eorum comitem propter morum pravorum castigationem, quibus pene erat importabilis, ab eorum removit prælatione imperator. Qui tamen adeo sunt duabus expeditionibus edomiti, ut sero pœnituerit eos incœpti sui, deditionemque magno expeterent voto. Inter hæc domini Leonis Romani antistitis dormitio nuntiatur imperatori, quæ evenit octavo Kalendas Junii, anno vicesimo primo episcopatus sui : Stephanique diaconi in locum ejus subrogatio, qui post sui consecrationem ad dominum imperatorem venire non distulit. Vix enim duobus exactis mensibus, summa cum festinatione ei occurrere festinavit. Præmisit tamen legationem, quæ super ordinatione ejus imperatori satisfaceret. Imperator autem ejus adventu præcognito, Bernardo quidem nepoti eum comitari jussit. Sed et appropinquanti alios missos, qui eum cum debito honore perducerent, direxit. Ipse autem adventum ejus Rhemis sustinere statuit. Cui etiam obviam Hildebaldum archicapellanum sacri palatii, Theodulphum episcopum Aurelianensem, Joannem Arelatensem, aliorumque ministrorum Ecclesiæ copiam, procedere jussit, infulis indutos sacerdotalibus. Ad ultimum imperator milliario processit a monasterio sancti confessoris Remigii, et tanquam beati Petri vicarium honestissime suscepit, descendentem ex equo excepit, et ecclesiam intrantem manu propria sustentavit : præcinentibus pro tanta exsultatione variis Ecclesiæ ordinibus, *Te Deum laudamus*, et reliqua. Quo hymno finito, laudes imperatori debitas clerus Romanus conclamavit, quarum finem dominus apostolicus oratione complevit. His expletis, intra domus penetralia consessum est, expositisque causis sui adventus, et benedictione panis ac vini simul participata, imperator ad civitatem rediit, dominus apostolicus ibidem remansit. Sed in crastinum dominus imperator dominum apostolicum evocavit, convivio opulentissimo procuravit, donisque maximis honoravit. Similiterque die tertio a domino apostolico dominus invitatur imperator, et multis variisque est donatus muneribus. Et in crastinum, quæ fuit dies Dominica, imperator imperiali diademate coronatur, et benedictione inter missarum celebrationes insignitur. Et tandem his completis, dominus apostolicus, cunctis, quæ poposcerat, impetratis, Romam rediit. Imperator vero ad Compendium secessit, ibique missos Abdirahman filii Abulat regis suscepit et audivit. Moratus autem ibidem viginti vel eo amplius diebus, Aquisgrani hiematurus petiit.

(817.) Jusserat sane imperator missos Saracenorum regis, semet præcedere illuc venturum. Quo cum pervenissent, ferme tribus detenti sunt mensibus. Post hæc autem, cum eos jam tæderet adventus sui, permissu imperatoris redierunt. In eo etiam commorans palatio, ad se venientem missum suscepit Leonis Constantinopolitani imperatoris, nomine Nicephorum. Legatio autem, excepta amicitia et societate, erat de finibus Dalmatarum, Romanorum et Sclavorum. Et quia nec hi præsentes erant, nec Chadalo finium præfectus, neque sine illis hæc dirimi poterant, missus est in Dalmatiam ad hæc pacificanda et componenda Albigarius cum Chadalo earumdem finium principe. Ipso anno filii Godefridi quondam regis Nortmannorum, cum ab Herioldo premerentur, miserunt legatos petentes ab imperatore pacem. Quæ legatio tanquam inutilis et simulata ab eo rejecta est, auxiliumque Herioldo contra eos datum. Eo anno luna Nonis Februarii defecit hora noctis secunda. Cometarum sidus portentuosum apparuit in signo Sagittatoris. Stephanus papa tertio mense postquam e Francia Romam rediit, ultimum diem clausit, et Paschalis pro eo cathedram Romani pontificatus subiit. Qui post expletam consecrationem solemnem, legatos cum epistola apologetica et maximis muneribus imperatori misit: insinuans non se ambitione, nec voluntate, sed electione et populi acclamatione, huic succubuisse potius quam insiluisse dignitati. Hujus legationis bajulus fuit Theodorus nomenculator, qui negotio peracto, et petitis impetratis, super confirmatione scilicet pacti et amicitiæ more prædecessorum suorum, reversus est. Sub eodem anno, Quadragesimæ pene exacto tempore, ultimæ hebdomadis quinta feria, qua Dominicæ cœnæ celebratur memoria, dum peractis omnibus quæ tanti diei solemnitas exigebat, imperator ab ecclesia in regiam se recipere vellet, porticus lignea, per quam redeundum erat, carie senioque confecta et humectatione continua putrefacta, fatiscentibus inferioribus, sub imperatoris pedibus comitumque illius collapsa, magnum fragore sui omni palatio incussit metum, verentibus singulis ne ruinæ illius eventus imperatorem oppressisset. Sed a Deo, cui erat dilectus, a præsenti discrimine est protectus. Nam cum viginti vel eo amplius comitum cum eo ad terram usque deciderint, variasque incurrerint calamitates, ille nil tristioris incurrit jacturæ, præter imi pectoris locum, cui illisus est capulus ensis, ultimaque auris cutis paulùlum exspoliata; sed et crus illius juxta inguina cuidam ligno impactum, cui tamen citissime est subventum. Adhibito enim medicorum studio, quambrevi pristinæ saluti est restitutus. Viginti namque peractis diebus Noviomagum venatum petiit. Quo peracto negotio, imperator generalem habuit conventum Aquisgrani, in quo quantum fervoris circa divinum cultum in arca pectoris gestaret, toto adnisu declaravit. Congregatis enim episcopis nobilissimoque sanctæ Ecclesiæ clero, fecit componi ordinarique librum, canonicæ vitæ normam A gestantem, in quo totius illius ordinis perfectio continetur, sicut reclusus ipse fatetur. In quo etiam inseri jussit cibi potusque atque omnium necessariorum summam, ut omnes tam viri quam sanctimoniales, sub hoc ordine Christo servientes, nullis præpediti necessitatibus, libera servitute Domino omnium militare meminissent. Quem librum per omnes civitates et monasteria canonici ordinis sui imperii misit per manus missorum prudentium, qui illum in omnibus supra dictis locis transcribi facerent, debitaque atque conscripta exigerent stipendia ministrari. Quæ res magnum Ecclesiæ contribuit exsultationis tripudium, et piissimo imperatori debita cum laude immortale monumentum. Itidemque constituit idem Deo amabilis imperator Benedictum B abbatem, et cum eo, monachos strenuæ vitæ per omnia, qui per omnia monasteria monachorum euntes redeuntesque, uniformem traderent cunctis monasteriis, tam viris quam sanctimonialibus feminis, vivendi secundum Regulam sancti Benedicti incommutabilem morem. Considerans etiam idem piissimus imperator, non debere Christi ministros obnoxios esse humanæ servituti, sed et multorum avaritiam abuti ministerio ecclesiastico ad proprium quæstum, statuit ut quicunque ex servili conditione, conciliante scientia et morum probitate, ad ministerium altaris asciscerentur, primum manumittantur a propriis dominis, vel privatis, vel ecclesiasticis, et tunc demum gradibus altaris induantur. Volens etiam unamquamque ecclesiam habere proprios C sumptus, ne per ejuscemodi inopiam cultus divini negligerentur, inseruit prædicto edicto ut super singulas ecclesias mansus tribueretur unus compensatione legitima, et servo atque ancilla. Hæc erat sancti imperatoris exercitatio, hic quotidianus ludus, hæc palæstrica agonia, spectante Deo, quo ejus vita in sancta doctrina et operatione clarius eniteret, qui in pomparum sublimitate constitutus imitando Christum humilitate, altius eminebat. Denique tunc cœperunt deponi ab episcopis et clericis cingula balteis aureis et gemmeis cultris onerata, exquisitæque vestes, sed et calcaria talos onerantia relinqui. Monstro enim simile ducebatur, si ecclesiasticæ familiæ deputatus, conaretur aspirare ad sæcularis gloriæ ornamenta. At vero non tulit hanc sanctam D Deoque dignam imperatoris devotionem humani generis inimicus, undique se impetentem, et ab omnibus Ecclesiæ ordinibus sibimet bella indicentem: sed cœpit totis virium copiis se expugnantem oppugnare, et per membra sua, Christi fortissimum bellatorem vi et astu, quo potuit, lacessere. Nam his rite ordinatis, postquam imperator in eodem placito filium primogenitum Lotharium imperatorem appellari et esse voluit, et duorum filiorum suorum Pippinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bajoariam misit, ut scilicet sciret populus cujus deberet potestati parere: statim ei Abodritorum defectio nuntiatur, qui cum filiis Godefridi amicitias jungentes Saxoniam Transalbianam vexabant. Contra quos impe-

rator sufficientes copias dirigens, eorum motus Deo favente compressit. Ipse autem Vosagi lustra sectaturus, venatum petiit. Interea venatione ibidem juxta morem Francorum expleta, cum hiemem exacturus Aquisgrani reverteretur, nuntiatum est ei Bernardum nepotem suum Italiæ regem, cui ipse maxima, ut rex fieret, apud patrem causa fuerat, consiliis quorumdam pravorum hominum adeo dementatum, ut ab eo desciverit, omnesque civitates regni et principes Italiæ in hæc verba conjuraverint: sed et omnes aditus, quibus in Italiam intratur, positis obicibus et custodiis obserarint. Quod cum certis nuntiis referentibus, maximeque Rathaldo episcopo, et Suppone, certissime cognovisset, contractis undique copiis, tam ex Gallia quam ex Germania, cum maximo exercitus robore Cabillonum usque pervenit. At Bernardus, cum se cerneret viribus imparem et ad cœpta inefficacem, ut pote a quo plurimi suorum quotidie deficerent, desperatis rebus ad imperatorem venit, armisque depositis pedibus se ejus prostravit, confessus perperam se egisse. Cujus exemplum primores ejus sunt secuti, et armis depositis se ejus potestati et judicio subdiderunt. Sed et concinnationes, quomodo cœptam rebellionem, et quare inchoaverint, et ad quem finem inchoata perducere voluerint, quosve complices sibi allexerint, ad primam prodiderunt interrogationem. Fuerunt sane hujus conspirationis auctores: Eggiddeo, regalium primus amicorum; Reginherius, olim comes palatii imperatoris, filius Reginherii [*Ms.*, Meginherii] comitis; sed et Reginhardus, præpositus cameræ regalis. Erant autem hujus sceleris conscii quam plures clerici seu laici, inter quos aliquos episcopos hujus tempestatis procella involvit, Anselmum scilicet Medioianensem, Wulfoldum Cremonensem, sed et Theodulfum Aurelianensem (818). Postquam vero defectionis propalati sunt principes et custodiæ mancipati, Aquisgrani imperator, sicut decreverat, hiematum regreditur, ibique usque dum sacram Paschæ solemnitatem celebraret, remoratur. Post cujus festivitatis transactam celebritatem, Bernardum hactenus regem ejusque fautores in supra dicto scelere, cum lege judicioque Francorum deberent capitali invectione feriri, suppressa tristiori sententia, luminibus orbari consensit, licet multis obnitentibus et animadverti in eos tota severitate legali cupientibus. At vero licet imperator indulgentius ageret, ultio tamen eliminata ad effectum in aliquos est perducta. Etenim Bernardus et Reginherius dum impatientius oculorum amissionem et ablationem tulerunt, mortis acerbitatem sibi consciverunt. Episcopos porro hac constrictos immanitate, ab episcopis reliquis depositos, monasteriis mancipavit. Cæterorum autem nullum vel vita privari jussit, vel membrorum amputatione mulctari; sed secundum quod exigente culpa visum est, alios exsiliari, alios jussit attondi. Post quæ nuntiatur imperatori protervia inobedientium Brittonum, qui in tantam insolentiam eruperant ut unum suorum Marmonium [Marmanum] nomine

A regem appellare ausi sint, subjectionemque omnimodis recusarint. Ad quorum insolentiam ulciscendam imperator undequaque aggregata militari manu, fines Brittonum aggrediens, proficiscitur, habitoque Venedis generali conventu, provinciam ingreditur, et parvo tempore et labore cuncta populatur, donec interfecto Marcono [Marmonio *supra*], dum sarcinis castrensibus immeditatur, a quodam regiorum equorum custode, nomine Choslo, tota cum eo Britannia victa succubuit et manus dedit, ad quascunque conditiones imperator vellet, denuo servitura. Nam et obsides qui et quanti jussi sunt, dati atque suscepti, et omnis terra secundum suam voluntatem disposita est.

A quibus finibus Britanniæ ita pacatis imperator
B pedem retulit, et Andegavorum urbem repetiit. Ubi dum Hermengardis regina longo fatigaretur incommodo, duobus diebus post regressionem imperatoris supervixit, et tertio die obiit, quinto Nonas Octobris. Quo anno eclipsis contigit solis VIII Idus Julii. Curata autem reginæ sepultura, imperator per Rothomagum et Ambianorum urbem recto itinere se Aquisgrani ad hiberna contulit. Cui revertenti et Heristallium palatium intranti, occurrere missi Sigonis Beneventani ducis dona quam maxima deferentes, dominum suum a morte Grimoaldi prædecessoris sui purgantes. Præterea aliarum nationum missi aderant, Abodritorum videlicet, et Coduscanorum, et Timotianorum, qui Bulgarum societate
C relicta, nostris se nuper sociaverant. Sed et Liudeviti rectoris inferioris Pannoniæ missi ibidem aderant, accusantes Cadalum falso, ut post patuit, eo quod immanitas illius importabilis sibi foret. Quibus auditis, compositis ac dimissis, in eodem palatio imperator secundum suam dispositionem ad hiemandum se contulit.

(819.) Ubi cum moratur, exhibitus est ei Sclaomirus Abodritorum rex a ducibus Saxonum. Qui cum insimularetur defectionis, nec objectis obviare quivisset, exsilio est deportatus, regnumque ejus Ceadrago filio Trasconis traditum. Eodem itidem tempore quidam Wasco Lupus, Centulli cognomento, in rebellionem assurgens, Werimum [Werinum] Arvernorum comitem, et Berengarium Tolosanum
D prælio lacescivit. Ibidemque cum aliis plurimis fratrem quoque Germanum [Gersandum] amisit, et tunc quidem fugæ subsidio evasit. Post autem imperatori deductus, et causam dicere jussus, atque ratione victus, exsilio est damnatus. Qua hieme imperator in eodem palatio conventum publicum populi sui celebravit: et renuntiantes sibi missos de omni suo regno, quos pro statu sanctæ Ecclesiæ restaurando dejecto, vel confirmando stante miserat, audivit; et quidquid utile judicavit, sancta impellente devotione superaddidit, nihilque intactum reliquit, quidquid ad honorem sanctæ Dei Ecclesiæ proficere posse visum fuit. Interea capitula quædam legibus superaddidit, in quibus causæ forenses claudicare videbantur, quæ hactenus veluti perne-

cessaria servantur. Qua tempestate monitu suorum uxoriam copulam meditabatur inire. Timebatur enim a multis ne regni gubernacula vellet relinquere ; sed compellebatur. Tandemque eorum voluntati satisfaciens, et undequaque adductas procerum filias inspiciens, Judith filiam Welfonis nobilissimi comitis in matrimonium junxit. Æstate subsequente in Ingelenheim palatio populus ejus convenit ad eum. Ibidemque sui exercitus nuntios recepit, qui contra Liudeviti apertam perduellionem comprimendam missi fuerant. Sed idem negotium remansit pene infectum. At vero pro his typho arrogantiæ inflatus Liudevitus, quasdam conditiones imperatori per missos suos mandavit : quas si imperator impleret, ipse quoque ejus præceptis ut pridem pareret. Sed hæc tanquam inutilia ab eo spreta atque rejecta sunt. Liudevitus autem in sua perfidia remanere ratum ducens, ad perfidiam quoscunque poterat sibi sociabat. Post reversionem sane exercitus a Pannoniæ finibus, Liudevito in perfidia sua permanente, Cadolach [Cadolh] dux Forojuliensis in febrem incidit et diem ultimum clausit, ac Baldricus ejus loco successit. Qui cum primum in Provinciam venisset, et Carantanas ingrederetur partes, copias Liudeviti juxta Dragum fluvium cum paucis suorum fudit, et reliquos proturbans, omnes a suis finibus secedere compulit. Fugatus a Baldrico Liudevitus, Bornæ occurrit Dalmatiæ duci ad Calapium fluvium consistenti. Sed Borna Goduscanorum [Dunscanorum] perfidia, an timore desertus, incertum, suorum tamen jutus auxilio domestico, discrimen imminens tutus evasit, sed et desertores suos postea subegit. Interea Liudevitus sequenti hieme Dalmatiam iterum ingressus, cuncta populari nititur ; ferro quæ animata erant perimens, inanimata vero igni contradens. Cujus vi cum Borna obviare nequiret, astu viam nocendi quæsivit. Neque enim apertum ei bellum indixit, sed improvisis irruptionibus adeo et illum et exercitum ejus protrivit, ut puderet ac pœniteret eum talia molitum. Nam tribus millibus interfectis de illius exercitu, equisque ac varia sibi suppellectile plurima direpta, regione sua eum excedere compulit. Quæ cuncta imperator Aquis consistens lætus audivit. Interea Vascones nativa seditionis peste discordantes, a Pippino imperatoris filio ipso anno ita sunt edomiti, ut nullus eorum rebellare auderet. Pater enim eum ad hoc destinaverat. His peractis, imperator conventum dimisit. Venationi congruo tempore operam dedit in Arduenna, atque hiematurus ad palatium Aquense est reversus.

(820.) In eodem palatio hieme superveniente, imperator coadunari populi frequentiam fecit. Quo tempore Borna de infestatione Liudeviti conquestus, magnas adjutorii copias ab imperatore suscepit, quæ terram illius atterere possent. Quæ trina partitione divisæ, primo vere terram ditionis illius ferro et igne pene omnem vastaverunt, ipso Liudevito castelli cujusdam altitudine se protegente, et nec

A ad pugnam nec ad colloquium procedente. Quibus reversis domum Carniolenses et quidam Carantanorum, qui ad Liudevitum se contulerant, Baldrico duci nostro manus dederunt. In palatio quoque Bera comes Barcinonensis, cum impeteretur a quodam vocato Sanila, et infidelitatis argueretur, cum eodem secundum legem propriam, ut pote quia uterque Gothus erat, equestri prælio congressus est et victus. Sed cum lege in eum animadvertendum esset, ut capitali sententia tanquam reus majestatis feriretur, imperatoris tamen clementia vitæ reservatus est, et Rothomagum consistere jussus. Ipso tempore nuntiatum est naves piraticas tredecim a Nortmanniæ sedibus mare conscendisse, et prædatum nostros fines appellere. Contra quas imperatoris

B circumspectio custodiam fieri cum imperasset, a Flandrensi solo simul et ostio Sequanæ repulsæ, in Aquitaniam sese verterunt, et vastato vico cujus vocabulum Buin, multaque oneratæ præda reversæ sunt. Hoc anno (821) dominus imperator hiberna tempora Aquisgrani peregit. In eadem hieme mense Februario, Aquis conventus est celebratus, et tres cunei ad Liudeviti terram vastandam directi, irruptaque imaginaria pace, quæ cum Abulat rege Saracenorum pacta videbatur, bellum ei indictum est. In eodem anno Kalendis Maii conventum alterum habuit imperator Noviomagi, in quo regni partitionem, quam inter filios suos jamdudum fecerat, coram recitari fecit, et a cunctis proceribus qui tunc adfuere confirmari. Ibidem etiam missos Paschalis

C apostolici, Petrum Centumcellensem episcopum, et Leonem nomenclatorem suscepit, audivit, remisit. Atque inde digrediens Aquasgrani repetiit, et inde per Arduennam usque ad Rumerici montis altitudinem, Vosagique latissimam vastitatem, totum quod superfuit dimidium æstivi et autumni temporis transegit. Inter hæc Borna vita privato, successorem ei constituit imperator nepotem suum nomine Ladasdeum. Quo tempore nuntium suscepit mortis Leonis imperatoris Constantinopolitani, qui a domesticis suis et præcipue a Michaele interfectus est : qui etiam in loco ejus substitutus est, conspiratoribus suis et maxime prætorianis militibus ei annitentibus. Eodem anno medio Octobri conventus publicus in Theodonis villa celebratur. Ubi denique

D dominus imperator primogenito filio suo Lothario Ermengardam filiam Hugonis comitis uxorem cum solemni junxit apparatu. Ubi etiam adfuere legati papæ Romani, Theodorus primicerius, ac Florus, cum magnis variisque muneribus. Imperatoris porro clementia, cum in aliis rebus semper admirabilis claruit, in hoc conventu quammaxime, quanta in ejus esset pectore, manifestissime patuit. Nam revocatis omnibus qui contra vitam suam regnumque conjuraverant, non modo vitam membraque donavit, sed et possessiones, quibus legaliter fuerant privati, cum magno liberalitatis testimonio restituit. Adalhardum etiam abbatem quondam Corbeiæ monasterii, sed tunc in sancti Filiberti monasterio

consistentem, magisterio priori reddidit. Itidemque fratrem ejus Bernarium, a monasterio sancti Benedicti evocatum et reconciliatum, eidem cum fratre restituit loco. His completis cæterisque quæ utilitas poscebat explicitis, filium quidem Lotharium hiematum Wormatiam misit, ipse autem Aquasgrani reversus est.

Anno hunc sequenti (822) dominus imperator conventum generalem coire jussit in loco cujus vocabulum est Attiniacus. In quo convocatis ad concilium episcopis, abbatibus spiritualibusque viris, nec non et regni sui proceribus, primo quidem fratribus reconciliari studuit, quos invitos attonderi fecerat, deinde omnibus quibus aliquid læsuræ intulisse videbatur. Post hæc autem palam se errasse confessus, et imitatus Theodosii imperatoris exemplum, pœnitentiam spontaneam suscepit, tam de his quam quæ in Bernardum nepotem proprium gesserat : et corrigens si quid talium vel a se, vel a patre suo gestum reperire alicubi potuit, etiam plurimarum eleemosynarum elargitione, sed et servorum Christi orationum instantia, nec non propria satisfactione, adeo Divinitatem sibi placare curabat, quasi hæc quæ legaliter super unumquemque decucurrerant, sua gesta fuerint crudelitate. Exercitum sane eodem tempore misit de Italia contra Liudevitum in Pannoniam. Quo ille consistere non valens, propriam reliquit civitatem, et ad quemdam principem Dalmatiæ veniens, ab eo susceptus est intra civitatem. Qui tamen versa vice susceptorem suum dolo confecit, et civitatem suo dominatui subjecit. Et quanquam nostris nec pugnam intulerit, nec collocutus fuerit, tamen missis legatis et errasse se dixit, et ad dominum imperatorem venire promisit. Nuntiatum est eodem tempore imperatori, quod custodes limitis Hispanici Sicorim fluvium transierint, Hispaniæ interiora penetraverint, et cum magna præda prospere redierint, vastatis incensisque omnibus quæ obviam se præbuerunt. Nec non et hi qui fines tuebantur Britannicos, Britanniam ingressi vastarunt regionem tam ferro quam igne, propter cujusdam Britonis rebellionem, cujus nomen Wiomarchus fuit. Quibus peractis, prospere sunt regressi. Finito hoc placito, Lotharium filium suum dominus imperator in Italiam misit, et cum eo Walam affinem suum monachum, sed et Geruntium [Geruncum] ostiarium : quorum consilio res Italici regni componeret, erigeret, tueretur, tam publicas quam privatas. Pippinum autem filium cum in Aquitaniam mittere statuisset, prius illi conjugem filiam Theotberti comitis junxit : et sic demum ad memoratas partes regendas direxit. Quibus dispositis, juxta morem Francorum regum autumnale tempus venationibus insumpsit, hiemandique gratia trans Rhenum, locum cujus vocabulum est Franconoford, petivit. Ibique conventum jussit fieri circumjacentium nationum (823), omnium scilicet qui trans Rheni consistentes fluenta ditioni Francorum obediunt. Cum quibus de omnibus quæ utilitati conducere visa sunt, pertractans, singulorum rebus congrue prospiciebat. In eodem conventu Avarum legatio munera afferens adfuit. Missi Nortmannorum pacem renovantes et confirmantes non defuerunt. Quos auditos cum congrue remisisset, in eodem loco præparatis, ut dignum erat et tempori congruebat, novo opere ædificiis, hiemavit. In eadem villa, Franconoford scilicet, imperator hieme exacta, Maio mense conventum habuit Australium Francorum, Saxonum aliarumque gentium eis collimitantium. In quo duorum fratrum certamen, quod de regno magna altercatione inter se vertebant, congruo fine diremit. Erant autem Wilzi genere filii Liubi quondam regis. Nomina eorum fuere, Mileguastus et Celeadragus. Quorum pater Liubi dum Abodritis bellum indixisset, ab eis interemptus est, regnumque primogenito contraditum. At cum nimis segniorem se quam res posceret in regia administratione exhiberet, circa junioris honorem favor populi declinavit. In qua altercatione ante præsentiam imperatoris venientes, requisita atque reperta voluntate populi, junior quidem princeps declaratur : ambos tamen imperator muneribus amplis donatos, et sacramentis devinctos, et inter se et sibi dimisit amicos. Interea Lotharius filius domini imperatoris, cum, sicut supra dictum est, a patre in Italiam missus esset, et secundum virorum qui cum eo missi erant consilium opportunitates negotiorum ordinasset, et quibusdam perfectis, quibusdam adhuc infectis, de singulis respondere et ad patrem de reditu cogitaret : rogatu Paschalis papæ Romam, imminente sancta Paschæ solemnitate, adiit, atque ab eodem papa clarissima ambitione susceptus, ipso sancto die apud beatum Petrum diadema imperiale cum nomine Augusti suscepit. Post hæc cum Papiam venisset, aliquantisper necessitatibus semet impedientibus, ibidem moratus est, et sic ad patrem mense Junio pervenit, perfecta nuntians, de inchoatis interrogans. Ad supplenda autem quæ minus perfecta erant, missus est Adalhardus comes palatii, adhibito sibi socio Mauringo. Gundulfo porro Metensi episcopo eodem tempore defuncto, clerus omnis populusque ejusdem Ecclesiæ, veluti uno spiritu animati, Drogonem imperatoris fratrem sub canonico habitu nobilissime viventem, sibi poscunt dari sacerdotem ; mirumque in modum tam imperatoris quam procerum ejus, sed et totius populi consensus, quasi quodam coagulo in unum conjuravit, ut omnes id velle, nullus nolle reperiretur. Ideo imperator cum summo gaudio petitioni Ecclesiæ annuit, eisque quem petebant pontificem dedit. In eodem conventu mors nuntiatur Liudeviti tyranni, a quodam dolo interfecti. Imperator hoc placitum solvit, et alium conventum Compendio tempore autumnali indixit. Sub hoc etiam tempore perlatum est imperatori, Theodorum primicerium sanctæ Ecclesiæ Romanæ et Leonem nomenclatorem luminibus privatos, ac deinde decollatos in domo episcopali Lateranensi. Invidia porro interfectoribus innascebatur, eo quod diceretur ob fidelitatem Lotharii eos qui interfecti sunt ta-

lia fuisse perpessos. In qua re fama pontificis quoque lædebatur, dum ejus consensui totum ascriberetur. Imperator autem dum ad hanc rem enucleatissime investigandam, Adalungum abbatem monasterii sancti Vedasti, et Hunfridum comitem mittere curaret, Paschalis papæ missi supervenerunt, Joannes episcopus Silvæ Candidæ, et Benedictus archidiaconus sanctæ Ecclesiæ Romanæ, accusationi opponentes excusationem, et super ista imperatori examinationem offerentes. Quibus auditis, et cum congruo responso remissis, missos destinatos, ut jussum fuerat, Romam ire præcepit, investigaturos de dubiis veritatem. Ipse autem, prout visum est, singulis in locis moratus, constituto tempore, id est Kalendis Novembr. ad Compendium venit. In quo placito legati Romam missi redierunt, nuntiantes quod Paschalis papa ab interfectorum nece se cum plurimis episcoporum sacramento purgaverit, interfectores autem nequaquam exhibere potuerit: sed et eos qui interfecti sunt, meritis exigentibus talia perpessos asseveraverit. Simulque secum præsentabant missos ab apostolico directos, similia perferentes. Nomina legatorum sunt, Joannes episcopus Silvæ Candidæ, Sergius bibliothecarius, Quirinus subdiaconus, et Leo magister militum. Imperator ergo natura misericordissimus, occisorum vindictam ultro persequi non valens, quanquam multum volens, ab inquisitione hujuscemodi cessandum existimavit: et cum responsis congruis missos Romanos absolvit. Eodem tempore quædam prodigiosa signa apparentia animum imperatoris sollicitabant, præcipue terræmotus palatii Aquensis, et sonitus inauditi nocturno tempore, et puellæ cujusdam jejunia duodecim mensibus omni cibo penitus abstinentis, crebra et inusitata fulgura, lapidum cum grandine casus, pestilentia hominum et animalium. Propter quæ singula piissimus imperator crebro fieri jejunia, orationumque instantia, atque eleemosynarum largitionibus, Divinitatem per sacerdotum officium monebat placandam: certissime dicens, per hæc portendi magnam humano generi futuram cladem. Quo etiam anno, mense Junio, natus ei est filius ex Judith regina: quem tempore baptismi Carolum vocitare placuit. Eodem anno Eblus atque Asenarius comites, trans Pyrenæi montis altitudinem jussi sunt ire. Qui cum magnis copiis usque ad Pampilonam issent, et inde negotio peracto redirent, solitam loci perfidiam habitatorumque genuinam fraudem experti sunt. Circumventi enim ab incolis illius loci, omnibus amissis copiis, in inimicorum manus devenere. Qui Eblum quidem Cordubam regi Saracenorum miserunt; Asenario vero tanquam qui eos affinitate sanguinis tangeret, pepercere.

Interea cum Lotharius, ut prædictum est, a patre missus Romam venisset, libentissime ab Eugenio papa susceptus est (824). Cumque de his quæ accesserant quereretur, quare scilicet hi qui imperatori et Francis fideles fuerant iniqua nece perempti fuerint, et qui supervivercnt ludibrio reliquis forent et haberentur: quare etiam tantæ querelæ adversus Romanorum pontifices judicesque sonarent, repertum est quod quorumdam pontificum vel ignorantia vel desidia, sed et judicum cæca et inexplebili cupiditate, multorum prædia injuste fuerint confiscata. Ideoque reddendo quæ injuste erant sublata, Lotharius magnam populo Romano creavit lætitiam. Statutum est etiam juxta antiquum morem, ut ex latere imperatoris mitterentur, qui judiciariam exercentes potestatem, justitiam omni populo facerent, et tempore quo visum foret imperatori æqua lance penderent. Quæ cum rediens filius patri retulisset, tanquam amator æquitatis, et cultor veritatis, magno gaudio perfusus est, eo quod oppressis inique relevatio pietatis occurrerit.

Tempore subsequenti dominus imperator conventum a populo suo celebrari jussit tempore Maii mensis Aquisgrani (825). Quo consistenti legatio Bulgarum, qui diu in Bajoaria, secundum præceptum ejus, substiterant, ei adducta est audienda. Quæ maxime post pacis constitutionem de terminis fuit terrarum inter Bulgaros Francosque custodiendis. Adfuerunt etiam Britonum primores non pauci, subjectionem obedientiamque multis verbis prosequentes: inter quos et Winemarchus [*Supra* Wiomarchus], qui cæteris auctoritate præstare videbatur, quique insana temeritate atque stultissimis ausis in tantum processerat, ut etiam imperatorem propter suam insolentiam comprimendam, ad expeditionem in illas partes faciendam provocaverit. Is ergo cum diceret pœnitere se facti sui, et imperatoriæ fidei se commisisset, ab eo juxta morem suum, qua clementia semper uti consuevit, misericorditer susceptus, et cum cæteris civibus muneribus donatus, atque ad nativum solum est permissus redire. Qui tamen postea consuetæ perfidiæ non immemor, dum cunctorum quæ promiserat et quæ expertus fuerat, bonorum oblitus, vicinos suos domini imperatoris fideles incursare atque assiduis malis lacessere non obmitteret, ad id pervenit, ut oppressus a Lantberti hominibus, in propria domo cum omnium malorum fine terminum vitæ sortiretur. Dimissis ergo tam Bulgarorum missis quam Britannis, imperator exercitio venandi se commisit Vosagi secretis: iterum id agendum credens, usque quo mense Augusto juxta condictum generalem populis Aquasgrani reversus est. Quo tempore pacem quæ a Nortmannis petebatur, mense Octobri jussit confirmari; factisque omnibus quæ in eodem placito et peragi et definiri visa sunt, ipse quidem cum filio Lothario Noviomagum concessit, minore Ludovico in Bajoariam dimisso: factaque autumni temporis venatione in Aquense palatium rediit. Ab hoc conventu regredientibus Bulgarorum missis, litterasque imperatoris deferentibus, rex eorum minus grate quæ scripta sunt tulit, eo quod petita non impetrarit. Cum quadam ergo stomachatione eumdem nuntium remittens, mandavit ut aut communis finium terminus statueretur, aut quacunque poterat virtute tueretur

limites suorum finium. Sed cum fama rumorem sparsisset, regem talia mandantem regno caruisse, imperator tandiu legatum tenuit, quousque misso Bertrico comite palatii, falsa esse quæ jactabantur comperisset. Rescita autem veritate, missum infecto negotio remisit.

Ipso anno (826), Kalendis Februarii, Pippinus filius imperatoris ad patrem Aquis hiemantem pervenit. Cui ab imperatore cura commendata, ut paratus esset, si quid ex partibus Hispaniæ novi oriretur, qualiter obviare posset, regressus est. Imperator vero Kalendis Junii mensis ad Ingelheim venit, ibidemque illi conventus populi sui, secundum quod præceperat, occurrit. In eodem placito secundum morem suum multa quæ Ecclesiæ essent utilia admonuit, statuit ac definivit, legationesque tam a sancta sede Romana, quam a monte Oliveti, per Dominicum abbatem perlatas suscepit, audivit, absolvit. Nec non duos duces, Ceadragum Abodritorum, et Tunglonem Soraborum, cum accusarentur, et probatio satis clara emineret, castigatos ad propria remisit. Nec non Herioldus a Nortmanniæ partibus cum uxore veniens, Danorumque non parva manu, Magontiaci apud sanctum Albanum, cum suis omnibus, sacri baptismatis unda est perfusus, plurimisque muneribus ab imperatore donatus. Verens autem piissimus imperator ne ob tale factum negaretur ei habitatio soli naturalis, dedit ei quemdam comitatum in Frisia, cujus vocabulum est Riustri : quo se suosque, si necessitas exigeret, tuto recipere posset. Interea cum Baldricus et Geraldus, cæterique Pannoniarum custodes finium adessent, adduxit Baldricus domino imperatori presbyterum quemdam nomine Gregorium, bonæ vitæ hominem, qui diceret organum more Græcorum posse componere. Quem imperator gratanter suscepit : et quia Deus illi quæ ante se inusitata erant in regno Francorum attribuebat, gratiarum actiones reddidit, ac Tanculfo sacrorum scriniorum prælato commendavit, publicisque stipendiis curare jussit et ea quæ huic operi necessaria forent præparare mandavit. Ipso interea anno medio Octobri cœtum populi Germanicum coire jussit trans Rhenum, in villa cujus vocabulum est Salz. In qua consistenti, perfidia atque defectio Aizonis nuntiata est, qui de palatio domini imperatoris fugiens, ad civitatem Ausonam venit, ibique receptus, Rodam subvertit; sed et resistere nitentibus non parum incommoditatis intulit. Castella quæ irrumpere potuit custodibus impositis fortiter communivit. Sed et misso fratre suo ad regem Saracenorum Abdiraman nomine, validum contra nos exercitus robur accepit. Quæ quidem imperatoris animum commoverunt. Nil tamen propere gerendum ratus, consiliariorum suorum sententiam, quid tali facto opus esset, statuit operiri. Per idem tempus Hilduinus abbas monasterii beati Dionysii Romam monachos petitionis suæ bajulos ad Eugenium sanctæ Romanæ sedis præsulem misit, flagitans ossa beati Sebastiani martyris sibi transmitti. Hujus desiderio dominus apostolicus satisfaciens, per prædictos missos sacratissimi militis Christi exuvias misit. Quæ religiosissime a prædicto viro susceptæ, atque interim cum loculo vectatorio, ut allatæ sunt, juxta corpus beati Medardi positæ. Quibus ibi consistentibus, tantam Deus per præsentiam adventus eorum mortalibus attribuit virtutum copiam, ut multitudo numerum excedat. Porro qualitas fidem superet, nisi eis auribus credatur quibus persuasum est nihil repugnare divinæ jussioni, sed et omnia possibilia esse credenti.

Præterea Aizone infestante eos qui in nostris finibus consistebant, et præcipue Ceritaniam Vallensemque regionem usquequaque vastante eo usque immanitas illius processit, annitentibus Maurorum et Saracenorum auxiliis, ut aliqui nostrorum castella et municipia quæ hactenus tenuerant relinquere cogerentur, plurimique etiam a nobis deficerent, et eorum se societati conferrent (827). Inter quos Willemundus Beræ filius, eorum perduellioni cum plurimis fœderatorum se junxit. Ad quos motus comprimendos, nostrosque roborandos, dum imperator exercitum illuc mittendum ordinat, præmisit Elisachar abbatem, et Hildebrandum comitem, nec non et Donatum. Qui præcedentes, junctis sibi Gothorum Hispanorumque copiis, illorum protervia pertinaciter restiterunt, Bernardo quammaxime Barcinonæ comite conatus eorum in irritum deducente. Quod cernens Aizo, exercitum a Saracenis petitum abiit prætorianum. Quem impetratum cum duce suo Abumarum [ Amaruan ] Cæsaraugustam et inde usque ad Barcinonam perduxit. Porro imperator Pippinum filium suum Aquitaniæ regem contra eos misit, simulque missos ex latere suo Hugonem et Matfridum comites. Quibus meticulosius quam decuit occurrentibus, tandiu moræ innexæ sunt moris, quousque illi vastata Barcinonæ atque Gerundæ regione, Cæsaraugustam sese receperunt. Præcesserunt sane hanc cladem terribiles illæ sub tempore nocturno acies, humano sanguine rutilantes, ignisque pallore flagrantes. Imperator porro venationi [Imperator porro Compendio annua suscipiens dona, his compertis, ad supra dictam marcam tuendam auxilia destinavit, et usque ad hiberna tempora venationi, etc.] in saltibus Compendio et Carisiaco contiguis instituit. Eodem anno mense Augusto Eugenius papa diem ultimum clausit. Valentinus diaconus loco ejus successit. Quo vix uno mense superstite, loco illius Gregorius presbyter tituli sancti Marci electus est, dilata consecratione ejus usque ad consultum imperatoris. Quo annuente, et electionem cleri et populi probante, ordinatus est in loco prioris. Legati imperatoris Michaelis eodem anno mense Septembrio Compendium venerunt, munera attulerunt : nobiliter suscepti, opulentissime curati, liberaliter munerati, et prospere sunt regressi. Ipso anno Heinardus [Eginhardus], virorum sui temporis prudentissimus, sanctæ devotionis ardore incitatus, Romam misit, et corpora sanctorum Marcellini et

Petri, annuente papa, in Franciam fecit transvehi, et valde decenter in proprio territorio propriisque sumptibus recondidit. Quorum meritis hactenus ibi multa virtutum miracula operatur Dominus.

Mense Februario sequentis hiemis (828) conventus habitus publicus Aquisgrani, ubi cum in aliis, tum maxime fervebat res in marca Hispanica nuper damnose ignominioseque peracta. Qua ventilata et enucleatissime investigata, hi reperti sunt hujus culpæ auctores qui ab imperatore præfecti sunt duces. Hos ergo solummodo honoribus ademptis luere jussit imperator culpam hujus ignaviæ. Itidemque Baldrico duci Forojuliensi dum objiceretur et probatum esset ejus ignavia et incuria vastatam a Bulgaris nostram regionem, pulsus est ducatu, et inter quatuor comites ejusdem potestas divisa. Equidem imperatoris animus natura misericordissimus semper peccantibus misericordiam prærogare studuit. At vero ii quibus talia præstita sunt, quomodo clementia illius abusi sunt in crudelitatem, post pauca patebit, cum claruerit quomodo pro vitæ beneficio, summam ei, quantum in se fuit, importaverint cladem. Ipso tempore Halitcarius Cameracensis episcopus, et Auffridus [Ansfridus] Nonantulæ monasterii abbas, a transmarinis partibus redeuntes, humanissime se susceptos a Michael retulerunt. Imperator sane æstate sequenti in Ingelheim conventum publicum habuit. Ibique missos papæ Romani, Quirinum primicerium, et Theophylactum nomenclatorem, cum magnis muneribus venientes, et suscepit et remisit. Et cum in Theonis villam devenisset, famaque venturos in nostros fines Saracenos pervulgasset, misit filium Lotharium ad eamdem Marcam, adjunctis illi Francorum validis multisque copiis. Qui cum præceptis paternis parens Lugdunum devenisset, et nuntium præstolaretur partium Hispanicarum, Pippinus ejus frater collocuturus advenit. Ibidemque illis morantibus, missus rediit, dicens: movisse quidem Saracenos Maurosque exercitum quam maximum, sed pedem continuisse, nec illo tempore longius in nostros fines processuros. Quibus auditis, Pippinus in Aquitaniam, Lotharius autem ad patrem prospere rediit. Interea filii Godefridi Danorum quondam regis, Herioldum regno expulerant. Sed cum imperator et Herioldum juvare vellet, et cum filiis Godefridi fœdus pacis inisset, missis in hos ipsum cum ipso Herioldo comitibus Saxonicis, præcepit ut agerent cum prædictis, quatenus eum in societatem, ut pridem habuerant, susciperent. Herioldus autem harum morarum impatiens, insciis nostris, aliquas villarum illorum igne injecto concremavit, prædamque abduxit. At illi putantes hæc voluntate nostrorum gesta, improvisis et nihil tale suspicantibus nostris superveniunt, transitoque Egidora flumine, castris pellunt, in fugam compellunt, potitique omnium in castra propria se recipiunt. Sed his gestis, cognoscentes rei veritatem, et verentes debitam ultionem, mittentes ad eos quibus talia intulerant primum, deinde ad imperatorem, professi sunt errorem. Dehinc obtulerunt congruam vindictæ satisfactionem: modum autem satisfactionis conferentes in imperatoris voluntatem, dummodo firmitas pacis inconvulsa maneret. Quibus imperator pro voto et petitione annuit. Bonifacius comes ab imperatore Corsicæ præfectus insulæ, cum fratre Beraldo aliisque adjunctis sibi conscensa parva classe, dum piratas pervagando maria requirit et non invenit, Sardorum amicorum sibi insulam appulit: indeque alios gnaros marini itineris sibi assumens, in Africam profectus est, et transvectus inter Uticam et Carthaginem. Contra quem multitudo Afrorum conveniens, quinquies conflixit, inter quos et quosdam contigit oppetere nostrorum, quos aut multa alacritas, aut inconsulta levitas ad nimis audendum impulit. Bonifacius tamen sociis receptis ad naves se collegit, patriam repetivit, inexpletumque atque inauditum metum prius Afris reliquit. Hoc anno bis deliquium lunæ contigit in Kalendis Julii, et nocte Natalis Domini. Sed et annona quædam imperatori delata est a regione Wasconiæ, brevior frumento, nec tamen teres ut pisa, quam dixerunt descendisse de cœlo. Hiberna Dominus imperator Aquis exegit.

Hieme transacta cum Quadragesimæ sacrati dies celebrarentur, et instaret Paschæ veneranda solemnitas (829), intempesta nocte terræmotus adeo validus exstitit, ut ædificiis cunctis ruinam minaretur. Porro venti violentia subsecuta, non modo minora, sed etiam ipsum palatium Aquense, vehementia sui ita agitavit, ut etiam laterculis plumbeis, quibus tecta erat basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ, maxima ex parte detegeret. Moratus est in eo palatio plurimis cogentibus necessitatibus, et publicis utilitatibus. Statuit Kalendis Julii indidem proficisci, et Wormatiam ad celebrandum generalem populi conventum properare. A qua dispositione cum mutare aliquantisper coegit rumor, qui sederat Nordmannos velle trangredi statuta pacti et proprios fines, et Transalbianam regionem populari. Sed his aliter se habentibus, imperator secundum dispositionem loci et temporis advenit, de his quæ visa sunt studiose tractavit, annua dona suscepit, filiumque suum Lotharium in Italiam dimisit. In eo etiam conventu, comperiens clandestinas circa se eorum quos vitæ reservaverat machinationes more cancri serpere, et multorum animos quasi per quosdam cuniculos sollicitare; statuit sibi contra eos quoddam propugnaculum erigere. Nam Bernardum eatenus Hispaniarum partium et limitum comitem, cameræ suæ præfecit. Quæ res non seminarium discordiæ exstinxit, sed potius augmentum creavit. Sed cum necdum ii qui tali peste tabescebant, vulnus suum detegere possent ut pote quibus nulla copia ad peragendum quæ concupierant suppeteret, in aliud tempus hæc differre statuerunt. Imperator autem his, ut opportunitas dictabat, explicitis, Rhenum transiit, Franconoford villam petiit, ibique

quandiu bonum visum est, et hieme propinquantia frigora siverunt, venationi indulsit : ac deinde circa missam sancti Martini, ad Aquasgrani se vertit, ibique et ipsam festivitatem, et sancti Andreæ, nec non Nativitatis Dominicæ, cum reliquis, ut decebat, peregit celebriter.

Circa tempus porro Quadragesimale, cum imperator loca mari circumjacentia peragraret, factionis iniquæ principes ultra ferre non valentes occultatum diu vulnus detegunt. Nam primum inter se primores fœdere quodam conjurant, deinde minores sibi aggregant. Quorum pars mutationis semper cupida, more canum aviumque rapacium, quæ alienum detrimentum suum quærunt fieri suppletionis augmentum. Freti ergo multitudine et assensu plurimorum, filium imperatoris Pippinum adeunt, prætendentes abjectionem sui, Bernardi insolentiam, et cæterorum despectionem : asserentes etiam eum, quod dictu nefas, thori paterni incestatorem : porro patrem a leo quibusdam præstigiis elusum, ut hæc non modo non vindicare, sed nec advertere posset. Oportere ergo, dicebant, bonum filium indigne ferre dedecus paternum, ablatisque e medio restituere patrem et menti et dignitati ; et hoc agentem non solum fama virtutis prosequeretur, sed etiam amplificatio regni terrestris, hoc nomine prætexentes culpam. His ergo incitamentis allectus juvenis, cum eis et multis copiis suorum per Aurelianensem urbem, sublato inde Odone, et restituto Matfrido, Werimbriam usque venerunt. At vero imperator ut eorum conspirationem contra se et uxorem Bernardumque obstinatissime comperit feraliter armatam, Bernardum quidem fugæ præsidio se committere permisit ; uxorem autem Lauduni esse, et in monasterio sanctæ Mariæ consistere voluit ; ipse autem Compendium petiit. Porro ii qui cum Pippino Werimbriam venerunt, misso Werino [*Infra*, Warino] et Lantberto, aliisque quam plurimis, Judith reginam ex civitate monasteriique basilica eductam, ad se perduci fecerunt. Quam usque adeo intentata per diversi generis pœnas morte adegere, ut promitteret se, si sibi copia daretur cum imperatore loquendi, persuasuram quatenus imperator, abjectis armis comisque recisis, monasterio sese conferret, se etiam imposito velo capiti itidem facturam. Quam rem quando plus cupiebant, tanto facilius crediderunt. Missis enim cum ea aliquibus suorum, ad imperatorem usque deduxerunt. Cui cum ille secretius secum loquendi licentiam præstitisset, permittente illo ut mortem evadere posset, ipsa velum sibi capiti superposuit : de attonsione porro sua imperator tempus deliberandi poposcit. Tanto enim imperator, aliis benigne semper vivens, injusto odio laborabat, ut tæderet eos vitæ ipsius, cujus beneficio nisi illi viverint, juste et legaliter vita caruissent. Redeunte ergo ad se regina, aliis quidem malis temperarunt, acclamationi autem vulgi consentientes, exsilio eam deportari et in monasterio sanctæ Radegundis retrudi jusserunt. Circa mensem Maium porro filius imperatoris Lotharius ex Italia venit, eumque in Compendio reperit. Ad quem venientem se contulit tota illa factio inimica imperatoris ; ipse tamen nihil tunc temporis patri intulisse visus est dedecoris, probavit autem quæ gesta erant. Denique Heribertus Bernardi frater, luminum amissione mulctatus est contra votum imperatoris, Odo consobrinus illius armis ablatis exsilio deportatus, tanquam eorum quæ Bernardo et reginæ acclamabantur conscii et fautores. In talibus ergo consistens, solo nomine imperator, æstatem transegit. Cum autem instaret autumnalis temperies, ii qui imperatori contraria sentiebant alicubi in Francia conventum generalem fieri volebant. Imperator autem clanculo obnitebatur, diffidens Francis, magisque se credens Germanis. Obtinuit tamen sententia imperatoris ut Niumagum populus conveniret. Verens porro ne multitudo contrariorum superaret paucitatem suorum fidelium, jussit ut unusquisque ad idem placitum veniens, simplici uteretur commeatu. Præcepit etiam comitem Lambertum finium sibi deputatorum custodiam habere. Helisachar abbatem justitias facturum eo quoque direxit. Tandem ergo Niumagum ventum est, omnisque Germania eo confluxit, imperatori auxilio futura. Imperator autem volens adhuc vires adversariorum attenuare, Hilduinum abbatem culpans, interrogavit cur, cum simpliciter venire jussus sit, hostiliter advenerit. Qui cum negare nequiret, continuo ex palatio exire jussus est : et cum paucissimis hominibus juxta Patrisbrunnam in expeditionali tabernaculo hiemare. Walach abbas jussus est ad monasterium redire Corbeiæ, ibique regulariter obversari. Hæc cum ii qui imperatori adversaturi convenerant, providerent, ad desperationem ultimam infracti viribus sese verterunt. Denique per totam noctem coeuntes, atque ad habitaculum Lotharii imperatoris filii convenientes, hortabantur aut bello confligendum, aut aliquo secedendum absque imperatoris voluntate. In qua deliberatione cum totam expendissent noctem, mane imperator filio mandat ne inimicis communibus credat, sed ad se tanquam ad patrem filius veniat. Quibus ille auditis, licet dehortantibus qui circa illum erant, ad patrem venit. A quo non est aspera increpatione invectus, sed modesta lenitate correctus. Ingresso autem illo intra penita regiæ domus, diaboli instigatione vulgus contra se cœpit furere, processissetque furor usque ad mutuam cædem, nisi imperatoria prudentia prospexisset. Dum enim illi inter se tumultuantes, pene in vesanum furorem ruerent, imperator ad cunctorum aspectum cum filio processit. Quo facto, omnis illa feralis commotio conquievit. Imperatoria enim oratione audita, omnis popularis tumultus facessit. Post hæc imperator omnes illorum hujus impiæ conspirationis principes sub privata custodia asservari præcepit. Quos postea ad judicium adductos, cum omnes juris censores filiique imperatoris judicio legali, tanquam reos majestatis, decernerent capitali sententia feriri, nullum ex eis permisit occidi : sed usus, ut multis visum

est, leniori quam debuit pietate, sibi tamen consueto benignitatis et clementiæ more, laicos quidem præcepit locis opportunis attonderi; clericos vero in convenientibus itidem monasteriis custodiri.

His peractis ad hiemandum imperator Aquasgrani secessit (831). Habuit autem per idem tempus secum semper Lotharium filium suum. Misit interea in Aquitaniam, conjugemque revocavit, fratresque illius Conradum et Rodulfum jamdudum attonsos. Quam tamen conjugis honore non est dignatus, donec se legali præscripto modo ab objectis purgaret. Quod postquam gestum est, in Purificatione sanctæ Mariæ, cunctis dijudicatis ad mortem vitam concessit. At Lotharium in Italiam, Pippinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bajoariam ire permisit: ipse vero Quadragesimale tempus Paschæque solemnitatem in eo loco celebravit. Paschalibus ergo peractis solemniis, ad Ingelheim imperator perrexit. Ipso denique tempore consuetæ misericordiæ non immemor, quæ, sicut de se ait Job, ab initiis crevit cum illo, et de utero matris videtur cum ipso egressa: eos, quos dudum exigentibus meritis per diversa loca deputaverat, evocatos, bonis propriis restituit, et si qui attonsi fuerant, utrum sic manere, an in habitum pristinum redire vellent, facultatem contribuit. Dehinc imperator in partes Rumerici montis per Vosagum transiit: ibique piscationi atque venationi, quandiu libuit, indulsit, et filium Lotharium in Italiam direxit. Porro autumni tempore in Theodonis villam convenire generaliter suum populum præcepit. In quo loco tres legati Saracenorum a transmarinis partibus venere (quorum duo Saraceni, unus fuit Christianus) afferentes grandia munera suæ patriæ, odorum scilicet diversa genera et pannorum. Qui pace petita et accepta, remissi sunt. Adfuit etiam Bernardus, qui modo prædicto, fugiendo se salvans, diu in finibus Hispaniæ exsulaverat. Is ergo imperatorem adiens, modum se purgandi ab eo quærebat, more Francis solito, scilicet crimen objicienti semet objicere volens, armisque impacta diluere. Sed cum accusator, licet quæsitus, deesset, cessantibus armis purgatio facta est juramentis. Præceperat porro imperator ut huic placito filius ejus Pippinus interesset. Sed ille conventui semet subtraxit, post placitum autem advenit. Imperator autem volens et hanc inobedientiam plurimamque in eo castigare morum insolentiam, secum eum morari jussit, et usque Natalem Domini secum Aquis tenuit. Sed ille ultra suum se velle teneri gravatus, fugam capessit, et inscio patre in Aquitaniam concessit. Imperator vero in hibernis ut cœperat, Aquisgrani permansit.

Hiemis sane rigore transacto, et vernali successu reducto, nuntiatum est imperatori quosdam motus excitatos in Bajoaria (832). Ad quorum compressionem festinus abiit, ad Ausburgum usque pervenit, insurgentia sedavit, continuo rediit, conventumque publicum Aurelianis fieri jussit, ibique sibi Pippinum occurrere mandavit, qui licet invitus occurrit.

A Sed considerans imperator quorumdam malorum hominum consilia, filii animum tam minis quam promissionibus ad deteriora festinantium pervertere: maximeque Bernardum verens, cujus consilio uti tunc dicebatur Pippinus (qui et ipse tunc in Aquitania morabatur), Ligeri transmeato, cum suo commeatu ad Jocundiacum palatium venit, in territorio Lemovico situm. Quo ventilata utriusque causa, Bernardus quidem cum insimularetur infidelitatis, nec tamen usque ad congressionem probator procedere vellet, honoribus privatus est. Pippinum vero ob pravorum morum corruptionem, sub custodia privata Treveros perduci jussit. Quo cum duceretur, et indulgentius haberetur, a suis custodiæ noctu subducitur, et usque ad imperatoris reditum ab

B Aquitania, quaquaversum valuit et voluit, pervagatur. Et tunc quidem imperator inter filios suos Lotharium atque Carolum quamdam divisionem regni constituit. Quæ tamen ingentibus impedimentis, quæ dicenda sunt, pro voto minime cessit. Eo porro tempore visum est imperatori ab Aquitania secedere, sed post paucum tempus idem ad missam sancti Martini populum convocavit, filiumque Pippinum fugientem ad se quoquo modo revocare voluit. Sed illo id refugiente, asperrima hiemis incubuit inclementia, primo quidem pluviarum plurimarum inundantia, deinde humectationem terræ glaciali rigore astringente, quæ adeo noxia fuit, ut subtritis pedibus equinis, rarus quisque foret qui vectione equorum uteretur. Fracto ergo exercitu

C multo laboris incommodo, et improvisos excursus Aquitanorum subinde et moleste ferente, statuit imperator ad villam cujus vocabulum est Restis venire, ibique Ligeris amne transmeato, in Franciam hiematum redire. Quod et fecit, licet minus honeste quam decuit.

(833.) Humano porro generi pacique contrarius diabolus, nequaquam ab infestatione imperatoris feriabatur, sed per satellitum suorum versutias filios sollicitabat, persuadens illis quod pater illos ultro perdere vellet: non considerantes quod qui mitior hominibus externis esset, immanis non poterat effici suis. Sed quia corrumpunt bonos mores colloquia mala, et lapidum etiam duritiam mollis aquæ guttula sæpius illisa terebrare solet, tandem ad id

D ventum est ut filios imperatoris in unum cum copiis quibus poterant coire facerent, Gregoriumque papam advocarent, sub ornatu quasi qui patri solus filios reconciliare deberet et posset: rei tamen veritas post claruit. Imperator porro e contrario mense Maio Wormatiam venit cum valida manu, ibique quid agendum sibi foret diu deliberavit. Missisque destinatis, Bernardo scilicet episcopo cum reliquis, filios hortabatur ad se veniendum et redeundum. Sed et papam Romanæ sedis conveniebat, ut si more prædecessorum suorum aderat, cur tantas necteret moras non sibi occurrendo. Cum vero rumor usquequaque diffusus sereret de cæteris quod verum erat, de papa vero Romano, quod ideo adesset ut

tam imperatorem quam episcopos excommunicationis vinculis irretire vellet, si qui inobedientes essent suæ filiorumque imperatoris voluntati : parum quid subripuit episcopis imperatoris præsumptio audaciæ, asserentibus nullo modo se velle ejus voluntati succumbere. Sed si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, cum aliter se habeat antiquorum canonum auctoritas. Tandem ergo conventum est festivitate sancti præcursoris Christi Joannis in locum qui, ab eo quod ibi gestum est, perpetua nominis ignominia notatus est, ut vocetur Campus-Mentitus. Quia enim ii qui fidem imperatori promittebant, mentiti sunt, locus in quo id contigit testis nequitiæ in suo nomine remansit. Cum autem haud procul inde aciebus ordinatis consisterent, jam jamque ruendum in arma putaretur, nuntiatum est imperatori advenire papam Romanorum. Quem venientem imperator in ipsa acie consistens suscepit, licet indecentius quam debuit; imputans ei quod ipse sibi talem susceptionem præparaverit, qui inusitato modo ad se venerit. Ductus autem papa in habitationem castrensem, multis assertionibus perdocuit, non se tantum iter ob aliud suscepisse, nisi quia dicebatur quod inexorabili discordia contra filios laboraret, ideoque pacem in utramque partem serere vellet. Audita vero parte imperatoris, mansit cum eo aliquot diebus. Remissus autem ab imperatore ad filios, ut pacem mutuam necteret : cum pene omnis populus partim donis abstractus, partim promissis illectus, partim minis territus, ad eos populumque cum eis consistentem more torrentis defflueret, nequaquam ut fuerat jussus, est permissus redire. Tot ergo copiis inibi adductis, et imperatori subductis, adeo defectio in dies invaluit, ut in festivitate sancti Pauli, plebeii contra imperatorem, adulando filiis ejus, irruptionem facere minarentur. Quibus viribus imperator obniti non valens, filiis mandavit ne se populari direptioni exponerent. Cui remandant ut castris relictis ad se veniat, se autem maturissime obviam ipsi processuros. Quibus altrinsecus sibimet occurrentibus, imperator filios admonuit, equis desilientes, et sibi occurrentes, ut promissionis suæ memores, tam sibi quam filio et uxori, illibata quæ olim promiserant conservarent. Quos congrue respondentes osculatus, et ad castra illorum est profectus. Quo pervenienti uxor subducitur, et ad Ludovici tabernacula convertitur. Ipsum vero Lotharius ad sua cum Carolo admodum puero deduxit, et cum paucissimis in papilione ad hoc deputato consistere fecit. Post hæc autem jam populo juramentis obstricto, imperium inter fratres terna sectione partitur. Uxor patris a Ludovico rege recepta, exsilio iterum deportatur in civitatem Italiæ Tartonam. Gregorius papa talia cernens, cum maximo mœrore Romam regreditur; et duorum fratrum Pippinus in Aquitaniam, Ludovicus in Bajoariam revertitur. Porro Lotharius patre assumpto, et seorsum cum deputatis equitante atque privatim manente, Merlegium villam devenit, ibique prout libuit commorans, et quæ visa sunt ordinans, ac populum absolvens, sed et conventum populo Compendii indicens, Vosagum per Mauri-Monasterium transiit, et Mediomatricum, quæ altero nomine Metis vocatur, pervenit. Qua relicta civitate, Viridunum appulit, et Suessionum urbem adiit. Ibique in monasterio sancti Medardi patrem sub arcta custodia esse præcepit : et Carolo Prumiæ commendato, nec tamen attonso, ipse venationi institit, donec autumni tempore, id est Kalendis Octobris, sicut erat constitutum, patrem secum ducens, Compendium venit.

Ibique consistenti legatio Constantinopolitani imperatoris, Marcus archiepiscopus Ephesi, et Protospatharius imperatoris, ad patrem missa, occurrit, munera sibi deputata obtulit, patri missa subtraxit. Quam ille, licet ad patrem missa, ad se tamen venientem suscepit, audivit tragœdiamque reportantem pene inauditam remisit. In eodem conventu cum multi insimularentur devotionis in patrem, defectionis in filium, quidam verbis simplicibus, quidam juramentis objecta diluerunt. Miseratio tamen hujuscemodi rei, et talis rerum permutatio, exceptis auctoribus, omnes habebat. Unde verentes sceleris conspiratores inauditi, ne versa vice retrolapsa ferrentur gesta quæ erant, callido, ut sibi visum est, cum aliquibus episcoporum utuntur argumento, ut pro his de quibus jam pœnitudinem gesserat imperator, iterum publica pœnitentia, armis depositis, irrevocabiliter quodammodo Ecclesiæ satisfacere judicaretur : cum ne forenses quidem leges contra unam culpam semel commissam bis invehant vindictam, et nostra lex habeat non judicare Deum bis in idipsum. Cui judicio pauci contradixere, plures assensum præbuere, maxima pars, ut assolet in talibus, ne primores offenderent, verbo tenus consensere. Adjudicatum ergo eum absentem, et inauditum, nec confitentem, neque convictum, ante corpus sancti Medardi confessoris, et sancti Sebastiani martyris, arma deponere, et ante altare ponere cogunt : pullaque indutum veste, adhibita magna custodia, sub tectum quoddam retrudunt. Expleto hoc negotio, missa sancti Martini, populus licentia accepta pro talibus gestis mœstus ad propria revertitur. Lotharius autem patrem suum ducens, Aquisgrani hiematum regreditur. Intra hujus hiemis durationem, gregatim populi tam Franciæ, quam Burgundiæ, nec non Aquitaniæ, sed et Germaniæ coeuntes, calamitosis querelis de imperatoris infortunio querebantur. Et quidem in Franciam Eggebardus comes, et Willelmus comes stabuli, quos poterant sibi in unione voluntatis restituendi imperatoris coadunabant. A Germania porro Hugo abbas in Aquitaniam missus a Ludovico, et ab eis qui illuc confugerant, a Drogone scilicet episcopo et reliquis, Pippinum in hoc ipsum instigabat. Porro Bernardus et Warinus in Burgundia consistentem populum suasionibus accendebant, promissionibus alliciebant, juramentis astringebant, et in unum velle fœderabant.

(834.) Hieme autem exacta, et vere jam roseam

faciem prætendente, Lotharius patre assumpto per pagum Hasbaniensem iter arripuit, et Parisiorum urbem petiit, ubi obviam sibi fore cunctos fideles præcepit. Cui Eggebardus comes et alii illius pagi proceres cum magna coacta manu, obviam pro liberatione imperatoris pugnaturi processerunt : pervenissetque res ad effectum, nisi piissimus imperator, cavens et multorum periculum simul et proprium, ab hoc incœpto præcepto et obtestatione eos inhibuisset. Tandem ergo perventum est ad monasterium sancti Dionysii martyris.

Pippinus vero ab Aquitania cum maxima manu exiens, et ad Sequanam usque veniens, cum pontes dissipati navesque alto demersæ transitum prohibuissent, substitit. Porro Warinus et Bernardus comites, plurimis sociorum ex Burgundiæ partibus coactis, et ad Matronam fluvium usque pervenerunt, et ibi partim asperitate et intemperie aeris retardati, partim pro colligendis sociis suspensi, in villa Bonogilo et iis prædiis quæ circumjacent aliquot diebus consedere. Instabat sane sanctæ Quadragesimæ tempus. Cujus hebdomada prima, feria quinta, missi sunt ab illis legati, Rebaldus abbas et Gautselmus comes, ad Lotharium filium imperatoris, postulantes ut eis absolutus custodiæ vinculis imperator redderetur. Quorum si pareret postulationi, ipsi quoque ei causa apud patrem salutis et honoris olim dispositi forent. Sin aliter, etiamsi necesse esset, cum sui periculo eum requisituri : et resistentibus sibi in hac re cum armis, Deo judice, essent obviaturi. Sane huic mandato respondit Lotharius, nullum plus se vel compati paternæ calamitati, vel congaudere prosperitati : nec debere sibi imputari culpam senioris sibi oblati, cum ipsi eum destituissent ac prodidissent, neque carceralis custodiæ nævum sibi jure inuri, cum constaret hoc actum judicio episcopali. Cum hac ergo satisfactione præmissi legati remissi sunt ad eos qui se miserant. Commandati sunt Guerinus comes, et Odo, nec non Fulco et Hugo abbates, ad se venirent : quatenus cum eis deliberaretur quomodo petitio eorum impleri posset. Præcepit etiam filius ejusdem imperatoris Lotharius ut missi sibi in crastinum dirigerentur, qui tempus adventus prædictorum virorum ab eo cognoscerent, et sic ad condictum diem sibi occurrerent, de causa supradicta tractaturi. Etenim vero mutato consilio, cum his qui ejus favore ducebantur, relicto patre in monasterio sancti Dionysii, ipse Burgundiam petiit, Viennam usque pervenit, ibidemque stativa facere delegit. At vero ii qui cum imperatore remanserant, eum ad recipiendas imperatorias infulas hortabantur. Sed imperator, quanquam modo quo prædictum est Ecclesiæ eliminatus communione, nequaquam tamen præproperæ voluit acquiescere sententiæ : sed Dominica, quæ in crastinum advenit, in ecclesia sancti Dionysii episcopali ministerio voluit reconciliari, et per manus episcoporum armis accingi consensit. In qua re tanta exsultatio populi excrevit, ut etiam ipsa elementa

A viderentur injuriam patienti compati et relevato congratulari. Etenim usque ad illud tempus tanta incubuerat procellarum vis pluviarumque vehementia, ut extra solitum aquarum superabundantia excresceret, statusque ventorum imperviabiles fluminum alveos redderet. Sed in illius absolutione ita quodammodo visa sunt conjurasse elementa, ut mox et venti sævientes mitescerent, et cœli facies in antiquam et multo tempore invisam serenitatem rediret. Imperator ergo ab eo loco iter cœpit, sed nequaquam filium abeuntem persequi, licet multis hortantibus, voluit. Inde ergo Nantogilum, ac post venit Carisiacum villam regiam ; ubi consistens opperiebatur filium Pippinum et eos qui trans Matronam residebant : sed et eos qui trans Rhenum ad Ludo-
B vicum filium ejus confugium fecerant, sed et ipsum filium, qui ad eum veniebat, Ludovicum. Quo consistenti, medio Quadragesimæ tempore, arridente etiam lætitia ipsius diei, et officii exhortante cantilena ecclesiastica, ac dicente : *Lætare, Hierusalem, et diem festum agite omnes qui diligitis eam* ; maxima multitudo fidelium suorum ibidem occurrit, congratulans communi lætitiæ. Quos imperator benigne suscipiens, et pro fidei integritate gratias agens, Pippinum quidem filium in Aquitaniam cum lætitia dimisit, cæteros autem ad loca sibi congrua redire lætos permisit. Ipse autem Aquasgrani pervenit ; ibique Judith Augustam ab Italia reducentibus Rataldo episcopo, et Bonifacio, sed et Pippinum filium recepit. Porro Carolum jam dudum secum habebat. Ibidem-
C que Paschæ solemnitatem cum solita devotione peregit. Post cujus celebritatem per Arduennam silvam venatione se exercuit : et post sanctæ Pentecostes festivitatem, in partes Romerici montis venationi atque piscationi operam dedit. Sane recedente filio imperatoris Lothario a patre et in partes prædictas abeunte, remanserant in Neustriæ partibus Lanthertus comes, et Matfridus, cæterique quamplurimi, qui easdem partes propria vi retinere nitebantur. Quam rem ægre ferens Odo comes, et alii multi imperatoris partibus faventes, contra eos arma corripiunt, eosque pellere illis locis nitebantur aut certe cum eis congredi. Quæ res cum segnius quam decuit administraretur, et minus caute circumspiceretur, non minimam calamitatem eis intu-
D lit. Dum enim ex insperato illis hostes supervenerunt, illi autem minori quam res postulabat cautela uterentur, insistentibus hostibus terga nudaverunt. Ibique et ipse Odo cum fratre Willelmo interiit plurimisque aliis, cæteri salutem in fugæ subsidio posuerunt. Quo negotio peracto, ii qui victoria potiti sunt, cum neque ibi consistere posse satis tutum videretur, neque Lothario se jungere valerent, verentes ne aut ibi consistentibus imperator superveniret, aut certe ad suos properantibus in itinere obviaret, ad Lotharium quantocius mittunt, ut eis suppetias ferret quos tanti discriminis metus circumvallaret. Qui audito eorum periculo, et rebus gestis, deliberavit eis succurrere. Qua tempestate

Warinus comes cum plurimis sociis castrum Cabillonum utcunque munivit; ut si aliquid ab adversarum partium studiosis moliretur novi, sibi suisque foret receptaculo ac munitioni. Quod cum Lothario compertum foret, improvisus illuc advenire disposuit, quod tamen facere nequivit. Advenit tamen, et oppidum circumdedit, quæ in circuitu civitatis erant incendio conflagrans. Pugnatum est acriter diebus quinque; et tandem ad deditionem primum urbs recepta est, post autem versa vice crudelium victorum more, primum quidem direptionibus ecclesiæ vastatæ, thesauri deprædati, et communes copiæ direptæ : ad ultimum vero civitas voraci incendio depasta est, præter unam parvam basilicam quæ, stupendo miraculo, cum hinc inde cincta fuerit sævientibus et lambentibus flammis, tamen non potuit aduri. Fuit autem consecrata Deo in honorem beati Georgii martyris. Nec tamen Lotharii voluntas fuit ut civitas succenderetur. Acclamatione porro militari post urbem captam, Gotselinus comes, itemque Sanila comes, nec non Madalelmus vasallus dominicus, capite plexi sunt. Sed et Gerberga, filia quondam Willelmi comitis, tanquam venefica, aquis præfocata est. Quæ dum geruntur, imperator cum filio Ludovico Lingonum civitatem advenerat, in qua urbe hujuscemodi suscepit nuntium, qui eum valde mœstum reddidit. Et Lotharius quidem ejus filius a Cabillono iter suscepit ad Augustodunum, indeque Aurelianam urbem pervenit, deinde in pagum Cenomanicum, in villam cujus vocabulum est Matualis, devenit. At imperator cum suis maximis copiis, simul et Ludovico filio, eum sequitur. Quo audito, filius ejus Lotharius, jamque suis receptis, non multo intervallo a patre castra fixit; ibique quatuor diebus legatis intercurrentibus moratum est. Quarta sane nocte Lotharius cum suis hominibus referre pedem ad posteriora cœpit. Contra quem pater compendioso itinere obambulabat, usquequo perventum est ad fluvium Ligerim prope castrum Blesense, quo Ciza fluvius Ligeri confluit. Positis hinc inde castris, occurrit etiam patri Pippinus filius cum quanto potuit militari apparatu. Infractus ergo viribus Lotharius, supplex ad patrem venit. Quem ille coercitum verbis, et obligatum, tam ipsum quam proceres ejus, quibus voluit sacramentis, in Italiam remisit, oppilatis angustiis itinerum, quæ in Italiam transmittunt, ne quis transire posset nisi licentia custodientium. Quibus peractis, Aurelianis usque pervenit cum filio Ludovico, ibique tam filio quam aliis reditu ad propria indulto Parisius ipse pervenit. Habuit autem eo tempore circa missam sancti Martini conventum generalem in Attiniaco palatio, ubi cum multa perperam inolita purgare decrevisset tam in ecclesiasticis quam publicis rebus, tunc præcipue fuerunt ista. Mandavit filio Pippino, per Ermoldum abbatem, res ecclesiasticas quæ in regno ejus erant, quas vel ipse suis attribuerat, vel ipsi sibi præripuerant, absque cunctatione ecclesiis restitui. Missos etiam per civitates et monasteria transmisit, statumque ecclesiasticum pene collapsum in antiquum statum erigi jussit. Itemque præcepit ut missi per singulos comitatus irent, qui immanitatem prædonum atque latronum, quæ inaudita emerserat, cohiberent, et ubi eorum major vis incubuerat etiam comites vicinos et episcoporum homines ad tales evincendos et proterendos sibi asciscerent, et de his singulis sibi in proximo placito generali Wormatiam renuntiarent, quod futurum transacta hieme et suadente vernali gratia indixit.

(835.) Transegit ergo imperator maximam partem hiberni temporis Aquisgrani. Indeque profectus est ad Theodonis villam ante Natalem Domini, ubi etiam populus, cui præceptum fuerat, advenit. Ubi consistens, contra quosdam episcopos de sui dejectione conquerebatur. Sed cum quidam in Italiam confugissent, quidam vocati obedire noluissent, solus Ebo eorum qui impetebantur, adfuit. Qui cum rationis reddendæ causa super talibus urgeretur, causabatur se solum relictis omnibus, in quorum præsentia hæc facta fuerant, urgeri. At vero cæteri episcopi, cum obtenderent necessitatem præsentiæ, excusarent autem voluntatem innocentiæ, idem Ebo tandem moleste ferens talibus extædiari, consilio petito aliquorum episcoporum, ipse in se quamdam confessionem prædicavit, confirmavitque se et indignum sacerdotio et irrevocabiliter eo abstinere judicavit; quod et episcopis et per eos imperatori contradidit. Quo facto, Agobardus Lugdunensis archiepiscopus, qui evocatus ad satisfactionem venire distulit, cum ter esset evocatus, ab Ecclesiæ præsulatu semotus est, cæteris, ut diximus, in Italiam fugientibus. Sequenti vero Dominica, quæ sacræ Quadragesimæ initium præcedebat, in Metis civitatem dominus imperator, sed et episcopi, et populus universalis illius conventus venit : et inter missarum celebrationem, septem archiepiscopi septem reconciliationis ecclesiasticæ orationes super eum cecinerunt. Atque omnes populi hoc viso, pro plenaria restitutione imperatoris multas Deo gratias reddiderunt. Post quæ omnia, Theodonis villam tam dominus imperator, quam qui ejus populus erant, reversi sunt : et Dominico sacro Quadragesimæ tempore inchoante, unumquemque ad propria redire præcepit. Ipse autem Quadragesimæ tempus ibidem exegit, sed et Paschæ solemnitatem in Metis celebravit. Post solemnitatem porro Paschalem, atque Pentecostes venerabilem diem, civitatem Vangionum, quæ nunc Wormatia vocatur, secundum condictum ad celebrandum conventum generalem abiit : ubi ei etiam filius Pippinus occurrit, nec Ludovicus alter ejus filius defuit. More autem suo imperator nequaquam conventum istum a publica utilitate vacare passus est. Diligenter namque in eo examinare studuit quid quique missorum in diversas partes directi egerint. Et quia aliqui comitum in repressione et exterminatione latronum segnes reperti sunt, diversis sententiis eorum segnitiem condigna invectione castigavit; filiosque et populum admonuit ut æquitatem diligerent, raptoresque opprimerent,

bonos quosque et eorum possessiones ab oppressione relevarent, interminatus etiam severiorem in eos se libraturum sententiam qui huic admonitioni non essent obtemperaturi. Cumque ab hoc placito populum dimitteret, et sequens in Theodonis villa post Pascha constituisset, ad hiemandum Aquisgrani se contulit: filioque suo Lothario mandavit ut nobiles quosque suorum ad eumdem locum dirigeret, quatenus reconciliationis mutuæ inter se et illum ratio investigaretur. Augusta Judith cum consiliariis imperatoris consilio inito, eo quod valentia, ut videbatur, imperatoris corpus mox destitueret, et mors ingrueret, et sibi et Carolo periculum immineret, nisi aliquem fratrum sibi asciscerent, conjectantesque nullum filiorum imperatoris tam convenientem huic rei sicut Lotharium, hortati sunt imperatorem ut ad eum missos pacificos mitteret et ad hoc ipsum invitaret. Qui, ut paci semper studens, semperque dilector pacis atque amator firmitatis, quærebat non modo filios, sed et inimicos sibi charitate uniri, libenter assensus est. In condicta porro villa, et tempore præfinito, adfuere missi a filio, quos ipse præcepit, plurimi, inter quos etiam Wala primus adfuit. Causa autem prædicta ventilata, atque ad calcem perducta, imperator cum conjuge reconciliari voluit, primum ipsi Walæ dimissis quæcunque in eos commiserat delictis, multa alacritate et benignitate cordis; mandavitque per eum et cæteros filio missos, ut quantocius veniret. Quod si faceret, consultissime sibi futurum sciret. Qui redierunt, et filio rem retulerunt. Sed ne mandatum imperatoris ad effectum perduceretur, morbus febrisque intercessit, et Walam quidem rebus humanis abduxit, Lotharium vero lectulo dejiciens, maximo tempore languere fecit. Imperator vero clementissimus natura, ut filium adversa valetudine correptum audivit, per missos fidelissimos, scilicet Hugonem fratrem suum, et Adalgarium comitem, eum visitavit, atque omnia ejus incommoda rescire studuit: imitatus videlicet beatum David, qui, multis insectationibus lacessitus a filio, mortem tamen ejus ægerrime tulit. At vero postquam desæviente languore convaluit, nuntiatum est imperatori, eo quod conditiones sacramentorum dudum promissas irrumperet, maximeque ecclesiam sancti Petri, quam tam avus ejus Pippinus, quam pater ejus Carolus, nec non ipse in tutelam susceperant, homines ejus crudelissima clade vexarent. Quæ res animum illius mitissimum adeo exasperavit, ut quodammodo extraordinarie, ut videbatur, missos dirigeret, nullum pene ad tantum iter conficiendum spatium tribuens. Misit legatos ad Lotharium, commonens ne talia fieri permitteret: monens ut memor esset quia quando ei regnum Italiæ donavit, etiam curam sanctæ Romanæ Ecclesiæ simul commisit, et quam ab adversariis defensandam susceperat, nequaquam a suis dirupi permitteret. Commonens etiam sacramentorum nuper ab eo sibi promissorum, ne forte obliviscens atque parvipendens ea Divinitatem offenderet. Quod sibi impune non futurum non ignoraret. Simul etiam jubens parare sibi stipendiarias annonas, stativasque congruas per omne iter, quod Romam transmittit. Dicebat enim se limina beatorum apostolorum invisere velle. Quod ne fieret, irruptio Nordmannorum in Frisiam impedivit. Ad quorum insolentiam comprimendam pergens, misit missos ad Lotharium, Fulconem scilicet abbatem, et Richardum comitem, nec non Adrebaldum abbatem. Quorum Fulco et Richardus responsum sibi a Lothario referrent: Adrebaldus porro Romam pergeret, Gregorium papam de necessariis consulturus, et voluntatem imperatoris, cæteraque sibi injuncta perlaturus. Sed Lotharius de his conventus, nec non de rebus quarumdam ecclesiarum ablatis, quæ in Italia sunt, quibusdam annuit, quædam se non posse servare respondit. Et Fulco quidem atque Richardus imperatori a Frisia post fugam Nordmannorum revertenti, talia nuntiant in Franconoford palatio: ubi ipse autumnalem exercens venationem, hiematum Aquasgrani sese convertit. At vero Adrebaldus Romam, ut jussum sibi fuerat, pervenit, dominum Gregorium papam ægrotantem reperit, et maxime fluxu sanguinis, qui licet sensim, continue tamen ex naribus defluebat. Sed tanta alacritate et gaudio ad verba imperatoris et compassiones ejus recreatus est, ut profiteretur se pene incommoditatis propriæ oblitum. Itaque et missum ad se opulentissime curavit apud se consistentem, et ditissime muneravit recedentem: mittens cum eo duos episcopos, Petrum Centumcellensis urbis, et Georgium regionarium Romanæ urbis simul episcopum. Lotharius porro ut audivit memoratorum episcoporum ad dominum imperatorem adventum, misit Leonem, qui tum apud illum magni loci habebatur, Bononiam: qui magno intentato terrore, ultra progredi episcopos prohibuit. Adrebaldus tamen epistolam imperatori destinatam ab eis occulte suscepit, et cuidam suorum sub obtentu mendici, quousque Alpes transiret, ferendam commisit, ac post imperatori porrexit. Ea tempestate quanta lues mortalis populum qui Lotharium secutus est, invaserit, miserabile est dictu. In brevi enim, id est a Kalendis Septembris usque ad missam sancti Martini, hi primores ejus vita excesserunt: Jesse olim Ambianensis episcopus, Helias Trecassinæ urbis episcopus, Wala Corbeiensis monasterii abbas, Matfridus, Hugo, Lambertus, Godofridus, itemque filius ejus Godofridus, Albertus comes Pertensis, Burgaretus quondam præfectus venatoribus regalibus, sed et Richardus vix evasit. Non post multum et ipse moritur. Hi enim erant quorum decessu dicebatur Francia nobilitate orbata, fortitudine quasi nervis succisis evirata, prudentia his obeuntibus annullata. Sed his subruti sostendit Deus quam salubre, quam laudabile sit observare, quod ex ore ejus probatur procedere: *Non glorietur*, inquiens, *sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis*. Sed et imperatoris animum quis miretur digne, quanta hunc temperantia divina gubernaverit clementia? Etenim hoc suscepto nuntio, nec in se exsultavit, nec morti

inimicorum insultavit; sed pugno pectore tunso, lacrymisque oculis oppletis, Deum illis propitium fieri cum ingenti gemitu precatus est. Hoc tempore Britonum impetus emotus est, sed tam facile conquievit, quam imperator in eum spem posuit cui veracissime dicitur: *Subest enim tibi, Domine, cum volueris, posse.*

In ipsis etiam diebus, in quibus Purificatio beatissimæ semper virginis Mariæ celebratur, conventus quidem magnus, sed præcipue episcoporum, Aquisgrani convenit (836). In quo cum de aliis utilitatibus Ecclesiæ necessariis, tum præcipue de his rebus questum est, quas Pippinus et sui multis Ecclesiis abstulerunt. Ob quam rem imperialis auctoritas et communis concilii commonitorium ordinatur, quibus commoneretur Pippinus et sui cum quanto periculo res ecclesiasticas pervaserint. Quæ res prosperum suscepit exitum. Nam Pippinus monita pii patris sanctorumque virorum libenter suscipiens, obedienter paruit, et omnia invasa restitui etiam per annuli sui impressionem constituit. Proximum huic placito conventum imperator in pago Lugdunensi habuit, tempore æstivo, in loco qui vocatur Stramiacus, cum Pippino et Ludovico filiis. Nam quod Lotharius non adfuit, invalentia ægritudinis supra dictæ obfuit. In quo causam ecclesiarum Lugdunensis atque Viennensis vacantium ventilari fecit, eo quod episcopi dudum illarum, Agobardus quidem jussus ad rationem non venerit reddendam; Bernardus autem Viennensis adfuerit quidem, sed rursus fugam inierit. Sed hæc quidem res imperfecta remansit, propter absentiam, ut prædictum est, episcoporum. Sed et causa Gothorum ibidem ventilata est, quorum alii partibus Bernardi favebant, alii ducebantur favore Beringarii Huronici [Hunroci] quondam comitis filii. Sed Beringario immatura morte prærepto, apud Bernardum potestas Septimaniæ quam maxima remansit, legatis illuc missis, qui ea quæ indigebant correctione in meliorem componerent statum. His peractis, et jam filiis populoque dimissis, imperator autumnali venatione peracta, ad missam sancti Martini Aquisgrani rediit, et hiemem ibidem exegit, Natalem quoque Domini itemque Paschalem solemnitatem, juxta morem debitum et sibi semper familiarissimum, ibidem celebravit.

(837.) At vero mediante festivitate Paschali dirum semper ac triste portentum, id est cometæ sidus, in signo Virginis apparuit, in ea parte ejusdem signi qua penulam ejus subtus, caudam vero serpentis simulque corvum constringit. Quod cum non more errantium septem siderum Orientem versus peteret, per viginti quinque dies, quod mirum est dictu, idem sidus et Leonis ac Cancri, nec non Geminorum transiens signa, in capite Tauri tandem sub Aurigæ pedes, igneum globum jubarumque prolixitatem deposuit, quas usquequaque porrexerat antea. Quam rem cum primum imperator talium studiosissimus conspexisset, constitit, et antequam quieti membra committeret, accitum quemdam, itemque me, qui A hæc scripsi, et qui hujus rei scientiam habere credebar, percontari studuit quid super hoc mihi videretur. A quo cum tempus peterem quo faciem sideris considerarem, ac per hæc rei veritatem investigarem, et cognitam in crastinum nuntiarem, imperator ratus, quod erat verum, tempus me redimere velle, ne cogeret triste aliquid respondere: Perge, inquit, in mœnia huic domui contigua, et nobis quæ perspexeris nuntia. Novi enim a me hanc stellam nequaquam præterita vespera visam, vel a te monstratam: sed scio hoc signum cometarium esse, de quo jam præteritis diebus locuti sumus. Quid autem portendere tibi videatur, edicito. Cumque aliqua dicerem, et aliqua tacuissem: Unum est, inquit, quod adhuc silentio premis. Mutationem enim regni B mortemque principis hoc portento monstrari dicunt. Cumque ego testimonium Prophetæ in medium protulissem, quo dicitur, *A signis cœli ne timueritis quæ pavent gentes*, ille solita usus magnanimitate et prudentia: Non alium inquit, timere debemus præter illum qui nostri et hujus sideris creator est. Sed ejus clementiam non satis laudare et mirari possumus, qui nostram inertiam, cum simus peccatores et impœnitentes, talibus indiciis dignatur admonere. Quia ergo et me et omnes communiter hoc ostentum tangit, omnes pro posse et sapere ad meliora festinemus, ne forte misericordiam illo prærogante, et nostra impœnitudine impediente, nos illa inveniamur indigni. His dictis, et ipse paulisper mero indulsit, C et omnibus id facere jussit, et unumquemque ad sua se colligere præcepit. Noctemque illam, ut nobis perlatum est, pervigilem duxit, ac Dei laudibus et obsecrationibus oneratam, luci supervenienti præsentavit. In cujus crepusculo ministros aulicos vocavit et eleemosynas quas largissime pauperibus ac servis Dei, tam monachis quam canonicis, porrigi jussit; missarumque solemnia per quoscunque potuit celebrari fecit: non tantum sibi metuens, quantum Ecclesiæ sibi creditæ prospiciens. Quibus rite dispositis uti ordinaverat, venatum in Arduennam perrexit. Quod ut dicebant, ultra solitum ei prosperrime cessit; omniaque quæ illo tempore illi placuere, prospero eventu cucurrerunt. Præterea, insistente Augusta et ministris palatinis, quamdam partem D imperii imperator filio suo dilectissimo Carolo Aquisgrani tradidit, sed quia inofficiosa remansit, a nobis quoque silentio premitur. Quam rem auditam cum fratres ejus ægre tulissent, mutuum iniere colloquium. Sed nil se contraire posse intuentes, et cœptum dissimulantes, motus patris, qui ex hoc accidisse videbantur, facillime composuere. In his imperator tota æstate consistens, indixit generalem conventum, autumni tempore, id est Septembri mediante, in Carisiaco. In quo loco et tempore filius ejus Pippinus ab Aquitania ad eum venit, et ipsi conventui interfuit. Ubi dominus imperator filium suum Carolum armis virilibus, id est, ense, cinxit, corona regali caput insignivit, partemque regni quam homonymus ejus Carolus habuit, id est Neustriam, attri-

buit. Itaque dominus imperator inter filios, quantum sibi possibile fuit, coagulo benevolentiæ firmato, Pippinum in Aquitaniam, Carolum autem in portionem regni ipsi attributam dimisit. Et præsentes quidem Neustriæ provinciæ primores Carolo manus dederunt, et fidelitatem sacramento obstrinxerunt: absentium autem quisque postea itidem fecit. In eodem loco et tempore pene omnes Septimaniæ nobiles adfuerunt, conquerentes adversus Bernardum ducem illarum partium, eo quod illius satellites tam rebus ecclesiasticis quam privatis, absque ullo respectu divino humanoque, pro libito abuterentur. Unde petierunt ut dominus imperator sub suæ protectionis munimine eos susciperet, et post hæc tales missos in eamdem terram dirigeret, qui et potestate et prudentia de ablatis æquo libramine penderent, B et avitam eis legem conservarent. Ad quod peragendum missi sunt, secundum postulationem eorum, et domini imperatoris electionem, Bonifacius comes, et Donatus itidem comes: sed et Adrebaldus Flaviniacensis monasterii abbas. His rite peractis, imperator ab eo loco divertit, et venationi autumnali juxta morem operam dedit, et ad tempora hiemalia exigenda se Aquisgrani collegit.

Qua hieme transacta, Kalendis Januarii sævus cometæ ignis in signo Scorpionis apparuit, non multo post solis occubitum. Cujus minacem vultum non multo post excessus Pippini est subsecutus. Interea Judith Augusta, consilii quod pridem cum consiliariis aulicis cæterisque regni Francorum nobilibus inierat nequaquam immemor, persuasit imperatori C quatenus ad Lotharium filium suum missos mitteret, qui eum ad patrem invitarent, ea conditione ut si fratris sui Caroli dilector et adjutor, tutorque et protector esse vellet, veniret ad patrem, et sciret se ab eo omnium perperam gestorum indulgentiam adepturum; simul et medietatem imperii, excepta Bajoaria, consecuturum. Quæ res tam Lothario quam suis per omnia utilis visa est. Venit ergo juxta condictum ad Wormatiam post Paschæ solemnitatem (838). Quem pater cum multa alacritate suscepit, et dapsiliter suos curare præcepit, et sicut mandaverat universa peregit, in tantum ut ei datis triduo induciis, universum imperium suum cum suis ipse divideret, si ita liberet; ita tamen ut partium electio D penes imperatorem et Carolum maneret. Sin aliter vero, partitionem imperii imperatori et Carolo faciendam magis censeret. Itaque Lotharius cum suis divisionem regni domino imperatori pro suo libitu committunt, affirmantes se hanc divisionem nequaquam exsequi posse propter ignorantiam locorum. Igitur imperator cum suis, æquo ut sibi suisque visum est libramine, omne suum divisit imperium, præter Bajoariam, quam Ludovico reliquit atque ideo in partem eorum nemini cessit. His peractis, et filiis universoque populo evocatis, data sibi optione, Lotharius a fluvio Mosa australem sibi partem tenendam delegit; occiduam vero Carolo fratri habendam reliquit, et ut haberet coram cuncto populo se A velle verbo signavit. Imperator vero lætabatur in his, et cunctus populus talibus factis applaudens, omnia sibi placere dicebat. At vero Ludovici animum non parum hæc gesta læserunt. Imperator porro pro his gestis Deo gratias agebat, filiosque monebat ut unanimes essent, et se alterutro tuerentur: et Lotharius quidem junioris fratris curam gereret, cujus se spiritualem esse patrem meminisse deberet: Carolus autem tanquam patri spirituali et fratri seniori debitum honorem deferret. Cumque hoc tanquam veræ pacis amator peregisset, et inter fratres mutuam dilectionem, et inter utriusque filii populum, quantum sibi posse datum est, alternum sevisset amorem, lætus Lotharium in Italiam lætum dimisit, multis muneribus ditatum, donatum benedictionibus paternis, et monitum ne oblivisceretur saltem nuper sibi promissorum. Egit ergo Natalis Domini atque Paschæ solemnitatem celeberrime Aquis.

(839.) Ludovicus vero audiens hujusmodi patris erga fratres suos voluntatem, et regni inter eos divisionem, non tulit. Ideoque quidquid regni trans Rhenum fuit, sibi ascribendum putavit, et vindicandum statuit. Quod cum imperatori delatum esset, in transactam festivitatem Paschalem differendum judicavit. Qua peracta, nequaquam procrastinandum in talibus ratus, cum multis viribus Rhenum quidem apud Mogontiacum transiit et Triburas venit, ibique aliquandiu ad colligendum exercitum consedit. Quo coacto, usque Bedonniam [Hodomiam] perrexit, ibique filius quanquam invitus, supplex venit, et increpatus ab eo, male se egisse confessus, emendaturumque se perperam gesta professus est. At imperator consueta et sibi semper amica utens mansuetudine, et filio indulsit, et eum verbis primum, ut dignum fuit, paululum asperis increpavit: post autem lenioribus demultum, in regno reliquit. Atque in redeundo Rhenum in loco qui Confluens dicitur, transmeavit, in Arduenna venationem solitam peracturus. In qua cum exerceretur, nuntii ad eum certissimi venerunt, affirmantes, quod verum erat, aliquos Aquitanorum suam sententiam exspectare, qualiter res Aquitanici regni ordinaretur: aliquos item indigne ferre quod audierint Carolo a patre idem regnum traditum. Nam imperatore de talibus sollicito, Ebroinus nobilissimus Pictavensis episcopus Flateram advenit, nuntians tam se quam cæteros primores ejusdem regni exspectare imperatoris voluntatem, et imperantis exsequi velle jussionem. Erant enim in hac voluntate conspirantes maximi quippe procerum: quorum eminentes erant, scilicet ipse Ebroinus venerabilis episcopus, Reginardus comes, Gerardus itidem comes et gener quondam Pippini, nec non Hiratarius [Ratharius] similiter comes Pippini gener, sed et alii quamplures horum sequentes voluntatem, nullo poterant pacto sejungi. At vero altera pars populi, quorum vel maximus fuit Emenus quidam, assumentes filium quondam Pippini regis, Pippinum itidem nomine, quaquaversum poterant, vagaban-

tur, sicut moris talibus est, prædationibus atque tyrannidi operam dantes. Precabatur ergo præfatus antistes Ebroinus imperatorem, ne in longum differret hunc morbum serpere, sed mature mederetur per suum adventum tali incommodo, antequam tanta lues plurimos inficere posset. Imperator porro præfatum episcopum in Aquitaniam cum multis gratiarum actionibus remisit, et quæ visa sunt suis fidelibus mandavit : et ut sibi autumni tempore aliqui eorum in Cabillono occurrerent imperavit. Ibi enim generalem indixit conventum. Nullus porro succenseat imperatori, quod dictante crudelitate, nepotem suum regno privare voluerit : cum ipse morem gentis nativum noverit, ut pote connutritus illis, et quia levitati atque aliis studentes vitiis, gravitati atque stabilitati penitus renuntiarunt, et ut talem Pippinum fratrem ejus facere possent, pene omnes qui ob custodelam ei missi erant, sicut sibi olim a patre Carolo dati fuerant, ab Aquitaniæ finibus eliminaverunt. Post quorum abcessum quanta et qualia emerserint malorum vitiorumque monstra et publica et privata in eodem regno, moderna quoque præsentium studia repræsentant. Volebat piissimus imperator pie et rationabiliter educari puerum, ne vitiis prostitutus nec sibi nec aliis præesse et prodesse postea posset : cogitans illud, quod quidam, qui filiis in teneriori ætate adhuc positis tradere regnum nollet, taliter se excusasse legitur : Ego enim non quod invideam ex me genitis, honorifice eos haberi volo, sed quia novi adolescentibus hæc studia ferociæ nutrimenta suggerere. Itaque imperator, uti condixerat, tempore autumnali Cabillonensem urbem petiit, et tam ecclesiastica quam publica suo more disposuit. Deinde ad regni Aquitanici ordinationem se convertit. Nam cum regina movit ab eodem loco, et filio suo Carolo, et valida manu : et Ligeris amne transmisso, Arvernorum urbem petiit. Ibique fideles suos sibi occurrentes benigne juxta morem solitum suscepit, et suo filio Carolo cum solitis sacramentis commendari fecit. Quosdam, qui occursum debitum fidelitatemque sibi impendere denegarunt, sed insuper latrocinando exercitui obambulabant, et quascunque poterant prædas exercebant, comprehensos legali quæstioni jussit subdere.

(840.) Hæc eo agente, Natalis Domini festivitas rediit, eamdemque solemnitatem Pictavis cum debito et solito honore celebravit : ibidemque moranti, et quæ utilitas poscebat, disponenti, nuntius ille advenit, dicens Ludovicum filium suum, assumptis quibusdam Saxonibus atque Thoringis secum, Alamanniam invasisse. Quæ res maximum incommodum ei peperit. Etenim cum jam senili ætate gravaretur, et phlegmatis abundantia, quæ hieme augmentatur, ultra solitum pulmo ejus gravaretur, pectusque quateretur, accessit etiam hic tristis nuntius. Cujus relatu adeo affectus est amaritudine, quamvis esset pene ultra humanum modum natura mitissimus, fortitudine magnanimus, pietate cautissi-
A mus, ut in apostema pituita excrescens duresceret, et intra vitalia ulcus letale concresceret. Invictus tamen illius animus, dum turbari tali peste Ecclesiam Dei populumque Christianum vexari comperit, nec fastidio cessit, nec dolori fractus succubuit. Sed postquam sanctum Quadragesimale jejunium cum uxore et filio Carolo inchoavit, adversus hanc tempestatem sedandam se obicem tulit. Et qui solitus erat hoc tempus psalmorum decantatione, orationum instantia, missarum celebratione, eleemosynarum liberalitate, cum summa devotione totum solemne reddere, ita ut vix uno aut duobus diebus propter exercitationem equitationi indulgeret : nunc propter discordiam fugandam, pacemque revocandam, nullum diem habere feriatum voluit. Pastoris
B enim boni exemplum sequens, pro utilitate gregis sibi commissi non refugiebat etiam proprii corporis jacturam ferre. Unde non ambigendum est ei redditum præmium quod ita laborantibus se daturum promisit maximus Pater princepsque pastorum. Cum maxima igitur fatigatione impugnantibus valentiam illius præmissis casibus, pervenit imminente sacratissima Paschali solemnitate Aquasgrani, ibique eam cum solita devotione celebravit. Qua explicita, cœptum negotium acceleravit explere. Nam, Rheno transmeato, Thoringiam continuato itinere penetravit : ubi Ludovicum morari per id tempus didicit. In qua cum eum conscientia morari non pateretur, ut pote jam patre propinquante, rebus etiam diffideret, salutem in fugæ subsidio posuit.
C Redempto enim itinere, per Sclavorum terram in propria rediit. Quo illo redeunte, imperator generalem conventum in urbe Vangionum, quæ nunc Wormatia dicitur, congregari præcepit. Et quia res Ludovici taliter se habebant, Carolus autem filius ejus cum matre in Aquitania versabatur, imperator ad filium suum Lotharium in Italiam misit, jubens ut eidem placito interesset, quatenus cum eo et aliis de hac re deliberaret. Quo in tempore deliquium solis contigit, tertia die Litaniæ majoris, insolito modo. In tantum enim lucis recessu tenebræ prævaluerunt, ut nihil a noctis veritate differre videretur. Stellarum namque ratus ordo ita cernebatur, ut nullum sidus lucis solaris hebetudinem pateretur,
D quin potius luna, quæ se ei adversam præbuerat, paulatim orientem petendo primum corniculatim illi lumen a parte occidentali restitueret, in morem sui, quando prima vel secunda cernitur, et sic per augmenta totam venustatem tota rota solis reciperet. Quod prodigium, licet naturæ ascribatur, tamen lamentabili exitu consummatum est. Portendebatur enim per hoc maximum illud lumen mortalium, quod in domo Dei supra candelabrum positum omnibus lucebat, piissimæ recordationis imperatorem dico, maturrime rebus humanis subtrahendum, mundumque ejus decessu in tenebris tribulationum relinquendum. Cœpit ergo fastidio tabescere, et nauseanti stomacho ad cibum potumque intercidere, crebris suspiriis urgeri, singultibus quati, ac

per hoc virtute destitui. Natura enim suis deserta comitibus, necesse est ut victa fatiscat. Quod cernens, jussit sibi parari habitacula æstiva atque expeditionalia, in insula quadam contigua Mogontiacæ civitati : ibique viribus desertus, lectulo sese committit.

Porro quis explicet ejus pro Ecclesiæ statu sollicitudinem, vel pro ejus concussione mœrorem? quis enarrare lacrymarum flumina, quas pro acceleratione divinæ clementiæ fundebat? Non enim se recessurum dolebat, sed quod futurum noverat gemebat, dicens se miserum, cujus extrema clauderentur talibus inferiis [miseriis]. Aderant autem ejus consolationi venerabiles antistites et alii servi Dei quamplurimi, inter quos erant Hethi venerabilis Treverorum archiepiscopus, Otgarius Mogontiæ similiter archiepiscopus, sed et Drogo frater domini imperatoris Metensis episcopus, nec non sacri palatii archicapellanus. Quem quanto sibi propinquiorem noverat, tanto ei familiarius sua omnia et semet credebat. Per eumdem quotidie confessionis suæ munus, sacrificium spiritus contribulati, et cordis humiliati, quod Deus non despicit, offerebat. Cibus ejus erat solummodo per dies quadraginta Dominicum corpus, laudante eo justitiam Dei et dicente : Justus es, Domine, ut quia Quadragesimæ tempus non jejunans exegi, saltem coactus idem jejunium tibi exsolvam. Jussit autem eidem venerabili fratri suo Drogoni, ut ministros cameræ suæ ante se venire faceret, et rem familiarem, quæ constabat in ornamentis regalibus, scilicet coronis, et armis, vasis, libris, sacerdotalibusque vestibus, per singula describi juberet. Cui prout sibi visum fuit, quid ecclesiis, quid pauperibus, postremo quid filiis elargiri deberet, edixerat, Lothario scilicet et Carolo. Et Lothario quidem coronam, ensem, sceptrum auro gemmisque redimitum, eo tenore habendum misit, ut fidem Carolo et Judith servaret et totam regni portionem illi consentiret et tueretur, quam, Deo teste et proceribus palatii, ille secum et ante se largitus ei fuerat. His rite peractis, gratias Deo egit quia nihil sibi superesse proprium cognovit. Inter hæc tam venerabilis antistes Drogo, quam cæteri pontifices, dum in cunctis quæ agebantur Deo grates persolverent : ut pote qui videbant quod eum, quem chorus virtutum semper comitatus fuerat, nunc perseverantia subsequens, quasi cauda hostiæ, totum ejus vitæ sacrificium Deo prorsus acceptum reddebat : unum erat quo gaudium eorum offuscabatur. Verebantur enim ne forte filio Ludovico implacabilis esse vellet, scientes quod vulnus frequenter incisum, aut cauterio adustum, acerbiorem dolorem sustinenti propagaret; fisi tamen de ejus invicta patientia qua semper usus est, per Drogonem fratrem ejus, cujus verba spernere nolebat, animum illius leniter pulsant. Qui primum quidem amaritudinem sui animi demonstrat. At vero parumper deliberans, et viribus quantuliscunque collectis enumerare conabatur, quot et quantis incommodis ab eo afflictus sit, et quid contra naturam et Domini præceptum talia agendo commeruerit. Sed quia ipse. inquit, ad me venire satisfacturus nequit, ego quod meum est ago, vobis testibus et Deo, omnia quæ in me peccavit illi remitto. Vestrum autem erit illum monere, ut si ego illi toties perperam gesta indulsi, ille tamen sui non obliviscatur, qui canos paternos deducit cum dolore ad mortem, et in talibus communis Patris Dei præcepta minasque contempsit. His peractis et dictis (erat enim vespere sabbati), præcepit ut ante se celebrarentur vigiliæ nocturnæ, et ligno sanctæ crucis pectus suum muniretur : et quandiu valebat, manu propria tam frontem quam pectus eodem signaculo insignibat. Si quando lassabatur, per manus fratris sui Drogonis nutu id fieri poscebat. Mansit ergo tota illa nocte omnis virtutis corporeæ inops, solius sobrietatis animi compos. In crastinum, quæ erat Dominica, jussit ministerium altaris præparari, et per officium Drogonis missarum solemnia celebrari : nec non per manus ejus, juxta morem, communionem sacram sibi dari, et post hæc cujusdam potiunculæ calidulæ haustum præberi. Quo perpaululum prælibato, precatus est fratrem, et simul astantes, ut curandis corporibus operam darent, se tandiu præstolaturum quandiu illi refici possent. Instante autem migrationis ejus articulo, juncto pollice cum articulis (hoc enim facere consueverat, si quando fratrem nutu vocabat) Drogonem accersivit. Quo veniente et reliquis sacerdotibus, verbis quibus potuit et nutibus se commendans, benedici petivit, et quæ solent agi in egressu animæ, fieri postulavit. Quibus id agentibus, sicut plures mihi retulerunt, conversa acie in sinistram partem, indignando quodammodo, virtute quanta potuit dixit bis *Hutz*, *Hutz*, quod significat, Foras, Foras. Unde patet quia malignum spiritum vidit, cujus societatem nec vivus nec moriens habere voluit. At vero elevatis ad cœlum oculis, quanto huc minacius intuebatur, tanto illuc lætius intendebat [*Ms. cod.*, angelorum agmina ad se intuens conspexit venientia : illa lætius sic intendebat, etc.], ita ut nihil a ridente differre videretur. In talibus ergo vitæ præsentis terminum sortitus, ad requiem feliciter, ut credimus, commigravit : quia, ut veraciter dictum est a veridico doctore : *Non potest male mori qui bene vixerit.* Decessit autem XII Kalendas Julii, anno vitæ suæ sexagesimo quarto. Et Aquitaniæ quidem præfuit per annos triginta septem, imperavit vero viginti septem. Anima porro recedente, Drogo frater ejus et episcopus Metensis, cum aliis episcopis, abbatibus, comitibus, vassis dominicis, plurimaque frequentia tam cleri quam populi, sumptis imperatoris reliquiis cum magno honore Metis transportari fecit, et in basilica sancti Arnulfi, quo et mater ejus condita est, nobiliter sepelivit.

*Finiunt Vita et actus gloriosi principis invicti et orthodoxi imperatoris Ludovici Pii.*

EPITAPHIUM LUDOVICI REGIS ET IMPERATORIS,

QUI JACET IN MONASTERIO SANCTI ARNULFI METENSIS.

Imperii fulmen, Francorum nobile culmen,
Erutus a sæclo conditur hoc tumulo.
Rex LUDOVICUS pietatis tantus amicus,
Quod PIUS a populo dicitur et titulo.
Hildegard soboles, Caroli Magni pia proles,
In pacis metas colligit hunc pietas.
Rumelicum villam, quidquidve refertur ad illam,
Arnulfo sancto contulit, huicque loco.
Stirps a quo procerum, regumque vel imperatorum,
Quorum muneribus sistitur iste locus.

ALIUD EPITAPHIUM LUDOVICI.

(*Ex veteri membrana S. Arnulfi Metensis, apud Baluzium, Capitul. tom. II, pag.* 1566.)

Præcelsus meritis, famoso et nomine clarus,
Felix Augustus hic Luduicus adest.
A Corporis hic artus clausit quando ultima solvit
Humanæ vitæ et super astra petit.
Hic fidus, fortis, nulli pietate secundus,
Clemens, et patiens, atque benignus erat.
Ecclesias Christi ritu renovavit honesto,
Ipsius et cultor verus ubique fuit.
Cæsaris hic genitus Caroli Augustique superstes
Successit regno huic sceptra regens populi.
Quem nunc pro sacris meritis jam credere fas est
Cum Christo Domino regna tenere poli.
Cujus germanus Drogo Christique sacerdos
Transtulit huc corpus, condidit hoc tumulo.

Decessit autem anno imperii sui XXVII, die XII Kal. Julii, anno vero ætatis LXIV, quievitque in pace.

Hanc, æterne Deus, Cæsar Lotharius aram
B Devoto jussit corde parare tibi;
Illic sacra tui quo victima rite sacretur
Corporis, et fiat sanguine munda tuo.

# LUDOVICI I

## COGNOMENTO PII, IMPERATORIS AUGUSTI

## NECNON FILIORUM EJUS

## DIPLOMATA ECCLESIASTICA

### USQUE AD DIVISIONEM IMPERII ANNO DCCCXL.

I.

PRO NOBILIACENSI MONASTERIO.

(*Anno* 793.)

[Mabill., *Annal. ord. S. Bened.*, tom. III, pag. 715.]

Ludovicus gratia Dei rex Aquitanorum.

In Christi nomine nobis rectum esse videtur, ut quandoque ecclesiastici viri catholici et Dei sacerdotes, clerici et pauperes, ad nostram petent clementiam, eis regalis potestas tuitionem impertiat, qui fideliter ad nostram desiderant pertingere magnificentiam. Et Christo auspici sine dubio plenius credimus divina misericordia nobis exaudire, si petitionibus sacerdotum placitis auribus obaudiamus, et ea quæ recta poposcerint, ad effectum perducimus. Denique ostensum est in conspectu nostro per D magnifico viro et parente nostro Atone diacono atque abbate statuta, quam ipse ex ore gloriosissimi et genitoris mei regis Caroli summumque catholicum sumpsit, qualiter cellola, cujus vocabulum est Novaliacus, de ratione sancti Hilarii, sita in loco quieto, et valde congrua ad habitationem servorum Dei et pauperum, juxta possibilitatem loci illius monachos, qui secundum sancti Benedicti regulam degere deberent, instituit. Et venerabilis vir jam memoratus domnus Ato abba, parens noster, fidelissi- C mus domino et genitore meo et noster, nobis subtiliter suggessit, ut ipsa cella vel reiculas, quas ipse ibidem detulit, necnon et hoc quod Hermembertus sacerdus rector ipsius cellolæ ibidem confirmavit, et illas conjunctiones, quas anteriori pontifici Pictavensis, quem nos recognovimus, Ansaldus, Ebarcius, et Guozbertus, ad ipsam cellam detulerunt, vel Dei timentes et viri catholici inantea conferre voluerint, per nostram munificentiam semper sit conjunctum, et nunquam sit interruptum. Præcipiendo præcipimus universis fidelibus nostris episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, telonariis, vel omnibus missis nostris discurrentibus, seu qui curam publicam et privatam habere noscuntur, ut in reiculas præfatæ cellolæ, vel homines eorum ubique commanentibus, qui ibidem recte aspiciunt, nullo unquam tempore ad causas audiendas, vel freda undique exigenda, seu mansiones aut paratas faciendum, vel quascunque reddibutiones requirendas, ingredi non præsumant; sed pro integra firmitate petiit memoratus domnus Ato abba suique monachi, ut circa ipsa cella Dei per nostram auctoritatem in omnibus confirmare deberemus : quod pro reverentia domini et patroni nostri beatissimi Hilarii benignissimo animo illud præstitisse vel confirmasse comperite. Et quidquid exinde fiscus noster augmen-

tare potuerit, inspectam nostram firmitatem, sicut A per emunitates anteriorum regum declaratum fuisse indultum, tam de ipsas res, quæ præsenti tempore ad ipsa casa Dei legitime obtingunt, quam et de eas, quæ a Deo timentibus hominibus ibidem inantea fuerit condonatum, in luminaribus ipsius sancti loci vel stipendia monachorum perpetualiter debiat proficere in augmentis : quatenus ipsa congregatio pro stabilitate regni nostri melius delectet Domini misericordiam adtentius exorare. Et ut hæc præceptio firmiorem habeatur, et melius conservetur, subter eam decrevimus affirmare. In Dei nomine Reginpertus seu indignus vocatus episcopus sive cappalanus Ludovico regis Aquitaniorum subs. Sign. † Magnario. Sign. † Immone. Sign. † Adalberto. Sign. † Erlaldo. Sign. † Garico. Sign. † Witfredo. B Sign. † Ademaro. Sig. † Raganfredo. Sign. † Bicone. Sign. † Gislemaro. Item sign. Gislemaro Carolus subs. Sign. † Harialdo. Sign. Abbone Jalinus clericus subs. Sign. † Wadone. Sign. Ludovici gloriosissimi regis.

Data III Nonas Augustas, anno 25 [Caroli gloriosissimi regis] et anno 14 regni nostri. Actum Jogundiaco palatio nostro. Ego Hildigarius ad vicem Deolati subscripsi.

## II.

### PRO MONASTERIO CORMARICENSI.

(*Anno* 807.)

[Apud Baluz., *Capitul. reg. Franc.*, tom. II, pag. 401.]

Ludovicus, gratia Dei rex Aquitanorum, omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, domesticis, vicariis, centenariis, seu reliquis fidelibus nostris præsentibus scilicet et futuris. Notum sit quia concessimus Fridegiso abbati ex monasterio sancti Martini, ubi ipse corpore requiescit, ut monachis Cormaricensis monasterii, qui monastice sub Regula sancti monachorum Patris Benedicti degere videntur, liceat duas naves, vel quotquot fuerint sibi necessariæ, per omnia flumina in regno nostro, Deo propitio, discurrentia absque ulla consuetudine propter suas necessitates dirigere. Ad cujus concessionis auctoritatem corroborandam hoc præsens fieri jussimus præceptum, per quod imperiali auctoritate jubemus ut nullus nostrorum præsentium sive futurorum in hac regali sanctione audeat illis in aliqua parte contradicere. Et ut majorem habeat in se hoc præceptum vigorem, annuli nostri impressione sigillari jussimus.

Data VII Idus Aprilis, anno 27 regni nostri. Actum Cassanogelo palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

Albo ad vicem Helisachar scripsi.

## III.

### PRO MONASTERIO GELLONENSI.

(*Anno* 807.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des hist.*, tom. VI, pag. 452.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia rex serenissimus Aquitaniæ.

Quoniam cogitandum nobis est qualiter æterni regis amorem obsistente peccatorum pondere amittere non possimus, locis insistentibus divinis cultibus placuit largiri propter regnum æternum Salvatoris nostri, ejusque inibi sibi famulantibus beneficia opportuna : quatenus ab illo remunerati, gaudio sine fine mereamur perfrui. Ideo notum esse volumus omnibus fidelibus præsentibus et futuris, quod petente domno Guillelmo monacho, qui in aula genitoris nostri Caroli Augusti comes exstitit clarissimus, sed pro Dei amore meliorem exercens vitam studuit esse pauper recusando sublimia; ob irrevocabilem vero suæ dilectionis circa nos fidelitatem petitioni ejus præbentes assensum, placuit nobis, tam pro mercedis nostræ augmento, quam pro amore ejus, ad monasterium quod dicitur [a] Gellonis, situm in pago Lutevense juxta fluvium Araur, subtus castrum Virduni, sacratum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi et sanctæ Mariæ sanctique Michaelis, ac sanctorum apostolorum Petri et Pauli et sancti Andreæ omniumque apostolorum, constructum a jam dicto comite Guillelmo in causa nostri C genitoris, ubi [b] Juliofredus rector et abbas præesse videtur, aliquid ex rebus tradere nostris, id est fiscum quemdam nostrum in pago Biderrense qui dicitur Miliacus, cum villa et ecclesia sancti Paragorii, et Miliciano villa atque Campaniano, cum omnibus appendiciis et adjacentiis suis sub omni integritate, sicut a misso nostro comite [c] Gotcelmo per cruces in lapidibus sculptas seu decursus aquarum in terminationibus traditum et assignatum est, a genitore nostro et a nobis possessum. Et in pago jam dicto Lutevense locum qui dicitur Gastrias, vulgare autem Castra-Pastura, ad pecora eorum alenda, cum ecclesia sancti Martini, cum terminis et adjacentiis suis, cum omni integritate, ad diversos usus eorum. Et in eodem pago villam quæ D dicitur Magaranciatis cum ecclesia sancti Felicis, cum omnibus appenditiis et adjacentiis suis. Honorem vero illum, quem domnus Guillelmus seu alii fideles per instrumenta chartarum præfato monasterio tradiderunt, in quibuscunque locis sit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri, totum nos pro æterna remuneratione prædicto monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimonia pautinctur omnis honor quem acquisivit sanctus Willelmus princeps totius Galliæ finibus a dominis et piissimis Carolo et Ludovico imperatoribus. »

[a] Gellonense monasterium situm in Occitania in pago Lutevensi ad Araurim fluviolum, nunc S. Guillelmi de Deserto dicitur, *Saint-Guillem-du-Désert*.

[b] Juliofredi meminit tabularium Gellonense his verbis : « Juliofredus abba, consanguineus Caroli imperatoris, fecit testamentum scribere, in quo continetur omnis honor quem acquisivit sanctus Willelmus princeps totius Galliæ finibus a dominis et piissimis Carolo et Ludovico imperatoribus. »

[c] Gotcelmus filius erat sancti Guillelmi ducis Tolosani, frater Bernardi postmodum ducis Septimaniæ.

perum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Hæc omnia præscripta cum ecclesiis, villis, villaribus, domibus, ædificiis, campis, terris, vineis, olivetis, silvis, garricis, pratis, pascuis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, perviis, exitibus et regressibus, cultis et incultis, cum omnibus adjacentiis earum, totum et integrum prædicto monasterio Gellonensi per hanc donationis auctoritatem perpetualiter concedimus ad habendum : ita videlicet ut quidquid ab hodierno die et tempore de prædictis rebus facere vel ordinare, vel etiam disponere habitatores hujus loci voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi.

Godolelmus notarius ad vicem Guigonis recognovit.

Datum hoc præceptum V Kal. Januarii, [a] Indictione 1, anno 27 domini Ludovici regni, Tolosæ publice; Caroli vero imperii [b] 8. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconcussa manere, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione firmari jussimus, in Dei nomine feliciter. Amen.

Signum domni Ludovici serenissimi regis.

IV.

PRO MONASTERIO DUSERENSI.

(*Anno* 814.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, ex Chifflet. in probat. ad *Hist. abb. Trenorciensis*, pag. 260.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Comperiat interea omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum solertia, qualiter Dexter abbas ex monasterio [c] Duserensi, quod est constructum in honore sanctæ Mariæ virginis et sancti Petri et aliorum sanctorum in territorio Arausico, veniens ad nos, detulit nobis præceptum Caroli serenissimi imperatoris genitoris nostri, in quo continebatur qualiter ipsum locum, qui erat de proprietate soli ejus, ad eumdem [idem] monasterium construendum Norfidio abbati vel ejus successoribus concesserat atque perpetuis temporibus ad habendum confirmaverat. Sed memoratus abba et ejus congregatio petierunt celsitudinem nostram, ut ipsas res cum omnibus appendiciis vel adjacentiis earum, ad ipsam ecclesiam ad eorum supplendas necessitates, ex nostra auctoritate, pro mercedis nostræ augmento confirmaremus : et tale præceptum eis fieri juberemus, per quod memoratas res et alias quæ a Deum timentibus ad eumdem sanctum locum collatæ sunt, quiete habere, atque perpetuis temporibus absque alicujus contrarietate possidere valerent. Quorum petitionem denegare noluimus; sed in omnibus ita præstitisse vel confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, nec ullus ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris, in ecclesias ac loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore juste et rationabiliter per donationem domni et genitoris nostri vel cæterorum fidelium possidere videtur in quibuslibet pagis et territoriis, quidquid ibidem collatum fuit, vel quæque deinceps in jure ipsius sancti loci, aut per nos, aut per alios voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel parocias [paratas] faciendas, aut fidejussores tollendos, vel homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos quamque et servos, qui super terram ipsius residere videntur, distringendos; nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare præsumat. Et quidquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare posset, totum nos pro æterna remuneratione jam dicto monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimoniam pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quando quidem divina vocatione supradictus abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi abbates, quatenus ipsis servis Dei qui ibidem Deo famulare videntur, pro nobis, conjuge proleque nostra, et stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi vel conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectetur. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus melius inconvulsa conservetur, manu propria subscripsimus, et de annulo nostro subter sigillare jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Helisachar recognovi et subscripsi.

Data pridie Kalendas Junias, anno primo Christo propitio imperii nostri, indictione 7. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

V.

PRO MONASTERIO SANCTI SEVERINI BURDEGALENSI.

(*Anno* 814.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag., 458, ex Besio in *Regibus Aquit.*, pag. 17.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris præsentibus scilicet et futuris, quia placuit nobis pro mercedis nostræ augmento ad monas-

[a] Male *indictione* 10 apud Mabillonium, qui illud diploma edidit in Actis SS. ordinis S. Bened. sæc. IV, parte I, pag. 90.

[b] Jam igitur Guillelmus monachus erat anno 807; atque ideo ejus monachatus non est differendus in annum sequentem, ut Cointio visum est, sed anno 806 consignandus, anonymo Vitæ ejus scriptori et Orderico suffragante hoc diplomate.

[c] Vulgo *Donzere* ad Rhodanum.

terium [a] S. Severini prope urbem Burdegalensium, villam quæ dicitur Miscaria, in pago Santonico super fluvium Garumnam sitam, cum omnibus appenditiis suis, ad supplementum fratrum in ipso monasterio consistentium reddere; atque ut perpetuis temporibus quiete illam pars prædicti monasterii habere valeat, per has nostræ auctoritatis litteras confirmare. Proinde hoc præceptum nostrum fieri eis jussimus, per quod cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ præsentibus et futuris notum facimus, ut prædictam villam cum omnibus appenditiis suis vel adjacentiis, cum domibus, ædificiis, terris, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, quidquid ibidem jure pertinere videtur, totum et integrum vel inexquisitum per hanc nostram auctoritatem ad ipsum monasterium agnoscant a nobis esse redditum atque confirmatum. Præcipientes ergo jubemus ut nullus quilibet de prædictis rebus, quas nobis præfato monasterio reddere atque confirmare placuit, aliquid abstrahere aut injuste minuere, aut aliquam contrarietatem facere, vel injustam resultationem inferre tentet: Sed liceat ipsas res memoratas ecclesiæ possidere, atque pro omnibus temporibus ad stipendium fratrum ibidem Deo famulantium proficere. Et nullus eam [eas] exinde ullo unquam tempore abstrahere nitatur, si Dominum vult habere propitium. Nullus unquam judex publicus in prædictis rebus ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ distringendos, aut ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas ingredi audeat, vel exactare præsumat; ita ut hæ futuris temporibus salvæ et illæsæ per nostram defensionem omni tempore persistere valeant. Hæc vero auctoritas ut nostris futurisque temporibus melius credatur, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et a nostris inviolabiliter custodiatur, manu propria subscripsimus. et de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Dat. v Idus Julii, anno 1 Christo propitio imperii nostri, indictione 7. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## VI.

### PRO ECCLESIA CENOMANENSI.

(*Anno* 814.)

[Apud Mabill., *Analect. vet.*, pag. 296.]

In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Noverit sagacitas seu industria fidelium omnium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, eo quod vir venerabilis Franco Cenomanicæ urbis episcopus obtulit serenitati nostræ quasdam auctoritates prædecessorum nostrorum, regum videlicet Francorum, in quibus continebantur quod partim negligentia incuriosorum hominum, partim depopulantibus hostibus ignemque submittentibus, quædam strumenta chartarum per quæ reges reginæque, et cæteri quamplures catholici viri res atque mancipia ecclesiæ in honore Christi martyrum Gervasii et Protasii constructæ, cui auctore Deo ipse præest, contulerant, olim exusta vel concremata fuerint; per quas etiam auctoritates non solum prædecessores sui, rectores videlicet ipsius ecclesiæ, sed etiam ipse in postmodum easdem res vel mancipia, quæ in eisdem quæ exusta fuerunt strumentis, juste et legaliter et secure ac quiete hactenus tenuerant ac possederant, ceu firmitatis studio serenitati nostræ ut easdem auctoritates nostra firmaremus auctoritate. Nos itaque perspectis eisdem auctoritatibus, pro mercedis nostræ augmento, libuit nobis præfati venerabilis viri petitionibus annuere, et eisdem auctoritatibus hanc quoque nostram jungere auctoritatem, per quam jubemus atque præcipimus ut omnes res vel mancipia, quæ ex liberalitate eidem collatæ fuerint ecclesiæ, nostris et futuris temporibus per hanc nostram auctoritatem præfatus Franco episcopus successoresque sui absque ulla inquietudine vel injusta interpellatione quiete et secure habere vel possidere valeant. Quod si forte super eisdem rebus ante præfatam exustionem a prælatis ipsius civitatis jure possessis quæstio orta fuerit, ut pro eis disceptare necesse sit; ita per hanc nostram auctoritatem easdem res et mancipia ipsius ecclesiæ defendantur, sicuti per eadem strumenta, si igni assumpta non fuissent, legibus defendi potuerant. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et in futura tempora conservetur, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signavimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Data XIII Kalend. Septembris, anno 1 Christo propitio imperii nostri, indictione septima. Actum Aquisgrani palatio nostro in Dei nomine feliciter. Amen.

## VII.

### PRO ANISOLENSI MONASTERIO.

(*Anno* 814.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des hist.*, tom. VI, pag. 460, ex archivis hujus monasterii.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante clementia imperator Augustus, omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, actionariis, missis nostris discurrentibus, vel cunctis fidelibus, etc.

Proinde comperiat omnium fidelium nostrorum solertia quia vir venerabilis Adalgisus abba ex monasterio Anisola veniens ad nos, detulit serenitati nostræ præceptum domni ac genitoris nostri Caroli serenissimi imperatoris, in quo continebatur qualiter ipse et avus noster Pippinus bonæ memoriæ rex, seu antecessores eorum, reges videlicet priores, ob amorem Dei tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium, semper ipsum monasterium sub plenis-

[a] Hoc monasterium postea cum Blaviensi S. Romani idem imperator ad preces Sicharii episcopi Ecclesiæ Burdegalensi subjecit.

perum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Hæc omnia præscripta cum ecclesiis, villis, villaribus, domibus, ædificiis, campis, terris, vineis, olivetis, silvis, garricis, pratis, pascuis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, perviis, exitibus et regressibus, cultis et incultis, cum omnibus adjacentiis earum, totum et integrum prædicto monasterio Gellonensi per hanc donationis auctoritatem perpetualiter concedimus ad habendum : ita videlicet ut quidquid ab hodierno die et tempore de prædictis rebus facere vel ordinare, vel etiam disponere habitatores hujus loci voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi.

Godolelmus notarius ad vicem Guigonis recognovit.

Datum hoc præceptum V Kal. Januarii, [a] Indictione 1, anno 27 domini Ludovici regni, Tolosæ publice; Caroli vero imperii [b] 8. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconcussa manere, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione firmari jussimus, in Dei nomine feliciter. Amen.

Signum domni Ludovici serenissimi regis.

## IV.

### PRO MONASTERIO DUSERENSI.

(*Anno* 814.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, ex Chifflet. in probat. ad *Hist. abb. Trenorciensis*, pag. 260.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Comperiat interea omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum solertia, qualiter Dexter abbas ex monasterio [c] Duserensi, quod est constructum in honore sanctæ Mariæ virginis et sancti Petri et aliorum sanctorum in territorio Arausico, veniens ad nos, detulit nobis præceptum Caroli serenissimi imperatoris genitoris nostri, in quo continebatur qualiter ipsum locum, qui erat de proprietate soli ejus, ad eumdem [idem] monasterium construendum Norfidio abbati vel ejus successoribus concesserat atque perpetuis temporibus ad habendum confirmaverat. Sed memoratus abba et ejus congregatio petierunt celsitudinem nostram, ut ipsas res cum omnibus appendiciis vel adjacentiis earum, ad ipsam ecclesiam ad eorum supplendas necessitates, ex nostra auctoritate, pro mercedis nostræ augmento confirmaremus : et tale præceptum eis fieri juberemus, per quod memoratas res et alias quæ a Deum timentibus ad eumdem sanctum locum collatæ sunt, quiete habere, atque perpetuis temporibus absque alicujus contrarietate possidere valerent. Quorum petitionem denegare noluimus; sed in omnibus ita præstitisse vel confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, nec ullus ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris, in ecclesias ac loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore juste et rationabiliter per donationem domni et genitoris nostri vel cæterorum fidelium possidere videtur in quibuslibet pagis et territoriis, quidquid ibidem collatum fuit, vel quæque deinceps in jure ipsius sancti loci, aut per nos, aut per alios voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel parocias [paratas] faciendas, aut fidejussores tollendos, vel homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos quamque et servos, qui super terram ipsius residere videntur, distringendos; nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare præsumat. Et quidquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare posset, totum nos pro æterna remuneratione jam dicto monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimoniam pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quando quidem divina vocatione supradictus abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, quamdiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi abbates, quatenus ipsis servis Dei qui ibidem Deo famulare videntur, pro nobis, conjuge proleque nostra, et stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi vel conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectetur. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus melius inconvulsa conservetur, manu propria subscripsimus, et de annulo nostro subter sigillare jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Helisachar recognovi et subscripsi.

Data pridie Kalendas Junias, anno primo Christo propitio imperii nostri, indictione 7. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## V.

### PRO MONASTERIO SANCTI SEVERINI BURDEGALENSI.

(*Anno* 814.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag., 458, ex Bessio in *Regibus Aquit.*, pag. 17.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris præsentibus scilicet et futuris, quia placuit nobis pro mercedis nostræ augmento ad monas-

[a] Male *indictione* 10 apud Mabillonium, qui illud diploma edidit in Actis SS. ordinis S. Bened. sæc. IV, parte I, pag. 90.

[b] Jam igitur Guillelmus monachus erat anno 807; atque ideo ejus monachatus non est differendus in annum sequentem, ut Cointio visum est, sed anno 806 consignandus, anonymo Vitæ ejus scriptori et Orderico suffragante hoc diplomate.

[c] Vulgo *Donzere* ad Rhodanum.

terium [a] S. Severini prope urbem Burdegalensium, villam quæ dicitur Miscaria, in pago Santonico super fluvium Garumnam sitam, cum omnibus appenditiis suis, ad supplementum fratrum in ipso monasterio consistentium reddere; atque ut perpetuis temporibus quiete illam pars prædicti monasterii habere valeat, per has nostræ auctoritatis litteras confirmare. Proinde hoc præceptum nostrum fieri eis jussimus, per quod cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ præsentibus et futuris notum facimus, ut prædictam villam cum omnibus appenditiis suis vel adjacentiis, cum domibus, ædificiis, terris, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, quidquid ibidem jure pertinere videtur, totum et integrum vel inexquisitum per hanc nostram auctoritatem ad ipsum monasterium agnoscant a nobis esse redditum atque confirmatum. Præcipientes ergo jubemus ut nullus quilibet de prædictis rebus, quas nobis præfato monasterio reddere atque confirmare placuit, aliquid abstrahere aut injuste minuere, aut aliquam contrarietatem facere, vel injustam resultationem inferre tentet: Sed liceat ipsas res memoratas ecclesiæ possidere, atque pro omnibus temporibus ad stipendium fratrum ibidem Deo famulantium proficere. Et nullus eam [eas] exinde ullo unquam tempore abstrahere nitatur, si Dominum vult habere propitium. Nullus unquam judex publicus in prædictis rebus ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ distringendos, aut ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas ingredi audeat, vel exactare præsumat; ita ut hæ futuris temporibus salvæ et illæsæ per nostram defensionem omni tempore persistere valeant. Hæc vero auctoritas ut nostris futurisque temporibus melius credatur, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et a nostris inviolabiliter custodiatur, manu propria subscripsimus. et de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Dat. v Idus Julii, anno 1 Christo propitio imperii nostri, indictione 7. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## VI.

### PRO ECCLESIA CENOMANENSI.

(*Anno* 814.)

[Apud Mabill., *Analect. vet.*, pag. 296.]

In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Noverit sagacitas seu industria fidelium omnium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, eo quod vir venerabilis Franco Cenomanicæ urbis episcopus obtulit serenitati nostræ quasdam auctoritates prædecessorum nostrorum, regum videlicet Francorum, in quibus continebantur quod partim negligentia incuriosorum hominum, partim depopulantibus hostibus ignemque submittentibus, quædam strumenta chartarum per quæ reges reginæque, et cæteri quamplures catholici viri res atque mancipia ecclesiæ in honore Christi martyrum Gervasii et Protasii constructæ, cui auctore Deo ipse præest, contulerant, olim exusta vel concremata fuerint; per quas etiam auctoritates non solum prædecessores sui, rectores videlicet ipsius ecclesiæ, sed etiam ipse in postmodum easdem res vel mancipia, quæ in eisdem quæ exusta fuerunt strumentis, juste et legaliter et secure ac quiete hactenus tenuerant ac possederant, ceu firmitatis studio serenitati nostræ ut easdem auctoritates nostra firmaremus auctoritate. Nos itaque perspectis eisdem auctoritatibus, pro mercedis nostræ augmento, libuit nobis præfati venerabilis viri petitionibus annuere, et eisdem auctoritatibus hanc quoque nostram jungere auctoritatem, per quam jubemus atque præcipimus ut omnes res vel mancipia, quæ ex liberalitate eidem collatæ fuerint ecclesiæ, nostris et futuris temporibus per hanc nostram auctoritatem præfatus Franco episcopus successoresque sui absque ulla inquietudine vel injusta interpellatione quiete et secure habere vel possidere valeant. Quod si forte super eisdem rebus ante præfatam exustionem a prælatis ipsius civitatis jure possessis quæstio orta fuerit, ut pro eis disceptare necesse sit; ita per hanc nostram auctoritatem easdem res et mancipia ipsius ecclesiæ defendantur, sicuti per eadem strumenta, si igni assumpta non fuissent, legibus defendi potuerant. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et in futura tempora conservetur, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signavimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Data XIII Kalend. Septembris, anno 1 Christo propitio imperii nostri, indictione septima. Actum Aquisgrani palatio nostro in Dei nomine feliciter. Amen.

## VII.

### PRO ANISOLENSI MONASTERIO.

(*Anno* 814.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des hist.*, tom. VI, pag. 460, ex archivis hujus monasterii.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante clementia imperator Augustus, omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, actionariis, missis nostris discurrentibus, vel cunctis fidelibus, etc.

Proinde comperiat omnium fidelium nostrorum solertia quia vir venerabilis Adalgisus abba ex monasterio Anisola veniens ad nos, detulit serenitati nostræ præceptum domni ac genitoris nostri Caroli serenissimi imperatoris, in quo continebatur qualiter ipse et avus noster Pippinus bonæ memoriæ rex, seu antecessores eorum, reges videlicet priores, ob amorem Dei tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium, semper ipsum monasterium sub plenis-

[a] Hoc monasterium postea cum Blaviensi S. Romani idem imperator ad preces Sicharii episcopi Ecclesiæ Burdegalensi subjecit.

sima defensione et immunitatis tuitione habuissent. A Sed pro firmitatis studio petiit prædictus abba ut circa ipsum sanctum locum denuo talia pro mercedis nostræ augmento concedere et confirmare deberemus. Cujus petitionem pro divino amore renuere noluimus. Sed in omnibus et præsentes et futuri fideles sanctæ Ecclesiæ et nostri ita concessum atque perpetuo a nobis confirmatum esse cognoscant. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, nec ullus ex fidelibus sanctæ Ecclesiæ et nostris, in ecclesias aut loca vel agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore juste et rationabiliter possidere videtur in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii nostri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut inferendas exactan- B das, sive mansiones vel paratas faciendas, nec fidejussores tollendos, aut homines ejusdem ecclesiæ distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare præsumat. Sed liceat memorato abbati suisque successoribus res præfatæ Ecclesiæ sub immunitatis defensione quieto tramite possidere, et nobis fideliter deservire, atque pro stabilitate nostra vel totius imperii a Deo nobis concessi atque conservandi, una cum fratribus suis, Domini misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritatis confirmatio firmior ac robustior habeatur, et ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris diligentius conservetur, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus. C

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Helisachar recognovi.

Data VIII Kal. Septemb., anno primo Christo propitio imperii nostri, indict. 7. Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

## VIII.

### PRO BETTONE EPISCOPO LINGONENSI.

(*Anno* 814.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 461; in Instrum. ad tom. IV *Galliæ Christianæ*, col. 129.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si sacerdotibus in quibuslibet necessitatibus ecclesiasticis nostra auctoritate sublevandis consulimus, et ad ministerium suum liberius exsequendum opem ferimus, a summo pontifice Domino nostro Jesu Christo æternæ remunerationis largiri nobis præmia non ambigimus. Notum sit igitur omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia venerabilis Betto Lingonensium urbis episcopus obtulit nobis auctoritates antecessorum nostrorum regum, in quibus insertum reperimus quod olim propter occupationem Saracenorum, instrumenta chartarum, vel etiam immunitates regum, quæ ibidem erant, perdita vel dirupta fuissent, et iidem reges sua auctoritate, miserandi gratia, ad preces prædecessorum suorum episcoporum eamdem revelare jacturam..... ita videlicet, ut [per] eorum auctoritatem antecessores sui episcopi res et mancipia, quæ in eisdem instrumentis chartarum incendio exustis continebantur, sive eadem quæ postea a catholicis viris eidem collata fuerunt ecclesiæ, hactenus secure et quiete in jure et potestate prædictæ tenuissent ecclesiæ. Sed et ipsam sanctam sedem antecessores nostri reges cum cellulis subjectis vel omnibus rebus juste ad se aspicientibus, munitionem videlicet Lingonicæ civitatis, ubi habetur ecclesia in honorem sancti Mammetis eximii martyris; Castrum Divionense, in quo sita est ecclesia in honore sancti Stephani protomartyris, et juxta murum monasterium B. Benigni cum omni eorum integritate; et in pago Tornotrense [*Le Tonnerrois*], monasterium Melundense, et in eodem pago Castrum Tornotrense, caput videlicet comitatus; et abbatiolam S. Symphoriani in Ladiniaco, cum ecclesiis aliisque rebus sibi aspicientibus; et infra muros jam dictæ Lingonis abbatiam S. Petri; et juxta eamdem civitatem monasterium sanctorum Geminorum; et in comitatu Portense, cum omnibus sibi competentibus, ecclesiam S. Gengulfi martyris Christi, quæ quondam quorumdam principum tyrannica sacrilegaque temeritate, atque illicita præsumptione sine omnipotentis Dei respectu substracta fuisset; sed per eumdem decretum in eodem loco restituta et confirmata: et in pago Atoariorum monasterium Besuense sub plenissima semper defensione et immunitatis tuitione habuissent. Ob firmitatem tamen rei postulavit prædictus Betto episcopus ut eorumdem regum auctoritates, ob amorem Dei et reverentiam sancti Mammæ martyris, nostra confirmaremus auctoritate. Cujus petitioni libenter acquievimus, et hoc præceptum auctoritatis nostræ circa ipsum locum, pro amore omnipotentis Dei et S. Jacobi apostoli et fratris Domini, cujus brachium in ecclesia S. Mammetis conditum est, fieri decrevimus, per quod jubemus atque præcipimus ut nemo fidelium nostrorum, vel quilibet ex judiciaria potestate, in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, sive eas ante præfatam occupationem Saracenorum a rectoribus ipsius ecclesiæ per præfata strumenta chartarum legaliter possessas, et pro auctoritate confirmationis antecessorum nostrorum D regum postea ad partem ipsius Ecclesiæ confirmatas, [ad] nullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt exigere penitus præsumat; sed liceat memorato præsuli suisque successoribus res prædictæ ecclesiæ, cum cellulis sibi subjectis, sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, et nobis fideliter deservire, atque pro stabilitate nostra vel totius imperii a Deo nobis collati vel conservandi, una cum clero et populo sibi subjecto, Dei misericordiam exorare. Et quidquid exinde fiscus noster exigere debet, ad integrum prædictæ ecclesiæ concedimus, ut perpetuis temporibus ibidem proficiat in augmentum. Et hanc

auctoritatem, ut firmius in Dei nomine habeatur, et A a fidelibus sanctæ Ecclesiæ et nostris diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Helisakar recognovit et subscripsit

IX.

PRO HILDEGRINO HALBERSTADIENSI EPISCOPO.

(*Anno* 814.)

[Apud Leibnitz., *Script. Rer. Brunswic.*, tom. II pag. 111.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si sacerdotum ac servorum Dei petitiones, quæ nobis de necessitatibus innotuerint, ad effectum per- B ducimus, non solum imperialem exercemus consuetudinem, verum et ad beatæ retributionis mercedem talia a nobis facta credimus profutura. Quapropter notum sit omnium fidelium nostrorum industriæ, præsentium scilicet et futurorum, quia Hildegrinus Catholanensis, ecclesiæ Halberstadiensis episcopus venerabilis, quæ est constructa in honorem Christi suique protomartyris Stephani, super fluvium Hôltemma in pago Hartingowe, cujus parochia piissimi patris nostri Caroli imperatoris Augusti statuta et determinata est his pagis: Darlingowe et Northûringowe et Belinesheim, Hartingowe, Svavia et Hassingowe, veniens ad nos, detulit nobis immunitates sancti genitoris nostri pie semper memorandi, C in quibus continebatur quomodo ipsam sedem sub plenissima defensione et immunitatis tuitione habuisset. Pro firmitatis namque studio petivit nos idem præfatus episcopus ut ei denuo similia pro mercedis nostræ augmento concedere et confirmare debeamus. Cujus petitioni pro divino amore assensimus, et ita in omnibus quæ juste et rationabiliter petiit, per hanc nostram auctoritatem studuimus confirmare. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, seu aliquis ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostris, in ecclesiam aut loca vel agros seu reliquas possessiones quas moderno tempore juste et rationabiliter possidere videntur, in quibuslibet pagis et territoriis sitas, vel quidquid deinceps etiam propter amorem divinum D collatum est, et ad causas audiendas vel feuda [freda] exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos quam servos, injuste distringendos, aut ullas redhibitiones vel villicatus occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi vel exactare præsumat. Insuper etiam præscriptorum incolas omnes pagorum præfatæ ecclesiæ suas decimas fideliter persolvere pro divino amore jubemus; et donamus, ut omnibus temporibus in alimoniam pauperum et stipendia servorum Dei, ibidem Deo famulantium, proficiant in augmentum; quatenus ipsis servis Dei qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge proleque nostra, et pro stabilitate totius imperii nostri, a Deo nobis concessi atque conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet, prædictam vero parochiam illius circumquaque per diversos pagos sitam, nemo fidelium nostrorum ei exinde aliquid abstrahere aut prohibere præsumat; quin ei liceat per hanc nostram auctoritatem verbum prædicationis Domino auxiliante exercere, et ministerium suum plene peragere. Et ut auctoritas hæc, nostris futurisque temporibus Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Dat. IV Non. Sept., anno incarn. Dominicæ 814, indict. 8, anno 1 imperii nostri. Actum in Aquisgrani palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

X.

PRO HILDEBALDO EPISCOPO MATISCONENSI.

(*Anno* 814.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des hist.*, tom. VI, pag. 462, in Instr. ad tom. IV *Galliæ Christ.*, col. 264.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris Jesu Christi, Hludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis nobis a Deo collatis, locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis et ad mortalem vitam feliciter transigendam, et ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum sit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam et futurorum [industriæ], quia placuit nobis pro mercedis nostræ augmento, et animæ nostræ emolumento, res proprietatis nostræ, quæ sunt in pago Lugdunensi, in villa quæ vocatur Rosarias, quas olim quædam femina Dei sanctimonialis Anstrudis domino et genitori meo Carolo bonæ memoriæ præstantissimo imperatori per chartulam delegavit donationis, ecclesiæ S. Vincentii Matisconensis tradere, ubi Hildebaldus episcopus præest. Has itaque res, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, cum mancipiis duobus, his nominibus, Elmengario videlicet et Adgerio, cum casa indominicata, curtis, soliis [silvis], pratis, perviis, exitibus, vel omnibus adjacentiis, vel quantumcunque eadem sanctimonialis femina in eadem villa sua fuit possessio [visa fuit possidere], et præsenti tempore nostri juris atque possessionis in eadem villa Rosarias in re proprietatis est, totum et ad integrum, vel inexquisitum prædictæ ecclesiæ sancti Vincentii martyris et congregationi ibidem Deo famulanti in nostra concessimus eleemosyna. Quapropter volumus atque jubemus ut per hanc nostram auctoritatem præsentibus videlicet et futuris temporibus prædictas res, cum mancipiis superius nominatis et omnibus rebus ad se pertinentibus, eadem ecclesia in nostra eleemosyna concessas habeat, atque jure perpetuo in ditione ipsius ecclesiæ [consistant]; ea conditione videlicet ut quidquid de eisdem rebus ob utilitatem et profectum, rectores ipsius ecclesiæ vel congregatio ipsius sancti loci ab hodierno die et tempore facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Et ut hæc

auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, et per diuturna tempora inviolabilem et inconvulsum obtineat effectum, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Helisacar recognovit.

Data quinto Idus Septembris, anno primo imperii nostri, indictione 7. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine.

## XI.

### PRO WIRUNDO ABBATE STABULENSI ET MALMUNDARIENSI.

(*Anno* 814.)

[Apud Marten., *Ampl. Collect.*, tom. I, pag. 21.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, telonariis, actionariis, missis nostris discurrentibus vel hominibus rempublicam administrantibus, seu cæteris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, et nostris tam præsentibus quam et futuris notum sit quia vir venerabilis Wirundus abba et omnis congregatio ex monasterio Stabulau et Malmundario, quod est situm in silva Ardennense, constructum in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli seu et Martini, ubi et sanctus Remaclus corpore requiescit, petierunt serenitatem nostram, ut eis concessissemus teloneum de eorum navibus, quæ per Rhenum et per Mosam flumina propter eorum supplendas necessitates discurrunt, necnon et de carris et sagmariis necessaria eorum deferentibus. Quorum petitionibus nobis ob amorem Dei et venerationem sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac sancti Martini confessoris annuere, et hoc præceptum magnificentia nostra firmitatis gratia circa ipsos fieri libuit, per quod jubemus atque præcipimus ut nemo fidelium nostrorum nec quilibet exactor judiciariæ potestatis de carris vel sagmariis ipsius congregationis, de quolibet commercio undecunque videlicet fiscus teloneum exigere potest, ut nullo loco teloneum accipere vel exigere præsumat. Naves vero quæ dicta flumina ob utilitatem et necessitatem ipsius congregationis discurrunt, ad quascunque civitates aut portus, vel cætera loca accessum habuerint, nullus ex eis aut hominibus qui eas præviderit, nullum teloneum, aut ripaticum, aut postaticum, aut pontaticum, aut salutaticum, aut cenaticum, aut pastionem, aut trauvaticum, aut ullum occursum vel ullum censum, aut ullam redhibitionem accipere vel exigere audeat, sed licitum sit eis absque alicujus illicita contrarietate vel detentione per hanc nostram auctoritatem naves et homines, qui eas providere debent, cum his quæ deferunt per universum imperium nostrum libere atque secure ire et redire, et si aliquas moras in qualibet loca fecerint, aut aliquid mercati fuerint aut vendiderint, nihil ab eis prorsus, ut dictum est, exigatur. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris diligentius conservetur, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Data Kalend. Octob., anno primo, Christo propitio, imperii domini Ludovici Augusti, indictione 8.

Actum Cispiaco palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XII.

### PRO MONASTERIO CRASSENSI.

(*Anno* 814.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des hist.*, t. VI, pag. 463, ex probationibus *novæ Historiæ Occitaniæ*, tom. I, pag. 41.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quoddam conferimus beneficium, et necessitates ecclesiasticas ad petitiones servorum Dei nostro relevamus juvamine, atque imperiali tuemur munimine, id nobis ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Igitur noverit sagacitas seu utilitas omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, tam præsentium quam futurorum, quia vir venerabilis Attala abbas ex monasterio S. Mariæ, quod est situm super fluvium Orbionem in confinio Narbonense et Carcassense, obtulit obtutibus nostris auctoritates immunitatis domini et genitoris nostri bonæ memoriæ Caroli piissimi Augusti, in quibus erat insertum qualiter idem genitor noster eumdem monasterium cum cellulis sibi subjectis, una quæ vocatur Flexus, quæ est constructa in honore sancti Cucufati in territorio Carcassense, super fluvium qui vocatur Atax, cum omnibus appenditiis vel adjacentiis suis; altera, quæ dicitur Caput Spina, quæ est dicata in honore S. Petri principis apostolorum, in territorio Narbonensi, super rivulum qui vocatur Clamesitis, cum omnibus appendiciis vel adjacentiis suis; tertia, quæ nuncupatur Palma, quæ est sita in territorio eodem Narbonense super littus maris, cum omnibus ad se pertinentibus, una cum congregationibus ibidem Deo famulantibus, ob amorem Dei tranquillitatemque in eisdem locis consistentibus, semper sub plenissima tuitione et immunitatis defensione consistere fecisset. Sed pro rei firmitate postulavit nobis prædictus abbas et omnis ejus congregatio, ut paternum morem sequentes, hujusmodi nostræ immunitatis præceptum, ob amorem Dei et reverentiam divini cultus, erga ipsum monasterium et cellulas sibi subjectas fieri censeremus. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, et hoc nostræ auctoritatis præceptum, immunitatis atque tuitionis gratia, pro firmitatis studio et animæ nostræ emolumento fieri decrevimus; per quod præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, aut nullus ex fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, in cellulas, aut in ecclesias, vel

loca, sive agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii nostri possident; quidquid ibidem propter divinum amorem collatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci aut per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri; ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos quamque et servos, super terram ejusdem commanentes, distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat præfato abbati suisque successoribus res ejusdem monasterii cum cellulis sibi subjectis, et rebus vel hominibus aspicientibus vel pertinentibus, sub tuitionis et immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere. Et quidquid de præfatis rebus monasterii jus fisci exigere poterat, in nostra eleemosyna in integrum eidem concessimus monasterio; scilicet ut perpetuo tempore ad peragendum Dei servitium augmentum et supplementum fiat. Et quando quidem divina vocatione supradictus abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi abbates; quatenus ipsi servi Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge proleque nostra, et stabilitate totius imperii a Deo nobis conlati, et ejus clementissima miseratione per immensum conservandi, Domini clementiam jugiter exorare delectent. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Data XIII Kal. Decembris, anno 1 Christo propitio imperii domini Ludovici serenissimi imperatoris, indictione 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

### XIII.

#### PRO EODEM CRASSENSI MONASTERIO.

(*Anno* 814.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, ut supra.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, missis discurrentibus vel omnibus rem publicam administrantibus, seu cæteris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, notum sit quia vir venerabilis Attala abba ex monasterio S. Mariæ veniens ad nos, deprecatus est celsitudinem nostram ut eidem monasterio et congregationi ibidem Deo degenti concessissemus, ut de carris et sagmariis necessaria ipsius monasterii vel congregationis ibidem famulantis Deo, vel naves quæ per mare vel flumina discurrunt illorum, vel de omnibus undecunque fiscus teloneum exigere poterat, concederemus, et nostram auctoritatem eidem faceremus vel confirmaremus monasterio. Cujus precibus nobis ob amorem Dei et venerationem illius sancti loci annuere, et hoc præceptum munificentiæ nostræ, firmitatis gratia, circa ipsam congregationem fieri libuit; per quod jubemus atque præcipimus ut nemo fidelium nostrorum, nec quilibet exactor judiciariæ potestatis de carris et sagmariis aut de navibus, vel de quolibet commercio, undecunque fiscus teloneum exigere potest, ullum teloneum accipere aut exactare præsumat. Et ubicunque naves eorum aut aliqua commercia ad quascunque villas, aut loca accessum habuerint, nullus exigat de hominibus eorum ullum obcursum, aut ullum censum, aut ullam redhibitionem accipere vel exactare præsumat. Sed licitum sit eis absque alicujus illicita contrarietate vel detentione, per hanc nostram auctoritatem, homines qui eorum causa prævidere debent, cum his quæ deferunt, per universum imperium nostrum libere atque secure ire et redire. Et si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint, aut vendiderint, nihil ab eis prorsus, ut dictum est, exigatur aut exactetur. Hæc vero auctoritas nostra ut diligentius credatur vel conservetur, eam de annulo nostro sigillari jussimus.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data... anno Christo propitio 1 imperii domni Ludovici serenissimi Augusti, indict. 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

### XIV.

#### PRO CHRISTIANO NEMAUSENSI EPISCOPO.

(*Anno* 814.)

[Apud Baluzium, lib. IV *Miscell.*, pag. 420.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Cum petitionibus sacerdotum justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non dubitamus: idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, utilitas, quia vir venerabilis Christianus Nemausa civitate episcopus obtulit obtutibus nostris immunitatem domni et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ piissimi Augusti, in qua erat insertum qualiter idem genitor noster et prædecessores ejus reges prædictam sedem, quæ est in honore sanctæ Mariæ semper virginis seu et sancti Baudelii constructa, una cum cellulis duabus, una quæ dicitur Tornagus, quæ est constructa in honore sancti Stephani protomartyris, et alia quæ dicitur Vallis Flaviana, quæ est in honore sancti Petri principis apostolorum constructa, seu et aliis cellulis ibidem aspicientibus, ob amorem Dei tranquillitatemque fratrum semper sub plenissima tuitione et immunitatis defensione habuissent. Propter firmitatem tamen rei nobis postulavit præfatus episcopus Christianus ut

eorumdem regum auctoritates ob amorem Dei et reverentiam ipsius sancti loci nostra confirmaremus auctoritate. Cujus petitioni libenter acquievimus, et ita in omnibus concessimus, atque per hoc præceptum nostræ auctoritatis confirmamus. Præcipientes ergo jubemus ut nemo fidelium nostrorum, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, sive eas quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii juste et legaliter prædicta sedes seu cellulas possidet, vel ea quæ deinceps a bonis viris eisdem collata fuerint ecclesiis, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, nec fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos quam servos, super terram ipsius commanentes injuste distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris aut futuris temporibus ingredi audeant, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumant. Sed liceat memorato præsuli suisque successoribus res prædictarum ecclesiarum cum omnibus sibi subjectis sub immunitatis defensione quieto ordine possidere, et nobis fideliter deservire, atque pro stabilitate nostra vel totius imperii a Deo nobis collati vel conservandi, una cum clero et populo sibi subjecto, libere Domini misericordiam exorare. Et quidquid exinde fiscus noster sperare poterat, ad integrum concedimus, ut perpetuis temporibus ibidem Deo famulantibus proficiat in augmentum. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconcussa manere, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Data IV Kal. Decembris, anno primo Christo propitio imperii domni Ludovici serenissimi Augusti, indictione 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XV.

### DE NUNDINIS SANCTI DIONYSII.

(*Anno* 814.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, p. 466, ex Dubleto in *Hist. abb. S. Dionysii*, pag. 733.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Imperialem celsitudinem decet prædecessorum suorum pie facta non solum inviolabiliter conservare, sed etiam censuræ suæ auctoritate alacriter confirmare, ut videlicet munus tot principum auctoritatibus ob amorem Dei collatum vel confirmatum, ab his quibus attributum est, et firmius teneatur, et securius possideatur. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, tam præsentibus quam et futuris, quia vir venerabilis Hilduinus abba ex monasterio sancti Dionysii, quod est constructum in territorio Parisiaco ubi ipse sanctus Dionysius et comites ejus corpore requiescunt, detulit obtutibus nostris præceptum auctoritatis domni et
A genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ piissimi Augusti, in quo erat insertum eo quod ipse et avus noster Pippinus quondam rex, seu etiam prædecessores eorum, reges videlicet Francorum præceptis auctoritatum suarum præfato monasterio congregationique ibidem Deo famulanti concessissent omne teloneum de mercato, qui fit annuatim festivitate ejusdem sancti Dionysii in prælato territorio Parisiaco, ex omnibus negotiatoribus, qui undique tam ex Saxonum gente, quam et Frisionum vel aliarum quarumlibet gentium, quæ de diversis provinciis et territoriis in eumdem negotiandi gratia conveniunt mercatum : necnon et ex omnibus carris et navibus et cæteris vehiculis, quibus vinum et mel et alia diversa commercia illuc ad mercandum deportantur;
B seu etiam et de cunctis aliis mercimoniis quæ tunc temporis non solum in eodem mercatu et infra eamdem Parisiorum urbem, seu etiam quæ per villas et agros et cætera loca in circuitu illius mercatus posita negotiantur, vel de omnibus undecunque jus fisci teloneum accipere poterat. Continebatur etiam in eadem auctoritate quod quidam temerario ausu eumdem mercatum a potestate monasterii sancti Dionysii subripuissent, et rectores præfati monasterii ipsum ad integrum coram Grimaldo Majore domus sibi legaliter evindicassent, et quod Soanachildis et Gerfredus ejusdem civitatis quondam comes cupiditate ducti, cunctis mercatoribus, liberis videlicet et servis, illuc mercandi gratia confluentibus, singulis, excepto alio teloneo quod exsolvebant, qua-
C tuor denarios superaddidissent, et multi hoc censu mulctati, ab eodem se mercatu retrahebant; et [et quod] permodicum teloneum de eodem mercatu ad partem monasterii sancti Dionysii pro hac causa exigebatur; et quod hunc superimpositum censum præfatus genitor noster censuræ suæ auctoritate resecasset vel abdicasset, et secundum suam auctoritatem et confirmationem hactenus ipsum teloneum ad integrum pars monasterii sancti Dionysii habuisset vel accepisset. Pro rei tamen firmitate postulavit nobis prædictus abbas una cum congregatione ad regendum sibi commissa, ut morem paternum sequentes, nostram etiam auctoritatem super hac re erga ipsum sanctum locum fieri censeremus. Quorum petitionibus ob amorem Dei et venerationem sancti
D Dionysii patroni nostri, nobis aurem clementer accommodare libuit. Quapropter præcipimus atque jubemus ut, sicut ab aliis regibus Francorum et avo nostro Pippino ipsum teloneum concessum vel confirmatum est, et coram Grimaldo Majore domus ad partem ipsius monasterii evindicatum, et postea a præfato domno et genitore nostro Carolo imperatore, abdicatis malorum hominum superadditis consuetudinibus, firmius collatum eidem monasterio exstat; ita deinceps nostris futurisque temporibus per hanc nostram auctoritatem inviolabiliter permaneat indultum. Ita duntaxat ut omne teloneum de eodem mercatu, qui fit annis singulis festivitate sancti Dionysii in præfato Parisiaco pago, rectores vel congregatio

præfati monasterii in usum suum vindicent absque A alicujus inquietudine et injusta contrarietate, tam ex negotiatoribus Saxonicæ et Frisionicæ gentis, quamque et ex aliis gentibus quæ de diversis provinciis et territoriis illuc eo tempore negotiandi conveniunt gratia, necnon et de carris et navibus et cæteris vehiculis, quibus vinum et mel et alia pleraque commercia illuc ad mercandum deportantur, seu etiam et de cunctis aliis mercimoniis, quæ sive in eodem mercatu, sive infra Parisiorum urbem, sive in quibuslibet aliis villis, locisque, et agris, in circuitu illius mercatus circumjectum tunc temporis a negotiatoribus illuc convenientibus fiunt. De omnibus scilicet undecunque fiscus teloneum exigere potest, omne teloneum ad integrum per hanc nostram auctoritatem præfato, ut dictum est, conferimus mona- B sterio, ut in usus congregationis ibidem Deo famulantis, et luminaria ipsius ecclesiæ concinnanda, in nostra eleemosyna perpetim cedat. Præcipimus etiam atque jubemus ut nullus fidelium nostrorum, nec quilibet exactor judiciariæ potestatis, aliquam contrarietatem aut inquietudinem de eodem teloneo contra rectores ipsius monasterii ejusque congregationis ab hodierno die et tempore facere aut generare præsumat, nec illum censum quem [a] Soanachilde et Gerfredo comite superadditum, et a domno et genitore nostro abdicatum est, nec alium quemlibet censum negotiatoribus illuc convenientibus superaddere audeat : sed remoto totius inquietudinis impedimento et temerariorum hominum ausu, pars prædicti monasterii per hanc nostram auctoritatem C nostris et futuris temporibus in integrum in eleemosyna nostra præfatum teloneum accipiat. Hanc itaque auctoritatem, ut firmior in Dei nomine per multa annorum curricula habeatur, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris melius credatur et diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signare jussimus.

Signum domni Ludovici serenissimi imperatoris.

Helisachar recognovi.

Data Kal. Decembris, anno propitio Christo primo imperii domni Ludovici serenissimi Augusti, indictione 7. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XVI. D

### DE NUNDINIS MONASTERII DIONYSIANI.

(*Anno* 814.)

[Apud eosdem, *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus, Begoni illustri comiti, et omnibus successoribus tuis præsentibus et futuris, atque rei publicæ administratoribus, sive exactoribus infra pagum Parisiacum telonea recipientibus, seu his omnibus qui infra eumdem pagum honores habere videntur.

Notum vobis esse credimus et notum facimus qualiter omne teloneum de quibuscunque mercimoniis a vigilia præclaræ solemnitatis beati Dionysii usque dum mercatum ipsius finitum habeatur, et auctoritate et præceptis avi nostri Pippini quondam regis, et domni genitoris nostri Caroli piæ memoriæ imperatoris, nostraque pariter corroboratione, quodcunque acquiri potest, partibus sancti Dionysii reddi atque haberi debeat, tam de portatico, et pontatico, et ripatico, et rotatico, et timonatico, et volutatico, et cispitatico, et pulveratico, et fortatico, et laudatico, ac salutatico, quam etiam et de reliquis omnibus mercimoniis, unde lex publica teloneum exigi possit vel debeat. Unde nunc quoque comperientes quod quidam prædictorum nostrorum ministerialium supra dictis regiis auctoritatibus temerario ausu in reddendo vel exigendo eodem teloneo contraire apertissima refragatione videntur, hanc nostræ auctoritatis chartulam memorato sancto loco ejusque rectoribus denuo fieri jussimus, per quod viva jussione vobis et omnibus successoribus vestris expresse præcipimus, quatenus prædicta lex et regiæ auctoritatis decretum a nemine quoquam vestrorum atque successorum vestrorum violari unquam præsumatur, sicut de Dei et nostra gratia curatis, etc. Ut autem hæc tractatoria nostris futurisque temporibus verius credatur, et devotius a vobis et successoribus vestris obediatur, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Ego Helisachar recognovi.

## XVII.

### PRO MAJORI MONASTERIO.

(*Anno* 814.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 468, ex chartulario ejusdem monasterii.]

Ludovicus Dei ordinante providentia imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejusque in eisdem locis famulantibus opportuna largimur, præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Proinde comperiat omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, tam præsentium quam etiam futurorum, industria, quia vir venerabilis Hieremias abba ex monasterio S. Martini majoris, quod est constructum prope Turon. civitatem super alveum Ligeris, obtulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis domni et genitoris nostri bonæ memoriæ Caroli piissimi Augusti, in qua erat insertum qualiter idem genitor noster eumdem monasterium, ob amorem Dei tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium, semper sub plenissima tuitione et immunitatis defensione consistere fecisset. Sed pro rei firmitate postulavit nobis prædictus abba ut paternum morem sequentes, hujuscemodi nostræ immunitatis præceptum ob amorem Dei et reverentiam divini cultus erga ipsum monasterium fieri censeremus. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, et hoc nostræ autoritatis præceptum, immunitatis atque tuitionis gratia, pro firmitatis studio et animæ nostræ emolumento fieri decrevimus : per quod præcipimus

atque jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, aut ullus ex fidelibus nostris, tam præsentibus quam et futuris in ecclesias aut loca vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii nostri possidet, quidquid ibidem propter summum amorem collatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci a Deo [Deum] timentibus hominibus ibidem pietas divina voluerit augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos quam et servos, super ejusdem terram commanentes distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat præfato abbati suisque successoribus res ejusdem monasterii, cum rebus vel hominibus ibidem aspicientibus vel pertinentibus, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere. Et quidquid de præfatis rebus monasterii jus fisci exigere poterat, in nostra eleemosyna in integrum eidem concessimus monasterio, scilicet ut perpetuo tempore ad peragendum Dei servitium augmentum et supplementum fiat, quatenus ipsis servis Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge proleque nostra, et stabilitate totius imperii a Deo nobis collati, et ejus clementissima miseratione per immensum conservandi, Dei immensam clementiam jugiter exorare [delectet]. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Helisachar recognovi.

Data III Nonas Decembris, anno Christo propitio 1, indictione 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XVIII.

### PRO NEFRIDIO ARCHIEPISCOPO NARBONENSI.

(*Anno* 814.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 169, ex probat. *nov. Hist. Occit.*, tom. I, pag. 44.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Cum petitionibus sacerdotum justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, tam præsentibus quam et futuris, quia vir venerabilis Nifridius Narbonensis urbis archiepiscopus adiens obtutibus nostris, deprecatus est mansuetudinem culminis nostri, ut matrem ecclesiam ipsius civitatis, quæ est in honore sanctorum Justi et Pastoris, vel sanctæ Mariæ semper virginis, cum monasterio sancti Pauli confessoris, ubi ipse sanctus corpore requiescit, quod est constructum haud procul ab eadem urbe, cum omnibus moderno tempore sibi subjectis, sub nostra defensione et immunitatis tuitione consistere faceremus. Cujus precibus ob amorem Dei et reverentiam eorumdem sanctorum aurem accommodare libuit, et hoc nostræ auctoritatis immunitatisque præceptum erga eamdem ecclesiam facere; per quod decernimus atque jubemus ut nemo ex judiciaria potestate, nec ullus ex fidelibus nostris in ecclesias, aut loca, vel agros, aut reliquas possessiones, quas præsenti tempore possidet, vel ea quæ deinceps in jure atque potestate ipsius ecclesiæ divina pietas voluerit augere, ad causas audiendas, vel freda et tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ tam ingenuos quamque et servos distringendos, aut ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris aut futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat: sed liceat memorato præsuli suisque successoribus sub nostra defensione quiete residere, et nostro parere imperio. Et quidquid jus fisci inde exigere poterat, totum nos pro æterna remuneratione eidem concedimus ecclesiæ, ut perpetuis temporibus clericis ibidem servientibus Deo proficiat in augmentis; quatenus rectores ipsius ecclesiæ, cum omnibus ad se pertinentibus, cum clero et populo sibi subjecto, pro nobis et conjuge proleque nostra, ac (stabilitate) totius imperii a Deo nobis per immensum concessi, Domini misericordiam alacriter exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostræ præceptionis a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur et diligentius conservetur, eam manu propria subscripsimus, et annuli impressione signari jussimus.

Signum Ludovici piissimi Augusti.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Data IV Kalendas Januarias, anno Christo propitio 1 imperii domni nostri Ludovici piissimi Augusti, indictione 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XIX.

### [a] PRO MONASTERIO EBERSHEIMENSI.

(*Anno* 814.)

[Apud Grandidier, *Hist. de l'Eglise de Strasbourg*, tom. II, pag. 156, ex autographo adulterino abbatiæ Aprimonasteriensis.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Ludovicus Dei omnipotentis gratia rex Francorum et Longobardorum, Romanorum vero imperator Augustus.

Cum Prophetæ testimonio lætitiam regis de vir-

[a] Diploma hoc nullibi adhuc exstat editum; de eo tantum adnotat Mabillon., Annal. Ord. S. Bened., tom II, pag. 392, mendose relatum esse a Chronico Novientensi.

tute Dei procedere sciamus, regni nostri lætitiam et honores augere credimus, si sancta ac venerabilia servorum Dei monasteria secundum petitionem ipsorum stabilire seu confirmare studuerimus, præsertim cum et ipsi pro pace et stabilitate nostra Deum frequentius exorent. Quapropter omnium fidelium præcipue tamen principum nostrorum auribus intimamus quod venerabilis Sambatius abbas de cœnobio cujus vocabulum est Novientum sive Ebersheim, quod vir illuster Etich dux et conjux ejus Bersvinda in Christi nomine et in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli, sanctorumque martyrum Mauricii ac sociorum ejus, in pago Alsaciensi, super ripam Illæ fluminis, in episcopatu Argentinensi in suo proprio construxerunt fundo, cum fratribus suis nostram adiit serenitatem, deprecans ut ipsum monasterium quod præfatus dux et venerabilis filia ipsius Odilia in jus ac dominium regni penitus transfuderunt, aliquibus regiæ auctoritatis indiciis suffultum confirmaremus. Nos ergo et propriæ saluti et utilitatibus fratrum ibidem Deo sub regulari disciplina servientium consulentes, simulque pro remedio animæ Christianissimi genitoris nostri Caroli, et serenissimæ genitricis nostræ Hildegardis imperatricis Augustæ petitionem ipsius benigne suscepimus, et perfici salubriter decrevimus. Volumus ergo locum supradicti Novientensis, sive Ebersheimensis cœnobii et omnem terminum fundamenti ipsius liberæ immunitatis esse, et omne ei jus fisci nostri totaliter ex hoc et deinceps remittimus, ea scilicet ratione ut nullus judex publicus, nec spiritalis, nec sæcularis, sive episcopus, sive dux, sive comes, vel advocatus, seu aliqua judiciaria potestas præter voluntatem abbatis ingredi præsumat, nec fredam tollat, nec mansiones, aut paratas ibi faciat, nec quemquam ibi hominum nisi rogatus ab abbate constringat, nec causas audiat; sed præsens Sambatius abbas, ejusque successores ipsum locum cum omnibus appendiciis suis, viis scilicet et inviis, exitibus et reditibus, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, forestis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus, venationibus, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, vel qualitercunque nominatis utilitatibus potestative possideat. Quidquid igitur forensis, vel civilis querimoniæ infra ipsum locum, vel exterius in villis ad ipsum locum pertinentibus motum fuerit, ad solum abbatem vel ad villicos ab eo constitutos judicii causa pertineat. De furtis vero, vel latrociniis, sive frevelis [a] extra septa monasterii perpetratis, tertia pars advocatum ecclesiæ a nobis constitutum respiciat. Taxatio autem hujusmodi erit: si quis de familia ecclesiæ, sive de externis in tali noxa acclamatus fuerit, et coram abbate vel ejus causidico [b] positus convictus fuerit, sex firdones [c] publici ponderis, sive triginta siclos [d] Argentinensis monetæ persolvat. Si autem extra ipsum locum, vel ejus terminum fuerit, unum firdonem, sive tres uncias Argentinensis monetæ persolvat: quod si facere noluerit, vindictam judicialem persolvat. Concessimus etiam, ipso abbate rogante, fratribus autem consentientibus, de allodiis ecclesiæ in beneficium domni Wolfhaldi advocati, et omnium successorum ipsius absque ulla contradictione, quatenus ad utilitatem ac defensionem ecclesiæ et totius familiæ studiosius ac sollicitius insistat, et ne abbas vel fratres ipsius ulterius in quovis loco de introitu vel aliquo accessu ipsius graventur, in Sulza [e] mansum unum, in Egesheim [f] curtim dominicam cum salica terra [g], in Lagelenheim [h], mansum unum, in Burcheim [i] unum, in Sigotelsheim [j] unum, in Rechenhusen [k] curtim dominicam cum salica terra, vineis scilicet et agris et capella ipsius loci, in Grusenheim, mansum unum, in Wiswille [l] mansum unum, in Stotesheim [m] duos, in Hittenheim [n] unum, in Northús [o] duos. Illud etiam sane non prætermittendum existimavimus, sed omnimodis interdicimus, ut nec præsens abbas, nec aliquis successorum ipsius, nec quisquam monasterii provisor de fundo ecclesiæ infra præfixum terminum, id est, a saltu qui dicitur Standenbruch [p], sive Breitenlacha, usque ad locum qui vocatur Querchlacha totaliter, usque in medium alveum Illæ fluminis, in latitudine vero a rivo fontis usque ad medium alveum Illæ in locum qui dicitur Staffelgruba, præsumat quidquam jure proprietatis alicubi transfundere, vel jure hæreditatis alicui concedere. Sed si utilitas monasterii sui exposcit, mancipiis ecclesiæ servilia

[a] Frevelæ erant quoddam mulctæ genus pro quibusdam excessibus sive insolentiis commissis. Nomen adhuc Germanicum in Alsatia cognitum est. Consule Haltausii Glossarium Germanicum, pag. 487 et 488.

[b] Causidicus in Germanicis abbatiæ Ebersheimensis actis vocatur *Vogt*.

[c] Firdo erat quarta pars marcæ, teste Cangio, Glossarii tom. III, pag. 401. Siclos hodie vocamus schillingos, quorum triginta conficiunt tres florenos. Est itaque firdo publici ponderis libra Gallica (*franc*), quarta pars libræ Argentoratensis. Vide Schilterum, in Glossario Teutonico, pag. 300.

[d] Siclus erat moneta olim notissima apud Hebræos et apud veteres Anglos. Ducange, tom. VI, pag. 479 et 480. Siclum apud Anglo-Saxones pretii fuisse duorum denariorum argenteorum scribit Hickesius, in præfat. ad grammat. Anglo-Saxonic., pag. 21.

[e] Oppidum *Sulz*, sive *Ober-Sulz*.

[f] *Egisheim*.

[g] Id est, franca et libera ab omni onere immunis, ut explicat Schilterus in Glossario Teutonico, voce *Freygut*.

[h] *Lagelnheim*.

[i] *Burgheim*.

[j] *Sigolsheim*.

[k] Locus olim inter Ostheim et Hunnaweyer situs, nunc destructus.

[l] *Weisweiler*.

[m] *Stotzenheim*.

[n] *Huttenheim*.

[o] *Northausen*.

[p] De hoc saltu fabulosa narrat Chronicon Novientense. Mentio quoque fit districtius cujusdam dicti Stanenbruh, sive Standenbruch in libro membranaceo jurium abbatiæ Ebersheimensis, anno 1320 Germanice scripto, fol. 56.

tantum feoda concedantur [a]. Si quis autem de familia ecclesiæ obierit, sive intus, sive extra, optimum quod in pecudibus, vel in qualibet suppellectili possederat, in proximam dominicam curtim accipiatur, et junior filius ipsius, si de familia ecclesiæ fuerit, cum matre infeodetur; sin autem, in potestate abbatis erit [b]. Illud etiam sciendum est quod si præsens abbas, vel aliquis successorum ipsius, Deo jubente, de hac luce migraverit, fratres convenientes secundum regulam sancti Benedicti de ipsis fratribus alium eligant : electus autem nobis præsentetur et a nobis investiatur, et ad episcopum Argentinensem ordinandus transmittatur. Constituimus ergo et per auctoritatem regiæ potestatis decernimus, ut qualiscunque judex, vel cujuscunque dignitatis persona potens, vel impotens hujus chartæ auctoritatem, seu confirmationem temerare, vel infringere, seu aliquas possessiones prædicti monasterii violenter diripere vel subtrahere attentaverit, quadraginta libras auri in jus fisci nostri persolvat. Et ut hoc verius credatur, ac deinceps firmum et inconvulsum custodiatur, manu propria subter signamus, et annuli nostri impressione jubemus sigillari vel insigniri.

Signum domni Ludovici Romanorum invictissimi imperatoris Augusti.

Ego Carolus Moguntiensis archiepiscopus subscripsi [c]. Ego Withgernus Argentinensis episcopus subscripsi [d]. Ego Turbo archicapellanus [e] ad vicem domini Ibbonis [f] protospatharii cognovi. Actum Ingelenheim in curte regia, in Christi nomine feliciter. Data tertio Nonas Novembris, anno Dominicæ incarnationis octingentesimo decimo quarto [g] indictione quinta, anno decimo regni domini Ludovici invictissimi Romanorum imperatoris Augusti [h].

## XX.

### PRO SANCTI ANTHYMI SENENSIS MONASTERIO.

(*Anno* 814.)

[Apud Ughelli, *Italia sacra*, tom. III, pag. 530.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus Procis Caroli Magni imperatoris, divina ordinante clementia, imperator Augustus.

A Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore faveamus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Igitur comparent omnium nostrorum fidelium magnitudine, eoque secundum petitionem viri venerabilis Apollinaris abbatis, concessimus ad monasterium sancti Anthymi vicum qui vocatur de Cilcario, de ratione Senensis civitatis, id est per confinia loca denominanda. Ab oriente fluvius Axo, ab occidente fluvius Umbrone, a ponte usque in vado, qui dicitur Ursi. A meridie de vado Ursi per viam, quæ ducit sub Monte Lucinii usque in viam S. Anthymi. Ab Aquilone Gessæ per Ponigastaldi, deinde viæ publicæ usque ad pontem de Umbrone : cum duo oratoria infra ipsa fine posita, id est sancta Christina, et sancta mater ecclesia, B cum una curte prope ipsa sancta ecclesia, cum omnia quidquid ad ipsa curte pertinet. Et infra loca denominata. In cultu in fine Clusiriæ, piscaria Amosæ medietate, cum medietate de ipsa piscaria pertinentes, qui fuerant de publico civitatis Clusinæ, id est per confinia et loca nominanda. Ab oriente stagno, qui dicitur Moreccia, ubi ecclesia est S. Pancratii. Inde pervenit per campum S. Petri per medium montem super Cordoliario; inde a Casseratas usque ad Ampla : ad Ampla pervenit ad Montera, qui dicitur Marmianus de Marmiano. Ex alia parte contra occidentem, pergit per summitatem montis Tili descendente usque ad lutum, de luto a valle Impia ad Laterbe. De Laterbe venit in mare. Deinde juxta littus maris, pervenit ad locum ubi stagnus in C mare mittit. Ex illo loco pervenit ad terram S. Laurentii, una cum ipsa mortaria ex angularique, atque cum ipso stagno ex barcariis suis cum omnia super se habentes, quidquid ad ipsam custodiam pertinet. Et infra loca determinata, cultum et incultum, cum servis et aldionibus. Propterea has litteras præceptionis nostræ in eodem sancto monasterio conscribere jussimus, ubi ab hoc die jam frater Apollinarius abbas, suique successores habendi, tenendi, dandi, commutandi, vel quidquid exinde apud festum jam fatæ ecclesiæ, elegerint faciendi, in omnibus liberum perfruantur arbitrium. Nullus ex fideli-

[a] Feudum servile denotat id, quod hodie ab Alsatis vocatur *Hoffle hn*, quo nempe certus agrorum numerus rustico et ejus hæredibus colendus relinquitur, atque adeo ejus domicilio dicto *hoff* annectitur. In eo sola est diversitas quod in feudo servili rustici erant servi.

[b] Licet hæc charta sit supposititia, tamen multa hic enarrat quæ inserviunt ad jus feudale medii ævi, illius scilicet sæculi quo vixit hujus diplomatis effictor.

[c] Anno 814 Ecclesiam Moguntinensem occupabat Atulphus, non Carolus, qui Pippini regis Aquitaniæ filius ad hanc sedem anno tantum 856 fuit promotus.

[d] Wilghernus episcopus Argentinensis jam tunc temporis suprema subierat fata, defunctus anno 729.

[e] Turbo ignotus est inter omnes Ludovici Pii notarios, qui nondum archicapellanorum nomen tunc usurpabant.

[f] Ibbonem inter notarios Ludovici imperatoris sub Helisachare cancellario revera numerat Bouquetus, in Scriptor. rer. Francic. tom. VI, pag. 451, sed unquam inter ejusdem principis cancellarios, maxime sub nomine protospatharii. Protospatharius apud Græcos in imperio Constantinopolitano D erat maxime illustris : primus erat et princeps spathariorum, sive eorum qui erant imperatorii corporis custodes. Ducangius in Glossario, tom. V, pag. 932, et tom. VI, pag. 630, Photium protospatharii munus in aula imperatorum Græcorum gessisse, antequam anno 856 patriarcha Constantinopolitano renuntiaretur, testatur D. Fleuri, *Histoire Ecclésiastique*, tom. IX, liv. L, p. 6.

[g] Ita legere est in autographo supposititio, licet videatur deletum fuisse annum DCCCXXIIII ut ponatur DCCCXIIII. Neuter vero annus convenit cum indictione quinta, qui fuit annus 827, nec cum anno regni Ludovici Pii decimo, qui fuit 823.

[h] In monogrammate dicitur *Ludovicus Pius*, quod agnomen nunquam usurpavit Ludovicus I. Sigillum refert imaginem Ludovici cum inscriptione : *Ludewicus Romanorum imperator*. Sigilli vero forma et magnitudo non est ex ævo Carolino, sed multo magis grandior.

bus nostris, vel cujuslibet ex judiciaria potestate jam dicto Apollinario abbati, aut successoribus suis de supradicta confinia inquietare, aut calumnia generare, vel aliquid ex hoc per nos pro remedio animæ nostræ ad prædictum sanctum locum ex nostra munificentia concessimus abstrahere, adminuere quoque tempore præsumantur. Sed nobis, Deo auspice, futuris temporibus, in eleemosyna nostra ibidem inaugurato proficiat, quantum melius delectat ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulari videntur : pro nobis uxoreque ac liberis fungenti nostræ jugiter misericordiam Dei attentius exorare. Quod si quispiam hanc nostram concessionem, quod non credimus, quoquo modo violare præsumpserit, sciat se compositurum auri obrizi 60 medietatem palatii nostri, et medietatem ad supradictum monasterium S. Anthymi. Et ut verior ac firmior habeatur, vel pro tempore Christo propitio, observetur, manu propria subter firmavimus, et annulo nostri sigilli jussimus insigniri.

Signum Ludovici potentiss. imp. qui recognovit.

Datum IV Kal. Januarii, anno, Christo propitio, primo imperii D. Ludovici piissimi Augusti, indict. 8. Actum Aquisgrani, in palatio regio. In Dei nomine. Amen.

## XXI.

### PRO MONASTERIO SANCTI MAXIMI TREVIRENSIS.

(*Anno* 814.)

[Apud Hontheim., *Hist. Eccl. Trevir.*]

Ludovicus gratia Dei rex Francorum et Longobardorum et patricius Romanorum.

Si quieti monasteriorum providemus, hoc nobis et regni nostri diutinam stabilitatem conciliabit, et beatorum pauperum spiritu mercede donabit. Quapropter omnis regni nostri unanimitas noverit quod nos venerandi [a] Helisachar familiaris nostri et abbatis cœnobii sanctissimi confessoris Maximini protectoris nostri postulationem percepimus, qualiter pii genitoris nostri Caroli, jure prænominati Magni, factum sequentes, jam dictum monasterium privilegiis nostræ quoque auctoritatis roboraremus; quam petitionem cum mansuetudine suscepimus, et fieri auctoritative præcepimus. Decrevimus namque, et omnibus post nos futuris denuntiamus, præfatum locum sub nostro sequentiumque regum manere dominatu, veluti prioribus temporibus in ditione regum mansisse dignoscitur, nulli unquam loco subjaceat, nullius personæ dominationem, [b] electionem etiam abbatis concedimus monachorum arbitrio, cum videlicet qui vitæ ac sapientiæ merito secundum regulam probabilis invenitur, eligendi. Mancipia insuper et prædia, vel cunctam monasterii substantiam abbatis potestati permittimus, et ad fratrum solummodo [c] conductum, ne sanctæ religionis status deficiat, liberam vendendi et commutandi habeant nostræ auctoritatis licentiam; quatenus sine indigentia, sed cum tranquillitate et pace Dominum pro salute nostra jugiter exorent. Et ut hæc auctoritas inviolata perduret, manu propria firmavimus, et sigilli nostri impressione signari jussimus [d].

[a] *Helisachar familiaris nostri.* Summi cancellarii munere eum in aula Ludovici functum fuisse, quamplurimæ tabulæ probant. Juvat hic legi quæ de eo collegit Eckhart Rer. Francicar., lib. XXVIII, n. 147 : « Vidimus hactenus annales diversos a notariis aut cancellariis regiis aut continuatos, aut in litteras relatos esse. De parte Chronici Moissiacensis suspicati sumus, eam ab Egilberto notario confectam fuisse : nunc statuimus, idem Chronicon a tempore quo Egilbertus desiit, ab Elisachare cancellario hactenus imperatorio continuatum esse. Nam in rebus sub finem anni 818 aut initio anni 819 gestis desinit; et eodem tempore, post annum nempe 819, Elizachar in subscriptionibus diplomatum non amplius invenitur. Unde existimo eo anno eumdem abbatem S. Maximini apud Treviros factum, aut in monasterium S. Albini Andegavense suum sese recepisse, aulæque valedixisse. Miræus Diplomatibus Belgicis, cap. 11 Ludovici præceptum inseruit, quo ejusdem imperatoris protectionem *insignis vir et Abba Elisachar de monasterio S. Maximini in civitate quæ Treviris dicitur*, huic loco impetravit, quod anno 821 datum, et a librario, genuinum quamvis sit, non parum depravatum est. Miræus adnotat Elisacharem fuisse quoque abbatem monasterii S. Petri Gemeticensis et S. Richarii in Pontivo sive Centulensis. Ardo, in Vita S. Benedicti Anianensis, cap. 52, indicat Helisacharem S. Benedicti et fratrum Indensium amicum fidelissimum fuisse. Idem mortem S. Benedicti, quæ anno 821 contigit, enarrans : *Helisachar*, inquit, *abbas primus ad eum venit, et cum eo usque ad obitum perseveravit.* Idem jam dixerat Ardo, cap. 3, ubi rogat monachos Indenses, ut, Vita S. Benedicti a se conscripta, examinata, eam cum Elisachare abbate communicent. *Quoniam*, ait, *ei unicæ dilectionis affectu migranti de sæculo Helisachar hæsit abbas, sicut ipsius auro pretiosior nobis directa testatur epistola, post vestram examinationem illi singulariter censeo præsentari.* Idem Helisachar laudatur apud Amalarium in præfatione Antiphonarii; Chronici Centulensis lib. I; in consultatione Agobardi de baptismo Judaicorum mancipiorum; et in libro de dispensatione. Anno 827 idem a Ludovico cum aliis missus est ad motus Hispanicæ marcæ comprimendos, ut Annales Laureshamenses testantur. Obitus ejus annus hactenus me latet. » Add. Heumannum de Re diplomatica, pag. 238. Obitum ejus refert Mabillonius Annal. Benedict. tom. II, lib. XXXI, n. 80, circa annum 837.

[b] *Electionem etiam abbatis*, etc. Mirandum sane quod postulante Helisachare hoc concessum sit, cum tamen omnes San-Maximinianæ notitiæ exploratum faciant, ipsummet Helisacharem monachum non fuisse, sed sæcularem clericum. Quod igitur in hisce tabulis scriptum est, electionem abbatis concessam monachorum arbitrio, ejus nempe qui vitæ et sapientiæ merito secundum regulam probabilis inveniatur, id, si ita est, nullo effectu alio potuit, quam ut inter privilegia cœnobii servaretur, olim usui futurum.

[c] *Conductum.* Id est utilitatem seu commodum.

[d] Harum tabularum (quarum cæteroquin prototypam ad S. Maximinum exstat) tempus, signatura et sigillum desiderantur, anno et reliquis ad calcem diplomatis, ut videtur, extritis. Placuit tamen eas hoc anno referre, loco utcunque opportuno, antequam scilicet Ludovicus renuntiaretur Augustus. Verum non pauca sunt quæ diplomatis fidem convellant. Hæc inter alia : *Longobardorum rex.... pii genitoris nostri, jure prænominati Magni.... sub nostro sequentiumque regum manere dominatu, veluti prioribus temporibus in ditione regum mansisse dignoscitur*, etc.

## XXII.

[a] CONFIRMATUR COMMUTATIO FACTA INTER PETRUM ABBATEM NONANTULANUM ET RODULFUM RECTOREM MONASTERII BRIXIANI SANCTI SALVATORIS.

(*Anno* 814.)

[Ex Muratorio, *Antiquitates Italicæ*, tom. II, p. 201.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu A Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si enim ea quæ fideles nostri regni pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint vel concambiaverint, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, et hoc postmodum jure firmissimo mansurum esse credimus. Igitur

[a] Animadverte quomodo ecclesiastici olim homines, ut firmiores in posterum forent commutationes prædiorum, ac præcipue villarum a se factæ, curarent ut ad eas accederet imperatorum confirmatio. Ad hæc ne insalutata dimittas velim ea verba, ubi Rodulfus dicitur *rector monasterii, quod est constructum intra muros civitatis Brixiæ, in honore Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, quod vulgo appellatur Monasterium Novum*. Celeberrimum fuit et adhuc est in civitate Brixiana monasterium sanctimonia- B lium Sanctæ Juliæ, quod in honorem Salvatoris nostri a Desiderio rege, ejusque conjuge Ansa ædificatum fuit. Ego quoque, ut pote qui venia mihi facta a sacris illis nobilibusque virginibus tabularium asceterii ipsius excussi, nonnulla inde excerpta monumenta in hoc ipso opere evulgavi. Hujus autem monasterii fundationem refert clariss. Mabillonius in Annalib. Benedictinis ad ann. Christi 759. Tum ait: « Monasterium Novum dictum est ab instauratione, quæ anno Domini octingentesimo tricesimo quinto facta memoratur. De eo intelligendum videtur Necrologium Augiense, in quo laudatur Austreberga ex monasterio, quod dicitur Novo. » Cum hic offenderim ego Rodulfum *Rectorem monasterii Novi Brixiani*, primo quidem suborta mihi suspicio est, aliud fuisse monasterium hoc ab altero Sanctæ Juliæ, et illud quidem a monachis, hoc autem a sacris virginibus excultum; et eam suspicionem augebat diploma Ludovici II Augusti, anno 856 *actum Brixia civitate, Monasterio Novo*, cum imperator non in C parthenone, sed in monachorum cœnobio, habitasse ac diploma dedisse videretur. Verum suspicioni factus est finis, inspecto quodam diplomate quod Margarinus in Bullarii Casinensis tomo II protulit: inde enim constat, *Novi* appellationem antiquitus conjunctam fere semper fuisse cum Sanctæ Juliæ monasterio. Quamobrem Rodulfus iste *rector monasterii Novi*, œconomus ac minister tantummodo fuisse censendus est cœnobii Sanctæ Juliæ. Regrediamur ad ea diplomatis verba: *Villam nuncupatam Reduddum, quæ dicitur supernomen Curticella, in pago Persiceta*. Retinet adhuc eadem villa apud nos appellationem *Reddu*, et ecclesia parochiali decorata est, ac Nonantulani oppidi ditioni sub serenissimo duce Mutinæ subest. Amplitudinem quoque Persicetanæ regionis, sive pagi, nobis indicavit Leo Marsicanus lib. primo, cap. 54 Chronic. Casinens., hæc de Joanne abbate scribens: « Hic fecit libellum Adelberto filio Rainerii de Rastello (nunc Rastellino D nuncupatur eadem villa, sita olim et ipsa in pago Persiceto) de aliquot curtibus hujus monasterii in comitatu Mutinensi, fundo, qui dicitur Persiceta. » Petrus quoque diaconus, lib. IV, cap. 18, ejusdem Chronici, auctor est, subjectum fuisse cœnobio Casinensi « Monasterium sancti Benedicti, territorio Mutinensi intra fines fluvii Fusculi et limitis Malmeniliaci. » Curtes olim non vasta tantummodo prædia, sed integram villam significabant. Id sæpe innui, atque alibi antiquis tabulis confirmavi. Hæc autem omnia in eodem Persiceti tractu ad comitatum Mutinensem spectabant. Porro quousque se protenderet regio ista, intelliget quisque, oppidum Sancti Joannis nunc recogitans, Bononiensium ditioni subjectum, quod uti intra fines Persiceti ædificatum, adhuc nomen servat *Sancti Joannis in Persiceto*. In diplomate Friderici II Augusti, apud Ughellium tomo II Ital. Sacr., in archiepiscopis Bononiensibus, confirmatur Henrico Bononiæ episcopo *castrum Sancti Joannis in Persiceto*. In antiqua editione Historiarum Matthæi Villanii, lib. I, cap. 68 et infra memoratur *San Giovanni in Cesena*. In nuperrima editione ejusdem operis, tomo XIV Rer. Italic. monui in notis, Florentinum codicem ms. præferre *San Giovanni in per Cesena*. Sed utrobique corruptus est locus; ibique restituendum *San Giovanni in Persiceto*.

B En ergo qui olim forent fines comitatus Mutinensis. Scilicet saltem Samodia fluviolus, nunc la *Samozza*, Mutinensem agrum a Bononiensi dividebat. Imo in Mutinensium portione relinquebatur Badianum, nunc *Bazzano*, cum integro pago Persiceti, complectente Nonantulam, Sanctum Cæsarium, Zenam Curtem, Pansanum, Castrum Sancti Joannis, aliasque villas et castella, quorum non modicam partem Bononiensium potentia sensim in suam ditionem postea redegit, non comitatu tantummodo, sed et diœcesi Mutinensium imminuta, reclamantibus nequidquam Mutinensibus. Prætermitto, ex aliis monumentis indicari, ultra Samodiam in superioribus locis excurrisse olim nostrum comitatum. Quamobrem in statuendis olim finibus inter Bononiam ac Mutinam, qui nunc adeo impares sunt, justam videmus observatam fuisse mensuram. Cum vero Langobardi Mutinam Græcis Ravennæ dominantibus primo eripuissent, non universum continuo hujus civitatis agrum sibi subdidere. Verum Liut- C prandus (Paulo Diacono teste, lib. VI, cap. 49, de Gest. Langobardorum) *Castra Æmiliæ, Foronianum* [Lege *Feronianum*] *et Montem Bellium, Buxeta et Persiceta* Græcis eripuit. *Feronianum* nunc *il Fregnano* sive *Frignano*, provincia est Mutinensis ducatus in montibus, Bononiensi agro contermina, et complectens Sextulam ditionis caput, Fananum, ac plurima alia castra et villas. *Friniates* Ligures a Livio memoratos, ibi potius, quam ubi Cluverius opinabatur, quærendi sunt. Ii nomen regioni dedisse, aut ab ea accepisse videntur. *Mons Bellius*, nunc *Monte Veglio*, seu *Monte Vio*, Bononiensibus antiquitus obtemperans, sed aliquo etiam tempore Mutinensium potestati obnoxius fuit. De Buxeto hæc habet clariss. vir Gaspar Berettus monachus Benedictinus in dissertat. Chorographica præposita tomo X Rer. Italicarum, sect. 14: « In agro Mutinensi, vel Bononiensi, juxta Paulum et Sigonium locus est quærendus. » Et merito: neque enim veri videtur D simile *Buxetum*, situm ad Padum, inter Placentiam ac Parmam, hic designari. Cur, quæso, locus exigui nominis Langobardorum vim effugisset, cum ipsi agro et urbibus circumpositis pacifice tandiu antea potirentur? Apud nos tamen illius nomen (uti de aliis bene multis evenit) ante complura sæcula excidit. Apud Anastasium in Vita Gregorii II papæ legitur: *Langobardis Æmiliæ castra, Feronianus, Montebelli, Verablum cum suis oppidis, Buxo, et Persiceta, Pentapolis quoque*, et *Auximana civitas se tradiderunt*. Atque hæc de finibus antiquis comitatus Mutinensis. Sed vix ulla civitas ostendi poterit, quæ sui agri fines vel ipsis antiquis temporibus stabiles retinuerit; et si quidem olim retinuit, bellis postea inter Italicas urbes excitatis, et sævientibus Gibellinorum et Guelphorum factionibus, immutata plane finium facies fuit. Erant enim vetusto tempore civitates quæ latius, erant et quæ brevius, agrum sibi sive suo comiti subjectum protendebant. Spectabant

notum sit omnium fidelium nostrorum solertiæ, præsentium scilicet et futurorum, qualiter vir venerabilis Petrus abbas ex monasterio Nonantulo, quod est constructum in honore beatorum apostolorum et sancti Silvestri confessoris, ad nostram accedens clementiam, innotuit serenitati nostræ, eo quod aliquas res cum Rodulfo rectore monasterii, quod est constructum intra muros civitatis Brixiæ in honore Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, quod vulgo appellatur Monasterium Novum, concambiasset. Dedit itaque vir venerabilis Petrus memoratus abbas de parte monasterii sui prædicto Rodulfo ad partem præfati monasterii villas nuncupatas Castellione, Calcinato, Silviniano, Monticulo, sicut eidem Rodulfo pro opportunitate monasterii recipere placuit. E contra in compensatione hujus meriti dedit jam dictus Rodulfus præscripto venerabili Petro abbati ad partem monasterii sui pro opportunitate servorum Dei in eodem cœnobio commorantium, villam nuncupantem Reduddum, quæ dicitur supernomen Curticella, in pago Persiceta, cum omni integritate vel soliditate sua. Unde et commutationem de prædictis locis, nostris obtutibus ostendit ad relegendum. Sed pro integra firmitate petiit celsitudinem nostram, ut in eleemosyna nostra ipsam commutationem denuo per nostrum mansuetudinis præceptum plenius confirmare deberemus. Cujus petitionem denegare noluimus: sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste rationabiliterque petentium, ita nos illi concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus ut inspectam ipsam commutationem, sicut per eam plenius declaratur, quidquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneant atque possideant: et quidquid exinde facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora plenius conservetur, manu propria subscripsimus, et de annulo nostro subter sigillari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Helisachar recognovi et subscripsi.

Data Kalendis Augusti, anno primo, Christo propitio, imperii nostri, indictione septima. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

## XXIII.

CONFIRMANTUR FRODOINO ABBATI MONASTERII NOVALICIENSIS TESTAMENTUM ABBONIS FUNDATORIS, ALIAQUE JURA EJUSDEM MONASTERII.

(*Anno* 814.)

[Ex Muratorio, *Antiquitates Italicæ*, tom. III, pag. 30.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Imperialem celsitudinem decet præcessorum nostrorum pie facta non solum inviolabiliter conservare, sed etiam censuræ suæ auctoritate confirmare. Idcirco notum esse volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, et nostris, præsentibus et futuris, quia vir venerabilis Frodoinus abbas in monasterio, quod dicitur Novalicius, quod est constructum in honore sancti Petri principis apostolorum, in valle scilicet, cujus vocabulum est Seusina, detulit et obtulit obtutibus nostris testamentum a quondam viro religioso dominoque devoto Abbone factum de præfato monasterio, et a Domino genitore nostro Carolo gloriosissimo imperatore renovatum atque confirmatum, in quo continebatur, qualiter præfatus Abbo patricius ipsum locum supranominatum cum omnibus rebus suis, ob amorem videlicet patriæ cœlestis et beatæ vitæ, Petro beatissimo apostolorum obtulit principi, nec non cunctis destructoribus, dissipatoribus temerariis, divina quippe censura, et æternum supplicium, atque divinum anathema, quicunquam in tempore ausi fuerint, seducti atque cupiditate, tantæ devotionis contraire conscriptum atque firmitatem, unde ipsa casa Dei, et monachi ibidem sic religione sanctæ devotionis Christo Domino famulantes, seu pauperes Christi et peregrini euntes et redeuntes montibus, supplementum habere debent propter suorum mercedem; qui ipsam donationem facere et confirmare sollicite statuerunt. Petiitque præfatus abbas celsitudini nostræ, ut ipsum testamentum a domino nostro genitore confirmatum et roboratum, etiam nostris roboremus auctoritatibus. Nos vero divinam considerantes misericordiam et æternam remunerationem pro benefactis, petitioni ejus libenter præbuimus assensum, et hanc nostræ auctoritatis confirmationem fieri decrevimus. Per quam præcipiendo jubemus, ut quidquid supradictus religiosus Abbo Deo vero, beatissimoque contulit Petro, et dominus genitor noster auctoritates ob cœlestem aulam confirmavit; deinceps absque ullius injusta invasione, interpellatione atque inquietudine jam fatus Frodoinus abbas et ejus successores teneant atque possideant in æternum libere, omnia scilicet regalia ex iis omnibus quæ ad præsens possident, et quæ in antea acquirere potuerint, [a] *forum, omicidium, assassinium* in nostro imperio perpetratum media civitate, publicam stratam a prædicta civitate usque ad Fontanam Vercinescam, et cætera alia quæ ad nos sive ad nostros subditos spectabant. Volumus etiam, atque specialiter per hos apices nostros jubemus, ut ubicunque res de supra nominatæ monasterio conjacent, per fideles

olim ad comitatum Brixianum Casale Majus, Videliana, Pomponescum, Pangunedum et Suzaria: quod mirum videatur spectantibus urbis illius distantiam ab iis locis, ac præsentem rerum statum; sed minime mirum est recolentibus tantam in aliis locis mutationem subsecutam.

[a] Vidisti concessum a Ludovico Pio abbati Novaliciensi *forum, omicidium, assassinium in nostro imperio perpetratum media civitate*. Aio, si revera in archetypo legeretur *assassinium*, nihil amplius exigeretur ad omnem adimendam fidem eidem chartæ. Nam *assassini* et *assassinium* voces sunt quæ tantummodo post Hierosolymam a Christianis anno Christi 1099 receptam audiri cœptæ sunt in

nostros studiose defendantur et tueantur, sicut nostra specialis causa, quia, ut multis notum est, a bonæ memoriæ Pippino avo nostro, simulque glorioso rege excellentissimo genitore nostro Carolo per donationem scripturæ vere traditæ fuerunt. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et diuturnis temporibus conservetur, manu propria decrevimus roborari, ac de sigillo nostro jussimus sigillari.

Anno primo, Christo propitio, imperii nostri, indictione septima. Actum in Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XXIV.

### PRO ECCLESIA VIENNENSI.

(*Anno* 814.)

[Apud Baluz., *Capitul.*, tom. II, pag. 1404, ex chartulario ecclesiæ Viennensis.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, actionariis, missis nostris discurrentibus, vel cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, et nostris præsentibus scilicet et futuris.

Notum sit quia si sacerdotum ac servorum Dei petitionibus, quas nobis pro suis necessitatibus innotuerint, ad effectum perducimus, non solum regiam consuetudinem exercemus, verum etiam ad beatitudinem et retributionis mercedem talia nobis facta profutura confidimus. Proinde comperiat omnium fidelium nostrorum industria præsentium scilicet et futurorum qualiter vir venerabilis, Bernardus Viennensis civitatis et sancti Mauricii martyris ecclesiæ præsul, veniens ad nos, detulit nobis præceptiones regum antecessorum nostrorum, in quibus invenimus insertum quomodo ipsam sedem cum cellulis vel rebus ibidem aspicientibus sub plenissima defensione et emunitatis tuitione habuissent. Petiit namque nobis pro firmitatis studio ut circa ipsum sanctum locum pro mercedis nostræ augmento donuo similia concedere et confirmare deberemus. Cujus petitioni denegare noluimus, sed reddita in omnibus et præsentes et futuri fideles sanctæ Dei Ecclesiæ et nostri concessum atque perpetuo confirmatum a nobis esse cognoscant. Insuper etiam placuit nobis ibidem cellulam sancti Symphoriani, olim exinde abstractam, cum omnibus rebus ibidem aspicientibus reddere. Reddimus etiam ibi quamdam villam quæ vocatur *Fasiana*, quam volumus ad susceptionem peregrinorum et alimoniam pauperum ibidem futuris proficere temporibus, ita duntaxat ut nullus eam exinde ullo unquam tempore abstrahere aut in beneficio dare præsumat, sed, sicut intulimus, ad necessitates indigentium procuratores hujus Ecclesiæ eam manere permittant. Concessimus etiam ibi quasdam cellulas, unam quæ appellatur monasterium superius, aliam monasterium medianum, constructas in honore sancti Andreæ et sancti Nicetii vel aliorum sanctorum; quas volumus et nostris et futuris temporibus ad supplementum canonicorum ibidem Deo famulantium proficere. Præcipientes ergo jubemus ut nullus Judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, nec aliquis ex fidelibus nostris, in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memoratæ ecclesiæ sancti Mauricii, quas moderno tempore juste et rationabiliter possidere videtur, in quibuslibet pagis et territoriis, quidquid ibidem propter divinum amorem collatum est, vel quæ nos munere largitatis nostræ in nostra eleemosyna ibidem reddidimus vel concessimus, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem ecclesiæ tam ingenuos quam et servos qui super terram ipsius residere videntur injuste distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat vel exactare præsumat. Et quidquid de rebus præfatæ ecclesiæ fiscus separare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædictæ ecclesiæ concedimus, ut perennibus temporibus in eleemosyna pauperum et stipendia servorum Dei ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum, quatenus ipsis servis Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge proleque nostra et stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi atque conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Helisachar recognovi.

Data XIV Kal. Februarii, anno primo, Christo propitio, imperii nostri, indictione 7. Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XXV.

### PRO HISPANIS QUI IN REGNO FRANCORUM MANEBANT.

(*Anno* 815.)

[Apud Baluz., *Capitul.*, tom. I, pag. 550.]

*Hoc est præceptum remissionis sive concessionis quod fecit Ludovicus imperator Hispanis qui ad se perfugerant* [*propter persecutionem Saracenorum*].

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus, omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris, præsentibus scilicet et futuris,

Oriente, atque ad nos permearunt. Sed fortassis in apographum male consutum rejiciendum est ejusmodi vocabulum, uti et alia, quæ subsequuntur, nunquam nobis concoquenda, scilicet *in nostro imperio perpetratum media civitate*, ut alia omittam, cum certe in reliquis colorem legitimi fetus diploma ipsum præferat. Vide alterum diploma Caroli Magni eidem Frodoino abbati Novaliciensi concessum, tom. IV Italiæ Sacræ Ughellii, in catalogo episcoporum Taurinensium (*Patrol. tom. XCVII, col* 997). Spurium fetum sine dubitatione agnosces.

partibus Aquitaniæ, Septimaniæ, Provinciæ et Hispaniæ consistentibus.

Sicut nullius vestrum notitiam effugisse putamus qualiter aliqui homines propter iniquam oppressionem et crudelissimum jugum quod eorum cervicibus inimicissima Christianitati gens Saracenorum imposuit, relictis propriis habitationibus et facultatibus quæ ad eos hæreditario jure pertinebant, de partibus Hispaniæ ad nos confugerunt, et in Septimania atque in ea portione Hispaniæ quæ a nostris marchionibus in solitudinem redacta fuit, sese ad habitandum contulerunt, et a Saracenorum potestate se subtrahentes, nostro dominio libera et prompta voluntate se subdiderunt, ita ad omnium vestrum notitiam pervenire volumus quod eosdem homines sub protectione et defensione nostra receptos, in libertate conservare decrevimus.

I. Eo videlicet modo ut sicut cæteri liberi homines cum comite suo in exercitum pergant, et in marcha nostra juxta rationabilem ejusdem comitis ordinationem atque admonitionem explorationes et excubias, quod usitato vocabulo *wactas* dicunt, facere non negligant, et missis nostris aut filii nostri, quos pro rerum opportunitate illas in partes miserimus, aut legatis qui de partibus Hispaniæ ad nos transmissi fuerint, paratas faciant, et ad subvectionem eorum veredos donent. Alius vero census ab eis, neque a comite, neque a junioribus et ministerialibus ejus, exigatur.

II. Ipsi vero pro majoribus causis, sicut sunt homicidia, raptus, incendia, deprædationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum invasiones, et undecunque a vicino suo aut criminaliter aut civiliter fuerit accusatus, et ad placitum venire jussus, ad comitis sui malum omnimodis venire non recusent. Cæteras vero minores causas more suo, sicut hactenus fecisse noscuntur, inter se mutuo definire non prohibeantur.

III. Et si quispiam eorum in partem quam ille ad habitandum sibi occupaverat, alios homines undecunque venientes attraxerit, et secum in portione sua, quam *adprisionem* vocant, habitare fecerit, utatur illorum servitio absque alicujus contradictione vel impedimento, et liceat illi eos distringere ad justitias faciendas quales ipsi inter se definire possunt. Cætera vero judicia, id est, criminales actiones, ad examen comitis reserventur.

IV. Et si aliquis ex his hominibus qui ab eorum aliquo attractus est, et in sua portione collocatus, locum reliquerit, locus tamen qui relictus est, a dominio illius qui eum prius tenebat non recedat.

V. Quod si illi propter lenitatem et mansuetudinem comitis sui eidem comiti honoris et obsequii gratia quidpiam de rebus suis exhibuerint, non hoc eis pro tributo vel censu aliquo computetur, aut comes ille vel successores ejus hoc in consuetudinem præsumant, neque eos sibi vel hominibus suis aut mansionaticos parare, aut veredos dare, aut ullum censum vel tributum aut obsequium, præter id quod jam superius comprehensum est, præstare cogat. Sed liceat tam istis Hispanis, qui præsenti tempore in prædictis locis resident, quam his qui adhuc ad nostram fidem de iniquorum potestate fugiendo confluxerint, et in desertis atque in incultis locis per nostram vel comitis nostri licentiam consedentes ædificia fecerint, et agros incoluerint, juxta supradictum modum sub nostra defensione atque protectione in libertate residere, et nobis ea quæ superius diximus, tam cum comite suo quam cum missis ejus, pro temporum opportunitate alacriter atque fideliter exhibere.

VI. Noverint tamen iidem Hispani sibi licentiam a nobis esse concessam ut se in vassaticum comitibus nostris more solito commendent. Et si beneficium aliquod quisquam eorum ab eo cui se commendavit, fuerit consecutus, sciat se de illo tale obsequium seniori suo exhibere debere quale nostrates homines de simili beneficio senioribus suis exhibere solent.

VII. Idcirco has nostræ auctoritatis litteras eis dare decrevimus, per quas decernimus atque jubemus ut hæc nostræ liberalitatis et mansuetudinis constitutio erga illos tenore perpetuo ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris inviolabiliter conservetur. Cujus constitutionis in unaquaque civitate ubi prædicti Hispani habitare noscuntur, tres descriptiones esse volumus: unam quam episcopus ipsius civitatis habeat, et alteram quam comes, et tertiam ipsi Hispani qui in eodem loco conversantur. Exemplar vero earum in archivo palatii nostri censuimus reponendum, ut ex illius inspectione, si quando, ut fieri solet, aut ipsi se reclamaverint, aut comes vel quislibet alter contra eos causam habuerit, definitio litis fieri possit.

Hanc quippe constitutionem, ut per diuturna tempora a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris et verius credatur et diligentius conservetur, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum domni Ludovici, serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Datam Kalendas Januarias, anno, Christo propitio [815], primo imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 7. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XXVI.

### PRO MONASTERIO MICIACENSI.

(*Anno* 815.)

[Apud Baluz., *Capit.*, pag. 1406, ex chartulario monasterii Miciacensis.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus vel vicedominis, vicariis, centenariis, telonariis, actionariis, et omnibus rempu-

blicam procurantibus, præsentibus scilicet et futuris. Notum sit quia Dutresindus abbas ex monasterio sancti Maximini Miciacensis et omnis ejus congregatio petierunt celsitudinem nostram ut licentiam haberent, ad eorum supplendas necessitates, tres naves per Ligerim, Carum, Vincenam, Sartam, Meduanam, Taunucum seu Lidum, Hilarium, sive per cætera flumina pro quibuslibet præfati monasterii necessitatibus discurrunt, necnon et de carris, saumariis, navigiis, seu de omni commercio, undecunque fiscus teloneum exigere poterat. Cujus precibus ob amorem Dei et venerationem ipsius sancti annuere et hoc nostræ auctoritatis præceptum firmitatis gratia erga ipsum monasterium pro mercedis nostræ augmento, sicut petierunt, concessimus. Idcirco hoc præceptum nostrum fieri jussimus, per quod jubemus atque præcipimus ut nemo fidelium nostrorum, nec quislibet exactor judiciariæ potestatis, de carris, vel sagmariis, seu navigiis, vel de quolibet commercio, undecunque videlicet fiscus teloneum exigere potest, nullum teloneum accipere vel exigere præsumat. Naves vero tres, quæ sive per flumen Ligeris, sive per cætera flumina ob utilitatem et necessitatem ipsius monasterii discurrunt, ad quascunque civitates, castella, aut portus, vel cætera loca accessum habuerint, nullus ex eis aut hominibus qui eas prævident ullum teloneum aut ripaticum, aut pontaticum, aut portaticum, aut salutaticum, aut cespitaticum, aut cœnaticum, aut laudaticum, aut travicticum, aut pulveraticum, aut ullum occursum, vel ullum censum, aut ullam redhibitionem accipere vel exigere audeat; sed licitum sit, absque alicujus illicita contrarietate vel detentione, per hanc nostram auctoritatem naves tres, et homines qui eas prævidere debent, cum iis quæ deferunt, per universum imperium nostrum libere ac secure ire et redire. Et si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint aut vendiderint, nihil ab eis prorsus, ut dictum est, exigatur. Hæc vero auctoritas ut pleniorem obtineat vigorem, et a fidelibus nostris certius credatur et diligentius conservetur, de annuli nostri impressione subter sigillari jussimus.

Datum VI Idus Januarii, anno, Christo propitio, primo imperii domni Ludovici serenissimi Augusti, indictione 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XXVII.

### PRO ECCLESIA VIENNENSI.

(*Anno* 815.)

[Apud Baluz., ex chartulario ecclesiæ Viennensis.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus, omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, actionariis, telonecariis, seu omnibus rem publicam procurantibus.

A Notum sit quia nos, deprecante Bernardo Viennensis ecclesiæ episcopo, quæ est constructa in honore sancti Mauricii, pro mercedis nostræ augmento, seu pro utilitate fratrum ibidem Domino famulantium, ei concessimus naves quinque per diversa flumina, Rhodanum scilicet et Segonnam, ad sua negotia deferenda. Unde vobis præcipimus atque mandamus ut neque vos neque juniores vestri ullum teloneum aut ripaticum seu portaticum, vel etiam cespitaticum, nec cœnaticum vel salutaticum, nec ullas redhibitiones ab eodem prædicto numero navium exigere vel exactare præsumatis, quatenus per hanc nostræ præceptionis auctoritatem, ut prædiximus, ob utilitatem fratrum ibidem Deo servientium liberius securiusque negotia sua B vestro simul fulti auxilio et munimine peragere valeant. Et ut hæc auctoritas verius certiusque credatur, de annulo nostro subter jussimus signari.

Signum Ludovici serenissimi Augusti.

Ibbo ad vicem Helisachar recognovi.

Data IV Idus Junii, anno secundo, Christo propitio, imperii domni Ludovici serenissimi Augusti, indictione 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XXVIII.

### PRO IMMUNITATE CŒNOBII CARROFENSIS.

(*Anno* 815.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des hist.*, tom. VI, pag. 474, ex Beslio in probat. ad *Hist. com. Pictav.*, C pag. 164.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Noverit interea sagacitas seu utilitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, quia vir venerabilis [a] Justus abbas ex monasterio Carrofensi, quod est constructum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, situm in pago Pictaviensi prope fluvium Karentoné, obtulit D obtutibus nostris auctoritatem immunitatis domni et genitoris nostri Caroli beatæ memoriæ piissimi Augusti, in qua erat insertum quod ipsum monasterium Rotgerius quondam comes in suo ædificavit proprio, et cum omnibus rebus et ornamentis ecclesiæ, seu et cum omnibus appendiciis et adjacentiis suis, eidem genitori nostro per chartulam delegaverit donationis: et quod ad ejus petitionem ob inquietudinem judiciariæ potestatis sub sua devotione et immunitatis tuitione consistere fecerat. Pro firmitatis namque studio deprecatus est prædictus Justus abbas, et omnis congregatio ibidem Deo serviens, ut paternum morem sequentes, hujusmodi

[a] Hic est Justus abbas, cui Claudius Taurinensis episcopus suum in Matthæum Commentarium nuncupavit.

nostræ immunitatis præceptum circa ipsum monasterium fieri censeremus. Quorum petitioni libenter assensum præbuimus et nostræ auctoritatis præceptum erga ipsum monasterium immunitatis atque tuitionis gratia pro divini cultus amore et animæ nostræ remedio fieri decrevimus; per quod præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, nec quislibet ex judiciaria potestate, aut ullus ex fidelibus nostris, tam præsentibus quam et futuris, in ecclesias aut loca vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii nostri juste ac legaliter possidet, vel ea quæ deinceps in jure ipsius sancti loci aut per nos aut per alios voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos quam et servos, super terram ipsius commanentes distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Quidquid etiam de præfatis rebus monasterii fiscus exigere poterat, in integrum pro æterna retributione eidem concedimus monasterio; scilicet ut perennibus temporibus in alimoniam pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quando quidem divina vocatione supradictus abbas, vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire poterunt qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam eligendi abbates concedimus; quatenus ipsis monachis qui ibidem Deo famulari videntur, cum rebus vel hominibus eidem monasterio aspicientibus vel pertinentibus, sub tuitionis vel immunitatis nostræ defensione, remota totius iniquæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere et pro incolumitate nostræ conjugis et prolis, seu etiam totius imperii a Deo nobis collati et ejus clementissima miseratione perpetuo conservandi, Dei per immensam clementiam jugiter exorare delectet. Hanc igitur auctoritatem, ut pleniorem in Deo obtinere valeat vigorem, et a fidelibus sanctæ Ecclesiæ et a nostris roboretur, et verius credatur, et diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Helisachar recognovi.

Data II Idus Febr., anno, Christo propitio, 11 imperii domini nostri, indictione 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XXIX.

PRO MONASTERIO DERVENSI.

(*Anno* 815.)

[Apud D. Bouquet. *ibid.*, pag. 476, ex chartulario hujus monasterii.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superni muneris donum nobis a Domino impertiri credimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia Hauto abba ex [a] monasterio sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quod est situm in silva quæ vocatur Dervo, ubi fluvius Alsmantia ingreditur in Vigera, in pago Pertense, ostendit nobis immunitatem avi nostri Pippini regis, in qua erat insertum qualiter ipse et antecessores ejus, reges videlicet Francorum, ipsum monasterium semper sub plenissima defensione et immunitatis tuitione habuissent. Ob firmitatem tamen rei postulavit nobis prædictus Hauto, ut eamdem auctoritatem ob amorem Dei et reverentiam ipsius sancti loci, nostra confirmaremus auctoritate. Cujus petitioni libenter acquievimus et hoc præceptum auctoritatis nostræ circa ipsum sanctum locum fieri decrevimus, per quod jubemus atque præcipimus ut nemo fidelium nostrorum, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore juste et rationabiliter possidet, vel ea quæ deinceps in jus ipsius monasterii voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem monasterii injuste distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato abbati suisque successoribus res prædicti monasterii sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere. Et quidquid exinde jus fisci exigere poterat, totum nos pro æterna remuneratione præfato monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum et stipendia servorum ibidem Deo famulantium proficiat perennibus temporibus in augmentum, quatenus ipsos servos Dei qui ibidem Deo famulantur, pro nobis et conjuge proleque nostra, et pro stabilitate totius imperii a Deo nobis collati vel conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici piissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Data II Kal. Martii, anno, Christo propitio, 11 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] Vulgo *Moutier en-Der*, in diœcesi Catalaunensi.

XXX.

PRO MONASTERIO GORZIENSI.

(*Anno* 815.)

[Apud D. Calmet., *Hist. Lothar.*, pag. 298.]

In nomine Domini Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Ludovicus, divina ordinante clementia, imperator Augustus.

Cum justum esse constat ut regalis atque imperialis potestas his aliquod munus impertiat quorum necessitas hoc postulare comprobetur; cumque non minus æquitatis ordo videtur exigere ut his eadem potentia liberius aurem accommodet, et eorum petitiones ad effectum perducat, quorum fideli famulatu manifesta devotionis obsequia demonstrantur: idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum sagacitati, qualiter suggerente atque petente Madephrido fideli nostro, res quasdam Theodemarus proprietatis suæ, quæ sunt in pago Scarponensi, in fine Theodalciaga, et in fine Scammuse, et in fine Helimninciaga, et in fine Audomaga, et in fine Absolomaga, et in fine Munalabuvicuse, et in fine Halaricunise, et in fine Cunholomaga, et in fine Dodomaga, et in fine Bedeonecuse, et in fine Banomaga, id est, tam mansis, casis, casulis, cum omnibus ædificiis desuper positis, campis, pratis, vineis, silvis, cultis et incultis, aquis aquarumve decursibus, quidquid ab hac die Hertmannus visus fuit habere, et potestatem habuit, totum et ad integrum ad partem sancti Stephani vel sancti Petri, vel sancti Gorgonii vel ad ipsum monasterium Gorziæ condonavit ad tempus Optario abbati, et accepit in precariam in pago Scarponensi, et in fine Banomaga, vel in ipsa villa Banonocurte, sicut et ipsa precaria docet, totum et ad integrum. Postea venit Magulfus episcopus atque abbas de ipso monasterio, et voluit ipsam precariam cessare. Tunc Hartmannus comes ad nostram accessit clementiam, deprecans ut ipsam precariam quam a supra memorato abbate Optario acceperat, per nostram mandeburdam et licentiam diebus vitæ suæ, sicut inter eos convenerat, habere potuisset: cujus petitionibus domus Dei utilitatem considerantes, capto fidelium nostrorum consilio, annuimus; et ideo hanc nostræ auctoritatis largitionem prædicto fideli nostro Hartmanno, expetitione Madefridi fidelis nostri ac cæterorum fieri decrevimus, per quam statuimus atque sanximus ut res superius scriptas, quas tam ipse Hartmannus ad ipsam casam Dei dedit, quam etiam illas quas in precariam accepit, per hoc majestatis nostræ præceptum, seu per dictam conventionem, diebus vitæ suæ secure possideat; et nullus exinde pontificum in quibuslibet rebus vel corporibus aliquid minuendi jus habeat; sed quidquid ibidem accrescere, immeliorare vel attrahere voluerit, ac si liberos proprios ex rebus memoratis haberet, eo fieri decernere satagat; ita tamen ut per singulos annorum recursus persolvat in censum, ad festivitatem ipsius beati martyris Gorgonii, quod est v Idus Septembris, solidos quinque denarios, aut quantum de cera pretio tanto comparata patefaciat. Quod si de ipso censu negligens aut tardus exstiterit, emendato neglecto, quod tenet teneat. Post discessum vero suum, quando sic Deus voluerit, ipsæ res bene actæ ac melioratæ absque ulla contradictione, vel judicis assignatione, ad jam futurum monasterium redeant. Hoc vero, auctoritas clementiæ nostræ ut immobilis et inconvulsa permaneat, manu nostra subterfirmavimus, et bullæ nostræ impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi regis.

Ego Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data x Kal. Aprilis, anno ab incarnatione Domini 815, indict. 8, epacta 7 concurrente, anno vero 2 regni Ludovici imperatoris. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXI.

PRO MONASTERIO ANIANENSI.

(*Anno* 815.)

(*Hoc et nonnulla alia Ludovici Pii diplomata quæ ad monasterium Anianense spectant vide inter Opera sancti Benedicti Anianensis.*)

XXXII.

PRO VIVARIENSI ECCLESIA.

(*Anno* 815.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, ex J. Columbi *De rebus gestis episc. Vivar.*, lib. II, n. 30.]

In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia [a], imperator Augustus.

Si sacerdotum ac servorum Dei justis petitionibus acquiescimus, hoc nobis sane ad æternam beatitudinem provenire confidimus. Idcirco comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum industria, quia vir venerabilis Thomas, episcopus Albensium seu Vivariensium, veniens ad nos, deprecatus est celsitudinem nostram ut pro nostræ mercedis augmento prædictam sedem, cum fratribus ibidem Domino servientibus, sub nostra defensione et immunitate reciperemus: cujus petitioni assensum præbentes, per nostræ auctoritatis præceptum confirmare studuimus. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate seu aliquis ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris, in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore juste et rationabiliter possidere videtur in quibuslibet pagis et territoriis, vel quidquid etiam deinceps propter divinum amorem ibidem collatum fuerit, ad causas audiendas, vel freda exigenda aut mansiones, aut paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos quam servos, injuste distringendos, sive ullas redhibitiones vel illicitas occasiones requirendas, ullo

[a] Male in editis. *divinæ ordinatione providentiæ.*

unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ sunt supra memorata exactare præsumat, sed liceat servis Domini ibidem consistentibus sub nostra defensione et immunitatis tuitione perpetuo tempore quiete residere, et pro nobis ac conjuge proleque nostra, seu pro stabilitate totius imperii nostri a Domino nobis collati, et ejus clementissima miseratione jugiter conservandi Domini misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas verius certiusque credatur, manu propria subscripsimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum domni Ludovici serenissimi imperatoris.

Datum xvii Kal. Julii, anno 11 imperii domni Ludovici Augusti, indict. 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XXXIII.

### PRO MONASTERIO SANCTI MAXENTII.

(*Anno* 815.)

[Apud D. Bouquet. *ibid.*, p. 480, ex veteri chartulario hujus monasterii.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante clementia imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata, propter amorem Dei ejusque in eisdem sibi famulantes, beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus, idcirco noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum solertia, quia nos Tetbertum venerabilem abbatem ex monasterio S. Maxentii confessoris, ubi ipse sanctus corpore requiescit, quod est situm in pago Pictaviensi, una cum congregatione ibidem Deo famulante, cum omnibus rebus et hominibus, quæ moderno tempore ipsa congregatio habere videtur, sub nostra suscepimus defensione et immunitatis tuitione. Quapropter et per hoc nostræ auctoritatis præceptum decernimus atque jubemus ut nullus judex publicus, et quilibet ex judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii, quas moderno tempore infra ditionem imperii nostri juste et rationabiliter possidet, et quæ deinceps in jure ipsius monasterii voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas et freda aut tributa exigenda, aut mansiones et paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem monasterii, tam ingenuos quam servos, super terram ipsius commanentes distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, et ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato abbati Tetberto suisque successoribus res prædicti monasterii sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere. Et quidquid inde fiscus sperare potuerit, totum nos pro æterna remuneratione præfato monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum et stipendia monachorum ibidem Domino famulantium proficiat perennibus in augmentis. Et quandoquidem divina vocatione supradictus abbas de hac luce migraverit, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint, qui secundum sanctum ordinem et regularem normam regere valuerint, per nostram permissionem et consensum licentiam eligendi habeant abbatem : quatenus servos Dei, qui ibidem Domino famulantur, pro nobis et conjuge proleque nostra, atque stabilitate totius imperii nostri nobis a Domino collati atque conservandi, jugiter Dominum exorare delectet. Hæc vero auctoritas immunitatis nostræ, ut per diuturna tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, et ut a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius certiusque credatur et diligentius conservetur, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici imperatoris.

Data xiv Kal. Julii, anno 11, Christo propitio, imperii domni Ludovici serenissimi imp., indict. 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XXXIV.

### PRO MONASTERIO FARFENSI.

(*Anno* 815.)

[Apud Chesnium, *Script. Rerum Francic.* tom. III, p. 654.]

Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Imperialem celsitudinem decet prædecessorum suorum facta non solum inviolabiliter conservare, sed etiam censuræ suæ auctoritate alacriter confirmare. Perinde noverit sagacitas seu industria omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, quia vir venerabilis Benedictus abbas ex monasterio Acutiano sito in territorio Sabinensi, et constructo in honore sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, obtulit obtutibus nostris quasdam auctoritates confirmationis Domini genitoris nostri bonæ memoriæ Caroli serenissimi Augusti, in quibus continebatur insertum qualiter idem monasterium sub tali privilegio consistere fecerat, sicut cætera monasteria quæ in Francia sub sancti Benedicti Patris norma consistunt. Scilicet ut nullus episcopus de thesauris ipsius monasterii aut rebus aliquid auferre, nec sub aliquo tributo ponere, aut aliquem censum exinde exigere aut exactare præsumeret. Vel qualiter Hildeprandus dux gauldum qui nuncupatur Tancies, et curtem quæ vocatur Vallantis, cum omni integritate et appendiciis suis, per sua præcepta confirmavit, et curtem Tacianum, monasterium sancti Marci evangelistæ quod est situm juxta muros Spoletanæ civitatis, quod ipse domnus et genitor noster ad idem monasterium per suum confirmavit præceptum : et monasterium sancti Salvatoris, situm non procul ab eadem civitate Spoletana ; et monasterium puellarum, quod vocatur Sancti Georgii, sub muro civitatis Realinæ ; et ecclesiam Sancti Michaelis archangeli positam super fluvium Mellinum, juxta ipsam civitatem Reatinam, cum omni integritate sua. Et in territorio Firmano

Sancti Silvestri, vel Sanctæ Marinæ, cum omni integritate, vel quidquid ex largitate regum reginarumque, pontificum, ducum, castaldorum, vel ex collatis populi, vel cæterorum fidelium, eidem monasterio legaliter confirmatum fuerat, suis auctoritatibus confirmaret. Sed et pro rei totius firmitate postulavit nos prædictus abbas ejusque congregatio, ut morem paternum sequentes nostram etiam auctoritatem super hoc negotio fieri censeremus. Quorum petitionibus ob animæ nostræ emolumentum, et æternæ retributionis fructum, libenter assensum præbuimus, et hoc nostræ auctoritatis præceptum inspecta auctoritate paterna fieri placuit, per quod decrevimus atque statuimus ut nullus episcopus de superius memoratis locis, aut de cæteris monasteriis, aut cellulis, xenodochiis, ecclesiis, curtibus, B villis, piscationibus cum piscatoribus suis, servis, ancillis, libellariis, chartulatis, offertis, gualdis, molendinis, vel de omnibus eidem monasterio jure subjectis, vel quidquid ex munificentia regum, reginarum, aut ex confirmatione pontificum, ducum, castaldorum, nec non ex collatis populi aut cæterorum fidelium liberalitate, vel etiam ex monachis qui in eodem monasterio suas animas salvare cupientes intraverunt, et eis tam ex donatione regum reginarumque, pontificum, ducum, quam et hæreditate parentum, vel de quolibet attractu advenerunt, et ibidem per chartulas delegaverunt, vel undecunque ad eos tam per venditiones, accessiones, commutationes possessionesque, eidem monasterio, sicut dictum est, venit, et moderno tempore juste et C legaliter possidere noscitur, vel quod deinceps Domino largiente ibidem collatum fuerit, nullus fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, memorato abbati ejusque congregationi, aut suis successoribus inquietare, aut calumniam generare, aut aliquam injustam repetitionem facere tentet. Sed sicut a genitore nostro confirmatum esse dignoscitur, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ diversis rebus idem locus ditatus esse constat, ita omni tempore absque alicujus præjudicio aut infestatione vel deminoratione consistat : et per hoc nostræ confirmationis præceptum jure perpetuo teneat, et sub nostro privilegio atque mundiburdo consistat, et sub defensione nostra ejusdem monachi in eodem monasterio quiete residere valeant, et pro nobis et stabilitate D totius imperii nostri Dominum exorare. Concessimus etiam eis ut quidquid ex copulatione servorum ipsius monasterii cum liberis feminis secundum legem Longobardorum ad publicum contingere poterat in eleemosyna nostra, per hoc nostrum confirmetur præceptum. Et quandoquidem divina vocatione prædictus vel successores ejus de hac vita migraverint, quandiu ipsi monachi inter se talem invenire potuerint, qui eos secundum regulam sancti Benedicti regere valeat, licentiam habeant eligendi abbatem. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ ab omnibus melius et verius credatur et diligentius conser- A vetur, more nostro eam subscribere, et de bulla nostra jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Datum II Non. Augusti anno, Christo propitio, II imperii nostri, indictione 8. Actum Franconofurd palatio regio Dei nomine feliciter.

## XXXV.

### PRO MONASTERIO BALNEOLENSI.

(*Anno* 815.)

[Florez, *España Sagrada*, tom. XLIII, tract. 81, *de Eccles. Gerund.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

B Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejusque in iisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet et futurorum magnitudini, qualiter vir illuster Rampo comes nostram adiit serenitatem, suggerens mansuetudini nostræ eo quod quidam vir religiosus nomine Bonitus quemdam locum eremum quod dicitur Baniolas, quod est situm in pago Bisudunensi ubi ecclesia antiquitus fundata fuerat per licentiam Odilonis quondam comitis, accepisset, et ibidem proprio sudore laborasset, ubi ecclesiam in honore sancti Stephani protomartyris construxit, et habitationes monachorum et receptacula C pauperum ædificavit, et monachos qui sub norma religionis perpetuo ibi degerent constituit. Sed cum idem abbas divina jussione a sæculo migravit, eligentibus ipsis monachis, et consentiente venerabili viro Nibridio archiepiscopo, Mercoralem virum venerabilem in eodem monasterio abbatem constituerunt, quem in nostra præsentia adducens in manibus nostris eum commendavit, postulans idem Rampo comes clementiam nostram, ut eum cum prædicto monasterio et monachis ibi degentibus una cum rebus, quæ tam ipsi ex eremo traxerant vel ex adprisione acceperunt, quam et de donatione comitum vel de quolibet legali attractu præsenti tempore juste et rationabiliter possidere videntur, sub mundoburdo et defensione atque immunitatis tuitione D constitueremus : cujus precibus libenter acquievimus, et ita in omnibus concessimus atque per hoc præceptum nostrum confirmavimus : quapropter præcipientes jubemus ut memoratus Mercoralis abbas cum monachis sibi ad regendum commissis sive cum rebus ad idem monasterium legaliter aspicientibus sub nostro consistat mundoburdo et immunitatis defensione, ut nullus quilibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memorati monasterii, quas moderno tempore infra ditionem imperii nostri juste et legaliter possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas vel freda exigenda aut mansiones vel paratas faciendas,

aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii distringendos nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato abbati suisque successoribus res prædicti monasterii quieto ordine possidere, et quandoquidem divina vocatione prædictus abbas vel decessores ejus de hac luce migraverint quandiu inter se tales invenire potuerint qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, licentiam habeant eligendi abbates, qualiter monachos ibi degentes pro nobis, conjuge proleque nostra vel pro stabilitate totius imperii nostri jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, de annulo nostro subtus jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Fibrugisii abbatis recognovi.

Data tertia Idus Septembris, anno, Christo propitio, nono imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione prima. Actum Attiniaco palatio regis in Dei nomine feliciter. Amen. — Exempla de præcepto domini imperatoris.

### XXXVI.

#### PRO MONASTERIO FONTANELLENSI.

(*Anno* 815.)

[Marten., *Ampl. Collect.*, tom. I, pag. 61, ex ms. Fontanellensi.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Ideo istud sit notum omnibus fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, seu etiam successoribus nostris, fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, quod vir venerabilis Trasarius abba ex monasterio quod vocatur Fontanella, quod est constructum in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli, vel cæterorum sanctorum, detulit obtutibus nostris immunitatem domni et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ piissimi Augusti, in qua erat insertum qualiter ipse et antecessores ejus, reges videlicet Francorum, præfatum monasterium propter divinum amorem tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium, semper sub plenissima defensione ac immunitatis tuitione habuissent. Ob firmitatem tamen rei postulavit nobis Trasarius abba ut eamdem auctoritatem ob amorem Dei et reverentiam ipsius sancti loci nostra confirmaremus auctoritate. Cujus petitioni libenter acquievimus, et ita in omnibus concessimus, atque per hoc præceptum nostrum confirmavimus. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, nec quislibet ex judiciaria potestate, aut loca, vel agros, in ecclesias seu reliquas possessiones memorati monasterii, quod moderno tempore infra ditionem imperii nostri juste et rationabiliter possidet, vel ea quæ deinceps in jure ipsius loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, vel mansiones, aut paradas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem monasterii tam ingenuos quam servos, super terram ipsius commanentes, injuste distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, aut pontaticos exigendos, aut telonea accipienda, aut rotaticos, in quibuslibet locis, civitatibus ac foris, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat; sed liceat memorato abbati suisque successoribus, res prædicti monasterii sub immunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere, et quidquid exinde fiscus exigere poterit, etiam pro æterna remuneratione prædicto monasterio concessimus, ut in alimonia pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium, perpetuis temporibus proficiat in augmentis. Quatenus ipsos servos Dei qui ibidem famulantur, pro nobis et conjuge, proleque nostra atque stabilitate totius imperii a Deo nobis concessi atque conservandi, jugiter divinam misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostra [*Forte* nostris] futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data VII Kal. Novembris, anno, Christo propitio, secundo imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione nona. Actum Niumaga, palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

### XXXVII.

#### PRO MONASTERIO INSULÆ BARBARÆ.

(*Anno* 815.)

[Apud D. Bouquet., *Script. Rer. Franc.*, tom. VI, pag. 485, ex *Ruderibus Insulæ-Barbaræ*, pag. 45.]

In nomine, etc., Ludovicus Dei providentia [a] imperator Augustus.

Episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicedominis, vicariis, centenariis, telonneariis, et omnibus rempublicam procurantibus, præsentibus scilicet et futuris, notum sit quia Campio abbas ex monasterio sancti Martini, quod dicitur insula Barbara, situm super flumen Sagonæ, non procul ab urbe Lugduni, et omnis ejus congregatio petierunt celsitudinem nostram ut licentiam haberent ad eorum supplendas necessitates omni tempore tres naves per Sagonam, Rhodanum et Dubim negotiandi gratia dirigere. Quorum petitionem libenter suscepimus et pro mercedis nostræ augmento sicut petierunt, per hanc nostram auctoritatem concessimus. Idcirco hoc præceptum nostrum eis fieri jussimus, per quod

[a] Corrigendum *divina ordinante providentia.*

cunctis jubemus ut ubicunque prædictus numerus navium in nostra ministeria vel potestates advenerit, nullum teloneum, neque, quod vulgo dicitur, aut cespitaticum aut salutaticum, aut cœnaticum, aut ullum censum, vel ullam redhibitionem ex ipsis assumere præsumatis aut exactare faciatis; sed liceat easdem naves omni tempore per prædicta flumina, sicut superius intulimus, libere et absque ulla contrarietate discurrere, et negotia sua peragere et ad quascunque civitates vel portus accessum habuerint, qui easdem naves providere debent, nullam inquietudinem aut detentionem ab aliquo fidelium nostrorum patiantur; sed per quodcunque de prædictis fluminibus remigraverint, quieti et securi cum ipsis navibus et iis quæ deferunt, per præsentem ordinationem nostram ire et redire valeant. Et si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint vel vendiderint, nihil ab eis, sicut diximus, requiratur aut exactetur. Si vero, quod absit, accidente quolibet casu aut negligentia navigatorum, aut vento impellente, sicut creberrime contingere solet, aliqua ex prædictis navibus merserit aut fregerit, aut cæsa ad littus pervenerit, nemo eam destruere, aut ea quæ intra sunt vastare, aut aliquid vi arripere præsumat; nisi forte hi qui ipsas naves providere debent, propria voluntate aliquid dare voluerint alicui. Quod si aliter alicubi factum fuerit, magistri locorum illorum qui rempublicam procurare noscuntur, absque aliqua dilatione legaliter hoc emendare studeant. Hæc quippe auctoritas ut nostris vel futuris temporibus, Domino protegente, valeat inconcussa manere, annulo nostro subter jussimus sigillari.

Datum III Idus Novembris [a] indictione 9, anno 3, Christo propitio, imperii domini Ludovici serenissimi Augusti. Actum Aquisgrani in palatio regio in Dei nomine feliciter.

### XXXVIII.

#### PRO MONASTERIO SANCTI ZENONIS VERONENSI.

(*Anno* 815.)

[Ughelli, *Italia sacra*, tom. V, pag. 705.]

In nomine Domini Dei æterni, et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Imperialem condecet prædecessorum suorum pie facta non solum inviolabiliter conservare, sed etiam censuræ suæ auctoritate alacriter confirmare. Idcirco comperiat omnium fidelium nostrorum industria, præsentium scilicet, atque futurorum, quod Rotaldus venerabilis sanctæ ecclesiæ Veronensis episcopus una cum Austerberto abbate monasterii S. Zenonis detulit nobis inter cæteras auctoritates domini et genitoris nostri Caroli piissimi Aug. vel prædecessorum nostrorum regum, quoddam præceptum de genitore nostro confirmatum, in quo exaratum reperimus qualiter dilectissimus germanus noster Pippinus quondam gloriosus rex, una cum memorato præsule monasterii S. Zenonis confessoris Christi, quod est constitutum in suburbio prædictæ civitatis, propter divinum amorem, et reverentiam præfati patroni reædificassent atque renovassent, et quod olim ab infidelibus hominibus exustum fuisset, et ab omnibus rebus sibi olim collatis pene privatum; nam neque monachi ibidem consistere quibant, qui horas canonicas et divinas persolverent laudes, nisi episcopus de prædicta civitate sacerdotes illuc mitteret, non erat, qui ibidem, ut dignum erat, divinum celebraret officium: unde illi pro animarum suarum emolumento quasdam res, quibus monachi et pauperes Christi subsidia necessaria futuris temporibus habere quivissent, ad memoratum locum delegare, atque confirmare fore perpetualiter, ac permanere. Ita duntaxat ut quæcunque res in comitatu Veronensi per singula loca, id est in primis monasteriolum in honore S. Petri constructum, quod nuncupatur Mauratica cum omnibus appenditiis suis, et decimis: similiter in alio loco quidem Ostelia in jam dicto comitatu Veronensi, seu ecclesia S. Laurentii cum omnibus pertinentiis suis et decimis. In tertio loco in eodem comitatu Veronensi ecclesiam videlicet in honore SS. martyrum Firmi et Rustici constructam cum omnibus pertinentiis suis, atque decimis, seu et horreum infra civitatem Veronam cum areis suis in circuitu, aliæque res tum in civitate Verona, quam extra in singulis locis ab Anselmo comite quondam præfato cœnobio delegatæ sunt, seu et res in Runco, quæ oblatæ sunt ab Oniperto presbytero.... quam in aliis locis montium, sive planitierum, habere ac possidere dignoscitur. Et in comitatu Vicentino montis scilicet Torcello pago Venetiarum, seu et in comitatu Tervisiano, ac Tridentino, Brisciano, Bergomate, Mantuano, Placentino, et Parmensi, Bononiensi, Clumacho, necnon et in omnibus locis Tusciæ, vel ubi aliquid ad idem pertinere supradictum monasterium, vel pertinuisse probatur. Sed pro firmitatis gratia petiit serenitati nostræ, ut paterna auctoritate nostris denuo piis oraculis confirmaremus. Sed quia pro peccatis nostris jam dictum monasterium S. Zenonis exustum denuo atque deletum est cum aliis hominibus, ut monachi ibidem minime habitarent. Cujus petitioni jam dicti præsulis denegare nolumus, sed ita a nobis, sicut a genitore nostro factum esse declaratur: ita per hos imperiales apices nostros concessisse, atque confirmasse omnium fidelium nostrorum cognoscat solertia. Denique jubemus, atque decernimus, ut quantumcunque memorata ecclesia S. Zenonis per donationem nostram, vel dilecti germani nostri, seu namque et Rotaldi prædicti episcopi, cæterorum fidelium traditione, vel ipsorum comparatu, seu quolibet attractu juste et legaliter habere dignoscitur, aut in antea bonorum hominum

[a] Præter usum et perperam additus est annus incarnationis 816. Nam Ludovicus hoc anno die undecimo Novembris Aquisgrani adesse non potuit: præterea indictio non suo loco ponitur; poni debebat post annum imperii. Denique si verum est hoc diploma, corrigendum *anno 2 imperii*, vel tertius annus repetendus a mense Septembri anni 813.

largitate collatum atque delegatum fuerit; necnon etiam, et oblationes, quæ fiunt ad S. Zenonem de omnibus quibuscunque mobilibus, vel immobilibus ibidem oblatum, vel offertum fuerit, deinceps cum omni integritate per hoc præceptum nostræ auctoritatis ipsa sancta congregatio monachorum securiter teneat atque possideat absque ulla inquietudine alicujus personæ, excepto sicut in priori præcepto nostri genitoris habuerat, ut pro honore succedentium pontificum instituere, ut in festivitate ipsius S. Zenonis annis singulis, aut manculos viginti, aut quinquaginta solidos argenti accipere debeat pontifex ipsius civitatis cum suis clericis ab ipsis monachis ibidem deservientibus, et nihil amplius ab eis ab aliquo exquiratur; liceatque ipsis monachis semper ex propria congregatione abbatem sibi eligere; si vero contigerit ut talem inter se invenire nequeant, tunc una cum consensu episcopi illius civitatis quærere sibi abbatem infra diœcesim eamdem licentiam habeant. Hoc vero et nos ob æternam remunerationem addimus, ut episcopus ipsius civitatis nullam unquam potestatem habeat aliquid inde abstrahere, vel usurpare, vel alicui in beneficium dare, sed liceat eidem congregationi, sub nostra tuitione quiete et securiter vivere, et Dei misericordiam jugiter pro nobis peccatoribus exorare. Insuper etiam placuit nostræ serenitati de famulis ejusdem monasterii definitiones facere, videlicet feminis liberis, quas Itali herimannas vocant, quæ se famulis ipsius ecclesiæ et monasterii copulaverint, sive etiam et aliarum Ecclesiarum, videlicet de majoribus titulis, aut de matricularibus ecclesiis, vel diœcesibus, seu monasteriis, vel quibuscunque ecclesiis junxerint, se cum prædictis famulis secundum prædecessorum statuta imperatorum, et per hujus nostri præcepti auctoritatem, sine omni contradictione hominum supradictum sanctum locum inviolabiliter possideat. Si quis vero, quod futurum non credimus, archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, seu publici administratores, aut privata persona contra omnia supra scripta insurgere, aut in aliquo violare tentaverit infra ditionem regni nostri consistens, sciat se lib. quinquaginta auri probatissimi compositurum medietatem eidem ecclesiæ, et medietatem palatio nostro. Et ut hæc auctoritas nostræ concessionis et confirmationis certius credatur, et per futura tempora diligentius observetur, manu propria nostra subter confirmavimus, et annuli nostri impressione jussimus sigillari.

Signum dom. Ludovici sereniss. imperatoris.

Data XIII Kal. Decemb., anno, Christo propitio, imperii domini Ludovici piissimi Aug.... indict. 8. Actum Aquisgrani palatio regis feliciter. Amen.

## XXXIX.

### [a] PRO MONASTERIO PSALMODIENSI.

(*Anno* 815.)

[Apud D. Bouquet. *ibid.*, pag. 484, ex archivis ecclesiæ Alesiensis.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejusque in eisdem locis sibi famulantes, beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Noverit interea sagacitas seu utilitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, quia vir venerabilis [b] Theodemirus abbas ex monasterio quod est situm in pago Nemausensi, in insula quæ nuncupatur Psalmodium, constructum in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ semperque virginis, et sancti Petri principis apostolorum, vel aliorum sanctorum, adiens serenitatem culminis nostri deprecatus est ut prædictum monasterium cum omnibus rebus moderno tempore juste sibi aspicientibus, ob amorem Dei tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium, sub nostra susciperemus defensione et sub plenissima immunitatis tuitione constitueremus. Cujus petitioni libenter consensum præbuimus; et hoc nostræ auctoritatis præceptum erga ipsum monasterium immunitatis ac tuitionis gratia, pro divini cultus amore et animæ nostræ remedio, fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, aut agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem imperii nostri juste et legaliter possidet, vel quæ deinceps aut per commutationes aut cessiones, emptiones, vel de quolibet justo contractu in jure hujus sancti loci advenerint, ad causas audiendas vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos,

[a] Hoc præceptum ex archivis ecclesiæ Alesiensis, cui Psalmodiense monasterium unitum est, eruit clarissimus abbas S. Maximini, præpositus et vicarius generalis capituli Alesiensis. Aliud certe apographum vidit in tabulario Psalmodiensi domnus Claudius Estiennot, tanta est diversitas in eodem diplomate quod exscripsit.

[b] Huic Theodemiro Claudius Taurinensis episcopus anno 815 tres libros in Genesim; anno 821, expositionem in Exodum; anno 823, Commentarios in Leviticum dicavit, ut patet ex præfatione ejusdem auctoris præmissa Commentariis in Leviticum. Theodemirus postea prolixam contra Taurinum qui cultum sacrarum imaginum impugnaverat, epistolam scripsit, magna ex parte relatam in libro tertio Jonæ Aurelianensis episcopi adversus eumdem Taurinum. In hac epistola Theodemirus se centum quadraginta monachis sub regula sancti Benedicti præfuisse ait, tametsi cœnobiolum suum præ modestia vocat. De hoc abbate honorifice loquitur Jonas in libro primo his verbis: « Quidam sanæ et sanctæ religionis proposito venerandus et honestæ vitæ imitandus, debitoque honore nominandus Theodemirus Pater monachorum, nunc jam rebus humanis exemptus, cum jam longe lateque fama crebrescente ab eodem Claudio talia geri et prædicari contra auctoritatem ecclesiasticam didicisset, charitatis officio ductus, et unice gentis amore provocatus, eidem Claudio, ut ab his se, quæ reprehensibiliter agebat et docebat compesceret, litteris charitate refertis mandari curavit. »

aut homines hujus monasterii, tam ingenuos quam servos, super terram ipsius commanentes distringendos, nec ullas redhibitiones vel illicitas occasiones requirendas nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Et quidquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare poterit, totum nos pro æterna remuneratione prædicto monasterio concedimus, ut perennibus temporibus in alimonias pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione supradictus abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi abbates : quatenus ipsos servos Dei qui ibidem Deo famulantur, pro nobis, conjuge proleque nostra, atque stabilitate totius nostri imperii , immensam clementiam exorare delectet. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine vigorem obtineat, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur et diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Data III Nonas Decembris, anno, Christo propitio, secundo imperii domini Ludovici piissimi Augusti, [a] indictione 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XL.

### PRO MONASTERIO MONTIS OLIVI IN DIŒCESI CARCASSONENSI.

(*Anno* 815.)

[Apud D. Bouquet. *ibid.*, pag. 485, ex autographo.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non dubitamus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum sagacitas, quia vir venerabilis Olomundus abbas ex monasterio quod nuncupatur Malasti, quod est situm in territorio Carcassense super fluvium Duranum, constructum in honore sancti Joannis Baptistæ, obtulit obtutibus nostris quamdam auctoritatem domini et genitoris nostri Caroli piæ recordationis serenissimi Augusti, in qua erat insertum qualiter idem Olomundus ipsum monasterium a novo construxisset opere, et propter ejus defensionem vel propter pravorum hominum illicitas infestationes in manu ejusdem domini imperatoris una cum monachis ibi degentibus se commendavit, ut sub ejus tuitione licuisset eis cum rebus et hominibus eorum quiete vivere ac residere; et deprecatus est clementiam nostram ut prædictum monasterium una cum cellula quæ nuncupatur sancti Martini prædicto monasterio subjecta, quæ est sita in eodem pago sub rivulum Lampii, quæ est constructa in honore sancti Martini confessoris, cum rebus, hominibus et adjacentiis sive terminis suis, sub nostra susciperemus defensione et immunitatis tuitione. Cujus precibus ob amorem Dei et reverentiam divini cultus libenter aurem accommodare placuit, et hoc nostræ auctoritatis præceptum immunitatis atque tuitionis gratia fieri decrevimus; per quod præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, vel loca, aut agros seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore juste et rationabiliter possidet, vel quæ etiam deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines monasterii, tam ingenuos quam et servos, super terram ipsius commanentes, injuste distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Et quidquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare poterit, totum nos pro æterna remuneratione præfato monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium perpetuo proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione supradictus abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi abbates, quatenus ipsos monachos qui ibidem Deo famulantur, pro nobis et conjuge proleque nostra, atque stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi, ejusque clementissima miseratione per immensum conservandi, Domini immensam clementiam jugiter exorare delectet. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur et diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Data VI Idus Decembris, [b] anno, Christo propitio, secundo imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] Male apud domnum Estiennot, *indictione* 8, in quo sæpe sæpius errant amanuenses.

[b] Mabillonius et Baluzius illud diploma cum anno 815 copulant; Pagius, qui censet in omnibus diplomatis tam a Carolo Magno quam a Ludovico Pio et ab utriusque filiis ante ejusdem Ludovici Pii mortem emissis , indictiones a Kalendis Septembribus semper inchoatas fuisse, illud ad annum 814 refert et annum secundum Ludovici imperatoris ab anno 813, quo is imperialis nominis consors a Carolo Magno patre dictus fuit, deducit. Ego quidem corrigendum arbitror *indictione* 8.

XLI.

PRO ECCLESIA VIENNENSI.

(*Anno* 815.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 486, ex Cointio, t. VII *Annal. eccles.*, pag. 360.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, eisque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia opportuna largiamur, præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, solertia, quia placuit nobis pro mercedis nostræ augmento et æternæ retributionis fructu, quasdam res, quæ olim matri ecclesiæ Viennensi, ubi modo Bernardus archiepiscopus præest, quæ est constructa in honore sancti Mauricii martyris, abstractæ erant, pro amore Dei et reverentia ipsius sancti loci reddere, quæ sunt in pago Vasionense in villa quæ vocatur Dalforiana, cum domibus et ædificiis, mancipiis, accolabus, terris, olivetis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, cum omnibus appendiciis vel adjacentiis. Has itaque res, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, quæ de ratione ipsius villæ in eadem provincia [sunt] præsenti tempore, totum et ad integrum vel inexquisitum, prædictæ Viennensi ecclesiæ per hanc nostram auctoritatem reddimus. Quapropter volumus atque jubemus ut per hanc nostram auctoritatem nostris videlicet et futuris temporibus, prædictæ res, sicut superius intulimus, perpetuo in jure et dominatione ipsius ecclesiæ consistant, ut quidquid de ipsis rebus ob utilitatem et profectum rectores ipsius se lis facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Hanc quippe auctoritatem, ut firmior habeatur, et perennibus temporibus a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur, et diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi Augusti.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data XIII Kal. Januarias, anno, Christo propitio, 2 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XLII.

PRO MONASTERIO PRUMIENSI.

(*Anno* 815.)

[Hontheim, *Hist. Eccles. Trevir.*, tom. I, pag. 166.]

In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

[Dum] sacerdotum et servorum Dei petitiones, quæ nobis pro necessitatibus suis innotuerunt, ad effectum perducimus, non solum imperialem consuetudinem exercemus, verum etiam ad beatitudinem æternæ retributionis talia nobis profutura confidimus. Idcirco comperiat omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, solertia, quia vir venerabilis Tancradus, abba ex monasterio quod dicitur Prumia, quod domnus et avus noster Pippinus gloriosus rex, novo opere, in honore sancti Salvatoris, ceu et cæterorum sanctorum construxit [a], obtulit auctoritatem immunitatis domni et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ serenissimi imperatoris, in qua erat insertum qualiter ipsum monasterium ob amorem Dei, tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium, semper ipsum monasterium sub plenissima tuitione et immunitatis defensione habuisset. Sed pro firmitatis studio petiit prædictus abba Tancradus, ut circa ipsum locum, ob amorem Dei paternæ auctoritati nostram quoque superadderemus auctoritatem.

Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, et ita in omnibus concessimus, atque per hoc præceptum nostrum confirmavimus. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore in quibuslibet pagis aut territoriis infra ditionem imperii nostri juste et legaliter possideant, vel ea quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, vel scarras, aut conjectos tam de carris quam etiam de parafredis exactandis, aut homines ejusdem monasterii, tam ingenuos quamque et servos, super terram ipsius commanentes injuste distringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, præsentibus nec futuris temporibus, ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, petere aut exactare præsumat.

Et quidquid exinde jus fisci exigere poterat, totum nos pro æterna remuneratione eidem concessimus monasterio: videlicet, ut perpetuis temporibus in alimoniam pauperum et stipendium monachorum, ibidem Deo servientium, proficiat in augmentum, quatenus ipsos monachos, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis et conjuge prolequc nostra, et stabilitate totius imperii a Deo nobis collati, et ejus immensa misericordia per immensum conservandi jugiter Dei misericordiam exorare delectentur. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, ac per tempora, Domino opitulante, melius conservetur, manu propria subter signavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici seren. imp. Heliosar recognovi.

Data III Non. Febr., anno secundo, Christo propitio, imperii nostri, indict. 8. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] *Auctoritatem immunitatis*, etc. Vide eam supra ad annum 775, mense Novembri (*Patrol. tom. XCVII, col.* 1053).

## XLIII.

### PRO HISPANIS QUI IN REGNO FRANCORUM MANEBANT.

[Apud Baluzium, *Capitul.*, tom. I, pag. 569.]

*Hoc est præceptum concessionis quod fecit Ludovicus imperator Hispanis qui ad se perfugerant [contra oppressiones comitum].*

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, tam præsentibus quam et futuris, seu etiam successoribus nostris, quia postquam Hispani, qui de potestate Saracenorum se subtraxerunt, et ad nostram seu genitoris nostri fidem se contulerunt, et præceptum auctoritatis nostræ, qualiter in regno nostro cum suis comitibus conversari et nostrum B servitium peragere deberent, scribere et eis dare jussimus, querimoniam aliqui ex ipsis Hispanis nostris auribus detulerunt duo capitula continentem; quorum unum est quod quando iidem Hispani in nostrum regnum venerunt, et locum desertum, quem ad habitandum occupaverunt, per præceptum domni et genitoris nostri ac nostrum sibi ac successoribus suis ad possidendum adepti sunt, hi qui inter eos majores et potentiores erant ad palatium venientes, ipsi præcepta regalia susceperunt, quibus susceptis, eos qui inter illos minores et infirmiores erant, loca tamen sua bene excoluisse videbantur, per illorum præceptorum auctoritatem, aut penitus ab eisdem locis depellere, aut sibi ad servitium subjicere conati sunt. Alterum est, quod simili modo de Hispania ve- C nientes, et ad comites sive vassos nostros vel etiam ad vassos comitum se commendaverunt, et ad habitandum atque excolendum deserta loca acceperunt; quæ ubi ab eis exculta sunt, ex quibuslibet occasionibus eos inde expellere, et ad opus proprium retinere, aut aliis propter præmium dare voluerunt. Quorum neutrum justum aut rationabile nobis esse videtur. Et ideo per hanc nostræ præceptionis auctoritatem decernimus atque jubemus, ut hi qui vel nostrum vel domni et genitoris nostri præceptum accipere meruerunt, hoc quod ipsi cum suis hominibus de deserto excoluerunt, per nostram concessionem habeant. Cæteri vero qui simul cum eis venerunt et loca deserta occupaverunt, quidquid de inculto excoluerunt, D absque ullius inquietudine possideant, tam ipsi quam illorum posteritas; ita duntaxat ut servitium nostrum cum illo qui ipsum præceptum accepit, pro modo possessionis quam tenet, facere debeat. Hi vero qui postea venerunt, et se aut comitibus, aut vassis nostris, aut paribus suis se commendaverunt, et ab eis terras ad habitandum acceperunt, sub quali convenientia atque conditione acceperunt, tali eas in futurum et ipsi possideant, et suæ posteritati derelinquant. Hoc nostræ auctoritatis decretum non solum erga præteritos et præsentes, verum etiam erga futuros qui adhuc ex illis partibus ad nostram fidem venturi sunt, conservandum statuimus, de hac constitutione A nostra septem præcepta uno tenore conscribere jussimus: quorum unum in Narbona, alterum in Carcassona, tertium in Rosciliona, quartum in Empuriis, quintum in Barchinona, sextum in Gerunda, septimum in Biterris haberi præcepimus, et exemplar eorum in archivo palatii nostri, ut prædicti Hispani ab illis septem exemplaria accipere et habere possint, et per exemplar quod in palatio retinemus, si rursum querela nobis delata fuerit, facilius possit definiri. Et ut hæc nostræ auctoritatis constitutio firmiorem obtineat vigorem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ plenius per tempora conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum domni Ludovici serenissimi imperatoris.

Arnaldus ad vicem Helisachar recognovit.

Data IV Idus Februarii, anno, Christo propitio, tertio imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 9. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

## XLIV.

### PRO MATISCONENSI ECCLESIA

(*Anno* 816.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 487, ex instrum. ad tom. IV *Galliæ Christianæ*, col. 265.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Noverit utilitas fidelium nostrorum, comitum videlicet et vassalorum nostrorum, sive et vicariorum, centenariorum, vel missorum per imperium a Deo nobis collatum discurrentium, quia vir venerabilis Hildebaldus Matisconensis ecclesiæ episcopus deprecatus est celsitudinem culminis nostri, ut ecclesiæ, cui, Deo auctore, episcopus præest, quæ est constructa in honore sancti Vincentii martyris, omnes qui beneficia ex eadem ecclesia habebant, nonas et decimas annis singulis de eisdem beneficiis darent, et ad ædificia ipsius ecclesiæ restauranda juxta vires opem ferrent. Quod nos secundum jussionem a domno imperatore jam dudum factam omnibus præcipimus, atque modo per has litteras jubemus et confirmantes commendamus, ut quicunque ex largitione nostra de terris præfatæ ecclesiæ beneficia habent, nonas et decimas annis singulis prædicto episcopo Hildebaldo seu successoribus suis absque ulla contrarietate et negligentia dare non negligant; et ad domos ipsius ecclesiæ restaurandas unusquisque pro viribus suis adjutorium ferre non differat; et nullus quilibet de vobis, qui præfatæ ecclesiæ beneficia habetis contra hoc jussionis nostræ præceptum facere præsumat: sed in omnibus ita illud observet, sicut a nobis jussum est, et sicut Dei et nostram gratiam vel ipsum beneficium habere vult. Et ut certius credatis hanc nostram esse jussionem, et a vobis melius conservetur, de annulo nostro jussimus sigillari.

Data IV Idus Februarii, anno, Christo propitio, 3

imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 9. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine.

### XLV.

PRO MONASTERIO SANCTI HILARII IN DIŒCESI CARCASSONENSI.

(*Anno* 816.)

[Baluz., *Capitul.*, tom. II, pag. 1409, ex archivo S. Hilarii.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, Imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejusque in eisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit sagacitas seu utilitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, quoniam vir venerabilis Monnellus abba ex monasterio sancti Hilarii, quod est situm in pago Carcassonense super rivum qui dicitur Leuchus, constructum in honore sancti Saturnini martyris, ubi etiam prædictus sanctus Hilarius confessor corpore requiescit, ad nostram accedens clementiam, detulit obtutibus nostris quamdam auctoritatem domini et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ piissimi Augusti, in qua continebatur insertum qualiter idem genitor noster ipsum monasterium ad deprecationem prædecessoris sui Nampionis abbatis sub suo suscepisset mundeburdo vel defensione, videlicet ut monachi in eodem monasterio commorantes cum omnibus rebus eorum quiete vivere absque alicujus infestatione licuisset. Pro firmitatis namque studio postulavit nobis prædictus Monellus abba ut eumdem monasterium cum cellulis sibi subjectis, quæ nuncupatur Garelianus, et alia quæ nuncupatur sancti Martini, et villam juxta ipsum monastèrium quæ vocatur Salas, ubi est ecclesia constructa in honore sanctæ Mariæ semper virginis, quam et nos eidem monasterio concessimus, cum adjacentiis vel terminiis prædictorum locorum, sub nostra constitueremus defensione et immunitatis tuitione. Cujus precibus ob amorem Dei et reverentiam divini cultus libenter aurem accommodare placuit, et hoc nostræ auctoritatis præceptum immunitatis atque tuitionis gratiam fieri decernimus, per quam præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus vel quilibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore juste et rationabiliter possidet, vel quæ etiam deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam et servos super ipsius terram commanentes injuste distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat, et quidquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare po-

A terit, totum nos pro æterna remuneratione præfato monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium perpetuo proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione supradictus abba vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi abbates; quatenus ipsos monachos, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis et conjuge proleque nostra atque stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi, ejusque clementissima miseratione per immensum conservandi, Domini immensam clementiam jugiter exo-

B rare delectet. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur et diligentius observetur, manu propria subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

### XLVI.

PRO ECCLESIA AURELIANENSI.

(*Anno* 816.)

[Baluz., *ibid.*, ex chartulario ecclesiæ Aurelianensis.]

In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis

C quiddam conferimus beneficii, et necessitates ecclesiasticas ad petitiones sacerdotum nostro relevamus juvamine, atque imperiali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam et ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Noverit interea sagacitas seu utilitas omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque tam præsentium quam et futurorum, quia vir venerabilis Theodulfus, Aurelianensis Ecclesiæ archiepiscopus, obtulit obtutibus nostris auctoritatem domini et genitoris nostri bonæ memoriæ Caroli piissimi Augusti, in qua erat insertum quod idem genitor noster et prædecessores ejus, reges videlicet Francorum, ecclesiam sanctæ Crucis, cui, auctore Deo, ipse Theodulfus prælatus est, sub suo

D munimine et defensione consistere fecissent, et eorum immunitatum auctoritatibus hactenus ab inquietudine judiciariæ potestatis eadem munita atque defensa fuisset ecclesia. Ob rei tamen firmitatem postulavit nobis idem Theodulfus episcopus ut paternum morem sequentes, nostræ immunitatis præceptum eidem fieri censeremus ecclesiæ. Cujus petitioni libenter annuimus, et hoc nostræ immunitatis præceptum pro divini cultus amore et animæ nostræ remedio erga ipsam sanctam sedem fieri decrevimus; per quod præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, aut ullus ex fidelibus nostris tam præsentibus quam et futuris in ecclesias aut loca aut agros seu reliquas possessiones quas moderno tempore in quibuslibet

pagis vel territoriis infra ditionem imperii nostri juste et legaliter memorata tenet vel possidet ecclesia, nec in eas res quæ deinceps a catholicis viris eidem collatæ fuerint ecclesiæ, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ tam ingenuos quam servos super terras ipsius commanentes distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ supra memorata sunt exigere penitus præsumat. Sed liceat præfato præsuli suisque successoribus res prædictæ ecclesiæ, cum cellulis sibi subjectis et rebus vel hominibus ad se aspicientibus vel pertinentibus, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ac libero ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio, atque pro incolumitate nostra, conjugis ac prolis, seu etiam totius imperii a Deo nobis collati ejusque clementissima miseratione per immensum conservandi stabilitate una cum clero et populo sibi subjecto Dei immensam clementiam jugiter exorare. Et quidquid de præfatæ rebus ecclesiæ jus fisci exigere poterat, in integrum eidem concessimus ecclesiæ, scilicet ut perpetuo tempore in eodem loco Deo famulantibus ad peragendum Dei servitium augmentum et supplementum sit. Hanc vero auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris per diuturna tempora diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus

## XLVII.

### PRO MONASTERIO S. GERMANI ANTISSIODORENSIS.

(*Anno* 816.

[Apud Baluz., *ibid.*, pag. 1411, ex chartulario S. Germani Antissiod.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus, omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, teloneariis, actionariis, vel omnibus rempublicam administrantibus seu cæteris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris tam præsentibus quam futuris.

Notum sit quia venerabilis Alegrerus, abbas ex monasterio sancti Germani, quod est constructum in suburbio Antissiodorensis civitatis, ubi ipse sanctus corpore requiescit, detulit nobis auctoritatem avi nostri Pippini regis et Caroli bonæ memoriæ genitoris nostri piissimi Augusti seu et antecessorum nostrorum, regum videlicet Francorum, in quibus continebatur qualiter ipsi ob æternæ retributionis fructum concessissent eidem monasterio teloneum de quatuor navibus quæ per Ligeris flumen seu cætera flumina propter sal et cætera commercia discurrebant, undecunque fiscus teloneum exigere poterat. Pro firmitatis namque studio postulavit nobis præfatus Alegrerus abbas ut paternum seu prædecessorum nostrorum regum morem sequentes, hujusmodi A auctoritatis nostræ beneficium eidem concederemus vel confirmaremus monasterio. Cujus precibus nobis ob amorem Dei et venerationem sancti Germani pontificis et hoc præceptum munificentiæ nostræ firmitatis gratia circa ipsum monasterium fieri libuit; per quod jubemus atque præcipimus ut nullus judex publicus vel quilibet ex judiciaria potestate prædictas quatuor naves, quæ per fluvium Ligeris vel per cætera flumina infra ditionem imperii nostri ob utilitatem et necessitatem ipsius monasterii discurrunt, ad quascunque civitates, castella, aut portus, vel cætera loca accessum habuerint, nullus ex eis aut hominibus qui eas prævident nullum teloneum aut ripaticum au portaticum aut pontaticum aut salutaticum aut cispitaticum aut cœnaticum aut pastio- B nem aut laudaticum aut tranaticum aut pulveraticum aut ullum occursum vel ullum censum aut ullam redhibitionem accipere vel exigere audeat; sed licitum sit, absque alicujus illicita contrarietate vel detentione, per hanc nostram auctoritatem naves et homines qui eas prævidere debent, cum iis quæ deferunt, libere atque secure ire et redire. Et si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint aut vendiderint, nihil ab eis prorsus, ut dictum est, exigatur. Hæc vero auctoritas ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur et diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Datum VI Idus Martii, anno, Christo propitio tertio C imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 9. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XLVIII.

### PRO MONASTERIO CORMARICENSI.

(*Anno* 816.)

[Apud Baluz., *ibid.*, ex chartulario S. Martini Turon.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante clementia, imperator Augustus.

Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus et ad divinæ potentiæ in Domino dicatis locis uberius famulandum auxilium porri- D gimus, id nobis procul dubio et ad mortalem vitam temporalem deducendam et ad futuram feliciter obtinendam commodum pervenire confidimus. Notum igitur esse volumus cunctis fidelibus nostris, episcopis videlicet, abbatibus, virisque illustribus ducibus, comitibus, domesticis, grafionibus, vicariis, centenariis, eorumque junioribus, necnon missis nostris per universum imperium nostrum discurrentibus, seu etiam cæteris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris præsentibus scilicet et futuris, quia adiit serenitatem culminis nostri venerabilis vir Fredegisus, abbas ex monasterio peculiaris patroni nostri sancti Martini, ubi ejusdem præclarissimi viri venerabile corpus requiescit, ferens manibus immunitates pri-

scorum regum Francorum, necnon avi nostri Pippini quondam regis, seu etiam piæ recordationis domini et genitoris nostri Caroli serenissimi imperatoris, quibus idem monasterium quiete in Dei servitio degere sanxerunt, et omnes res præfati monasterii in universo Christo largiente regno nostro, in Austria scilicet, Niustria, Burgundia, Aquitania, Provincia, Italia, et in cæteris regni nostri partibus consistentes, quæ non solum ab orthodoxis principibus, verum etiam a cæteris fidelibus collatæ, vel per quoslibet contractus et munimina chartarum, usibus ejusdem legaliter traditæ sunt monasterii, sub immunitatis suæ defensione consistere et ab omni publica functione et judiciaria exactione immunes reddidissent. Quod munus eidem monasterio, necnon et Cormaricensi cœnobio ab rebus sancti Martini constructo, exhibitum, Deo annuente, inviolabiliter hactenus constat esse conservatum. Pro firmitatis namque studio hujuscemodi beneficium erga præfatum venerabile monasterium nostra auctoritate humiliter precibus quibus valuit fieri postulavit. Cujus petitioni ob amorem Dei et venerationem beati Martini libenter assensum præbere usquequaque ......... libuit. Quapropter volumus atque decernimus ut omnes res ejusdem monasterii, cum hominibus sibi subjectis, sub nostræ defensionis munimine modis omnibus consistant. Præcipimus ergo, jubemus atque præcipimus ut nullus judex publicus aut quislibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator ad causas judiciario more audiendas in ecclesias aut villas seu reliquas possessiones quas moderno tempore in quibusdam provinciis aut territoriis imperii nostri juste et legaliter possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augeri, ingredi præsumat, nec freda aut telonea aut mansiones aut pastus aut tributa, sicut præcepto domini et genitoris nostri continetur, exigere, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram ipsius monasterii commanentes distringere, nec ullas publicas functiones aut redhibitiones vel illicitas occasiones requirere, quibus idem monasterium sibique subjecti aliquod injuste patiantur incommodum, nostris futurisque temporibus quisquam temerarius existat quod faciendi illicitam sibi potestatem attribuere audeat. Quidquid igitur de præfatis ejusdem monasterii rebus jure fisci cedendum fuit, et a decessoribus nostris comperimus collatum, et largitionis nostræ munere libenter volumus esse per universum eidem monasterio concessum, ut id remoto fisci dominatu, ad luminaria basilicæ beati Martini concinnanda et ad sustentationem pauperum seu clericorum in eodem loco Domino servientium supplementum........ Si quis autem in tantam prorumpere ausus fuerit audaciam, ut hujus præcepti nostri violator exstiterit, quemadmodum in præceptione domini et genitoris nostri continetur, non solum in offensam nostram lapsurum, verum etiam sexcentorum solidorum auri ad purum excocti se noverit pœna mulctandum ; ex qua duas partes rectores memorati monasterii, tertiam jus fisci recipiat. Dignum namque et justum est ut tot piorum regum decessorum nostrorum nostrique præcepti violator hujuscemodi habeat pœnam, ut et se tantæ temeritatis merito argui cognoscat, et cæteris, ne id agere quolibet ausu pertentent, timorem injiciat, ut nullus scilicet beneficia regalia locis Deo dicatis veneranter exhibita temerare conetur. Volumus itaque atque censemus, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine memoratus abbas suique successores prædicti monasterii, cum omnibus sibi subjectis vel ad se aspicientibus seu pertinentibus hominibus, sub immunitatis atque protectionis nostræ defensione consistant, nostroque fideliter parentes imperio, pro incolumitate nostra nostræque conjugis et prolis, seu etiam totius imperii a Deo nobis collati ejusque gratissima miseratione perpetuo conservandi, una cum clero sibi commisso, immensam clementiam jugiter exorent. Si quid vero de præfati monasterii rebus per tepiditatem et negligentiam abbatum aut præceptionem judicum abstractum est, id per nostram auctoritatem prorsus restaurandum præcipimus. Et ut hæc auctoritas inviolabilem obtineat effectum et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur, manu propria subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris..... ad vicem Helisachar recognovi et subscripsi.

Data III Kalend. Septembris, anno, Christo propitio, 3 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 10. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

(*Bulla est aurea.*)

### XLIX.

#### [a] PRO MONASTERIO SANCTI MEVENNI.

(*Anno* 816.)

[Apud D. Bouquet. *Script. Rer. Franc.*, tom. VI, pag. 489, in probat. *Hist. Britann.*, pag. 20.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divino interius amore [b] favemus, superni muneris donum a Domino impartiri credimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, quod quidam vir Helogar Alethensis episcopus detulit obtutibus nostris quamdam auctoritatem, quam dominus et genitor noster Carolus bonæ memoriæ serenissimus Augustus ad petitionem ipsius ecclesiæ, cui ipse Deo auctore præest, fieri jussit, in qua continebatur insertum quod tempore

[a] Hoc præceptum se vidisse testatur Robertus Macloviensis episcopus his verbis : « Datum hujus visionis factæ a nobis Roberto Macloviensi episcopo die lunæ ante festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis, anno MCCXCIV. »

[b] Forte legendum *divini cultus amore.*

rebellionis domus ecclesiæ S. Mevenni et S. Judicaelis, quæ est in loco nuncupato Wadel necnon in alio loco in insula quæ vocatur Machuti depopulantibus hostibus ignemque submittentibus, non solum thesaurus ecclesiæ et ministeria ad officia ecclesiastica peragenda perierunt, verum etiam et strumenta..... unde præfatæ ecclesiæ ditatæ fuerant, exusta et concremata fuissent : et quod idem genitor noster ad ejus deprecationem per eamdem auctoritatem constituisset ut absque alicujus contradictione vel impedimento ipse Helogar episcopus.... ejus qui fuerunt in locis S. Mevenni et S. Judicaelis, necnon et S. Machuti, ut omnes res undecunque eo tempore prædictæ ecclesiæ juste et rationabiliter per diversa loca vestitæ erant, vel in posterum cum æquitatis..... ibidem attributum fuisset, ut non solum in ditionem prædictarum ecclesiarum perpetuo consisterent; verum etiam et nullus quislibet aliquid exinde abstrahere aut minuere contra justitiam ullo unquam tempore præsumeret, aut aliquod impedimentum aut calumniam generare auderet, sed pro hujusce rei firmitate nostram obsecravit clementiam ut paternæ auctoritati nostram superadderemus auctoritatem. Ejus petitioni libenter aurem accommodare placuit, ac nostræ auctoritatis et confirmationis præceptum ob amorem Dei et reverentiam prædictorum sanctorum locorum fieri libuit, per quod præcipimus atque jubemus ut, sicut a Domino et genitore nostro prædictis ecclesiis confirmatum atque concessum est, ita per hanc nostram auctoritatem quidquid modo prædictæ ecclesiæ juste et legaliter possident, deinceps firmiter atque inviolabiliter teneant atque possideant; et nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones quas moderno tempore juste et rationabiliter intra ditionem imperii nostri possident, vel ea quæ deinceps in jure ipsarum ecclesiarum divina pietas voluerit augere ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones [vel] paratas faciendas, aut fidejussores ponendos [tollendos], aut homines tam ingenuos quam et servos, super terram ipsarum ecclesiarum commanentes injuste distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeant, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat : sed liceat prædicto antistiti suisque successoribus res prædictarum ecclesiarum cum omnibus rebus et hominibus sibi subjectis, sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, ac nostro fideliter parere imperio, atque pro stabilitate nostra, conjugis ac prolis, vel totius imperii a Domino nobis collati vel conservandi, una cum clero et populo sibi subjecto libere Domini misericordiam exorare delectet. Quod si forte super eisdem rebus ante prædictam exustionem a prælatis præfatarum ecclesiarum jure possessis quæstio orta fuerit, ut pro eis legaliter in quolibet loco disceptare necesse *sit, ita per* hanc nostram auctoritatem easdem et mancipia defendant, sicuti per eadem instrumenta, si perdita non fuissent, legibus defendi poterant. Hæc quippe auctoritas ut firmiorem habeat vigorem et ab omnibus verius certiusque credatur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici imperatoris.

Data VII Kal. Aprilis, anno, Christo propitio, [tertio] imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 9. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## L.

### PRO ECCLESIA CAMERACENSI

(*Anno* 816.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des Hist.*, tom. VI, pag. 490, ex Joan. Carpenterio in probat. *Historiæ Cameracensis*, pag. 1.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Cum petitionibus servorum Dei justis, etc. Proinde immunitates, avi videlicet nostri, regis Pippini et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ præstantissimi imperatoris, in quibus continebatur insertum qualiter idem genitor noster et antecessores reges prædictam sedem, quæ in honore est Dei genitricis Mariæ semperque virginis, ob amorem Dei tranquillitatemque consistentium fratrum, sub plenissima tuitione et immunitatis defensione habuissent, etc. Per hoc præceptum nostræ auctoritatis confirmamus, etc.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data XVIII Kal. Maias, anno, Christo propitio, 3 domini Ludovici piissimi Augusti, indict. 9. Actum Aquisgrani regio palatio in Dei nomine. Amen.

## LI.

### PRO MONASTERIO FOSSATENSI.

(*Anno* 816.)

[Apud Mabill., *Annal. ord. S. Bened.*, tom. II, pag. 721, ex authentico Fossatensi.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia Bego fidelis noster retulit serenitati nostræ qualiter quoddam cœnobiolum in pago Parisiaco, in loco qui dicitur Fossatus, in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli, vel sanctæ Mariæ semper virginis constructum, situm super fluvium Maternam, ubi olim monachi sub sancta regula deguerunt, pene destructum inveniens, ob emolumentum animæ suæ eumdem locum assumpto labore restaurare, et ad pristinum statum revocare curavit. Sed his peractis veniens ante præsentiam nostram commendavit nobis idem monasterium, cum abbate, nomine Bene-

dicto, una cum monachis eidem abbati ad regendum commissis, obsecrans ut deinceps sub nostra defensione et immunitatis tuitione, quemadmodum cæteros abbates monachorum per imperium a nobis divinitus concesso [concessum] consistunt, ita et illum una cum monasterio vel monachis, et rebus vel hominibus eidem monasterio juste subjectis consistere faceremus. Cujus petitioni, quia rationabilem, imo Deo amabilem esse cognovimus, libenter suscepimus, et per hos nostros imperiales apices, sicut petiit, ita et concessimus. Proinde volumus ut prædictus abba et monachi in prædicto monasterio degentes, cum rebus quas nunc habere noscuntur, vel deinceps juste acquirere poterunt, sub nostra defensione et immunitatis tuitione persistant. Et jubemus atque modis omnibus decernimus ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, in ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore juste et rationabiliter possidere videtur in quibuslibet pagis et territoriis, quidquid ibidem propter divinum amorem collatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius monasterii tam ingenuos quam et servos [qui] super terram ipsius residere videntur, injuste distringendos, nec ullas petitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat : et quidquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædicto monasterio concedimus, ut perennis temporibus in alimonia pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione, supradictus abbas, vel successores ejus de hac luce migraverint; quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant; per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi abbates : quatenus ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis et conjuge, proleque nostra atque stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi atque conservandi

A jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici piissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi et subs.

Data XII Kal. Julias, anno, Christo propitio, imperii domni Ludovici piissimi Augusti 3, indictione 8. Actum Aquisgrano, palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LII

### [a] PRO MONASTERIO BODONIS SIVE BON-MOUTIER.

(*Anno* 816.)

B [Apud Grandidier, *Hist. de l'Egl. de Strasb.*, tom II, prob., pag. 159, ex antiquo chartulario abbatiæ Andlaviensis sæculi XIV.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam et futurorum solertia, quia vir venerabilis Doddo abbas, qui cellulam quæ nuncupatur Bodonis monasterium [b], quod est sita in pago Albinse [c] super fluvium Vizuzia [d], constru-
C cta in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ semper virginis, et sancti Petri principis apostolorum, nec non et sancti Michaelis archangeli, vel cæterorum sanctorum, in regimine habere videtur, obtulit obtutibus nostris immunitatem domni et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ piissimi Augusti, in quo continebatur insertum, qualiter idem genitor noster et antecessores reges prædictam cellulam ob amorem Dei tranquillitatemque ancillarum ibidem consistentium semper sub plenissima defensione et immunitatis tuitione habuissent. Ob firmitatem rei postulavit nobis prædictus Doddo abbas, ut paternum seu prædecessorum nostrorum regum morem sequentes hujuscemodi nostræ immunitatis præceptum ob amo-
D rem Dei et reverentiam ipsius sancti loci circa ipsam

[a] Exstat in Schœpflini Alsat. diplom. tom. I, pag. 62, sed non satis correcte.

[b] Bodonis monasterium fuit fundatum in montibus Vogesi prope Castellionem et Badonisvillare, in valle quæ hodiedum nuncupatur *Val de Bon-Moutier*. Nomen suum accepit a sancto Bodone, qui et Leudinus dicitur, episcopo Tullensi, qui versus annum 670 in eo loco fundavit monasterium sacrarum virginum, quibus præposuit filiam suam nomine Teutbergam. Lege historiam episcoporum Tullensium apud Calmetum, *Histoire de Lorraine*, tom. I, *Preuves*, pag. 163 et 216 novæ editionis, et Stiltingum, in Actis Sanctorum, tom III Septembris, pag. 841. Bodonis monasterium ecclesiæ suæ Tullensi subjecit Bodo, impetratis ab Agapeto et Gregorio summis pontificibus desuper privilegiis. Monialium primo monasterium, dein virorum ordinis sancti Benedicti abbatia evasit. Tullensi ecclesiæ sub Arnulpho episcopo eripuit rex Lotharius, quo defuncto anno 869, in divisione ejus regni facta anno sequenti Bodonis monasterium attributum fuit Ludovico Germanico. Filius ejus Carolus Crassus imperator Bodonis monasterium concessit anno 884 abbatiæ Andlaviensi. Chartam dabimus suo loco. Nec diu illud retinuit hæc abbatia, cum anno 912 Bodonis monasterium Drogoni et ejus ecclesiæ Tullensi restituerit Carolus Simplex. Calmet , *ibid.*, pag. 334. Bodonis monasterium dein appellatum fuit abbatia Sancti Salvatoris, quæ anno 1569 ad Domnum Aprum (*Domèvre*) prope Album Montem translata fuit.

[c] Pagus Albinsis, qui et Albegia dicitur, erat pagus Lotharingiæ in Albi Montis (*Blamont*) vicinia situs, uti contra alios probat Schœpflinus, Alsat. illust. tom. I, pag. 670. Nomen suum forte derivat a fluviolo Vizuzia, in quo vox Germanica *Wifs* album significat.

[d] Hodie vicus *Vesouze*.

cellulam fieri censeremus; cujus petitioni libenter acquievimus, et ita in omnibus concessimus, atque per hoc præceptum nostrum confirmavimus. Quapropter præcipientes jubemus ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore infra ditionem imperii nostri juste et rationabiliter possidet, vel ea quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, aut freda vel tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem cellulæ, tam ingenuos quam et servos, super terram ipsius commanentes injuste distringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat; sed liceat memorato abbati suisque successoribus res prædictæ cellulæ sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere. Et quidquid exinde fiscus sperare poterit, totum nos pro æterna remuneratione præfatæ cellulæ concedimus, ut in alimonia pauperum et stipendia ancillarum ibidem Deo famulantium proficiat perennibus temporibus in augmentis, quatenus ipsas ancillas Dei quæ ibidem Deo famulantur, pro nobis et conjuge, proleque nostra, atque stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi atque conservandi jugiter Dominum exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data Idus Januarii, anno, Christo propitio, secundo imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione nona. Actum Aquisgrani palatio regio [a] in Dei nomine feliciter. Amen

## LIII.

### PRO MONASTERIO AMMIATINO.

(*Anno* 816.)

[Ughelli, *Italia sacra*, pag. 590, in *Episc. Clusin.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina providentia imperator Augustus.

Cum petitionibus servorum Dei justis ac rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non dubitamus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus et futuris, quia vir venerabilis Audoaldus abbas ex monasterio sancti Salvatoris quidem sito in monte Amiato in territorio Clusino detulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis domini et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ piissimi Augusti, in qua continebatur insertum qualiter prædictum monasterium ob amorem Dei tranquillitatemque monachorum ibi-

A dem consistentium semper sub plenissima tuitione et immunitatis defensione habuisset, firmitatis namque studio a nobis procuravit, ut paternæ auctoritati hanc nostram jungeremus auctoritatem. Cui petitioni libenter aurem accommodare placuit, et hanc nostræ auctoritatis præceptionem fieri, per quam præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, vel quilibet, et judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore juste et legaliter possidet, vel quæ deinceps in jura ipsius loci voluit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel feuda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines monasterii, tam ingenuos quam etiam servos, super terram ipsius B commanentes, nec ad hostes distringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, valeatque, supra memorata penitus exigere præsumat. Continebat etiam in eadem auctoritate qualiter confirmasset idem D. imperator ad ipsum monasterium rerum, idem ecclesiam sancti Petri in Carmarita, atque cellulam sancti Savini, et sanctæ Restitutæ, vel sancti Petri, et sancti Stephani in Tarquinio cum eorum pertinentiis. Quas res confirmamus perpetualiter prædicto monasterio ad habendum, sicut dominus et genitor noster per suum præceptum confirmavit. Concessimus etiam eidem sancto monasterio, quemadmodum dominus et genitor noster concessit, ut quandoquidem divina vocatione prædictus abbas, C vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem regere valeant per hujusmodi nostram auctoritatem et consensum, vel dilecti filii nostri Bernardi regis licentiam habeant eligendi abbates, quatenus ipsos monachos qui ibidem Domino famulari videntur, pro nobis et conjuge, proleque nostra, atque stabilitate totius imperii a Domino nobis commissi atque conservandi jugem Domini misericordiam exorare delectet, et ut hæc auctoritas nostris, futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

D Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Dat. XV Kal. Decemb., anno, Christo propitio, 3 imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indict. decima.

Actum Compendio palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LIV.

### ROBORATUR PACTUM INTER EPISCOPUM CONSTANTIENSEM AC MONASTERIUM S. GALLI INITUM.

(*Anno* 816.)

[Neugart, *Codex Alemannicus*, ex *Collectione diplomatica* D. Emmanuelis de Haller, præfecti provincialis Newidunensis apud Bernates.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu

[a] Circa Aquisgranense palatium multa habent Germanus, apud Mabillonem, De re diplom., lib. IV, pag. 246, et Besselius in Chronico Gottwicensi, tom. II, pag. 453.

Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non dubitamus. Idcirco notum sit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, solertiæ, quia adientes serenitatem culminis nostri monachi ex monasterio sancti Galloni, quod est situm in pago Durgouve super fluvium, quod dicitur Petrosa [a], detulerunt nobis præceptum domni et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ piissimi Augusti, in quo continebatur insertum qualiter Sidonius Constantiæ urbis episcopus, nec non Joannes prædicti monasterii abbas, propter futuram dissensionem vel quietem monachorum ibidem Deo famulantium hoc inter se statuissent, atque litteris affirmassent, quas etiam prædicto domno et genitori nostro detulissent, sicut eadem auctoritas paterna nobis manifestavit, ut annis singulis ad memoratum episcopum, vel ad successores prædictus abbas ejusque successores unciam auri et caballum unum, valentem libram unam persolvere deberent, ita duntaxat ut monachi ibidem Deo famulantes quiete vivere ac residere valerent, et nihil amplius a præfatæ ecclesiæ episcopis de rebus præfati monasterii exigeretur, sed hoc dato censo, liceret eosdem monachos secure vivere absque alicujus infestatione vel rerum suarum diminoratione. Pro firmitatis tamen gratia, vel pro monachorum ibidem Deo militantium futura quiete, libuit nobis paternam auctoritatem nostra iterum per hos nostros apices imperiales confirmare. Ideoque jubemus atque decernimus ut sicut in nostri genitoris litteris insitum est, quas ad deprecationem memoratæ urbis episcopo conscribere atque confirmare jussit, ita, Domino auxiliante, deinceps futuris temporibus a nobis et a fidelibus, vel successoribus nostris perpetuo conserventur. Et ut hæc auctoritas præceptionis nostræ firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus nostris melius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi et subscripsi.

Data VI Kalendas Februarias [b], anno, Christo propitio, secundo imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 9 [c]. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LV.

### PRO MONASTERIO MORBACENSI

(*Anno* 816.)

[Apud Marten., *Thes. Anecd.*, pag. 18, ex chartario Morbacensi.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus, omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, telonearìis, actionariis, missis nostris, discurrentibus vel omnibus rem publicam administrantibus, seu cæteris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris tam præsentibus quam et futuris notum sit: quia vir venerabilis Guntrammus abbas ex monasterio quod nuncupatur Vivarium peregrinorum, quod est situm in ducatu Alsacense, super fluvium Morbach, constructum in honore sancti Deodegarii et sancti Petri principis apostolorum, vel sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, detulit nobis auctoritatem præceptionis domni et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ piissimi Augusti, in qua continebatur, qualiter concessisset eidem monasterio vel monachis ibidem degentibus teloneum de navibus, quæ per quælibet flumina discurrunt, necnon et de carris et sagmariis, necessaria ipsius monasterii et congregationis ibidem Deo famulantis deferentibus, sive in Marsal et in Iris, vel ubicunque ierint, negotiaverint aut vendiderint, nullus telonium exactare aut requirere præsumeret. Pro firmitatis namque studio postulavit nobis prædictus abbas, ut paternum morem sequentes, hujuscemodi auctoritatis nostræ beneficium eidem concederemus vel confirmaremus monasterio: cujus precibus nobis ob amorem Dei et venerationem ipsius sancti loci annuere, et hoc præceptum munificentiæ nostræ firmitatis gratia fieri libuit: per quod jubemus atque præcipimus, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate de navibus et carris, vel sagmariis, vel cæteris vehiculis, necessaria ipsius monasterii deferentibus de quolibet commercio undecunque fiscus telonium exigere potest, ullum telonium aut quaslibet exactiones vel occasiones quærere aut exactare præsumat: sed ubicunque infra ditionem imperii nostri ob utilitatem et necessitatem ipsius monasterii ad quascunque videlicet civitates, castella aut portus, pontes, trajectus, vel cætera loca accessum habuerint, nullus ex eis aut hominibus qui hoc prævident, ullum telonium, sicut diximus, aut ullum occursum, vel ullum censum, aut ullam retributionem accipere aut exigere audeat: sed licitum sit absque alicujus illicita contrarietate vel detentione per hanc nostram auctoritatem naves, carra, sagmaria et cætera vehicula, et homines qui eas prævidere debent, cum his quæ deferunt libere atque secure ire et redire, et si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint aut vendiderint, nihil ab eis prorsus, ut dictum est, exigatur. Hæc vero auctoritas ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur atque conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Elisachar recognovit.

Data XI Kalendas Septembris, anno, Christo propitio, tertio imperii domni Ludovici piissimi Augusti,

[a] Steinach.

[b] Vicesima septima Januarii, quæ dies ultima erat anni II Ludovici Pii.

[c] indictio 9 currebat an. 816.

indictione 9. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LVI.

### PRO EODEM MONASTERIO.

(*Anno* 816.)

[Apud Marten., *ibid.*, Ex chartario Morbacensi.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Notum sit omnibus fidelibus nostris, tam et præsentibus quam et futuris, quia vir venerabilis Guntrammus abbas ex monasterio quod dicitur Vivario peregrinorum, quod est situm in ducatu Alsacensi, super fluvium Morbhac, constructum in honore sancti Leodegarii et sancti Petri, principis apostolorum, vel sanctæ Mariæ semper virginis, detulit nobis auctoritatem domni et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ serenissimi Augusti, in qua continebatur, eo quod homines liberos, qui ad prædictum monasterium tempore avi nostri Pippini regis obedientes fuerunt, eo tempore ad ipsam casam Dei. Et postulavit idem Guntrammus abba, ut sicut tempore avi nostri Pippini regis, et domni et genitoris nostri Caroli prædicti homines obedientes fuerunt, ita et nostro. Præcipientes ergo jubemus ut sicut in eadem præceptione continetur, ut nullus quislibet ex judiciaria potestate, aut missi discurrentes præfatos homines liberos, qui tempore domni et genitoris nostri ad prædictum monasterium deservierunt, inquietare aut calumniam generare, aut aliquam injustam contrarietatem facere præsumat, sed liceat eis secundum eorum consuetudinem, quanti melius valuerint, ad ipsum monasterium deservire, et obedientes hominibus esse. Et ut certius hanc nostram jussionem esse credatur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisacharii recognovi.

Data XI Kal. Septembris, anno, Christo propitio, tertio imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 9. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LVII.

### PRO FOSSATENSI COENOBIO.

(*Anno* 816.)

[Apud D. Bouquet., *Script. Rer. Franc.*, pag. 492, ex Gér. Dubois, *Hist. Eccl. Paris.*, pag. 324.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, telonariis, auctionariis vel omnibus rempublicam administrantibus, seu cæteris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris tam præsen-
A tibus quam et futuris, notum sit quod ad petitionem Begonis illustris comitis monasterium quod est situm in pago Parisiaco, in loco qui dicitur Fossatus, constructum in honore beatæ Dei genitricis Mariæ et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, super fluvium Matronam, una cum ejus abbate, nomine Benedicto, et fratribus ibidem degentibus, una cum rebus et hominibus eidem monasterio juste subjectis, sub nostro suscepimus mundeburdio atque defensione, et deprecatus est ut quandocunque libuisset monachos in eodem monasterio degentes missos suos in aliquam partem imperii nostri negotiandi gratia dirigere, cum carris videlicet et saumis seu navigio, vel cum quolibet negotio, licentiam haberent pergendi ubi voluerint absque alicujus infestatione vel contra-
B rietate. Cujus petitioni in eleemosyna nostra libenter aurem præbere complacuit, et has nostræ auctoritatis litteras fieri jussimus, per quas pro quibus cunctis fidelibus nostris præsentibus et futuris jubemus ut ubicunque missi prædicti abbatis aut successorum ejus infra jurisdictionem ejus imperii nostri negotiandi causa directi fuerint, nemo teloneum, neque, quod vulgo dicitur, ripaticum, neque rotaticum aut pontaticum vel portaticum aut [a] taritaticum, atque cispitaticum, necnon et salutaticum, aut ullum censum, aut ullum occursum, aut ullam redhibitionem ab ipsis accipere, aut exactare præsumat: sed liceat tam eos quam homines, vel omnia illorum cum pace discurrere, et negotia libenter peragere et ad quascunque civitates, aut portus vel loca accessum ha-
C buerint, nullam inquietudinem, aut detentionem, aut contrarietatem ab aliquo fidelium nostrorum patiantur; sed ubicunque directi fuerint, sive navigio aut terreno, securi et quieti cum omnibus quæ deferunt, per præsentem nostram auctoritatem ire et redire valeant. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris diligentius observetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Datum XII Kal. Julii, anno, Christo propitio, 3 imperii domini Ludovici piissimi Augusti, [b] indictione 10. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

D

## LVIII.

### PRO ANDEGAVENSI S. MAURICII ECCLESIA.

(*Anno* 816.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 496, ex Sammarth., tom. II, *Gall. Christ.*, pag. 216.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quædam conferimus beneficia, et necessitates ecclesiasticas ad petitionem sacerdotum nostro releva-

[a] Cointius, tom. VIII Annal. eccles. legit *carraticum*, quod vitiose dictum putat pro *carnaticum*. *Carraticum* tamen idem esse ait ac *carraticum*, nempe tributum pro carris transeuntibus, et *carnaticum* interpretatur speciem tributi ex animalibus. Ego vero legendum puto *tranaticum*.

[b] Corrigendum *indict.* 9, et sic legit Cointius loco citato.

mus juvamine atque imperiali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Noverit interea sagacitas seu utilitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, quia vir venerabilis Benedictus Andegavensium civitatis præsul obtulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis seu navalem evectionis domini et genitoris nostri bonæ memoriæ Caroli piissimi Augusti, in qua continebatur insertum quod non solum idem genitor noster, verum etiam prædecessores ejus, reges videlicet Francorum, ecclesiam S. Mauricii, cui auctore Deo ipse episcopus præest, sub suo nomine et defensione cum monasteriis et cellulis sibi subjectis et rebus vel hominibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, consistere fecerant et eorum immunitatum auctoritatibus, seu etiam tres naves quæ per alveum Ligeris vel per alia flumina quæ in Ligerim confluunt, discurrere videntur, hactenus ab inquietudine judiciariæ potestatis eadem munita atque defensa fuisset ecclesia. Sed pro rei firmitate postulavit nobis præfatus Benedictus episcopus, ut paternum seu prædecessorum nostrorum regum morem sequentes, hujusmodi nostræ immunitatis præceptum ob amorem Dei et reverentiam B. Mauricii martyris, cujus nomine et honore dedicata est ecclesia, fieri censeremus. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus et hoc nostræ auctoritatis præceptum erga ipsam ecclesiam, immunitatis atque tuitionis gratia pro divini cultus amore et animæ nostræ remedio fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu supradictas naves vel reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem imperii nostri juste et legaliter memorata tenet vel possidet ecclesia, vel ea quæ deinceps in jure ipsius ecclesiæ voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris vel futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato præsuli suisque successoribus res prædictæ ecclesiæ S. Mauricii, cum omnibus sibi subjectis et rebus vel hominibus ad se accipientibus vel pertinentibus, seu supradictis tribus navibus, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere et nostro fideliter parere imperio, atque pro incolumitate nostra, conjugis et prolis, seu etiam totius imperii a Deo nobis collati, et ejus clementissima miseratione per immensum conservandi, una cum clero et populo sibi subjecto, Dei immensam clementiam jugiter exorare, et quidquid de præfatæ rebus ecclesiæ jus fisci exigere poterat, in integrum ei concessimus ecclesiæ, scilicet ut perpetuo tempore ad peragendum Dei servitium augmentum et supplementum fiat. Hanc itaque auctoritatem ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris et verius credatur et diligentius conservetur, eam manu propria subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Data x Kalend. Novemb., anno, Christo propitio, [3] imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris, indictione 10. Actum Salmunciaco palatio in Dei nomine feliciter.

## LIX.

### PRO ECCLESIA TREVIRENSI.

(*Anno* 816.)

[Hontheim, *Hist. Trevir.*, p. 167.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quoddam conferimus beneficii, et necessitates ecclesiasticas ad petitiones sacerdotum nostro relevamus juvamine atque imperiali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum sagacitas, quod vir venerabilis Henricus [Hettinus] sanctæ Trevirensis ecclesiæ archiepiscopus obtulit obtutibus nostris [a] auctoritatem immunitatis domini et genitoris nostri bonæ memoriæ Caroli piissimi Augusti, in qua erat insertum quod non solum idem genitor noster, verum etiam prædecessores ejus, reges videlicet Francorum, ecclesiæ sancti Petri principis apostolorum, cui auctore Deo ipse archiepiscopus præest, sub suo nomine et defensione cum monasteriis et cellulis, basilicis, vicis, castellis ad eamdem sedem pertinentibus, et rebus vel hominibus ad se aspicientibus, sub immunitatis nomine et tuitionis defensione consistere fecerant, videlicet ut nullus per malbobergos [b] nec per aliqua

[a] *Auctoritatem immunitatis*, etc. Dedimus Carolinam illam chartam immunitatis ad annum 773 (*Patrol. tom. XCVII, col.* 1049), suspectam utique, non tam ad *substantiam*, quam ad *formam*. Nempe fiebat nonnunquam ut deperditis genuinis diplomatibus, quorum tenorem in subsequentibus recitatum videbant posteri, conficta substituerent; exacta tamen, quantum fieri poterat, ad amissorum tenorem.

[b] *Malbobergos*. Species judicii; *malberg* enim significat judicium in loco edito, collem judicii, mallum montanum. Conf. Eckhard *ad Leg. Salic.*, pag. 14, ubi: « Notum est, inquit, judicia olim in collibus, etiam humana opera factis, et sub dio habita fuisse, ut judices nempe ab omni populo conspici possent. Restant colles hujusmodi in villis seu pagis nostris, et in medio tiliam plerumque aut alius generis arborem habent, tegumentum pluvio cœlo. » Mutavit quidem morem Carolus Magnus,

ingenia ejusdem ecclesiæ homines admallaret, neque A freda aut teloneos exigere aut paratas in eorum vel privatas audientias exactare præsumeret. Pro rei vero firmitate postulavit nobis præfatus Heti archiepiscopus, ut paternum seu prædecessorum nostrorum regum morem sequentes hujuscemodi nostræ immunitatis præceptum ob amorem Dei et reverentiam sancti Petri erga ipsam ecclesiam fieri censeremus; cujus petitioni libenter assensum præbuimus, et hoc nostræ auctoritatis præceptum erga ipsam ecclesiam immunitatis et tuitionis gratia pro divini cultus amore et animæ nostræ remedio fieri decrevimus, per quod præcipimus et jubemus ut nullus judex publicus vel quilibet ex judiciaria potestate, in monasteria, ecclesias, castella, vicos, villas, loca et agros seu reliquas possessiones prædictæ eccle- B siæ, quas moderno tempore juste et legaliter tam ultra quam juxta Rhenum, vel circa Ligerim in pagis vel territoriis infra ditionem imperii nostri memorata tenet et possidet ecclesia, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas vel freda aut tributa aut conjectos [a] aliquos exigendos aut mansiones vel paratas faciendas aut fidejussores tollendos aut homines ipsius ecclesiæ distringendos nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat, neque teloneum exigere, quemadmodum in præcepto domini et genitoris nostri continetur; sed liceat memorato præsuli suisque successoribus res C prædictæ ecclesiæ sancti Petri cum omnibus suis subjectis, et rebus vel hominibus ad se aspicientibus vel pertinentibus, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio, atque pro incolumitate nostra, conjugis ac prolium, seu etiam totius imperii a Deo nobis collati et ejus clementissima miseratione per immensum conservandi, una cum clero et populo sibi subjecto Deum exorare, etc. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur, et diligentius conservetur, etiam manu propria subter firmavimus, D et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Datum VI Kalend. Septembris, anno, Christo propitio, tertio imperii Ludovici piissimi, Augusti, indictione 10. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen

## LX.

### PRO MONASTERIO FULDENSI.

(*Anno* 816.)

[Schannat, *Traditiones Fuldenses*.]

In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus gratia Dei Romanorum imperator Augustus.

Quia nostræ providentiæ esse scimus, non solum regni gubernacula, sed etiam sanctæ Ecclesiæ moderamina procurare, et maxime Christi fidelium necessitatibus devote inservire, idcirco ea quæ pro Dei honore et æternæ vitæ amore circa ecclesias ac monasteria servorum Dei agimus, silentio obtegere non audemus, ne ignorantia succedentium ab importunis quibuslibet infidelibus forte, quod absit, infringatur. Notum ergo facimus fidelitati vestræ quod fidelis secretarius noster Rabanus venerabilis abbas sanctæ Fuldensis ecclesiæ adiit excellentiam celsitudinis nostræ, insinuans nobis curam et sollicitudinem suam quam circa conquirendas sanctorum reliquias habet, tam ex Romana civitate, quam ex diversis civitatibus, ubi plurimi martyres tradiderunt corpora sua ad supplicia, ut mererentur habere perpetuas in cœlesti regno coronas: rogavit igitur excellentiam celsitudinis nostræ idem vir venerabilis Rabanus abbas, ut nostra auctoritate liceret ei legatos suos dirigere ubivis terrarum, et maxime ac præcipue ad Romanam civitatem, et cum litteris nostræ auctoritatis exposcere sacratissimos cineres sanctorum martyrum; cui præstitimus ex nostræ liberalitatis munificentia facultatem, ut ex nostræ præceptionis auctoritate scriberet et mitteret ubicunque terrarum vellet propter prædictum negotium sacrarum reliquiarum postulationemque, tam ab apostolico quam a cæteris fidelibus: unde cum labor tantæ sedulitatis ejus non esset inanis, nuper audivimus, quia corpus sancti Venantii martyris de longinquis terrarum partibus acquisivisset, et in ecclesia sancti Joannis Baptistæ honorificentissime collocasset, cujus merita martyris in Fuldensi ecclesia ex testificatione miraculorum facta sunt longe lateque celeberrima: accurrunt enim infirmi et sanantur; dæmoniosi, et liberantur; paralytici, et curantur; cæci, et illuminantur; et ex omnimoda infirmitate genus humanum per gratiam Domini nostri Jesu Christi, ope et intercessione sancti Venantii salvatur; cujus facti fama nos ex divina compunctione commoniti, gratias agimus Deo et sancto ejus martyri Venantio, qui nostris temporibus in nostris terrarum partibus visitare dignatus est plebem suam, et ex diversis necessitatibus et angustiis miseris mortalibus dignatur subvenire, proinde rogatu et petitione prædicti secretalis nostri Rabani abbatis offerimus nos Deo et sancto Bonifacio, sanctoque martyri Venantio in

qui mallos sub dio haberi solitos, demum sub tecta recepit. Capitul. lib. III, cap. 57: « Ut in locis ubi mallos publicos habere solent, tectum tale constituatur, quod in hiberno et in æstate observatum esse possit. » Add. lib. IV, cap. 28, retenta tamen *malbergi* significatione.

[a] *Conjectos aliquos exigendos.* Conjectus est contributio, collecta; ea maxime quæ a populo regiis missis in itinere exsolvebatur.

præfato sancti Joannis monasterio quasdam res proprietatis nostræ, hoc est villam Urespringen nuncupatam cum omnibus villulis et viculis, imo cum cunctis appendiciis et pertinentiis suis, id est terris, agris, pratis, sylvis, campis, pascuis, curtilibus, areis, domibus, familiis, aquis, pomeriis, cultis et incultis, mobilibus et immobilibus, exitibus et redditibus, viis et inviis, totum et integrum tradimus atque donamus, traditumque in perpetuum esse volumus præfato loco pro animæ nostræ remedio, et piæ memoriæ genitoris nostri Caroli imperatoris; hoc conditionaliter statuentes, ut nostri commemoratio inter fratres Fuldensis monasterii et attentius et frequentius fiat, quo nostris oblationibus iidem fratres sustentari videntur : placuit ergo idem donarium nostrum cum nostræ imperialis dignitatis præceptione munire, et sigillo nostræ majestatis insignire, ex qua præceptione nostræque auctoritatis indictione decernimus ut nullus hominum hoc nostrum statutum atque donarium irritum facere præsumat, neque aliquis judex seu quælibet persona præfato loco seu colonis ejus aliquam injuriam seu violentiam inferre præsumat.

Data Idus Maii Fuldæ.

## LXI.

### PRO ECCLESIA RHEMENSI.

(*Anno* 816.)

[Mabill., *Annal. S. ord. Bened.*, tom. II, ex chartario Dervensi.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus, omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque fidelibus, scilicet præsentibus atque futuris.

Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam concesserimus beneficii, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus quod sancta Rhemensis ecclesia, in qua prædecessores nostri, reges videlicet Francorum, fidem et sacri baptismatis gratiam perceperunt, in qua et nos per impositionem manus domni Stephani papæ imperialia suscepimus insignia, quamque ob honorem Dei parentumque nostrorum memoriam, sive consecrationis nostræ dignitatem, a fundamentis restaurare solemniter decrevimus; ita ut dum esset ante in honore tantum Dei genitricis Mariæ antiquo religionis cultu, nos propter novam exaltationis gratiam superaddentes sub invocatione sancti Salvatoris Dei et Domini nostri Jesu Christi renovando rebus competentibus ditavimus; insuper et devoto intentionis studio pro salute nostra, successorumque nostrorum excolentes, et ad statum dignitatis debitum confirmare volentes, addere procuravimus quamdam abbatiam sitam in comitatu Blesense (*le comté de Blaise*) super fluvium qui vocatur Vera (*la Voire*) : ubi est monasterium in honore sancti Petri apostolorum principis dicatum in silva quæ vocatur Ders : quam abbatiam cum foreste nostra indominicata et omnium rerum summa integritate, videlicet cum villis, cum villulis, mancipiis utriusque sexus, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, et cum omnibus legitimis exterminationibus, perpetualiter eidem Rhemensi ecclesiæ concedimus, et ad consummandam honorabiliter omnem ipsius ecclesiæ structuram, seu ubicunque in postmodum necesse fuerit restaurandam, in proprium tradimus, et de nostro jure in jus ac dominationem illius solemni deliberatione transferimus. Præter hæc omnia concedimus supradictæ sanctæ Rhemensi ecclesiæ quemdam locum fisci nostri valde necessarium, et ad fodiendam minam plumbi congruum, in pago Laumense (*Lomois*, prope Namurcum), in ipsis quoque finibus vel adjacentiis Geminiacam nuncupantem villam, ut circumquaque tantum in omni parte ipsius fossæ ordine quadrato perticas xxx, quam perticam manualem ad mensuram xxx pedum designavimus : ut ibi fiducialius necessitates ipsius jam dictæ sanctæ Dei ecclesiæ exercentes in ædificiis vel universis abundantibus exterioribus adjacentiis, id est perviis, aquis, pascuis, sive silvis ibi nostris communibus absque ulla contradictione ultra ibi ex nostra largitate possideant. Et ut hæc nostræ confirmationis scripta perpetuis temporibus ipso in sanctificationis loco nostra in eleemosyna proficiant, manu propria subter firmavimus, atque annuli nostri impressione perenniter roborare decrevimus.

Datum Rhemis Kalendis Novembris, etc.

## LXII.

### PRO PRUMIENSI MONASTERIO.

(*Anno* 816.)

[Apud Marten., *Ampl. Collect.*, tom. I, pag. 66, ex chartario Prumiensi.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Notum sit omnibus fidelibus nostris, tam præsentibus quam et futuris, quia monachi ex monasterio quod vocatur Prumia, quod piæ recordationis domnus Pippinus avus noster in honore S. Salvatoris novo opere construxit, atque propriis rebus affatim ditavit, adierunt serenitatem nostram, retuleruntque qualiter, inter cæteras donationes, quemdam waldum ibidem confirmasset. Dixerunt etiam quod de eodem waldo servi nostri ex fisco nostro, qui vocatur Tumbas, aliquam partem contra justitiam occupassent. Nos quoque hæc audientes, illico missum nostrum nomine Adalbertum, siniscalcum videlicet nostrum, qui hoc per veraces et meliores homines, pagenses scilicet loci illius, diligenter inquireret utrum ita esset an non, misimus. At ille secundum quod illi injunxeramus, diligentissimam adhibens inquisitionem, reperit quod nostri servi aliquam partem ipsius waldi injuste ad partem nostram tenuissent; sed dum hæc nobis relata forent, ut merces parentum nostrorum inviolabiliter conserva-

retur, misimus alium missum nostrum Witharium A scilicet, ut et ipse prædictum waldum perlatis signisque certis designaret, et partem exinde prædicti monasterii revestiret : quod ita et fecit. Sed dum nobis hæc omnia se fecisse retulisset, pro mercedis suæ augmento jussimus hanc auctoritatem nostram fieri, et primum determinationem memorati waldi, et sicut a misso nostro designatum est, inseri per loca denominata, id est marcha de Romarisvilla in dextra parte monasterii in Lindinawinca, inde in Folkeffelt, et per longum Pyrumbach usque in Prumia. Inde pergunt Marisburias, inde per Hundinesbach, per viam quæ pergit ad Steinbuhil, et per medium Steinbuhil, inde ad Sconenbach, inde ad Sconensceid, inde in Firnibach, inde susum per Albam usque in Hildibach, inde usque Centbuzzi, inde Ga- B ranbach, ubi ipse surgit per longum usque in Hura et per Huram ad montem usque ad Barbach, quæ est de sinistra parte monasterii, et inde usque in Buocha, et inde usque in Huochonloe, inde per viam usque in Sturenfelt, inde per Sclusunbach in Gerbrchetesprunnon, inde in Suindinesbrath, inde per Bodilenpath usque Bodilenbrath, inde ubi surgit rivulus Melana Hurspringa, inde in Melana per ipsum rivulum, inde per Melana josum usque ad strictam, inde per stricta usque ad Deofansleid, inde in Hagana, inde ad Merbach finit. Præcipientes ergo jubemus ut nullus abhinc fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque de prædicto waldo partem memorati monasterii inquietare aut aliquid refragare præsumat, vel quiddam molesti inferre tentet, sed C ab hodierno die et deinceps memoratum waldum quiete et secure juxta suam determinationem nostris futurisque Deo propitio temporibus valeant possidere, et facere quidquid pro opportunitate communis congregationis elegerint; quatenus pro nobis, et conjuge, proleque nostra, seu pro stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis collati et ejus clementissima miseratione perpetuo conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Hæc vero auctoritas uti a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur, et diligentius conservetur, manu propria nostra subscripsimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum domni Ludovici serenissimi Augusti.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi. D

Data VI Idus Novembris, anno 3, Christo propitio, imperii domni Ludovici serenissimi Augusti, indictione 10. Actum Compendio palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXIII.

### [a] PRO MONASTERIO SORICINIENSI.

(*Anno* 817.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des hist.*, tom. VI, pag. 501, ex brevi chronico abbatiæ SS. Pauli et Petri in pago Blizentio.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imp. Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei in eisdem locis famulantibus quiddam conferimus, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Proinde noverit omnium fidelium tam præsentium quam futurorum solertia, quia placuit nobis propter animæ nostræ remedium et æternæ retributionis fructum, monasterio quod dicitur Suricinum, sito in pago Tolosano, in honorem Dei genitricis et aliorum sanctorum constructo, ubi nunc Bertrandus abbas præsidere dignoscitur, certa loca conferre, quæ [b] Ariacas olim comes nobis per dinumerationem tradidit in pago Ausciensi, videlicet villam de Blizentia, cum ecclesiis ibidem fundatis in honorem Dei genitricis et sancti Joannis, cum territoriis de [c] *Peyrault* et ædificiis suis et mancipiis, et aliam villam quæ dicitur *Montlieu*, et quidquid in dicta donatione continetur, cum mancipiis suis; et villam quæ dicitur *Exartigas*, cum omnibus ædificiis et pertinentiis suis; et villam quæ dicitur Waccaria, cum ecclesia S. Joannis, similiter cum ædificiis adjacentibus; et villam quæ dicitur Marcillanum, cum ædificiis et pertinentiis suis, cum domibus et mancipiis, et quantumcunque in ipso loco ad nos jure proprietatis pertinere dignoscitur, cum ecclesia in eodem loco constructa in honorem sancti Martini; et molendinum super fluvium *de Gers*, et quidquid in eodem loco visi sumus habere. Insuper in pago *Dagni*, et in villa quæ dicitur *Alamanni*, et in villa *Modolingo*, cum ecclesiis ibidem constructis in honore Dei genitricis et sancti Sulpicii, cum mancipiis et colonis, cum domibus et habitatoribus earum; et quidquid ibidem ad nos jure proprietatis pertinere dignoscitur, cum ecclesiis et servis et colonis utriusque sexus, cum domibus, ædificiis, terris, vineis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, mobilibus et immobilibus, cultum et incultum, quæsitum et acquirendum, totum et ab integro et ad integrum donamus Deo, et supra memorato monasterio Suricinii, pro salute animæ nostræ ad stipendia fratrum ibidem Deo servientium, et ad eleemosynas faciendas et ad alias præfati cœnobii utilitates hac donatione auctoritatis nostræ perpetualiter delegamus; et ut de ipsis abbates et monachi libere et quiete providere valeant. Et ut hæc charta donationis nostræ futuris temporibus perpetuam obtineat firmitatem, et a fidelibus nostris melius observetur, manu nostra subfirmavimus et annuli impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Data III Nonas Maii, anno, Christo propitio, 4 imperii domini piissimi Ludovici, indictione 10. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] Exstat diploma Pippini regis de fundatione hujus cœnobii, datum Aquisgrani anno septimo ejus imperii : sed illud non sat genuinum existimat Mabillonius lib. XXVIII Annal. Benedict., num. 65.

[b] Hunc Arecatum vocat Mabillonius loco mox citato, et auctor brevis Chronici.

[c] Verba Gallica, quæ passim in hoc diplomate occurrunt, ab auctore Chronici inserta videntur.

A

## LXIV.

### PRO CANONICIS ECCLESIÆ S. STEPHANI LEMOVICENSIS.

(*Anno* 817.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 502.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si petitionibus sacerdotum justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superni muneris donum nobis a Domino impertiri credimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, tam præsentibus quam futuris, quia vir venerabilis Regimpertus Lemovicæ urbis episcopus adiens serenitatem culminis nostri, innotuit nobis eo quod quidam diaconus, nomine Mathusalam, ex canonica prædictæ urbis, quæ est constructa in honore sancti Stephani, jamdudum ei quasdam res juris proprietatis suæ tradidisset, quæ sunt in eodem pago Lemovicino, in loco nuncupante Carentenago, id est cellulam quam ipse construxerat, et in honore Domini et Salvatoris nostri dicaverat : sed ipsam cellulam tam ipse quam præfatus episcopus de rebus acquisitis postea, largiente Deo, plenius ditaverunt, et omnes has res ad stipendia canonicorum in prædicta canonica degentium in nostra et eorum eleemosyna per eorum testamentum delegaverunt. Ob quam causam petiit clementiam serenitatis nostræ ut super ea re nostrum præceptum ob firmitatis gratiam fieri juberemus, per quod nostris et futuris temporibus prædictà cellula cum omnibus ad se aspicientibus vel pertinentibus, ad stipendia et usus canonicorum prædictæ sedis degentium proficeret. Cujus petitioni assensum præbentes, ac nostræ auctoritatis præcepto confirmantes, præcipimus atque jubemus ut nullus ex fidelibus nostris, tam præsentibus quam et futuris, de prædictis rebus per cupidinem vel occasionem aliquam minuere præsumat : sed prædicta cellula cum omnibus ad se legaliter et rationabiliter aspicientibus, sicut ab eodem episcopo dispositum atque ordinatum est, ita deinceps nostris atque futuris temporibus inviolabiliter conservetur; et nullus quilibet ex successoribus jam prænominati episcopi eamdem cellulam in beneficium alicui dare audeat, aut in alteros usus retorquere præsumat : sed sicut ab illo et per illum constitutum, et per hanc nostram auctoritatem confirmatum est, ita perpetuo maneat inconvulsum. Hæc vero confirmatio ut ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur, et diligentius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data XVII Kalendas Augusti, anno, Christo propitio, 4 imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 10. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXV.

### PRO LEMOVICENSI S. STEPHANI ECCLESIA.

(*Anno* 817.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, et necessitates ecclesiasticas ad petitiones sacerdotum nostro relevamus juvamine, atque imperiali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad æternam feliciter obtinendam, profuturum liquido credimus. Noverit interea sagacitas seu utilitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam B et futurorum, quia vir venerabilis Regimpertus Lemovicæ urbis præsul obtulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis domni et genitoris nostri bonæ memoriæ Caroli Magni imperatoris, in qua erat insertum quod non solum idem genitor noster, verum etiam prædecessores ejus, reges videlicet Francorum, sedem ejusdem urbis, quæ est constructa in honore sancti Stephani martyris vel cæterorum sanctorum, cui auctore Deo ipse episcopus præest, sub suo nomine et defensione cum monasteriis, cellulis, vicis sibi subjectis, et rebus vel hominibus ad se aspicientibus, consistere fecerant, et eorum immunitatum auctoritatibus hactenus ab inquietudine judiciariæ potestatis eadem munita atque defensa fuisset ecclesia. Sed pro rei firmitate postulavit nobis præfatus C Regimpertus episcopus, ut paternum [*Al.* parentum] seu prædecessorum regum morem sequentes, hujuscemodi nostræ immunitatis præceptum, ob amorem Dei et reverentiam ipsius sancti loci, erga ipsam ecclesiam fieri censeremus. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, et hoc nostræ auctoritatis præceptum erga ipsam ecclesiam, immunitatis atque tuitionis gratia, pro divini cultus amore et animæ nostræ remedio fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, vel qui libet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem imperii nostri juste et legaliter memorata tenet vel possidet ecclesia, vel ea quæ deinceps in jure ipsius D ecclesiæ voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat; sed liceat memorato præsuli suisque successoribus res prædictæ ecclesiæ, cum omnibus sibi subjectis, et rebus vel hominibus ad se aspicientibus vel pertinentibus, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio, atque pro incolumitate no-

stra, conjugis ac prolis, seu etiam totius imperii a Deo nobis concessi et ejus clementissima miseratione per immensum conservandi, una cum clero et populo sibi subjecto, Dei immensam clementiam jugiter exorare. Et quidquid de præfatæ rebus ecclesiæ, jus fisci exigere poterit, in integrum eidem concessimus ecclesiæ, scilicet ut perpetuo tempore ei ad peragendum Dei servitium augmentum et supplementum fiat. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur, et diligentius conservetur, eam manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data xvII Kal. Augusti, anno, Christo propitio, 4 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 10. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXVI.

### PRO CRUDATENSI MONASTERIO.

(*Anno* 817.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 503, ex probat. *nov. Hist. Occitaniæ*, tom. I, pag. 50.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus dicata imperiali more beneficia opportuna largimur, idem nobis et ad stabilitatem imperii nostri, et ad animæ salutem profuturum minime dubitamus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quia Elpodorius comes adiens serenitatem nostram, subjecit qualiter pater suus Eribertus olim super flumen Rhodanum in comitatu Vivariensi, in loco qui dicitur Crudatus, qui erat ex jure fisci nostri, desertum inveniens, studio assumpto ob divinum amorem monachos ibidem congregavit, qui eumdem locum ejus et exterorum fidelium adjutorio fulti restaurarunt; quatenus sub proposito monastico consisterent, sicut hactenus Deo annuente fecerunt. Sed quanquam ille res quietas de parte sua redderet, et auxilium opportunum eis juxta vires præberet, ac eleemosynæ patris sui affectum haberet, petiit celsitudini nostræ ut ipsos monachos una cum abbate illorum Bonaldo, cum iis rebus quæ ad eumdem locum ex jure fisci pertinebant, plenissime sub nostra defensione acciperemus; quatenus in nostra vel illius eleemosyna deinceps quiete viverent, et propositum suum infatigabiliter observarent. Cujus petitionem, quia justam et Deo amabilem esse cognovimus, libenter annuimus, et ipsos monachos, cum loco prædicto et rebus eidem juste aspicientibus, sub nostra plenissima defensione recepimus, et ut eodem in loco quieti abhinc consisterent, ex nostra largitate per nostram auctoritatem concessimus. Præcipientes ergo jubemus ut nullus quilibet fidelium nostrorum, neque missus discurrens, aut aliquis mundanæ actionis ministerio fungens, prædictos monachos de prædicto loco inquietare præsumat, aut aliquid eis auferre vel minuere de rebus ad eumdem locum juste pertinentibus pertentet, aut aliquam insultationem inferat. Sed liceat eis per hos nostros apices imperiales sub nostra plenissima tuitione consistere, et pro nobis vel pro stabilitate totius imperii nostri Dominum quiete viventes jugis precibus exorare. Præcipimus etiam atque jubemus ut nullus judex publicus ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines eorum tam ingenuos quam et servos distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore in eorum rebus quas juste præsenti tempore possident, seu quas deinceps Dominus voluerit augeri, ingredi, aut ea quæ præmissa sunt penitus exactare præsumat. Sed liceat memorato abbati ejusque successoribus res prædicti monasterii sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere. Quandoquidem ex divina vocatione supradictus abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi abbates. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

[a] Data xvII Kal. Augusti, anno, Christo propitio, 4 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 10. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXVII.

### PRO MONASTERIO SOLEMNIACENSI.

(*Anno* 817.)

[Apud Baluz., *Capitul.*, tom. II, pag. 1414, ex schedis J. Sirmundi.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Cum locis divino cultui mancipatis ob divinæ servitutis amorem opem congruam ferimus, et regium morem decenter implemus, id nobis profuturum ad æternæ remunerationis præmia capessenda veraciter credimus. Notum igitur esse volumus cunctis fidelibus nostris tam præsentibus quam et futuris, seu etiam successoribus nostris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, quia adiens serenitatem culminis nostri venerabilis vir Agiulfus, abbas ex monasterio quod dicitur Solemniacus, quod sanctus Eligius in honore sancti Petri et cæterorum sanctorum construxit, gestans in manibus immunitatem avi nostri Pippini regis, necnon domni et genitoris nostri Caroli bonæ

[a] In schedis domni Estiennot, ubi hoc præceptum recitatur, hic additur : *Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit.*

memoriæ magni imperatoris, in qua continebatur insertum qualiter ipsi præfatum monasterium propter divinum amorem et reverentiam divini cultus semper sub plenissima defensione consistere et ab omni publica functione et judiciaria exactione immunem liberumque reddidissent. Quod munus eidem monasterio exhibitum, Deo annuente, inviolabiliter hactenus constat esse conservatum. Pro firmitatis namque studio hujuscemodi beneficium erga præfatum venerabile monasterium nostra auctoritate humiliter precibus quibus valuit fieri postulavit. Cujus petitioni ob amorem Dei et reverentiam divini cultus libenter assensum præbere nobis usquequaque libuit. Quapropter volumus atque decernimus ut omnes res ejusdem monasterii cum hominibus sibi subjectis, tam ingenuis quam et servis, sub nostræ defensionis munimine modis omnibus consistant. Præcipientes ergo jubemus atque præcipimus ut nullus judex publicus aut quilibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator ad causas judiciario more audiendas in ecclesias aut villas seu reliquas possessiones quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis imperii nostri juste et legaliter tenet, vel deinceps in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augeri, ingredi præsumat, nec freda, aut tributa, aut mansiones, aut paratas, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam et servos ipsius monasterii distringere, nec ullas publicas functiones, aut redhibitiones, vel illicitas occasiones requirere, quibus in aliquo idem monasterium sibique subjecti aliquid patiantur incommodum, nostris futurisque temporibus quisquam tam temerarius existat qui id faciendi illicitam sibi potestatem attribuere audeat. Quidquid ergo sæpefatis ejusdem monasterii rebus in jus fisci exigere debuit, et a prædecessoribus nostris collatum esse constat, largitionis nostræ munere libenter esse volumus per immensum eidem monasterio concessum; ut, remoto fisci dominatu, ad luminaria basilicæ prædicti monasterii concinnanda et ad sustentationem pauperum seu clericorum in eodem loco Domino deservientium sit supplementum. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et perpetuo tempore melius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data VIII Kal. Augustas, anno, Christo propitio, 4 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 10. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXVIII.

### PRO MONASTERIO S. GERMANI A PRATIS.

(*Anno* 817.)

[Mabill., *Act. ord. S. Bened.*, part. II, pag. 118.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Quidquid ob amorem Dei pro opportunitate servorum Dei agimus, hoc nobis ad æternam beatitudinem obtinendam pertinere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia ob emolumentum animæ nostræ quamdam piscariam, quam olim proavus noster bonæ memoriæ Carolus in pago Pinciacense, in villa quæ vocatur Rioilus, in fluvio videlicet Sequanæ fieri jussit, ad monasterium sancti Germani, ubi sanctum et venerabile ejus corpus requiescit, et ubi Hirmino vir venerabilis pastorali fungitur officio, ad subsidium monachorum in eodem sancto loco Deo famulantium libentissime concessimus, et per hos apices confirmavimus, ea scilicet conditione ut illa nocturna (*Id est*, jus piscandi una nocte) quam monasterium sancti Dionysii exinde accipit et sancti Petri monasterium, nullatenus eis a quoquam subtrahatur: sed eadem monasteria omni tempore pro sua portione restaurationi vennæ atque emendationi adminiculum præstent, prout necesse fuerit. Reliquum vero in integrum eidem venerabili sancti quidem Germani cessimus monasterio. Jubemus quoque atque decernimus, ut de memorata piscaria nullus prædictum monasterium ejusque procuratores inquietare nostris futurisque temporibus præsumat, neque aliquam contrarietatem ex ipsa eidem monasterio facere, aut aliquid inde abstrahere pertentet: sed amodo et deinceps ita libere teneant ipsi monachi hanc Caroli-vennam, quemadmodum genitor noster Carolus serenissimus imperator et Augustus, avus etiam noster Pippinus, atque proavus Carolus, qui eamdem construere jussit capturam; nos quoque eamdem tenuimus hactenus: scilicet uti omni tempore sit salva undique ab omnibus obstaculis aqua, sicuti apud nos adhuc exstat. Nec fiant unquam ulla opera huic vennæ nocitura nec ante vel retro; siquidem cujuscunque potestatis sint littora nostra, tamen est regalis aqua. Ergo super hanc cessionis auctoritatem hoc nostrum regale præceptum fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus ut nullus quilibet Christianitatis cultor audeat vel præsumat nostræ salutis donativum infringere, neque per violentiam, neque per ullum calliditatis præjudicium Caroli-vennæ nociturum: sed potius sine ulla subtractione, vel diminutione atque damnatione liceat monachis sancti Vincentii sanctique Germani cum omni integritate hoc munus quod eis conferimus, ad nostram requiem sempiternam perpetualiter possidere et frui. Ergo hæc nostræ auctoritatis præceptio ut firmiter continuationis vigorem obtineat per succedentia annorum curricula, manu propria subter roborantes annulo nostro eam jussimus insigniri.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data tertio Kal. Septemb., anno Christo propitio 3

imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione decima. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen. (*Cum sigillo cereo.*)

## LXIX.

### PRO TURONENSI S. MARTINI ECCLESIA.

(*Anno* 817.)

[Apud Marten., *Ampliss. Collect.*, tom. I, pag. 63, ex chartario S. Martini.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus, et ad divinæ potentiæ in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio et ad mortalem vitam temporaliter deducendam, et ad futuram feliciter obtinendam, commodum provenire confidimus. Notum igitur esse volumus cunctis fidelibus nostris, episcopis videlicet, abbatibus virisque illustribus, ducibus, comitibus, domesticis, graffionibus, vicariis, centenariis eorumque junioribus, nec non missis nostris per universum imperium nostrum discurrentibus, seu etiam cæteris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque præsentibus scilicet et futuris, quia adiit serenitatem culminis nostri venerabilis vir Fridegisus abba ex monasterio peculiaris nostri patroni sancti Martini, ubi ejusdem præclarissimi viri venerabile corpus requiescit, ferens manibus immunitates priscorum regum Francorum, nec non avi nostri Pippini quondam regis, seu etiam piæ recordationis domni et genitoris nostri Caroli serenissimi imperatoris, quibus idem monasterium quiete in Dei servitio manere sanxerunt, et omnes res præfati monasterii in universo, Christo largiente, regno suo, in Austria scilicet, Neustria, Burgundia, Aquitania, Provincia, Italia, et in cæteris regni sui partibus consistentes, quæ non solum ab orthodoxis principibus, verum etiam a cæteris fidelibus collatæ, vel per quoslibet contractus et munimina chartarum in jus ejusdem legaliter traditæ sunt monasterii, sub immunitatis suæ defensione consistere, et ab omni publica functione et judiciaria exactione immunes liberasque tradidissent, quod munus eidem monasterio exhibitum, Deo annuente, inviolabiliter hactenus constat esse conservatum. Pro firmitatis nostræ namque studium hujusmodi beneficium erga præfatum venerabile monasterium nostra auctoritate humiliter precibus quibus valuit fieri postulavit. Cujus petitioni, ob amorem Dei et venerationem beatissimi Martini, libenter assensum præbere nobis usquequaque libuit. Quapropter volumus atque decernimus ut omnes res ejusdem monasterii, cum hominibus sibi subjectis, sub nostræ defensionis munimine modis omnibus consistant. Præcipientes ergo jubemus atque præcipimus ut

A nullus judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis rei publicæ procurator, ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias, aut villas, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet provinciis aut territoriis imperii nostri juste et legaliter tenet, vel deinceps in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augeri, ingredi præsumat, nec freda, aut tributa, aut mansiones, aut pastus, aut telonium, sicut in præcepto domni genitoris nostri continetur, exigere, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram ipsius monasterii commanentes distringere, nec ullas publicas functiones aut redhibitiones, vel illicitas occasiones requirere, quibus idem monasterium sibique subjecti aliquod injuste

B patiantur incommodum, nostris futurisque temporibus quisquam tam temerarius existat, quod faciendi illicitam sibi potestatem attribuere audeat. Quidquid ergo de præfatis ejusdem monasterii rebus in jus fisci cedendum fuit, et a decessoribus nostris comperimus collatum, et largitionis munere libenter volumus esse per universum eidem monasterio concessum, ut id remoto fisci dominatu ad luminaria basilicæ S. Martini concinnanda, et ad sustentationem pauperum seu [a] clericorum in eodem loco Domino deservientium, sit supplementum. Si quis autem in tantam prorumpere ausus fuerit audaciam, ut hujus præcepti nostri violator exstiterit, quemadmodum in præceptione domni et genitoris nostri continetur, non solum in offensam nostram lapsu-

C rum, verum etiam sexcentorum solidorum auri ad purum excocti se noverit pœna mulctandum, unde duas partes rectores memorati monasterii, tertiam vero jus fisci recipiat. Dignum namque justumque est ut tot piorum regum decessorum nostrorum, nostrique præcepti violator hujusmodi subeat pœnam, ut et se tantæ temeritatis merito argui cognoscat, et cæteris ne id agere quolibet ausu pertentent, timorem incutiat; ut nullus scilicet beneficia regalia locis Deo dicatis veneranter exhibita temerare conetur. Volumus itaque atque censemus ut, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine memoratus abba suique successores res prædicti monasterii, cum omnibus sibi subjectis vel ad se aspicientibus seu pertinentibus hominibus sub im-

D munitatis atque protectionis nostræ defensione consistant, nostroque fideliter parentes imperio pro incolumitate nostræ conjugis et prolis, seu etiam totius imperii a Deo nobis collati, ejusque gratissima miseratione perpetuo conservandi, una cum clero sibi commisso, Dei immensam clementiam jugiter exorent. Si quid vero de præfati monasterii rebus per tepiditatem et negligentiam abbatum aut præsumptionem judicum injuste abstractum est, id per hanc nostram auctoritatem prorsus restaurandum præcipimus. Et ut hæc auctoritas inviolabiliter ob-

[a] Ex hoc loco patet monachos S. Martini jam tum in canonicos conversos fuisse cum diploma istud datum est. Et quidem togam monasticam retinuisse toto Caroli Magni principatu censet Mabillonius; eo vero defuncto, statim eam abjecisse, favente in primis Fridugiso abbate, qui laxiorem etiam vitam in Scithiensi S. Bertini monasterio, cui præerat abbas, inducere tentavit.

tineat effectum et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur ac diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Helisachar recognovit. Data III Kal. Septembris, anno, Christo propitio, 3 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 10.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXX.

### PRO S. MARTINI TURONENSI ECCLESIA.

(*Anno* 817.)

[Apud Marten., *Ampl. Collect.*, tom. I, pag. 65, ex chartario S. Martini.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata imperiali more beneficia opportuna largimur, id nobis ad stabilitatem imperii nostri, et ad animæ salutem obtinendam, profuturum minime dubitamus. Notum sit igitur omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, tolonneariis, actionariis, missis nostris per imperium nostrum discurrentibus, vel omnibus rempublicam administrantibus, seu etiam cæteris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque præsentibus scilicet atque futuris, quia detulit nobis venerabilis vir Fridugisus, abbas ex monasterio S. Martini eximii confessoris Christi nostrique patroni, ubi venerabile ejus corpus requiescit, præceptum auctoritatis domni et genitoris nostri piæ recordationis Caroli serenissimi Augusti, in quo continebatur quod ad precem decessoris sui Wlfardi quondam abbatis, idem genitor noster ob amorem Dei et venerationem S. Martini, carra et samnaticum hominibus his prælatis, quæ propter utilitatem et necessitatem memorati monasterii per diversos regni sui mercatus mittebantur, ab omni telonio immunia et secura esse sanxisset. Pro rei quoque firmitate nostram postulavit serenitatem, ut morem paternum sequentes, hujusmodi beneficium eidem sancto loco concederemus. Cujus petitioni libenter aurem accommodavimus, et hoc præceptum fieri censuimus, per quod præcipimus atque jubemus ut quotiescunque præfatus abbas suique successores et clerici in eodem loco Christo famulantes, pro utilitate et necessitate sua sublevanda, carra et samnatica negotiandi gratia in quoslibet mercatus imperii nostri, aut in partes Austriæ atque Neustriæ, aut Burgundiæ, aut Aquitaniæ, aut Provinciæ, aut , aut cæterarum partium loca imperii nostri direxerint, nullum telonium ab his, neque ab hominibus qui eis præsunt, nec pontaticum, nec portaticum, nec rotaticum, nec pulveraticum, nec cespitaticum, nec alias redhibitiones, quisquam exigere, aut aliquam eis contrarietatem aut detentionem ingerere præsumat, sed liceat eis per hanc nostram auctoritatem per universa imperii nostri loca, libere atque secure ire et redire, prout sibi commodum prospexerunt, et ab his qui rem publicam administrant, eorumque junioribus nullam patiantur incommoditatem. Teloneum vero quod de memoratis vehiculis et hominibus jure fisci exigi poterat, eidem sancto loco libentissime, quemadmodum et in genitoris nostri continetur præcepto, in nostra concessimus eleemosyna, quatenus memoratum abbatem suosque successores cum clero sibi commisso pro nobis, conjugeque, prolеque, imperiique stabilitate, jugiter Dominum deprecari delectet. Et ut hæc auctoritas inviolabilem obtineat effectum, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur, et diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisacar recognovit.

Data III Kalendas Septembris, indictione 10, anno 3 imperii domni Ludovici imperatoris Augusti. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXXI.

### PRO MONASTERIO TORNACENSI.

(*Anno* 817.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des Hist.*, tom. VI, pag. 509, ex Foppensio, in *Supplem. ad Diplom.* Miræi.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Notum sit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum solertiæ, quia postulavit nobis vir venerabilis Wendilmarus Tornacensis urbis episcopus, ut terras quasdam fisci nostri in eadem urbe ei in amplificanda et dilatanda claustra canonicorum in nostra eleemosyna concederemus. Nos itaque ad hoc prævidendum et inspiciendum, Irmionem venerabilem abbatem et Ingobertum et Hartmannum missos nostros direximus, qui hoc prævidereut, et juxta quod necessitas ad eamdem clausuram faciendam exigebat, de fisco nostro ex nostra auctoritate ei consignarent. Quod ita et fecerunt: id est, de proprio fisco nostro in eodem loco de terra habente in circuitu perticas LXXXIV, nec non et in eodem loco de fisco nostro, quem Werimfredus in beneficium habet, perticas XCIX; similiter et de fisco nostro, quem Hruoculfus comes in ministerium habet, perticas XXXII. Sed ut firmiter eadem ecclesia et ejus rectores prædicta loca et claustra dilatanda et amplificanda perpetim haberent vel possiderent, nostram auctoritatem super hac re postulavit, per quam firmiter atque inviolabiliter nostris et futuris temporibus in jus prædictæ ecclesiæ permanerent. Cujus precibus, pro mercedis nostræ augmento et reverentia ipsius sancti loci, nobis acquiescere libuit, et præfatas terras eidem ecclesiæ secundum dimensionem et collaterationem suam

præsentialiter tradere libuit. Quapropter volumus A atque jubemus ut per hanc nostram auctoritatem, nostris videlicet et futuris temporibus, prædictas terras secundum dimensionem et collaterationem a missis nostris dispositam prædictus Wendilmarus episcopus ejusque successores, vel congregatio ipsius sancti loci in nostra eleemosyna concessas habeant, atque jure perpetuo in ditione ipsius ecclesiæ consistant; ita duntaxat ut quidquid de ipsa vel in ipsa, ob utilitatem et profectum ipsius ecclesiæ, jure ecclesiastico facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Hanc quippe auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris verius credatur, et diligentius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari. B

Roimundus [Faramundus] ad vicem Helisachar recognovit.

Data XII Kal. Decembris, anno, Christo propitio, imperii domini nostri 4, [a] indictione 11. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen [b].

## LXXII

### PRO ECCLESIA RHEMENSI.

(*Anno* 817.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 510, ex Flodoardo, lib. II *Hist. Eccles. Rom.*, cap. 19.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si locis venerabilibus ea quæ exinde a prædeces- C soribus nostris regibus vel imperatoribus ad reipublicæ usus exigebantur, religiosa liberalitate in utilitatibus et necessitatibus eorumdem sanctorum locorum expendendis remittimus, et fidelium nostrorum saluberrimis pro hac eadem re suggestionibus ac petitionibus benignum commodamus assensum, maximum et animæ nostræ, et regiæ ac regno providemus consultum: quia nihil cernitur reipublicæ imminutum, quidquid ex eadem republica piis actibus, et locis religiosis, ac ecclesiarum Dei utilitatibus, seu servorum Dei fuerit commoditati indultum. Quapropter notum esse volumus omnibus [Ecclesiæ] Dei fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, præcipue quoque successoribus nostris in potestatis culmine, in quo sumus auctore Domino constituti, ab eodem dominorum Domino deinceps constituendis, quia Ebo venerabilis archiepiscopus Rhemensis Ecclesiæ, et reverentissimæ sedis sancti Remigii gloriosissimi pontificis et specialis patroni nostri præsul, clementiæ nostræ innotuit, quia vetustatis senio contrita jam dictæ metropolis urbis sancta mater nostra Ecclesia, in honore sanctæ semperque virginis ac genitricis Mariæ consecrata, existeret. In qua, auctore Deo, et cooperatore sancto Remigio, gens nostra Francorum, cum æquivoco nostro rege ejusdem gentis, sacri fontis baptismate ablui ac septiformi Spiritus sancti gratia illustrari promeruit. Sed et ipse rex nobilissimus ad regiam potestatem perungi Dei clementia dignus inventus fuit. Ubi etiam et nos divina dignatione per manus domni Stephani Romani summi pontificis ad nomen et potestatem imperialem coronari meruimus. Quam pro tantis beneficiis nobis ibidem a Deo collatis renovare cupientes, et ad id exsequendum loci incommoditatem cernentes, concedimus ad hoc opus et ad cætera quæque pro servorum Dei ibidem degentium necessitatibus ædificanda, murum omnem cum portis ipsius civitatis, et omnem operam, cum cunctis impendiis, quæ ex rebus et facultatibus ipsius ecclesiæ et episcopatus Rhemensis Aquis palatio nostro regio peragi et exsolvi solitum fuerat, in eleemosyna videlicet nostra, et pro remedio animæ domni ac genitoris nostri atque cæterorum prædecessorum nostrorum, qui eumdem episcopatum contra salutem suam aliquandiu tenuerant, et in suos usus contra ecclesiasticas regulas res ac facultates Ecclesiæ ipsius expenderant; et ob hoc minus, quam debuerat, utilitatis sacris locis in eodem episcopatu constitutis exinde provenerat. Volumus etiam ut vassalli et quicunque fideles nostri ex rebus ejusdem episcopatus aliquid habent, eidem operi inserviant, sicut constitutum est a bonæ memoriæ domno et genitore nostro; et sicut decretum est a piæ recordationis domino et avo nostro Pippino, decimas et nonas eidem ecclesiæ ex rebus quas inde habent, persolvant. Vias etiam publicas omnes, quæ circa eamdem ecclesiam vadunt, et impedimento esse possunt ad claustra et servorum Dei habitacula construenda, ut transferri atque immutari possint, concedimus. Et si aliquid ibi de fisco nostro habetur,

[a] Indictio undecima inchoanda a mense Septembri.

[b] Ad annum 817 refertur diploma a Baluzio vulgatum tomo I Capitularium, pag. 591, quo Ludovicus Pius donationes Ecclesiæ Romanæ ab avo Pippino et a Carolo patre factas confirmare dicitur. Hanc Ludovici donationem non minus commentitiam quam quæ Constantino Magno affingitur, putat Pagius ad an. 817, num. 7. Ex tot enim, inquit, Pontificibus Romanis qui dona a Pippino et Carolo Magno facta memorarunt, nullus est qui donationis Ludovici Pii meminerit; quia nempe justissimum habentes titulum rerum ab Ecclesia possessarum, fictitium contempsere. Præterea Otto I et Henricus I imperatores sigillatim enumerant quæ Pippinus et Carolus Magnus Ecclesiæ Romanæ donarunt, eaque diplomatibus suis confirmant; sed donationis Ludovicianæ mentionem non fecere. Leo Ostiensis, sæculi duode- D cimi initio demortuus, primus fuit qui ejus meminerit, ideoque non multo ante excogitata fuerat. Ludovicus ea donatione concedit apostolicæ sedi *insulas Corsicam et Sardiniam et Siciliam sub integritate cum omnibus adjacentibus territoriis*: et tamen Sicilia nunquam in potestate Caroli Magni nec successorum fuit. Denique in ea donatione Ludovicus statuit ut, mortuo pontifice Romano, quem omnes Romani elegerint, sine aliqua ambiguitate et contradictione more canonico consecretur. *Et cum consecratus fuerit*, inquit, *legati ad nos vel ad successores nostros reges Francorum dirigantur*, etc. Quod merum commentum est, cum, ipso Ludovico Pio vivente, Eugenius II papa ad postulationem Lotharii imperii paterni collegæ statuerit ut pontifex Romanus non consecretur nisi in præsentia legatorum imperialium: quod toto hoc sæculo et ultra in usu positum fuit.

per hoc nostræ auctoritatis præceptum perpetuo æque concedimus, ut nullus judex, comes, aut missus, sive aliquis ex judiciaria potestate ullam inde eidem sanctæ Dei prædictæ Rhemensi ecclesiæ inquietudinem aut ullum calumniæ impedimentum inferre unquam præsumat: obsecrantes successores nostros ut salutis suæ memores, præsentis scilicet et æternæ; memores etiam beneficiorum quæ nobis et genti nostræ ac prædecessoribus nostris in eodem sancto loco per beatum Remigium meritis sanctæ Mariæ collata sunt; sicut sua bene gesta a suis successoribus conservari voluerint, ita quæ pro amore Dei ac sanctæ ejus genitricis ac beati protectoris nostri Remigii sæpefato sancto loco contulimus, perpetuo inviolabiliter conservare procurent. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas per futura tempora in Dei nomine pleniorem obtineat firmitatis vigorem, annuli nostri impressione subtersignari decrevimus.

## LXXIII.

### [a] PRO ECCLESIA ARGENTINENSI.

(*Anno* 817.)

[Apud Grandidier, *Hist. de l'Egl. de Strasb.*, prob. tom. II, pag. 165.]

In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Cum petitionibus servorum Dei justis, et servorum Dei [b] rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non dubitamus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam et futurorum industria, quia vir venerabilis Adaloch Argentoratensis, sive Strazburgensis ecclesiæ vocatus episcopus, quæ est constructa in honore sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, detulit obtutibus nostris [c] quamdam auctoritatem domni et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ piissimi Augusti [d], in qua continebatur insertum qualiter

A quondam locellum nuncupantem Stilla [e], quod a longo tempore per confirmationes regum prædicta possidet ecclesia, rectores ipsius ecclesiæ cum judicibus regalibus habuerant intentionem, et prædictum locum per loca denominata, id est, per regia strata, quæ pergit super rivulum, qui dicitur Stilla [f], super casa Rummaldi [g], deinde ubi dicitur Paphinisnaida [h], inde totum montem qui vocatur Arlegisbergo [i], usque ubi rivulus surgit qui dicitur Hasla [j]; deinde ubi Wiehia [k] surgit, usque quo in Brusca [l] ingreditur; inde iterum per longa Brusca, usque dum Stilla intus ingreditur, ad partem prædictæ ecclesiæ acquisierunt; et domnus et genitor noster per eamdem auctoritatem ad ipsam sedem perenniter ad habendum confirmaret. Et deprecatus est ut paternum mo-
B rem sequentes nostra confirmaremus auctoritate, quod ita nos fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. Præcipientes ergo jubemus, ut sicut in præcepto domni et genitoris nostri continetur, et prædicta ecclesia moderno tempore possidet, ita deinceps absque ullius impedimento teneat atque possideat, et quidquid de ipso vel in ipso rectores prædictæ sedis ob utilitatem et profectum ipsius facere vel judicare voluerint, jure ecclesiastico perennibus temporibus libero potiantur arbitrio faciendi. Hæc vero auctoritas, ut firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur et diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri [m] impressione signari jussimus [n].

C Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus [o] ad vicem Helisachar [p] recognovi et subscripsi.

Data v Kalendas Septembres, anno, Christo propitio, tertio imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione decima. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter, Amen [q].

[a] Hoc diploma mutilum exstat apud Guillimannum, de Episcop. Argent. pag. 118; Cointium, in Annal. ecclesiast. Franc., tom. VII, pag. 481, et Bouquetum, in Scriptor. Rer. Francic., tom. VI, pag. 505. Integrum vero, sed quibusdam in locis corruptum, ediderunt Galliæ Christ. editores, tom. V inter instrumenta, pag. 462, et Schœpflinus, Alsat. diplom., tom. I, pag. 65, num. 81, qui illud ære incisum tabula 8 repræsentavit. Sincerum hic ex ipso autographo descriptum referimus.

[b] Hæc repetitio *servorum Dei* exstat in ipsomet autographo, forsitan incuria scriptoris.

[c] Illustris abbas Godefridus de Bessel in suo Chronico Gotwicensi, tom. I, pag. 76, ex hac usitata in antiquis imperatorum diplomatibus formula *detulit obtutibus nostris præcepta, sive auctoritates antecessorum nostrorum*, conatur probare jam nono sæculo constituta fuisse imperialia Germaniæ archiva, ex quibus allegata diplomata fuerunt deprompta. Sed hæc non probantur ex prædicta formula, quin potius demonstrat talia diplomata non ex scrinio imperatorum, sed ex ipsis ecclesiarum tabulariis eruta fuisse.

[d] Exstat hæc auctoritas sive diploma Caroli Magni de die septima Martii 773 supra, num. 63, pag. CVI (*Patrologiæ tomo XCVII, col.* 926).

[e] Hodie vicus *Still*. Consulantur notæ prædicti diplomatis Caroli Magni.

[f] Rivulus hodie quoque dictus *Still*.

[g] Vicus *Urmat*.

[h] Locus ignotus.

[i] *Heiligenberg*.

[j] Rivus *Hasel*.

[k] Rivulus *Wich*.

[l] Fluvius *Brusche*.

[m] Hæc verba *annuli nostri* in authentico vetustate sunt erasa.

[n] Adnotat Theganus ad an. 814, cap. 10, apud
D Bouquetum, tom. VI, pag. 76, Ludovicum Pium renovasse omnia diplomata ecclesiis concessa a prædecessoribus suis, *quæ ipse manu propria cum subscriptione roboravit*.

[o] Durandus diaconus fuit Ludovici Pii imperatoris notarius sub cancellariis Helisachare, Fridugiso et Theotone.

[p] Helisachar, sive Elisachar fuit ordine primus cancellarius Ludovici Pii, multaque prostant hujus imperatoris diplomata, quibus ille subscripsit. Appellatur ab Eginhardo et Agobardo *presbyter et abbas*; abbatiæ enim sancti Maximini Trevirensis multisque aliis cœnobiis ea ætate præfuit titulo abbatis.

[q] Sigillum hujus diplomatis per longa temporum intervalla deperditum est; olim vero exstantis nota remanet in membrana nigricante, et decussatim in crucis modum incisa, revulsis incisuræ quatuor angulis.

## LXXIV.

PRO MONASTERIO S. GALLI.

(*Anno* 817.)

[Apud Neugart., *Codex Alemannicus*, pag. 163.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus, omnibus comitibus partibus Alamanniæ, seu successoribus atque junioribus vestris, vel omnibus fidelibus nostris, notum sit quia placuit nobis pro remedio animæ nostræ, et æternæ retributionis fructum, monasterio S. Galli, quod est situm in pago Durguowæ, ubi Gauzbertus venerabilis abbas præest, et congregationi ipsius monasterii quoddam censum de supter scriptis mansis, illud quod partibus comitum exire solebat, salva tamen functione, quæ tam ex censum, quam ex tributum, vel alia qualibet B re partibus palatii nostri exire debent, per hanc nostram auctoritatem concedere. Et propterea has nostræ præscriptionis litteras prædicto monasterio ejusque congregationi fieri jussimus, per quas omnibus vobis præcipimus ut de mansis denominatis, hoc est : in ministerio Frumaldi comitis mansum Weisarii in Huntingun, [a] et Puadonis in Chenigun [b] et in ministerio Cunthardi comitis ad Pisingas [c] mansum Tatonis et Cuatonis, et mansum Geilonis, et mansum Gozberti, et mansum Wolfonis, et mansum Altmanni ; in ministerio Karamanni comitis ad Seerzingas [d] mansis Atolfi et Liutboldi ; ad Swanningas [e] mansum Liubolti, et ad Wilaresbach [f] mansis Ratolti et Herigeri : et in ministerio Hhuadarii comitis [g] ad Teiningas [h] mansis Amalonis, et Gerbarti, C et Luitharii, et Wolfoerti, et Nilonis ; ad Filingas [i] mansis Witonis et Heimonis ; ad Nordstetim [j] mansum Otonis et Reginkeri ; ad Forrum [k] mansum Pruningi et Waningi ; ad Speichingas [l] mansum Ottonis et Waramanni, et Adalmari ; ad Tanheim [m] mansum Tuatonis : in ministerio Erchangarii comitis mansum Ruadleozzi de Heimbak [n], et mansum Frehotfi de Talahusun [o] et Otgarii de Puabhein [p] ; et in ministerio Rihwini [q] comitis mansum Snizolfi de Huttinvillare [r], mansum Gundwini de Chezzinvillare [s] inter Kiselmari et Facconi mansum unum, et mansum Roatperti de Lanchasalachi [t], et duos mansos de Zilleslata [u], et mansum Amalrici, et Balduvini de Hebinhow [v], et mansum Puwonis de Ifinwiltare [x], et D

A mansum Huneperti, et mansum Herirati de Tanninghouum [y] : de ministerio Odalrici comitis mansum Rihwini de Stetim [z] de Mavaedorf [aa] mansis Isamberti, et Ruadberti, et Ruatbaldi, et Arnolti, et mansum Walberti de Fisbach [bb], et mansum Theotramni de Chlusturnon [cc], quæ fiunt simul XLVII, nullum censum aut tributum, aut opera, vel araturas, aut alias quaslibet functiones exigere aut exactare præsumatis, sed sicut nos in nostra eleemosyna concessimus, ita perpetuo maneant. Has vero nostræ auctoritatis litteras, ut ab omnibus melius credantur atque conserventur, de annulo nostro, subter jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi et subscripsi.

B Data pridie Nonas Junias, anno Christo propitio, quarto imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 10 [dd]. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter Amen.

## LXXV.

PRO EODEM MONASTERIO.

(*Anno* 818.)

[Apud Neugart., *ibid.*, pag. 169.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Cum locis divino cultui mancipatis quiddam largitionis nostræ munere quippiam conferimus, id nobis et ad stabilitatem imperii nostri, et ad æternæ vitæ præmium capessendum profuturum liquido cre- C dimus. Proinde notum esse volumus omnium fidelium nostrorum præsentium et futurorum sagacitati, quia vir venerabilis Gauzbertus abbas monasterii sancti Galli, quod est situm in pago Durgnowe, suggessit nostræ serenitati, eo quod quidam homo nomine Isingrimus olim per strumenta chartarum legaliter tradidisset quasdam res proprietatis suæ in præsentia nobilium virorum, quæ sunt in eodem pago, monasterio cui ipse, auctore Deo, prælatus est, et secundum legem vestituram legitimam prædictum habuisset monasterium. Sed dum prædictus Isingrimus infidelis nobis existeret, et in eadem infidelitate interfectus, res proprias, quas habebat, fisco reductæ sunt : similiter et istas, quas dudum legitimo ordine prædicto tradiderat monasterio, fisco

[a] *Houdingen*, prope arcem *Furstenbergh*.
[b] *Guningen*, in cap. rur. *Wurmling*.
[c] *Bisingen*, inter Bahlingen et arcem Hohenzollern.
[d] *Scherzingen*, in cap. Ebing.
[e] *Schweningen*, ad Nicri fontes, prope Villingen.
[f] *Weilersbach*, inter Rotwilam et dictum oppidum.
[g] *Al.*, *Ruadharii com.*
[h] *Tuoningen*, versus Fœni-Montem.
[i] *Villinga* oppidum, et vicus Haud.
[j] *Nordstetten*, prope Horb.
[k] *Pforheim*, ad Danubium inter arcem Warten.
[l] *Speichingen*, in comit. Hochenberg.
[m] *Tanheim* dit Furst.
[n] *Heimbach*, prope Dorhnan oppidum.
[o] *Thalausen*, infra Rotwilam ad Nicrum.
[p] *Bucchen*, *Bucheim*, quod cum cæteris locis hactenus recensitis ad veterem Bertholdesbaram referimus, uti et comites Frumoldum, Cunthardum, Karamannum, Rhuadarium, et Erchangarium.
[q] *Rihwinus*, comes Turgoviæ.
[r] *Uzweil* ap Toggios.
[s] *Kesweilen* in Turg.
[t] *Landschlacht* parochiæ Altnau ib.
[u] *Zillschlact* parochiæ Sitterdorf ib.
[v] *Hennau*, vicus cum ecclesia paroch. ap. Toggios.
[x] *Ifweil* parochiæ Bichelsee in Turg.
[y] *Dœnikon* vel Tennicken.
[z] *Stetten* prope Marisburgum in Linzgovia, cujus comes erat Odaricus.
[aa] Errore librarii pro Maracdorf, Markdorf.
[bb] *Fischbach*.
[cc] *Kluftern*.
[dd] Indictio 10 currebat an. 817, Ludovici Pii quarto.

sociatæ sunt. Nos vero jussimus Richoino comiti [a] hanc rem diligenter inquirere, et nobis nuntiare. Qui ad nos veniens, et rem diligenter inquisitam nuntiavit ita se habere, sicut ipse Gauzpertus asserebat. Unde placuit excellentiæ nostræ ob animæ nostræ emolumentum præscriptas res, quas præfatus Isingrimus prædicto tradidit monasterio, non solum reddere, verum etiam et per hanc nostræ auctoritatis confirmationem prædicto fieri monasterio, per quam modernis futurisque temporibus rectores prænominati monasterii teneant atque possideant. Decernimus igitur atque jubemus, ut nullus quilibet nostris et futuris temporibus prædictas res, quas præscriptus Isingrimus juste et legaliter prædicto tradidit monasterio, de eodem cœnobio abstrahere, aut aliquam injustam calumniam, aut inquietudinem contra ipsum cœnobium, ejusque rectoribus facere aut ingerere præsumat : sed quidquid de ipsis vel in ipsis prælati ipsius monasterii, ob utilitatem et profectum ejusdem facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbritrio faciendi. Et ut hæc auctoritas firmiorem obtineat vigorem, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi et subscripsi.

Data IV Nonas Junias anno, Christo propitio, quinto imperii domni Ludovici serenissimi Augusti, indictione 11 [b]. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXXVI.

### PRO EODEM MONASTERIO.

(*Anno* 818.)

[Apud Neugart., *ibid.* ex *Collectione diplomatica*, D. de Halle.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus

Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superni muneris donum nobis a Domino impertiri [confidimus]. Idcirco notum esse volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia monasterium S. Galli, quod est situm in pago Durguowe, ubi venerabilis vir Gauzbertus abbas præest, quod subjectum fuit episcopatui sanctæ ecclesiæ Constantiæ, ubi modo Wolfleozuo episcopus præest, cum monachis ibidem Domino militantibus, cum rebus et hominibus sibi subjectis, et legaliter aspicientibus vel pertinentibus sub nostra suscepimus defensione, et immunitatis tuitione. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis, vel territoriis infra ditionem imperii nostri juste et legaliter possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda [c] exigenda, aut mansiones [d] vel paratas [e], faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos quam et servos, super terram ipsius commanentes, irrationabiliter distringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas nostris et futuris temporibus ingredi auderet, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumant; sed liceat memorato abbati, suisque successoribus, res prædicti monasterii cum omnibus sibi subjectis, et rebus et hominibus ad se juste aspicientibus vel pertinentibus sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio : quatenus ipsos monachos qui ibidem Deo famulari videntur, quiete consistentibus, pro nobis et conjuge, proleque nostra, atque stabilitate totius imperii a Deo nobis collati, ejusque clementissima miseratione per immensam conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine habeat firmitatem, et a fidelibus sanctæ Ecclesiæ, et nostris verius credatur, et diligentius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi et subscripsi.

Data III Nonas Junias, anno, Christo propitio, quinto imperii Ludovici piissimi Augusti, indictione 11 [f]. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXXVII.

### PRO MONASTERIO FLORIACENSI.

(*Anno* 818.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 511, ex Perardo in instrum. pro *Hist. Burgund.*, pag. 46.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non ambigimus. Notum sit igitur omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, tam præsentibus quam futuris, quod detulit nobis venerabilis vir Adalgandus abbas ex monasterio sancti Benedicti Floriacensis, quod est constructum in pago Aurelianensi super fluvium Ligeris, ubi ipse sanctus Benedictus corpore requiescit, auctoritates immunitatum, avi videlicet nostri Pippini quondam regis, seu domni et genitoris nostri Caroli piissimi Augusti, in quibus erat insertum, quod sive ipsi, sive antecessores eorum, reges videlicet Francorum, præfatum monasterium cum rebus et hominibus ad se pertinentibus et aspicientibus, sub tuitione et defen-

[a] Richoinus, *al.* Richwinus, comes Turgoviæ.
[b] Anno 818 currebat indictio 11.
[c] Fredum, mulcta, vel etiam quævis exactio.
[d] Mansio hoc loco pro debito accipitur, missos seu legatos principis, aliasve publicas personas hospitio excipiendi, eisque victum necessarium subministrandi.
[e] Paratæ, expensæ in hospitum susceptione faciendæ.
[f] Convenit indictio 11 anno 818.

sione sua habuissent, et eorum immunitatibus auctoritatum a judiciariæ potestatis inquietudine semper defensum et munitum fuisset. Ob rei tamen firmitatem postulavit nobis præfatus abbas ut ob amorem Dei et reverentiam sancti Petri et sancti Benedicti paternum seu prædecessorum nostrorum morem sequentes, immunitatis nostræ præceptum circa ipsum sanctum [a] locum fieri censeremus. Cujus petitioni assensum præbuimus, et hoc nostræ auctoritatis præceptum circa ipsum sanctum locum fieri decrevimus: per quod præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, et quislibet ex judiciaria potestate, in ecclesias aut loca, et agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis aut territoriis infra ditionem imperii nostri juste et legaliter possidet, et quod deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, et freda exigenda, aut mansiones et paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii super terram ipsius commanentes distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, et ea quæ superius memorata sunt, penitus exigere præsumat; sed liceat memorato abbati suisque successoribus res prædicti monasterii sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere. Et quando quidem divina vocatione supradictus abbas et successores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi abbates; quatenus ipsos monachos qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge proleque nostra, atque stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi atque conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet [b]. Et quidquid rebus præfati monasterii fiscus exigere poterat, præfato monasterio ejusque congregationi ibidem Deo famulanti concessimus, ut eis ad servitium peragendum augmentum vel supplementum fiat. Et hæc auctoritas ut nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, eam manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione subter sigillari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data vi Kalendas Augustas, anno, Christo propitio, quinto imperii domni Ludovici serenissimi Augusti, indictione undecima. Actum Aurelianis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] Corrupte *secundum*, apud Perardum.

[b] Male apud eumdem, *deberent*.

[c] Meminit hujus privilegii Adrevaldus in libro de Miraculis sancti Benedicti, cap. 19, his verbis: « Regali munificentia huic sacratissimo cœnobio a priscis Francorum regibus per præcepti proprii syngraphum concessum fuerat uti quatuor naves immunes ab omni debito fisci liberrime per alveum Ligeris *discurrerent.* » Postea narrat Adrevaldus miraculum tempore Rahonis comitis factum. Mabillonius, lib. xxviii Annal. Bened., num. 79, vellet Adrevaldum habere vadem consimilis miraculi. Observat præterea idem Mabillonius per id tempus Floriaci viguisse studia litterarum, testante Theodulfo in capitulari, cujus capite 19 presbyteros monet ut consanguineos suos ad scholam mittant in ecclesia Sanctæ Crucis, quæ cathedralis est, aut in monasterio S. Aniani aut S. Benedicti.

A

## LXXVIII

### PRO MONASTERIO FLORIACENSI.

(*Anno* 818.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, ex schedis D. Claudii Estiennot.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, telonearíis, actionariis, vel omnibus rempublicam administrantibus, seu cæteris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, tam præsentibus quam futuris, notum sit quia venerabilis vir Adalgaudus abba ex monasterio Floriacensi, quod est constructum in pago Aurelianensi super B fluvium Ligeris, in honore videlicet S. Petri principis apostolorum et S. Benedicti confessoris, ubi ipse S. Benedictus corpore requiescit, detulit nobis auctoritatem præceptionis domni et genitoris nostri bonæ memoriæ Caroli piissimi Augusti, in qua continebatur quod avus noster Pippinus quondam rex et idem genitor noster contulissent monasterio eidem teloneum de quatuor navibus, quæ per Ligeris flumen seu cætera flumina propter sal et cætera commercia discurrebant, necnon et de carris et sagmariis necessaria ipsius monasterii vel congregationis ibidem Deo famulantis deferentibus, et de villis, vel de omnibus, undecunque fiscus teloneum exigere poterat. Pro firmitatis namque studio postulavit nobis præfatus abbas ut paternum seu prædecessorum nostrorum morem sequentes, hujuscemodi C auctoritatis nostræ [c] beneficium eidem concederemus vel confirmaremus. Quod et fecimus, etc.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Data vi Kal. Aug., anno, Christo propitio, 5 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 11. Actum Aurelianis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXXIX.

### PRO MONASTERIO MAGNILOCENSI.

(*Anno* 818.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 513.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, im- D perator Augustus.

Cum locis divino cultui mancipatis ob divinæ servitutis honorem opem congruam ferimus, et regium morem decenter implemus, et id nobis profuturum ad æternæ remunerationis præmia capessenda veraciter credimus. Notum igitur esse volumus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus

scilicet et futuris, qualiter nos, sicut in aliis auctoritatibus nostris continetur, Heimonem venerabilem abbatem ex monasterio cujus vocabulum est Magnus Locus (*Manlieu*), quod est constructum in honore S. Sebastiani in pago Arvernico, et congregationem illius, cum rebus illorum juste sibi competentibus, sub nostra suscepimus plenissima defensione et immunitatis tuitione. Et ideo decernimus atque per hos apices imperiales nostros sancimus ut omnes res ejusdem monasterii, sicut diximus, cum omnibus sibi subjectis, sub nostræ defensionis immunitate consistant. Præcipientes ergo jubemus atque præcipimus ut nullus judex publicus, aut cujuslibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator, ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias, villas, seu reliquas possessiones quæ moderno tempore in quibuslibet provinciis ad eumdem locum pertinent, vel [quas] deinceps aut per nos aut per alios quoslibet in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augeri, ingredi præsumat, nec freda, aut tributa, aut mansiones, aut paratas, aut teloneum, aut fidejussores tollere, aut homines, tam ingenuos quam servos, super terram ipsius loci commanentes distringere, nec ullas publicas functiones, aut redhibitiones, vel illicitas occasiones requirere, quibus in aliquo idem monasterium sibique subjecti aliquod injuste patiantur incommodum; nostris futurisque temporibus quisquam tam temerarius existat, qui id faciendi sibi potestatem attribuere audeat. Et quidquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædicto monasterio concedimus, ut perennibus temporibus in alimonia pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum: quatenus ibidem Deo servientes pro nobis, conjuge proleque nostra, atque stabilitate totius imperii a Deo nobis concessi atque conservandi, jugiter Dei misericordiam exorare debeant. Hæc vero auctoritas immunitatis nostræ, ut per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data XVI Kal. Sept., anno, Christo propitio, 5 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 11. Actum Andecavis palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXXX.

### PRO LOTHARIO IMPERII CONSORTE.

(*Anno* 818 [a].)

[Apud Grandidier, *Hist. de l'Egl. de Strasbourg*, tom. II, pag. 167, ex cod. ms. n. 2718 Bibliothecæ regiæ notis tyronianis exarato [b].]

In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus [c]. Notum sit omnibus fidelibus nostris, tam præsentibus quam et futuris, quia nos dilecto filio Lothario Cæsari [d] et consorti imperii nostri concedimus ad proprium ex quadam villa nostra quæ sita est in pago Alsacinse, quæ dicitur Herinstein, mansum dominicum cum omnibus supra positis et alios mansos tantum sexaginta ad eum pertinentibus, cum mancipiis desuper commanentibus et ad eosdem sexaginta mansos aspicientibus. Has vero res, sicut superius continetur scriptum, cum domibus, ædificiis, mancipiis, terris, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, mobile et immobile, tibi dilecto filio nostro Lothario imperatori ad proprium per hanc nostræ auctoritatis largitionem tradimus ad possidendum; ita videlicet ut quidquid de eisdem rebus et mancipiis facere vel vindicare volueris, libero in omnibus perfruaris arbitrio faciendi. Et ut hæc largitio donationis nostræ per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria.... etc.

## LXXXI.

### [e] PRO ABBATIA APRIMONASTERIENSI.

(*Anno* 818.)

[Apud Grandidier., *ibid.*, ex cod. ms. *Chronici Novientensis* qui exstat Selestadii in bibliotheca beati Rhenani [f].]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ipsique in eisdem locis famulantibus

[a] Charta est anni incerti, sed fuit data post annum 817, quo Lotharius a patre fuit renuntiatus imperator. Præcedit vero mensem Octobrem 821, quo idem Lotharius Irmingardem duxit uxorem.

[b] Charta hæc vigesima quinta exstat in capitulari Ludovici Pii quod ex codice regio tyronianis notis exarato vulgavit P. Carpenterius, in Alphabeto tyroniano, pag. 53. Ex Carpenterio descripserunt Bouquetus, in Scriptor. Rer. Francic. tom. VI, pag. 646, et Heumannus, in Comment. de re diplom., tom. I, pag. 413. De notis tyronianis fuse agunt auctores Gallici Novæ Diplomaticæ, tom. III, pag. 562-622. In bibliotheca majoris ecclesiæ Argentinensis exstabat olim præstans psalterium notis tyronianis exaratum, aureisque capitellis distinctum. Codicem illum viderat anno 1498 Argentinæ Joannes Trithemius, illumque maxime celebrat Polygraphiæ libro quinto. Argentinensis ille codex Armenia-cis antea dicebatur exaratus litteris, usque dum prædictus abbas in illo recognovisset notas tyronianas, quarum significationem exhibet Gruterus, pag. 30.

[c] Formula hæc initialis deest in ms. codice, sed indubie supplenda.

[d] Notanda hic venit Cæsaris appellatio tunc temporis, eo, quo hic sumitur, sensu maxime rara, quæ nusquam usi sunt Eginhardus aliive scriptores, ubi Lotharium consortem imperii a patre nominatum memorant.

[e] Hoc diploma bis refert Schœpflinus in Alsatiæ diplomaticæ tom. I, inter sincera, pag. 66; rectius vero inter adulterina, pag. 105.

[f] Hæc charta non exstat in archivo abbatiæ Aprimonasteriensis.

beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud A Deum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum industria, quia venerabilis Theopaldus, abbas monasterii quod nuncupatur Novientum sive Ebersheim, quod est situm in pago Illisaciæ, supra ripam Ille fluminis, in comitatu Kirichheim [a], quod vir illuster Etich dux in honorem Domini nostri Jesu Christi et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sanctique Mauricii martyris et sociorum ejus per magisterium beatæ memoriæ Theodati sacerdotis Christi construxit [b], præsentavit nobis immunitatem et privilegia domni et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ Augusti. Quæ cum perlecta in audientia principum recitata fuissent, continere videbantur quod idem genitor noster B ob amorem regni cœlestis, specialiter tamen ob reverentiam Thebeorum martyrum, eo quod ipsorum suffragiis post multa dispendia ac difficultatem pugnæ resumptis viribus in festo passionis eorum de Barbaris triumphasset, prædictum monasterium speciali quodam affectu semper sub plenissima defensione regiæ immunitatis tutatus sit. Quapropter rogavit nos idem prædictus abbas cum domino Vulfhaldo advocato suo, ut paternum morem sequentes, ipsum supradicti cœnobii locum et ipsius præcipuas curtes in tutelam nostræ imperialis defensionis, exclusa omni comitiali seu fiscali potestate, reciperemus. Nos ergo majorum nostrorum exemplo provocati, simulque ipsi loci utilitati et nostræ saluti providentes, petitioni ipsorum in omnibus annuere C decrevimus. Præcipientes itaque imperiali auctoritate jubemus ut nullus judex publicus, nulla judiciaria potestas nostris aut futuris temporibus ipsum supradictum locum, vel curtes ipsius potestative ingredi præsumant; nec paratas, aut mansiones [c] ibi faciant, nec quemquam hominum constringant, nec quidquam de jure fisci nostri inibi requirant; sed prædictus Theopaldus abbas, et omnes successores ipsius ipsas curtes ex hoc et deinceps potestative et totaliter cum omni mundiburde [d] possideant, hoc est : in Sulza [e] curtis dominica cum omnibus pertinentiis suis, id est, ecclesia cum decimis suis; curtis portæ cum omni decima salicæ terræ, sive in vineis, sive in agris vel pratis, vel etiam forestis et omnibus novalibus ipsorum, vel etiam de animalibus quæ nutriuntur in ipsa curti dominica. Capella etiam, quæ cella Sancti Petri dicitur, in supradictam curtim portæ cum omnibus ad se pertinentibus pertinet; capella etiam in villa quæ Sarmenza [f] dicitur, in ipsam curtim portæ pertinens; in banno Regenesheim [g] decimæ duorum mansuum, et in Gundolvesheim [h] quinque mansuum, et in Bercholz [i] decimæ vineæ unius in ipsam curtim pertinet ; in Balteresheim [j], et in Batenheim [k], et Ruoleichesheim [l], et in Hirzvelt [m], et in Bollewilre [n] quidquid in supradictam curtim dominicam Sulza respicit, decimas in curtim portæ persolvit. Familia tota, sive militaris, sive censualis, vel et servilis, cum omni banno de ipsa villa sive marcha cum omni libera utilitate in ipsam curtim dominicam pertinet; quæ marcha orditur in jugo montis qui Beleus [o] dicitur, ultra locum qui Breidenbrunno vocatur, et pertingit in descensum usque per medium villæ quæ Reteresheim [p] vocatur ; in latitudine vero a medietate villæ quæ Alreswilre [q] dicitur, usque in antiquum alveum fluvii qui Lorfaha [r] dicitur, et est sita in comitatu Illechik [s], et in episcopatu Argentinensi. In Egenesheim [t] curtis dominica, cum quarta parte banni et decimis ipsius allodii cum aliis pertinentiis suis. In Sigoltesheim [u], curtis dominica cum omnibus appendiciis suis, vineis et agris et pratis, mansus censuales et serviles, mancipia utriusque sexus; capella ipsius curtis cum omnibus decimis ipsius prædii : decimæ vero salicæ terræ et servilium beneficiorum ad portam monasterii pertinent ; medietas dominii, sive banni de tota marca in ipsam curtim dominicam cum foreste et omni utilitate pertinet. Ipsa autem marcha incipit a villula quæ Mezeral [v] dicitur, et terminatur in rivo fluvii qui Vachonna [x] dicitur, juxta villulam quæ Scottenwilre [y]

[a] De comitatu Kirichheim, qui et pagus Troningorum dicitur, consulatur Schœpflinus, Alsat. illust. tom. I, pag. 641 et 663.

[b] Vide Chronicon Novientense.

[c] Incumbebat provincialibus onus missos et legatos regios, comites, duces aliosque magistratus publicos recipiendi, eisque mansiones sive diversoria pro cujusque dignitate et conditione præstare. Hic sumuntur *mansiones* pro hospitii jure quo prædicti gaudebant, et *paratæ* pro expensis ad eorum susceptiones.

[d] Id est, tutela et defensione. Lege Glossaria Wachteri et Haltausii, pag. 1101 et 1373.

[e] Oppidulum *Ober-Sulz*.

[f] Hodie *Sermersheim*, supra Benfeldam situs. Ibi adhuc supersunt ad Illum fluvium rudera antiquæ capellæ sancto Udalrico dicatæ.

[g] Hodie *Rexheim*, prope Ensishemium.

[h] Hodie *Gundelsheim*, vicus prope Rufacum.

[i] Hodie *Bergholtz*, prope oppidum Gebweiller.

[j] Hodie *Baltersheim*, prope Ensishemium.

[k] Hodie vicus *Battenheim*, quoque prope Ensishemium.

[l] Hodie *Rurelsheim*, etiam prope Ensishemium.

[m] Hodie *Hirzvelt*, vicus inter Ensishemium et Novum Brisacum.

[n] Hodie *Bollweiler*, duabus supra Rufacum leucis.

D [o] Beleus, sive Belus mons, Germanice *Belchen*, Gallice *Balon*, omnium Vogesi montium habetur altissimus, et duabus leucis a Murbaco distat, non confundendus cum altero ejusdem nominis in comitatus Burgundici finibus prope Belfortum sito.

[p] *Retersheim*, paulo supra Rufacum.

[q] *Almswiler*, prope Sultzbacum Sundgoviæ.

[r] Rivus *Lauch*.

[s] Legatur Schœpflini Alsatia illustrata, tom. I, pag. 661.

[t] *Egisheim*.

[u] *Sigolsheim*.

[v] Hodie vicus Vallis Gregorianæ, *Mezeral* quoque dictus, ad oppidum Monasteriense pertinens.

[x] Hodie rivus *Fachina* sive *Fecht*, ortus ex duobus rivis confluentibus prope urbem atque abbatiam Monasteriensem.

[y] Hodie vicus *Stoswihr*, non longe ab oppido Monasteriensi distans.

vocatur; in latitudine vero ultra Vachonnam juxta Lucelwilre [a] usque in amnem qui Mulibach [b] vocatur, in comitatu Illichick, et in episcopatu Argentinensi sita. In Olleswilre [c], curtis dominica cum allodio vinearum et agrorum, mansus censuales et serviles; decimæ ipsius prædii totaliter ad portam monasterii in usus pauperum et hospitum pertinent. Bannus ipsius allodii cum omni mundiburde sua in ipsam curtim pertinet, viis scilicet et inviis, exitibus et redditibus; communis vero bannus usque in alveum Eggenbach [d] et alveum Ille fluminis, usus vero lignorum et pascua ad saginandos quinquaginta porcos in Westerholz in ipsam curtem pertinet: sita est autem in comitatu Kirchheim. In Scerewilre [e], curtis dominica cum vineis et agris et pratis, mansus censuales et curtes ipsorum, et bannus B ipsius prædii et villicatio in ipsam curtim dominicam pertinet; decimæ salicæ terræ ad portam monasterii respiciunt. In Chagenheim [f], curtis Dominica cum salica terra, curtes, curteficia, mansus serviles et censuales, cum molendino et piscationibus, et familia aliisque appendiciis et omni libera utilitate. In Sarmeresheim [g], curtis dominica cum salica terra, curtes, mansus serviles et censuales, ecclesia ipsius villæ cum decimis suis; decimæ vero salicæ terræ ad portam pertinent; bannus et villicatio ipsius prædii vel familiæ in ipsam curtim pertinet. In Hittenheim [h], curtis dominica cum salica terra et omnibus pertinentiis ipsius, molendino, piscationibus; ecclesia parochialis cum omnibus decimis ipsius, decimæ salicæ terræ ad portam pertinent: C medietas banni ipsam curtim respicit cum suis per-

A tinentiis. In Northus [i], curtis dominica cum omnibus appendiciis suis; salica terra cum decimis suis, quæ ad portam pertinent. In ipsa villa, et in Hundenesheim [j], et in Lumeresheim [k], medietas etiam banni in ipsam curtim pertinet. In Utenheim [l], curtis dominica cum salica terra et decimis ipsius, ecclesia cum decimis suis: quarta pars banni in ipsam curtim pertinet. In Valva [m], curtis dominica et salica terra cum curtibus et pratis, et quarta parte banni. In Hiltesheim [n], curtis dominica, salica terra cum decimis suis, ecclesia cum decimis suis, bannus totaliter cum omni mundeburde et omni utilitate. In Witenesheim [o], curtis dominica cum omnibus pertinentiis suis, salica terra cum decimis suis, bannus cum omni dominio. Capella Niveratesheim [p], cum decimis suis. In Muoteresholz [q], curtis dominica, salica terra cum decimis suis, ecclesia cum decimis suis: medietas banni in ipsam curtim pertinet. Capella in Baldenheim [r], cum medietate decimarum ipsius villæ. In Artolvesheim [s], curtis dominica cum omnibus pertinentiis suis, salica terra cum decimis suis, ecclesia cum decimis suis, bannus totaliter cum omni utilitate. Capella in Birenheim [t], cum decimis ipsius villæ. In Gruzenheim [u], curtis dominica cum salica terra ac decimis ipsius, ecclesia cum omni decima ipsius banni, bannus totaliter cum omni dominio et libera utilitate. In Wizwile [v], quæ sita est in pago Brisigaugensi, curtis dominica cum omnibus appendiciis suis, ecclesia cum omnibus decimis suis, bannus cum omni libera utilitate. In Burcheim [x], curtis dominica, salica terra cum decimis suis, ecclesia cum

[a] Hodie viculus *Wihr* in Gregoriana Valle, communiter dictus *Klein-Wikr*, quæ ultima nuncupatio idem est ac *Lucelwilre*. *Lutzel* enim est vetus vox theotisca, quæ parvum quid significat, Alsat. illust., tom. I, pag. 726.

[b] Hodie rivus *Mühlbach*, quem incolæ vocant *Kleinthalbach*, et prope quem situs est vicus *Mühlbach* pertinens ad oppidum Monasteriense.

[c] *Orschweiler* sive *Orchweyer*, prope Selestadium.

[d] Torrens *Eckenbach*, qui superiorem Alsatiam ab inferiore, et diœcesim Argentinensem a Basileensi dividit.

[e] *Scherweiler*.

[f] Hodie vicus *Kogenheim* prope abbatiam Ebersheimensem, pertinens ad episcopum Argentinensem, in quo illa habet curiam dominicalem.

[g] *Sermersheim*.

[h] *Huttenheim*.

*Northausen*, vulgo *Nartz*.

[j] Hodie *Hindisheim*, tribus supra Argentoratum leucis distans, pertinens ad episcopum Argentinensem, in ballivatu Dachsteinensi.

[k] Hodie *Leimersheim*, prope Hipsheim, spectans ad eumdem episcopum, in ballivatu Benfeldensi.

[l] *Utenheim* vicus ad Reinachios pertinens, in quo cum parocho decimas dividit abbatia Ebersheimensis. Jus patronatus integrum ad eamdem abbatiam olim pertinebat; sed vi transactionis anno 1749 initæ tribus vicibus hoc jure gaudet episcopus Argentinensis, et quarta vice abbas.

[m] Hodie *Valff*, inter Benfeldam et Oberehnheimium situs, vicus ad Nobiles de Andlau spectans.

[n] Hodie *Hiltzen*, vicus ad episcopum Argentinensem pertinens, in quo omnibus decimis, curia dominicali et jure patronatus gaudet abbatia Aprimonasteriensis.

[o] Hodie *Wittisheim*, vulgo *Witzen*, in quo vico prædicta abbatia adhuc habet jus patronatus et decimas, quas cum parocho dividit.

[p] *Niffern*, vicus duabus leucis ab Aprimonasterio, hodie destructus. Exstat tantum capella S. Catharinæ ad prædictam abbatiam pertinens, in parochiæ Schwabsheimensis districtu.

[q] Hodie *Mietersholz*, sesquileuca a Selestadio versus Rhenum situs, ad Rathsamhausios pertinens, in quo abbatia Ebersheimensis curia dominicali, decimis et jure patronatus gaudet.

[r] *Baldenheim*, vicus est ad D. de Waldner pertinens. Decimarum dimidiam partem ibi habet abbatia. In Baldenheim olim fuit capella S. Oswaldi ad eamdem spectans abbatiam: hodie est destructa, et titulus ejus dicitur in ecclesiam Ebersheimensis monaD sterii translatus.

[s] Hodie *Artelsheim*, inferioris Alsatiæ Rhenum inter ac Selestadium vicus, ad principem *de Rohan-Soubise* pertinens. In eo cum parocho decimas dividit abbatia Aprimonasteriensis, quæ quoque ibidem gaudet curia dominicali et jure patronatus, ut supra in Utenheim diximus.

[t] Hodie vicus *Bindern*, prope Ebersheimense monasterium, pertinens ad episcopum Argentinensem. Curiam dominicalem in eo possidet abbatia Ebersheimensis.

[u] *Grusenheim*.

[v] *Weisweiler*.

[x] *Burgheim*.

decimis suis, bannus cum omni libera utilitate. In Lagelenheim [a], curtis dominica, salica terra cum decimis ipsius, ecclesia cum decimis suis, bannus cum omni dominio suo a ripa Rheni usque ad ripam Ille fluminis. Itaque prædictus Theopaldus abbas et omnes successores ipsius has prædictas curtes cum omnibus pertinentiis ipsarum absque ulla contradictione, seu convulsione, vel diminutione alicujus judiciariæ potestatis, seu sæcularis, sive spiritualis per munificentiam nostræ imperialis auctoritatis et largitatem meliorando et augmentando potestative possideant, quatenus fratres inibi Deo servientes ipsum pro salute nostra ac pro statu imperii nostri frequentius exorent. Et ut hæc nostra imperialis auctoritas nostris et futuris temporibus stabilis et inconvulsa, Christo largiente, permaneat, manu propria subter signavimus et annuli nostri impressione sigillavimus.

Signum domni Ludovici serenissimi imperatoris.

Ego Durandus notarius ad vicem Domini Helie [b] archicancellarii recognovi.

Data Kalendis Maii, anno, Christo propitio, 3 piissimi imperatoris Augusti. Actum Trhonie seu Kilikhein [c] in comitatu domini Wuorandi comitis, in concione imperatoris et principum, anno Dominicæ incarnationis 817, indictione 6 [d], in Christi nomine feliciter.

## LXXXII.

### PRO MONASTERIO COMENSI.

(*Anno* 818, *pridie Kal. Aug.*)

[Ughelli, *Italia sacra*,]

Ludovicus divina providentia semper Augustus.

Cum justis petitionibus sacerdotum ac servorum Dei, quas auribus nostris insinuaverint, libenter annuerimus, et eas cum Dei auxilio ad effectum pervenire, fecerimus non solum regiam et imperialem consuetudinem exercemus, verum etiam liberalitatem ad statum terreni regni corroborandum, quod ad æternam beatitudinem capessendam profuturum esse confidimus. Idcirco notum esse volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia adiens serenitatem nostri culminis, videlicet totius sanctæ Cumanæ Ecclesiæ, tam sacerdotum quam et clericorum ordo generaliter obsecrando, ut pro Retributoris superni amore, et intuitu animæ nostræ, nostrique domini genitoris Caroli piæ recordationis præstantissimi imp. quamdam curtem juris regni nostri, quæ vocatur Anutium juxta lacum Lucanum, cum pertinentiis et adjacentiis suis legaliter ad eamdem pertinentibus perpetualiter possidendam concedere dignaremur. Nos quoque, qui ratam prospeximus postulationem, eorumdem precibus libenter acquievimus, concedentes jam dicto ordini, cunctoque clericorum gregi, eorumque posteris præfatam curtem Anutium, cum universis adjacentiis suis, mansis, videlicet, districtis, ac pontibus, terris, ac vineis, et campis, piscationibus, cultis et incultis, montibus, vallibus, et planitiebus, rupis, et rupinis, aquis, aquarum decursibus, paludibus, judiciariis, servis et ancillis utriusque sexus, legalibus quoque, placitis, aquarumque districtis a termino de Cadro, usque ad Trasiæ pontem, omnia in integrum, sicuti ad eam juste et legaliter pertinere dignoscitur, jubemus, ut prædicta congregatio sanctæ Cumanæ ecclesiæ sacerdotum et clericorum, qui pro tempore Deo sanctoque Abundio confessori et martyri Pelagiæ deservierint, potestatem habeat eam tenere, possidere, et quidquid ex eadem curte suisque legalibus pertinentiis facere voluerit, faciat ex nostra plenissima imperiali auctoritate. Præcipientes ergo sancimus ut nullus dux, comes, aut quilibet reipublicæ procurator, neque aliqua persona magna, vel parva utriusque sexus, cujusque ordinis, aut dignitatis ex prætaxata curte Anutium, vel pertinentiis suis aliquam diminorationem, aut invasionem facere præsumat, nec eisdem hominibus ejusdem curtis, seu infra prætaxatis finibus tam ingenuis, quam servis degentibus ullo in tempore in qualibet functione publica, aut redhibitionis exactione, vel excubia publica audeat molestare, nec aliquid de eo, quæ super memoravimus abstrahere, vel diminutionem facere, quoque tempore præsumat; sed liceat prædictæ sacerdotum et canonicorum congregationi, suisque successoribus, qui pro tempore fuerint, præfatam curtem in integrum ad laudem et decus sanctæ Romanæ Ecclesiæ quiete et pacifice possidere, prout hactenus possessa est ex publica parte. Si vero, quod minime credimus, contra hujus nostri præcepti statuta quisquam temerarius exstiterit, sciat se compositurum auri purissimi libras centum, medietatem palatio nostro, et medietatem parti prædictæ congregationis. Ut autem verius credatur, et diligentius ab omnibus observetur, manu propria approbatum impressione annuli nostri jussimus insigniri.

Durandus diaconus ad vicem recognovi.

Datum pridie Kal. Augusti, anno Dominicæ incarnationis 818, indictione undecima domini Ludovici serenissimi imperatoris, anno ejus imperii quarto [e]. Actum Cumo ad Sanctum Petrum in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXXXIII.

### PRO MAGALONENSI S. PETRI ECCLESIA.

(*Anno* 819.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des hist.*, tom. VI, pag. 513, ex Sammarth., tom. III *Galliæ Christianæ*, p. 358.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu

[a] *Lagelnheim.*

[b] Forsitan Helisachar cancellarius, in chartis Ludovicianis memoratus.

[c] De palatio regio in Kircheim multa habent Besselius in Chronico Gottwicensi, tom. II, lib. III, pag. 487, et Schœpflinus, Alsat. illust. tom. I, pag. 704.

[d] Annus Incarnationis 817 non convenit cum anno quarto imperii Ludovici Pii, qui incidit in annum 818, nec cum indictione sexta quæ tunc erat 15. Dein indictio 11 currebat anno 818, seu quarto Ludovici. Hæc et alia vitia, si non adulterinum, saltem interpolatum, reddunt hoc diploma.

[e] Scribendum quinto.

Christi, Ludovicus, divina ordinante clementia, imperator Augustus. A

Constat nos, divina ordinante gratia, cæteris mortalibus supereminere : unde oportet ut cujus præcellimus munere studeamus modis omnibus ecclesiasticis rebus opem ferre. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, seu successoribus nostris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, quia placuit nobis pro mercedis nostræ augmento, et æternæ remunerationis fructu, quamdam villam quæ est in territorio Magalonensi, cujus vocabulum est Villanova, sicut eam Robertus comes in beneficium habuit, ecclesiæ S. Petri Magalonensis, ubi, Deo auctore, Argerimus præest, quia constat eam ex prædictis rebus fuisse, cum omni integritate reddere, ita duntaxat ut quidquid recto- B res ac ministri prædictæ sedis deinceps pro opportunitate ipsius ecclesiæ de eadem villa vel de iis quæ ad eam moderno tempore pertinent, facere voluerint, libero potiantur arbitrio ad hæc facienda. Et ideo omnibus præcipimus, ac per has litteras statuimus, ut nullus quilibet fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, prædictam villam cum omnibus ad se pertinentibus de prædicta sede abstrahere, aut aliquid imminuere, aut injustam interpellationem ingerere præsumat; sed, sicut a nobis injunctum est, et per hanc nostram auctoritatem prædictæ ecclesiæ confirmatum, ita perpetuo permaneat. Et ut hæc auctoritas firmiter habeatur, et per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari. C

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Datum Idibus Martii, anno, Christo propitio, 6 imperii domni Ludovici excellentissimi Augusti, indictione 12. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXXXIV.

### PRO MONASTERIO DEENSI.

(*Anno* 819.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 516, ex Chifflet. in prob. ad *Hist. abb. Trenorcensis*, pag. 191.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus. D

Notum sit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum sagacitati, qualiter vir venerabilis Arnulfus abbas ex monasterio sancti Filiberti, quod est situm in insula quæ dicitur Heri, propter incursiones barbarorum qui frequenter ipsum monasterium depopulantur, foras in pago qui dicitur Erbadellicus(*Herbauge*), in loco cujus vocabulum est Deas *, per nostrum consensum atque adjutorium, novum monasterium ædificasse, et ob commoditatem ejusdem monasterii, et congregationis ibidem degentis, ex fluvio qui dicitur Bedonia (*la Bologne*), aquam ibi velle perducere; obsecrans clementiam excellentiæ nostræ ut transitum ei per viam regiam, quam stratam sive calciatam dicunt, ejusdem aquæ concederemus, qualiter [quatenus] ad prædictum monasterium nostris et futuris temporibus absque alicujus impedimento venire potuisset : et in eodem loco velle pontem facere, ut transeuntibus nihil impedimentum esset. Cujus petitioni, quia justa et prædicto monasterio utilis esse videbatur, assensum præbuimus, et licentiam aquæductum per prædictam stratam esse, tantum ut pons desuper talis fieret, qui transeuntibus nihil obesset, concessimus. Idcirco præcipimus atque jubemus ut nullus quilibet nostris nec futuris temporibus aliquod obstaculum aut impedimentum, vel calumniam rectoribus prædicti monasterii de prædicto aquæducto facere aut ingerere præsumat, sed absque ullius infestatione hoc quod nos concessimus, ratum et stabilè omni tempore permaneat. Et ut hæc nostra jussio omni tempore stabilis et inconvulsa permaneat, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Ego Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi et subscripsi.

Data XVII Kalendas Aprilis anno, Christo propitio, 6 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 12. Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXXXV.

### PRO MONASTERIO CONCHENSI IN DIŒCESI RUTHENENSI.

(*Anno* 819.)

[Apud Baluzium, *Capitul.*, pag. 1416, ex archivo monasterii Conchensis.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Multis fidelium nostrorum, et præcipue his qui in occiduas partes sunt constituti, nosse credimus qualiter vir religiosus Dado quodam nomine, qui nostris temporibus religione et sanctitate, divina sibi adminiculante gratia, emicuit, dum quietem appeteret et vacando videre vellet quam suavis est Dominus, quoddam locellum in pago Rutenico super rivulum Durdunum, cujus vocabulum est Concas, inveniens huic negotio aptum, quo in loco nonnulli Christiani propter metum Saracenorum, qui illam terram pene totam devastarunt et in eremum redegerunt, dudum confugientes, permodicum construxerunt oratorium, ipse assumpto labore propriis manibus eumdem locum juxta vires mundare atque stirpare curavit, et ut aptus ejus quieti foret operam dedit. Sed non post multos dies vir religiosus Medraldus nomine eumdem locum simul cum memorato Dadone ad habitandum elegit. Et quia famam bonæ opinionis vera religio illorum apud convicinos sparserat, nonnulli postponentes sæculum, quietam nihilominus, quam ipsi degebant, appetere vitam conati sunt, et eorum religiosis exemplis imitatores fieri cupientes, eorum se magisterio subdidere, ac dum paulatim ipsa congregatio cresceret, ecclesiam ibidem

* Vulgo *Dée* vel *Grand-Lieu*; nunc prioratus in diœcesi Namnetensi.

in honore Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi construxerunt, et ut Dado juxta divinitus sibi collatum desiderium remotiorem adhuc locum, qui dicitur Grande Vabrum, sicut et fecit, peteret, et ut Medraldus abbas fieret, et ut ipsa congregatio regularis, juxta quod eis facultas et intellectus a Domino tribuebatur, existeret, communi voluntate actum est. His vero ita patratis, contigit eamdem congregationem in nostra propria speciali defensione atque tuitione devenire. Nam nos, ut plenitus sub regula sancti Benedicti Domino militarent, et per bonorum monachorum consultum et per nostram creberrimam admonitionem efficerę Domino opitulante studuimus; et ad proprias eorum necessitates fulciendas de rebus nostris quiddam ibidem delegavimus, ecclesiam videlicet de Cermangis, et ecclesiam quæ nominatur Campus Hiacus, et ecclesiam Sancti Christophori in Montiniaco constructam, cum omni integritate earum. Simili modo et ecclesiam de Garcanga cum curte de Gammaleria. Iterum alteram ecclesiam ad portum Acri sub honore sancti Saturnini constructam, cum omnibus appendiciis earum. Necnon similiter contulimus ibidem ecclesiam Sancti Salvatoris in Cicerniaco, et alias duas ecclesias, unam in Burnacello, et alteram in Rucenniaco, cum omnibus adjacentiis earum, aliam quoque ecclesiam in Rubilia cum omni integritate sua; a quo quidem tenore et Selvaniacum et omnia quæ ibidem delegata sunt per nostram auctoritatem sub immunitatis tuitione pleniter consistere fecimus, ut videlicet omni tempore memoratum monasterium cum eadem congregatione et cum prædicto loco qui vocatur Grande Vabrum, in quo memoratus Dado exoptatam sibi quietem tenuit et vivendi finem fecit, cum omnibus rebus sibi juste pertinentibus, sive quæ in præsenti tempore possidet, sive quæ inantea Dominus ibidem augeri voluerit, cum his omnibus prædictus locus qui dicitur Conchas sub speciali nostra videlicet et filiorum vel successorum, Deo annuente, tempora inviolabiliter consistat, ut eadem congregatio quiete semper imperiali et regali defensione tuta absque cujuslibet impedimento propositum suum Deo opem ferente indefesse valeat observare et pro nobis vel pro communi imperii nostri stabilitate Dominum exorare. Hæc vero auctoritas ut ab omnibus veracius credatur, manus nostræ signaculo subter eam roborare et de annulo nostro sigillare fecimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovit et subscripsit.

Data VI Idus Aprilis, anno sexto, Christo propitio, imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 12.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXXXVI.

### PRO MONASTERIO S. BAVONIS GANDENSIS [a].

(*Anno* 819.)

[Apud Miræum, *Donationes Belgicæ*, pag. 55.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantes, beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus.

Idcirco noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum solertia, quod vir venerabilis Einhardus, abbas ex monasterio quod dicitur Ganda, quod situm est in pago Brachbatense, constructum in honore sancti Petri principis apostolorum, ubi etiam sanctus Bavo confessor Christi corpore quiescit, detulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis Domini et genitoris nostri Caroli, bonæ memoriæ, præstantissimi imperatoris, in qua continebatur insertum qualiter ipse ob amorem Dei tranquillitatemque fratrum in eodem monasterio degentium, semper sub plenissima defensione et immunitatis tuitione habuisset.

Pro firmitatis namque studio, postulavit nobis prædictus Einhardus [b] abbas, ut paternæ auctoritati, firmitatis gratia, nostram quoque superadde-

[a] Istud Ludovici Pii, ut et Caroli Calvi, itemque Othonis II imperatorum diplomata, in favorem Gandensis seu Bavonici monasterii concessa, hodieque integra cum sigillis suis, Gandavi in palatio episcopali asservantur, quæ pro sua humanitate reverendissimus D. Antonius Triestius, episcopus Gandensis, nobis exhibuit ac communicavit. Integra, inquam, asservantur, ut pote a Normannis (quod rarum in Belgicæ monasteriis) nunquam violata, ut narrant. Ingruente namque Normannorum in Belgicam irruptione, monachi Gandenses cum sanctorum pignoribus ac diplomatibus, primo Audomarapolim, inde Lugdunum Clavatum (*Laon*), Picardiæ urbem, se contulerunt, declinandæ tempestati. Quo in tractu annis plus minus centum perstiterunt, et rebus sedatis, inde Gandavum, ad vetus suum monasterium, postliminio redierunt.

[b] Einhardus seu Eginhardus est is qui Caroli Magni, nutritoris sui, ut ipse loquitur, vitam eleganter et ex fide descripsit. Exstant ejusdem epistolæ aliquot inter epistolas Lupi Ferrariensis editæ [nunc vero seorsim. Vide hujusce tomi col. 509, inter Opera Eginhardi]. Fuit autem Einhardus abbas decimus quintus cœnobii Gandensis, et primus abbas Selingestadensis, in diœcesi Moguntina, quod ipse suo ære construxit ac dotavit; ut in Chronicis Laurishamensi et Gandensi legitur. Gandense porro S. Petri monasterium sanctus Amandus (qui relicto episcopatu Tungensi seu Trajectensi, apostolum per Flandriam ac Brabantiam multis annis egit) exstruxit, Bavonis præcipue opibus, quem a sæculari militia ad sacram et asceticam traduxit.

In hoc monasterio primum clerici simul in communi viventes, post monachi Benedictini resederunt: qui anno 1537, auctoritate Pauli III Romani pontificis, mutata veste, facti sunt canonici, ut vocant, sæculares, petente Carolo V imperatore eodemque Flandriæ comite. Triennio post, cum locus ille S. Bavonis, ad Scaldis et Lifæ confluentes situs, eidem Carolo V videretur arci, ad custodiam urbis, excitandæ commodus, translatum est inde collegium canonicorum ad parochialem S. Joannis basilicam

remus auctoritatem. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, et hanc nostram auctoritatem, erga prædictum monasterium ejusque rectores, immunitatis atque tuitionis gratia fieri decrevimus : per quod præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii, quod moderno tempore in quibuslibet pagis ac territoriis, infra ditionem nostri imperii juste ac legaliter possidet, vel quæ deinceps in ipsius sancti loci commodum voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos quam et servos, super terram ipsius commanentes, distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt exigere præsumat.

Sed liceat memorato abbati suisque successoribus res prædicti monasterii, tum omnes fredos concessos, sicut in præcepto domini et genitoris nostri continetur, sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio, quatenus ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis et conjuge, proleque nostra, atque stabilitate totius imperii nostri, a Deo nobis concessi atque conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet.

Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius certiusque credatur et diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Data Idibus Aprilis, anno, Christo propitio, imperii nostri sexto, indictione 12. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

## LXXXVII.

### PRO PARTHENONE BUCHAVIENSI.

([a] *Anno* 819, *Junii* 22.)

[Apud Neugart., *Codex Alemannicus*, p. 17, ex *Lunig. Spicil.*, part. III, cap, 7, *de abbatissis*.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina inspirante clementia [b], imperator Augustus.

Si locis Deo dicatis quippiam muneris conferimus et imperialis magnificentiæ morem exsequimur, ac divinum per hoc nobis favorem facilius conciliandum confidimus; idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque, tam præsentibus quam futuris, quia divino tacti amore monasterio Buchovia [c] nominato, quod constructum est in honore sanctorum Cornelii et Cypriani, ac situm est juxta lacum qui vocatur Phedersee [d], quamdam villam proprietatis nostræ, sitam in centena, extagia [e] nuncupata, quæ appellatur Sulgon [f], cum terminis et omnibus ad se pertinentibus, videlicet curtilibus, ædificiis, familiis ac mancipiis, terra salica, cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, decimis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus, viis et inviis, exitibus et regressibus, omnibusque rebus magnis, et parvis ad easdem res juste legitimeque pertinentibus, æternaliter in proprium donamus; constituimus quoque et confirmamus per nostræ auctoritatis munitionem ut nullus publicus judex neque dux, neque comes, aut quilibet ex judiciaria potestate, ecclesias, curtes, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorato monasterio præsenti tempore subjacentes, vel quæ deinceps in jus et dominium ejusdem monasterii divinæ pietatis augmento pervenerint, ad causas audiendas, vel freda exigenda, vel paratas faciendas, fidejussores tollendos, aut homines etiam tam ingenuos quam et servos super terram ipsius monasterii commanentes distinguendos [distringendos], nec ullas redhibitiones, vel bannos, aut illicitas occasiones requirendas, seu ullum placitum publicum habendum, nullis temporibus ingredi (audeat) vel ea quæ supra memorata sunt, præsumat exigere, et ut censuales homines suæ familiæ, in quibuscunque locis sint constitutæ, pacem habeant, et coram nullo judice regantur aut bonum [bannum] persolvant, aut sæculare negotium habeant, nisi coram abbatissa, vel ipsius monasterii advocato, sed liceat supradicti monasterii abbatissis sub dominicæ immunitatis tuitione quieto ordine per omnia possidere. Avocatis autem, quod nescimus quales sint quandoque futuri, constituimus, et nostra imperiali auctoritate percipimus [præcipimus], ut ipse advocatus in loco supra memorato nullum jus habeat placitandi, vel aliquam judiciariam potestatem exercendi, nisi forte ab abbatissa vocatus advenerit, et tunc voluntati, sive petitioni ipsius satisfecerit; sumptus vero vel servitii tantum detur advocato ex parte abbatissæ, ad unumquemque locum advocatus cum semel in anno placitum habuerit, et duodecim equos adduxerit, tantum honeste procuretur. Nullum placitum præter voluntatem abbatissæ usquam advocatus

Gandensem, titulo S. Joannis in titulum S. Bavonis mutato, per ejusdem pontificis decretum. Exinde Philippo II rege catholico, Caroli filio, rogante, Paulus IV collegiatam S. Bavonis ecclesiam ann. 1559 in cathedralem evexit.

Fuit autem sanctus Bavo Agilulfi in Hasbania comitis filius, obiitque Gandavi in monasterio a se fundato ann. 630, ut Sigebertus in Chronico supputat, aut anno proxime sequenti.

[a] Apographum hoc Lunigianum vitiosissimum esse nemo non videbit. Dedimus itaque operam ut aliud, autographo magis consentaneum, ex tabulis Buchaugiensibus nancisceremur; sed incassum.

[b] Insolita formula. Communior ante Ludovici Pii amotionem a regno : *Divina ordinante providentia*; rarior : *Divina ordinante clementia*. Post annum 833 usitata : *Divina repropitiante clementia*.

[c] Al., *Buchaugia*, *Buchau*.

[d] Vel *Federsee*, Latine *lacus plumarius*, ad dextram Danubii.

[e] Al., *estagia*, vel *stagia*, domus, mansio, domicilium, a *stare*.

[f] *Sulgen* vel *Saulgen* oppidum, domicilium comitis memoratæ centenæ.

statuat, quidquid placitando acquisierit, duæ inde partes erunt abbatissæ, tertia advocato; nullum domus Dei servientem, sine abbatissa vel ipsius consensu ad judicium cogat; nullum de familia sine justa sociorum suorum deliberatione damnet vel coerceat; nullum advocatum vel exactorem sibi constituat; nihil privati muneris vel servitii a quolibet loco, sive curte, sive cellariis quasi ex debito et statuto sibi jure exigat; mansiones, seu pernoctationes uspiam frequentare caveat; quod si ultra statutum et præceptum in aliquo loco voluerit placitare, ipse de tertia sui parte ibidem sibi contingente provideat quid ad sumptum habere debeat, nisi forte aliqua de causa ab abbatissa illuc vocetur, aqua tunc decenter, quod oportet, sibi exhibeatur. Proinde si hæc statuta quisquam advocatus obstinata audacia transgredi et infringere præsumpserit, centum libras auri optimi, medietatem palatio nostro, medietatem vero monasterio persolvat, et advocatia cum cæteris commodis justa prævaricationis examinatione omni tempore careat. Quando autem domina et mater ipsius monasterii de hac luce migraverit, non aliunde veniens ibi abbatissa constituatur, sed ab ipsis sanctimonialibus, deinde a clero et populo, quam idoneam existere cognoverint, eligatur et constituatur; cui summopere interdicimus ne aliquas res præfati monasterii cuiquam in beneficium concedat, vel aliquo modo abusu sororum vel fratrum Deo ibi famulantium alienare præsumat. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas perpetuum obtineat vigorem, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Datum undecimo Kalendas Augusti, anno, Christo propitio, sexto imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 12 [a]. Actum Angelhaim [b] palatio publico, in Dei nomine feliciter. Amen.

Signum domini Ludovici, piissimi imperatoris Augusti [c].

## LXXXVIII.

### PRO MONASTERIO GRAVENSI.

(*Anno* 820.)

[Apud Ughelli, *Italia sacra*, tom. II, pag. 201.]

In nomine Domini Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante prudentia, imperator Augustus.

Si res ad sacrosanctas ecclesias et cætera venerabilia pia loca pertinentes, quæ aut per negligentiam, aut per quorumlibet carnaliter viventium cupiditatem de ipsis abstractæ sunt, eisdem sanctis ecclesiis et venerabilibus ac piis locis restituerimus, et ad earum dominationem revocaverimus, hæc procul dubio nobis, et æternæ mercedis præmia facilius assequenda, et ad regni stabilitatem pertinere confidimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia vir venerabilis Podo S. Placentinæ ecclesiæ episcopus per missum suum nomine Reginoldum presbyterum ostendit nobis privilegia in quibus continebantur donationes regum Longobardorum, Hilprandi, Haistulfi, Desiderii, necnon et aliorum bonorum hominum, de quorum donationibus quoddam monasterium, quod nuncupatur Gravacus, tempore domni et genitoris nostri Caroli piæ recordationis per aliquos homines, sicut ipse Reginoldus missus prædicti episcopi asserebat, injuste abstractum fuit, quam rem jussimus missis nostris Adallabo venerabili episcopo, et Artmano comiti, quos ad justitias faciendas in Italiam misimus, diligenti inquisitione investigare, et nobis, si ita verum esset, renuntiare. Hanc causam subtiliter investigatam detulerunt jam dicti missi nostri ad nostram notitiam, et eam, quanta potuerunt subtilitate, nobis exposuerunt. Quam cum nos diligentius attendendo cognosceremus, intelleximus justum esse, ut prædictum monasterium una cum cellulis et rebus sibi subjectis ad partem Placentinæ episcopatus ecclesiæ redderetur, et ideo prædictum monasterium sub integritate per hanc nostræ auctoritatis præceptionem memorato venerabili episcopo, atque Placentinæ ecclesiæ rectori restituere et confirmare decrevimus. Præcipientes ergo jubemus ut nullus fidelium nostrorum prædicto venerabili episcopo Podoni, et Placentinæ ecclesiæ, vel successoribus ejus de supradicto monasterio Gravaco in pago Placentino constructo ulterius inquietare, aut ullam calumniam ingerere præsumat; sed liceat ei ac successoribus ejus memoratum monasterium, tam nostris quam successorum nostrorum temporibus, absque ullius potestatis vel personæ injustæ contrarietate, quieto ordine tenere ac secundum sacros canones ordinare, et quidquid exinde secundum æquitatem et justitiam facere voluerint, liberam et firmissimam habeant potestatem; et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris melius credatur ac diligentius conservetur, annuli nostri impressione signari jussimus.

Ego Gandulfus ad vicem Fridugisi recognovi, et subscripsi.

Data v Kal. Maias, anno, Christo propitio, 7 imperii D. Ludovici piissimi Augusti, indict. 13. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] Indictio 12 respondet anno 819.

[b] Errore amanuensis pro *Ingelinheim*, quo ex Aquisgranensi palatio imperator mense Julio concessit, ibidemque comitia habuit, ut disertis verbis testatur Eginhardus in Annalibus ad hunc annum, apud D. Bouquet., tom. VI, pag. 178 (Et supra, col. 367).

[c] Hæc verba, quæ in aliis diplomatibus cancellarii nomen notasque Chronicas præcedunt, forte antigrapharii culpa ad finem rejecta sunt. Refert tamen Bouquetus loc. cit., pag. 518, ex Miræi Cod. Donat. Piarum, pag. 55, fragmentum alterius diplomatis, Eginhardo Gandensis monasterii abbati a Ludovico Pio concessi, ubi subscriptio imperatoris tandem ad calcem quoque legitur. Vide diploma proxime præcedens.

## LXXXIX.

### PRO MONASTERIO FARFENSI.

(*Anno* 820.)

[Apud Mabill., *Annal. ord. S. Bened.*, tom. II, pag. 722.]

In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus, omnibus episcopis, abbatibus, abbatissis, ducibus, comitibus, judicibus, gastaldiis, vassis nostris, vicariis, actionariis, centenariis, vel reliquis fidelibus, seu missis nostris ubique discurrentibus. Cognoscatis quia Ingoaldus venerabilis abbas ex monasterio sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, Sabinensi in loco qui vocatur Acutianus, clementiæ regni nostri innotuit, eo quod monachi, vel secundum regulam sancti Benedicti B offerti sanctæ Mariæ, quos ipse ordinaliter prævidere debet, fuga lapsi, per episcopia et cætera monasteria, sive per diversa loca aliquoties appareant, et retulit quod nullo modo recipere valeat, sed injuste a quibuslibet hominibus ei aut missis suis contradicti fiant. Unde petiit celsitudini nostræ, ut ubicunque eos invenire potuerit, tam ipse quam et missi sui atque ejus successores, a nemine contradicti fiant, sed licentiam habeant eos, ubicunque inventi fuerint, præsentialiter recipere absque alicujus dilatione vel contrarietate. Propterea hanc auctoritatem eis fieri jussimus, per quam omnino jubemus, ut nullus quislibet ex vobis præfato abbati ejusque successoribus atque missis eorum, ut de suis, ut diximus, monachis, vel secundum æquitatis C regulam offertis fugitivis, nullum impedimentum vel contradictionem facere præsumatis: sed ubicunque inventi fuerint, de præsenti regulariter hujusmodi recipiantur; et qui aliter agere voluerit, sciat se in præsentia nostra pro hac re in rationes advenire, et has litteras relectas eis reddere faciatis. Et ut certius credatis hanc nostram esse jussionem, de annulo nostro subtus sigillari jussimus.

Data IV Kal. Maii, anno Christo propitio imperii domini Ludovici piissimi Augusti 7, indict. 13. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter.

## XC.

### PRO MONASTERIO ARULENSI IN DIŒCESI HELENENSI.

(*Anno* 820.) D

[Apud D. Bouquet., tom. VI, pag. 522, ex *Append. ad Marc. Hisp.*, pag. 766.]

In nomine Domini Dei et Redemptoris [Salvatoris] nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejusque in eisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffi- A dimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, solertia, quia vir venerabilis Castellanus abbas monasterii Sanctæ Mariæ veniens ad nos, innotuit eo quod ipse cum fratribus suis in valle quæ dicitur Asperia monasterium in ædificia antiqua construxerit, in quo nunc, Deo opitulante, cum turba monachorum sub sancta regula militat, obsecrans ut prædictum monasterium et cellulas, quas ipsi ab eremo construxerunt, et nunc ibidem aspiciunt; id est, ecclesiam Sancti Petri in Arulas, et ecclesiam Sancti Joannis in Riardo et ecclesiam Sancti Juliani super Buciacum rivulum, et cæteras res ad prædictum monasterium Sanctæ Mariæ pertinentes vel aspicientes, sub nostro susciperemus mundeburdo atque tuitione; quatenus iidem monachi cum omnibus ad eos pertinentibus quiete ac libere viverent. Cujus precibus ob amorem Dei et reverentiam divini cultus aurem accommodare placuit, et hos nostræ auctoritatis imperiales apices fieri decrevimus; per quos præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, aut quislibet ex judiciaria potestate, in prædictas cellulas, aut in rebus ad prædictum monasterium legaliter aspicientibus ingredi temerario ausu ad mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem monasterii distringendos, aut ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirere, aut exactare præsumat; sed liceat prædictum abbatem et successores suos cum his rebus præsenti tempore ad præfatum monasterium aspicientibus sub nostra defensione quiete vivere ac residere. Et quandoquidem divina vocatione memoratus abbas de hac luce migraverit, quandiu ipsi monachi inter se tales invenerint qui eos secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, licentiam habeant eligendi abbates: quatenus ipsos monachos pro nobis, conjuge, proleque nostra, vel pro stabilitate totius imperii nostri, jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit.

Data XV Kal. Octobris, anno Christo propitio 7 domni Ludovici piissimi Augusti, [a] indictione 14. Actum Veru palatio in Dei nomine feliciter. Amen [b].

## XCI.

### PRO MONASTERIO PRUMIENSI.

(*Anno* 820.)

[Apud Hontheim., *Historia Trevirensis*, tom. I, pag. 172.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu

[a] Indictio 14 a mense Septembri inchoanda.

[b] Mabillonius lib. VI de Re diplom., pag. 526, memorat præceptum Ludovici datum V Kal. Oct. eodem anno, ab eodem Durando recognitum, de quadam commutatione inter Hilduinum abbatem Dionysianum et Theodarium. Memorat et aliud præceptum de quadam commutatione ab eodem Hilduino facta cum Hairrado; datum XI Kal. Novemb. Silviaco palatio regio, eodem anno, et eodem Durando notario.

Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis a Deo nobis collatis locis Deo dicatis quiddam conferimus, id nobis et ad mortalem vitam feliciter transigendam, et ad æternam perpetualiter obtinendam, profuturum liquido credimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, solertia, quia nos divina aspiratione tacti, et cœlestis patriæ amore succensi, libuit nobis ob animæ nostræ salutem ad [a] cellam S. Goar, ubi ipse sanctus corpore requiescit, quæ est ex ratione monasterii S. Salvatoris Prumiacensis, quod quondam dominus Pippinus rex avus noster et Berta regina ava nostra in rebus proprietatis eorum ex fundamento construxerunt, ubi etiam præsenti tempore Tancradus abba præesse videtur, quamdam partem silvæ, quæ est intra Wesaliam et Bidobricum [Boppardiam], fiscos nostros, vel quæ infra sunt, præsentibus tradere, et de nostro jure in jus et dominationem præfatæ cellæ atque monasterii conferre. Silva vero ipsa has habet terminationes. Incipit enim Antilioli rivuli, ubi ipse confluit in Rhenum, usque in eum locum ubi ipse surgit, inde subtus Hoavelisa, deinde venit in Winbach usque in Horon; ex inde in Moldesbart usque in Boucha rivulo, et per ipsum sursum usque ubi ipse sursit. Inde venit in rivulum qui vocatur Westerbcia, et per ipsum deorsum usque ad stratam quæ pergit ad Trigorium [b], deinde vadit ultra ipsum rivulum, et venit in Heiswillari usque ad stratam quæ pergit ad Confluentium, ex inde in Basanbrunnum, et per ipsum deorsum usque in Granderivum, et per Granderivum usque in Rhenum. Infra has terminationes quantumcunque ibidem continetur, cum villula quæ vocatur Biberesheim, in qua sunt mansa duo et manentes duodecim. Nomina vero mancipiorum hæc sunt: Ruodlandus cum uxore sua Helidim, et cum infantibus eorum, etc. Hanc vero silvam secundum dimensionem et collaterationem superius præscriptam, cum terris tam cultis quam incultis, pratis atque pascuis, exitibus et regressibus, A mobile et immobile, totum et ad integrum per hanc nostræ auctoritatis donationem memoratæ cellæ S. Goaris et prædicto monasterio S. Salvatoris Prumiacensis ad stipendia fratrum ibidem Deo militantium, vel cunctas ejusdem monasterii necessitates consulendas, ob emolumentum animæ nostræ perpetualiter concessimus, atque perpetuo ad habendum delegamus; ita videlicet, ut quidquid de hoc rectores et ministri supra memorati monasterii disponere atque ordinare, vel etiam facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

B Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit.

Data III Kal. Februarii, anno, Christo propitio, 6 imperii Ludovici Augusti, indictione 13. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter, amen.

## XCII.

### PRO ECCLESIA PARISIENSI.

(*Anno* 820.)

[Apud Baluzium, *Capitul.*, tom. II, pag. 1418, ex parvo chartulario ecclesiæ Parisiensis.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia vir C venerabilis Ynchadus Parisiacæ Ecclesiæ episcopus detulit serenitati nostræ quasdam auctoritates quas Domnus avus noster Pippinus et genitor bonæ memoriæ Carolus piissimus imperator ad petitiones prædecessorum suorum ipsius civitatis fieri jusserunt; in quibus continebatur insertum qualiter pro mercedis æternæ augmento et firmitatis studio eidem jam nominatæ Parisiacæ ecclesiæ per eorum auctoritates firmaverunt ut res mancipia ac telonea quæ ex liberalitate regum vel imperatorum vel per instrumenta chartarum eidem præfatæ traditæ fuerunt ecclesiæ, deinceps securius possidere potuissent. Nos

[a] *Cellam S. Goar*, etc. Qua ratione abbatia Prumiensis cellam S. Goaris a rege Pippino in conventu Attiniacensi obtinuerit, narrat Wandelbertus ejus loci monachus et diaconus in libello de hujus sancti Miraculis. Nempe contigit ut Bertrada regina, Pippini uxor, e Prumiensi monasterio ad fines Wormatiensium iter agens, ad cellam S. Goaris declinaret, ubi tunc quidem Erpingus rectoris nomine præerat, nec quidquam rerum necessariarum illic inveniret. Rex intelligens, in eo loco humanitatem hospitalitatis desiderari, ubi quondam sub beato viro hæc eadem virtus quam maxime viguisset, in generali conventu Attiniaci habito, Assuero abbati Prumiensi, qui præsens aderat, eamdem cellam regendam commisit, hortatus ut eam congrue ordinaret atque hospitalitati competentem efficeret. At cella non ipsi monasterio et monachis tum subjecta fuit, sed abbati tantum beneficii jure concessa. Carolo Magno regnante orta est Weomadum Trevirorum pontificem inter et Assuerum abbatem de eadem cella contentio, asserente archiepiscopo eam ad jus ecclesiæ suæ pertinere. Causa missis dominicis com- D missa, judicatum est, cellam regii juris esse; ac proinde Assuero abbati jussu regis legitime traditam fuisse. Instante nihilominus archiepiscopo, Carolus Magnus conventu generali ad Lippiam Saxoniæ fontem habito, sub sacramento Ratberti, tunc ejusdem monasterii advocati, ac duodecim testium, pronuntiavit, eam possessionem non Ecclesiæ Trevirorum, sed regio tantum dominio competere. Quo facto, idem rex, cum suorum consensu, cellam monasterio Prumiæ regio diplomate tradidit, quod in archivis monasterii suo tempore asservatum fuisse, idem Wandelbertus memorat. At hodie cella et dominium S. Goaris in potestate et jure Prumiensium amplius non sunt. Jam suo tempore scripsit Trithemius *Chron. Hirsaug*, tom. I, pag. 22: « Oppidum ad S. Goarem cum telonio pertinuit ad Brumiam; sed nunc juris est comitum Hassorum provincialis; et ecclesia in illo, quondam præpositura nostri ordinis, hodie est secularis. »

[b] Ubi nunc S. Goar.

vero per hanc nostram auctoritatem easdem res et mancipia ac telonea ipsius ecclesiæ, confirmavimus ac roboravimus, ut in posterum rectores ipsius ecclesiæ absque ullius inquietudine vel injusta interpellatione quiete teneant et secure possideant. Insuper etiam eidem jam nominato Ynchado episcopo suisque successoribus concessimus atque more paterno per nostram auctoritatem confirmavimus ut nullus comes neque ulla judiciaria potestas in terra Sanctæ Mariæ in ipsa insula consistente ullum censum de terra Sanctæ Mariæ accipiat, nec de familia ipsius ecclesiæ neque de aliis liberis hominibus vel incolis, quæ rustice Albani appellantur, in ipsa terra Sanctæ Mariæ manentibus hoc agere præsumant, nec etiam eis quislibet ullam inquietudinem vel dominationem seu ullum bannum contra legem vel illicitam occasionem facere studeat, neque censum quem dicunt foraticum, neque ripaticum, neque salvaticum, seu ullam redhibitionem de terra Sanctæ Mariæ vel de supermanentibus accipere aut exactare audeat. Sed liceat sæpe nominato episcopo Ynchado ac successoribus suis quiete ipsam insulam secundum propriam voluntatem ordinare atque gubernare et in ipsa terra Sanctæ Mariæ tam tabernas quam alias suas necessitates sine alicujus redhibitione exercere. Præcipimus etiam atque jubemus ut de regali via ex parte Sancti Germani a Sancto Mederico usque ad locum qui vulgo vocatur Tudella in ruga Sancti Germani, neque in aliis minoribus viis quæ tendunt ad monasterium ejusdem prænominati Sancti Germani, ullus missus dominicus aliquam judiciariam potestatem ibi exerceat, neque aliquem censum, neque ripaticum, neque foraticum, neque ullum teloneum recipiat; sed missus episcopi secundum propriam voluntatem ordinet; et advocatus ejusdem ecclesiæ tam de ipsa terra Sancti Germani quam de prædicta terra Sanctæ Mariæ in insula posita rectam ac legalem rationem reddat sine aliqua judicaria potestate inibi vel banno, nisi in mallo legitimo vel regali placito, sicut Lex ecclesiarum præcipit. De liberis autem hominibus qui super terram ipsius supradictæ ecclesiæ Parisiacæ commanere videntur, ac eam perservire noscuntur, volumus ut sicut in præcepto Pippini avi nostri continetur, nullus in hostem pergat nisi una cum episcopo ipsius ecclesiæ, vel secundum suam ordinationem remaneat; et neque de ipsis hominibus supra terram Sanctæ Mariæ manentibus aliquem censum vel aliquam redhibitionem aliquis de capite eorum accipere præsumat quæ a longo tempore dare consueverant et futuris temporibus persolvere debent; sed quidquid inde fiscus noster exigere aut sperare potuerit, per omnia pro amore Dei et sanctæ Dei genitricis Mariæ præfato Ynchado episcopo suisque successoribus libenter concedimus, et gratuito animo auctoritate nostra confirmamus ut nullam etiam districtionem de hominibus super terram sanctæ Mariæ manentibus judiciaria potestas exercere præsumat, nisi, ut supra diximus, in mallo legitimo comitis, et ibi una cum advocato Parisiacæ ecclesiæ venire non differant, et rectam rationem ac legalem justitiam adimplere cogantur. Hæc vero auctoritas ut firmior in Dei nomine habeatur, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris diligentius conservetur, manu propria eam subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Durandus notarius ad vicem Frudigisi recognovit et subscripsit.

Datum XIV Kal. Novembris, anno Christo propitio 7 imperii domni Ludovici piissimi imperatoris. Actum Aquisgrani palatii publice in Dei nomine feliciter. Amen.

## XCIII.

### PRO ECCLESIA PARISIENSI.

(*Anno* 820.)

[Apud Baluzium, *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si petitionibus sacerdotum in quibuslibet necessitatibus ecclesiasticis nostra auctoritate sublevandis consulimus, et ad ministerium eorum liberius exsequendum opem ferimus, a summo Pontifice Domino nostro Jesu Christo æternæ remunerationis largiri nobis præmia non ambigimus. Proinde notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia vir venerabilis Inchadus Parisiacæ urbis ecclesiæ episcopus detulit serenitati nostræ quamdam auctoritatem quam domnus et genitor noster bonæ memoriæ Carolus gloriosissimus imperator ad petitionem prædecessoris sui Enchenradi ipsius civitatis episcopi fieri jussit; in qua continebatur insertum quod per incuriam et negligentiam custodum ipsius ecclesiæ strumenta chartarum exusta vel concremata sive perdita fuissent, per quæ scilicet quod plures nobiles viri pro remedio animæ suæ res et mancipia ad ipsam delegaverunt ecclesiam, et quod idem genitor noster per eamdem confirmasset auctoritatem ut res et mancipia quæ in eisdem instrumentis inserta fuerant, et unde prædicta ecclesia eo tempore legibus vestita erat, jure ecclesiastico secure et quiete rectores ipsius ecclesiæ futuris temporibus tenerent atque possiderent. Petiit etiam prædictus Inchadus serenitatem nostram ut pro mercedis nostræ augmento et firmitatis studio eidem ecclesiæ more paterno nostram auctoritatem super hoc negotio fieri juberemus, per quam modernis et futuris temporibus res et mancipia quæ per præfata strumenta chartarum eidem traditæ fuerant ecclesiæ, firmiter, quiete, ac secure a prælatis ipsius ecclesiæ haberentur vel possiderentur. Nos itaque inspecta eadem auctoritate domni et genitoris nostri, libuit nobis ejusdem venerabilis viri petitionibus assensum præbere et paternæ auctoritati hanc quoque nostram jungere auctoritatem. Præcipimus ergo atque jubemus ut omnes res et mancipia quæ ex liberalitate eidem collatæ fuerunt ecclesiæ, nostris et futuris

temporibus per hanc nostram auctoritatem rectores ipsius ecclesiæ absque ullius inquietudine vel injusta interpellatione quiete et secure habere vel possidere valeant. Quod si forte super eisdem rebus ante prædictam exustionem a prælatis ipsius ecclesiæ jure possessis quæstio orta fuerit, ut pro eis legaliter in foro disceptari necesse sit, ita per hanc nostram auctoritatem eisdem res et mancipia ipsius ecclesiæ defendantur sicuti per eadem instrumenta, si igni absumpta non fuissent, legibus defendi poterant. Hæc vero auctoritas ut firmior in Dei nomine habeatur, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici piissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit.

Data IV Kal. Novembr., anno Christo propitio 7 imperii domni Ludovici imperatoris. Actum Carisiaco palatio publiciter in Dei nomine. Amen.

## XCIV.

### PRO MONASTERIO NONANTULANO.

*Placitum Veronæ habitum a Rataldo Veronense episcopo, misso Ludovici Pii Augusti, in quo Nonantulani monachi causam obtinent contra Hucpoldum comitem Veronensem.*

(*Anno* 820.)

[Ex Muratorio, *Antiquitates Italicæ*, tom. I, pag. 461.]

Dum in Dei nomine, civitate Verona, in judicio ressedissemus nos Retaldus episcopus, misso domni imperatoris ad singulorum hominum deliverandas intentiones, ressedentes nobiscum Hucpuldus comis ipsius civitatis, Andreas judex, et Bonifritus notarius regularis, Draco et Raginpertus scavinis ipsius civitatis, vel reliquis; sic ipse Bonifritus notarius, juxta ut nos illi comendavimus, cœpit quærere præfati Hucpuldi comitis de parte monachorum Nonantulæ et silva quæ nominatur Ostilia, quæ posita esse videtur in finibus ipsius civitatis Veronensis, portionem illam quæ fuit quondam Anselmi abbati, et Aidini germani, quarum res quæ a præfato monasterio devenerunt : hoc est quartam portionem de super tota ex præfata silva, et medietatem in aliis tribus portionibus, quam a parte regia acquisiverunt; excepta sorte una, quæ pertinet ad domum culfile capellæ regalis, quod vocabulum est Sancto Laurentio, et alias Sorticella, quæ videtur esse de curte Roverscelle Anselmi comitis. Et dicebat quod contra legem ipse Hucpuldus eam habet. Hæc nos audientes comendavimus ipsius Hucpuldi, ut inquireret de causa hæc si cum legibus haberet, veniret ad plaido, et qua re melius poterit, eam defendat. Et cum nos illi hoc comendaremus de domni imperatoris jussu, sic ipse Hucpuldus comendavit præfato Raginperto scavino et advocatore suo, ut exinde inquirere, et ad plaido plainam radionem exinde donared. Posito placito venientes nos statuto die in corte regi, quæ dicitur Pociolo, ripa fluvio Mencio, et cum ressedissemus inibi ad caussas audientes, ressedentes nobiscum Andreas episcopus Vicentinus, et ipse Hucpuldus comis, Sevodo comis de Mantua, et suprascriptus Andreas judex, et Bonifritus, Lupus, Bodonicus, et ipse Draco, et Raginpertus scavinus, vel reliqui, sic ipse Bonifritus retulit nobis de hac causa, et dixit : « Ecce modo plaido est. Volumus scire quid iste Hucpuld comis de ipsa silva, quæ nominatur Ostilia, que pertinet ad monasterium Nonantulæ ostendere vult, aut pro qua causa eam contradicit. » Qui et ipse Hucpuld comis et suprascripto Raginpertus advocatore ejus dixerunt, quod nullam racionem justiciam invenire potuissent, nec poterint, quomodo quartam partem et medietatem ex tribus portionibus de præfata silva Ostilia exceptis duabus sortibus, quas superius nominavimus a parte prædicti monasterii cum lege poterit contradicere. Sic de præsenti ipse Hucpold comes per manicias suas de manu ejusdem Bonifritus a parte præfati monasterii revestivit. Unde et pro securitate ejusdem monasterii Nonantulæ, hanc noticiam facere commonuimus.

Ego Deusdedit notarius regularis scripsi, anno domni Ludoici imperatoris septimo, pridie Kalendas Aprelis, indictione tertiadecima.

Ego Rataldus episcopus, misso domni imperatoris manu mea subscripsi.

Ego Andreas episcopus Vicentinus concordans subscripsi.

Andreas judex subscripsi.

Draco subscripsi.

Raginpertus scavinus subscripsi.

Ego Hucpuldus comes subscripsi.

Ego Bonifritus notarius subscripsi.

Ego Odo comes subscripsi.

Lupus subscripsi.

Bodonicus subscripsi.

Brandolinus subscripsi [a].

[a] Animadverte in hoc placito Italicæ aut Franciciæ linguæ voces ac phrases, scilicet, *Comendavimus*, hoc est *comandammo*, sive *commandâmes*; et *de parte monachorum*, quod Italice diceres *da parte de monaci*; et *veniret ad plaido*; et *racionem exinde donared*; et *per manicias suas*. Uti in dissertat. *de Comit. palat.* animadverti, anno 853 occurrit *Hucpoldus comes palatii*. Nescio fierine potuerit ut idem Veronensis comes, qui in charta hac memoratus, procedente tempore ampliori illo munere donatus et functus fuerit; an potius nepos illius, aut alter ab eo *comes palatii* dicendus sit. Sed quanquam tanta foret comitibus, hoc est judicibus populi ordinariis, auctoritas, et amplior quoque missis regiis, id est judicibus extraordinariis : adhuc tamen si quando placitum habere et judicium instituere volebant extra palatium regis, aut extra ædes eorum proprias, id eis interdictum fuit, neque facere licebat, nisi impetrata venia a dominis ejus domus aut agri. Statutum id fuit lege 22 Ludovici Pii Augusti inter Langobardicas, part. II, tomi I, Rer. Italic. ubi legimus : *Minora vero placita comes infra suam potestatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat*. Quamobrem ubi in alienis ædibus aut agris (nam et in agro, et sub dio, et sub arboribus non nunquam id factum) placita celebrabantur, consuevere comites et missi exposcere a domino loci facultatem illic instituendi judicii. Impetrata quoque venia in ipsis judiciorum chartis exprimi consuevit iis verbis, *per data licentia*, ne quidquam juris in eam domum aut agrum tribuere sibi judicibus publicis in posterum fas esset.

### XCV.

PRO MONASTERIO INDENSI.

(*Anno* 821.)

[Apud Marten., *Ampl. Collect.*, tom. I, ex ms. D. de Louvrex.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus, omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, vicariis, centenariis, telonariis, actionariis, vel omnibus rempublicam administrantibus, seu cæteris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, tam præsentibus quam et futuris, notum sit quia concessimus monasterio nostro [a], quod dicitur Inda, quod est dicatum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, constructum in silva nostra Arduenna, ubi etiam nunc religiosus vir Benedictus [b] abbas præest, et omni congregationi ibidem Deo famulanti, omne telonium, tam de navibus quæ per diversa flumina imperii nostri pro qualibet re discurrunt, quam et de curris et sagmariis necessariis [*Forte* necessaria] ipsius monasterii vel congregationis ibidem Deo famulantis deferentibus, vel de quolibet alio negotio undecunque fiscus telonium exigere poterat, in integrum concessimus, ut nullus quilibet telonium aut aliquam exactionem accipere aut exigere præsumat. Unde hanc nostræ auctoritatis præceptionem prædicto monasterio et congregationi ibidem degenti fieri præcipimus, ut naves, vel curra, et sagmarii, seu quælibet alia vehicula, ad diversa negotia ipsius monasterii peragenda, et ad necessitates ejus sublevandas, per universum imperium nostrum libere discurrant, et nullus publicus judex, vel quilibet exactor judiciariæ potestatis, aut telonarius de navibus aut de omnibus quæ supra memorata sunt, undecunque videlicet fiscus telonium exigere potest, ullum telonium, aut ripaticum, aut portaticum, aut pontaticum, aut salutaticum, aut rotaticum, aut pulveraticum, aut cesponticum, aut travaticum, aut ullum occursum, vel ullum censum, aut ullam retributionem ab eis requirere aut exactare præsumat. Sed licitum sit absque alicujus illicita contrarietate vel detentione per hanc nostram auctoritatem, naves, curra, sagmarios, vel cætera vehicula, et homines qui hoc providere debent, cum his quæ deferunt, per universum imperium nostrum libere atque secure ire et redire, et si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint aut vendiderint, nihil ab eis prorsus, ut dictum est, exigatur. Hæc vero auctoritas ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et omnibus verius nostra esse credatur, et diligentius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit.

A Data sexto Idus Februarii [c], anno Christi propitio 8 imperii domni Ludovici serenissimi Augusti, indictione 14. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

### XCVI.

PRO MONASTERIO BUCHAVIENSI.

(*Anno* 821.)

[Apud Schaten., *Annales Paderbornenses*, pag. 67.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si sacerdotum et servorum Dei petitiones, quas pro suis necessitatibus innotuerint, ad effectum perducimus, non solum imperialem exercemus mansuetudinem, verum etiam ad beatæ retributionis mercedem talia nobis facta profutura confidimus. Quapropter notum sit omnium fidelium nostrorum solertiæ, præsentium et futurorum, quia vir venerabilis Castus abbas ecclesiæ quæ vocatur Fiscbechi, cum subjectis ecclesiis in eodem pago Leriga, et cum decima de silva Annueri et Ponteburg, et cæteris ecclesiis in Hesiga et Fenkiga, excepta una ecclesia in Saxlinga, quam concessimus ad parochiam Sancti Pauli reverti, ad locum qui vocatur Mimigernaford, ubi Gerfridus episcopus præesse videtur, veniens ad nos, petiit celsitudinem nostram, ut ipsum sanctum locum pro mercedis nostræ augmento sub nostra defensione et immunitatis tuitione reciperemus. Cujus petitioni pro divino amore adsensimus, et ita in omnibus, quia juste et rationabiliter petiit, per hanc nostram auctoritatem confirmare studuimus. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, seu aliquis ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, ac nostris, in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore juste et rationabiliter possidere videtur, in quibuslibet pagis et territoriis sitas, vel quidquid etiam deinceps propter divinum amorem collatum fuerit, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones et paratas faciendas, aut homines ipsius ecclesiæ tam ingenuos quam et servos injuste distringendos, aut ullas redhibitiones, vel illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare præsumat; quidquid autem de rebus præfatæ ecclesiæ fiscus sperare poterat, totum nos pro divino amore concedimus, ut perennibus temporibus in alimonia pauperum et stipendia servorum Dei ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Quatenus ipsis servis Dei, qui ibi Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge proleque nostra et stabilitate ipsius imperii nostri a Deo nobis concessi atque conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Prædictam vero abbatiam illius, circumquaque per diversos pagos

[a] Suum vocat Indense monasterium, non solum quod regio suo palatio proximum esset, sed etiam quia illud fundaverat.

[b] Hic est maximus ille Benedictus ordinis nostri reformator, abbas Anianensis et Indensis, cujus maxime opera congregatum fuerat paucis ante annis, scilicet 817, Aquisgranense concilium.

[c] Ac proinde datum et concessum est sanctissimo abbati Benedicto istud diploma, tribus ante ipsius mortem diebus; nam tertio Idus Februarii anni 821, indictione 14, præsentem cum æterna vita mutavit, in suo Indensi cœnobio.

sitam, nemo fidelium nostrorum exinde aliquid abstrahere aut prohibere præsumat; quin ei liceat per hanc nostram auctoritatem verbum prædicationis, Domino auxiliante, exercere et ministerium suum pleniter peragere. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Helisachar recognovi et subscripsi.

Data v Nonas Septembr. anni imperii nostri 8, indictione 14. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XCVII.

### PRO MONASTERIO HORNBACENSI.

(*Anno* 821.)

[*Histoire de Metz*, pag. 23]

In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Notum esse volumus cunctis fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia adiens serenitatem culminis nostri vir illustris Lantbertus comes suggessit nobis, eo quod actor dominicus nomine Nantcarius, ex fisco nostro Franconofurd, proprisset, tempore domini et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ piissimi imperatoris, quasdam res, id est, terras et silvas et prata super marcham sita, quæ est ex monasterio suo, quod dicitur Orombach. Nos vero hanc rem jussimus investigari dilecto filio nostro Lothario imperatori, nec non et Mantfredo illustri viro. Postea veniens ad nos Wyrundus, prædicti venerabilis monasterii abbas, eamdem causam nobis suggessit. Nos iterum jussimus Mantfredo et alios fideles nostros hanc rem diligenter inquirere. Qui, sicut nobis renuntiaverunt, invenerunt per Hruotbertur comitem, et cæteros nobiles ac veraces homines circa manentes, quod prædictus Nantoharius cum servis dominicis injuste ipsam investituram de potestate prædicti monasterii abstulisset, et per justitiam et certitudinem inter nostram et prædicti monasterii partem esse debebat, et quod prædicta marcha divisa esset in via, quæ dicitur Talanweke et inde ab Geroldisphad, deinde ad Wisigartaweck, sed et Gheroldus actor noster, qui prædictum fiscum nostrum in ministerio habet, interrogatus ab eis, nullam rei certitudinem potuit demonstrare, qualiter ad nostram partem legibus tenere potuisset; et ideo placuit nobis, secundum hanc inquisitionem, eamdem marcham prædicto monasterio reddi, sicut inquisitum et testificatum fuit. Proinde hanc auctoritatem præceptionis nostræ fieri jussimus, per quam præcipimus atque jubemus, ut sicut a fidelibus no-
A stris inquisitum et nobis nuntiatum est, ita ab hodierno die in potestate prædicti monasterii consistat. Et nullam deinceps commotionem aut calumniam aut aliquod impedimentum a parte fisci nostri pars prædicti monasterii se habituram penitus pertimescat: et ut hæc auctoritas firmior habeatur et a fidelibus nostris verius certiusque credatur atque conservetur, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit.

Data vi Idus Januarias, anno, Christo propitio, 8 imperii domini Ludovici piissimi Augusti.

## XCVIII.

### PRO MONASTERIO SANCTI GALLI.

B (*Anno* 821, 15 *Febr.*)

[Apud Neugart., *Codex Alemannicus*, pag. 179.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Cum justis servorum Dei petitionibus, quas nostris auribus insinuaverint, libenter annuerimus, et eas cum Dei auxilio ad effectum pervenire fecerimus, non solum regiam et imperialem consuetudinem exercemus, verum etiam hoc nobis procul dubio tam ad statum terreni regni corroborandum, quam ad æternæ vitæ beatitudinem capessendam profuturum esse confidimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, solertiæ, virum venerabilem Cozbertum
C abbatem ex monasterio S. Galli nostram adisse mansuetudinem, nobisque innotuisse, qualiter tempore Joannis episcopi et ejusdem monasterii abbatis, villa quæ dicitur Uhciariuda [a], quam Gieta et Lantprehtus filius ejus cum appendiciis suis pia largitione per testamenti conscriptionem eidem monasterio contulerunt, ablata esset, et Turigo [b] fisco nostro sociata. Unde deprecatus est nos ut super hac re justissimam inquisitionem facere juberemus: quatenus id quod ille de prædicti monasterii rebus secundum æquitatis ordinem habere debuerat, injuste non amitteret. Cujus petitioni nos assensum præbentes, fecimus ut rogaverat. Et Geroldo [c] fideli nostro hanc causam inquirere jussimus, et diligenter inquisitam
D nobis renuntiare. Qui reversus retulit, quia sicut per pagenses loci illius, adhibitis his quibus inter eos maxima fides habebatur, invenire potuerat, quod prædictum monasterium de his rebus unde Cozbertus nobis suggesserat, injuste spoliatum fuisset. Quam relationem cum audissemus, et eam veram esse comperissemus, jussimus prædictam villam cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, quæ dudum erepta fuerat, eidem venerabili monasterio restitui. Sed et idem religiosus vir Cozbertus abbas nostræ mansue-

[a] In chartis Beatæ et Lamberti non occurrit Uhciariuda, sed Tunriudde seu Tunriude; verum inter utrumque nomen nimia distantia est, quam ut pro uno eodemque habeatur. Hinc Beatam et Lambertum Uhciriudam per aliam chartam S. Gallo ascripsisse conjicio. Estque in eorumdem locorum, quorum chartæ excitatæ meminerunt, vicinia Fischeried villa in parochia Busskirch supra Rapperswilam ad Jonam rivum, cujus nomen cum Uhciariuda facilius componitur.

[b] Turegum, *Zurich*.

[c] Geroldus comes Zurichgoviæ.

tudini suggessit, ut super his rebus restitutis præceptionis nostræ confirmationem sibi dare juberemus. Cujus petitionem, quia rationabilis nobis videbatur, ad effectum perducere curavimus : statuentes ergo jubemus, ut supra nominatas res Cozpertus prædicti monasterii abbas, successoresque ejus per hanc nostræ auctoritatis confirmationem abhinc in futurum firmissime teneant atque possideant, neque a quolibet fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, atque nostrorum, vel a cujuslibet honoris aut potestatis persona ullo unquam tempore a jure prædicti monasterii subtrahatur, sed potius ex hac nostræ auctoritatis confirmatione perpetuam sumat firmitatem. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, annuli nostri impressione eam signari jussimus.

Gundulfus [a] ad vicem Fridugisi recognovi et subscripsi.

Data xv Kal. Mart., anno Christo propitio 8 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 14. Actum Aquisgrani [b] palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## XCIX.

### PRO BITURICENSI S. SULPITII MONASTERIO.

(*Circa annum* 821.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des historiens*, tom. VI, pag. 525, ex chartulario ejusdem monasterii.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Imperialis celsitudinis moris est petitionibus fidelium nostrorum libenter assensum præbere..... quo dulcius tam privatis quam publicis studeant inhærere obsequiis. Idcirco noverit experientia atque industria omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, quod adiens imperii nostri celsitudinem quidam fidelis noster, Raninchus nomine, abbas ex monasterio S. Sulpitii, quod situm est in suburbio Biturigæ civitatis, detulit in nostram præsentiam plurima præcepta regum, ipsorum mu nificentia roborata, ac præfato loco collata, quibus continebatur qualiter ad petitionem abbatum atque rectorum prælibati cœnobii liberalitate principum concessum est, ut S. Patris Sulpitii reverentia ac dignitas sub immunitatis tuitione jugiter permanere debeat : et nulla judiciaria potestas in rebus ejusdem monasterii aliquo modo damnare, neque intra aut extra civitatem in areis, ecclesiis, vel villis foraticum et rotaticum exigere, aut aliquem servum vel liberum pro servitio Domini bannum aliquod facientem distringere [præsumat]. Humiliter ergo petiit ut quod sparsim continebatur; et jam quodammodo labefactabatur, nostro præcepto colligeremus, ac veluti in unum complectentes confirmaremus. Placuit itaque mansuetudini nostræ saluberrimis ejus annuere precibus, et quo magis magisque illic crescat religio, et pro nobis, conjuge proleque nostra, et pro stabilitate regni nostri servos Domini illic commanentes ardentius orare delectet. Præceptumque nostræ auctoritatis illis fieri jussimus, quo confirmavimus illis nostra deliberatione atque decreto omnia quæ prædecessores nostri loco eidem statuerunt, sive quandiu ibi ordo floruerit monasticus, sive deinceps; tam ea quæ jam commemoravimus quam ea quæ præceptis aliis continentur de mercatis et portubus, quam et de urbium areis, et in villis servanda tam incolis quam incolabus, ut scilicet, sicut anteriores ac decessores nostri decreverunt, ita permaneant inconvulsa. Sane constat omnes maxime possessiones jam dicti monasterii donationes esse fidelium, qui prædia sua cum mancipiis ob amorem Domini et S. Sulpitii eidem loco delegaverunt. Quia vero, ut relatu jam nominati abbatis didicimus, sana indulgentia quorumdam ipsa familia in judicando dicitur legem servare servilem, ob hoc quidam ecclesiæ detrectant, cum sibi aliquotiens junguntur familiæ, divisionem servare legalem. Unde eidem fideli nostro Raninсho petenti benigne concedimus, ut quandocunque familia S. Sulpitii familiæ alterius ecclesiæ per connubium fuerit copulata, nullum faciat præjudicium, quod servilis conditio legem revadiare cernitur colonilem : sed omnibus in locis æqua secundum legem celebretur divisio. Insuper et in fiscis nostris, qui ecclesiastici fuisse noscuntur, illud concedimus. Illud et concedere et addere placuit ut quia res ipsius loci sparsim dividuntur, et plurimi advocati mallos per singula loca custodire nequeunt sine præsentia regis..... detrimentum non patiantur rerum, neque in civitate; quo et tutius ac securius illos Domino militare delectet. Præterea concedimus in vestiaria et calcearia fratrum monachorum, sicut fuerat olim, omnes ferias annuales mercati cum integritate et districtu, ex mercato quoque septimanali illam redhibitionem quam ad ipsum pertinere locum indulsimus. Præterea ut nullus præsul, nulla potestas, nec etiam ullus noster mansionarius infra ejusdem monasterii claustra et loca damnare vel mansionare præsumat; ut ob sui profectum et quietem ab eis non possit ullo modo nostra divelli memoria. Et ut nostræ ordinationis ac concessionis auctoritas sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

## C.

### PRO MONASTERIO FULDENSI.

[Apud Schaten, *Episcopatus Paderbornensis*, pag. 70.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata, propter amorem Dei ejusque in eis locis sibi famulantes, beneficia potiora largiamur, præmium apud Domi-

[a] Episcopus Metensis. Obiit an 823, successorem nactus Drogonem, Ludovici Pii fratrem, ut veteres annales passim testantur.

[b] Ubi imperator hiemem exegit, ac mense Februario comitia habuit, teste Eginhardo in Annalibus, aliisque chronographis.

num æternæ retributionis nobis rependi non diffidimus. Igitur notum esse volumus cunctis fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia venerabilis vir Baderadus episcopus ecclesiæ, quæ est constructa in honore sanctæ Mariæ semper virginis et sancti Kiliani, in loco qui dicitur Paderbrunna, missa petitione deprecatus est, ut prædictam sedem cum omnibus ad se juste et legaliter moderno tempore pertinentibus vel aspicientibus sub nostra tuitione, et immunitatis defensione cum rebus et mancipiis constitueremus, quod ita et fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus, aut quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memoratæ ecclesiæ, quas moderno tempore infra ditionem imperii nostris legibus possidet, aut quæ deinceps in jure ipsius loci voluerit divina pietas augeri, ad causas judiciario modo audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ distringendos, nec ullas redhibitiones, vel illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato episcopo suisque successoribus res prædictæ ecclesiæ cum omnibus quas possidet, quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio. Quidquid vero fiscus exinde sperare potuerit, totum nos pro æterna remuneratione prædictæ ecclesiæ ad stipendia pauperum et luminaria concinnanda concedimus; qualiter melius delectet clericos in eadem sede degentes pro nobis, conjuge et prole nostra Domini misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas per futura tempora melius conservetur manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris diaconus ad vicem Fridugisi abbatis recognovi.

Data quarto Non. April., anno 9 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 15. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CI.

### PRO MONASTERIIS IN URBE SENONENSI.

(*Anno* 822.)

[Apud Mabill. *Annal. ord. S. Bened.*, tom. II, pag. 476.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si illius amore cujus munere cæteris mortalibus prælati sumus, soli Deo sub sancta religione militantibus ad laudem honoremque ipsius et ad animarum salutem supernis angelorum cœtibus in æterna beatitudine ascribendarum, terrena commoda subsidii temporalis, sine quibus præsens vita transigi non potest, comparamus, ut illi tantummodo sine impedimento, quantum præsentis mortalitatis sinit fragilitas, libere deserviant, cui semel se mancipasse ad laudem obsequiumque ipsius toto vitæ suæ cursu noscuntur; nostri laboris studium et pietatis opus apud Deum nullatenus fore sine fructu credimus, sine quo nec velle quisquam bene potest, quanto magis perficere. Igitur comperiat omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, tam præsentium quam futurorum, sinceritas, quia vir venerabilis Hieremias, sanctæ Senonicæ ecclesiæ archiepiscopus, humili suggestione clementiæ nostræ innotuit, eo quod [a] cellæ cœnobiales episcopii, cui auctore Deo præest, id est cella Sancti Petri, et cella Sancti Joannis, et cella Sancti Remigii [b], in quibus monachi sub sancta regulæ disciplina religiosam vitam divinæ pietati toto laboris adnisu debent exhibere, variis casibus diversisque indigentiis, quibus humana fulcitur fragilitas, ante addicti sub manibus et potestate antecessorum ipsius, urgente omnimoda inopia, longe a suo proposito aberrantes exorbitaverunt, dum videlicet memoratarum substantia cellarum per divisionem olim factam imminuta fuisset; et qui præerant episcopi, non habentes unde subsidia sumptuum suis usibus necessaria caperent, ex eisdem cellis, quantum extorquere quibant, dum aliunde sufficientiam habere non possent, dari sibi cogebant: sicque fiebat ut hi qui devota stabilitate mentis et corporis ibidem supernæ pietati laudes persolvere, suamque vitam commendare, pro nostra quoque, conjugis ac liberorum incolumitate, et pro regni divina nobis miseratione concessi conservatione, proque totius Ecclesiæ indulgentia et felici ad æternam beatitudinem perventione interpellare debebant, dum a monasterii claustris turpiter quæritando ea quibus suam tuerentur inopiam, longe lateque vagarent; confuso ordine, quem servare debebant, non solum eorum causa quæ præmisimus, nobis nihil prodesse poterant, verum etiam sibi suisque prælatis non absurde plurimum crederentur obesse. Cujus rei gratia, memorati episcopi precibus admoniti, dignum opus supra fieri duximus, ut, dum adhuc in hoc mortali corpore subsistimus, non solum qui nunc temporis in eisdem locis divinis cultibus mancipati esse noscuntur; sed illis quoque qui futuris temporibus amore supernæ sapientiæ illustrati, eadem ad serviendum Deo expetierint loca, prospiciamus: quatenus ex eisdem temporalium solatia sumptuum suo ordini congruentia habeant, quibus in hac peregrinatione interim

[a] Cellas humiliori vocabulo appellat hæc monasteria Ludovicus, aut potius Hieremias qui præceptum obtinuit, ut eorum majorem subjectionem denotet.

[b] Ex tribus illis monasteriis duo supersunt, nimirum Sancti Petri, Vivi vulgo dicti, et Sancti Joannis, quod posterius modo est canonicorum regularium ordinis sancti Augustini, tunc monachorum sub sancta regula, ut alia duo, viventium. Abbatia Sancti Rhemigii Vallilias postea translata fuit, deinde in primum locum denuo relata, modo penitus excisa est: cujus portio abbatialis missionariis clericis, conventualis sancti Petri monasterio tributa.

sustentari queant, donec ad æternæ patriæ gaudia divina misericordia vocati valeant pervenire. Constituentes itaque hoc nostræ auctoritatis præceptum, juxta memorati episcopi petitionem, decrevimus fieri : ut ex rebus, quascunque supra jam nominatæ cellæ nunc temporis usibus monachorum ibidem Deo deservientium deputatas habent, nullus episcoporum, quicunque divina vocatione per tempora successerit, præsumat aliquid subtrahere vel imminuere quolibet argumento vel occasione, neque in beneficium dare, aut suis usibus applicare : sed ita per omnia conservari studeat, siculi memoratus episcopus in libelli serie singula loca per ordinem adnotando digessit, et manu sua subscripsit, et in conventu episcoporum eos qui aderant, subscribere rogavit, propter cavendas omnimodis contentiones, quæ futuris temporibus poterant oboriri; sed nec etiam aliud servitium vel majora munera inde sibi pro tempore usurpet, præter ea quæ in libello eodem idem ipse episcopus inserere putavit. Ac ne hujus decreti causa in eisdem cœnobiis abbates vel monachi constituti contra suum incipiant superbire episcopum, præcavimus omnem occasionem amputandam, neque locum diabolo dandum, salva scilicet in omnibus auctoritate et potestate episcopi in cunctis ecclesiasticæ regulæ disciplinis : videlicet ut easdem cellas sub proprio semper regimine gubernans, secundum institutionem sanctæ regulæ abbates constituat, et, si necesse fuerit, mutet; prava quæque corrigat, superflua resecet, virtutes nutriat, eradicet vitia, atque, ut bonus agricola, evellens frutices, Patrum sequens instituta, discernat qualem cuique terræ sementem mandare debeat. Hanc autem nostræ constitutionis auctoritatem ideo factam, ne religionis ordo in supra scriptis locis, nostris futurisque temporibus confundatur, sed per omnia in Dei servitio, ad cujus laudem et obsequium conditi sumus, inviolabiliter in perpetuum conservetur, ut pleniorem in Dei nomine cunctis temporibus obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi Augusti.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data XV Kal. Junii, anno Christo propitio 9 imperii domni nostri Ludovici serenissimi Augusti, Indictione 15. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CII

### PRO MONASTERIO ELNONENSI.

(*Anno* 822.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 530.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Cum locis divino cultui mancipatis ob divinæ servitutis amorem opem congruam ferimus, et regium morem decenter implemus, et id nobis profuturum ad æternæ remunerationis præmia capessenda veraciter credimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia adiens serenitatem culminis nostri vir venerabilis Adaleodus abba monasterii sancti Amandi, una cum Aldrico misso nostro, quem ad prædictum cœnobium direximus ad ordinem regulæ sancti Benedicti confirmandum; suggesserunt mansuetudini nostræ qualiter congregationi confessoris Christi Amandi aliqua de rebus et villis ejusdem ecclesiæ deputare et confirmare ad usus et necessitates illorum præjudicaremus. Ideoque ad precationem vel suggestionem prædictorum abbatum, Adaleodi videlicet et Aldrici, imo ob emolumentum animæ nostræ, conjugis, atque prolium nostrarum, res subter adnotatas prædictis fratribus et congregationi Sancti Amandi ad victum, vestimenta et calceamenta, seu etiam cæteros usus et necessitates ipsorum, tradere et confirmare decrevimus, et super hanc cessionis auctoritatem hos nostros imperiales apices fieri decrevimus, atque jubemus ut abhinc in futurum a nobis et nostris, Deo dispensante, successoribus, piis oraculis nostris conservanda mandavimus, quod nos pro æternis capessendis præmiis, et memoratæ congregationi consulendis necessitatibus fecisse et concessisse vestra cognoscat industria; ita duntaxat ut quidquid de ipsis rebus Deo donante per bonum studium poterit haberi vel acquiri, totum in fratrum sine ulla subtractione usibus cedat. Pari etiam nostra imperiali auctoritate præcipimus ac jubemus ut nullus quilibet sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentium videlicet et futurorum, de prædictis et subternotatis rebus inquietudinem aut refragationem vel præjudicium vel violentiam facere tentet : sed potius sine ulla subreptione, aut subtractione, vel diminutione atque divisione, liceat eas eidem congregationi monachorum Deo militantium cum omni integritate inviolabiliter absque ulla calumnia et contradictione securiter ac perpetualiter habere, possidere et frui. Solummodo videlicet ad hoc, sicut præmissum est, specialiter a nobis sunt pro mercede nostra delegatæ et confirmatæ, ut nec humana potestas sine sui periculo discriminis possit eas convertere, sed semper sub regali et imperiali tuitione irrefragabiliter salvæ fratrum usibus consistant : quatenus ejusdem loci devotæ Deo amabili congregationi pro nobis ac pro totius imperii hujus stabilitate ac pace, nostræ pietatis munere adjutæ, Dominum propensius exorare delectet. Et hæc nomina de ipsis rebus, quas illis dari decrevimus : In pago Bracbatensi, in locis nuncupatis Baceroth (*Bassarode*), Decla, Neonisio et Securiaco, mansi XLVIII; in pago Ostrebantinse, in loco qui dicitur Halciacus, cum appendiciis suis mansi LVIII; in pago qui dicitur Menpiscus, in loco nuncupante Roslar, cum appendiciis suis, mansi CXVIII; mansioniles circa monasterium IV, et piscationem atque Sconcurtem; et in Flandras mariscos VIII : sed et in pago Lauduncnsi Barisiacum cum

omnibus appendiciis suis. Insuper censuimus etiam A illis dari nonam partem de omni suppellectili ejusdem ecclesiæ per totas villas, et possessionem hujus cœnobii rectoris, id est de annona, de legumine, de feno, de formatico, de porcis, de poledris, de camsilis, de pastis, de vino, de ovis. Et ut hæc auctoritas per futura tempora imviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data III Kal. Julii, anno Christo propitio 8 [a] imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 15. Actum Stratella villa in Dei nomine feliciter. Amen.

CIII.

PRO MONASTERIO SANCTÆ CHRISTINÆ.

(*Anno* 822.)

[Apud Baluz. *Capitul. tom.* II, pag. 1422, ex veteri cod. Longobardico.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superni muneris donum nobis a Domino impertiri credimus. Idcirco notum esse volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque, præsentibus scilicet et futuris, quia vir venerabilis Petrus, abbas ex monasterio Sanctæ Christinæ, quod est situm prope villam nostram Ollonnam, obtulit obtutibus nostris C auctoritatem immunitatis domni et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ serenissimi imperatoris, in qua continebatur insertum qualiter ipse prædictum monasterium cum omnibus rebus et hominibus, quos tam de donatione regum reginarumque quam etiam reliquorum Deum timentium hominum idem monasterium eo tempore legitime possidebat, sub suo munimine et defensione consistere fecit, et ejus auctoritate immunitatis hactenus ab inquietudine judiciariæ potestatis idem munitum atque defensatum fuisse monasterium. Et pro firmitatis studio postulavit idem Petrus abbas serenitatem nostram ut paternæ auctoritati nostram quoque adderemus auctoritatem. Cujus precibus ob divini cultus amorem et venerationem ipsius sancti D loci assensum præbentes, hanc auctoritatem immunitatis nostræ eidem monasterio fieri jussimus, per quam præcipimus atque jubemus ut memoratum monasterium cum omnibus rebus et hominibus ad se præsenti tempore juste et legaliter pertinentibus vel aspicientibus sub immunitatis nostræ defensione modis omnibus consistat, et nullus judex publicus vel quilibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut villas, curtes, loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii, quas moderno tempore juste et legaliter possidet in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem imperii nostri, vel deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, sive fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendum, nostris futurisque temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato abbati ejusque successoribus res prædicti monasterii . . . . . . . . . . . . . . sicut in præcepto domni et genitoris nostri continetur, sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere et nostro fideliter parere imperio; quatenus congregationi ibidem Deo famulanti pro nobis et conjuge proleque nostra vel pro stabilitate B totius imperii nostri a Deo nobis concessi atque conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus valeat inconvulsa manere, manu propria subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit.

Datum IV Kalend. Octobris, anno Christo propitio 9 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione prima. Actum Cispiacho in Ardna in Dei nomine feliciter. Amen.

CIV.

PRO ECCLESIA S. VICTORIS MASSILIENSIS.

(*Anno* 822.)

[Apud D. Bouquet, *Recueil des historiens*, tom. VI, pag. 532, ex chartario hujus ecclesiæ.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus, omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, vel cunctis ministerialibus rempublicam administrantibus tam præsentibus quam et futuris.

Notum esse volumus vestræ industriæ qualiter vir venerabilis Theodbertus episcopus Massiliensis adiens serenitatem culminis nostri, gestans in manibus quamdam auctoritatem domni genitoris nostri Caroli præstantissimi imperatoris, in qua continebatur insertum qualiter ecclesiæ sancti Victoris martyris, ubi sacratissimum corpus ejus humatum est, concessisset teloneum de villa quæ dicitur Leonio, quidquid fiscus regius exinde exigebat tam de sale quam et de aliis conditionibus, nec non et teloneum de navibus ab Italia venientibus, quæ ad eamdem ecclesiam arripare videntur, ut quidquid ad publicum opus vel ad fiscum regium exinde consuetudo fuit exactare, ad prædictam ecclesiam sancti Victoris martyris Massiliensis, vel ad rectores ejus concederemus. Quapropter precibus quibus valuit nostram exoravit clementiam ut, paternum morem sequentes, nostram etiam auctoritatem prædicta ecclesia, in qua ipse Deo auctore episcopus præest, habere mereretur. Cujus precibus aurem accommodantes, hos nostros imperiales apices fieri jussimus,

[a] Legendum 9.

per quos præcipimus atque jubemus ut, quemadmodum domnus et genitor noster prædictæ concessit ecclesiæ, ita et deinceps in perpetuum firmum et stabile permaneat, et nullus quilibet ex judiciaria potestate aliquod teloneum de supradictis locis exactare aut requirere, vel ullam contrarietatem erga prædictam ecclesiam Sancti Victoris ejusque rectores facere aut ingerere præsumat; sed nostris futurisque temporibus inviolabiliter conservetur. Et ut hæc auctoritas firmitatis nostræ per futura tempora inviolabilis conservetur, annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum domni Ludovici imperatoris serenissimi.

Data Kal. Novembris, anno Christi propitio [9] imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione prima. Actum Isemburgo palatio regio.

## CV.

### PRO MONASTERIO SANCTI AMANDI.

(*Anno* 822.)

[Apud Mabill., *Act. SS. Ord. S. Bened.* sæc. IV, part. I, pag. 66.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Cum locis divino cultui mancipatis ob divinæ servitutis amorem opem congruam ferimus, et regium morem decenter implemus, et id nobis profuturum ad æternæ remunerationis præmia capessenda veraciter credimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia adiens serenitatem culminis nostri vir venerabilis Adaleodus abba, monasterii Sancti Amandi, una cum Aldrico misso nostro, quem ad prædictum cœnobium direximus ad ordinem regulæ sancti Benedicti confirmandum; suggesserunt mansuetudini nostræ qualiter congregationi confessoris Christi Amandi aliqua de rebus et villis ejusdem ecclesiæ deputare et confirmare ad usus et necessitates illorum præjudicaremus. Ideoque ad precationem vel suggestionem prædictorum abbatum, Adaleodi videlicet et Aldrici, imo ob emolumentum animæ nostræ, conjugis atque prolium nostrarum, res subter adnotatas prædictis fratribus et congregationi Sancti Amandi ad victum, vestimenta et calceamenta, seu etiam cæteros usus et necessitates ipsorum, tradere et confirmare decrevimus, et super hanc cessionis auctoritatem hos nostros imperiales apices fieri decrevimus, atque jubemus, ut abhinc in futurum a nobis et nostris, Deo dispensante, successoribus, piis oraculis nostris conservanda mandavimus, quod nos pro æternis capessendis præmiis et memoratæ congregationi consulendis necessitatibus fecisse et concessisse vestra cognoscat industria, ita duntaxat ut quidquid de ipsis rebus Deo donante per bonum studium poterit haberi vel acquiri, totum in fratrum sine ulla subtractione usibus cedat. Pari etiam nostra imperiali auctoritate præcipimus, ac jubemus, ut nullus quilibet sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentium videlicet et futurorum, de prædictis et subter notatis rebus inquietudinem aut refragationem vel præjudicium vel violentiam facere tentet: sed potius sine ulla subreptione, aut subtractione, vel diminutione, atque divisione, liceat eas eidem congregationi monachorum Deo militantium cum omni integritate inviolabiliter absque ulla calumnia et contradictione securiter ac perpetualiter habere, possidere et frui. Solummodo videlicet ad hoc, sicut præmissum est, specialiter a nobis sunt pro mercede nostra delegatæ et confirmatæ, ut nec humana potestas sine sui periculo discriminis possit eas convertere, sed semper sub regali et imperiali tuitione irrefragabiliter salvæ fratrum usibus consistant: quatenus ejusdem loci devotæ Deo amabili congregationi pro nobis ac pro totius imperii hujus stabilitate ac pace, nostræ pietatis munere adjuti, Dominum propensius exorare delectet. Et hæc nomina de ipsis rebus quas illis dari decrevimus. In pago Bracbatinsi, in locis nuncupatis Baceroth (vulgo *Bassarode*), Deola, Neonifio, et Securiaco, mansi XLVIII. In pago Ostrebantinse, in loco qui dicitur Halciacus, cum appendiciis suis mansi LVIII. In pago qui dicitur Menpiscus, in loco nuncupante Roslar, cum appendiciis suis, mansi CXVIII. Mansioniles circa monasterium IV, et piscationem atque Seoncurtem; et in Flandras mariscos VIII. Sed et in pago Laudunensi Barisiacum cum omnibus appendiciis suis. Insuper censuimus etiam illis dari novam partem de omni supellectili ejusdem ecclesiæ per totas villas, et possessionem ipsius cœnobii rectoris, id est de annona, de legumine, de feno, de formatico, de porcis, de poledris, de camsilis, de pastis, de vino, de ovis. Et ut hæc auctoritas per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data III Kal. Julii, anno Christo propitio 8 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 15. Actum Stratella villa in Dei nomine feliciter. Amen [a].

## CVI.

### PRO MUTINENSI EPISCOPO.

(*Anno* 822.)

[Apud Muratori, *Antiquitates Italicæ*, tom. I, pag. 771.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si petitionibus sacerdotum ac servorum Dei, divini cultus amore, aurem accommodamus, id non solum ad stabilitatem regni nostri, verum etiam ad æterna præmia facilius assequenda plurimum pertinere confidimus. Idcirco notum fieri volumus om-

[a] Ex hoc diplomate patet, Adaleodum anno imperii Ludovici octavo, Christi 822, jam istius monasterii abbatem fuisse, contra quam legitur in Chronico Elnonensi.

nibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ ac nostris, præsentibus scilicet et futuris, qualiter vir venerabilis Deusdedit ecclesiæ Mutinensis episcopus, quia pro senectute et infirmitate corporis ad nos pervenire non poterat, misit quemdam presbyterum suum, nomine Willihianum, per quem nobis suggessit petendo de rebus ad ecclesiam suam pertinentibus, quas reges Langobardorum propter amorem et timorem Dei et Domini nostri Jesu Christi, et sancti Geminiani confessoris ejus, eidem ecclesiæ vel donaverunt, vel ab aliis datas confirmaverunt, ut inspectis eorumdem regum præceptis et confirmationibus, easdem res sive possessiones ad eamdem ecclesiam nostræ auctoritatis præcepto confirmaremus. Cujus petitioni, quia justa et ratione subnixa videbatur, aurem libenter accommodare et assensum præbere nobis placuit. Inspectis igitur et relectis prædictorum regum Langobardorum præceptis vel confirmationibus, complacuit nobis, donationes et concessiones sive confirmationes eorum hoc nostræ auctoritatis præcepto juxta petitionem memorati episcopi ad eamdem ecclesiam confirmare. Id est in primis confirmationem, quam Cunipertus rex fecit ad ecclesiam Sancti Geminiani de Villa Poziolo, sive tributum, vel succidiales [a], atque angarias, quas servi ejusdem Sancti Geminiani ad ipsum casalem laborandum et excolendum habuerunt. Similiter et præceptum quod fecit Liutprandus rex ad suprascriptam ecclesiam de servis et aldionibus ad jus ecclesiæ Sancti Geminiani pertinentibus, et in fine Salestina residentibus in villis quarum vocabula sunt Galaniticum, Gabellum Castellum, cum suis piscariis, quod fuit ab antiquo tempore Massa Sancti Geminiani: super quibus est præceptum Ratgisi regis nobis ostensum. Est similiter et Desiderii: nec non et præceptum Hildeprandi regis, quod fecit ad ecclesiam Sancti Geminiani propter petitionem Joannis episcopi de ecclesia Sancti Petri intra muros civitatis Geminianæ, quæ nunc Nova vocatur, cum omnibus rebus atque appendiciis, quæ ad ipsam ecclesiam pertinent, vel quod ibi juste acquisitum fuerit. Similiter et donationem quam fecit piæ recordationis domnus et genitor noster Carolus imperator de Plebe Sancti Thomæ, quæ est posita in Gandaceto juxta fluvium Lama, cum omnibus sibi pertinentibus, sive canonica atque decima. Similiter donationem, quam fecit domnus genitor noster Carolus imperator, petente Geminiano Mutinense episcopo, de Molendino prope stratam cum acceptione sua sive aquario, qui pertinebat ad curtem regis civitatis Novæ: nec non et res quas duo Romani homines, Gondolus videlicet et Constantinus, et eorum uxores Maria et Aguita ad ecclesiam Sancti Geminiani donaverunt. Item Oratorium sancti Apolenaris in Stagnano situm intra Judiciaria Montebeliensi, sive oratorium Sancti Domnini constructum prope Cluxiam super flumen Nizianam, nec non et Oliveta juxta muros Castri Montebeliensis posita, et ad eamdem ecclesiam pertinentia. Has res sive possessiones memoratæ Mutinensis ecclesiæ, vel Sancti Geminiani juxta petitionem prædicti viri venerabilis et oratoris nostri Deusdedit episcopi, quas reges vel donaverunt vel confirmaverunt, sive alii devoti ac Deum timentes homines ad camdem ecclesiam solemni donatione contulerunt, et modo in ejusdem ecclesiæ jure tenentur, vel inde injuste ac violenter abstracta erunt, isto nostræ auctoritatis præcepto ad eamdem ecclesiam confirmare placuit. Quapropter præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, vel comes, vel gastaldus, sive qualibet potestate prædicta persona memoratum episcopum vel successores ejus, atque ecclesiæ Sancti Geminiani de suprascriptis rebus ac possessionibus, quas supranominati reges ad eamdem ecclesiam confirmaverunt, et nos hac nostra auctoritate confirmamus, inquietare aut injuste pulsare, aut aliquid ex iis contra rationis ordinem abstrahere, aut alienare, aut eis calumniam ingerere præsumat; sed liceat eas memoratæ ecclesiæ et rectoribus sub nostra successorumque nostrorum defensione, quieto ordine tenere ac possidere absque cujuslibet, sicut jam diximus, injusta contradictione. Concessimus etiam hoc privilegium memoratæ ecclesiæ, ut si post decessionem episcoporum ipsius sedis talis in clero inventus fuerit, qui secundum canones episcopatus honorem et officium habere possit, licentiam habeant eligendi inter se. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et nostris ac futuris temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subscripsimus, et eam de annulo nostro subter sigillari jussimus, violatorem duabus libris auri obryzi condemnantes.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Duraudus diaconus ad vicem Fridugerii recognovi.

Et data sub VI Idus Februarias, anno, Christo propitio, 9 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, ac indictione 15. Actum Aquisgrani, palatio regis, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CVII.

### PRO MONASTERIO PRUMIENSI.

(*Anno* 823.)

[Apud Marten., *Ampl. Collect.*, tom. I, pag. 79, ex chartario Prumiensi.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu

[a] Quid *succidiales* fuerint, decernere nequaquam ausim. Num pro *socidiales* scriptum, ut designentur reditus percepti ex armentis et gregibus *in socio datis*? Num a *succidendo*, sive, ut aiebant, *runcando* silvas, ac a subigendis agris antea incultis? Hæreo sane. Interim vide, si lubet, Chronicon Farfense parte II tomi I Collectionis Rer. Italicar., ubi memorantur servi cum eorum substantia *b. v. c.* hoc est *bove, vacca, caballo*, etc. Nostris autem temporibus adhuc apud Mediolanenses mos viget tradendi prædia sua agricolis, nunc omnino liberis, iisdem fere conditionibus, quas nuper innuebam, hoc est reddendi domino tantam frugum et pecuniæ mensuram quotannis.

Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si enim ea quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, et in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum sagacitas, quia vir venerabilis Tancradus abbas ex monasterio quod dicitur Prumia, constructum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, nobis suggessit, eo quod cum quodam homine nomine Fulcberto de quibusdam rebus commutationem fecisset, pro ambarum partium opportunitate. Dedit igitur prædictus vir venerabilis Tancradus abbas ex ratione prædicti monasterii, una per consensum et conhibentiam monachorum ibidem degentium, præfato Fulberto ad proprium suum perpetualiter ad habendum, quasdam res quæ sunt in pago Warmacinse, in villa quæ dicitur Flaconheim mansos duos cum domibus, ædificiis, terris, vineis, pratis, silvis, pascuis, adjacentiis, exitum et regressum, vel quantumcunque in eadem villa de ratione prædicti monasterii præsenti tempore ibidem legitime habere dignoscitur. Et econtra in compensatione harum rerum dedit prædictus Fulbertus ex proprio suo prærscripto monasterio, omnique congregationi ibidem Deo per tempora militanti, quasdam res quæ sunt in eodem pago, in villa quæ dicitur Glaolfesheim mansum unum, et in alia villa, quæ dicitur Villarie mansum unum, nec non et in tertio loco in villa nuncupante Leiwrdesheim, curtilem unum, similiter et in quarto loco in villa cujus vocabulum est Huccunheim, duas partes de jurnale cum terminis et laterationibus suis. Has vero res cum domibus, ædificiis, terris, vineis, pratis, silvis, pascuis, adjacentiis, exitum et regressum, vel quantumcunque in prædictis locis præsenti tempore legitime habere et possidere dignoscitur. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum præ manibus se habere professus est, sed pro integra firmitate petiit celsitudinem nostram, ut ipsas commutationes denuo per nostrum mansuetudinis præceptum confirmare deberemus. Quorum petitionibus denegare noluimus assensum, sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste petentium, ita nos illis concessisse atque confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut quidquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, et faciat quidquid voluerit. Et ut hæc auctoritas per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, et ab omnibus melius credatur atque conservetur, annuli nostri impressione signari jussimus.

Durandus diaconus ad vicem Fridegisi recognovi.

Data Idus Octobris, anno Christo propitio 10 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione prima. Actum Aristallio palatio regio, in Dei nomine feliciter.

## CVIII.

### PRO EODEM MONASTERIO

(*Anno* 823.)

[Apud Marten., *ibid.*, ex chartario Prumiensi.]

In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si enim ea quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, et hoc inpostmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, industria, quia vir venerabilis Hildoinus abbas sacrique palatii nostri summus capellanus innotuit celsitudini nostræ, eo quod religiosus vir Tancradus abbas monasterii Prumiacensis, cum quodam homine nomine Opillonem, de quibusdam mancipiis commutationem fecissent. Dedit igitur prædictus vir venerabilis Tancradus ex ratione præfati monasterii sui Prumiacensis, quod est constructum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, consentientæ ejusdem congregatione præfati monasterii, prædicto Opiloni mancipia septem his nominibus, Theotharium, Grimoldum, Theotgaudum, Werintrudim, Gozam, Hunlindam, Bertrudam. Et econtra in compensatione horum mancipiorum dedit prædictus Opilo ex suo proprio ad jam dictum monasterium mancipia XIIII his nominibus, Germundum, Reginerum, Nortbertum, Bernoldum, Thiedoldum, Hautmarum, Winigodum, Rotgerum, Wigiradum, Bumannum, Willisuindam, Thieodulfum, Theotlindam, Anstilam. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum roboratas, se præ manibus habere professi sunt. Sed pro integra firmitate petierunt celsitudini nostræ, ut ipsas commutationes denuo per nostrum [*Forte* nostræ] mansuetudinis præceptum plenius confirmare deberemus, quorum petitionibus denegare noluimus, sed unicuique fidelium nostrorum juste petentium ita nos concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut quidquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, ut quidquid exinde facere voluerit, libero in omnibus perfruatur arbitrio faciendi quidquid elegerit. Et ut hæc auctoritas firma habeatur, et per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subtus jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Fridegisi recognovit.

Data IV Kal. Septembris, anno Christo propitio 10 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 1. Actum Construentes [*Forte* Confluentes] super Mosellam, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CIX.

CONFIRMATUR COMMUTATIO FACTA INTER BERNOLDUM EPISCOPUM ARGENTINENSEM ET ERCHANGARIUM COMITEM NORDGOVIÆ.

(*Anno* 823.)

[Apud Grandidier, *Histoire de l'Eglise de Strasbourg*, tom. II, pag. 174, ex chartulario membranaceo abbatiæ Andlaviensis sæculi XIV [a].]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si enim ea quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverunt, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, et hoc in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, industria, quia vir venerabilis Bernoldus Strazburgensis ecclesiæ episcopus, nec non et vir illuster Erkingarius comes [b] accedentes ad aures clementiæ innotuerunt celsitudini nostræ quod pro ambarum partium opportunitate aliquas res et mancipia inter se commutassent. Dedit igitur prædictus Bernoldus episcopus ex ratione prædictæ ecclesiæ suæ eidem Erkingario ad suum proprium ad habendum in pago Alsacense in villa et marcha, quæ dicitur Bodolesvillare, sive Pleanungovillare [c] omnes res quantumcunque in ipsa villa... ex ratione episcopatus sui habere videbatur, cum mancipiis duodecim, his nominibus Ello, Fridalind, Hildim, Willaran, Engilbert, Odalgart, Antbert, Amalgart, Adalgart, Regingart, Adaltrud, Willigart. Et e contra in compensatione hujus rei dedit præfatus Erkingarius comes ex suo proprio memorato episcopio ad partem ecclesiæ suæ in eodem pago in locis nuncupantibus, id est, in Duminheim [d] areales duas cum casis et granea, et de terra arabili jugera quadraginta sex, et de pratis ad

A carra decem : in villa Liutpoleshaim [e], areales duas cum casa una, de terra arabili jugera triginta duo, prata ad carra duo : in villa Wittinishaim [f], areale unum cum casa dominicata et granea, de terra arabili jugera septuaginta quinque, prata ad carra decem, de silva quasi jugera septem, et pomarium unum : ad Creacheshaim [g], Hobam [h] unicam : ad Platpoteshaim [i], areale cum casa una, de terra arabili jugera quindecim, prata ad carra quatuor, et goldmarcha [j], et insuper mancipia duodecim, his nominibus; Vulpot, Winigelt, Ratini, Radvich, Humboldus, Frenkin, Freidin, Hucbert, Rinhart, Deganolt, Hitto, Adalger. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum roboratas præ manibus se habere professi

B sunt. Sed pro integra firmitate petierunt celsitudini nostræ, ut ipsas commutationes denuo per nostræ mansuetudinis præceptum plenius confirmare deberemus, quorum petitionibus denegare noluimus, sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste et rationabiliter petentium ita nos illis concessisse, atque in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus ut quidquid pars juste et legaliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, et quidquid exinde facere voluerit, libero in omnibus perfruatur arbitrio faciendi. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi [k] recognovi.

C Data..... [l] anno, Christo propitio, decimo imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione prima. Actum Franconofurd palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] Edidit Schœpflinus, Alsat. diplom. tom. I, pag. 71, sed non satis correcte.

[b] Erkingarium comitem Nordgoviæ, sive inferioris Alsatiæ comitatum administrasse opinatur Schœpflinus, Alsat. illust. tom. I, pag. 788. Illum potentissimum fuisse dynastam, multorumque patrimoniorum possessorem probant hæc charta commutationis et altera cum Waldone Schwarzacensi abbate. Erchengarii comitis memoria legitur in Necrologio Schwartzacensi ad diem 2 Martii.

[c] Bodolesvillare, quod unum idemque est ac Pleanungovillare, est hodie vicus Blienswilre, inter Selestadium et Andelaviam. Ex hac villa, quam tamen unam eamdemque esse innuit hujus chartæ sensus, duas opinatur Schœpflinus, Alsat. illust. tom. I, pag. 717 et 718, Balschweiler ex Bodolesvillare, et Blienswilre ex Pleanungovillare faciens.

[d] Hodie vicus *Dunnenheim*, pertinens ad abbatiam Neoburgensem.

[e] Hodie *Lipsheim*, vicus spectans ad episcopum Argentinensem.

[f] Hodie *Wittisheim*, vulgo *Witzen*, vicus ad eumdem episcopum Argentinensem pertinens.

[g] Hodie *Criesheim*, vicus quoque episcopatus Argentinensis.

[h] Hoba, sive Hube, est fundus rusticus, sive modus agri cum habitatione coloni. Vocis etymologiam affert Wachterus, Glossarii pag. 758. Varias ejus significationes collegerunt et illustraverunt Potgiesser, de Statu servorum, lib. I, cap. 4, § 20, p. 227, et Haltaus, Glossarii Germanici pag. 959 et seq.

[i] Hodie *Plobsheim*, pertinens ad DD. Kempffer et de Güntzer.

[j] Goldmarcha innuit aurilegium, seu jus colligendi aurum, quod Germani dicunt *goldwäsche*. Jus illud adhuc hodie exercent nobiles de Güntzer et Kempffer in ipso vico Plobsheim ratione feodi, quod possident a rege. Schœpflinus loco goldmarcha legit *holzmarcha*, quæ est portio silvæ ad lignandum con-

D cessæ, ut explicat Haltausii Glossarium Germanicum, pag. 954.

[k] Fridugisus natione Anglus, abbas ecclesiæ S. Martini Turonensis, dein Sithiensis, eodem tempore quo Helisachar in aula Ludovici imperatoris gessit officium cancellarii, et usque ad annum 832.

[l] Deleta est diei et mensis nota. Sed anno 823, mense Maio Franconofurti conventum habitum fuisse a Ludovico Pio testantur Annales Eginhardi, apud Bouquetum, tom. VI, p. 182 (*hujusce voluminis, col.* 430), ibique adhuc mense Junio commorasse probant ejusdem imperatoris diplomata pro abbatiis Gregoriana et Masoniana relatis a Schœpflino, Alsat. diplom. tom. I, pag. 69 et 70. De insigni ac splendido Francofurti ad Mœnum palatio regio agunt Germanus, apud Mabillonem, de Re diplom., lib. IV, pag. 283, et Besselius, in Chronico Gotwicensi, tom. II, pag. 473.

## CX.

**PRO MONASTERIO SANCTÆ GRATÆ IN DIŒCESI URGELLENSI.**

(*Anno* 823.)

[Apud Baluzium, in *App. ad Marc. Hisp.*, pag. 767.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si illius amore cujus munere cæteris mortalibus prælati sumus petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus annuimus, et loca divino famulatui consecrata congruis munificentiæ nostræ beneficiis ad divinum cultum uberius exsequendum opem ferimus, præmium nos a Domino remunerari fideliter credimus. Igitur ad industriæ notitiam fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum perlatum esse volumus qualiter Matfredus comes vir illuster adiens serenitatem culminis nostri, gestans in manibus quasdam præceptiones quas dudum in Aquitania constituti cuidam venerabili Possedonio Orgeletanæ sedis episcopo fieri jusseramus, in quibus continebatur insertum quod aliqua loca erema ad monasteria construenda sive monachos congregandos concesseramus, ita videlicet ut post ejus obitum monachi in eisdem locis degentes, quibus construere optabat, abbatem inter se haberent licentiam eligendi, suggerens prædictus Possedonius episcopus per eumdem Matfredum fidelem nostrum ut monasterium quod idem episcopus reædificaverat, quod dicitur sancta Grata, quod est situm super fluvium Bosegia, dicatum in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ semper virginis, et cellulam eidem monasterio subjectam, quæ dicitur Sanctus Fructuosus, cum omnibus appendiciis suis, vel quidquid præsenti tempore monachi in prædictis locis degentes tenent vel possident, vel in postmodum ex locis eremis atque incultis construxerint, sub nostra potestate imo tuitione atque dominatione reciperemus, et ita monachi vel res ibidem pertinentes nostri proprii essent sicut cætera monasteria infra Septimaniam nostra esse constant, et ex nostra auctoritate licentiam eis concederemus a modo eligere abbatem qualemcunque voluerint. Quorum petitionem, quia justam et rationabilem esse cognovimus, libenter assensum præbuimus; et prædictum monasterium cum prædicta cellula et appendiciis suis et monachos ibidem degentes vel omnes res ad idem monasterium præsenti tempore pertinentes, vel quæ deinceps ex locis eremis atque incultis ad eorum usus aspexerint, ad nostrum opus recepimus, ita videlicet ut sub nostra imo eorum dominatione consistant. Propterea has nostræ auctoritatis litteras monachis ex prædicto monasterio fieri jussimus; per quas fidelibus nostris notum fieri volumus ut memoratum monasterium cum præfata cellula et appendiciis suis vel cunctis rebus, sicut superius insertum est, nostrum proprium esse cognoscant, et sub nostra defensione atque tuitione consistat. Et nullus episcopus, aut comes, vel missus discurrens ibi aliquam dominationem aut tyrannidem potestatem exerceant, nisi quemadmodum canonica auctoritas jubet. Et ideo, quia jam præfatum monasterium nostrum esse constat, concedimus ibidem monachis sub sancta regula degentibus ut non solum præsentaliter elegendi licentiam habeant abbatem, verum etiam in futurum; ut quando quidem divina vocatione abbas subrogatus fuerit, vel alii qui per tempora fuerint ab hoc sæculo migraverint, secundum regulam sancti Benedicti licentiam habeant inter se elegendi abbates : qualiter monachi ibidem Deo militantes securius et quietius vitam monasticam degentes pro nobis et conjuge proleque nostra Domini misericordiam attentius exorare valeant. Et ut hæc auctoritas per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius certiusque credatur et melius conservetur, eam de annulo nostro subter jussimus sigillari [a].

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data XI Kalendas Julias, anno Christo propitio 10 imperii domni Ludovici serenissimi Augusti, indictione prima. Actum Franconofurd palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXI.

**[b] PRO MASONIS MONASTERIO.**

(*Anno* 823.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, p. 535. ex Ludov. Laguille, in probat. *Historiæ Alsatiæ*, pag. 15.]

In nomine [domini Dei] et Salvatoris nostri, Jesu Christi, Ludovicus divina repropitiante [c] clementia imperator Augustus.

Quia nostrum est cuncta loca regni nostri ad laudem et ad gloriam Dei constructa defendere et stabilire, præcipimus ut abbatiam in parte Vosagi a quodam principe viro nobili, unde etiam nomen traxit, quod vocatur vallis Masonis (*Masmunster*, vel *Moisevaux*), fratre videlicet ducis Lutfridi et Eberardi, qui Morbach construxit in honore pretiosi martyris atque pontificis Leudegarii, fundatam, nulla deinceps hominum persona præsumat destruere vel inquietare, atque ulla freda, haribanna, opera revisoria, stipendia, sive aliquas exactiones de familia vel de possessionibus ejusdem ecclesiæ indeficien-

[a] In authentico, unde editur hoc præceptum, sequebatur, *Signum Ludovici serenissimi imperatoris*, juxta formulam. Verum linea illa erasa est, ejusque loco hæc quæ sequuntur scripta sunt alia manu, sed antiquissima, et fortean coætanea : *Et insuper donamus atque concedimus ipsa se.... cui vocabulum est sancta Maria, cum suos titulos, et domum Sancta Grata, cum fines et terminos.*

[b] Hujus diplomatis exemplar se vidisse illudque accurate cum autographo convenire testatur episcopus Basileensis anno 1379, ut notat Ludovicus Laguille.

[c] Hac voce, *repropitiante*, non usus est Ludovicus Pius, nisi anno 834, cum post exauctorationem anno præcedenti factam in solium restitutus est. Vide Mabillonium, lib. II de Re diplom., cap. 2, num. 13.

tis requirat vel extorqueat, neque aliquid de omnibus illis quæ præfato loco donata sunt vel donanda erunt, auferre vel diminuere : sed omnia libere, integre et inconcusse ibidem Deo famulantibus in perpetuum deserviant. Si quis autem de bonis ejusdem ecclesiæ sibi quidquam velit attrahere falsa causarum affirmatione, omnino non liceat, nisi in præsentia primatuum regni, ne locus falsa occasione deprimatur. Advocatis vero, quos nescimus quales futuri sint, ex parte Dei et nostra imperamus, ut nullos subadvocatos, exactores, nullosque legatos in eodem loco vel in cunctis ejus appendiciis ponant vel habeant : sed ipse advocatus, cui nos vel successores nostri bannum super abbatiam eamdem dabimus, illius ecclesiæ locis benigne provideat, et semel in anno publicum placitum apud villam quæ vocatur Gowenheim, ubi sedes est judiciaria totius abbatiæ, teneat, cum illis tamen qui quod justum est sciant et diligant, et ibi omnibus injuriam passis secundum idoneos ejusdem populi judices cæterorumque consensum justitiam faciat : nec aliquis de tota familia, dives seu pauper, terra sua et jure suo privetur, nisi in prædicto loco communi sapientum judicio : et in ipsa die publici placiti abbatissa advocato et suis servitium honeste exhibeat et det : et quidquid vel ubicunque ipse advocatus in abbatia placitando acquisierit, abbatissa duas partes accipiat, ille tertiam. Clerici vero et illi laici qui genere et morum honestate familiæ præsunt, et ecclesiæ præsunt, ad nullum servitium servile cogantur, vel in corpore, vel in rebus eorum; sed abbatissæ fideliter ac devote famulentur, quos et ipsa non ut servos, sed ut mater filios tractare debet. Ut autem successores nostri reges vel imperatores curam ejusdem ecclesiæ habeant, constituimus ut quotiescunque rex vel imperator Romanus Basileam veniat, quælibet hoba vel mansus ad servitium ejus XII nummos persolvat. Quæcunque ergo potens persona, advocatus, sive alius quisquam hæc decreta nostra infregerit, ira Dei, et omnium sanctorum, et tremendi judicii, et nostra contremiscat, et aut fines regni exeat, aut triginta libras auri optimi ad fiscum regis, restituto prius ecclesiæ damno persolvat. Hæc autem sunt nomina villarum et locorum in quibus præfata ecclesia habet proprietates et possessiones extra vallem, quæ vallis tenens bannum et munia, protenditur a Gowenheim usque ad summitatem montis Grazonis, Brunholbetum, Giltewillre, Dannamaria, Werza, Boyseigum, Rotbach, Balderchedorff, Spechbach, Rollingum, Morschviller, Zullensheim, Vespach, Stennenbrun, Bruchbach, Richenesheim, Mullenhusen, Enisigesheim, Uffholtz, Herlichesheim, Ongersheim, Sigoltesheim, Laugenheim, Sigenesheim.

Simeon diaconus ad vicem Fridugisi archicancellarii recognovi.

Data XI Kalendas Julias, anno Christo propitio 10 imperii domini piissimi Augusti, indictione 1. Actum Francofurt palatio feliciter. Amen.

## CXII.

### PRO MONASTERIO CORBEIÆ NOVÆ.

(*Anno* 823.)

[Apud Mabill., *Act. SS. ord. S. Bened.*, sæc. IV, part. I, pag. 524.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Neminem fidelium nostrorum dubitare credimus, quam magnum quondam domnus et genitor noster Carolus Christianissimus imperator cum Saxonibus subiit laborem, ut eos ad agnitionem veræ fidei adduceret : quod et divina gratia cooperante, sicut optavit, effecit. Nos vero in ejus solio superni Numinis dono sublimati, cuidam venerabili viro Adalhardo seni abbati ex monasterio cujus vocabulum est Corbeia, in eadem provincia Saxonia ob mercedis nostræ augmentum monasterium construere jussimus, et ad idem cœnobium dedicandum ex sacro palatio a capella nostra misimus venerabiles ac sacrosanctas reliquias beati Stephani protomartyris, super Wiseraa, in villa regia, in loco nuncupante dudum Huxori : ut quia auctore Deo prædictus divæ memoriæ domnus et genitor noster in eadem gente primum Christianæ religionis fidem confirmavit ; ita et nos ad augmentandum solidandumque ejusdem fidei vigorem, primum monachicæ religionis ordinem illic servandum tenendumque constituimus : quod ita opitulante Omnipotentis gratia ad effectum rei pervenit, et prædicto monasterio ideo Corbeia nomen impositum est, eo quod de antiquo quodam monasterio Corbeia prædicto Adalhardo abbati seni, cui hanc curam commiseramus... assumpto secum germano suo Walone cum cæteris quantis et quibus oportebat monachis, infra eamdem provinciam locum aptum et congruum eligerent : atque ibi, prout opportunius esse potuisset, præfatum monasterium stabilirent atque construerent. Idcirco placuit excellentiæ nostræ ut prædictam villam, quæ dicitur Huxori, cum omnibus finibus vel terminis suis, et cum silvis, terris, aquis aquarumque decursibus, cum omnibus adjacentiis et appendiciis suis ad idem monasterium per hanc auctoritatem jure perpetuo conferre, et de nostro jure in jus et dominationem prædicti monasterii præsentialiter tradere : nec non et res seu possessiones quæ a Deum timentibus, vel Deum diligentibus Saxonibus infra ipsam Saxoniam ad hoc opus inchoandum vel adjutorium præstandum collatæ sunt, per hanc auctoritatem confirmare, etiam et res quæ ad antiquiorem Corbeiam traditæ fuerunt infra ipsos supradictæ Saxoniæ fines, in terris, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus propriis vel communibus, domibus ac ædificiis, vel prius habitis, vel postea constructis; mancipiis quoque diversi generis vel conditionis, mobilibus vel immobilibus, datum vel traditum fuit, cum omni integritate ad prædictum monasterium una cum consensu præfati abbatis vel congrega-

tionis ejus celebri donatione contulimus, et perpetuo monachis ibidem Deo militantibus, ad possidendum fruendumque concessimus atque confirmavimus. Ideo autem ita fieri debere rationabile judicavimus, ut quia constabat prædictum locum ex monasterii prioris Corbeiæ monachis constructum esse, et quia in omni loco uni Domino servitur, uni Regi militatur, dignum erat ut possessiones illæ eorumdem monachorum obsequiis deputarentur, qui infra ipsam provinciam ejusdem monasterii primi ædificatores et perpetuo habitatores in omnipotentis Dei servitio sub sancta regula deputati fuisse noscuntur. Nam si forte talis esset causa ut idem locus ex propriis in eadem provincia sibi collatis nequivisset subsistere rebus, dignum erat ut de prioris monasterii rebus, benignitatis seu charitatis causa, prout ex utraque parte rationabiliter esse potuisset, larga manus porrigi debuisset : quanto magis de his quæ infra eamdem provinciam collatæ, ut dictum est, prius fuisse noscuntur, cum omni benignitate ardentissimo charitatis affectu largiri ? Statuentes etiam decernimus, atque per hos imperiales apices sancimus, ut quandoquidem divina vocatione abbas prædicti monasterii de hac luce migraverit, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi abbates : quatenus ipsos servos Dei qui ibidem Deo militant, pro nobis, conjuge, proleque nostra et stabilitate imperii nostri jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Sed et hoc placuit nobis huic inserere auctoritati, ut licentiam habeant rectores hujusce monasterii cum quibuslibet hominibus liberis res et mancipia legaliter commutare : videlicet ut quidquid juste et rationabiliter pars alteri contulerit parti, per hanc nostram auctoritatem jure firmissime teneant atque possideant ; et quidquid exinde facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc auctoritas largitionis atque confirmationis nostræ per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi et subscripsi. Data VI Kal. Augustas, anno, Christo propitio, 10 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione prima. Actum Ingelinheim palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXIII.

### PRO MONASTERIO CORBEIENSI IN SAXONIA.

(*Anno* 823.)

[Apud Mabill., *de Re diplomatica*, pag. 531.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante clementia, imperator Augustus.

Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superni muneris donum largiri non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, sagacitas, quia adiens serenitatem culminis nostri vir reverentissimus Adalardus abbas ex monasterio Corbeia, quod ei dudum in provincia Saxonica ad augmentum mercedis nostræ ex novo construere jussimus super fluvium Wisera, in villa regia, in loco nuncupante dudum Huxori, dicatum in honore sancti Stephani protomartyris, suggessit mansuetudini nostræ, ut idem monasterium et monachos ibidem per tempora degentes, cum rebus et hominibus, non solum sub nostra tuitione et defensione constitueremus, verum etiam et talem immunitatem fieri juberemus, qualem omnes ecclesiæ in Francia habent. Cujus petitioni dignam et proficuam judicantes, hanc auctoritatem immunitatis erga prædictum monasterium Corbegiæ ejusque rectores fieri jussimus, per quam decernimus atque jubemus ut nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii, quas præsenti tempore in quibuslibet pagis et territoriis habet, vel deinceps ibidem collatæ fuerint, ad causas judiciario more audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos quam et leutos distringendos, aut ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat : sed liceat memorato abbati suisque successoribus prædicti monasterii sub immunitatis nostræ defensione res agere, quieto ordine vivere et residere : et quidquid exinde jus fisci exigere poterat, totum et ad integrum nos pro æterna retributione ad pauperes alendos, et luminaria eidem monasterio concinnanda concedimus : qualiter monachi ibidem degentes pro nobis proleque nostra, atque statu totius nostri imperii nobis ad regendum commissi, Domini misericordiam attentius exorare delectet. Sed et hoc placuit nobis huic inserere auctoritati, ut licentiam habeant rectores hujusce monasterii cum quibuslibet hominibus liberis res et mancipia legaliter commutare, videlicet ut quidquid juste et rationabiliter pars alteri contulerit parti, per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneant atque possideant : et quidquid exinde facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc auctoritas immunitatis atque confirmationis nostræ per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi et subscripsi.

Data VI Kalend. Augusti, anno, Christo propitio, 10 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione

prima. Actum Ingilinheim palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXIV.

### PRO MONASTERIO TRAJECTENSI.

(*Anno* 823.)

[Apud Hedam, *Episcopatus Trajectensis*, pag. 45.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Imperialem celsitudinem decet prædecessorum suorum pia facta non solum inviolabiliter conservare, sed etiam censuræ suæ auctoritate confirmare. Unde noverit industria seu sagacitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, quia Rixfridus [Rixfredus] venerabilis vir, Veteris Trajecti ecclesiæ episcopus, quæ est constructa in honore S. Martini confessoris, vel cæterorum sanctorum, detulit mansuetudini nostræ quasdam auctoritates constitutionum, qualiter Dominus et genitor noster Carolus, bonæ memoriæ, piissimus imperator Aug., et avus noster Pippinus et antecessores eorum ad ipsam ecclesiam concessissent omnem decimam, de mancipiis, terris, ac de teloniis, vel de negotio, vel de omni re, undecunque ad partem regiam fiscus telonium exigere aut accipere videbatur, et ut homines ejusdem ecclesiæ sub mundiburdo [a] et tuitione ipsius ecclesiæ existerent, nec non et in ripis in Dorestado, ut nec bannum [b] aut fredum [c], aut conjectum [d], quod ab ipsis *verschat* [geschot] vocatur, contingere aut exactare præsumeret, et quisquis ex negotiatoribus in eorum ripas intrare voluisset, nullam contentionem ex hoc fecisset eis, nec mansiones in eorum domibus, sine permissu eorum accipere auderent, nec eorum res dum vixerint, auferre, aut post mortem eorum contingere, nec ullo modo eis in aliqua re calumniam generare quis præsumeret, qui in illa decima parte, vel sub mundiburdo ecclesiæ S. Martini consistunt; videlicet ut sicut illi de illis novem partibus aliquid accipere vel usurpare nec velint, nec possint; ita et procuratores resp. de eadem decima parte accipere aut usurpare ad fiscum non præsumant, qualiter præsul ipsius ecclesiæ, cum omni clero et populo sibi subjecto, alimoniam ministrare, et luminaria in eadem sede continuare, atque gentiles qui ad Christianitatem convertuntur alere et docere possit. Ob firmitatem tamen hujus rei postulavit a nobis prædictus episcopus, ut paternum sive prædecessorum nostrorum regum morem sequentes, ejusmodi nostræ auctoritatis præceptum, ob amorem Dei et reverentiam S. Martini circa ipsam ecclesiam fieri censeremus. Cujus petitioni libenti animo aurem accommodare placuit, et per hanc nostram auctoritatem confirmare, ut omnem decimam, tam de mancipiis quam de terris, aut de telonio, aut de negotio, vel undequaque ad partem regiam jus fisci censum exigere debet, vel de omnibus quæ supra scripta sunt præfata ecclesia libero in perpetuum jure possideat. Et ne quis contingere aut injustam interpellationem facere præsumat, sed sicut a domino imperatore et avo nostro, et antecessoribus regibus a nobis per hanc auctoritatem constitutum est atque confirmatum, ita omni tempore inviolabiliter conservetur atque custodiatur, quatenus ipsos servos Dei qui ibidem consistunt cum eorum pontifice, et illos quos a gentili ritu ad Christi veram converterunt fidem, pro nobis, conjuge, proleque nostra, et omni populo Christiano jugiter misericordiam Dei exorare delectet. Et ut hæc auctoritas melius ab omnibus credatur, et diligentius conservetur, manu propria subscripsimus, et annuli nostri impressione signari fecimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Data XVII Kalend. Aprilis, anno 11, Christo propitio, imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione secunda. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Helisachar recognovit.

## CXV.

### PRO GLONNENSI S. FLORENTII MONASTERIO.

(*Anno* 824.)

[Apud Mabill., *Ann. ord. S. Bened.*, tom. II, pag. 759 ex archivo Glonnensi.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejusque in eisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia quemdam venerabilem virum Frotbertum cum monachis suis, quos in Italia miseramus, exinde reverti fecimus, et concessimus eis quoddam monasterium quod est situm in territorio Pictavensi supra ripam Ligeris, quod dicitur Glonna sive sanctus Florentius, ubi idem beatus confessor Christi corpore quiescit: eo modo ut ibi secundum

[a] Mundeburde, id est, tuitio vel defensio. Galli *mambournie*; Belgi *mambers* tutores dicunt; legitur in Formulis Marculfi, lib. I, cap. 24, *Charta de mundeburde principis*, ad quem locum vide Hier. Bignonii notas. Adde capit. Caroli et Lud. lib. VI, cap. 223, et ibi notata, ac glossas Lat. Bal. Lydii ad Clemangem, lit. *M*.

[b] Id est, mulcta judicialis. Vide Glossarium proxime laudatum, et notas ad Marc., lib. I, cap. 40.

[c] Compositio fisco debita, a *vrevel*. M. Gold., Lydius, H. Bignonius, in notis ad Marculfum, Lindobrogius ad legem Salicam, tit. 14, ex Greg. Tur.

[d] Lydius *conjectum* collationem de substantiis interpretatur in glossis supra nominatis. Flodoard., *De conjecto Normannis dando*. Greg. Turon., lib. VI, cap. 45, de rege Chilperico: « Apparatus magnus expensæ de diversis civitatibus in itinere congregatus est: in quo nihil de fisco suo rex dari præcepit, nisi omnia de pauperum *conjecturis*; » quod ita refert Aymon., lib. III, cap. 56, *ut de substantiis pauperum necessaria eis in itinere subministrentur*. In Miropeo ms. ad marginem adnotatum: *Vidi verschat, sed dubito.*

regulam beati Patris Benedicti vitam degerent monachicam, quem supradictum religiosum virum Frotbertum sive monachos, necnon et præscriptum venerabile monasterium cum omnibus rebus et mancipiis moderno tempore ibi aspicientibus vel pertinentibus sub nostra suscepimus defensione et immunitatis tuitione, qualiter per hanc nostram auctoritatem absque ullius injusta inquietudine quieti et illæsi persistant. Et ideo hos nostros imperiales apices fieri jussimus, per quos præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, vel quislibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator, in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, quæ moderno tempore legaliter in quibuslibet pagi territoriis infra ditionem imperii nostri tenent vel possident, vel quæ deinceps in jure ipsius loci aut per nos, aut per quamlibet ingenuam personam voluerit divina pietas augere, judiciario more ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones aut paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii super terram ipsius commanentes distringendos, aut ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra commemorata sunt penitus exigere præsumat: sed memoratis abbati ejusque successoribus res prædicti monasterii cum omnibus sibi præsenti tempore juste subjectis sub immunitatis tuitione quiete vivere ac residere. Et quidquid de rebus præfati monasterii fiscus sperare poterit, totum nos pro æterna remuneratione prædicto monasterio concedimus, ut perennibus temporibus in alimonia pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione supradictus abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum licentiam habeant eligendi abbatem, qua ipsi servi Dei qui ibidem Deo famulantur, pro nobis et conjuge proleque nostra et stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi atque conservandi jugiter misericordiam Dei exorare delectentur. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Deo protegente firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici piissimi regis.

Simeon diaconus ad vicem Fridugisi recognovit.

Data pridie Kalendas Julias, anno, Christo propitio, imperii nostri 11, indictione 12 [*Lege* 21]. Actum Compendio palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

---

## CXVI.

### PRO MONASTERIO FARFENSI.

(*Anno* 824.)

[Apud Chesnium, *Francicarum Rerum Script.*, tom. II, pag. 659.]

Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si præveniente gratia Dei nostri devotionis affectum divinis satagimus aptare obsequiis, et venerabilibus Deoque sanctisque locis, atque Dei familiis supernæ majestati famulantibus imperiali munificentia opem et solatium nostræ defensionis impendimus, si denique præjudiciis variis ac calamitatibus oppressis patulum et benignum accommodamus auditum, his exercitiis piisque studiis credimus supernum ubique auxilium promereri, et prosperis pollere successibus, atque imbelles gloriosis gaudere triumphis, sed et post temporalis infulas imperii siderea feliciter consequi regna. Quapropter cum plurimarum ecclesiarum venerabiliumque custodes locorum, diversorumque hominum de finibus Italiæ multiplex querela nostrum pulsasset auditum, eorum lacrymosis vocibus pietate cogente moti, charissimum atque dulcissimum filium nostrum Lotharium direximus pro munimine ac defensione sacrorum venerabiliumque locorum, et pro justitiis cunctæ plebis, quæ molestis querelis nostras, ut diximus, incessanter pulsaverant aures.

Igitur ego Lotharius Augustus, paternæ concordans voluntati et obtemperans jussis, cum protegente Deo quieta prosperitate ad limina beati Petri principis apostolorum, orationis atque exaltationis ejusdem sanctæ Dei ecclesiæ gratia, venissemus, inter reliquos qui, ut diximus, plurimas proclamabant querelas, venit Ingoaldus venerabilis abbas monasterii beatæ et gloriosæ semper virginis Mariæ, constituti, in finibus Sabinens., asserens suum monasterium, ablata pristina libertate, sub tributo ac pensione a Romanis pontificibus constrictum, multasque possessiones eidem monasterio violenter ablatas. Unde sciscitantes studiose interrogavimus qua ratione aut prædictas res acquirere, aut prædictæ potestatis dominium speraret evadere. Qui illico nostris obtulit aspectibus antiqua Longobardorum regum præcepta, continentia quemadmodum ipsum sanctum locum regali auctoritate sub sua defensione atque immunitate omni tempore perseverare statuerunt. Præcipue itaque ostendit et præceptum confirmationis piæ memoriæ domini avi nostri Caroli serenissimi Augusti, præceptum quoque domini et genitoris nostri Ludovici invictissimi imperatoris, quæ eidem monasterio beneficii et puritatis munus pro mercedis suæ augmento emiserunt. In quibus continebatur qualiter prædictum monasterium sub suæ defensionis privilegio cunctis diebus permanere decreverunt, sicut cætera monasteria quæ in regno a finibus Franciarum consistunt; scilicet ut nulli unquam pontificum, episcoporum, du-

cum, vel cuicunque principum, liceat sæpedictum monasterium sub tributo aut quacunque pensione ponere, aut de eo aliquid auferre, vel de rebus eidem loco subjectis quidquam minuere. Quibus inspectis, justum et rationabile nobis nostrisque optimatibus, atque etiam Romanis primatibus, visum est ut et piorum regum scripta, et maxime domini Caroli, atque genitoris nostri domini Ludovici Augustorum præcepta, perpetua stabilitate firmissimum roborem obtineant. Res quoque eidem monasterio violenter ablatas, omni excusatione postposita, jussimus reddere.

Unde placuit nobis genitori ac genito, utique prædictis principibus, concordi atque communi voluntate, ut jamdictus almus locus sub nostra successorumque nostrorum defensione atque immunitate perpetuis perseveret temporibus : atque ad petitionem prædicti Ingoaldi venerandi ejusdem monasterii abbatis, ipsas aliasque res in finibus Sabin. vel ubicunque sitas, eidem monasterio juste pertinentes, inconcussa stabilitate ibidem præsenti præceptione nostris futurisque temporibus, sine cujusquam violenta inquietudine, firmas semper constituimus permanere...

## CXVII.

### PRO MONASTERIO SANCTI MEDARDI.

(*Anno* 824.)

[Apud. Mab., *Act. SS. ord. S. Bened.*, part. I sæc. IV.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Licet nihil ad augmentum gloriæ sanctorum conferre possit id quod a fidelibus ad loca venerabilia in quibus eorum corpora quiescere noscuntur fuerit oblatum, credendum tamen est multum eorum saluti proficere, qui sua propter amorem Dei ad memorias martyrum deferunt : quia de his oblationibus pauperes aluntur, et egeni, quibus de suo non suppetit unde vivere possint : certumque est Christum in illorum veneratione coli atque honorari, qui pro illo suas animas ponere non dubitarunt, et cum quibus se futurum usque ad sæculi consummationem veridica voce promisit. Igitur cum industria atque instantia venerabilis Hilduini abbatis monasterii sancti Medardi, sacrique palatii nostri archicapellani, corpus beatissimi ac pretiosissimi martyris Christi Sebastiani, per auctoritatem et largitionem domni Eugenii apostolici specialis [*Al.*, spiritualis] [patroni] nostri, ab urbe Roma apud Suessionem civitatem in monasterio sancti Medardi confessoris Christi, quod vir venerabilis Hilduinus abbas tempore præsenti regere cognoscitur, fuisset translatum, tanta ibi signorum ac prodigiorum vis in omni genere sanitatum per ejusdem gloriosissimi martyris merita coruscat, ut merito ad venerationem illius cunctorum fidelium corda moverentur. Qua de re cum et nos orandi gratia ad memoratum locum venissemus, et ecclesiam ob venerationem sancti Medardi, præfatique præclarissimi Christi martyris Sebastiani a fundamentis construere et ornare, atque mysteria [ministeria] aureis gemmisque ornata ad missarum solemnia celebranda conferremus, placuit nobis propter opus supra memoratum perficiendum, et ad luminaria concinnanda, sustentationemque pauperum atque hospitum receptionem, ad memoriam beatissimi martyris Christi Sebastiani aliquid de rebus propriis nostris solemni donatione conferre, ut per intercessionem ejus præmia perennis vitæ percipere, et regnum nostræ curæ commissum sub divina protectione feliciter gubernare mereamur. Donamus igitur eidem beatissimo sancto Sebastiano martyri quoddam monasterium nostrum, cujus vocabulum est Cauciacum (*Choisy*), quod est constructum in honore sancti Stephani protomartyris, situm in pago Noviomense super fluvium Axonam, cum omni thesauro et supellectile sua, et cum ecclesiis, domibus, ædificiis, villis, terris cultis et incultis, vineis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, exitibus, et regressibus, necnon et forestam, quæ dicitur Verrga, cum suis feraminibus, et cum omnibus appendiciis vel adjacentiis suis, vel quantumcunque prædicto monasterio antiquo et moderno tempore aspicere vel deservire videtur, totum et ad integrum vel inexquisitum, sicut superius dictum est, ad memoriam sæpe dicti beatissimi Sebastiani martyris Christi, ad luminaria concinnanda, et ad hospitum receptionem et sustentationem pauperum de nostro jure in jus et dominationem ejus transferimus : ita tamen ut rectores ejusdem monasterii, ubi illud sacratissimum corpus requiescit, non habeant potestatem prædictum monasterium Cauciacum, vel appendicia ejus cuilibet in beneficium aut in usum meriti dare : sed tantum ad hoc semper permaneat ad quod nos illud devovimus atque tradidimus, scilicet ad luminaria concinnanda, et ad susceptionem pauperum, et receptionem hospitum. Sed et hoc huic præcepto largitionis nostræ inserere placuit, ut abbates præfati monasterii beatissimorum sanctorum Medardi et Sebastiani, in eorum providentiam habeant coram Deo, ut in prædicto monasterio Cauciaco, quod memorato sancto Sebastiano martyri contulimus, tanta congregatio ibi sit, quæ et religionem sanctam tenere possint, et divinum officium pleniter Deo persolvere queant. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, et more nostro subscribere, ac de bulla nostra sigillari jussimus.

## CXVIII.

### PRIVILEGIUM LOTHARII PRO MONASTERIO COMENSI.

(*Anno* 824.)

[Ughelli, *Italia sacra*, tom. V, pag. 266.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Lotharius Augustus invictissimi domini imperatoris Ludovici filius.

Dignum est ut quicunque ab igne, seu a quolibet accidente casu damnum perpessus fuerit, et impe-

riali ope se muniri quæsierit, ut ab ejus clementia A relevetur, a quo se credit imploratum auxilium posse adipisci. Proinde noverit sagacitas, seu industria omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, eo quod vir venerabilis Leo Comensis episcopus nostræ innotuit serenitati, qualiter per quamdam negligentiam atque incuriam omnia instrumenta chartarum, per quæ res tam a parentibus, quamque ab extraneis personis sibi traditas, aut ab eo emptas, seu commutatas, jure proprietatis tenere atque defendere debuisse, exustaque vel concremata fuissent : idcirco petiit serenitatem nostram, ut pro nostræ mercedis augmento et firmitatis studio nostram auctoritatem super hoc negotium ei fieri juberemus, per quam modernis et futuris temporibus res et mancipia quæ per præfata instrumenta B chartarum ei traditæ fuerant, aut ab eo emptæ, seu commutatæ, sive per quamlibet scripturam juste et legaliter in jure ipsius, tam in pago [*Forte leg.* agro] Comensi quam in finibus Sibriensis [*Forte*, Sepriensis] pervenisse, atque quiete seu secure dignoscitur possedisse, tenere atque possidere valeret. Nobis itaque libuit ejusdem venerabilis viri petitionibus assensum præbere, et ad ejus petitionem hanc nostram imperialem auctoritatem fieri decrevimus. Præcipimus ergo atque jubemus, ut omnes res atque mancipia quæ ei per quamlibet scripturam a quibuscunque personis, tam a propinquis quamque ab extraneis, juste et legaliter collatæ fuerunt, et usque ad diem supra scriptæ exsecutionis quiete et secure, nemine inquietante atque pulsante, jure C proprietario tenere atque dominare visum fuerit, per hanc nostræ auctoritatis confirmationem absque ullius inquietudine, vel injusta interpellatione rite et secure habere vel possidere valeat. Quod si forte super ejusdem rebus ante prædictam exsecutionem ab eo jure et quiete possessis quæstio orta fuerit, ut pro eis legaliter in foro disceptare necesse sit, ita per hanc nostram auctoritatem prædictæ res et mancipia defendantur sicuti per eadem instrumenta, si igne absumpta non fuissent, legibus defendi poterant. Hæc vero auctoritas, ut nostra esse credatur et a fidelibus dictæ sanctæ Ecclesiæ et nostris per futura tempora conservetur, manu propria et annuli nostri effigie subtus eam voluimus esse robo- D randam.

Signum Lotharii gloriosissimi imperatoris.

Maredo ad vicem Vitgagii recognovi.

Datum secundo Nonas Junii, anno, Christo propitio, imperii domini Ludovici serenissimi imperatoris decimo, regnique Lotharii gloriosissimi Augusti in Italia primo, indictione prima. Actum Venonica villa Vilfredi comitis, in Dei nomine feliciter. Amen. Anno Domini 823.

## CXIX.

### PRIVILEGIUM LOTHARII PRO EODEM MONASTERIO.

(*Anno* 824.)

[Apud Ughel., *ibid.*]

In nomine Domini Jesu Christi Dei æterni, Lotharius Augustus invictissimi domini imperatoris Ludovici filius.

Si provide, propter reverendum venturi atque pavendi Judicis amorem, justis ac rationabilibus sacerdotum atque servorum Dei petitionibus, quas nobis propter quietem sanctæ atque catholicæ, seu decorem præsentis status Ecclesiæ, cujus Deo auctore regimen sortiti sunt, innotescere curaverint, aures clementiæ nostræ divinitus instigati accommodamus, easque æstuanti desiderio ad debitum, Deo propitio, perduxerimus effectum, non solum imperialem consuetudinem exercemus, atque prædecessorum nostrorum, videlicet regum Francorum, facta conservando, et nostra in posterum a posteris inviolabiliter favendo roboramus, verum etiam ad præmia patriæ cœlestis percipienda hujusmodi facta absque ambage valere confidimus. Quapropter comperiat fidelitas omnium nostrorum fidelium, modernorum videlicet et futurorum, quia Leo vir venerabilis sacrosanctæ Ecclesiæ Comensis episcopus, ubi sanctus confessor Christi Abundius pretioso corpore requiescit, magnificum culmen nostræ serenitatis adiens, detulit obtutibus nostris quamdam auctoritatem seu confirmationem domini et genitoris nostri Ludovici excellentissimi Augusti, in qua continebatur qualiter præceptum piæ recordationis avi nostri Caroli gloriosissimi imperatoris, seu præceptum confirmationis, scilicet Cumperti, Ariperti, et Liutprandi, Ratigisii, Heistulphi, Desiderii, vel prædecessorum eorum, quæ ipsi circa eumdem venerabilem locum pro divino amore fecerunt de omnibus rebus quæ eidem sacro loco, tam ab ipsis quamque a quibuscunque personis, juste et legaliter fuerint traditæ, sive de iis quæ in antea cum justitia acquirere potuerit, more imperiali confirmaret. Sed et specialiter in eodem insertum erat de teloneo, seu mercato, et Gegis, cum ipso loco, necnon in canonicale stipendium concedimus Comanis ecclesiasticis Clusas, et pontem juris nostri de Clavenna æternaliter : insuper in eadem continebatur auctoritate de altercatione quæ orta fuit inter Petrum ejus prædecessorem, atque Rectorem sanctæ Comensis Ecclesiæ episcop. et Vualdonem sancti Dionysii abbatem, qualiter idem devotæ recordationis avus noster, pius ac gloriosus imperator Carolus, de eadem intentione decreverat, videlicet de rebus quas Waldo abbas prædicto Petro episcopo quæsivit, quæ erant sitæ in Valle Tellina in ducatu Mediolanense, ut sicut hactenus per confirmationem antecessorum regum, easdem res, quas Comensis Ecclesia tenuerat, ita et in futurum per ejus confirmationem teneret. Ipsæ vero res erant ecclesiæ baptismales, una in Amatia, et altera in Burmis, tertia in Postlavo, et monasteriolum S. Fidelis pertinens ad episcopatum Comensem. Videlicet pro hujus rei firmitate petiit prædictus venerabilis Leo episcopus quietem serenitatis nostræ, ut non solum præcepta domini et genitoris nostri, seu sanctæ recordationis avi Caroli nostra auctoritate confirmaremus, verum

etiam res quæ suprascripti reges, seu antecessores eorum, videlicet principes Longobardorum, hi sunt Ansprandus, Cumbertus et Bertharius, per eorum auctoritates prædictæ Ecclesiæ delegaverunt, vel confirmaverunt, omnia nostra auctoritate complectantur, atque præfatæ sanctæ Comensi Ecclesiæ pro amore Dei et reverentia sancti Abundii nostræ præceptionis confirmatione confirmarentur atque corroborarentur. Cujus petitioni propter amorem divinum assensum præbuimus, juxta quod petiit, antedicta præcepta veterum regum nostro imperiali præcepto confirmavimus; specialiter decernentes ut quidquid in præceptis domini ac genitoris nostri, seu magnifici imperatoris Caroli avi nostri continetur, vel quæ præscripti reges Longobardorum præfatæ Ecclesiæ cum justitia delegaverunt vel confirmaverunt, et quiete et juste possidere, perenniter, et sine ulla resultatione firmum et stabile permaneat. Decernimus insuper atque sancimus ut omnes res prædictæ Ecclesiæ Comensis sub defensione et mundio palatii nostri, sicut tempore patris et avi nostri fuerunt, perenniter consistant. Et si aliqua altercatio de rebus prædictæ Ecclesiæ, quæ per hoc nostrum præceptum, et pro mercedis nostræ augmento confirmavimus, orta fuerit, quæ ibi minime definiri valuerit, ad sacrum palatium nostrum reservetur, quatenus ibi secundum rectitudinis tramitem terminum accipiat. Et ut hæc auctoritas per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Lotharii gloriosissimi imperatoris.

Maredo ad vicem Vitharii recognovi.

Datum tertio Non. Januarii, anno, Christo propitio, 11 imperii D. Ludovici piissimi Augusti, Lotharii filii ejus gloriosissimi regnantis 2, indictione 2, anno 824.

Actum Compendio palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXX.

### DE QUADAM COMMUTATIONE INTER LEIBULFUM COMITEM ET NOTONEM ARCHIEP. ARELATENSEM.

(*Anno* 825.)

[Apud D. Bouquet., tom. VI, p. 540, ex *Tabulario Anianensi*.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si enim ea quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, et hoc in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, industria, quia vir illuster Leibulfus comes per Hilduinum archicapellanum nostrum nobis subjecit ut liceret ei de quibusdam rebus proprietatis suæ commutationem facere cum rebus episcopatus Arelatensis ex beneficio videlicet suo. Nos itaque jussimus per nostras litteras Notoni Arelatensi archiepiscopo utrasque res perspicere, et si congruum atque utilissimum ambabus partibus esset, licentiam haberent inter se commutandi, et chartulam, sicuti moris est, inter se faciendi. Veniens itaque prædictus vir reverentissimus Noto archiepiscopus in præsentiam nostram, dixit se commutationem in manibus habere, asserens prædictam commutationem congruam et utilissimam esse, obsecrans, tam ex parte sua quam ex prædicti Leibulfi, ut super easdem commutationes nostrum fieri decerneremus præceptum. Cujus petitioni assensum præbentes, jussimus ita fieri sicut ipsi obsecrabant. Continebatur enim in eisdem commutationibus quod prædictus Noto archiepiscopus una per consensum et voluntatem canonicorum suorum dedisset ex rebus episcopatus sui de beneficio videlicet prædicti Leibulfi, eidem Leibulfo ad suum proprium ad habendum aliquas res de ratione S. Mariæ et S. Stephani, vel S. Genesii in pago ipso Arelatensi insulam suburbanam ipsius civitatis quæ de utrisque partibus circumdatur a Rhodano flumine, cum ecclesiis duabus; et domos ad habitandum tres cum aliis mansiunculis tribus: et de vinea modiatas XII, de prato modiatas VI, de horto modiatam unam, de terra culta et inculta modiatas XL; et in loco qui vocatur Rubinas, casas VIII, hortos duos, de vinea modiatas IV; et in loco, qui vocatur Ferromannis, mansiones V, hortum unum, de terra modiatas CCLXX; et in territorio ipsius civitatis, in Campo Lapideo, pascua de supradictis ecclesiis, quæ dicitur Prinnannus, ubi puteus aquæ defossus esse dignoscitur, solidatas XII cum terminis et laterationibus earum, sicut in præscriptis commutationibus continetur. Et e contra in compensatione harum rerum dedit prædictus Leibulfus comes partibus prædictarum ecclesiarum S. Mariæ et S. Stephani et S. Genesii ex rebus proprietatis suæ, quæ sunt infra agrum qui vocatur Argenteo, in villa Campo Publico ecclesiam cum altaribus tribus, quæ sunt in honore sanctæ Mariæ et sancti Petri et sancti Joannis, cum secretario, et cellas duas cum curte et horto et arboribus; et de vinea modiatas XV, de terra arabili modiatas LX; etiam in ipsa villa domos duas cum curtibus et hortis. Et in villa quæ dicitur Rannessa, et in villa quæ dicitur Gelariano, casas IIII, vineas IIII, et de horto modiatam unam, et de alia vinea modiatas X; et in villa quæ vocatur Occisianus, casas duas cum areis duabus, et in villis quæ vocantur Ganglacus, Curicus et Occisianus, et in villa Campo Publico de terra modiatas CCCC', de vinea modiatas XIIII, cum terminis et laterationibus earum, quemadmodum in eisdem commutationibus continetur. Unde et duas commutationes, sicut superius comprehensum est, pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum roboratas præfatus Noto archiepiscopus præ manibus se habere professus est. Sed pro integra firmitate petierunt celsitudini nostræ ut ipsas commutationes denuo

per nostræ mansuetudinis præceptum plenius in Dei nomine confirmare deberemus. Quorum petitionibus [assensum] denegare noluimus, et sicut unicuique fidelium nostrorum juste petentium, ita nos illis concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus ut quidquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, ut quidquid exinde facere voluerit, libero in omnibus perfruatur arbitrio faciendi quidquid elegerit. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Signum Ludovici imp. Augusti.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data III Nonas Januarias, anno, Christo propitio, 11 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 3. Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXXI.

### PRO MONASTERIO DIONYSIANO.

(*Anno* 825.)

*Ludovici Pii et Lotharii imperatorum præceptum, quo monasterium Dionysianum eximitur a pensione ducentorum vini modiorum.*

[Mabill., *de Re. diplom.*, tom. II, pag. 535.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti.

Si enim ex his quæ.... et ecclesiis sanctorum Dei annuali consuetudine persolvuntur, ob Dei amorem nostris futurisque temporibus remittimus, atque ad utilitates et necessitates ipsarum ecclesiarum procurandas concedimus; hoc nobis procul dubio ad perpetuam mercedem profuturum confidimus. Idcirco notum sit omnibus præsentibus et futuris, quia vir venerabilis Hilduinus monasterii sancti Dionysii abba, sacrique Palatii nostri Archicapellanus, nostræ innotuit celsitudini, quod cujusdam antecessorum nostrorum tempore, occasione pro indigentiæ vini interveniente, ab eo qui tunc temporis rem publicam gubernabat, de præc......... necessitatis et indigentiæ ex monasterio sancti Dionysii ad Vern villam nostram præberentur. Unde cum idem abba, qui illo in tempore eidem sanctæ ecclesiæ præerat, ducenta modia vini illic propter jam dictam petitionem tribuisset; et cæteri qui post illum rectores ejusdem loci fuerunt, similiter egissent; adque hujus....... pro lege et debito censu in ipsa villa ab actoribus regiis teneri videretur: ideoque petiit, ut ob Dei amorem et sanctorum illic quiescentium reverentiam, ab hac lege et consuetudine ipsam sanctam Ecclesiam absolveremus. Cujus petitionem, imo et deprecationem, ad salutem animæ nostræ nobis utilem ac....... quod postulabat eidem sancto loco concessimus, et in potestate et arbitrio illius manere constituimus: ut sicut a nobis per illius intercessionem indultum et concessum fuerat, ita ad quamcunque communem illius ecclesiæ utilitatem....... vellet, in omnibus. ..... et omnimodis jubemus, ut nec nostro, nec ullo unquam successorum nostrorum tempore, ipsum vinum a potestate præfati monasterii quispiam nec judex, nec missus, nec ulla alia persona exactare aut requirere præsumat: sed liceat præfato fideli nostro Hilduino....... negotium ecclesiastica necessitas dictaverit, illud perpetualiter deputare: quatenus nostræ eleemosynæ concessio de ipso censu stabilis et inviolata futuris temporibus in ipso loco permaneat, sicut pro Dei amore et æternæ mercedis retributione......... concessum ac confirmatum esse dignoscitur. Et ut hæc auctoritas per futura tempora pleniorem obtineat firmitatem, annuli nostri impressione subter eam signari jussimus.

Adalulfus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi et subscripsi.

Data præcisa est.

## CXXII.

### MONASTERIUM ARGENTOLIENSE COENOBIO DIONYSIANO RESTITUITUR.

(*Anno* 825.)

[Apud D. Bouquet., tom. VI, pag. 542, ex Dubleto, *Hist. abb. S. Dionysii*, pag. 736.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti.

Si ea quæ a Deum timentibus hominibus ad loca divino cultui dedicata solemni donatione largita, vel condonata sunt, et postea qualibet occasione inde abstracta esse noscuntur, nostra auctoritate ad statum suum revocamus, et iterum nostræ jussionis oraculo confirmamus, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem adipiscendam, seu stabilitatem imperii nostri roborandam pertinere confidimus. Ideo notum sit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam et futurorum industriæ, quia illustris femina, soror videlicet nostra, Theodrada Deo sacrata, nostræ suggessit mansuetudini qualiter compertum habuisset quod monasterium vocabulo Argentogilum, situm in pago Parisiaco super fluvium Sequanæ, quod ipsa primo per beneficium domni et genitoris nostri Caroli serenissimi imperatoris, et postea per nostram largitionem tenebat, ad monasterium beati et gloriosi Christi martyris Dionysii, ubi præsenti tempore vir venerabilis Hilduinus abbas, et sacri palatii nostri archicapellanus, rector præesse videtur, pertinere deberet: petiitque ut pro mercedis nostræ augmento ad statum pristinum illud revocari fecissemus, eo videlicet modo ut memoratum monasterium post suum ab hac luce discessum, si tamen aliud monasterium ei antea in comparatione pro ipso a nobis datum non fuerit aut propria voluntate eum dimittere non voluerit, ad potestatem monasterii S. Dionysii absque ulla contrarietate vel cujusquam interrogatione reciperetur. Nos vero, audita illius salubri ac religiosa petitione, prædictum venerabilem virum Hilduinum quia præsens aderat, si quid de hac re compertum haberet interrogavimus. Qui statim donationem cujusdam Deum

timentis ac religiosi hominis nomine Ermenrici ac A conjugis suæ Mumanæ, qui præfatum monasterium in suo proprio construxerant, et id per testamenti paginam ad B. Dionysii martyris Christi monasterium solemni donatione contulerant, nec non et præceptum confirmationis Lotharii quondam regis, quod super eamdem donationem conscribere jusserat, nobis ad relegendum ostendit : quibus inspectis placuit nobis petitioni memoratæ dilectæ sororis nostræ Theodradæ annuere, et, sicut petebat, per nostram auctoritatem supradictum monasterium Argentogilum ad potestatem sancti Dionysii pretiosissimi Christi martyris revocare; quapropter hanc nostræ auctoritatis confirmationem fieri præcipimus, per quam omnimodis decernimus atque jubemus ut jam dictum monasterium Argentogilum post B ipsius dilectæ sororis nostræ ab hac vita discessum, ad monasterium et potestatem sæpe dicti beatissimi Christi martyris Dionysii, ad quam primitus ob Dei amorem et ipsorum sanctorum reverentiam piamque intercessionem a supradictis Dei fidelibus traditum vel condonatum fuisse noscitur, absque ullius personæ contradictione, aut nostra vel successorum nostrorum interrogatione recipiatur, et in jure ac dominatione ipsius monasterii, cum omni integritate vel appenditiis suis, quidquid ibidem præsenti tempore cernitur pertinere, revocetur. Et si forte contigerit ut eadem soror ipsum monasterium aut spontanea voluntate, ut diximus, aut pro commutatione alterius monasterii ante finem vitæ suæ dimittere velit, tunc nihilominus absque ulla contradi- C ctione aut exspectata consignatione, ad præfati monasterii martyris Christi Dionysii monasterium, sicut supra insertum est, perpetualiter ad habendum recipiatur : et in postmodum nullo unquam tempore ulla qualibet dignitate aut potestate prædita persona rectoribus monasterii præfati ac beatissimi Christi martyris Dionysii aliquam requisitionem facere, aut ullam calumniam ingerere præsumat : sed liceat illis, sine cujuslibet injusta interrogatione, præfatum monasterium Argentogilum, sicut cæteras res, ad beati Dionysii potestatem simili modo condonatas ac pertinentes, quieto ordine tenere ac disponere; et quidquid pro opportunitate atque utilitate ipsius ecclesiæ secundum Christianæ religionis regulam facere voluerint, liberam in omnibus habere D potestatem. Et ut hæc auctoritas confirmationis seu redditionis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manibus propriis nostris subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Signum Lotharii gloriosissimi Augusti.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit.

## CXXIII.

### PRO ECCLESIA RHEMENSI.

(*Anno* 825.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, pag. 543, ex Flodoardo, (lib. II *Hist. Eccles. Rhem.*, c. 19.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti.

Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, et necessitates ecclesiasticas nostro relevamus juvamine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quod sanctam Rhemensem ecclesiam, in qua prædecessores nostri, reges videlicet Francorum, fidem et sacri baptismatis gratiam perceperunt, in qua et nos per impositionem manus domni Stephani papæ imperialia sumpsimus insignia, ob reverentiam fidei Christianæ et ob animæ nostræ salutem ab imo construi fecimus, eamque in honorem Domini nostri Jesu Christi salvatoris mundi, simul et in honorem ejusdem sanctæ et intemeratæ genitricis Mariæ, consecrari decrevimus; itaque divina inspiratione compuncti et cœlestis patriæ amore succensi, quædam prædia quæ eidem sanctæ sedi quondam ablata fuerant, devota mente restitui jussimus, id est in suburbanis ipsius sanctæ Ecclesiæ titulum S. Sixti, nec non et titulum S. Martini, cum appenditiis eorum: exterius etiam in eadem parochia, in castro Vonzensi titulum baptismalem, et titulum in eadem parochia S. Joannis similiter baptismalem, cum suis appenditiis et Bretiniacum : villam quoque Spernacum cum appenditiis suis et in villa quæ vocatur Lucida, nec non et in Proviliaco in eodem pago Rhemensi : in pago vero Dulcomensi villam quæ vocatur Canera, necnon et in villa quæ dicitur Verna in pago Vertudensi, vel si forte deinceps de rebus sanctæ Ecclesiæ prædictæ temporibus nostris adhuc superaddendum decrevimus, statuimus per hoc nostræ auctoritatis [a] præceptum ut non tantum de istis restitutis, sed etiam restituendis, quidquid de ipsis vel in ipsis rectores et ministri præmemoratæ Ecclesiæ elegerint, ita debeant perpetualiter possidere atque ordinare, vel etiam facere, proutcunque sibi propensius voluerit, ut absque ullius injusta contradictione ordinent atque disponant, et faciant quidquid utilitati prædictæ ecclesiæ congruere et convenire perspexerint. Et ut hæc nostræ auctoritatis confirmatio præsentibus futurisque firmiorem in omnibus semper obtineat vigorem, manibus propriis subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

[a] Putat Marlotus hoc præceptum datum fuisse, Ebone jam exauctorato, cum hujus in eo non meminerint imperatores, cathedralis vero ecclesiæ structuram penitus completam significent.

CXXIV.

PRO MICIACENSI S. MAXIMINI MONASTERIO.

(*Anno* 825.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des hist.*, tom. VI, pag. 544; ex Cointio, *Annal. eccles.*, pag. 756.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti.

Cum petitionibus sacerdotum Christi ad divini cultus honorem pertinentibus annuimus, et imperialem consuetudinem adimplemus, et id procul dubio nobis ad æternam remunerationem capessendam profuturum fideliter credimus. Notum igitur esse volumus fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, prudentiæ, necnon et successorum nostrorum magnitudini, quod postulavit vir venerabilis Jonas Aurelianensis Ecclesiæ episcopus, ut privilegium, quod ob divinæ servitutis honorem et monasticum ordinem veraciter religioseque servandum circa cellam sancti Maximini, quæ est juris episcopii sui, cum conniventia metropolitani sui Jheremiæ archiepiscopi et canonicorum ecclesiæ, cui Deo largiente ministrat, nuper fecerat vel firmaverat, nostra auctoritate imperiali confirmaremus quod privilegium nostris obtutibus exhibuit; cujus constitutionem, quia juste ac rationabiliter ob amorem Dei et animarum salutem factam esse perspeximus, æquum dignumque judicavimus ut ejus petitioni assensum præberemus. Quapropter per hanc nostræ præceptionis auctoritatem jubemus et omnino decernimus ut, sicut ab eodem episcopo per memoratum privilegium erga eamdem cellam constitutum est, ita nostris futurisque temporibus a rectoribus memoratæ ecclesiæ modis omnibus observetur; ita duntaxat ut in præfata cella, in qua olim viros sub monastico ordine probabiliter vixisse Deoque placuisse evidentia argumenta testantur; quorum etiam interventu idem ordo in eodem loco creditur esse restitutus, memoratæ sedis pontificibus procurantibus, semper regularis ordo religiosissime teneatur ac custodiatur; et cum abbas ipsius monasterii rebus humanis exemptus fuerit, providente ejusdem sedis pontifice, ac piam paternamque sollicitudinem gerente, eo ordine præferatur eis abbas, sicut in eodem continetur privilegio. Res quoque, sive quæ eidem cellæ juste et legaliter pertinent, cum prædiis duobus, Quasellis scilicet et Castaneo Villari; sive quas idem episcopus postea de causa episcopii sui, de ratione scilicet alterius cellæ sancti Maximini ad divinum officium honorificentius peragendum ei superaddidit, in integrum absque ulla sui diminutione, sicut ab eo constitutum est in usus monachorum cedant. Quod si forte his rebus propter Dei amorem episcopo ipsius sedis quippiam superaddere libuerit, id cum Dei gratia, suffragante sibi pontificali auctoritate, libentissime peragat: et si forte hoc ei facere et voluntas et facultas denegaverit, de his quæ collectæ sunt, nihil aut cupiditate ductus, aut alicujus persuasione succensus quolibet modo auferat; sed potius monachi ipsius cellæ his et cæteris rebus a Deum timentibus sibi collatis suffragati, liberius devotiusque divinæ potentiæ famulari valeant, et pro nobis, conjuge et prole, et stabilitate imperii a Deo nobis collati, et per immensum sua gratissima pietate conservandi, necnon et pro rectoribus ecclesiæ cujus loco et rebus utuntur, jugiter divinam implorent misericordiam. Si vero quispiam prælatorum memoratæ sedis præfatam constitutionem contra hanc nostram præceptionem quodammodo irritam facere ac penitus convellere voluerit, volumus atque decernimus ut res ad notitiam Senonici metropolitæ perferatur, quatenus is, adhibitis suæ diœceseos suffraganeis episcopis, idem negotium diligenti indagine discutiat et corrigat, et ad statum pristinum, salva memoratæ sedis dignitate ac potestate, revocare procuret. Porro si contigerit idem negotium propter aliquam sui difficultatem ab eo minime posse diffiniri, volumus ut ejus relatu nostris successorumque nostrorum auribus res innotescat, videlicet ut nostræ auctoritatis sanctione in generali conventu episcoporum hujus constitutionis convulsor corripiatur et corrigatur, ut eorum salubri judicio memorata constitutio pristinum status sui recuperare valeat vigorem. Præsul siquidem memoratæ ecclesiæ summopere provideat ut monachi ipsius cellæ rebus memoratæ matris ecclesiæ donati, otiumque sanctæ quietis per memoratum privilegium et hanc nostram auctoritatem adepti, in his in quibus se Deo devinxerunt, divina adjuvante gratia, inviolabiliter permaneant: ita videlicet ut nec interius a suo proposito deviare, nec exterius res sibi deputatæ eorum insolentia aut incuria quomodo negligi aut subripi possint; sed ecclesiæ, cujus loco et rebus utuntur, in omnibus fidem et humilem congruamque subjectionem, sicut decet et oportet, servare meminerint, nec se putent propter nostram auctoritatem a jure et potestate ipsius ecclesiæ subtrahere, aut easdem res qualibet machinatione alienare posse, præsertim cum et locus et res quibus utuntur juris sint ipsius ecclesiæ, et ab ejus merito pendeant potestate. Quæ ut pleniorem in Dei nomine obtineant vigorem, ut hæc etiam verius certiusque credantur ac melius conserventur, nominis nostri charactere muniri, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Data XIII Kal. Mart., anno, Christo propitio, 12 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 3. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

CXXV.

PRO ALBOINO ABBATE ANISOLENSI.

(*Anno* 825.)

*Concedit facultatem eligendi abbatis.*

[Apud Mart., *Thesaurus anecd.*, t. I, p. 23.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, seu etiam Deo dispensante successoribus nostris, notum sit quia venerabilis Alboinus abbas monasterii S. Carilefi, quod dicitur Anisola, ad nostram accedens clementiam, suggessit mansuetudini nostræ, ut sicut auctoritas canonica et regularis jubet, monasterio cui ipse Deo auctore præest, per nostrum præceptum confirmare et post ejus obitum, si talis inventus in prædicto monasterio fuisset, qui secundum regulam sancti Benedicti monachis Deo ibidem militantibus præesset, prodesse potuisset, licentiam haberent inter se eligendi abbatem. Cujus deprecationem quia justa et rationabilis nobis visa est, aurem accommodavimus, et hos nostros imperiales apices fieri jussimus, per quos decernimus atque jubemus ut post prædicti abbatis discessum, si talis ibi de eadem congregatione inventus repertus fuerit, qui cæteros secundum regulam sancti Benedicti regere possit, licentiam habeant inter se eligendi abbatem, qualiter ipsam congregationem pro nobis, conjuge nostra, proleque nostra, et stabilitate totius imperii nostri hilariter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hanc auctoritatem a nobis factam verius credatis et diligentius conservetis, manu propria nostra subter firmavimus, et annuli nostri impressione signare jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridegisi recognovi.

Data pridie Kalendas Junii, anno, Christo propitio, 12 domni Ludovici imperatoris, indictione tertia. Actum Aquisgrano, palatio regio.

## CXXVI.

### DE VILLA CLUNIACO.

(*Anno* 825.)

[Ex chartulario Cluniacensi, apud D. Bouquet., *Recueil des hist.*, tom. VI, pag. 546.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si enim ea quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, et hoc in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, industria, quia vir venerabilis Hilduinus abbas et sacri palatii summus capellanus innotuit serenitati nostræ, eo quod Hildebaldus Matescensis Ecclesiæ episcopus et vir illuster Warinus comes de quibusdam rebus pro communi utilitate et compendio nuperrime inter se commutationem fecissent. Dedit igitur prædictus Hildebaldus episcopus ex ratione episcopatus sui eidem Warino comiti et uxori suæ Albanæ, ad eorum proprium perpetualiter ad habendum, in eodem pago Matescense villam, cujus vocabulum est Anniacus, cum ecclesia in eadem villa, et cum casis, domibus, ædificiis, vineis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decur-A sibus, farinariis, exitibus et regressibus, cum mancipiis ibidem commanentibus, cum omni agnatione eorum, omnia et ex omnibus, totum et ad integrum, quidquid ad ipsam villam aspicere videtur; nec non et in pago Nivernense villam cujus vocabulum est Aptannacus, cum ecclesia ibidem constructa, cum mansis, domibus, ædificiis, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, silvis, exitibus et regressibus, et cum mancipiis ibidem commanentibus, vel cum omni agnatione eorum, omnia et ex omnibus, quantumcunque ad ipsam villam aspicere videtur: E contra in compensatione hujus rei dedit memoratus Warinus comes et uxor Albana de rebus proprietatis eorum eidem Hildebaldo episcopo ad partem Ecclesiæ suæ in B eodem pago Matescense villam, cui vocabulum est Gemuliacus, cum ecclesia ibidem constructa, cum mansis, domibus, casis, ædificiis, vineis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, exitibus et regressibus, et mancipiis ibidem commanentibus, cum omni agnatione eorum, omnia et ex omnibus, quantum ad ipsam Ecclesiam aspicere videtur, et eorum possessio esse dignoscitur. Et in pago Nivernensi villam cujus vocabulum est Calda-Aqua, cum casis, domibus, ædificiis, mansis, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, exitibus et regressibus, cum mancipiis ibidem commanentibus, cum omni agnatione eorum, omnia et ex omnibus, quantumcunque ibidem eorum proprium esse videtur. Nec non et in C ducatu Alvernico in pago Donobrinse villam, cujus vocabulum est Lituinias, cum casis, domibus, ædificiis, mansis, vineis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, et cum mancipiis ibidem commanentibus, cum agnatione eorum, omnia et ex omnibus, quantumcunque eorum proprium esse dignoscitur. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum roboratas se præ manibus habere professus est; sed pro integra firmitate petiit celsitudini nostræ ut ipsas commutationes denuo per nostræ mansuetudinis præceptum plenius in Dei nomine confirmare deberemus. Quorum petitioni denegare noluimus; sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste petentium, ita nos illis concessisse, atque in omnibus confirmasse co-D gnoscite. Præcipientes ergo jubemus ut quidquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat; vel quidquid exinde facere vel judicare voluerit, libero et omnibus perfruatur arbitrio faciendi quidquid elegerit. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subtus jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovit.

Data III Nonas Junias, anno, Christo propitio, 12 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 3. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXXVII.

LUDOVICI ET LOTHARII IMPP. DONATIO FACTA RICBODONI ABBATI SENONIENSI.

(*Anno* 825.)

[Mabill., *Annal. Bened.*, tom. II, pag. 735.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti.

Omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, notum fieri volumus, quia concessimus cuidam fideli nostro Ricbodoni abbati in beneficium cellulam quæ est constructa in honore Domini nostri Jesu Christi in Vosago, in loco qui vocatur Aluwini-Mons, super fluvium Prusia, quam jamdudum avunculus suus, Wicbodus nomine, episcopio Metensi, quod est in honore sancti Stephani protomartyris B constructum, per strumenta chartarum tradidit. Hanc itaque cellulam cum omnibus juste ad se pertinentibus, totum et ad integrum prædicto fideli nostro Ricbodoni abbati in beneficium per hanc nostræ auctoritatis largitionem concedimus, eo scilicet modo ut omnibus diebus vitæ suæ absque ullius injusta contradictione illam quieto ordine teneat atque possideat; post obitum vero ejus, cum omnibus ad se pertinentibus, ad jus monasterii Senonicæ, quod et ad prædictum episcopium Metense pertinet, ad integrum modis omnibus revertatur. Et ut hæc nostræ auctoritatis largitio firmior habeatur, et per futura tempora melius credatur et diligentius conservetur, manibus propriis subter eam firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus. C

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Signum Lotharii gloriosissimi Augusti.

Hirminmaris notarius ad vicem Fridugisi recognovi et subscripsi.

Data xv Kal. Januarii, anno, Christo propitio, 12 [a] imperii domni Ludovici et domni Lotharii 4, indict. 4. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter.

## CXXVIII.

LUDOVICI PRÆCEPTUM PRO ECCLESIA BRIVATENSI.

(*Anno* 825.)

[Baluz., *Capitul.*, tom. II, pag. 1426.]

In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus. D

Notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris seu etiam, Deo dispensante, successoribus, quia postquam comitatum Brivatensem fideli nostro Berengario illustri comiti concessimus, ille ingenio quo valuit quamdam ecclesiam, ubi sanctus Julianus martyr corpore requiescit, quæ est constructa in vico Brivatensi, non procul a castro Victoriaco, quæ a Saracenis destructa et igne combusta erat, ad pristinum statum reduxit, et in eadem ecclesia constituit triginta quatuor canonicos, et in castro prædicto Victoriaco, quam similiter reædificavit, viginti, ut juxta canonicum ordinem Domino militarent et canonice viverent, quibus de- A dit rex [*Leg.* res] ex beneficio suo, scilicet de rebus prædictæ ecclesiæ sancti Juliani, mansos centum, unde eorum necessitates fulcirent et substentationem habere potuissent, videlicet prædictis clericis in commune sexaginta, et abbati, quem ipsi pariter super se elegerunt, mansos quadraginta, precibus quibus valuit idem Beringarius fidelis comes nostram exoravit clementiam ut per nostrum auctoritatis præceptum constitueremus qualiter prædicta centum mansa nullus exinde abstrahere præsumeret, et ut abbatem super se canonici in prædictis locis constituti inter se eligendi licentiam haberent, et ipse abbas vel congregatio ejus sub nullius ditione fuissent et nemini cuilibet obsequium pro prædictis rebus fecissent, nisi tantum ad partem regis annuatim caballum unum cum scuto et lancea præsentassent, et inpostmodum ab omni exactione vel defunctione publica aut privata immunes et liberi essent. Cujus deprecationi, quia justa et rationabilis nobis visa est, aurem accommodare placuit, et hos nostros imperiosos [*Leg.* imperiales] apices fieri, per quos decernimus atque jubemus ut quemadmodum prædictus Beringarius de suprascriptis locis et abbate atque canonicis vel rebus ibidem concessit, constituit atque præordinavit, et a nobis confirmari postulavit, vel quemadmodum superius dictum est, ita deinceps nostris futurisque temporibus, Domino auxiliante, fixum atque stabile permaneat. Sed et hoc nobis inserere placuit, ut quidquid abhinc futurum in prædictis locis divina pietas per nos aut successores nostros vel per quoslibet liberos et Deum timentes homines largitum atque concessum fuerit, sub eadem conditione, sicut superius dictum est, consistat. Et ut hanc nostræ auctoritatis præceptionem atque confirmationem [*Leg.* hæc nostræ auctoritatis præceptio atque confirmatio] per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, annulo nostro subter jussimus sigillari.

Data cessio ista II Nonas Junii, anno 12 imperii Ludovici serenissimi Augusti, indictione 3.

## CXXIX.

PRO MONASTERIO CORBEIÆ NOVÆ.

(*Anno* 825.)

[Apud Schaten., *Annales Paderb.*, pag. 83.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti.

Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, notum sit quia nos pro divini cultus amore et animæ nostræ remedio quoddam monasterium, quod Corbeia vocatur, in honorem beati Stephani protomartyris infra Saxoniam supra fluvium Wisera, in loco qui dicitur Huxeri, construi jussimus, quod et viro venerabili Adalhardo construendum regendumque commisimus, qui erat abbas in altero antiquiori monasterio, quod æque Corbeia vocatur, a quo et novum supradictum monasterium nomen constat esse sortitum.

[a] Sic authent.; forte leg. 13.

Itaque nos divina inspiratione compuncti, et cœlestis patriæ amore succensi, ob animæ nostræ salutem, concessimus eidem monasterio capellam quam dudum dominus ac genitor noster Carolus imperator in castello quod dicitur Heresburg construi jussit, cum omnibus rebus et mancipiis ac decimis ad eam pertinentibus, quantumcunque dominus ac genitor noster eidem capellæ pia devotione contulisse dignoscitur, cum omni integritate sui, prædicto monasterio ad subsidia monachorum ibidem Deo famulantium, per hanc nostræ auctoritatis donationem a die præsenti perpetuo habendum atque possidendum concessimus, et in ditionem ejus transtulimus, eo videlicet modo, ut quidquid ab hodierna die de prædicta capella, vel de his quæ ad eam pertinent, rectores et ministri supra memorati monasterii disponere atque ordinare pro utilitate ejusdem monasterii vel fratrum in eo degentium voluerint, absque ullius injusta contradictione ordinent atque disponant, et faciant quidquid utilitatibus prædicti monasterii congruere et convenire perspexerint. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, et a fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, seu etiam successoribus nostris, verius certiusque credatur, eam manibus propriis subter signavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Signum Lotharii gloriosissimi Augusti.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi et subs.

Data XII Kalendas Julii, anno, Christo propitio, 13 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 4. Actum Ingilinheim palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

CXXX.

PRIVILEGIUM LOTHARII PRO MONASTERIO NOVALICIENSI.

(*Anno* 825.)

[Apud Murator., *Antiquitates Italicæ*, t. III, p. 577.]

In nomine Domini Jesu Christi Dei æterni, Lotharius Augustus invictissimi domini imperatoris Ludovici filius.

Constat enim nulli mortalium propriis meritis aliquid boni in hac miseræ mortalitatis peregrinatione consequi posse; sed cum liquido cunctis pateat omnia rerum temporalium a Deo bona gratis nobis esse donata, dignum est ut ita pie prudenterque tractentur atque disponantur, ut per ea perennem animæ nostræ salutem valeamus Deo propitio nancisci. Igitur comperiat cunctorum fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, seu nostrorum strenuitas, quia dum ad domini et genitoris nostri Ludovici serenissimi atque religiosissimi Augusti sacrosanctum votum in Montecinisio quoddam [a] hospitale in honore Domini Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi, seu et beatissimæ semper virginis Mariæ ad peregrinorum receptionem, eo jubente, fuerit constructum, voluit tanta illud rerum propriarum substantia locupletare, per quam sufficeret diurnus pauperum Christi concursus tolerari. Sed cum eumdem locum talium rerum copia, quæ essent ipsa propinquitate aptiora, vellet honorare, volente domino et genitore nostro Ludovico gloriosissimo imperatore, sub monasterio nostræ proprietatis, quod vocatur Novelicium, de nostro patrimonio regalia facta in præfatum locum per nostræ auctoritatis præceptum confirmavimus. Sed ut hoc sanctum ac venerabile monasterium, in honore beatissimi principis apostolorum Petri fundatum, nullam missarum rerum pateretur jacturam, sed potiore gratularetur dignæ recompensationis munere, monasterium quoddam, quod Appanis nuncupatur, id ipsum in ejusdem principis apostolorum honore constructum et proprii jurisdictione ad hoc supplendum ibi reddidimus, considerantes ut sub unius abbatis regimine utraque monasteria regulariter Deo militarent. His ita gestis, placuit nostræ imperiali excellentiæ precibus venerabilis viri Ildradi horum monasteriorum Patris faventes, ut memoratum monasterium, cujus vocabulum est Appanis, priori monasterio suo Novelicio, cum omnibus rebus atque appendiciis suis, juste sibi pertinenti-

[a] *Hospitale.* Uti sanctus Bernardus Menthonensis in Monte Jovis (nunc *il gran San Bernardo*) ad transeuntium commoditatem, Augustæ Prætoriæ circiter annum 980 xenodochium *tam egenis quam opulentis fabricarit*, ita et in aliis hujusmodi locis idem a Christiana misericordia præstitum. Quem pium ritum æmulantur nunc Turcæ ipsi, hujusmodi ædificia excitantes in peregrinantium sive iter facientium subsidium, quibus nulla alia diversoria forent. Possem exempla hujus ritus ex universa Italia colligere. Sed juvat in una hac regione quam incolo, eadem ostendere. In agro Mutinensi ad fluvium Scultennam (quo nomine is adhuc a montium habitatoribus donatur, cum planitiei incolæ *Panarium* appellent) sanctus Anselmus Nonantulani monasterii fundator, hospitalem domum sub nomine Sancti Ambrosii excitavit, cujus nulla nunc vestigia supersunt. Ad fluvium Gabellum, nunc *Secchia*, in agro Regiensi constitutum antiquitus fuit xenodochium Herberiæ perquam opulentum, quod adhuc viget. Rursus apud nos via est, quæ Saxolo ad Garfagnanam ac Tusciam per interpositum Apenninum ducit. Illic in jugo a vetustis temporibus excitata fuit una cum templo domus hospitalitati sacra, quam Hospitale Sancti Peregrini adhuc nuncupant, redditibus tamen cunctis atque eleemosynis ex iniquitate temporum in rectoris laici utilitatem nunc cedentibus, non autem in pauperum alimentum, quibus a pietate fidelium fuerunt destinati, et adhuc destinantur. Fraxinorense quoque monasterium in iisdem montibus additum fuit a Mathilde magna comitissa ejusque matre Beatrice, ibique par est credere hospitalitatem in usu fuisse. Præterea ab agro Regiensi alia via est quæ per Cerretum et Ligonchium, trajecto Apennino, in Garfagnanam descendit ad Silanum. Utrinque pone jugum montis exstructa olim fuere xenodochia, quibus adhuc est nomen *hospitaletti*, ibique charitas exercetur. Sunt et alia in Mutinensium montibus loca quæ non munus, sed nomen hoc retinent, appellata nempe *hospitaletti*. Ita Bononiensibus est via quæ per Apenninum ducit in Pistoriensem agrum, ibique etiam durat *hospitaletti* vocabulum, illud fortasse, cui celeberrima comitissa Mathildis multos fundos in beneficium peregrinorum contulit.

bus, per nostræ auctoritatis præceptum confirmaremus; quod et nos ita fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat sagacitas. A Præcipientes ergo statuimus, atque per hoc nostrum Cæsareum præceptum confirmamus ad Novalicium monasterium, rectoresque ejus qui fuerint per tempora, in recompensatione supra memoratum hospitale sub jure monasterii Novalicii et nostra proprietate, concedimus ad prædictam necessitatem monasterium quod vocatur Appauis, cum omnibus quæ ad illud rite pertinere noscuntur; ut amodo et deinceps in jure ipsius monasterii sæpe nominati, rectorumque ejus, perpetua stabilitate in Dei nomine maneat, ipsisque Dei famulis utrobique dietim degentibus proficiat in augmentum, qualiter pro communi salute Dei misericordiam jucundo animo valeant exorare. Ut autem B hoc nostræ confirmationis præceptum ab omnibus credatur, et melius per futura tempora conservetur, manu propria et annuli nostri sigillo subter illud decrevimus esse muniendum.

Signum..... Lotharii gloriosissimi Augusti.

Ghuitardus ad vicem Vitgarii scripsi.

Datum XVI Kalendas Martias, anno, Christo propitio, imperii domini Ludovici serenissimi imperatoris undecimo, regni Lotharii gloriosissimi Augusti . . . . . . . . . . . . . . indictione tertia. Actum Murinco ex palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXXXI.

### PRO VICTORE CURIENSI EPISCOPO.

(*Anno* 825.)

[Apud Grandidier, *Histoire de Strasb.*, tom. II, pag. 181, ex autographo tabularii ecclesiæ Curiensis [a].]

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Notum esse volumus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia vir venerabilis Victor sanctæ Curiensis ecclesiæ episcopus [b] adiens serenitatem culminis nostri, referens nobis a quodam comite nostro Roderico [c] multas infestationes injuriasque sibi suæque ecclesiæ illatas. Ad quam investigandam causam nostros fideles Bernoldum venerabilem Strazburgensem episcopum, et Cotafridum Sancti Gregorii monasterii abbatem [d], ipsumque Rodericum prædatorem, nec non et Rotharium comitem [e] fidelem nostrum infra provinciam Recia [f] nuncupatam direximus, ut subtili examine hujusmodi querelæ veritatem inter populos discuterent. Qui revertentes juris sui ecclesiæ quasdam res, quas antecessores nostri genitor noster, avus et atavus, aliique Deum timentes, pro remedio animæ suæ eidem ecclesiæ concesserunt, injuste subtractas esse indicarunt, id est, ecclesiam Sancti Sysinii et curtem Zizeris [g], et Senochium Sancti

[a] Hoc Ludovici Pii diploma indicant ad annum 825 recte referentes Ægidius Tschudi, in Catalogo C ms. episcoporum Curiensium, inter monumenta Helvetico-Tugiensia D. L. B. de Zurlauben mss. tom. VI, pag. 38, et in Gallia Comata, opere posthumo an. 1758 impresso, lib. II, part. I, cap. 3, pag. 300; Sprecherus, in Rhetia, lib. III, pag. 97; Bucelinus, in Rhetia sacra et profana, pag. 170; Cointius, Annal. eccl. Francor. tom. VII, pag. 762; Mabillon, Annal. Bened., tom. III, num. 81, pag. 501; et Eckart, in Comment. de rebus Franciæ orient., tom. II, pag. 194. Sed omnes diplomatis tantum dederunt brevem extractum. Integrum, sed non satis correctum, ad annum 822 edidit Schœpflinus, Alsat. diplom. tom. I, pag. 68, ex codice manuscripto Christiani Urstisii, qui pertinet ad Bruckerum historiarum apud Basileenses professorem. Diploma hic correctum damus, quale ex autographo ipso benevolentia illustrissimi S. R. I. principis episcopi Curiensis nobis communicavit reverendus et nobilis eidem episcopo-principi a consiliis dominus de Jost. Publicas hic utrique D præstiti beneficii grates refundimus.

[b] De Victore sequentia tradit Sprecherus, in Rhetia, pag. 97. « In episcopatu Curiensi, Victor secundus post Remigium sedet, cui diuturnum dissidium fuit cum Roderico comite a Langaro, cujus fines circa Curiam a Langaro flumine ad Rhenum et Crispaltam montem ab utraque Rheni ripa se porrigebant. Misit ergo Ludovicus imperator Bernoldum episcopum Argentinensem, et Gottfridum abbatem Gregorianæ Vallis cum Ruggero comite, quorum auctoritate factum est ut Rodericus quæ eripuisset, Victori restituisset. Qua de re instrumentum exstat, etc. »

[c] Rodericus erat comes Langari (*Comte du Lanquart, rivière au pays des Grisons*), cujus comitatus fines describit Tschudius, in Gallia Comata, pag. 300. Idem Tschudius Rodericum comitem Istriæ dicit, fratrem Adelberti Rhetiæ comitis, filiumque Hunfridi comitis Rhetiæ Curiensis et domini Istriæ. Vide excerpta diplomatica Tschudii manuscripta, quorum autographum servatur in bibliotheca San-Gallensis abbatiæ, et apographum possidet D. L. B. de Zurlauben, tom. IV Monumentorum Helvetico-Tugiensium. Hunfridum ducem super Rhetiam nominat Theganus, apud Bouquetum, tom. VI, pag. 80, et comitem Curiensem Eginhardus, ibidem, pag. 183.

[d] Idem ac Gothefridus abbas in Chronico brevi abbatiæ Monasteriensis memoratus ad annum 815, quo in eadem abbatia successit Rachioni Argentinensi episcopo. (*Codex diplomaticus ecclesiæ Argentinensis, tom. I, num.* 16, *pag.* XXV.) In ejusdem Gothefridi, sive Gotafridi favorem exstant duo diplomata, unum Ludovici Pii an. 823, alterum Ludovici et Lotharii conjunctim an. 826, ambo autographa, quæ exstant in tabulario abbatiæ Monasteriensis. Illa, præter alios, ediderunt Bouquetus, tom. VI, pag. 534 et 551, atque Schœpflinus, Alsat. diplom., tom. I, pag. 69 et 72. Legitur idem Godefridus abbas in charta Ludovici Pii an. 831 inferius edenda.

[e] Rotharius comes, qui in charta subsequenti anni 831 nominatur Retharius, idem videtur esse ac Ratharius comes qui Pippini Aquitaniæ regis gener dicitur ab Astronomo auctore Vitæ Ludovici Pii, apud Bouquetum, tom. VI, pag. 122. Constat ex Chronico Ademari Chabannensis, quod vulgavit Labbeus, tom. II Biblioth. mss., pag. 151, Raterium anno 839 fuisse ab imperatore Ludovico constitutum comitem Lemovicensem.

[f] Hodie *le pays des Grisons, allié des Suisses, et partagé en trois grandes parties, qu'on nomme ligues.*

[g] Hodie *Zizers*, magnus et primus pagus jurisdictionis dictæ Quatuor Pagorum (*la juridiction des Quatre Villages*), situs in liga Caddea, sive domus Dei, in Rhetia, ad dextram ripam Rheni, tribus circiter leucis Curia distans. Vocatur Latine pagus Ciceronianus. Consulantur Sprecherus, in Rhetia, lib. IX, pag. 324; Tschudius, Galliæ Comatæ lib. II, part. I, cap. 9, pag. 314, et Leu, Helvetisches Lexicon, tom. XX, pag. 122.

Petri [a], nec non et ecclesiam Sancti Columbani, cum omnibus rebus et mancipiis jure ac juste ad eam pertinentibus. Unde omnis rei veritate perspecta, placuit nobis ut easdem res eidem Curiensi ecclesiæ cum omni integritate nostri auctoritate præcepti restitueremus; per quod volumus firmiterque jubemus ut nostris, seu successorum nostrorum temporibus, nullius potestatis persona illi prælibato episcopo, vel eis qui post ipsum eamdem recturi sunt sedem, ullam de præfatis rebus inferre præsumat controversiam. Et quod insuper nobis questus est jus episcopale sibi sublatum fore, præcipimus omnibus in parochia ejus consistentibus, ut nullus episcopale ministerium sibi, suisque successoribus peragendum ullam contrarietatem aut impedimentum agere præsumat; sed habeant, sicut ab antecessoribus nostris huic sanctæ sedi concessum est, plenam ministerii sui potestatem, videlicet super monasteria in parochia sua consistentia, et super presbyteros ordinandos, et super decimam, secundum canonicam jussionem disponendam; quatenus pro remedio animæ nostræ illos cum omni clero suo liberius Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostra inviolabilis maneat, manu propria subtus eam firmavimus, annulique nostri impressione sigillari jussimus.

Signum domni Ludovici piissimi imperatoris Augusti.

Data VIII Kal. Augusti, anno 12, propitio Christo, imperii domni Ludovici imperatoris piissimi Augusti, epacta 28 [b], indictione 3. Actum Strazburc civitate feliciter, in Dei nomine, amen.

### CXXXII.

#### PRO MONASTERIO ANIANENSI.

(*Anno* 826.)

[Apud Mabill., *Ann. Ord. S. Bened.*, tom. II, pag. 724.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, eique in eisdem locis famulantibus beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco notum sit cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, qualiter Durandus abbas in Septimania, in pago videlicet Narbonensi, in villa quæ dicitur Vernodubrus (*Vernazoubre*), in proprio quod ei liberalitate munificentiæ nostræ contulimus, monasterium ex nostro opere in honore et veneratione beatissimi Aniani confessoris Christi, in loco qui dicitur Holatianus, inchoavit; monachos perplures congregavit; abbatem eis, nomine Woicam, præfecit, et per

A testamentum confirmationis suæ quasdem res et mancipia ibidem delegavit, necnon libros et ministeria ecclesiæ variamque supellectilem tribuit, et cum his omnibus eorum ac cæteris rebus denominatis per chartulam traditionis nobis ad proprium tradidit, sicut in ipsa traditione plenius constat esse gestum; simul nostram deposcens serenitatem, ut opus quod ipse devotissime ad sanctam professionem observandam inchoaverat, Deoque voverat, et nobis perpetuo ad habendam tradiderat, per nostram providentiam atque auctoritatem ad hoc conservaretur, ut idem ordo eodem in loco pro nostra æterna memoria atque eleemosyna perpetualiter observaretur. Cujus donum gratanter suscipimus, et ejus petitioni libenter annuimus, atque per hanc nostram aucto-

B ritatem, sicut postulavit, concessimus atque confirmamus. Proinde notum esse volumus omnibus vobis quod prædictum monasterium cum omnibus locis, villis, insulis, piscatoriis, vel iis quæ ad ipsum aspicere cernuntur, cum omnibus etiam finibus, terminis et adjacentiis eorum, cum mancipiis ac cæteris rebus, quemadmodum in chartula donationis, quam nobis contulit, plenius continentur, ideo ut sancta professio ibidem perpetualiter in nostra eleemosyna conservari queat, devotissime contulimus: ut omnia quæcunque præsenti tempore possidere videntur, vel ad eum aspicere dignoscitur, quod inantea divino instinctu aut a nobis aut a successoribus nostris, vel a quibusdam fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ illis collatum fuerit, totum in servorum Dei inibi Domino mi-

C litantium necessitatibus consulendum, et pauperum curam gerendum, propter divinum amorem et honorem Deo miserante pro ablutione peccatorum nostrorum omni cedat tempore. Sed ut quietius ibidem viri Dei Domino famulari possint, et a malis hominibus res ejusdem cœnobii sicut alia vel nostræ proprietatis defendantur et tueri queant, hanc nostram imperialem auctoritatem hujus rei gratia fieri jussimus, ut omnes sub nostra etiam speciali defensione et immunitatis tuitione consistere non dubitent. Præcipientes ergo inhibemus ut nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, aut quælibet majoris vel minoris ordinis persona, ad causas judiciario more audiendas in ecclesias aut loca vel villas seu

D reliquas possessiones, quas in quibusdam pagis ac territoriis prædictis tenet vel possidet monasterium, aliasque, quas deinceps in jus ipsius sancti loci divina pietas augeri voluerit, ingredi præsumat, nec fieri tributa vel paratas seu mansiones accipere, sive teloneum exigere, aut fidejussores tollere, vel homines ipsius cœnobii, tam ingenuos quam servos, super terram ipsius commanentes distringere, nec ullas publicas fruitiones seu redhibitiones vel illici-

[a] Xenodochium Sancti Petri videtur fuisse situm in valle S. Petri (*Sanct-Peters-Thal*), de qua loquitur Leu, Helvetisches Lexicon, tom. XVIII, pag. 406. Vallis illa est desertum, in quo tamen plures et variæ sunt habitationes atque aquæ minerales. Dependet a suprema jurisdictione de Lugnez, in superiori liga Grisea.

[b] En antiquus in diplomatibus regiis epactæ usus, qui, teste doctissimo ac nobis percharo domno Clement, in dissertatione prævia ad *l'Art de vérifier les dates*, pag. XXXI, primus comparet in litteris monachorum abbatiæ Indensis anni 821 de morte sancti Benedicti Ananiensis ad Ardonem scriptis, qua prædictus Ardo Vitæ ejusdem abbatis cap. 57 inseruit.

tas occasiones requirere aut exactare audeat: sed liceat memorato abbati suisque successoribus res præfati monasterii cum omnibus sibi subjectis sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere; et quidquid in eo fiscus exinde exigere poterat aut sperare, tantum in fratrum stipendiis et in luminaribus ejusdem ecclesiæ consignandis atque pauperibus alendis, sicut dictum est, cedat. Constituimus etiam, ut quandocunque divina vocatione memoratus abbas vel successores ejus ab hac luce migraverint, licentiam habeant monachi ibidem consistentes talem inter se per nostrum successorumque nostrorum consensum eligere abbatem, qui eis secundum regulam sancti Benedicti præesse et prodesse queat: quatenus servos Dei ibidem Domino famulantes, pro nobis proleque nostra ac stabilitate totius imperii nostri Domini misericordiam exorare delectet. Illud etiam per nostram auctoritatem concedimus et confirmamus, atque nostros successores rogamus ut hoc monasterium sub sua speciali tuitione retineant, et neque ad episcopum, neque ad aliud monasterium ullo unquam tempore ab illis subjiciatur, aut in beneficium cuilibet tribuatur, sed solummodo in jure et tuitione illorum pro omnibus temporibus ad monasticum ordinem observandum persistat: sicque hoc nostrum donationis opus immobiliter conservent, sicut pacta sua a suis successoribus conservanda optaverint. Hæc vero auctoritas ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manibus propriis subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici piissimi imperatoris.

Signum Lotharii gloriosissimi Augusti.

Hirminmaris notarius ad vicem Fridugisi recognovi.

Data Kalend. Augusti, anno, Christo propitio, 13 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, et Lotharii, indict. 4. Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXXXIII.

### PRO MONASTERIO GREGORIANO.

(*Anno* 826.)

[Apud Mabill., *Annal. Bened.*, tom. II, pag. 724, ex authentico Gregoriano.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis a Deo sollatis nobis, locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis et ad mortalem vitam feliciter transigendam, et ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum sit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam et futurorum industriæ, quia vir venerabilis Gotafridus abbas ex monasterio sancti Gregorii, quod alio nomine Confluens vocatur, postulavit nos, ut nos ob utilitatem et necessitatum fratrum ibidem Deo famulantium, partem quamdam de foreste nostra, contiguam ipso monasterio, quæ ad fiscum nostrum, nomine Columbarium (*Colmar*), aspicere vel pertinere videtur, in nostra eleemosyna eidem monasterio concederemus. Cujus precibus pro mercedis nostræ augmento et reverentia illius sancti loci nobis acquiescere libuit, et de præfata foreste nostra partem quamdam per loca denominata atque determinata eidem monasterio in nostra eleemosyna ad necessitatem et utilitatem fratrum Deo inibi degentium concedere placuit; id est per locum, ubi *Bredembach* rivulus in Fachinam confluit, sursum usque ad locum ubi ipse rivulus surgere incipit: deinde per semitam quæ nominatur Isneida, usque ad montem qui appellatur *Swarzimberg;* deinde per eumdem medium montem usque ad Lapidem-Magnum, qui jacet ad radicem montis, et inde usque ad Fachinam; quantumcunque vero de prænominata foreste nostra infra dinumerata et determinata loca esse videtur, totum et ad integrum eidem monasterio in nostra eleemosyna concedimus. Quapropter volumus atque jubemus ut per hanc nostram auctoritatem, per loca superius denominata, tam nostris quam et futuris temporibus, prædictus Gotafridus abbas ejusque successores vel congregatio ipsius sancti loci prænominatam partem silvæ de præscripta foreste nostra in nostra eleemosyna concessam habeant, atque jure perpetuo in ditione ipsius monasterii consistat: ita duntaxat ut cum aliquid de ipsa vel in ipsa ob utilitatem et profectum ipsius monasterii facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Et ut hæc nostræ auctoritatis donatio atque confirmatio firmior habeatur, et tam nostris quam successorum nostrorum temporibus inconvulsam atque inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data pridie Idus Junii, anno, Christo propitio, 10 [a] imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione prima. Actum Franconofurti palatio regio in Deo nomine feliciter. Amen.

## CXXXIV.

### PRÆCEPTUM LUDOVICI ET LOTHARII PRO MONASTERIO PRUMIENSI.

(*Anno* 826.)

[Hontheim., *Hist. Trev.*, pag. 175.]

In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti.

Notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia vir venerabilis Tancradus abbas monasterii, cujus vocabulum est Prumia, quod est dicatum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, et sanctæ Mariæ semper virginis, quod olim bonæ memoriæ avus noster Pippinus quondam rex, et avia

[a] Vel potius 13. Edit.

nostra Bertrada in rebus proprietatis eorum a fundamentis construxerunt, misit nobis per monachos suos auctoritatem domini prædicti Pippini regis, in qua continebatur insertum, qualiter idem monasterium non solum rebus multiplicibus ditaverint, verum etiam et illud sub sua tuitione, hæredumque suorum, regum videlicet, constituerint, nec non et auctoritatem domini et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ præstantissimi imperatoris, in qua erat exaratum, qualiter constitutionem pii patris sui confirmaverat et constituerat, ut in villis, vel in rebus prædicti monasterii nullus judex publicus absque ejus jussione, vel hæredum suorum, ad causas audiendas, aut freda undique exigenda, nec fidejussores tollendos, nec scaras, vel mansionaticos, seu conjectos, tam de carrigio quamque de parafredis exigere aut exactare præsumeret: sed quidquid exinde de hominibus francis [a] quamque et ecclesiasticis, seu servientibus, qui infra agros, vel fines, seu super terram prædicti monasterii degere videntur, fiscus aut freda poterat sperare, ex ejus indulgentia in luminaribus prædicti monasterii cederent. Prædictus etiam abbas deprecatus est, ut non solum avi et paternæ auctoritatibus firmitatis gratiam nostram superadderemus auctoritatem, et ipsum monasterium cum rebus et hominibus, quæ præsenti tempore in quibuslibet pagis et territoriis, tam per traditionem prædicti domini Pippini regis, ceu et genitoris nostri, vel ex liberalitate liberorum hominum, tam per traditiones, commutationes, venditiones, aut ex qualicunque legali ordine præsenti tempore prædictum tenet vel possidet monasterium, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci divina pietas augeri voluerit, sub nostra tuitione atque immunitatis defensione constitueremus. Cujus precibus aurem placabilem accommodamus: hos nostros imperiales apices fieri jussimus, per quos decernimus, atque jubemus, ut quidquid tam ex donatione regum, vel traditione liberorum hominum ad idem monasterium legibus jure cumulatum est, et præsenti tempore legaliter tenet vel possidet monasterium, vel ea quæ ab hinc in futurum ibidem juste et legaliter traditum fuerit, perennis temporibus rectores prædicti monasterii, absque ullius injusta contrarietate, teneant et possideant. Insuper præcipimus, atque per hanc nostram auctoritatem sancimus, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterii ad causas judiciario more audiendas, vel sicut in præcepto domini et genitoris nostri continet, vel freda, aut fidejussores tollendos, aut scaras, vel mansionaticos, seu conjectos, tam de carrigio, quam de parafredis exigendis, aut homines ipsius monasterii tam francos, quam ecclesiasticos, vel servientes, qui infra agros, vel fines, seu super terram prædicti monasterii manent, bannum aut herebannum exigere, aut exactare præsu-

A mant, aut ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones quærere; sed liceat rectoribus prædicti monasterii cum omnibus rebus et mancipiis prædicto monasterio jure possessis quieto ordine vivere ac residere, quemadmodum in prædicti Pippini regis, et domini atque genitoris nostri auctoritate, vel in hac nostra continetur, nostro successorumque nostrorum fideliter parere imperio; qualiter monachi ibi per successiones degentes liceat quiete vivere et misericordiam Domini pro nobis prolequé nostra attentius exorare. Quidquid etiam de rebus prædicti monasterii jus fisci exigere poterat, totum nos pro æterna remuneratione in luminaribus prædicti monasterii et in alimonia pauperum, vel sustentationem peregrinorum in nostra eleemosyna perennis temporibus

B concedimus. Hæc vero auctoritas firmitatis nostræ ut per curricula annorum inviolabilem obtineat firmitatem, etiam manibus propriis subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici imperatoris †. Signum Lotharii gloriosissimi imperatoris †. [b] Signum Ludovici regis. Megmgmarius notarius ad vicem Fridugisi recog.

Data septimo Kalend. Febr., anno, Christo propitio, 13 imperii domini Ludovici, et Lotharii 4, serenissim. August., indict. IV. Actum Aquisgrani palatio regio: in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXXXV.

### PRO MONASTERIO S. MAXENTII.

(*Anno* 827.)

C [Apud D. Bouquet., tom. IV, p. 550, ex chartulario hujus monasterii.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti.

Multis siquidem in imperio Domino opitulante nostro cognitum esse non ambigimus, qualiter quoddam monasterium quod dicitur S. Maxentii, situm in territorio Pictaviensi, ubi S. Leodegarius corpore requiescit, cum omnibus rebus sibi juste competentibus, per beneficium regum antecessorum nostrorum in potestate comitum aliquandiu constitutum esse, et nos nostro tempore inspirante divina misericordia idem monasterium, cum quadam por-

D tione rerum ad se pertinentium, ad statum pristinum revocasse, et abbatem regularem constituisse, qui secundum regulam sancti Benedicti vitam monasticam degeret, et sub nullius potestate aut ditione consisteret, nisi sub nostra filiorumque nostrorum. Sed quia portionem rerum prædicti monasterii, quam adhuc constat esse in beneficium, prædicto monasterio propter quamdam utilitatem sive necessitatem regni nostri, quæ modo imminet, reddere præsentaliter nequimus, ideo eum [id] cum portione rerum quas nunc possidet ab omnibus sæcularium et publicarum rerum impeditionibus, id est ab expeditio-

[a] *De hominibus francis.* Hoc est laicis liberis.

[b] *Signum Ludovici regis.* Scilicet Bavariæ, quæ magnam Germaniæ partem sub se comprehendebat. Vid. Struv., Corp. Hist. Germ., Period. IV, Sect. 2, § 10.

ne exercitali et bannis atque heribannis et operibus publicis sive paratis absolutum et quietum esse omnimodis præcipimus; de portione vero rerum prædicti monasterii, quas adhuc, sicut superius dictum est, in potestate diversorum hominum per beneficium esse constat, præcipimus atque per hos imperiales apices nostros sancimus atque decernimus ut, sæpe dicto monasterio S. Maxentii et rectoribus ejus nonas et decimas atque opera pleniter persolvant, donec Domino adjuvante per nos ipsos sive per filios et successores nostros prædictam portionem rerum ad memoratum venerabile monasterium, ad quod per justitiam pertinet, pleniter atque integre reddi sive restitui faciamus. Et ut hæc confirmatio nostra per curricula . . . . . . . ant tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, annuli nostri impressione subter signari jussimus.

[a] Datum VI Kal. Octobris, anno, Christo propitio, 13 [*Leg.* 14] imperii domini Ludovici imperatoris et Lotharii 6, indictione 5. Actum Compendio palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXXXVI.

### LOTHARISUS AUG. MONASTERIO NONANTULANO MULTA BONA CONFERT.

(*Anno* 827.)

[Apud Muratori, *Antiq. Ital.*, tom. II, pag. 197.]

Domno Lothario Augusto pacifico imperatore Augusto, serenissimo Romanorum patricio, a Deo coronato, sedem pacificam, beatitudinem tenentem Romanam, Longobardorum.

Omnibus imperii sui et venerabilibus locis debere cautum est venerabiliter expositas in omnibus legibus...... præceptum in venerabili monasterio nobis pro ... tivo expositum est. De aliquantis itaque rebus a nobis concessis et tributis in ipso veneravili monasterio, vel da quibuscunque hominibus vel personis tributas sint; aliquas res vel concessas in ipsam religionem vel ejus patrimonio atque possessiones lucrari videtur. Ideoque per omnia [b] in nostro territorio Æmilianensi, vel ad partem Motinensem infra conflnes civitatis Geminiana, rebus nostris donnicatis vel colonicatis, sive de publico, sive de privato ad nostram regalem domum pertinentibus vel adjacentibus, ut quod ad nostram domum debetur, id in eodem suprascripto venerabili monasterio tribuitur, da confines Fossa Sclarola, seu Fossa Pavignana ad confines Riparia, ripa Scoltenna, et fluvio Moclena per usque fluvio Lama usque in Suleole per usque in Bagnone, id est Tumba Rodiliana, casale Restani, et casale Grummolo, silva Leguriano, silva Agolaria, casa Lauto, campo Rovirito, campo de Rusco, Campolongo, Bruniana, civitas Gemini na, quæ vocatur Flexiana, Quarantole, Ureniana, Verminitica, Niratica, Calendatica, Pilliciana, Corniola, ad pertinencias suprascriptas res justa fluvio Moclena, confines civitatis Geminiana, casale Menterioni, atque casale Firmani, et casale Alperti, et casale Tassinaria, seu casale omne Brixili, atque casale Bruxili, seu Curlo, et Tumbole, atque Fossa Bruxola, et Corrigio Brancudo, et Valle Alba, et casale Fontanellæ, et Corrigio Boni, seu casale Acus, et casale Tallolo : et insuper alia fundora vel casalia, cum omnibus ad easdem rebus generaliter vel specialiter pertinentibus vel adjacentibus, sive tributarias vel censurias, sive donnicatas vel colonicatas, actoribus ad easdem . . . . rebus generaliter vel specialiter pertinentibus vel adjacentibus in ipsius confines et latera, atque ad suprascripta fundora et casalia pertinentes vel adjacentes, vel da ipso monasterio donnicatas vel colonicatas in ipso venerabili monasterio sint privilegio positas sine aliquo obstaculo vel opposicionem alicujus contrarietatis nostra plenissima largicione. Unde ut quæcunque persona, quæ nostro præcepto statutum est, conare, inviolare aut infringere, siat se compositurum cognoscat mulcta auro obrizo mancosos centum. Nostra itaque statuta inviolabiliter observare præcipimus.

Datum sub die et mense Augusto, indicione quinta.

Lotharius Augustus imperator.

## CXXXVII.

### PRO MONASTERIO DERVENSI.

(*Anno* 827.)

[Apud Baluz., *Capitul.* tom. I, pag. 651.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.

Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti.

Si petitionibus servorum Dei justis et rationalibus divini cultus amore favemus, superni muneris donum nobis a Domino impertiri credimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia adiens serenitatem culminis nostri vir religiosus Hauto, abbas ex monasterio quod vocatur Puteolus, quod est in Dervo constructum in honore beatorum Petri et Pauli, suggessit mansuetudini no-

[a] Simile est præceptum Pippini regis, datum eodem anno Idibus Januarii.

[b] Verba illa diligenter animadverte *in nostro territorio Æmilianensi*, id est in provincia seu parte *Æmiliæ* ad nos atque ad Italicum regnum spectante; *vel ad partem Motinensem infra confines civitatis Geminiana*. Eadem fuit *Civitas Nova* ac *Geminiana*, uti etiam constat ex diplomate Ludovici Pii apud Sillingardum et Ughellium. Infra repetitur *civitas Geminiana, quæ vocatur civitas Flexiana*. Si ita interpungendus est locus iste, præter *Geminianæ*, appellationem quoque *Flexianæ* ea civitas detulisse videtur. Ego tamen rem dubiam relinquo. Atque hinc etiam haurire fortasse possumus, cur *Riparia* (nunc *Rivara*, villa in agro Sancti Felicis) eo nomine donata fuerit : nempe quod olim foret *Ripa Scoltennæ*, a quo tamen fluvio nunc aliquot stadiis distat. Hæc annotasse juvat ad illustrandas Mutinensium res, imo et Caroli Magni tabulas postremas, in quibus hujus *civitatis Novæ* mentio est. Qui illas falsi suspicione resperserunt, secum reputent, fieri vix potuisse, ut posteriorum sæculorum impostor in illud testamentum conjiceret civitatem illam, cujus a tanto tempore ne vestigia quidem ruinarum supersunt.

stræ eo quod prædictum monasterium, ubi ille Dei A cultor abbas præest, aptum esset ad monasterium regulare; quia non solum idem locus, ubi præfatum monasterium fundatum est, verum etiam et omnes adjacentias congruas haberet servis Dei monasticam vitam degere volentibus. Nam et privilegia qualiter ipsum monasterium ad monasticum ordinem perficiendum fundatum esset, et præcepta regalia nobis ostendit, ubi liquido apparuit quod antiquitus regulare monasterium fuisset. Nos vero hanc rem diligentius scire volentes, jussimus venerabilem virum Hebonem Rhemensem archiepiscopum et aliquos ex suffraganeis suis ad prædictum locum ire, et diligenter intueri, non solum si ipse locus aptus esset ad monasticum ordinem observandum, verum et utrum clerici ibi degentes monastice vivere, an non. B Illi vero nostris jussionibus obtemperantes, sicut nobis prædictus Hebo archiepiscopus renuntiavit, et aptum locum invenerunt ad normam regularem custodiendam, et clericos ibi degentes sponte vitam monasticam, sicut illis professi sunt, suscipere et perpetuo observare velle. Sed ut prædictus ordo monasticus in eodem loco nostris et futuris temporibus ad nostram successorumque nostrorum perpetuam eleemosynam digne observaretur, et monachi per tempora degentes secundum regulam sancti Benedicti vitam degerent, prædictus Hauto abbas, precibus quibus valuit, rogavit ut nostrum confirmationis præceptum idem monasterium habere mereretur, sicut cætera monasteria monachorum in regno, Deo propitio, nostro habere noscuntur. Cujus C petitionem justam et rationabilem judicantes, per hos imperiales apices nostros præcipimus atque jubemus ut abhinc in futurum prædictum monasterium sub monastico ordine persistat, et monachi ibi degentes sub regula sancti Benedicti, Domino sibi adjuvante, perenniter vitam ducant monasticam. Et quandoquidem divina vocatione prædictus abbas ab hoc sæculo migraverit, quandiu ipsi monachi inter se talem eligere potuerint qui illis secundum regulam præesse et prodesse possit, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant eligendi abbates, qualiter monachi per tempora ibi degentes pro nobis, conjugibus ac liberis nostris, seu totius regni nostri stabilitate, Domini misericordiam indesinenter exorare delectentur. Et ut hæc nostræ auctoritatis præceptio ac confirmatio per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici gloriosissimi imperatoris.

Signum Lotharii serenissimi Augusti

Durandus diaconus ad vicem Fredugisi recognovit.

Data II Idus Februarii, anno Christo propitio 14 imperii domini Ludovici piissimi Augusti, et Lotharii 5, Indict. 5. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXXXVIII.

### PRO MONASTERIO DERVENSI.

(*Anno* 827.)

*Dirimitur contentio abbatem inter et fiscum regium de silva Astenetensi.*

[Apud Mart., *ampl. coll.*, tom. II, pag. 24.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti.

Notum esse volumus omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, sagacitati, quia Ando abbas monasterii cujus vocabulum est Stabulaus et Malmundarium, accedens ad aures clementiæ nostræ, expetiit nobis dicens, quamdam contentionem inter se et Albricum actorem fisci nostri, qui B Tectis nuncupatur, exortam esse, de quadam scilicet silva quæ in loco nuncupante Astanetum, inter duos rivulos Tailernion et Dulnosum esse videtur. Nos quoque hujus contentionis et seditionis qualitatem cognoscere volentes, misimus duos ex fidelibus nostris Jastonem videlicet comitem palatii nostri et Wirnitum magistrum parvulorum nostrorum, ut eum locum de qua hujus contentionis intentio agebatur, inspicerent, et per circummanentes utriusque partis rei veritatem inquirerent, qui reversi renuntiaverunt nobis quod cum memoratus Ando abbas per priscorum regum Francorum donationis præcepta, necnon et familia memorati fisci nostri, ac actores ejusdem propter antiquam consuetudinem suas opportunitates et commoditates in eadem silva com- C muniter habere debeant, has autem opportunitates et commoditates, propter contentiones et discordias, ne abhinc in futurum fiant, placuit nobis in hunc modum determinare : id est, ut cum præcepta regalia, quæ de memorata silva circa præscriptum monasterium a priscis Francorum regibus facta fuerunt, inviolabilia permaneant, cum utraque pars monasterii videlicet et fisci nostri eamdem silvam in pascuis animalium et porcorum utendis, cum in materiaminibus faciendis et piscationibus exercendis sine aliquolibet alterius partis impedimento dimissa sibi invicem pastionatici solutionem æquabiliter et communiter habeant, et neutra pars nullatenus memoratam silvam ultra exstirpare, aut mansioniles D in ea facere præsumat. Et ut hoc nostræ auctoritatis conscriptum verum credatur ac diligentius conservetur, annuli nostri impressione subter eum signari jussimus.

Ego Herminmarius notarius ad vicem Friducis recognovi.

Data VIII Kalend. Junii, Christo propitio, anno decimo quarto imperii domni Ludovici et domni Lotharii quinto piissimi Augusti, indictione 5.

Actum Tectis [a] palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] Hujus palatii regii nulla occurrit mentio in libro IV Mabillonii de Re diplomatica.

## CXXXIX.

PRO MICIACENSI S. MAXIMINI MONASTERIO.

(*Ante annum* 828.

[Ex chartulario Miciacensi, apud D. Bouquet., tom. VI, pag. 554.]

[a] In nomine Domini Dei omnipotentis et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius filius ejus divina ordinante providentia imperatores Augusti.

Notum fieri volumus imprimis successoribus nostris, necnon et omnibus fidelibus, quia postulavit magnitudinem nostram Jonas fidelis noster Aurelianensis præsul Ecclesiæ, ut divinæ servitutis ob honorem, et propter monasticam veraciter religioseque servandum ordinem, nostræ auctoritatis privilegio committeremus illi quoddam cœnobium regiæ potestatis, nominatum Miciacum, in Aurelianensi diœcesi, fundatum in honore Dei et gloriosi protomartyris Stephani a Clodoveo primo Christianissimo Francorum rege, et posteriorum munificentia regum amplifice sublimatum. Idem autem venerabilis præsul Jonas præfatum Miciacensem locum speciali amore diligens, ob meritum et reverentiam sanctissimorum Patrum Euspicii, Maximini, Aviti et aliorum quamplurium, qui in eodem cœnobio cum plurium fratrum numero sub monastico ordine probabiliter Deo vixisse et placuisse declarantur testimonio evidentium miraculorum, non ambitiosa cupiditate aut fastu superbiæ expetit, sed ut regularis ordo monasticus religiosissime custodiendo teneatur. Nostra ergo pietas tali ratione committit sibi præfatum locum et successoribus ejus, ut magis per eos spirituali et temporali augeatur incremento quam minuatur, et neque ullam tyrannidis dominationem super monachos, familiam, mancipia, servos exerceant, et neque ipse aut aliquis successorum ejus a jure et potestate præfati Miciacensis monasterii aliquid rerum suarum mobilium vel immobilium, quas nunc Christo propitio possidet, vel in futuro acquiret, aut in domino proprio invadat, aut quoquomodo subripiat vel subtrahat, aut alicui tribuat. Ad notitiam autem futurorum placuit nobis in hoc pragmatico, quod in præsentia nostra ipse Jonas episcopus, una cum conniventia metropolitani sui Hieremiæ dictando composuit, et scriptum nostræ excellentiæ corroborandum obtulit, adnotari possessiones terrarum quæ in præceptis regum continebantur quorum munificentia prædicto loco largitæ sunt, quas præsentialiter Dei gratia secure ac quiete possidet. Prior est fundus Miciacensis cum appendiciis suis, ac fluvius Ligeris et Ligerici; continuatim pertinet aqua ejusdem fluvii Ligeris ad prædictum cœnobium ex utraque ripa, ab illo loco ex quo incipit terra ejusdem supra capellam Sancti Maximini ab oriente, donec finiatur tota adversus occidentem cum fluvio Rolleno. Tantum vero fluvii Ligerici pertinet ad prædictum monasterium, quantum hic adnotatur. Incipit enim possessio fluvii Ligerici a fari- A nario cujusdam Dromedamii, et decurrit per ripam Sancti Hilarii usquedum cujusdam Mortosii nomine vici derodendo fines Ligeris alveo non modico invehitur, terminante quadam conclavi terræ alterius ripæ prædicti monasterii contra ubi etiam publica via est, inter quam et alteram terram prædicti cœnobii paululum extendit se quædam terrula Sanctæ Crucis, necnon et fluviolus Rollenus, qui in eodem loco ad præsens invehitur Ligeri. Altera vero ripa prædicti fluvii Ligerici semper prædicti cœnobii est potestatis, quamvis cujuscunque terra alterius juris desuper habeatur. Et in civitate Aurelianensi possidet præfatum cœnobium Miciacense claustrum, quod dicitur capella Sancti Maximini, et terra ipsius allodii exit extra murum. Et alio loco in civitate habet allodium B *Momberric* inter Sanctum Stephanum et Sanctam Mariam Boni Nuntii, et ultra fluvium Ligeris habet villam Berarii, quæ dicitur capella Sancti Maximini, et censiacum cum silva, et montem Pastoris, et montem Thebaldi, et villam Marmanios. Et in alio loco habet Cambiacum villam, cum ecclesia et omnibus sibi pertinentibus. Et in alio loco villam quæ dicitur Fontanas, ubi est rivulus aquæ, et prope illam habet villam quæ dicitur Casellagi. In Secalonia (*la Sologne*) vero possidet curtem Venuensem cum ecclesia, mancipiis, terris cultis et incultis, et silvam quæ dicitur Tassimata; curtem etiam Litimiacensem, quæ vulgo dicitur Monsteuranni, cum servis, silvis et aliis rebus sibi adjacentibus, ac villam Dardi cum omnibus sibi pertinentibus, ac villam quæ dicitur C Fontenellas, cum silva, servis et omnibus sibi pertinentibus. Et habet ecclesiam Sancti Petri in Gaudiaco, et ecclesiam Sancti Hilarii ultra Ligericum. Ac in Marogilo, in uno loco possidet de pratis XXIV, et in alio loco, qui dicitur Ad Renas, in allodio aripennos IV; et in prospectu Aurelianis in loco qui dicitur Ad Portum (*le Portereau*), aripennos de vinea VIII. Hæc Clodoveus primus rex Francorum loco Miciacensi jure hæreditario donavit. Et in pago Bituricensi infra castellum Sancti Gundulfi habet curtem Pauliacum, cum ecclesia et aqua Nostiusa ac omnibus sibi pertinentibus. Et habet alteram curtem ibi juxta prædictum Pauliacum, quæ dicitur Ad Sanctum Martinum, cum ecclesia ac omnibus sibi pertinentibus. Hæc Clodomirus filius senioris Clodovei D præfato loco concessit. Habet quoque potestatem quæ dicitur Vienna, cum ecclesia et silva et omnibus sibi pertinentibus, in qua est collalimilus; ac potestatem, quæ dicitur Villa Mariæ, cum omnibus sibi pertinentibus, ac silvam quæ dicitur Torsellis, tenentem duas leugas. Hæc Clotarius rex prædicto loco concessit. In Belsica vero habet potestatem Ardreni putei (*Ampuys*), cum omnibus sibi pertinentibus, Bittiaco, Montemuicheth, Pirario, Sancino, Nocumento, ac sibi servis pertinentibus; et in pago Stampensi villas duas, Casellas et Castaneum Villare. Ista rex Chilpericus dedit. Ac in Belvacensi pago habet villam quæ dicitur Ad Sanctum Maximinum cum ecclesia in

[a] Insolita invocatio. Multi alii nævi hoc præceptum suspectum reddunt.

honore ipsius dicata, quæ vicina est Sylvanectensi A parochiæ; et in prospectu Aurelianis potestatem Bruerias, quæ dicitur Ad Sanctum Dionysium, cum ecclesia in ipsius martyris honore dicata, cum sibi pertinentibus, Albarias, Caventono, Asinarias, servis, terris, pratis; et in alio loco villam Nemesim, cum aqua, terris, pratis et omnibus sibi pertinentibus. Hæc Dagobertus rex est largitus. Et juxta silvam longam habet villam quæ dicitur Villare Magnum, cum ecclesia sancta [dicata] in honore sancti Maximini. Ac in pago Dunensi cellam habet in loco qui dicitur Mons Letardi (*Montlitar*), cum aqua Conida, molendinis, silva, pratis, terris cultis et incultis, pascuis et vineis, mancipiis et servis. Hæc Theodoricus rex ex hæreditate Lupi piissimi ducis prædicto loco contulit. B Et in pago Lemovicensi habet ecclesiam quæ dicitur Magniacus, cum ecclesia et aqua, molendinis, terris cultis et incultis, vineis, pratis, silvis, pascuis, parvis exitibus et regressibus, servis, mancipiis. Hanc curtem genitor noster gloriosus Augustus Carolus Magnus imperator contulit Miciacensi loco. Ac in Pictavensi territorio, in portu Vitrariæ, in pago Herbadelico super fluvium Tannacum, habet areas Salinarum ad onerandas naves, sive ad suas necessitates excludendas, et possidet prædictas areas cum vineis, terris, pratis, pascuis, silvis et omnibus sibi pertinentibus, quæ Garotholenus de fisco regio habuit, scilicet a nostro avo Pippino et filio ejus genitore nostro Carolo regali munificentia collatum est cœnobio C Miciacensi. Nos vero, ne inferiores videremur prædictis regibus, beneficio concessimus prædicto loco per deprecationem Druclesindi abbatis ipsius loci, et privilegio auctoritatis nostræ corroboramus discursionem trium navium per diversa imperii nostri flumina, scilicet per Ligerim, Sequanam, Maternam [Matronam], Carum, Vigennam, Sartam, Meduanam, Lidum, pro quibuslibet monasterii necessitatibus, ut secure et libere ire ac redire valeant, ac non reddant ullum teloneum vel ullam consuetudinem vel aliquam redhibitionem : et ne quislibet exactor fisci de carris, vel carretis vel sagmariis, vel de quocunque vehiculo sive per terram, sive per aquam facto, vel de quocunque commercio pertinente ad prædictum locum exigat vel accipiat D ullam consuetudinem : nec quibuslibet negotiis factis, vel in villis, terris, aquis, silvis prædicti monasterii, undecunque potestas judiciaria aliquid exigere præsumat, aliquam legem vel consuetudinem accipere vel exigere, vel quamlibet molestiam inferre. Et obeunte abbate monasterii ipsius, volumus ut nulla se occasione neque episcopos neque quilibet regiæ potestatis minister in describendis prævidendisque acquisitis acquirendisque ejusdem monasterii rebus permisceat. Abbatem vero eidem monasterio non alium, quam quem dignum moribus communi consensu congregatio tota poposcerit, ordinari volumus : ac orandi tantummodo causa accedendi ad præfatum locum episcopo licentiam damus; aut si forte ad peragenda sacra missarum fuerit invitatus mysteria, et si voluerit prædicto cœnobio aliquid de episcopio suo dare, nostra regali et sua pontificia auctoritate peragat; at si voluntas et facultas denegaverit, de iis quæ collatæ sunt rebus nihil invadere præsumat. Porro si contigerit aliquod infortunium cujuscunque perturbationis, quod ab episcopo possit minime diffiniri, vel ipse erga ipsum locum male agens [agat], jubemus ut nostrorum successorum regum auribus declaretur, ut regali judicio quidquid depravatum fuerit corrigatur. Ne ergo putent præsules sedis Aurelianis propter hanc commendationem ad adjutorium ac defensionem Miciacensis cœnobii a nobis pie ac misericorditer factam, quam fideli nostro Jonæ episcopo committimus, eo quod præsentia nostra longe remota sit ab illis partibus, res præfati monasterii qualibet machinatione alienare, vel ipsum locum inquietare, præsertim cum et præfatus locus regio beneficio sit fundatus, et res ipsius cœnobii larga regum munificentia sint largitæ. Itaque summopere jubendo volumus ut monachi prædicti loci ad divinum servitium honorificentius peragendum rebus superius memoratis ditati, regulariter otium sanctæ quietis per adjutorium episcopi et per hanc nostram auctoritatem adepti, in his in quibus se Deo devinxerunt, divina juvante gratia, immobiliter permaneant. Et pro hoc beneficio a nobis impartito flagitamus omnimodis servos Dei præfati loci monachos, ut pro nobis et conjuge nostra Judith et prole, et stabilitate imperii a Deo nobis collati, et per cuncta sæcula per successores nostros sua gratissima pietate conservandi semper omnipotenti Deo preces fundant. Hoc autem præceptum, ut pleniorem in omnipotentis Christi nomine obtineat vigorem, et a successoribus nostris credendo conservetur, nomine nostro et eorum, qui præsentes aderant, titulare voluimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Datum XIV Kal. Martii, anno Christo propitio 24 [a] imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 14. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine.

[a] Corrigendum esset, *anno* 23, ut annus imperii cum indictione decima quarta et cum anno Christi 836 conveniret. Verum hoc diploma ante id tempus datum evincunt, 1° inscriptio, in qua Ludovicus et Lotharius simul imperatores, et quidem *divina ordinante providentia* exprimuntur, præter morem a secessione Lotharii usurpatum; 2° consensus Hieremiæ archiepiscopi Senonensis, qui septenio ante annum 836 decesserat; 3° subscriptio Fridu*gisi* cancellarii, qui ante duos annos obierat. Quamvis hoc pragmaticum tot nævis maculetur, Mabillonius tamen, lib. XXXI Annal. Bened., num. 66, illud non contemnendum putat, quia in eo quid Clodoveus Magnus, quid ejus filii Clodomirus et Clotarius, quid Chilpericus Clotarii filius, quid Chilperici nepos Dagobertus, ipsiusque Dagoberti itidem nepos Theodericus tertius, quid denique Pippinus, Carolus Magnus ac Ludovicus Miciacensi monasterio contulerint, singillatim exprimitur.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi cancellarii recognovit [a].

## CXL.

### PRO MONASTERIO SCHWARTZACENSI.

(*Anno* 828.)

*Confirmatur commutatio bonorum facta inter Waldonem abbatem Schwartzacensem et Erchengarium comitem Nordgoviæ.*

[Ex antiquo chartulario abbatiæ Andlaviensis [b].]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti [c].

Si enim ea quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverunt, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, et hoc in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, industria, quia Waldo [d] abbas monasterii quod vocatur Svarzbaha, nec non et vir illuster Erkingarius comes, ac genitrix et fratres sui Rotdrudis, Vuoradus, Bernaldus et Bernardus accedentes ad aures clementiæ innotuerunt celsitudini nostræ, quod pro ambarum partium opportunitate quasdam res et mancipia inter se commutassent. Dederunt igitur Erkingarius comes, ac genitrix et germani sui Rotdrudis, Vuoradus, Bernaldus et Bernardus per nostram sibi datam licentiam Waldoni abbati ad partem præfati monasterii sui in villa Creuhesheim [e] mansos sex et jornales septem; et in Utilinhaim [f] mansos quatuor; et inter Fedinheim [g], et Lampartheim [h], et Techinheim [i], mansos duos et prata ad carradas [j] triginta quatuor; et ad Mustridisheim [k] sortem [l] unam, et ad Fregistatt [m] sortes duas et A Waltmasta [n] ad porcos saginandum septenos sexaginta duos; et in Zeinhaim [o] de vinea aripennos [p] duos; et in Wangon [q] similiter, et mancipia [r] numero triginta quatuor, his nominibus: Anno, Willigart et filia ejus Feginbolt, Vuitbert, Duno, Wanahilt, Pallo, Trutger, Rahrud, Goltrut, Hildefrit, Theacla, Waldila, Meginfrit, Richilt, Winilind, Liuthari, Fridalind, Irmanhilt, Liapheri, Wolfarth, Willirat, Liudolf, Nortwib, cum filiis tribus, Waldgard, Ruadind, Helinsind, Antrat..... Et e contra in compensatione istarum rerum dedit præfatus Waldo abba de rebus memorati monasterii memorato Erkingario comiti, ac genitrici et fratribus ejus, Rotdrudi, Vuorado, Bernaldo et Bernardo per nostram sibi datam licentiam in pago Alsacinse in villa, vel marka B Erboldisvillare, in loco qui appellatur Zinzila [s], mansos decem et septem, et prata ad carratas quinquaginta, et de vinea aripennos quatuor, cum finibus et terminis eorum, et mancipia numero triginta quatuor quæ ita nominantur: Adelbert, Watto, Dheganholt, Hildigun, Werinbold, Hugibold, Ingilbold, Otgunt, Weringunt, Willibert, Franco, Horslolf, Ruatber, Snelrath, Hiltrad, Ingilbert, Engitman, Niwrat, Trutlind, cum filio suo, Werhild, Ruathild, Willisind, Ratgunt, Ingilbrich, Lonico, Adalhild, Libold, Willigunt, item Deganbald, Lipsind, Liutsind, Werinbert, Wacho. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum roboratas præ manibus se habere professi sunt; sed pro integra firmitate petierunt celsitudini nostræ, ut, C etc. *Reliqua, ut in diplomate anni* 823, *quo Ludovicus Pius confirmat commutationem factam inter Bernoldum Argentinensem, et prædictum Erchengarium, supra, num.* CIX. Et ut hæc auctoritas firmior habea-

[a] Mabillonius, lib. 6 de Re diplom., num. 80, memorat præceptum Ludovici et Lotharii pro commutatione ab Hilduino abbate Dionysiano facta cum quodam Lantfredo. *Adalulfus diaconus recognovit ad vicem Fridugisi. Datum* v *Kal. Martii anno* 15 *imperii domni Ludovici, et Lotharii* 6, *Actum Aquisgrani palatio regio*; id est, anno Christi 828.

[b] Edidit Schœpflinus, Alsat. diplom. tom. I, pag. 72, se non satis correcte.

[c] Licet Lotharius die 31 Julii 817 consors imperii factus fuisset et confirmatus 1 Maii 821 in conventu Noviomagensi, tamen in diplomatibus, ubi Ludovici et Lotharii nomina habentur conjunctim, primus imperii Lothariani annus repetitur ab anno 822, quo in Attiniacensi conventu mense Augusto missus est in Italiæ regnum. Hujusmodi diplomata in Alsatia non reperiuntur ante annum 826, et duo tantum hujus generis exstant, nostrum anni 828, et alterum autographum an. 826 pro monasterio Gregoriano.

[d] Idem ac Wido, erat ex magna familia et quidem Ludovico Pio affinis, ut opinatur Eckart, de Rebus Franc. Orient. tom. II, pag. 481, qui asserit illum fuisse nepotem Ernesti ducis et propinquum Adalardi comitis palatii.

[e] Hodie *Griesheim*, vicus pertinens ad episcopum Argentinensem.

[f] Hodie vicus *Utelnheim* sive *Ittlenheim*, bihorio distans Argentina, in quo abbatia Schwartzacensis gaudet jure decimarum et patronatus.

[g] Hodie *Vendenheim*, feodum episcopatus Argentinensis, pertinens ad DD. de Wurmser.

[h] Hodie *Lampertheim*, dimidia leuca a Vendenheim distans, pertinens ad summum capitulum Argentinense.

[i] Vicus ignotus, forsitan *Eckwersheim* prope Vendenheim et Lampertheim.

[j] Carrada est onus carri, quantum carro vehi potest, Gallis *charretée*. Ducange, tom. II, pag. 347.

[k] Hodie *Meistersheim*, quatuor leucis ab Argentina, feodum episcopatus Argentinensis, ad DD. de Landsperg pertinens.

[l] Sors erat modulus agri. Ducange, in Glossario, tom. VI, pag. 609. Significabat etiam usuagium, sive jus utendi foresta. Ibid. pag. 610.

[m] Hodie *Freystætt*, trans Rhenum, magnus vicus pertinens ad principem Hasso-Darmstadiensem in D præfectura Lichtenaviensi.

[n] Id est, forestæ usus ad saginandos porcos, a voce *mast*, quæ, teste Wachtero, Glossarii pag. 1056, significat glans, sive sagina. Vox vero Waltmasta hucusque fuit Glossariis incognita.

[o] Hodie *Zeinheim*, prope Wilgotheim, pertinens ad episcopum Argentinensem.

[p] Modus agri, unde Gallica vox *arpent*. Ducange, in Glossario, tom. I, pag. 624 et 692.

[q] Hodie vicus *Wangen*, antiquum abbatiæ sancti Stephani patrimonium.

[r] Schœpflinus male legit *marleya* pro *mancipia*.

[s] Hodie *Zinsweiler*, vicus Oberbronnio semileuca distans. Primo nominatus fuit Erboldisweiler, sed brevi nomen suum deperdidit, et a rivo Zinzela, qui illum abluit, vocatus fuit Zinsweiler. In Zinzila Odalricus comes scripsit anno 804 chartam donationis bonorum villæ Heinhaim pro abbatia Fuldensi, quam retulit Schannat, in Tradit. Fuldensibus, pag. 86, num. 181.

tur, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari. Hirminmaris notarius ad vicem Fridugisi recognovi.

Data quarto Non. Martii, anno, Christo propitio, 15 imperii domni Ludovici et Lotharii 6 piissimi Augusti, indictione 6. Actum Aquisgrani palatio regio [a], in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXLI.

### PRO RESTAURATIONE ECCLESIÆ S. BENIGNI IN URBE DIVIONIS.

(*Anno* 828.)

[Apud Mabill., *Ann. ord. S. Bened.*, tom. II, p. 516.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus, Amadeo comiti, Heliæ et Waldo, Isembardo et Barberto vassis nostris. Notum sit vobis quia volumus ut adjutorium faciatis Herlegaudo diacono ad restaurandam et recooperiendam ecclesiam sancti Benigni martyris Christi, propter illam scilicet rationem, quia compertum nobis est quod vos de ratione ejusdem ecclesiæ beneficia habeatis; et nonas, et decimas in omnibus dare faciatis : quia justum est. Propterea constituimus vobis ut ad restaurandam illam ecclesiam, et cooperiendam, adjutorium præstetis. Videte ut omnino impleatis, atque expressim vobis demandamus ut nullam exinde habeatis negligentiam, si gratiam nostram vultis habere. Et ut certius cognoscatis hanc nostram esse jussionem, de annulo nostro jussimus sigillari.

## CXLII.

### PRO BURDIGALENSI S. ANDREÆ ECCLESIA.

(*Ante annum* 828.)

[Apud D. Bouquet., tom. VI, pag. 557, ex Lopesio, *Eccles. Metrop. Burdigal.*, pag. 377.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, et necessitates ecclesiasticas ad petitiones sacerdotum nostro relevamus juvamine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Noverit interea sagacitas seu utilitas omnium fidelium, tam præsentium quam futurorum, quod vir venerabilis Sicharius Burdigalensis archiepiscopus adiens nostram præsentiam, obtulit obtutibus nostris immunitatem domini et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ serenissimi Augusti, in qua continebatur qualiter ipsam sedem, quæ est in honorem S. Andreæ et S. Jacobi apostolorum, cum monasteriis sibi subjectis, quæ dicuntur Blavia, quod est in honorem S. Romani constitutum, ubi ipse sanctus corpore requiescit, situm in eodem pago Burdigalensi super fluvium Garonam; nec non et S. Severini, ubi etiam requiescit ipse, constructum in suburbio ipsius civitatis, cum omnibus appendiciis et assentiis [b] eorum, quæ non solum idem genitor noster, verum etiam prædecessores ejus reges, ipsamque sedem sub suo munimine et defensione cum cellulis sibi subjectis, et rebus vel hominibus ad se pertinentibus vel aspicientibus consistere fecissent, et eorum immunitatum auctoritatibus ab inquietudine judiciariæ potestatis eadem munita atque defensa fuisset ecclesia. Sed pro rei firmitate postulavit a nobis præfatus Sicharius archiepiscopus ut, parentum seu prædecessorum nostrorum regum morem sequentes, hujusmodi nostræ immunitatis præceptum ob amorem Dei et reverentiam ipsius sancti loci circa ipsam ecclesiam fieri censeremus. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, et hoc nostræ auctoritatis præceptum circa ipsam ecclesiam immunitatis atque tuitionis gratia pro divini cultus amore et animæ nostræ remedio fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, aut nullus ex fidelibus nostris tam præsentibus quam futuris, in ecclesias aut agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis intra ditionem imperii nostri juste et legaliter memorata tenet ecclesia, vel ea quæ deinceps in jure ipsius ecclesiæ divina pietas voluerit augeri, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos quam servos, super terram ipsius commanentes injuste distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ supra memorata sunt, exigere præsumat. Sed liceat memorato præsuli et cuilibet successori res prædictæ ecclesiæ cum cellulis sibi subjectis et rebus vel hominibus ad se aspicientibus vel pertinentibus, sub immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio, atque pro incolumitate nostra et conjugis et prolis, seu etiam totius imperii a Deo nobis collati, et ejus clementissima miseratione per immensum conservandi, una cum clero et populo sibi subjecto, Dei immensam clementiam jugiter exorare. Et quidquid de præfatis rebus ecclesiæ jus fisci exigere poterit, totum nos perpetua renuntiatione concessimus ecclesiæ isti, ut perennibus temporibus in alimoniam pauperum et stipendia clericorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus nostris diligentius conservetur, manu nostra subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

[a] Mense Februario anni 828 a Ludovico Pio et Lothario filio conventum habitum esse publicum Aquisgrani narrat Astronomus in Vita Ludovici Pii, apud Bouq., tom. VI, pag. 109 (*hujusce voluminis col.* 927). Ibidem quoque, eodem anno et mense Martio, duo imperatores pater et filius Sigehardo abbati monasterii Cremifauensis concesserunt diploma datum XI Kal. Aprilis.

[b] Legendum, *adjacentiis* vel *aspicientiis*.

## CXLIII.

PRO MONASTERIO EREMIFANENSI.

(*Anno* 828.)

[Apud Rettempacher, *Annales Eremifanenses*, pag. 30.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti.

Si erga loca divino cultui mancipata imperiali more beneficia largimur opportuna, id nobis procul dubio ad stabilitatem imperii nostri, et animæ salutem proficere minime dubitamus. Igitur notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia ad deprecationem dilecti filii nostri Ludovici regis Waioariorum et Geroldi comitis concessimus cuidam monasterio nostro, cujus vocabulum est Chremisa, quod est constructum in honore et veneratione Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, situm in pago Trungowe, ubi præsenti tempore vir venerabilis Sighardus abbas præest, et monachis ibidem per tempora degentibus quoddam territorium, quod est in pago Grunzwiti, juxta montem Sumerberch, quod usque modo servi vel sclavi ejusdem monasterii ad censum tenuerunt, qui ad partem comitis solvebatur; ubi etiam monachi de præfato monasterio ecclesiam et domos et cætera ædificia construxerunt. Quod territorium ita terminatur: incipit enim, ex plaga orientali, a Sumerperch, sicut missi Geroldi comitis designaverunt, usque in Dræisma, ad locum qui vocatur Hohoga, Plættehinn, et inde sursum usque ad territorium episcopatus Pataviensis ecclesiæ, et exinde ad plagam australem usque in Heribrunnum. Deinde ex parte occidentali usque ad eum locum ubi Flinspach exit de silva; a parte aquilonis, sicut ipsa silva pergit usque ad jam dictum montem qui vocatur Sumerperch. Memoratum vero territorium, quantumcunque infra suprascriptam terminationem consistit, salvis tamen proprietatibus liberorum sclavorum, reliquum quidquid infra has terminationes præsenti tempore ad partem comitum pertinebat, omnia supradicto monasterio Chremysæ per hanc nostram auctoritatem præsentialiter tradimus, et de nostro jure in jus et dominationem ejus transfundimus, ita videlicet ut quidquid de præfatis territoriis ob utilitatem et profectum præscripti monasterii rectores et ministri ejus facere vel judicare voluerint, libero in omnibus potiantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manibus propriis subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Signum Lotharii gloriosissimi imperatoris Augusti.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Datum XI Kal. April., anno Christo propitio 15 imperii domini Ludovici serenissimi imperatoris, et Lotharii 6, indictione 6. Actum Aquisgrani, palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXLIV.

PRO MONASTERIO S. GALLI.

(*Anno* 828, 12 *Feb.*)

*Ludovicus Pius et Lotharius imperatores confirmant donationem a Pippino rege monasterio S. Galli factam.*

[Apud Neugart., *Codex Alemannicus*, pag. 196, ex *cod. Tr.* mon. S. Galli, pag. 172.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti.

Notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia Gauzbertus venerabilis abbas ex monasterio S. Galli permissum suum nobis innotuit, quod avus noster Pippinus quondam rex aliquos liberos homines in pago Brisichava [a] quorum nomina sunt: Williharius, Putico, Gauzbertus, Otarius, Pillinus, Haimo, Hundo, Wolfuvinus, Motharius, Chrodarius, Gangulffus, Zuppo, Gisalo, Drasamundus, Harimundus, Otini, Grotzeo, Swabulffus, Biritoldus, Griffo, Wolantinus, ad eumdem monasterium concessisset. Eo scilicet modo ut iidem liberi homines, et posteritas eorum, censum quod ad fiscum persolvi solebant, parti prædicti monasterii exhiberent atque persolverent. Sed quia super hac concessione præceptum avi nostri Pippini regis conscriptum non habebant, jussimus Liuthario comiti [b] hanc causam diligentius, si ita esset, inquirere. Qui juxta veritatis et æquitatis ordinem diligenter perscrutatum renuntiavit nobis, quia sicut per illos pagenses et veraces homines per sacramentum invenire potuit, ita esse verum, sicut superius comprehensum est. Quapropter hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri decrevimus: per quod præcipimus atque jubemus, ut, sicut prædicti homines ingenui illud censum quod annis singulis fisco conferri solebant, eidem monasterio sancti Galli per constitutionem avi nostri Pippini regis exhibuerunt, ita abhinc in postmodum omnis posteritas eorum per hoc nostrum præceptum ad supra dictum monasterium sub omni integritate persolvant. Nullusque vel a comitibus, vel a centenariis, vel a missis discurrentibus, vel a quibuslibet alterius ordinis inquietudines aut calumnias pars ejusdem monasterii exinde patiatur: sed sicut ab avo nostro Pippino rege concessum est, ita ab omnibus fidelibus nostris erga prædictos homines, et censum qui ab eis debetur, inviolabiliter conservetur. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, annulo nostro subter eam jussimus sigillari.

[a] Brisgovia.

[b] Liuthardi comitis meminerunt Ermoldus Nigellus De Reb. gest. Ludovici Pii, vers. 274 et 373, ac Astronomus in Vita Ludovici Pii, cap. 13 et 16, apud Bouquet. Rer. Gall. Script., t. VI, p. 18, 20, 91, 94 (*hujus voluminis, col.* 927). An hic idem sit cum Lithuario comite hic memorato, non ausim statuere.

Hirminmaris notarius ad vicem Fridugisi recognovi et subscripsi.

Data pridie Idus Februarias anno Christo propitio 15 imperii domni Ludovici imp. et Lotharii sexto [a], indictione 6. Actum Aquisgrani [b] palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

CXLV.

PRO MONASTERIO SANGERMANENSI.

(*Anno* 829.)

[Apud Mabill., *Annal. ord. S. Bened.*, tom. II, pag. 521.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti.

Si ea quæ fideles imperii nostri pro statu et utilitate ecclesiarum ac servorum Dei fideliter ac devote ob Dei amorem in locis sibi commissis statuerunt, nostris confirmamus edictis, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem et totius regni a Deo nobis commissi tutelam mansurum esse credimus, et retributorem Dominum in futuro habere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia vir venerabilis Hilduinus, monasterii Sancti Vincentii ac Sancti Germani abbas, necnon et sacri palatii nostri archicapellanus, nostræ suggessit serenitati quod pro Dei omnipotentis amore, et futuro ejusdem congregationis cavendo periculo, ne aliqua successorum suorum negligentia aut parcitate [*Forte* rapacitate] ordo in ea futuris temporibus perturbaretur monasticus, stipendia eorum quæ annuatim in cibo et potu accipere debebant, necnon et quasdam villas, specialiter necessitatibus illorum deserviendas, constituisset ac deputasset, atque per litterarum seriem et largitionis suæ chartam, sua aliorumque bonorum hominum manibus roboratam, eis concessisset ac delegasset : quatenus nulla occasione, nec rei publicæ servitio, quisquam ex successoribus suis impedimentum in futuro inferre potuisset, pro quo a via rectitudinis et observatione regulari oberrare necesse esset : sed deputatis sibi rebus et stipendiis contenti, absque necessitate et inopia, regularem normam tenere, et sine prævaricatione, quantum humana sinit fragilitas, observare quivissent. Unde humiliter petiit ac postulavit celsitudinem nostram, ut pro rei firmitate, super eamdem constitutionem auctoritatis præceptum nostræ, pro divino intuitu ac ipsorum sanctorum reverentia, fieri juberemus, per quod in antea stabilis et inviolata permaneret. Nos vero petitioni illius, quia necessaria et rationabilis erat, aurem accommodantes, et qua voluntate ac ratione talia clementiæ nostræ suggereret, perspicue intelligentes, veluti postulaverat, fieri adjudicavimus. Quapropter statuimus A atque jubemus secundum quod in illius ordinatione continetur, ut dentur eis annis singulis de tritico puro modii mille quadringenti et quadraginta ; et in susceptionem hospitum modii centum octoginta, quod sunt simul modii mille sexcenti viginti ; de vino modii duo millia ; de legumine modii centum octoginta ; de caseo pensas centum sexaginta ; de pinguedine autem modii viginti, aut porci quinquaginta, quales meliores inveniri possunt ; de butyro modii quatuor, de melle carrada una ex modiis octo, vel sicut ex censu de villa Lucarias persolvitur ; et mensalem de duodecim villis melle et cera, id est unoquoque mense sextaria quatuor, et ceræ libras duas ; de sale modii centum ; volatilia cum ovis de duobus festis, id est Pascha et Natalis Domini. Ad vestimenta etiam vel omnes eorum necessitates, secundum B regularem institutionem procurandas, constituimus illis easdem villas, quas ipse per suam concessionem eis visus est condonasse : id est Antoniacum (*Antony*) cum ipsa capella, vel quidquid ad suum opus præsentialiter habuit, vel quidquid inde homines per precarias tenent, vel quidquid per beneficium illius aliqui adhuc habent, et illic pertinere videtur, ut post eorum discessum ad usum fratrum revertantur. Alteram, cujus vocabulum est Cella (*la Celle*), quæ dicitur Villaris, cum omnibus appendiciis suis, quantum ipse præsenti tempore ad suum opus illic habuit, vel quidquid homines per precaria vel beneficia illius tenent, et illic pertinere videtur. Tertiam, quæ vocatur Matriolas (*Marolles près Montereau*), cum omni integritate sua. Quar- C tam, quæ vocatur Cati-cantus (*Cachant*). Quintam, cujus vocabulum est Novigentus (*Nogent l'Artaud*), cum omni integritate sua. Sextam, cujus vocabulum est Spinogilum (*Espigneul*), cum ipsa capella, vel quidquid inde ad suum opus habuit. Septimam, locellum, qui vocatur Valedronis (*Valenton*). Octavam, quæ dicitur Agmantus (*Esmant*), una cum ipsa silva quæ vocatur Usta [*Al.* Utta, *Otte*]. Has ergo villas cum appendiciis et reditibus suis ut diximus, ad omnes ejusdem congregationis, tam infirmorum quam senum, necessitates faciendas, et sustentacula mortalis vitæ ministranda, imperiali auctoritate et indulgentia per hoc præceptum confirmationis nostræ, sicut prædictus venerabilis D abbas in sua prædicta constitutione, stabili jure eis, concedimus ac confirmamus : præcipientes ut nullus abbas per successiones, quod salubri egit consilio, subtrahere aut minuere audeat, aut ad suos usus retorqueat, aut alicui in beneficio tribuat : sed neque servitia ex eis exactet, neque paraveredos aut expensas ad hospitum susceptiones recipiat ; neque ullas in aliqua re exactiones inde exigat absque inevitabili necessitate, præter mensuras in princi-

[a] Imperii coronam Lothario Paschalis papa Romæ imposuit ipso Paschatis die an. 823, teste Eginhardo in Annalibus ad hunc annum. Cf. Annal. Fuld et Chron. Saxon., apud Bouquet., Rer. Gall. Script., tom. VI, pag. 183, 208, 220. Dicendum ergo, scriptorem diplomatis primum annum Lotharii in Natali Domini aut Kalendis Januarii abrupisse, alterum vero ac sequentes inde inchoasse.

[b] Imperatorem hoc tempore Aquisgrani egisse, facile colligitur ex Eginhardi verbis : « Conventus Aquisgrani mense Febr. factus est. »

pali ecclesia beati Germani, et in ponte Parisius longo a tempore dispositas : et si augeri adjudicaverit, et numerum monachorum in majus augeri, amplificari pecunia majori licentiam habeat. Hæc autem, ut putamus, ad usus centum viginti monachorum sufficiunt : distrahendi autem aut minuendi eas, quas pro Dei statuimus amore, nequaquam præsumat. Sed si facere præsumpserit, et post discessum nostrum hanc nostram confirmationem, quam supra dicti venerabilis viri Hilduini constitutionem fecimus, violare voluerit, querela ad successores nostros, qui tunc temporis nobis superstites fuerint devenerit, ipsique agnita auctoritate nostra statuta nostra defendant, et suæ auctoritatis præcepto confirment : qualiter futuris temporibus fratres, in cœnobio supra dicto regulam beati Benedicti servantes, absque perturbatione libere Deo deservire queant, nobisque merces exinde in perpetua recompensetur æternitate. Et ut hæc auctoritas, quam ob amorem Dei et animæ nostræ remedium statuimus, firmiorem obtineat vigorem, et deinceps inconvulsa valeat perdurare, manus nostræ subscriptione eam subter firmavimus, et annulo nostro sigillari jussimus.

Data idibus Januarii, anno Christo propitio sexto decimo imperii domni Ludovici serenissimi Augusti, indictione septima. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

CXLVI.

PRO MONASTERIO FARFENSI.

(*Anno* 829.)

[Apud Chesnium, *Script. Rer. Franc.*, tom. III, pag. 658.]

Ludovicus et Lotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti.

Cum locis divino cultui mancipatis largitionis nostræ munere quidpiam conferimus, id nobis ad stabilitatem imperii nostri, et ad æternæ vitæ præmium capessendum profuturum liquido credimus. Proinde notum esse volumus omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, sagacitati, quia nos superno amore accensi, pro remedio animæ nostræ concedimus quoddam monasteriolum situm in finibus Teatinæ sive Vocitanæ, in loco cujus vocabulum est Lucana, et constructum in honorem sancti Stephani protomartyris, sub omni integritate, ad monasterium nostrum sanctæ Mariæ semper virginis, quod est situm in pago Sabinensi, ubi in præsenti tempore Ingoaldus abbas præesse dignoscitur. Monasteriolum vero supradictum cum omni integritate, cum ecclesiis, cellulis, territoriis, ædificiis, familiis, juste pertinentibus, casis, amassariciis, aldiariciis, bouillicariis, vaccariciis, Alpibus Gaiis, molendinis, aquis, decursibus, pascuis, paludibus, vel quidquid præsenti tempore juste et legaliter pertinere dignoscitur, et nostri juris atque possessionis jure proprietatis est, totum et ad integritatem, vel inexquisitum, prædicto monasterio Sanctæ Mariæ tradimus, et de nostro jure in jus et dominationem illius transferimus. Ita videlicet ut quidquid rectores et ministri prædicti monasterii sanctæ Mariæ semper virginis de supradicto monasterio Sancti Stephani secundum auctoritatem canonicam ac regularem facere, ordinare ac disponere voluerint, libero in omnibus potiantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, manibus propriis subterfirmavimus et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Durandus diaconus ad vicem Frigdugisi recognovit.

Dat. x Kalend. Julii, anno 15 imperii domini Ludovici et Lotharii 7, indict. 7. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

CXLVII.

PRO FLODEGARIO ANDEGAVENSI EPISCOPO.

(*Anno* 829.)

[Baluz., *Capitul.*, tom. II, pag. 829.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti.

Si ea quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, et hoc in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet et futurorum industria quia dilectus filius noster Augustus Lotharius innotuit mansuetudini nostræ quod Flodegarius Andegavensis urbis episcopus pro communi utilitate et compendio nuperrime de quibusdam mancipiis cum quodam homine nomine Winnerado commutationem fecisset. Dedit igitur præscriptus vir venerabilis Flodegarius, Andegavensis urbis episcopus, paribus sæpedicti Winneradi de ratione ecclesiæ suæ sancti Mauricii de villa nuncupata Chamberliaco, in ipsa, cum consensu Bertæ, quæ ipsam villam in beneficio habere videtur, mancipium nomine Aredium ad suum proprium habendum. Et e contra in compensatione hujus rei dedit jam dictus Winneradus prædicto viro venerabili Flodegario episcopo ad partem præscriptæ villæ vel dominæ Bertæ, quæ eodem tempore ipsam villam in beneficio habere videtur, de proprio suo mancipia duo his nominibus Restaldum et Ermenaldum. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas manibusque bonorum hominum roboratas illos præ manibus habere professus est. Sed pro integra firmitate petiit ut ipsas commutationes denuo per nostræ mansuetudinis præceptum plenius confirmaremus. Cui petitioni denegare noluimus; sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste petentium, ita nos illi concessisse et confirmasse in omnibus cognoscite. Præcipientes ergo jubemus ut quidquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, et faciat exinde quidquid elegerit. Et ut hæc auctoritas nostra firmior habeatur et per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subter sigillari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Meginarius notarius ad vicem Fridugusi recognovit et subscripsit.

Data VI Kalendas..... anno Christo propitio 15 imperii Ludovici serenissimi imperatoris et Lotharii 7, indictione 7. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXLVIII.

### PRO MONASTERIO S. ANDREÆ JUREDENSIS IN DIŒCESI HELENENSI.

(*Circa annum* 829.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, ex *Append. ad Marcam Hispan.*, col. 775.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, qualiter vir illuster Gaucelmus comes [a] ad nostram accedens clementiam, innotuit celsitudini nostræ qualiter quidam abbas, nomine Miro, quondam in territorio Helenense super fluvium Tacidum in quodam loco in honore sancti Andreæ monasterium ædificasset, et monachos secundum regulam sancti Benedicti in eodem monasterio vivere constituisset, eoque rebus humanis exempto, Sisegutus abbas in suo et loco et ministerio subrogatus fuisset; deprecatusque est nos idem vir illuster Gaucelmus comes ut prædictum Sisegutum abbatem, una cum monachis suis, et prædictum monasterium suum cum omnibus cellulis ad eum pertinentibus in supradicto pago Helenense, unam videlicet in honore sancti Martini sitam, in qua primitus idem abbas cum monachis habitare cœpit, ipsamque vallem cum præfata cellula et cum omni integritate sua concederemus, necnon et aliam cellulam in honore sancti Vincentii constructam, seu et villare quod dicitur Garrericis, cum ipsis fiscalibus terris, vel etiam cum rebus vel adjacentiis, quas præsenti tempore in prædictis locis juste et legaliter tenere et possidere videntur, in nostra eleemosyna sub tuitione et defensione nostra consistere fecissemus, quemadmodum alia monasteria infra Septimaniam consistere videntur. Cujus deprecationi assensum præbentes, ita nos fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. Propterea has nostræ auctoritatis litteras firmitatis gratia fieri et ei dari jussimus; per quas præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, aut quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterii, et cellulas superius nominatas, vel quæ deinceps in jure ipsius loci divina pietas augeri voluerit, judiciario more ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas, aut ullas redhibitiones vel illicitas occasiones requirendas ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt exigere præsumat: sed liceat prædicto abbati ejusque successoribus, absque ullius injusta inquietudine, cum omnibus rebus ad se juste et legaliter præsenti tempore pertinentibus, quiete vivere ac residere, et pro nobis, conjuge proleque nostra atque pro stabilitate totius imperii nostri, una cum monachis eorum Domini misericordiam jugiter exorare. Et quandocunque divina vocatione memoratus abbas ejusque successores de hac luce migraverint, quandiu inter se tales invenire potuerint, qui eos secundum regulam sancti Benedicti regere et ordinare valeant, licentiam habeant ex se ipsis eligendi abbates. Et ut hæ nostræ auctoritatis litteræ ab omnibus verius credantur, et diligentius conserventur, de annulo nostro subter eas præcepimus signari.

## CXLIX.

### PRO MONASTERIO EBERSHEIMENSI.

(*Anno* 829.)

[Apud Grandidier, *Histoire de Strasbourg*, tom. II, p. 190.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Ludovicus divina favente gratia rex Francorum et Longobardorum, Romanorum vero imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ipsique in eisdem locis famulantibus beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum industria, quia venerabilis Theopaldus, abbas monasterii quod nuncupatur Novientum sive Ebersheim, quod est situm in pago Alsatiæ supra Illam flumen in comitatu Kircheim, quod vir illuster Ethich dux in honorem Domini nostri Jesu Christi et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sanctique Mauricii sociorumque ejus construxit, præsentavit nobis immunitatem et privilegia domni et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ Augusti. Quæ cum perlecta in audientia principum fuissent, continere videbantur quod idem genitor noster, ob amorem regni cœlestis, specialiter tamen ob reverentiam Thebæorum martyrum, prædictum monasterium speciali quodam affectu sub plenissima defensione regie immunitatis semper tutatus sit. Quapropter rogavit nos idem prædictus abbas cum domno Vuifhaldo advocato suo, ut paternum morem sequentes ipsum supradicti cœnobii locum et ipsius præcipuas curtes in tutelam nostræ imperialis defensionis, exclusa omni comitiali seu fiscali potestate, reciperemus. Nos ergo majorum nostrorum exemplo provocati, simulque ipsius sancti loci utilitati et nostræ saluti providentes petitioni in omnibus annuere decrevimus. Præcipientes itaque imperiali auctoritate jubemus, ut nullus judex publicus, nulla judiciaria potestas, nostris et futuris temporibus ipsum supra dictum locum vel curtes ipsius potestative ingredi præsumat, nec paratas aut mansiones ibi faciat, nec quemquam hominum constringat, nec quidquam in jure fisci nostri inibi requirat, sed prædictus abbas Theopaldus et omnes successores ejus ipsas curtes ex hoc et deinceps potestative et totaliter cum omni immunitate sua possideant. Hoc est, in Hiltesheim [b], curtis

[a] Gaucelmus Ruscinonensis comes, filius sancti Willelmi, frater Bernardi Septimaniæ ducis, jussu Lotharii imperatoris anno 834 capite plexus est.

[b] Hodie *Hiltzheim.*

dominica cum omnibus pertinentiis suis, bannus A totaliter, ecclesia cum decimis suis : retinuimus etiam nobis et judicibus nostris in ipsa villa dimidium mansum, ne quidquam impedimenti ipsum cœnobium in curte sua sustineat; judiciaria vero potestas ad abbatem et ad judices suos potestative pertineat. In Wittensheim [a], curtis dominica cum pertinentiis, ecclesia cum decimis suis, retinentes nobis quartam partem mansi, eo tenore quo supra. In Gruzenheim [b], curtis dominica cum omnibus pertinentiis suis, ecclesia cum decimis suis, tres partes banni cum judiciaria potestate; nobis vero et judicibus nostris, ne aliquot impedimentum, ut supra diximus, cœnobium in sua curte sustineat, unum mansum retinuimus. In Artolvesheim [c], curtis dominica cum omnibus pertinentiis suis, bannus totaliter, ecclesia cum decimis suis. In Muttersholtz [d], curtis dominica cum omnibus pertinentiis suis, ecclesia cum decimis suis. In Svabesheim , curtis dominica cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesia in Nivratesheim [f] cum decimis suis. In Beckensheim [g], curtis dominica. In Wilre [h], curtis dominica, ecclesia cum decimis suis. In Binrenheim [i] curtis dominica cum banno ipsius allodii, ecclesia cum decimis suis. In Kagenheim [j] curtis dominica. In Ebersheim [k], curtis dominica. In Utenheim [l], curtis dominica, ecclesia cum decimis suis. In Valva [m], curtis dominica. Itaque prædictus Theopaldus abbas et omnes successores ipsius has prædictas curtes absque ulla contradictione, seu convulsione, vel diminutione alicujus judiciariæ potestatis, seu sæcularis, sive spiritualis per muni- C ficentiam nostræ imperialis auctoritatis largitatem meliorando, augmentando, potestative possideant, quatenus fratres inibi Domino servientes pro salute nostra ac pro statu imperii nostri frequentius exorent. Et ut hæc nostra imperialis auctoritas nostris et futuris temporibus stabilis et inconvulsa, Christo largiente, permaneat, manu propria signavimus, et sigilli nostri impressione sigillavimus.

Data Idus Junii, anno Dominicæ incarnationis 829, indictione septima, anno...... regni domni Ludovici serenissimi regis. Actum in Foracheim [n] in curte regali, in Christi nomine feliciter, Amen.

Signum domini Ludovici serenissimi regis. Albertus cancellarius ad vicem Diothmari archicapellani [o] recognovi.

CL.

PRO MONASTERIO CENTULENSI SIVE S. RICHARII.

B (*Anno* 830.)

[Apud D. Bouq. *ibid.* pag. 562, ex Acherio tom. IV *Spicil.*, pag. 478.]

In nomine Domini [Dei] et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia dum nos orationis causa in beatissimi confessoris Christi Richarii basilicam adveniremus, adierunt celsitudinem nostram monachi ex monasterio eodem, deprecantes ut super rebus quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii nostri ad victum et vestitum eorum habent, nostram auctoritatem firmitatis gratia fieri jubere- C mus ; per quam decerneremus ut neque abbates per tempora ibidem degentes, neque ministri, aut alia quælibet superioris vel inferioris prædicta [*Forte*

[a] *Wittisheim*, sive *Witzen*.

[b] *Grusenheim*.

[c] *Artelsheim*.

[d] *Mietersholz*.

[e] Hodie vicus *Schwabsheim*, ad episcopum Argentinensem pertinens, duabus a Selestadio leucis.

[f] *Niffern*.

[g] Vicus ignotus, nisi forte *Burgheim* in aliis chartis Ebersheimensibus memoratus.

[h] Hodie *Weiler*, sive *Viler*, pertinens ad D. de Choiseul-Meuse.

[i] *Bindern*.

[j] *Kogenheim*.

[k] Hodie vicus *Ebersheim*, ad summum capitulum Argentinense pertinens.

[l] *Utenheim*.

[m] *Valff*.

[n] Nullum exstat inter Ludovici Pii diplomata, quod datum fuerit Foracheim. Dein imperatorem hunc mense Junio anni 829 Aquisgrani versatum fuisse patet ex diplomate regio Ludovici et Lotharii pro Ingoaldo abbate Farfensi, apud Duchesne, tom. III Scriptor. Franciæ, pag. 658. Observandum est etiam diplomata hujus anni nunquam data fuisse a solo Ludovico, sed semper conjunctim cum filio Lothario.

[o] Albertus et Diothmarus omnino sunt ignoti inter cancellarios Ludovici Pii. Uterque innotescit in chartis Arnulphi imperatoris. Deotmarus, sive Theodmarus archiepiscopus Salisburgensis sub Arnulpho et Ludovico III ejus filio gessit honorem archi-cancellariatus, et Theodmari vice sæpius recognovit Albertus, qui rectius Aspertus scribitur. Mallinkrot, de archicancellariis, apud Wencker, in collectis Archivi, pag. 243 et 244. Exstat authenticum Arnulphi regis diploma pro abbatia Ebersheimensi infra referendum, sic desinens : « Data Idus Junii, anno Dominicæ incarnationis 889, indictione 7, anno secundo regni domni Arnolfi serenissimi regis. Actum in Foracheim, in curte regali, in Christi nomine feliciter, Amen. Signum domini Arnolfi serenissimi regis. Albertus cancellarius ad vicem Diothmari archicapellani recognovi. » Quis non videt effictorem diplomatis Ludovici Pii præ oculis habuisse hanc chartam Arnulphi regis anni 889. Inde magna nobis venit suspicio adulterinum Ludovici Pii anni 829 diploma descriptum fuisse in ipsomet autographo Arnulphi anni 889 quod D ideo periit. Hujus enim tantum apographa exstant tum in archivo episcopatus Tabernensi, tum in ipso Aprimonasteriensi tabulario. Ab effictore vero totum Arnulphi diploma episcoporum Argentinensium juribus nimis, ut putabat, favens deletum est, et in ejus locum scripsit de ingenio putatitiam Ludovici Pii chartam. Cum vero eam sic violaret improba manus, in delendis formulis finalibus ars non potuit adhiberi; inde remanentia exstantis olim Arnulphini diplomatis signa. Probant hæc inter alia caracteres diversi, litterarum ductus alii, atramentum magis nigricans, litteræ crassiores. Probant in numeris DCCCLXXXIX deletæ litteræ LX, ut inde conficeretur annus DCCCXXIX, quo vixit Ludovicus Pius. Probat deletus annus, quo designabatur regnum. Probat et ipsum sigillum, cujus protome eleganter impressa et optime conservata est in cera alba : sed litteræ circa caput scriptæ sunt erasæ. Id arte fecit chartæ corruptor, ne in sigillo detegeretur nomen Arnulphi.

dignitatis] persona, de eisdem rebus aliquid abstrahere aut minuere, vel in alios usus retorquere præsumat. Quorum petitionem justam ac rationabilem judicantes, hos imperiales apices nostros firmitatis gratia circa servos Dei ibidem per tempora labentia degentes fieri jussimus, per quos decernimus atque omnimodis sancimus ut nullus rector prædicti monasterii, aut ministri ejus, de rebus quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii nostri ad usus et victum atque vestimentum eorum habent, quarum hæc sunt nomina : Cininicurtem cum Bronoilo, Aldulficurtem, Valles, Drusciacum, Novamvillam, Mons-Angelorum, Wiberentium, Bagardas, Curticellam, Crux, Langoratum, Altegiam, Sidrutem, Niviellam, Verculf, Concilium, Rocconis-Montem, Maris; vel quidquid ad supradicta loca præsenti tempore juste et legaliter aspicere videtur, aliquid abstrahere aut minuere, aut in alios usus convertere, aut paratas, aut lidimonium, aut hostilicium, aut alias quaslibet redhibitiones exigere aut exactare præsumat : sed eo modo atque tenore quo nunc statuimus, teneant atque possideant, ita nostris et futuris temporibus secure atque quiete habeant et fruantur; quatenus ipsos servos Dei in prædicto monasterio famulantes pro nobis, conjuge proleque nostra, atque stabilitate totius imperii nostri perpetim Dei misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Data III Non. Aprilis, anno Christo propitio 27 imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 8. Actum monasterio S. Gualarici feliciter. Amen.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi et subscripsi.

CLI.

PRO HERENSI S. PHILIBERTI MONASTERIO.

(*Anno* 830.)

[Apud D. Bouquet. *ibid.*, ex schedis mss. bibliothecæ S. Germani a Pratis.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti.

Si enim a Deo nobis collatam potestatem divinis cultibus famulari facimus, et Dei servorum, cum in hoc sæculo maligno positi sumus, quietem nostro studio procuramus, ut videlicet a mundi procellis per nostram providentiam quantum in nobis est, tuti residere, et libere suam professionem tenere, Deoque sanctissimis desideriis ac piis studiis devota tranquillitate, remotis perturbationibus sæculi, jugiter inhærere valeant; id nobis ad Dei misericordiam promerendam, et ad criminum nostrorum absolutionem, vel ad regni nostri stabilitatem pertinere non ambigimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris, præsentibus scilicet et futuris, qualiter vir venerabilis Atho quondam episcopus

A monasterii sancti Philiberti patroni nostri et præclarissimi confessoris Christi, quod est situm et ab eo constructum in Herio maris insula, per largitatem sanctæ recordationis domni Caroli genitoris nostri et præstantissimi imperatoris [est] adeptus, ut ordo regularis, qui olim in eodem loco a præfato sanctissimo viro institutus, et multis postea temporibus laudabiliter ac decenter conservatus, et partim per torporem præpositorum, partim vero per segnitiem subjectorum fuerat depravatus, ad pristinum revocaretur statum : divino admonitus instinctu, et virorum religiosorum adminiculo suffultus, pro viribus satagere curavit, et genitoris nostri ac nostrum, ut ejus pia devotio effectum obtineret, obnixis precibus auxilium imploravit. Sed quia priusquam ejus rationabilis postulatio et pia devotio et..... optatum obtineret effectum, idem episcopus diem clausit extremum; et variis emergentibus causis, ejusdem loci congregatio a sui propositi observatione multis occasionibus præpedita...... amore succensa, ac ferventissimo desiderio ignita, spiritali, ut ita dicam, violentia niteretur...... ceperat ac Deo devoverat regularem professionem, adeo ut nulla quælibet tempestiva sæculi perturbatio vel persecutio posset eos quoquomodo compellere, ut a suo exorbitaret proposito...... illorumque tribulationibus spiritualiter compassi, quia mundo mortui Deo vivere satagebant, libenter eis propter Christi amorem, cujus vestigia sequi ardentissime contendebant, auxilium eis opportunum præbuimus, et optatam illis quietem ac libertatem [indulsimus], atque abbatem ex ipsis, qui eos [valeat] regere, eis constituimus : et nostram imperialem auctoritatem, per quam idem monasterium et omnes res ad eum [ipsum] juste pertinentes, cum omni integritate, sub nostra successorumque nostrorum plenissima defensione et immunitate et tuitione perpetualiter consisterent, fieri jussimus : et ne ulla tributa, freda, censa, mansionatici, vel ullæ quælibet redhibitiones ab eodem loco ullo unquam tempore qualibet occasione exigerentur, similiter nostra auctoritate inhibuimus. Et quidquid fiscus exigere vel sperare poterat, vel quod ad nostrum publicum obsequium exinde pertinere videbatur, ut in fratrum stipendiis, in pauperibus alendis, in restaurationibus..... vel luminaribus concinnandis totum omnino cederet, libentissime concessimus. Et ut semper abbatem ex ipsis habeant licentiam eligendi, qui eis regulariter præesse et prodesse posset, ut idem locus sine ulla temporum alteratione sub monastico perpetualiter consisteret ordine, nihilominus per nostrum præceptum confirmavimus. Hæc quidem omnia illis devotissime propter Dei amorem præstitimus, ut a piissimo Domino æterna nobis in cœlesti patria gratuita ejus miseratione fieret recompensatio, eosque apud divinam clementiam adjutores atque intercessores haberemus perpetuos. Sed cum idem locus piratarum incursionibus creberrime cœpisset infestari, et ipsi monachi multas incommoditates atque molestias jugiter propter hoc paterentur :

[cumque] omni anno ipsa necessitas eos compulisset eumdem locum ab initio verni usque ad finem autumni temporis deserere, et quasi desolatum sine divino officio relinquere, et omne ministerium ecclesiæ, vel universam monasterii suppellectilem foras cogere cum gravi dispendio et labore; et aliud a novo monasterium construere; ne memoratus locus penitus destitueretur vel annullaretur, et monachorum devotio tam diutina agitatione concussa ac præpedita, quod hac procellosa perturbatione ex parte amiserat, recuperare valeret, petierunt celsitudini nostræ ut in circuitu novi monasterii castrum illis fieri permitteremus, ut in eo tuti possent eodem in loco, ubi professionem regularem fecerant, suum propositum observare, et optata Deo miserante frui quiete. Quorum petitionem, quia illis valde necessariam [novimus,] suscepimus, et ut ita facerent permisimus. Porro divina opitulatione in fidelium fulti adjutorio, instantissimoque studio prout potuerunt adhibito, idem opus ad effectum Deo cooperante perductum est. Sed ut idem opus patratum utile foret, et ab incursionibus inimicorum tutum consistere valeret, petierunt obnixe ut concederetur illis a nostra serenitate, ut homines ejusdem monasterii, sive liberi sive servi, ad eum perpetualiter tuendum specialiter deputarentur, et ab aliis publicis obsequiis per nostram largitatem immunes consisterent. [Quod] libenter propter prædictorum servorum Dei quietem concessimus, atque ut ita in futurum conservaretur, per hanc nostram auctoritatem confirmavimus, quia utilius ita fieri judicavimus, quatenus semper par fidelium nostrorum ad eumdem locum custodiendum.... et idem locus hac occasione non penitus destrueretur. Proinde hos imperiales apices ei fieri decrevimus, per quos omnibus, sicut præmissum est, notum facimus, quia volumus, et omnino ut a successoribus nostris conservetur rogamus, ut memoratum monasterium ejusque congregatio sub speciali nostra a successorum nostrorum tuitione atque defensione consistat, et peculiariter quodammodo tueatur, et cuncta quæ illi propter divinum amorem concessimus, et per alia nostra scripta confirmavimus, inviolabiliter conserventur, et homines ejusdem monasterii, sive liberi qui beneficia exinde habere, vel super ejus terras commanere noscuntur, sive coloni vel servi ad eum juste pertinentes, a cunctis publicis obsequiis ad nos pertinentibus immunes ad tuitionem ejusdem loci vel servitium memoratæ congregationis omni tempore sint, absque alicujus imperio..... atque subtractione deputati atque constituti. Et quoniam modica exinde annuatim, dona priusquam idem ordo ibidem constitueretur, exire consueverant, ne forte pia nostra devotio, donatio atque constitutio gravis ad conservandum nostris successoribus videretur, ut omnis occasio illam violandi penitus auferretur, instituimus ut sex libræ argenti omni anno ad regiam cameram exinde persolvantur, ea videlicet conditione ut ab omnibus donis vel obsequiis, seu a cunctis operibus publicis ac palatinis omni tempore idem locus absolutus esset per hanc nostram confirmationem modis omnibus, cumque rerum suarum integritate irrefragabiliter consistat, sine ulla qualibet inquietudine, infestatione, vel cujuslibet redhibitionis exactione; ut ab omnibus impedimentis mundi monachi ibidem Deo militantes per nostrum studium liberi ac quieti effecti, Deo ferventissime et laudabiliter deservire, et pro nobis et prole nostra, vel etiam totius regni stabilitate internis votis ac jugibus precibus valeant Dominum exorare. Et ut hæc auctoritas perpetuo inviolabilis perseveret, eam propriis manibus subter firmavimus, ac annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris et Lotharii gloriosissimi Augusti.

Data III Nonas Augusti, anno Christo propitio 17 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, Lotharii Cæsaris 8. Actum Silviaco palatio.

Hirminmaris notarius ad vicem Fredugisi recognovit.

## CLII.

### PRO MONASTERIO BESUENSI.

(*Anno* 830.)

[Apud D. Bouquet. *ibid* ex *Spicilegio* Dacherii.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti.

Si petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Proinde comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum, solertia, quia suggessit mansuetudini nostræ vir venerabilis Albericus Lingonensis Ecclesiæ præsul, qualiter quamdam abbatiam, cujus vocabulum est Fons Besuus, ex rebus videlicet episcopatus sui, ubi quemdam monachi regulariter viventes fuerant, sed moderno tempore penitus erat destructa, a fundamentis reædificavit, ædificia congrua construxit, monachos adunavit, abbatem etiam nomine Seraphim præfecit. Et ut monachi in eodem loco, Domino adjuvante, congregati melius et liberius sub norma sanctæ regulæ Deo militarent, non solum res quæ ad prædictam abbatiam legaliter pertinebant, ibi reddidit, sed etiam alias res de præfato episcopatu ibidem subjecit; sed et constitutionis chartulam, quam ipse una per consensum metropolitani sui Agobardi archiepiscopi, et suffraganeorum suorum, nec non et cleri sibi subjecti, et quorumdam laicorum nobilium confirmaverat, nobis ostendit, in qua plenius conscriptum erat, non solum res ad jam dictam abbatiam legaliter pertinentes ibi reddidisse, verum etiam ei quasdam res de memorato episcopatu suo ibidem subjecisse. Quarum hæc sunt nomina : Pauliacum cum appendiciis suis, Bellenavum vicum cum suis appendiciis, Arconem cum appendiciis suis. Istas villas cum omnibus adjacentiis, seu et omni re superposita, campis, pratis, silvis, pomiferis, pascuis, accessibus, aquis

aquarumque decursibus, et omnes redditus, totum A ad integrum, una cum mancipiis, libertis, cum omni peculio ipsorum, una cum accolabus, dedit ad servitium monachorum jure perpetuo ad possidendum: ecclesiam etiam, quæ est in ipsa Bellenavo villa in honore sancti Stephani prorsus ab omni consuetudinali exactione liberrimam; ecclesiam quoque de villa, quæ dicitur Danbrum, cum appendiciis suis; et villam Danblim cum ecclesia et omnibus appendiciis suis; et villam Trescasas cum ecclesia et omnibus appendiciis suis. Item ecclesiam de villa quæ S. Sequani, cum appendiciis suis; et ecclesiam de villa Morniaco cum omnibus ad eam pertinentibus; necnon ecclesiam quæ est in valle Verona, in honore S. Mauricii; ecclesiam de villa Beria in honore sancti Laurentii cum omnibus appendiciis suis. B Præterea in territorio Divionensi decimas illarum vinearum, quas donaverat huic ecclesiæ domnus Amalgarius dux et fundator hujus sacri cœnobii: apud villam quæ dicitur Fiscinis, vinearum non modicam quantitatem, cum pratis, et campis, et ancillis ad ea excolenda: et in villa Fisciaco vineas similiter et in Marcennaco similiter. Horum omnium facta donatione, precibus quibus valuit exorans nostram clementiam, ut super eamdem constitutionem nostram auctoritatem firmitatis gratia mereantur habere, qualiter prædictus locus, quem pro divino amore, et nostra eleemosyna restauravit, et monachos ibi congregavit, qui pro nobis et cuncto populo nobis subjecto perpetim Domini misericordiam exorent, nostra auctoritate confirmatus esset. C Videlicet ut si cuilibet successorum ejus animo sederit, ut alias res ibi superaddere velit, in suo jure et potestate, salva discretionis ratione, id faciendi permaneret: sin autem, sua devotio [donatio], quæ per consilium tantorum bonorum virorum facta et confirmata est, nostro liberalitatis præcepto firma et stabilis permaneret. Cujus petitionem dignam ac rationabilem judicantes hos nostros imperiales apices fieri jussimus per quos decernimus atque jubemus ut memoratus ordinationis modus, quem prædictus venerabilis Albericus episcopus in præfato loco constituit, inviolabilis permaneat, et nullus rector, qui in eodem loco successerit, licentiam habeat præscriptum ordinem permutare, aut res quas ibi reddidit sive subjecit, ullo modo auferre: D sed ejus constitutio per hanc nostram confirmationem firma et stabilis permaneat. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter illam jussimus assignari.

Signum Ludovici imperatoris.

Signum Lotharii filii ejus.

Actum [a] anno ab incarnatione Domini octingentesimo trigesimo, indictione 7, epacta 15.

[a] Incarnationis annus additus est.

## CLIII.

### PRO CARROFENSI MONASTERIO APUD PICTONES.

(*Anno* 830.)

[Apud D. Bouquet. *ibid.*, ex tabulario Carrofensi.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti.

Si erga loca divinas cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis Deo famulantibus quiddam beneficii largimur, id nobis procul dubio ad stabilitatem imperii nostri et animæ salutem proficere minime dubitamus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia suggerente supradicto filio dilecto nostro Lothario Augusto et consorte imperii nostri, communi voluntate parique consensu, pro mercedis nostræ augmento et æternæ retributionis fructu, concedimus ad monasterium Carroff, quod est situm in pago Pictavensi, constructum in honore Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, ubi etiam præsenti tempore vir venerabilis Gunbaldus abbas præesse dignoscitur, quasdam res proprietatis nostræ quæ sunt in tribus locis, id est: in pago Belvacensi villam quæ dicitur Fraxindus; et in pago Rhemensi villam quæ dicitur Dominica Villa; et in pago Meldensi villam Montiniaco. Has vero res superius conscriptas cum appendiciis earum, quantumcunque ad eas præsenti tempore juste et legaliter aspicere videtur, et nostri juris atque possessionis jure proprietatis est, totum et ad integrum vel inexquisitum, cum ecclesiis, domibus, ædificiis, terris, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, exitibus et regressibus, de nostro jure in jus et potestatem prædicto venerabili monasterio solemni donatione concedimus: ita videlicet ut quidquid ab hodierno die et tempore de prædictis rebus, vel quæ ad eas jure aspicere videntur, rectores et ministri prædicti monasterii facere, disponere atque ordinare voluerint, libero in omnibus potiantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obstineat firmitatem, manibus nostris subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Signum Lotharii gloriosissimi Augusti.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data Idibus Augusti, anno Christo propitio 17 imperii domini Ludovici serenissimi imperatoris, et Lotharii Augusti 8, indictione 8. Actum Salmonciaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLIV.

### PRO CARROFENSI MONASTERIO APUD PICTONES.

(*Anno* 830.)

[Apud. D. Bouquet. *ibid.*, pag. 567, ex Carrofensi tabulario.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu

Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus, et ad divinæ potentiæ [in] locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio et ad mortalem vitam temporaliter deducendam, et ad futuram feliciter obtinendam, commodum provenire confidimus. Notum igitur esse volumus cunctis fidelibus nostris, episcopis videlicet, abbatibus, ducibus, comitibus, domesticis, grafionibus, vicariis, centenariis, telonearìis, actionariis, missis nostris discurrentibus, nec non et reliquis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet et futuris, quia vir venerabilis Gunbaldus abbas monasterii Carroff, quod est situm in pago Pictaviensi, super fluvium Carentonæ, constructum in honore Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi missa petitione per virum venerabilem Baldenum religiosum monachum, obsecrans nostram clementiam ut eidem monastèrio et congregationi ibidem Deo famulanti teloneum de tribus navibus quæ per Ligeris fluvium, sive per cætera flumina, nec non et per mare ob utilitates et necessitates ipsius congregationis discurrere videntur, ob emolumentum animæ nostræ concederemus. Cujus precibus ob amorem Dei et reverentiam ipsius sacratissimi loci libenter acquievimus, et beneficium quod nobis postulavit, monasterio suisque rectoribus fieri jussimus; per quod cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque jubemus atque omnino præcipimus, ut ubicunque prædictæ tres naves quæ per Ligeris fluvium, ut diximus, et per cætera flumina, nec non et per mare discurrere videntur, advenerint, aut aliquem accessum habuerint, nullum teloneum, aut ripaticum [a], aut pontaticum [b], aut salutaticum [c], aut nullum censum vel redhibitionem ab ipsis aut ab hominibus, qui eas prævidere debent, accipere aut exactare præsumant, sed liceat ipsis hominibus qui eas prævidere debent, pacifice discurrere, et negotia sua libere peragere, et ad quascunque civitates, castella aut portus, villas vel loca accessum habuerint, aut aliquid mercati fuerint aut vendiderint, nullam inquietudinem aut detentionem aut contrarietatem ab aliquo patiantur: sed, sicut diximus, cum omni securitate et tranquillitate liceat et homines qui eas prævident, in quamlibet partem ire et redire: et nihil ab eis prorsus, ut dictum est, a quolibet fidelium nostrorum exigatur. Et ut hæc auctoritas præceptionis nostræ firmior habeatur, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris diligentius conservetur, annuli nostri impressione eam jussimus assignari.

## CLV.

### PRO PARTHENONE SANCTÆ MARIÆ FOROJULIENSI.

(*Anno* 830.)

[Apud Mabill., *Ann. Ord. S. Bened.*, tom. II, p. 737, ex apographo illustrissimi Philippi a Turre episcopi Adriensis.]

In nomine Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti.

Si liberalitatis nostræ munere aliquid locis Deo dicatis auxilii conferimus, id nobis procul dubio ad stabilitatem imperii nostri et ad animæ emolumentum profuturum liquido credimus. Proinde noverit experientia omnium fidelium sanctæ Ecclesiæ nostrorumque, tam præsentium quam futurorum, quia veniens in præsentiam culminis nostri Maxentius Ecclesiæ Aquileiensis patriarcha, precibus quibus valuit nostram imploravit clementiam, uti monasterium puellarum quod dicitur Sanctæ Mariæ, quod est situm juxta basilicam Sancti Joannis, constructam infra muros civitatis Forojuliensis, in loco qui dicitur Vallis, prædictæ matri ecclesiæ sancti Marci evangelistæ et sancti Hermachoræ martyris atque pontificis, ubi auctore Deo ipse patriarcha præest, traderemus, quod ita et nos fecisse omnium vestrum cognoscat industria. Et ideo ob firmitatis studium hos nostros imperiales apices prædictæ matri ecclesiæ fieri jussimus, per quos præcipimus atque jubemus ut prædictum monasterium puellarum, cum rebus et hominibus ad id juste et legaliter præsenti tempore aspicientibus, abhinc in futurum in jure et potestate prædictæ ecclesiæ et rectorum ejus consistat: ita videlicet, ut quidquid rectores et ministri memoratæ ecclesiæ ob utilitatem et profectum ejus canonice ordinare atque disponere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, manibus propriis subter firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Signum Lotharii serenissimi Augusti.

Durandus diaconus ad vicem Fridogisi recognovit.

Data III Idus Novembris, anno Christo propitio 17 domni imperatoris Ludovici serenissimi, et Lotharii Augusti 9. Actum Niumaga palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLVI.

### PRO MONASTERIO SITHIENSI.

(*Anno* 830.)

[Apud Mabill., *de Re diplomat.*, pag. 632.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu

[a] Ripaticum, *droit de rivage*, erat tributum, quod solvebatur in ripis, vel pro aggeribus riparum tuendis, vel pro mercibus quæ in ripis exponebantur, vel etiam pro facultate terendi ripas ad subvehendas naviculas.

[b] Pontaticum, *pontage*, erat vectigal pontium vel telonium navium quæ sub pontibus transibant.

[c] Salutaticum, *droit d'heureux abord*, erat jus exigendi salutes, sive xenia vel præstationes, quæ fiebant ultra debitum censum aut debitam præstationem.

Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Cum locis divino cultui mancipatis ob divinæ servitutis amorem opem congruam ferimus, et imperialem morem decenter implemus, et id nobis profuturum ad æternæ remunerationis præmia capessenda veraciter credimus. Idcirco notum esse volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia monachi ex monasterio Sithiu, quod est situm in pago Tarvawinse, constructum in honore sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ et beatorum apostolorum Petri et Pauli, in quo corpora beatorum confessorum Christi Audomari et Bertini requiescunt; ubi etiam præsenti tempore vir venerabilis Fridugisus auctore Deo abbas præest: obtulerunt obtutibus nostris auctoritatem immunitatis domni et genitoris nostri Caroli, bonæ memoriæ serenissimi imperatoris, in qua continebatur insertum quod non solum ipse, verum etiam et antecessores ejus, priores reges videlicet Francorum, prædictum monasterium ob amorem Dei, tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium, semper sub plenissima defensione et immunitatis tuitione habuissent: sed pro firmitatis studio postulaverunt ut non solum paternum seu prædecessorum nostrorum regum morem sequentes, hujuscemodi nostræ auctoritatis præceptum erga ipsum monasterium immunitatis atque tuitionis gratia fieri juberemus, sed etiam percenseremus ut omnes cellas et villas seu cæteras possessiones prædicti monasterii sanctæ Mariæ et sancti Petri et Pauli, atque beatorum Audomari et Bertini, quæ in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii nostri constant, nullus succedentium nostrorum dividere, aut in alios usus convertere præsumeret; et ut familia ejusdem monasterii nullis quibuslibet hominibus foderum daret. Quorum petitionibus libenter acquievimus, et ita concedimus, atque per hunc præceptum in omnibus confirmamus. Et ideo successores nostros admonemus ut sicut nos prædicto monasterio sanctæ Mariæ et sancti Petri et Pauli atque beatorum Christi confessorum Audomari et Bertini concessimus, ita illi ratum et stabile permanere permittant; ut nullam divisionem in monasteriis aut cellis, vel villis, seu cæteris possessionibus, in quibuslibet pagis aut territoriis consistant, faciant aut facere permittant, aut in alios usus ipsas res retorqueant. Sed et hoc per hos imperiales apices sancimus atque decernimus ut nullus judex publicus, aut quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca, vel agros seu reliquas possessiones memorati monasterii quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii nostri juste et legaliter possidet, atque deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augere, ad causas judiciario more audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut foderum exigendum, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos quam et servos, distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exactare præsumat: sed liceat memorato abbati suisque successoribus res prædicti monasterii, vel sicut in præcepto domni et genitoris nostri continetur, cum omnes fredos et bannos sibi concessos sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere: quatenus ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis et prole nostra, vel etiam pro stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi atque conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi et subscripsi.

## CLVII.

### PRO MONASTERIO PRUMIENSI.

(*Anno* 831.)

[Apud Marten. *ampliss. Coll.*, t. I, p. 85, ex chartario Prumiensi.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

Si enim ea quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, et hoc in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, industria, quia vir venerabilis Marcoardus ex monasterio nostro Prumia abbas, suggessit serenitati nostræ eo quod cum quodam homine nomine Liudoldo et conjuge suæ Irmbirgam, de quibusdam rebus et mancipiis pro communi utilitate et compendio inter se commutationem fecissent. Dedit igitur prædictus vir venerabilis Marcoardus abbas per consensu et conhibentia fratrum in eodem monasterio degentium prædicto Liudoldo et conjuge suæ Irmbirgæ, in pago Spirense, in villa seu marca quæ dicitur Mekkimheim, ecclesiam unam cum atrio, curte et casa, simul cum diversis mansionibus per circuitu, cum mancipiis ibidem commanentibus, quorum hæc sunt nomina, Grimbertum, Rotgildum, Ingirion, Liudbirgam, Diutarium, Wolfarium, Willemannum, Ricbertum, Ricbaldum; et de terra arabili jornales xcv, de vineis jornales iv et dimidium, de prato ubi possunt colligi feno, carrades vi; et in alio loco in villa seu marca quæ dicitur Fridolvesheim curtilem, et de terra arabili jornales LXXIII, de prato ad caradas vi: etiam et in marka Wakkenheim de vineis inter totum jornales v et pratum unum qui conjacet inter Altripio et Geginheim ad illum pontum quem Reginhardus et Ekkibaldus habuerunt in beneficium cum terminis et laterationibus earum, quemadmo-

dum in eisdem commutationibus continetur. Et econtra in compensatione harum rerum dedit memoratus Luidoldus et conjux sua Irmbirga jam dicto Marcoardo abbati ad partem monasterii sui S. Salvatoris Prumiacensi, vel rectorum in eodem monasterio per tempora degentium, res eorum proprias sitas in pago Caroasco, in villa quæ dicitur Huosa, quantumcunque in prædicta villa vel marca ipsius villæ præsenti tempore habere visi sunt, et sui juris atque possessionis in eorum proprio fuit, cum domibus, ædificiis, mancipiis desuper commanentibus, quorum hæc sunt nomina Wulger, Wolfgoz, Raccholf, Lantfrid, Wicbolt, Beringer, Roduin, Walaburc, Adalbolt, Gomalint, Steingart, Liutgart, Ricolf, Willolf, Wieldrud, Reginfrid, Irmfrid, Guotrat, Berachtrat, Hildrat, Hordrat, Liutfrid, Liutran, Hildigart, Thiatgoz, Nitran, Gundila, Zeiza, Liutmun, Berahtran, Reginfrid, Liofgunt, Adaldrud, Rimidrud, Berahgunt, cum pratis, silvis, pascuis, stirpis, aquis, aquarumve decursibus, omnia et ex omnibus, totum et ad integrum vel inexquisitum perpetualiter prædicto monasterio ad habendum tradiderunt. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum roboratas se præ manibus habere professus est. Sed pro integra firmitate petiit celsitudini nostræ ut ipsas commutationes denuo per nostræ mansuetudinis præceptum plenius in Dei nomine confirmare deberemus, cujus petitioni denegare noluimus; sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste petentium, ita nos illi concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus ut quidquid pars juste et rationabiliter alteri contulit, ita deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, vel quidquid exinde facere voluerit, libero in omnibus perfruatur arbitrio faciendi quidquid elegerit. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi recognovi.

Data VII Idus Januarii, anno, Christo propitio, 17 imperii domni Ludovici piissimi Augusti et Lotharii 9, indictione 9. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLVIII.

### PRO CELLA DE BARISIACO MONASTERIO ELNONENSI SUBJECTA IN DIŒCESI LAUDUNENSI.

(*Anno* 831.)

[Apud Mabill., *Act. ord. S. Bened.*, part. I, sæc. IV, pag. 67.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, notum sit quia fidelis noster Leo, qui cellulam quæ dicitur Barisiacus, quæ est constructa in honore sancti Petri principis apostolorum, largitionis nostræ habens, questus est eo quod major de fisco Barisiaco per fortiam [viim] tempore Pippini avi nostri quamdam silvam quæ conjungitur ad Silvam nostram, quæ dicitur Columbarias, a prædicta cellula abstraxisset et fisco nostro sociasset. Cujus nos rei veritatem cupientes scire, dreximus missum nostrum Haganum vasallum, qui hanc causam in nostra eleemosyna investigasset et nobis renuntiasset. Qui jussionem nostram explens, sicut nobis renuntiavit, invenit per legem et justitiam jam dictam silvam ad supra dictam cellam legibus pertinere et per fortiam exinde ablatam fuisse. Et dum nobis prædictus vasallus ita renuntiaret, placuit serenitati nostræ, ob mercedis nostræ augmentum et æternæ retributionis fructum, prædictam silvam cellulæ S. Petri superius nominatæ præsentialiter reddere, et super hanc redditionem hos nostros imperiales apices fieri: per quos præcipimus atque jubemus ut nullus quilibet parte fisci nostri eamdem silvam de jam dicta cellula abstrahere aut minuere, aut ullam calumniam prænominatæ cellulæ facere vel ingerere præsumat; sed sicut a nobis redditum atque per hanc nostram auctoritatem confirmatum est, ita perpetuis temporibus maneat inconvulsum. Et ut hæc auctoritas redditionis nostræ firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, de nostro annulo subter jussimus sigillari.

Durandus diaconus ad vicem Fridugisi.

Data XV Kal. Februarii, anno, Christo propitio, 17 imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris et Lotharii Augusti 8, indictione 9. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter.

## CLIX.

### PRO MONASTERIO SANCTI ANDREÆ VIENNENSIS.

(*Anno* 831.)

[Ex chartulario ecclesiæ Viennensis, apud Baluz. *Capit.*, t. II, p. 1432.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si sacerdotum ac servorum Dei petitiones, quas nobis pro suis necessitatibus innotuerint, ad effectum perducimus, non solum consuetudinem regiam exercemus, verum etiam ad beatitudinem retributionis profuturum confidimus. Proinde comperiat omnium fidelium nostrorum industria, præsentium scilicet et futurorum, qualiter vir venerabilis Bernardus, Viennensis Ecclesiæ præsul, veniens ad nostram serenitatem detulit nobis astrumenta chartarum per quæ Ansemundus et conjux sua Ansleubana et filia eorum Remila vocabulo Eugenia monasterium sancti Andreæ subterioris sancto Mauricio condonaverunt et tradiderunt, atque prædicti conditores ob firmitatis studium sancto Leoniano consignaverunt, et sub potestate et ordinatione...... Episcopi Ecclesiæ Viennensis et successorum illius utili actione omni tempore maneat. Insuper et præcepta piorum regum ostendit, Teuderici scilicet et Guntranni, per quæ ipsi sancto Mauricio confirmaverunt firmius ad habendum. Sed prædictus Bernardus episcopus retulit celsitudini nostræ ipsum

monasterium propter cupiditatem malorum hominum ab eadem Ecclesia subtractum. Nos quoque justam imo rationabilem petitionem illius judicantes, restituimus ipsum monasterium sancto Mauricio et Barnardo illius loci episcopo per nostræ auctoritatis præceptum pro mercede et remedio animæ nostræ atque totius imperii nostri emolumento, ut tam ipse quam successores sui absque cujusce contradictione ipsum monasterium ordinent atque disponant secundum voluntatem Dei et beati Mauricii ab hodierna die et deinceps, et sit sub immunitate nostra sicut et aliæ res sancti Mauricii. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus neque judiciaria potestas ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem monasterii tam ingenuos quamque servos, qui super terram ipsius residere videntur, distringendos, nec ullas redhibitiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat; et quidquid inde fiscus exactare poterit, totum pro æterna remuneratione ecclesiæ sancti Mauricii concedimus. Et ut hæc auctoritas largitatis nostræ inviolabilem obtineat vigorem, manu propria subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Data v Nonas Martias, anno, Christo propitio, 18 domni Ludovici serenissimi Augusti, indictione 9. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter.

Helisachar recognovi.

## CLX.

### PRO MONASTERIO CORMARICENSI.

(*Anno* 831).

[Ex chartulario S. Martini Turon., apud D. Bouquet., tom. VI, p. 572.]

**In nomine Domini** Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Notum esse volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia fidelis noster venerabilis Fridugisus abbas monasterii S. Martini innotuit mansuetudini nostræ quod antecessor suus, nomine Iterius, quondam ejusdem monasterii abbas, quoddam monasterium, cujus vocabulum est Cormaricus, super Angerem fluvium a novo opere construxerit, atque ibi monachos secundum normam sancti Benedicti vivere instituerit, ubi præsenti tempore Jacob abbas esse dignoscitur. Sed quia habitacula fratrum inibi degentium non secundum id quod regula sancti Benedicti exposcebat, constructa habebantur, eadem habitacula idem ipse Fridugisus melius et honestius reformavit, et ad decorem et honestatem ejusdem monasterii ecclesiam a novo opere inibi construi fecit, et de rebus sancti Martini quæ sunt in Turonico pago, id est, de villa quæ vocatur Mardoni (*Nunc* Brunomium), eamdem ecclesiam dotaverit. Propter hoc petiit ac deprecatus est nos, ut super ejusmodi facto hanc nostræ præceptionis auctoritatem fieri juberemus: quod et nobis secundum ejusdem petitionem fieri placuit: per quam præcipimus atque jubemus ut nullus ex successoribus ejus...... videlicet ejusdem monasterii patroni nostri beatissimi sancti Martini qualibet occasione de jure memorati monasterii Cormarici ullo unquam tempore eamdem villam abstrahere, vel aliquid de his quæ ad eam juste pertinent, minuere præsumat: sed sub omni integritate, sicut a memorato venerabili Fridugiso ad idem monasterium tradita ac delata fuit, perpetua stabilitate in ejus jure consistat. Et quidquid abbates et fratres ac agentes ejusdem monasterii de eisdem vel in eisdem rebus jure ecclesiastico facere decreverint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ tam nostris quam et futuris temporibus inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi Augusti.

Data vi Idus Martias, anno, Christo propitio, 18 imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 9. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXI.

### PRO EPIPHANIO ABBATE MONASTERII VINCENTII DE VULTURNO.

(*Anno* 831.)

[Apud Chesnium, *Script. Rer. Franc.* t. III, p. 686.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Omnibus episcopis, abbatibus et ducibus, comitibus, castaldeis, actionariis, vicariis, centenariis cæterisque fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, notum sit quia venerabilis Epiphanius abbas monasterii S. Vincentii martyris, quod situm est in territorio Beneventano super fluvium Vulturnum, per legatos suos direxit ad nos quamdam confirmationem quam Lupus quondam dux monasterio memorati S. Vincentii martyris, de quibusdam casis in Amiterno et Savino fecerat, necnon et quatuor judicata de quibusdam servis et ancillis ex villa Trita, qui se subtrahere a debito servitio quasi per præcepta ducum nitebantur. Quæ in præsentia Supponi comitis, ac Benedicti, Hilpiani, et Ansfridi castaldorum cæterorumque scabinorum, de prædictorum hominum statu acta fuerant. Et petiit ut firmitatis gratia nostræ confirmationis auctoritatem super ea fieri juberemus. Cujus petitionem exaudientes, super nominatam confirmationem ac judicata hoc nostræ confirmationis præceptum fieri decrevimus, per quod decernimus atque jubemus ut nullus vestrum, aut successorum vestrorum de memoratis locis, in quibus secundum memoratorum legatorum assertionem casæ viginti quatuor, cum totidem hominibus in eis consistentibus, sitæ esse noscuntur, quorum nomina hæc sunt Joannes, Theopo, item Joannes, Cortulus, Petrus, Theodobertus, Hiso, Maio, Ace-

pertus, Hisimundus Roppolus, Marinus, Georgius, Halo, Audactus, Audebertus, Audoaldus, Hildulfus Paulerissi, Robertus filius Martæ, cum Barbano, Sico, Alaysio, Senepergas, atque Gemula. Hæc de statu prædictorum hominum, qui, sicut dictum est de memorata Trita villa, se a debito servitio quasi per præcepta ducum subtrahere nitebantur, ad pristinum servitium revocati sunt, ullam inquietudinem, aut contrarietatem injuste facere præsumat. Sed liceat agentibus et ministris ejusdem monasterii memoratas casas cum hominibus in eis consistentibus, ac servos qui ad memoratam Tritam villam per auctoritatem genitoris nostri domni Caroli præstantissimi imperatoris ad debitum servitium revocati sunt, quiete possidere, et juxta opportunitatem et utilitatem ejusdem monasterii absque cujuslibet contrarietatis impedimento quidquid de eisdem, vel in eisdem rebus et hominibus juste facere vel ordinare decreverunt, libero in omnibus perfrui arbitrio faciendi. Et ut hæc nostra confirmationis auctoritas ab omnibus verius certiusque credatur, ac diligentius conservetur, manu propria subter eam signavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Data Kal. Aprilis, anno, Christo propitio, 18 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione..... Actum in palatio regio in Dei nomine. Amen.

CLXII.

PRO ECCLESIA ARGENTINENSI

(*Anno* 831.)

[Apud Grandidier, *Hist. de l'Eglise de Strasbourg*, tom. II, pag. 195, ex autographo archivi episcopalis, Tabernensis [a].]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Notum igitur esse volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia vir venerabilis Bernaldus Stratzburgensis [b] episcopus adiens serenitatem culminis nostri obtulit obtutibus nostris quamdam præceptionis auctoritatem domni et genitoris Caroli præstantissimi Augusti [c], in qua continebatur quod idem domnus et genitor noster Karolus pro emolumento animæ suæ eidem Strazburgensi Ecclesiæ concessisset, ut ubicunque per civitates vel vicos, castella, aut trajectus, vel portus, excepto Quentowico, Dorestato, atque clusas [d], homines memoratæ Ecclesiæ navigio aut terreno, id est, cum carris et saumariis negotiandi gratia irent et redirent, nullum teloneum quisquam reipublicæ administrator ab eis exigeret. Pro firmitatis namque studio petiit idem Bernaldus venerabilis episcopus, ut paternæ auctoritati hanc nostram superadderemus auctoritatem: cujus petitioni libentissime annuimus, et hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri jussimus, per quod omnibus comitibus [e], vicariis [f], centenariis [g], vel omnibus rem publicam administrantibus seu cunctis fidelibus nostris præcipimus, ut nullus vestrum de rebus quas navigio aut terreno, id est, cum carris et saumariis per regna, Deo propitio, nostra, homines ejusdem Strazburgensis ecclesiæ negotiandi gratia duxerint, nullum teloneum [h], aut ripaticum, aut portaticum, aut pontaticum, aut salutaticum, aut cespitaticum, aut rotaticum, aut cenaticum, aut pastionem, aut laudaticum, aut trabaticum, aut pulveraticum, aut ullum occursum, vel ullum censum, aut ullam redhibitionem accipere, vel exactare audeat, aut hominibus, qui eadem mercimonia prævident, ullam inquietudinem, aut impedimentum facere præsumat. Sed liceat eis per hanc nostram auctoritatem cum navibus et cæteris vehiculis absque ullius contrarietate, vel impedimento per universum imperium nostrum, ubicunque eis necesse fuerit, libere et secure ire et redire. Et si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut mercati fuerint, vel vendiderint, nihil ab eis prorsus, ut dictum est, telonei exigatur. Et ut hæc auctoritas inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, sigillo nostro subter eam jussimus sigillare. Hirminmaris notarius ad vicem Fridugisi recognovi et subscripsi.

Data VIII Idus Junias, anno, Christo propitio, 18 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione nona. Actum Ingelinheim [i] palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] Excerptum hujus chartæ dederunt Guillimannus de Episcopis Argentin. pag. 121, et Cointius, Annal. Ecclesiast. tom. VIII, pag. 181. Integram, sed mendosam, retulerunt La Guille, *Histoire d'Alsace, preuves*, pag. 19, Bouquetus, tom. VI, pag. 572, Gallia Christiana, tom. V, instrum. pag. 462, et Schœpflinus, Alsat. diplom. tom. I, pag. 74. Referimus correctam ex ipso autographo.

[b] *Civitas Argentoratensis* dicitur *Strazpuruc* in codice antiquissimo sæculi octavi abbatiæ Wesso-Fontanæ in Bavaria, quem transcripsit doctissimus vir Christianus Fridericus Pfeffel inter Monumenta Boica, tom. VII, p. 376. Monumenta Boica novem voluminibus in 4° constantia, et ex variis abbatiarum tetrarchiæ Monacensis chartis et documentis conflata edidit electoralis Boica Monachii scientiarum Academia, cui nos electorali diplomate de die 13 Februarii 1777 fuimus ascripti. Gratam hic præstiti honoris mentem publice testificamur.

[c] Allegatum Caroli Magni diploma de mense Decembri 775 exstat supra, num. 68 [Patrologiæ tomo XCVII, col. 937, inter Opera Caroli Magni].

[d] Vide notas supradicti diplomatis [Patrologiæ tom. et col. ut supra].

[e] Comitum munus erat jus dicere, atque tributa et vectigalia colligere, de quibus consule Schœpflini Alsat. illust. tom. I, pag. 776.

[f] Vicarii, sive vice-comites priores comiti assidebant, et comite absente judiciis præerant. Vicariatus nomen in Occitania adhucdum sub nomine *vigueries* exstat.

[g] Centenarii erant judices inferiores, qui per centenam sive centum familias jus dicebant. Schœpflinus, Alsat. illust. tom. I, pag. 791. Centenarii apud Germanos vocabantur *hundreter*, ut comites et vicarii *graven* et *schœffen*.

[h] De horum teloneorum generibus legantur notæ diplomatis prædicti Caroli Magni, pag. cit. CXVII.

[i] Ludovicum Pium, peracta Aquisgrani solemnitate paschali anni 831, ad Ingelheim pervenisse testatur Astronomus in Vita ejusdem imperatoris, § 46

## CLXIII.

PRO MONASTERIO FABARIENSI.

(*Anno* 831.)

[Apud Grandidier, *ibid.* pag. 197, ex autographo abbatiæ Fabariensis, sive Pfeffers in Helvetia [a].]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina ordinante clementia imperator Augustus.

Notum igitur esse volumus omnibus fidelibus præsentibus et futuris, quia ad serenitatem culminis nostri Joannes Fabariensis monasterii [b], quod est constructum in honorem sanctæ Mariæ in pago Rhetiæ, abbas cum monachis suis innotuit mansuetudini nostræ quod a quodam quondam comite nomine Rodericus infestationes et præjudicia ac tanta detrimenta ipsi et familiæ eorum pertulissent, ut non solum rebus quas ad prædictum locum Deum timentes homines pro remedio animarum suarum monasterio contulerunt, exspoliati essent, sed et idem ipse prænominatus abbas pene omnem potestatem monasterii sui amissam haberet. Ad hanc causam diligenti examine investigandam, nobisque renuntiandam missos nostros [c], Bernoldum scilicet venerabilem episcopum Strazburgensem, ac etiam Godefridum sancti Gregorii abbatem, nec non et Retharium comitem destinavimus. Illique secundum jussionem nostram ad memoratum monasterium pervenientes et subtili indagine investigantes invenerunt non solum, sicut superius dictum est, memoratum Joannem abbatem ministerium suum in quibusdam amisisse, sed et quasdam res juris prædicti monasterii in pago Curwallense, id est, curtem in Nezudre, atque colonias quinque in Zurigos et Montaniolos cum omnibus adjacentiis suis, in eaque ecclesiam Sanctæ Mariæ cum curticula cum omnibus ibi pertinentibus, nec non villam, quæ appellatur Frastenestum, ecclesiam sancti Sulpitii, atque familiam curticellam cum omnibus ad eam pertinentibus, vel aspicientibus, curtem Birmento, atque tellurem cum omnibus rebus atque hominibus ad prædicta loca pertinentibus, de potestate ejusdem dicti monasterii subtractas esse indicaverunt. Quod cum iisdem missis renuntiantibus ita verum esse cognovissemus, placuit nobis easdem res eidem Fabariensi monasterio cum omni integritate per hanc nostræ conscriptionis auctoritatem restituere, per quam jubentes decernimus ut easdem res in jure ipsius prædicti monasterii cum omni integritate consistant, et nullus fidelium nostrorum memorato Joanni abbati, vel successoribus ejus aliquod impedimentum vel contrarietatem in prædictis rebus facere præsumat, atque cuique consentiat, sed liceat eis easdem res quiete tenere et possidere. Præcipimus etiam omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, per hoc nostræ auctoritatis præceptum, ut nullus judex publicus, nec episcopus, nec comes, vel quilibet ex judiciaria potestate constitutus, aliquam potestatem exerceat supra abbatem vel supra monachos prædicti monasterii, super eorum causas, nec supra familias eorum intus vel foris consessas, nec ad causas audiendas, nec ad mansionaticos vel paratas faciendum, nec ullas redhibitiones requirendum; sed ejusdem monasterii abbas potestative cum suis monachis ad illorum necessarios usus res, quæ moderno tempore ad præscriptum monasterium habere videntur, possideat. Et ut hæc nostra auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus verius credatur ac diligentius observetur, manu propria subter eam firmavimus et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Ludovici imperatoris Augusti.

Hirminmaris notarius ad vicem Fridugisi recognovit.

Data v Idus Junii, anno, Christo propitio, 18 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione nona. Actum Engelheim palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

apud Bouquetum, tom. VI, pag. 112. Ibidem circa Kalendas Maii conventum habuisse, quo veniens filius Lotharius honorifice a patre susceptus est, scribunt annales Bertiniani, apud Muratorium, in Scriptor. Rer. Italic. tom. II, part. I, pag. 520. De Cæsareo Ingelheimensi palatio disseruit Schœpflinus in actis Academiæ Theodoro-Palatinæ Mannheimensis, tom. I, pag. 300 et seq. Amplissimæ quoque grates hic nobis præstandæ sunt perillustribus et doctissimis dictæ Academiæ Theodoro-Palatinæ Mannheimensis viris academicis, quorum communi calculo, electoralique diplomate in publico diei decimæ Maii 1777 conventu inter socios extraordinarios fuimus cooptati.

[a] Hoc diploma Mabillon., lib. XXX Annal. Benedict., num. 66, testatur se legisse in libro de Antiquitatibus monasterii Fabariensis, auctore Augustino Stoklino Fabariæ abbate, qui illud anno 1628 composuerat. Sed illud non retulit Mabillon.

[b] Fabarium, seu Fabaria, Germanice *Pfeffers*, conditum fuit in honorem sanctæ virginis Mariæ Dei genitricis. Fabariensis abbatia sua incrementa debet Heddoni abbati Divitis-Augiæ, dein episcopo Argentinensi. Annus fundationis deducendus est ex Chronico Hermanni Contracti, qui illam ponit ad annum 731. Monasterium Fabariense, teste Bruschio, de Episcopat. Germ., tom. I, pag. 13, situm est prope Rhenum in Alpibus Rhetiæ, supra Mariæfeldum. Multum celebrantur thermæ Fabarienses: catalogum scriptorum, qui de iis scripserunt, recenset D. Haller, in *kritischen Verzeichnisse aller Schriften, welche die Schweiz betreffen*, tom. II, pag. 186-209.

[c] Hoc est exemplum missorum dominicorum, qui a rege constituti erant ut in ducum, comitum, cæterorumque magistratuum provincialium mores et acta inquirerent. Formulas secundum quas judicium a missis institutum exercebatur, exhibent chartæ nonnullæ monasterii Sancti Galli a Goldasto editæ, in tom. II Scriptor. Rer.-Alem., part. I, pag. 55 et seq. Vide præstans opus Francisci de Roye de missis dominicis anno 1672 impressum. Exstat apud Baluzium, tom. I Capitul., col. 653, et Bouquetum, tom. VI, pag. 343, Ludovici et Lotharii imperatorum an. 828 epistola encyclica de missis per totum regnum mittendis.

## CLXIV.

### PRO TURONENSI S. MARTINI ECCLESIA.

(*Anno* 831.)

*Ne Turonensis episcopus dominari præsumat apud S. Martinum, et ut fratres liberam habeant facultatem eligendi abbatis.*

[Apud Marten., *Ampl. Coll.*, tom. I, p. 86, ex chartario S. Martini.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si locis Deo dicatis quiddam honoris conferimus, et Deo in eis famulantium pacis et tranquillitatis curam gerimus, et ad ministerium suum liberius exsequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum regni terreni corroborandum, et ad æternæ vitæ beatitudinem capessendam profuturum esse credimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia ad petitionem fratrum, in monasterio sancti Martini confessoris Christi atque pontificis Deo fideliter deservientium, dilecta conjux nostra Judith augusta nobis suggessit per privilegium patris nostri domni Caroli piæ recordationis imperatoris serenissimi, seu cætera regalia, nec non etiam apostolica privilegia, quomodo idem monasterium a dominatione episcopi Turonicæ urbis liberum nunc usque erat, qualiterque procul dubio licentiam habuerit eligendi ex seipso abbatem dignissimum, petiitque culmen dignitatis nostræ ut propter amorem et honorem Domini nostri Jesu Christi, et ob reverentiam beati Martini pontificis patroni nostri peculiaris, eadem nostra auctoritate imperiali firmare dignaremus. Nos quoque ejusdem dilectæ conjugis nostræ Judith salubri suggestione commoti simul et hortatu, atque interventu venerabilium nostrorum ad hoc perficiendum commoniti, hanc nostræ auctoritatis confirmationem memorato monasterio atque fratribus in eodem Deo deservientibus conscripsimus, ac dare decrevimus, per quam constituimus, atque perenniter firmum fore decernimus, ut in supra fato monasterio, sive fratribus, primus episcopus Turonicæ urbis non plus dominari præsumat, aut licentiam dominandi habeat, vel aliquid certe novi introducat, aut in vicis vel villis mansionaticos accipiat, seu quicunque urbis ejusdem successor exstiterit, quam prædecessores sui tempore ejusdem genitoris nostri domni Caroli, sive avi nostri gloriosi Pippini regis fecerunt, sed sub ipso eodemque modo charitatis sive dilectionis cum jam memoratis fratribus in Deo vivat, absque qualibet novitatis molestia. Similiter sine dubio statuimus atque perpetuo firmissimum esse volumus, ut memorati monasterii fratres licentiam habeant de seipsis eligendi abbatem, qui eis præesse et prodesse possit in omni morum honestate et Scripturarum erudi-A tione, ea tantum conditione præmissa ut quandiu Fridegisus abbas, cujus etiam consultu actum est ut hanc confirmationem fieri statueremus, memoratum monasterium habuerit, nullum præjudicium aut inquietudinem de quibuslibet causis patiatur. Post illius vero decessum memorati fratres habeant facultatem eligendi de ipsis abbatem, quem optimum et nobilitate generis, et probitate morum et in scripturis eruditum judicaverint. Et si talis inibi, quod non optamus, reperiri non poterit, tunc imperiali potestati id reservandum statuimus. Monemus quoque omnes qui nobis in imperio a Deo nobis commisso successuri sunt, ut sicut illorum statuta a successoribus suis conservari velint, ita in omnibus hanc nostram constitutionem perpetuis temporibus
B conservare studeant ad illorum et nostram communem salutem. Et ut hæc nostræ auctoritatis præceptio et constitutio privilegii firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, manu propria eam subscripsimus, et de bulla nostra subter sigillari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris notarius ad vicem Fridugisi recognovi.

Data v Non. Novembris, anno, Christo propitio, 18 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 10. Actum Theodonis villa palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXV.

### C PRO VICTORE EPISCOPO CURIENSI EJUSQUE ECCLESIA.

(*Anno* 831.)

[Apud Grandidier, *Hist. de l'Eglise de Strasb.*, tom. II, p. 199, ex autographo tabularii ecclesiæ Curiensis [a].]

In nomine Domini Dei Salvatoris Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejusque in iisdem locis famulantes beneficia potiora largimur, præmium apud Dominum æternæ remunerationis impendi non diffidimus. Igitur notum esse volumus cunctis fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia vir venerabilis Victor sanctæ Curiensis ecclesiæ episcopus [b] quæ constat
D esse constructa in honore sanctæ Mariæ semper virginis, missa petitione deprecatus est nos, ut eamdem sedem suam cum omnibus ad se juste et legaliter moderno tempore pertinentibus vel aspicientibus sub nostra tuitione et immunitatis defensione cum rebus et mancipiis constitueremus; quod ita et fecisse omnium nostrorum cognoscat industria. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memoratæ ecclesiæ, quas moderno tempore in pago Curiensi videlicet,

[a] Diploma hoc anecdotum communicavit Dominus de Jost ex ipso autographo descriptum.

[b] Inde patet error Ægidii Tschudii, Galliæ Comatæ lib. II, part. I, cap. 9, pag. 316, et Joannis Jacobi Leu, Helvetisches Lexicon, tom. V, pag. 263, qui mortem ejusdem Victoris ad annum 825 assignant.

et Alsacensi, et in ducatu Alamannico, nec in hoc A quod per nostræ conscriptionis auctoritatem eidem ecclesiæ reddidimus [a], ad illud quod nunc juste et legaliter memorata ecclesia tenet et possidet, vel ea quæ deinceps jure ipsius divina pietas augeri voluerit, ad causas judiciario modo audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ super terram ipsius commanentes injuste distringendos, aut ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones ullis temporibus ingredi audeat, neve bona quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat; sed liceat memorato præsuli suisque successoribus res prædictæ ecclesiæ, cum omnibus ad eam juste pertinentibus vel aspicientibus, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, tenere et possidere, quatenus B cum congregatione sibi commissa pro nobis, conjuge proleque nostra atque totius imperii nostri a Deo nobis collati Domini misericordiam attentius exorare delectet. Et ut hæc auctoritas inviolabilem et inconvulsam nostris et futuris temporibus obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi Augusti.

Data v Idus Junii, anno, Christo propitio, 18 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione nona. Actum Ingelinheim, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXVI.

### DE VICO QUI DICITUR EPAONIS IN DIŒCESI VIENNENSI.

(*Anno* 831.)

[Apud Baluz., *Capitul.*, tom. II, pag. 1433.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante, providentia imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata ob amorem Dei [sanctorum] eorumque reverentiam beneficia opportuna largimur, id nobis procul dubio ad æternæ retributionis præmia capessenda profuturum liquido credimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia spontanea voluntate adiens serenitatem culminis nostri vir illustris Abbo comes, qui et vicum qui dicitur Epaonis, qui erat ex ratione Sancti Mauricii ex episcopatu Viennensi, ubi nunc auctore Deo Bernardus archiepiscopus præsul esse D dignoscitur, beneficiario munere ex nostra largitione habebat, ubi erant ecclesiæ destructæ et discoopertæ, quarum sunt vocabula sancti Andreæ apostoli et sancti Romani martyris, precibus quibus valuit nostram obsecravit clementiam ... quantumcumque ipse ibi ex beneficio ......... ecclesiæ sancti Mauricii Viennensis redderemus. Quod ita .......... fidelium nostrorum cognoscat industria. Pro firmitatis vero studio, ut hoc quod supradictus Abbo in supradicto vico habebat, et nos ad ejus deprecationem sæpe dicto Bernardo archiepiscopo imo ejus sanctæ sedi reddidimus, rectores eorum perpetuo jure ecclesiastico tenerent atque possiderent, hos imperiales apices fieri jussimus, per quos decernimus atque sancimus ut ipsum vicum et res quas ibidem hactenus præscriptus Abbo habuit et ad eumdem vicum atque ad easdem ecclesias, quæ ibi fuerunt dicatæ in honorem et venerationem sancti Andreæ apostoli et sancti Romani Martyris, pertinent, ita rectores supranominatæ sedis teneant atque possideant sicut cæteras res quæ ad supradictum episcopium pertinent, et faciant exinde quidquid elegerint jure ecclesiastico. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, annuli nostri impressione signari iussimus.

Durandus diaconus ad vicem Fridarii [Fridugisi] recognovit.

Data v Nonas Martias, anno, Christo propitio, 18 imperii domni Ludovici serenissimi Augusti, indictione 8. Actum Aquisgrani palatio regio in Christi nomine feliciter. Amen.

## CLXVII.

### PRO DERVENSI MONASTERIO.

(*Anno* 832.)

[Apud Mabill., *Annal. ord. S. Bened.*, tom. II, pag. 737, ex chartario Dervensi.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante, providentia imperator Augustus.

Si locum quo olim monasticus ordo viguerat, in ædificiis relevari, et eamdem vitam monasticam C reformari facimus, et liberalitatis nostræ munere de beneficiis a Deo nobis collatis eidem loco, unde servi Dei inibi consistentes in hanc mortalem vitam aliquod subsidium habere valeant, aliquid conferimus, id nobis et ad hanc transitoriam vitam feliciter peragendam, et ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco nosse volumus omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, industriæ, qualiter Haudo venerabilis abbas monasterii cujus vocabulum est Ders, quod constat esse constructum in pago Pertense super fluvium Viera, quod olim vocabatur Puteolus, et dicatum in honore sancti Petri principis apostolorum, ac sancti Bercharii, cujus corpus ibidem requiescit; quique idem ipsum monasterium a novo opere construxerat, et monachos sub regula sancti Benedicti vitam degentes collocaverat; nostram adiens serenitatem, innotuit mansuetudini nostræ quod eadem monastica vita penitus in eodem loco abolita esset, et in canonicum ordinem transierat: petiitque ac supplici postulatione deprecatus est ut nostra auctoritate eamdem monasticam vitam reformari, et habitacula ad hanc vitam congrua reficiendo aptari permitteremus. Cui, sicut dignum erat, gratias egimus, et ea quæ deprecabatur ei fieri permisimus. Insuper et ut hoc quod idem ipse deprecabatur melius peragere, et servi Dei qui inibi degere constituti et constituendi erunt, aliquod sub-

[a] Vide supra diploma Ludovici imperatoris pro eodem Victore Curiensi episcopo anni 825.

sidium ex nostra largitione habentes libentius Deo servire potuissent, complacuit nobis pro mercedis nostræ augmento et æternæ retributionis fructu quasdam res nostræ proprietatis, sitas in comitatu Breonense, id est villam ac beneficium illud cujus vocabulum est Dodiniaca-curtis, habentem mansos duodecim, quam hactenus vassallus noster, nomine Ilisimbertus, nostra largitione in beneficium habuisse dignoscitur, cum omni integritate, id est cum mancipiis utriusque sexus, cum domibus, ædificiis, ecclesiis, terris cultis et incultis, silvolis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendino, vel quidquid ad denominatam villam juste et legaliter pertinere dignoscitur, et nostri juris ac possessionis in re proprietatis est, totum et ad integrum per hoc nostræ auctoritatis conscriptum ad antedictum monasterium, quod, sicut diximus, Ders nuncupatur, solemniter delegare, ea videlicet conditione ut a prælatis et monachis Deo inibi militantibus perpetua possessione teneatur ac possideatur. Et ut hæc nostræ concessionis atque largitionis auctoritas inconvulsam et inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria nostra subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Data XIV Kal. Mar., anno, Christo propitio, 19 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 10. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXVIII.

### PRO MONASTERIO CORBIÆ NOVÆ.

(*Anno* 832.)

[Apud Schaten, *Ann. Paderborn.*, p. 90.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si ecclesias et loca divino cultui dicata nostris largitionibus providere satagimus, atque ibidem assidue Deo famulantibus solatia clementer impendimus, non solum honorificam regalis munificentiæ consuetudinem exercemus, sed et temporalium erogatione donorum perpetuæ nos mercedis præmia promereri posse confidimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, industria, quod pro amore divino, atque animæ nostræ remedio, ad monasterium quod vocatur nova Corbeia, quod construximus in Saxonia in honore S. Stephani [a] protomartyris, cui modo præest fidelis et propinquus noster Warinus, primus substitutus abbas, concessimus piscationem quamdam in fluvio Wisera, in pago Wimodia nuncupato, cui confinis est villa Luisci vocata, in comitatu Abbonis, quæ quia in similitudinem palorum quos incolæ hocas vocant, construitur, gentilitio nomine ab indigenis Hoewar nuncupatur, quæ ad jus nostrum pertinebat, quamque idem Abbo comes hactenus in beneficio habebat; sed quoniam eadem piscatio atque absque familiis, quæ ad ejus provisionem deputatæ fuerunt, fratribus prædicti cœnobii non admodum utilis esse poterat, idcirco triginta duas familias, et quidquid ad eam piscationem pertinens sæpe dictus Abbo in beneficio habuit, totum et ex integro in proprietatem jam dicti monasterii concedimus, quatenus ibidem servientes monachos sine cessatione divinam clementiam pro nobis exorare delectet. Et ut hæc cessionis nostræ auctoritas firmius habeatur, et per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur ac diligentius observetur, manu nostra subter eam firmantes annuli nostri impressione jussimus sigillari.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Theogonis recognovi.

Data XVI Kalendas Julii, anno, Christo propitio, 18 imperii Ludovici serenissimi Augusti, indictione 10. Actum Franconovort palatio regio, in nomine Domini feliciter. Amen.

## CLXIX.

### PRO REFORMATIONE MONASTERII DIONYSII.

(*Anno* 832.)

[Apud Mabill. *Ann. ord. S. Bened.*, tom. II, p. 549.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Divinis præceptis et apostolicis monitis incitamur, sed et imperatorii regiminis officio commonemur, ut pro Ecclesiæ statu atque sanctæ religionis augmento impigro semper vigilemus affectu, ac pernecessario seu fructuoso studiosoque laboremus effectu; et si quid usquam reprehensioni invenitur obnoxium, regiæ auctoritatis sollicitudine corrigamus: quatenus avia revocantes, superflua amputantes, collapsa quoque reparemus, atque reparata et ab ecclesiasticis viris apostolorumque Domini successoribus, Spiritu sancto regente, bene statuta edictis imperialibus confirmemus. Quia dignum profecto est, ut quod sacerdotalis dignitas divino illuminata Spiritu corpori Christi, quod est Ecclesia, ejusdem Dei ac Domini et Salvatoris nostri redempta sanguine, adinvenit in salute, vel reformata statuit in religionis augmento, id imperialis majestas inviolabiliter permansurum in perpetuum potestatis suæ studeat roborari præcepto, quoniam quidquid in hujuscemodi negotiis laboratum, seu pio cultui a nobis fuerit dedicatum, hoc procul dubio nostræ mansuetudinis regno et populo regendo credimus specialius profuturum. Idcirco notum esse volumus omnibus fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, quia, postquam Deo auspice imperium paternum suscepimus, studii nobis maxime semper fuit, ut Domini Ecclesia, magnificentia ejus humilitati nostræ divinitus regenda tuendaque commissa, felicibus polleret successibus,

[a] Lego in alio exemplari, *in honore S. Stephani et Viti*; Sed D. Viti reliquiæ post quadriennium primum illatæ; unde Viti nomen aliena manu irrepserit: neque Ludovicus imperator Corbeiam in honorem S. Viti construxit.

eamque quantum nostræ attinet augustæ devotioni incessanter ad meliora provehere, et ab illa quidquid noxium erat eradicare, atque in ea incrementa virtutum plantare. Quapropter sæpissime sacerdotes Domini, quorum id officii esse noveramus, admonere curavimus, ac nostram principalem auctoritatem adjutricem ad eorum ministerium juxta voluntatem Dei exsequendum prompte exhibuimus, ut quidquid in ordinibus ecclesiasticis, vel in quacunque persona emendatione dignum invenirent, pastorali auctoritate, postposita qualibet torporis negligentia vel personarum acceptione, incunctanter corrigerent, et ad statum rectitudinis perducere decertarent. Verum cum ipsi, nostra sedula exhortatione admoniti, suaque solerti vigilantia de statu et profectu sanctæ Ecclesiæ, et sacris ordinibus, et his quæ emendatione digna videbantur, conventu apud Parisios jussione nostra habito strenua et devota perspicacitate tractarent, inter cætera visum est illis, ut monasterium præclarissimi et eximii Christi martyris beati Dionysii sociorumque ejus, quod constat tantorum martyrum nomine Deo dedicatum, et a regibus Francorum progenitoribusque gloriæ nostræ amplissimis rebus ditatum, quo in eo monasticus ordo religiose Deo deserviret, magna emendatione et correctione opus haberet, quoniam ab eo idem ordo ad multorum discrimen, nulla necessitate præpediente, nullius rei inopia obsistente, penitus erat avulsus. Quam causam, tam per se quamque et per venerabilem prudentemque virum Hilduinum, memorati monasterii religiosum abbatem, nostræ serenitatis auribus intimaverunt, uti nostra piissima imperiali potestate per eorum auctoritatem corrigeretur. Unde dignitas imperii nostri tantorum virorum saluberrimam admonitionem, et ejusdem venerabilis abbatis Hilduini preces humillimas more tranquillitatis nostræ solito gratanter benigneque suscipiens, atque in omnibus emendabile judicans, ne tanti ordinis collapsio salutis nostræ quoquo modo fieret damnatio, ad eosdem præsules Ecclesiarum idem censuimus referri negotium, ut nostri principatus auctoritate eorumque judicio, quibus tanta est collata potestas a Domino, idem ordo in eodem loco absque retractatione restitueretur. Venientes ergo Aldricus metropolita Senonicus cum suffraganeis suis, nec non et Ebo metropolita Durocortorum cum suffraganeis suis ad memoratum monasterium, habito conventu, primum quod idem monasterium ordini monastico constructum, dedicatum, et rebus ditatum fuerit, et in eo ipse ordo usque ad tempus quo sceptra imperialia, superna largiente gratia, clementia nostra suscepit, et supra memorati Hilduini abbatis prælationem ibidem utcunque viguerit, manifestis indiciis, regumque antiquis et modernis præceptis, et episcoporum privilegiis, ac fidelium donationibus, palam cunctis est factum. Deinde diligentem inquisitionem fecerunt super his qui in eodem loco regularem promissionem fecerunt. Ex quibus quidam, qui eamdem professionem fecerant,

A desertores ejusdem propositi effecti, rebus humanis jam erant exempti: quorum perditio non sine magno animi ferri potest mœrore. Quidam etiam non eamdem professionem se fecisse mentiti sunt: sed testibus patenter convicti, pro sua contumacia canonicæ pœnitentiæ sunt subacti. Quidam vero, imo maxima pars, qui hactenus in apostasiam prolapsi fuerant, coram venientes, soloque se prosternantes, confessi sunt eamdem professionem in eodem loco regulariter se promisisse, suique misereri, et a Domino veniam pro tanto admisso dari humiliter flagitavere; qua confessione facta, cucullis sui propositi coram cœtu episcoporum et cæterorum sacerdotum, cunctique sequentis ordinis cleri, nobiliumque virorum non modica circum assistente turba, se induerunt, B atque in commune, ne aliquando sicuti sibi aliisque jam in eodem loco contigerat, ab sanctæ professionis proposito diabolico propulsarentur instinctu, regularem promissionem iteraverunt. Pars denique quædam eorum, illi scilicet qui divinæ inspirationis munere acti, et amore devincti in sanctæ religionis proposito et habitu, apprime absque ulla refragatione aut interpolatione elegerunt viriliter permanere, et in cella ejusdem majoris monasterii, postquam cæteri monasticam vitam et habitum deseruerunt, usque ad hanc nostræ demandationis synodum habitam degere, ante jam memoratos venerabiles patres venerunt, locumque pristinum, in quo promissionem fecerant, et regulariter, licet minus perfecte, vixerant, sibi et se petierunt loco restitui, C quorum semotio ob id acciderat, quoniam, ut prædiximus, mox ut divina dignatio nos paterna sede suscepta imperialibus sceptris iniiti voluit, piæ intentionis nostræ sollicitudo exsequi procuravit, ut religio, decor et omnis honestas a domno et genitore nostro divæ memoriæ Carolo cœpta et instituta, liquido et veraciter, remota omni simulatione, in propriis quibusque maneret et vigeret ordinibus. Unde ad monasticæ institutionis normam corrigendam, duos religiosos et venerabilis vitæ viros, Benedictum et Arnulfum abbates, constituimus, qui per nostrum a Deo gubernandum et conservandum imperium seduli huic negotio studiose insisterent. Iidem vero boni et devoti, sed simplicissimi patres, supra memoratorum fratrum calliditate et duritia D suaque simplicitate abducti, non studio, sed minus subtili et necessaria investigatione et providentia, fallentes eos qui in soliditate suæ professæ salvationis perduraverunt, a monasterio removerunt, atque in memorata cella collocaverunt; et illos qui propriæ voluntatis libitus non virtute sed versutia quæsierunt, ac collo de sub jugo regulæ excusso loro distigatioris vitæ soluti, ampliori itinere cœlestem patriam petere sunt conati, in domiciliis reverendi habitus et vitæ monasticæ reliquerunt. Sed laudabilius hi patres Ecclesiæ auctoritate sua dignæ petitioni fratrum, quos in suæ religionis virtute diximus permansisse, quia sic nostri assensus jussio fuerat, annuentes, rationabiliter et canonice satisfecerunt,

et ob suggestionis notitiam, ut nostræ panderetur celsitudini, qualiter vel quo ordine tam devotissimum factum ab eisdem religiosissimis viris sit celebratum, duas super hoc jure, pari tenore, conscriptiones fecerunt, easque manibus firmaverunt propriis, ut altera earum in archivo ipsius monasterii ob memoriam et stabilitatem inibi hujus ordinis per futura tempora servaretur, alteram nostræ magnitudini direxerunt, ut illam palatinis scriniis juberemus recondere ob monumentum et istius rite facti perpetuam firmitatem. Sed cum idem ordo, Deo annuente, quantum divinitus videri dabatur, in eodem loco feliciter incederet, antiquus salutis humanæ inimicus quosdam ex ipsis fratribus sua organa efficiens, adeo insidiarum suarum furiis exagitavit, ut, conspiratione et conjuratione facta, et propositum monasticum abnegarent, et sine licentia sui abbatis propriique episcopi ac metropolitani, eorum legati dignitatis nostræ dominationem adirent, et molestiam super hac ratione contra canonicam et propositi sui institutionem serenitatis nostræ auribus inferre præsumerent, offerentes nobis tomum in accusationem et blasphemiam episcoporum, qui se de apostasia, in qua versabantur, paterna sollicitudine nostra auctoritate correxerant, et ad propositum quod abdicaverant, redire suaserant; addentes etiam in eadem schedula alia quæ digna non sunt imperialibus nostris scriptis interseri. Porro nostra solertia, auditis eorum querimoniis, supramemorato venerabili viro Hilduino nostra jussit clementia, ut eosdem episcopos contra quos querebantur, nec non et alios ab accusatione immunes, jussione nostra ad ipsum venire mandaret monasterium. Et quia ad notitiam nostram ipsi fratres suos misere clamores, unde nil ambiguum et sine justæ diffinitionis decreto fas est abscedere, complurium episcoporum diligenti examine rem reventilari et canonice diffiniri, et consopiri præcepimus: non quasi de præfata memoratorum patrum sententia, quæ excellentiæ nostræ bene manebat per omnia cognita, vel in aliquo dubitantes, sed ut major Christo Domino Deo nostro de percalcato hoste, qui jam dictos excitaverat fratres, triumphus fieret, et in eodem loco firmiori, quia iterata, stipulatione idem ordo confirmaretur. Et quoniam super pastores Ecclesiæ dignitati nostræ imperiali quæcunque ingerebatur accusatio, non sine certo et rationabili obliteraretur judicio, qui ad condictum tempus et diem ad suprascriptum venere monasterium, et ipsis accusatoribus cum scripto quod clementiæ nostræ tulerant coram exhibitis, cuncta quæ in eorum accusatione dixerant vel scripserant, falsa esse veris assertionibus idoneisque prolatis testibus probaverunt, sicut ex ordine inscripto manifestatur: quod ex hac causa a secunda constitutionis nostræ synodo archivo nostri palatii cum chartulis, quæ nomina testium continent qui utrisque conventibus interfuerunt, directis, ob gestorum memoriam conservatur: unde aliud etiam ab ipsius monasterii scriniis retinetur. Ipsi de cætero fratres, respectu divino processu temporis corda illorum tangente, propositi sui strenui et præteritarum negligentiarum pœnitentiæ de voti executores effecti, consensu salubri et prudenti tres chartulas conscripserunt, ut una earum ad caput gloriosissimorum Christi martyrum fieret, altera regiæ dominationis nostræ custodia servari demandaretur, tertiam vero ipsius monasterii abbas haberet: in quibus se a beato patre Benedicto, docente sancto Spiritu, descriptam regulam sunt servare velle professi, ut unusquisque eorum nomen proprium cum gradu et monachi appellatione eisdem chartis subter firmavit: quarum unam benignitatis nostræ præsentiæ exhibuerunt, humiliter postulantes, sicut et sæpe memorati venerabiles patres a quibus synodales diffinitiones celebratæ sunt, auctoritatem nostram sedulo petierunt, quatenus hoc quod tam subtili et diligenti investigatione inventum, et justa ratione diffinitum, seu salubri restitutione reparatum, atque canonica auctoritate statutum esse dignoscitur, amplitudinis nostræ privilegio scriptis imperialibus confirmaremus, ut quod canonica docet auctoritas, et vota regum cunctorumque fidelium, qui ipsum locum propter monasticum ordinem ibi servandum rebus suis ditaverunt, demonstrant, cum nequaquam ab eo sine periculo et regis et regni possit avelli, nostra imperialis potestas confirmatione provideat, ne ex eodem loco modernis futurisque temporibus idem ordo destituatur, sed potius, Christo Domino largiente, ad cumulum mercedis nostræ, conjugis quoque et prolis, eorumque salutem quorum post tantum lapsum reparatio facta est, nec non et eorum per quos, Deo annuente, nostra auctoritate eadem reparatio celebrata est, simul et illorum informationem qui post ad monasticum ordinem Domino inspirante ad eumdem confluxerint locum, remota omni simulatione semper in eodem monasterio regularis ordo permaneat, floreat et felicibus successibus Deo opem ferente polleat. Et ut hæc auctoritas, quam ob Dei amorem et animæ nostræ conjugis et prolis, ut prædiximus, salutem atque imperii nostri statum constituimus, firmiorem obtineat vigorem, et deinceps inconvulsa valeat perdurare, duas inde pari tenore conscriptas firmationes fieri jussimus, ut una imperialis aulæ recont ditorio palatinis salvetur excubiis, altera ab ipsius monasterii custodibus in perpetuum diligenti cura debeat provideri, easque manus nostræ subscriptione subter firmavimus, et de annulo nostro sigillare jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris notarius ad vicem Theotonis recognovi et subscripsi.

Data VII Kalendas Septembris, anno, Christo propitio, 19 imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris, indictione 10. Actum monasterio sancti Dionysii in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXX.

PRO PARTITIONE BONORUM MONASTERII S. DIONYSII.

(*Anno* 832.)

[Apud Mabill., *de Re diplom.*, pag. 408.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si ea quæ fideles imperii nostri, pro statu et utilitate Ecclesiarum ac servorum Dei, fideliter ac devote ob Dei amorem in locis sibi commissis statuerunt, nostris confirmamus edictis, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem, et totius regni a Deo nobis commissi tutelam mansurum esse credimus, et retributorem Dominum exinde in futuro habere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia vir venerabilis Hilduinus, abbas monasterii apostolorum Principis, excellentissimorumque Christi martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii, qui peculiares patroni nostri adesse videntur, nostræ suggessit serenitati, quod pro Dei omnipotentis amore et futuro ejusdem congregationis cavendo periculo, ne aliqua successorum suorum negligentia aut parcitate ordo in ea monasticus futuris temporibus perturbaretur, sicut præteritis temporibus manifestum est contigisse, veluti synodales conscriptiones super restitutione istius sancti ordinis in eodem monasterio et nostræ imperialis potestatis confirmatio, nec non et præfati venerabilis abbatis Hilduini conscriptionis charta pleniter narrat ex ordine (quod ideo prætermisimus, quoniam in eisdem locis liquide et exacte constat esse descriptum, uti cunctorum pene declarat notitia) stipendia eorum quæ annuatim in cibo accipere debeant, nec non et quasdam villas specialiter necessitatibus eorum deserviendas constituisset ac deputasset; atque per litterarum seriem et largitionis suæ scriptum sua aliorumque bonorum hominum manibus roboratum eis concessisset ac delegasset, quatenus nulla occasione nec reipublicæ servitio quisquam ex successoribus suis impedimentum illis in futuro inferre potuisset, pro quo a via rectitudinis et observatione regulari eos aberrare necesse foret, sed deputatis sibi rebus et stipendiis contenti, absque necessitate et inopia regularem normam tenere, et sine prævaricatione, quantum humana sinit fragilitas, observare quivissent. Unde humiliter petiit celsitudinem nostram, ut pro rei firmitate super eadem constitutione auctoritatis nostræ præceptum pro divino intuitu, et ipsorum sanctorum reverentia fieri juberemus, per quod inantea stabilis et inviolata permaneret. Nos vero petitioni illius, quia necessaria et rationabilis erat, aurem accommodantes, veluti postulaverat fieri adjudicavimus. Quapropter statuimus atque jubemus, secundum quod in illius ordinatione continetur, ut dentur eis annis singulis de tritico puro, ad eorum et hospitum in refectorium venientium opus, modia duo millia centum. Ad præbendam famulorum illis serventium

A de sigale modia nongenta, de vino puro ad eorum et hospitum suprascriptorum, seu ad omnes necessitates ipsorum modia duo millia quingenta, bracii per modia duodecim triginta, et exceptis his bracii tres de spelta secundum consuetudinem per modia triginta. Inter Pascha, Natale Domini, et sancti Dionysii Missam leguminum modia trecenta; de formatico pensæ trecentæ triginta; de adipe modia triginta quinque; de sale modia ducenta, cum ipso modio quod solvitur in salinis. Ad cordevesos et solas eorum componendas uncti ducenti; de butyro sestaria triginta; volatilia autem inter Pascha et Natalem Domini de villis (sicut in constitutionis charta præfati venerabilis viri scriptum habetur) cum integritate, quæ super annum ex eis omnibus B eo tenore, quo ibi scriptum et ordinatum est, una cum censu qui in volatibus de molendinis et cambis debet exire, sicut a longo tempore mos fuit, sive indominicatæ, sive in beneficio donatæ fuerint, dari constituimus et confirmamus. Saponem vero de ipsis villis (sicut in præfata confirmatione memorati viri constitutum habetur) fratrum usibus persolvi imperiali roboratione decrevimus. De lignis dentur eis mensuræ, quæ midi appellantur, mille centum; de melle secundum consuetudinem; de tribillo carra duo; de modiis sedecim; olera quoque, fruges arborum, pix, carpentarii, circuli ad vasa vinaria præparanda, et operimenta tectorum; sed et ædificatio et restauratio officinarum, secundum quod in sæpedicta C conscriptione supramemorati honorabilis viri continetur, dictante necessitate, ministretur et fiat. Ad vestimenta etiam vel omnes eorum necessitates secundum regularem institutionem procurandas confirmamus illis easdem villas, quas ipse per suam concessionem eis visus est condonasse, id est Murnum (ut antiquitus vocabatur, nunc autem Cella sancti Dionysii), Tosonisvallem cum Flaviaco et omnibus appendiciis suis, excepto Temeriaco-curte; Cella sancti Martini in monte Jocundiaco cum omni integritate; villam Pratariam cum suis omnibus, Pratariolam cum Sichaldicurte et omnibus ad se pertinentibus; Nucitum superiorem, cum appendiciis suis; Francorum-villam, Maflare, medietatem de Baliolo, Mucellam, Bedolitum, Villarem, Wasconem-villam cum D integritate sua et omnibus appendiciis; et omne teloneum atque censum, quod de mercato anniversali per festivitatem sancti Dionysii exire consuevit, sicut bonæ beatæque memoriæ domnus avus noster Pippinus per suum præceptum eis dedit, quidquid exinde pars fisci poterat exactare, nec non et Trimlidum ac Villam-pictam cum omni integritate ac omnibus appendiciis ad eas pertinentibus; Majoremvillam cum integritate: in ipso vico mansos duos, et mansionile in monte Sautia cum adjacentiis suis; super Sequanam vero Capellam sancti Audoeni ad retia piscatoria emendanda vel ordinanda, cum manso uno in Bonogilo cum integritate sua; in Alvernis mansos duos, et in Campiniago mansos duos

ad piscationem; Villam Exonam cum censu et integritate sua; seu et mansos et vineas in Belna, quas Franci homines ipsius congregationis fratribus delegaverunt; nec non in Vanicolas, sicut continetur in memorato scripto; censum etiam solitum de venna, quæ est super fluvium Loch, et de pago Pontiu, atque censum de Flandriis, sicut consuetudo fuit; villam siquidem quæ dicitur Brinevallis, nec non et mares et piscaturam in Tellis cum omni integritate tam in censu quam in appendiciis eorum; et mansos in Bracio, et Gabaregium in Bagasino cum omni integritate et appendiciis suis, de quibus quædam conjacent in pago Constantino ad capiendum crassum piscem. Has igitur villas cum appendiciis et redditibus vel mancipiis, sive cum omnibus quæ per precarias aut per beneficia exinde homines retinent, ut post eorum decessum ad usus fratrum et stipendia memorata revertantur, fratribus ipsius congregationis ad speciales eorum necessitates, imperiali auctoritate et indulgentia per hoc præceptum confirmationis nostræ, sicut prædictus venerabilis abbas in sua confirmavit constitutione, stabili jure eis concedimus et confirmamus : præcipientes ut nullus abbatum per successiones quod salubri egit consilio et nostro est roboratum edicto, subtrahere vel minuere audeat, vel ad usus suos retorqueat, vel alicui quiddam inde in beneficium tribuat; sed neque servitia ex eis villis exactet, neque paraveredos aut expensas ad hospitum susceptiones recipiat, aut ullas in aliqua re exactiones aut mansionaticos inde exigat absque inevitabili necessitate, præter consuetudinarias operationes quæ in sæpedicta memorati viri constitutionis pagina descriptæ habentur, quibus nihil addere quisquam unquam præsumat. Suprascripta autem ad centum quinquaginta monachorum numerum sunt ordinata : ex quibus nil cuiquam abbatum licebit unquam subtrahere; augere vero qui forte voluerit, multiplicatis ad usum eorum opibus, accumulet et servitii divini cultores : qui vero facere aliter præsumpserit, et post discessum nostrum hanc nostram confirmationem quam super prædicti venerabilis viri Hilduini constitutione fecimus, violare voluerit, querela ad successores nostros, qui tunc temporis nobis superstites fuerint, deveniat, ipsique agnita auctoritate nostra nostræ constitutionis statuta defendant, et suæ auctoritatis præcepto confirment, sicut a se bene gesta defendi et confirmari a suis successoribus Deo annuente voluerint, qualiter futuris temporibus fratres in cœnobio supradicto regulam beati Benedicti servantes, absque perturbatione Deo libere deservire queant, nobisque pro rata confirmatione merces in perpetua recompensetur æternitate. Obnixe etiam ac devotissime omnes successores nostros per omnipotentem Dominum et æternæ retributionis amorem et piam reverentiam istorum specialium protectorum nostrorum in hoc sancto reputavimus loco, nec non et hanc constitutionis confirmationem, quam ad monachorum providendas regulares necessitates imperiali firmavimus auctoritate, intemera-

A tam studeant custodire; et speciali sollicitudinis cura provideant, ne aliqua antiqui hostis satagente calliditate inde sacer ordo amoveatur, aut minus perfecte quam humana sinit fragilitas in eodem loco prævalente negligentia gradiatur; sed sicut nos singularem curam, quia ita prædecessores et progenitores excellentiæ nostræ habuisse compertum est, quam inibi pia sepultorum corporum amplectitur eorum memoria, nos etiam inde habere videmur, sollicite studeant divino intuitu, ne talium rectorum manibus jam dictum sacratissimum locum committant, quorum versutia aut negligentia ab eo religio decidat, et inopia vel torporis negligentia crescat, sed potius ita eumdem sacratissimum locum sollicite pieque tractent, quatenus nobis et illis æternæ bea-
B titudinis gloria inde Christo opem ferente maneat et accrescat. Et ut hæc auctoritas, quam ob Dei amorem et animæ nostræ remedium statuimus, firmiorem obtineat vigorem, et deinceps inconvulsa valeat perdurare, manus nostræ subscriptione eam subter firmavimus, et annulo nostro sigillari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris notarius ad vicem Theotonis recognovit et subscripsit.

Data VII Kal. Septemb. anno, Christo propitio, 19 imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris, indictione 10. Actum monasterio sancti Dionysii in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXXI.

### PRO MONASTERIO SANCTI MARTINI TURONENSIS.

C (*Anno* 832.)

[Ex Chartario S. Martini, apud Mart., *Thesaur. anecd.* tom. I, pag. 29.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si locis Deo dicatis quiddam honoris conferimus, et Deo in eis famulantium pacis et tranquillitatis curam gerimus, et ad ministerium suum liberius exsequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum regni nostri corroborandum, et ad æternæ vitæ beatitudinem capessendam, profuturum esse credimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus
D scilicet et futuris, quod venerabilis abbas Fridegisus monasterii S. Martini patroni nostri, in quo ipse corpore requiescit, innotuit celsitudini nostræ qualiter idem ipse partim per ignorantiam, partim vero per suggestionem quorumdam hominum, quasdam villas ejusdem monasterii sibi servientibus in beneficium dedisset, quæ ad usum fratrum in eodem monasterio degentium olim deputatæ fuerant; et ob hoc vestimenta et sumptus necessarios eis pleniter ministrare non posset. Quamobrem idem ipse et omnis congregatio Sancti Martini petiit nostræ conscriptionis auctoritatem sibi dari, per quam repulsa omnis occasio nostra concessione atque permissu easdem villas in suum dominium idem abbas revocaret, et tam ipse quam et successores ejus eo modo eis de-

bita stipendia et vestimenta subministrare possent, A quemadmodum temporibus prædecessorum ejus fratribus qui tunc temporis inibi consistebant ministrabantur. Quorum petitioni libentissime annuimus, et hanc nostræ conscriptionis auctoritatem fieri eisdemque fratribus dare decrevimus, per quam decernimus atque jubemus ut memoratus abbas suique successores ad hoc easdem villas in usum, dispositionem et ordinationem habeant, ut inde fratribus qui et præsenti et futuris temporibus inibi Deo militaverint, sic pleniter victualia et vestimenta ministrari faciant, quemadmodum temporibus genitoris nostri Caroli eis a Wulfado et Itherio hujus monasterii abbatibus exhibita atque ministrata fuerunt. De cæteris vero villis quæ in beneficium datæ sunt, jubemus ut tertia pars de volatilibus cum ovis eisdem fratribus minis- B tretur. Volumus etiam atque eisdem fratribus concedimus, qui et præsenti tempore inibi degere, et futuris temporibus ad inhabitandum et Deo serviendum aggregari voluerint: ut de omnibus quæ ad sepulcrum beatissimi patroni nostri S. Martini a Deum timentibus conferuntur, tertiam partem accipiant ad necessitates sibi consulendas, exceptis de his vestimentis et speciebus quæ ad sepulcrum illius, decoris et honestatis causa, perpetuo retinenda erunt. Cera autem et oleum ad luminaria in eadem ecclesia concinnanda decernimus ut retineantur. Statuentes ergo per hanc nostram auctoritatem præcipimus, ut nullus prælatorum aut auctorum hujus monasterii patroni nostri beatissimi Martini hanc nostram concessionem atque statuta convellere, aut nullum in mo- C dum immutare præsumat, sed perpetuis temporibus inviolabiliter ea conservent et sibi conservari faciant. Et ut hæc nostræ concessionis et constitutionis auctoritas firmum et inviolabilem obtineat vigorem, manu propria subter eam firmavimus, et more nostro signaculo bullæ insigniri jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Theotonis recognovi.

Data XVIII Kalendas Decembris, anno, Christo propitio, 19 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 11. Actum Turonis monasterio S. Martini in Dei nomine feliciter.

## CLXXII.

### [a] PRO MAJORI MONASTERIO.

(*Anno* 832.)

[Ex Chartulario ejusdem monasterii, apud D. Bouquet., *Recueil des hist.*, tom. IV, pag. 583.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si illius amore, cujus munere cæteris mortalibus prælati sumus, loca divino cultui consecrata congruis munificentiæ nostræ beneficiis ad divinum cultum uberius exsequendum sustollimus, dignæ remunerationis præmio nos a Domino remunerari fideliter credimus. Igitur omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, industriæ notum esse volumus, qualiter dilecta conjux nostra Judith Augusta suggessit nobis ut quamdam villam, nomine Cambonem, quæ est in pago Blisense vel Dunense, monasterio S. Martini, quod est constructum in pago Turonico super ripam Ligeris, et vocatur Major Monasterium, in quo idem ipse præclarissimus confessor Christi regulariter cum turma monachorum Domino militavit, per nostræ conscriptionis auctoritatem concedimus [b] ad emenda fratrum ibidem Deo famulantium vestimenta. Unde præsentiæ nostræ strumentum protulerunt, qualiter jamdudum ad memoratum monasterium quædam Deo sacrata, Oda nomine, uxor Eodonis ducis per venditionis titulum eamdem villam cum suis appendiciis condonaverat. Cujus petitioni propter amorem et honorem ac venerationem memorati patroni nostri beatissimi Martini libenter acquievimus, et memoratam villam Cambonem, quam in præscripto pago Blisense vel Dunense sitam esse diximus, cum his locellis quæ ad eam pertinere noscuntur, id est Galiaco, Bitarilias, Varennas, Culturas, villam Aitardi, vel etiam cum terminis et omnibus rebus ad se pertinentibus, videlicet basilicis, domibus cæterisque ædificiis, vineis, silvis, terris, pratis, campis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, cultis locis et incultis, mobilibus rebus et immobilibus, ac seipsas moventibus, cum mancipiis et accolabus diversi sexus et ætatis, ad memoratum monasterium venerandi confessoris Christi sancti Martini, quod constructum esse in memorato pago Turonico super ripam Ligeris diximus; ubi præsenti tempore venerabilis Theoto abbas Deo deservientis congregationis pastor et rector esse cognoscitur, per hanc nostræ largitionis auctoritatem donamus atque tradimus, ea videlicet ratione ut perpetuo jure ipsius monasterii consistat ad emenda, ut prædiximus, vestimenta fratrum ibidem Deo famulantium: et nullus fidelium nostrorum, vel etiam, Deo disponente, successorum nostrorum ullam habeat potestatem eamdem villam, vel illa quæ ad eam pertinere noscuntur, de jure ejusdem monasterii abstrahendi vel diminorandi: sed, sicut supra insertum est, memorata congregatio successoresque eorum ad id quod præfati sumus, de eadem villa cum suis appendiciis, quidquid inde quolibet modo exigi potest, habeant potestatem faciendi, ordinandi, exigendi tam præsentibus quam futuris temporibus, disponendi atque faciendi. Sed et si quis ex fidelibus imperii nostri eis ad hujus rei necessitatem aliquid augere vel titulare placuerit, volumus ut a nullo eis auferri liceat; quatenus eis liberius pro nostra successorumque nostrorum salute Domini misericor-

[a] Hujus præcepti meminit, illudque male tribuit anno 833 Labbeus in Miscell. Curios., pag. 457; illud refert Cointius, tom. VIII Annal. eccles., pag. 185, ad annum 831, a cujus mense Septembri incipiebat indictio decima; initiumque imperii Ludovici hic repetit ab anno 813.

[b] Sic legitur in chartulario; legendum, *concederemus*.

diam implorare delectet. Et ut hæc nostræ donationis atque traditionis auctoritas perpetuum et inviolabilem obtineat vigorem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris notarius ad vicem Theotonis recognovit.

Data XIII Kal. Decemb., anno, Christo propitio, 19 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 10. Actum Caduppa villa in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXXIII.

PRO ABBATIA VINCENTII APUD CENOMANOS.

(*Anno* 832.)

[Apud Baluz., *Miscell.*, tom. I, pag. 84.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus qualiter ad notitiam nostram de tribus cellis perventum est, quæ una earum intra muros Cenomanis civitatis sita est et dicata in honore sancti Albini, reliquæ vero duæ in suburbio memoratæ civitatis constructæ, et altera earum in honore sancti Vincentii, altera vero in honore sancti Audoeni dicata habetur, quas præsenti tempore Aldricus episcopus sub jure præscriptæ urbis possidebat, quod non juste ad eamdem urbem, sed ad publicum nostrum pertinere deberent. Ad quam causam diligenter per meliores et veraciores homines circumquaque memoratæ urbis consistentes inquirendam nobisque renuntiandam destinavimus fidelem nostrum Widonem nomine; qui cum ad nos reversus esset, retulit nobis, sicut relatione bonorum hominum circa fines memoratæ civitatis consistentium cum sacramenti assertione invenerat, quod præscriptæ cellæ non ad publicum nostrum pertinebant, sed sub jure memoratæ Cenomanis ecclesiæ juste et legitime esse deberent. Cumque ex memorati fidelis nostri Widonis relatione per omnia ita verum esse cognovissemus, propter futuras occasiones et resultationes penitus repellendas et abjiciendas, complacuit nobis hoc nostræ auctoritatis atque memoriæ conscriptum super hujuscemodi factum conscribere, per quam præcipimus atque jubemus ut repulsa omnino publica et judiciaria potestate præfatæ cellæ perpetuo in jure memoratæ Cenomanis ecclesiæ consistant, easque memoratus Aldricus præsul suique successores jure ecclesiastico habeant, teneant atque possideant, et inde faciant quidquid pro commodo vel utilitate memoratæ Cenomanis ecclesiæ faciendum esse decreverint. Et ut hæc nostræ auctoritatis conscriptio firmior habeatur et a fidelibus nostris melius credatur et diligentius conservetur, de annulo nostro subtus eam jussimus sigillari.

Hirminmarus notarius ad vicem Thetonis recognovi et subscripsi.

Data IV Kal. Januar., anno, Christo propitio, 18 imperii Ludovici piissimi Augusti, indictione decima. Actum Cenomanis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXXIV.

PRO EADEM ABBATIA S. VINCENTII.

(*Anno* 832.)

[Apud Baluz., *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si supplicationibus sacerdotum, quando pro suis vel ecclesiarum sibi commissarum necessitatibus aliquid nobis intimare voluerint, aurem benigniter atque libenter accommodamus, eorumque justas et rationabiles petitiones ad optatum effectum pervenire facimus, non solum regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eosdem sacerdotes ad Domini misericordiam pro nobis exorandam promptiores atque devotiores facimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, industriæ qualiter cum nos de Aquitania reverteremur et in urbem Cenomanis pervenissemus, Aldricus ejusdem urbis venerabilis episcopus accedens ad aures nostras retulit nobis de quadam villa quæ Brogilus vocatur et Novavilla nominatur, quæ ante hos complures annos de jure ejusdem ecclesiæ cum appendiciis et omnibus ad se pertinentibus subtracta atque ad publicum nostrum redacta, moderno tempore ab Heremberto vassallo nostro in beneficium data possideretur, et sic præcedenti tempore de manibus rectorum prædictæ urbis eamdem villam cum appendiciis et omnibus ad se pertinentibus elapsam esse. Sed cum nos ad rei veritatem diligentius vestigandam fideles nostros Simonem presbyterum et venerabilem abbatem et Hildemannum vassallum nostrum mitteremus, renuntiaverunt nobis per omnia ita verum esse. Cumque eorum relatione memoratum beneficium Heremberti non ad publicum nostrum sed ad jus prædictæ ecclesiæ Cenomanis juste pertinere cognovissemus, complacuit clementiæ nostræ præfatum beneficium Heremberti, id est, forestem illam quæ Gauciacinsis dicitur, cum duabus forestulis quæ Dovera et Tulpiacus vocantur, cum ædificiis in eadem constructis, quæ Brolius nominatur, necnon et Novamvillam cum omnibus ad se pertinentibus, id est, Salvariam, Colonicam, Cauqueriolas curtem Herilavan. Fetrarias, villarem Saviniacum, Buxarias, in Monticellis capellam unam cum omnibus ad se pertinentibus, et in Caliniaco dimidium mansum, et in Vincariis mansum unum, et in Cipido atque Belino eos quos jumentarios dicunt, cum redditione census quem singulis annis solvere noscuntur, id est, mel et ceram, et in Cabanido eos quos porcarios vocant, et eos qui in illa ruba quæ est contra orientem manere noscuntur, necnon et illos qui super fluvium qui dicitur Sartha consistere noscuntur, similiter et medietatem telo-

nei quod de illo porto annis singulis persolvitur, et quemadmodum sæpedictus Herembertus memoratum beneficium cum omni integritate, sicut illa die sub jure nostræ dominationis erat quando a largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat, pro emolumento animæ nostræ memorato venerabili Aldrico episcopo ad partem præscriptæ suæ ecclesiæ reddere, ut in perpetuum in utilitates et usus ejusdem ecclesiæ Deoque in ea deservientium pertineat. Idcirco suggerente atque rogante prædicto venerabili episcopo hanc nostræ confirmationis atque redditionis præceptionem ei vel ad partem jam dictæ urbis fieri jussimus, per quam decernimus atque jubemus ut nullus fidelium nostrorum de prædicta villa vel de his omnibus quæ ad præfata loca pertinere noscuntur memorato venerabili Aldrico episcopo sive successoribus ejus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere præsumat; sed liceat ei et successoribus ejus quieto ordine memorata loca cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere et possidere, et quidquid pro opportunitate et commoditate præfatæ ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant potestatem faciendi. Ut autem hæc nostra auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, de annulo nostro jussimus sigillari.

Hirminmarus notarius ad vicem Theotonis recognovi et subscripsi.

Data VI Idus Januar., anno, Christo propitio, 17 imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 10. Actum Bes villa in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXXV.

### PRO EADEM ABBATIA S. VINCENTII.

(*Anno* 833.)

[Apud Baluzium, *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si his qui Deo debitum exhibent famulatum quiddam honoris conferimus, et ad suum ministerium liberius exsequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum terreni regni corroborandum et ad æternæ vitæ beatitudinem capessendam profuturum esse confidimus. Notum igitur esse volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia nos de Aquitania revertentes, cum in urbem Cenomanis pervenissemus, quam Aldricus venerabilis episcopus regere videtur, clerici et Dei servi inibi consistentes in nostram advenerunt præsentiam, et conquesti sunt quod nonas et decimas, unde necessarios sumptus habere debebant, fideles nostri qui res Sancti Gervasii munere beneficiario possidebant, aut negligenter persolverent, aut penitus reddere differrent; petieruntque et suppliciter deprecati sunt nos ut nostra imperialis potestas efficeret qualiter secundum antiquam consuetudinem et jussionem domini et genitoris nostri Caroli præstantissimi Augusti ac nostram pleniter de eisdem

A rebus decimæ et nonæ partibus præscriptæ ecclesiæ Sancti Gervasii et fratrum inibi consistentium pleniter et absque ulla dilatione persolverentur, et ædificia ejusdem ecclesiæ sive domus episcopalis ac fratrum inibi degentium refectæ et restauratæ fierent [a]. Insuper humiliter flagitantes postularunt ut villarum nomina ex quibus nonæ et decimæ ad supradictam ecclesiam persolvi debent in nostræ auctoritatis præcepto nominatim ascribi præciperemus, ne aliquo malo ingenio aut qualibet calliditate aut potentia alicujus divitis vel potentis hæ villæ vel hæ res a jure ejusdem ecclesiæ alienatæ futuris fierent temporibus aut nonæ vel decimæ sive census vel restaurationes jam dictæ ecclesiæ ablatæ fieri possent. Quorum deprecationes propter amorem

B Dei libenter audivimus, et sicut deprecati sunt, monasteria vel cellulas seu vicos vel villas quas nostra largitione ex jure præfixæ ecclesiæ nostri fideles habere dignoscuntur nominatim in hoc præcepto inserere jussimus, ut futuris temporibus in jure et dominatione jam dictæ ecclesiæ cum omni integritate permaneant: id est, monasterium Sancti Petri quod Bertranus episcopus ædificavit, cum monasteriolo Sancti Martini in Ponteleuve, et monasteriolum Sancti Victurii, in quo ipse domnus Victurius corpore requiescit, et monasteriolum Sanctæ Mariæ quod est constructum intra murum civitatis et fluvium Sarthæ, cum monasteriolo Sancti Ricomeri ultra fluvium Sarthæ ad eum pertinente, et monasterium Sanctæ Scholasticæ, et monasteriolum Sancti Germani ultra fluvium Sarthæ, et monasteriolum vel synodochium Sanctæ Mariæ, in quo domnus

C Paduinus requiescit in corpore, et cellulam Sancti Victurii infra civitatem, et monasterium Sancti Carilefi, in quo ipse domnus requiescit in corpore, et monasteriolum Sancti Juliani, in quo ipse requiescit in corpore, et monasterium Sancti Georgii, monasterium Illidi, et monasterium Tussiaco, et monasterium Sancti Joannis et Sancti Trechii in Buxiolo: et monasteriolum Sancti Martini in Diablentico, et monasterium Sanctæ Mariæ in Aurionno, et monasterium Buxido, et cellulam Semiliaco, et monasterium Caladon. Hæc omnia, sicut diligenter inquisitum habemus, cum omnibus ad se pertinentibus et

D in scriptis authenticis Sancti Gervasii invenimus, ad prædictam ecclesiam sancti Gervasii juste et legaliter pertinent. Ex quibus jubentes præcipimus ut festivitatibus illorum sanctorum in quorum memoriis ipsa cœnobia dicata esse noscuntur, per singulos annos ad præfixam matrem et civitatis ecclesiam census ab ipsis qui eadem cœnobia nostro beneficio tenent libenter ad opus episcopi vel fratrum ibi degentium et ad ipsam ecclesiam restaurandam et nunc et futuris temporibus persolvantur, et refectio canonicis Sancti Gervasii optima ab eodem abbate qui ipsum cœnobium tunc temporis habere videtur, in prædicta festivitate libenti animo fiat, sicut nostram gratiam et ipsa beneficia habere voluerint; ut nobis

[a] Vide lib. I Capitul., c. 157, et lib. II, c. 21, 22.

seu decessoribus vel genitoribus nostris propter A ablationem vel minorationem harum rerum jam dictæ ecclesiæ aliquod detrimentum aut periculum regni non accrescat, sed perennis temporibus sub jure ejusdem ecclesiæ permaneant. Divitis [a] enim canonicis omnibus et ecclesiis baptismalibus in prædictæ urbis parochia consistentibus, cujuscunque juris sint, census cunctos tam in oleo quam in cera sive denariis pleniter partibus præfatæ ecclesiæ, sicut in plenariis et breviariis ejusdem matris ecclesiæ continentur, per singulos annos absque ulla contradictione aut mora persolvi præcipimus. De vicis vero publicis ac propriis vel villulis jam dictæ ecclesiæ, quas fideles nostri nostra largitione habent, omnino præcipimus ut nonæ et decimæ partibus præscriptæ matris ecclesiæ ab eisdem fidelibus B nostris libenter et pleniter persolvantur, et ædificia ejusdem ecclesiæ sive domorum ad eam infra civitatem pertinentium reædificare vel restaurare faciant, id est, de villa Tavida, de villa Lugduno, de villa Baladon, de villa quæ Brogilus sive Novavilla nuncupatur, de villa Pradellis, de Murniaco, de villa Guilis, de tertia parte de cella Sancti Almiri, de tertia parte de cella Sancti Ulfacii, et de tertia parte de cella Sancti Rigmiri, de villa Boulido, de Angono, de Solemnis villa, et vico et cella Virmero; et de villa Apiliaco, et de Aldrino, et Clausido, de Noviliaco, et Fanisnonia, et campo Sigirico, Luciaco, et monte, et de Commis cella Sancti Leodegarii, Angor, et Boulir, de Vinogabron cum suis appendiciis, et Ailino vico publico, et Bruslor et So- C gonna vicis publicis, et Silviaco, et de villa Viliaco et Triciono, et Silgiaco, et Sabololio, et Vinonio vico publico, et de villa longua, et de villa Campaniaco, et de Tonedralio, de Geneda vicis publicis, et de villa Didas, et de Tredento, et Vitlena, Taurimiaco, Calsano, et villare de Verno et Adilianitæ et Vigra, et Fontanas, et Sanmuro, et Braflalo, Folcaria, Domnoiorio, et partem de Fraxinido, Mandaria, Dirigeto, villare de Verno, Clermicio et Camiliaco, de Traximarias, et Coxiaco vico publico, et villa Antoniaco, de villa Bonalfa, et de omnibus villis quæ ad cellam Sancti Martini infra murum civitatis pertinent, et de Caugiaco vico publico, et de villa Limbriaco, et Verincella, et Verniaco, et villa D de Ferciaco, et de Ponciaco, de Cariliaco, Priliaco, de Vigra, et de beneficio Hadingi, et de villare et de valle Bovonis, et de Breviaco, et de Carbonariis, et de Ruiliaco, et de Sidrego, et de Paciaco portu super Garronam, et de Gaureco, et de cella quæ Longolin vocatur, et de Gajureco, et de Floreco, et de vico Diablentico, et de cella Arciacas, et de villa Camariaco, et Eviriaco, et Calla, et Commoriaco, et de villa Andoliaco, et de villa Griniaco, et Martiniaco, et Liverolas, et Sisciaco, et de cella Domo regis et de pago Ardunense, in quo sunt manentes villæ Sancti Gervasii, et de curte Busane, et de Noviomo, et Scomoiaco, et Camiliaco, et Comaco, et

[a] Vox corrupta.

Corma, et Noviomor. et Bostiliaco vicis publicis. Hæc autem omnia quæ nominatim supra inserta sunt, ut jam dictum est, evidentius et diligentius investigatum habemus, et in authenticis ejusdem ecclesiæ scriptis ipsis clericis nonobstantibus reperimus, sive alias villas quæ propter prolixitatem vel propter ignorantiam nominum villarum in hoc præcepto non sunt insertæ, ad jam dictam ecclesiam juste et legaliter pertinere; super quibus has nostræ auctoritatis litteras fieri decrevimus, per quas statuentes omnibus qui in præsenti tempore aut futuris temporibus ex memoratæ matris ecclesiæ beneficia asseculi sunt aut assequi potuerunt, præcipimus ut de omnibus conlaborationibus terræ, tam feni quam annonæ omnium generum, tam de sua dominatione quam et de vassallorum suorum, de vivericiis quoque et perdonato, de pastionibus et pascuariis, de herbaticis et pullis, de piscationibus et pastionaticis, id est, de glandeticis, de melle, et collaborationibus quæ in hortis sunt, de nutriminibus animalium et caseis qui fiunt, de vaccaritiis dominicatis; ac de omnibus redditionibus quæ ab hominibus memoratæ matris ecclesiæ recipiuntur, excepto hostileuse, id est, de bubus et conjecto ad carros construendos. De his autem omnibus præcipimus et censum legitimum et nonas et decimas annis singulis partibus præscriptæ matris ecclesiæ absque ulla marritione vel dilatione reddere, insuper restaurationes tam in præfixa ecclesia quam in domibus juxta eam adjacentibus in tegumentis et restaurationibus pro possibilitate rerum quas in beneficium exinde possidet facere non negligatis, si gratiam nostram et eadem beneficia unusquisque vestrum habere voluerit. Præscripta vero beneficia volo ut fideles nostri supradicto censu cum consensu et benevolentia ejusdem ecclesiæ episcopi teneant usque dum illa cum eis quæ ex nostra datione habere videntur mutare possimus et sæpedictæ ecclesiæ quæ juste et legitime, ut inquisitum habemus, debentur, auxiliante Domino, restitui atque reddere mereamur. Et hoc omnibus vobis notum sit, quod si aliquis vestrum exstiterit qui hanc jussionem nostram aut contemnendo aut negligendo adimplere distulerit, quia volumus atque præcipimus ut præscriptæ urbis episcopus in jure ejusdem ecclesiæ suæ in suam vel canonicorum suorum potestatem vel dominationem easdem res revocare faciat usque dum illi qui jam dictæ ecclesiæ res vel beneficia nostra largitione habebant in nostram veniant præsentiam pro eadem negligentia atque contemptu rationes reddere. Et prævideat unusquisque ne illam ibi audiat sententiam, *Qui negligit censum, perdat agrum*, et per hanc auctoritatem, sive pro eorum negligentia vel contemptu ipsa perdant beneficia [b]. Et ut hæc jussio nostra verius credatur et diligentius conservetur, atque per omnia a vobis perficiatur et firmius futuris temporibus teneatur, de annulo nostro subter has litteras nostras jussimus sigillari.

[b] Vide Capitularia Caroli, tit. 7, c. 69.

Hirminmarus notarius ad vicem Theotonis recognovi et subscripsi.

Data II Kal. Januar., anno, Christo propitio, 19 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 10. Actum Cenomanis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXXVI.

### DIPLOMA LOTHARII PRO MONASTERIO VERONENSI.

(*Anno* 833.)

[Ughelli, *Italia sacra*, tom. V, pag. 717.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi, Lotharius Augustus invictissimi domini imperatoris Ludovici filius.

Quidquid enim in nostra vel procerum nostrorum præsentia recto tramite secundum legem definitum fuerit, oportet nostris confirmare oraculis, ut jure firmissimo maneat inconvulsum. Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, sagacitati, quia cum missi nostri in Piscaria ad universorum causas audiendas, et recte judicia terminanda resedissent, ibique veniens Leo abbas, et advocatus Sancti Zenonis Garimbaldus nomine, unde idem Leo per ordinationem Rataldi venerabilis episcopi esse videbatur, interpellavisse Ragileusum, et Ragipertum advocatos Goradi comitis, dicentes, quod pars præfati Goradi silvam quæ dicitur Hostilia, et pascua pertinentem, et jure S. Zenonis suo jure occupasse illicite et contra legem; quam rem dum præfati missi nostri per se minime definire potuissent, in nostram hanc pleniter deliberanda jussimus venire præsentiam. Qua de re dum diligenti adhibita investigatione rei veritatem inquireremus, detulit prædictus abbas optatis [obtutibus] nostris præcepta antiquorum regum, nec non et bonæ memoriæ avi nostri domini Caroli præstantissimi imperatoris, verum etiam et avunculi nostri Pipp'ni quondam gloriosi regis, dominique et genitoris nostri Ludovici serenissimi Augusti, quæ dum relegi fecissemus, comperimus juste et rationabiliter pacta monasterii S. Zenonis in omnibus pascuorum, et capuli, seu decimæ, et omnem exactionem pertinere absque qualibet in parte aliquod redhibitionis debitum, salvo suo jure in integrum territorio, ubi Hostilia nuncupatur, cujus fines sunt, a Pado usque in campum Turmioni, et a fossa Lubia usque ad fossam Regiam, et pollicinem juxta castrum Reveri. Ideoque ad præfatum sanctum ac venerabilem hos nostræ auctoritatis apices fieri jussimus, per quos absque qualibet inquietudine abhinc in futurum nostra auctoritate teneat, justeque fruendo possideat. Insuper retulit nobis Rataldus episcopus, cui præfatum monasterium nostra auctoritate ad regendum commissum erat, eo quod Goradus comes aliquas ei inferat contra causationes de quibusdam rebus, et mancipiis, quæ olim prædecessor præfati Goradi, Vulvinus nomine, cum episcopo Brixianæ Ecclesiæ Chuniberto nomine commutaverat, et e contra sibi placitam acceperat commutationem: quæ dum utilia post aliquot dies idem Rataldus vener. episcopus præfatæ S. Zenonis Ecclesiæ esse cognovisset, datis in recompensatione pacti prædictæ Brixianæ ecclesiæ congruentibus rebus, ac mancipiis a Petro quondam ejusdem ecclesiæ episcopo commutatis, pacti prænominatæ S. Zenonis ecclesiæ conquisivit ad habendum: sed quia regiæ potestatis missus inter has defuerat commutationes pro hujusmodi occasionibus adimendis, ne ideo ab eadem ecclesia auferatur, quoniam legaliter absque regio misso non poterant commutari, hanc nostram auctoritatem super præfatas commutationes addere libuit, per quas jubemus sanum mansurum: sancimus ut nullus fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque, ab hinc in antea inde aliquam pacti sæpe dicti monasterii S. Zenonis inferre præsumat contrarietatem, sed liceat ei, ut justo tramite acquisivit, quiete rectoribus ecclesiæ ordinare atque disponere quidquid utilitas prædictæ dictaverit ecclesiæ. Si vero, quod futurum non credimus, aliquis dux, comes, aut cujuslibet administrationis, aut privata persona contra omnia supradicta moliri aliquid præsumpserit, seu infringere, vel corrumpere ex parte, aut ex toto tentaverit, sciat se compositurum mille mancusos auri obryzi, medietatem cameræ nostræ, et medietatem jam dicto monasterio S. Zenonis, si aliqua contrarietatis violentia illata fuerit. Et ut hoc certissime credatur, et diligentius observetur, manu propria roboravimus, et annuli nostri impressione insigniri jussimus.

Druetemirius subdiaconus atque not. ad vicem Hermenfredi scripsi.

Data XVIII Kal. Febr., anno, Christo propitio, imperii dom. Ludovici serenissimi imperat. 20, et Lotharii 11, indict. 11 [12]. Actum Mantuæ in palatio regis in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXXVII.

### PRO MONASTERIO SANDIONYSIANO.

(*Anno* 833.)

### LUDOVICI IMP. PRÆCEPTUM.

*Mintriacus in pago Parisiensi Hilduino abbati Dionysiano conceditur* [a].

[Apud Mabill., *de Re diplom.*, pag. 541.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Sollicitudine imperiali et Christianæ religionis ardore ac cultus divini studio permonemur pro venerabilium locorum cogitare augmento et mansuro stabilimento, quoniam spiritualium præmiorum est munificentia, cum Dei in Ecclesia piis et locis reverendissimis a nobis Christo auspice potestate com-

[a] Hæc donatio facta est a Ludovico Augusto in gratiam oratorii beatæ Mariæ, quod Hilduinus *ante pedes* beatorum martyrum ædificaverat, nimirum in crypta subterranea, ubi etiam nunc oratorium istud visitur. De Mintriaco, *Mitry*, mentio est in libello De translatione sancti Viti, num. 16 in sæculi IV Benedictini parte I, pag 533.

missa largitate promptissima festinatur concurrere : A præsertim cum nihil credamus minui ab reipublicæ jure, quoties donis imperialibus aliquid sanctis Domini (quorum virtute post Dominicam pietatem mater terra videtur contineri et orbis universus misericorditer regi, humana quoque fragilitas sublevari, et nostrum Deo favente imperium gubernari) manu locupleti, ut imperialem condecet majestatem, fuerimus largiti, ejus præcipue providentia illique potius alacri animo et devotione debita conferentes, qui Sanctus sanctorum communem captivitatem nostram redemit, et eos sanctificatos gratia coronavit, atque nostrum ipso auctore regnum, si jussis insistamus operibus, ad perpetuum promisit secundum potentiam suam transferre imperium. Tanto enim plus regis amplitudini res propensiori incremento B proficiunt, quanto ex eis studio pietatis locis venerabilibus fuerit commodatum : quia ideo credita Domino miserante suscepimus, ut optima dispensatione ejus omnipotentiæ non dubitentur restitui, et nos pro collatis possimus fiduciam adipisci in sæculis supervenientibus præmia æterna tenendi. A paterna equidem prævaricatione notum est humanum genus corporeæ mortis ultione multari. Quapropter qui certus est quandoque venturus terminus et incertus formidatur eventus, in hujus ærumnosæ cæcitatis ignorantia redimendum est tempus multis largitionibus, placandus est Dominus nostris oblationibus, et sancti ejus conciliandi sunt nobis devotis donationibus : quippe quoniam, etsi sæpius beneficia sæcularibus impensa negotiis digna minimis vicissi- C tudine defraudantur, nullus pro certo est qui dubitet, quod ea quæ superno intuitu peraguntur, æternæ vitæ remuneratione rependantur ; etiam et apud sæculum imperatoria religio elatis laudibus nullatenus deficit, cum Dei Ecclesia augmentationibus pro Christi amore novorum operum ac donis uberrimis proficit. Idcirco notum esse volumus omnibus sanctæ Ecclesiæ Dei fidelibus ac nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia vir venerabilis Hilduinus abbas religiosus monasterii sancti apostolorum Principis, excellentissimorumque Christi martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii specialium protectorum nostrorum, ecclesiam ante pedes eorumdem beatissimorum martyrum, ad laudem Dei ac Domini et Redemptoris nostri Jesu Chri- D sti, in honore sanctæ et inviolatæ semper Virginis cœli totiusque mundi reginæ, gloriosissimæ genitricis ejusdem Domini omnipotentis Mariæ, ac sancti Præcursoris Christi, atque sanctorum Apostolorum, Martyrum quoque et Confessorum, Virginum, omniumque Domini electorum divino respectu et supernorum civium veneratione pro nostra, conjugis, etiam prolis, ac salute sua perpetua ædificavit ; in qua auxiliante Domino suoque laudabili studio laborante permulta et pretiosissima sanctorum pignora collocavit, ad quam ecclesiam gratia Salvatoris nostri inspirante plenissima deliberatione partem villæ quæ Mintriacus dicitur, sicut Fredebaldus quondam eam per nostrum beneficium habuit, sive in eadem ipsa villa, seu alicubi ad jam dictam portionem quæque pertinentia fuerint, tam mancipia quam cuncta quæ eidem attinere legitime dignosci valuerint, cum omni integritate per hoc augustæ auctoritatis nostræ præceptum Jesu Christo triumphatori nostro atque genitrici ipsius Domini Dei æterni, sancto denique Petro clavigeri ac sanctis pretiosissimisque Christi martyribus Dionysio, Rustico et Eleutherio, nec non omnibus sanctis Dei, quorum in eodem sacratissimo templo patrocinia tenentur cum honore recondita, pro præsenti et perpetua nostra salute, conjugis atque prolis, sive imperii statu tradidi præsentaliter in possessionem æternam, excepto ea quæ ad præfatam domum reverendissimam de rebus ipsius matris Ecclesiæ una cum privilegio jam dicti venerabilis viri Hilduini nostris oraculis confirmare studuimus : qualiter ex ista proprietatis nostræ datione et rebus, ut prædiximus, confirmatis secundum ordinationem quam idem vir Domini consensu nostro in sua confirmatione disposuerat, pleniter videatur adimpleri, ad luminaria scilicet exinde ibi providenda, et ornatum in ea congruum et dignum procurandum, vel quidquid in reparatione et emendatione sui necessarium fuerit peragendum ; et ut in festivitatibus, Purificatione videlicet sanctæ Mariæ, ac die martyrii beatissimorum Petri et Pauli, et pro honore omnium Apostolorum et solemnitate gloriosissimi Christi martyris Sebastiani, atque in anniversario nostro, et dilectæ conjugis nostræ Judith, quando hoc Deus voluerit, ex jam dictis rebus monachi ipsius sancti cœnobii in amore Dei omnipotentis et honore sanctorum ac nostra memoria refectionem habeant, semotis solatiis charitatis, quæ de rebus Ecclesiæ in solemnitatibus deputatis ad hoc nostra auctoritate confirmatis habebunt. Et in iisdem diebus juxta possibilitatem ex his pauperum refectio fiat : quatenus sicuti pro prædecessoribus nostris regibus fratres illius congregationis privatorum beneficiorum commoditate speciales orationes more laudabili et quotidiano celebrare sunt soliti, sic pro hac nostra speciali benedictione, dum in corpore vivimus, salutem, et post obitum æternam nobis benedictionem precibus satagant impetrare. Decernimus etiam per potestatem Regis regum, qui nobis quantam voluit potestatem misericorditer contulit, in cujus manu corda sunt regum, per interminationem et obtestationem ejus futuri judicii, nulli licere successorum nostrorum aut monasterii ipsius rectorum, vel alii cuilibet magnæ vel parvæ personæ, hæc quæ a nobis pia intentione tradita decreta et promulgata sunt, in quoquam convellere, aut res ipsas in beneficium dare, vel ubi et ubi distrahere, sive pensiones aut exenia vel exactiones, redditus quoque seu functiones earum in suos suorumque usus, nec non quocunque ingenio, calliditate vel arte aliqua atque occasione in quamlibet aliam partem, nisi, ut præfati sumus, in utilitate ipsius sanctæ Ecclesiæ

et eleemosynæ nostræ augmento dispendere, et sicut A sæpe scripti fidelis nostri obsequio rationabili provideri annuimus: sed sub speciali custodia, qui fidelis, religiosus, et regularis eidem divino domicilio semper abbatis et fratrum electione deputabitur, dispensatione et ordinatione hæc donatio nostra solerti sollicitudine procurata pro destinatis et debitis æternæ retributionis obtentu fideliter conferatur. Successores nihilominus nostros obnixe deposcimus, ut sicuti ea quæ ipsi pro sua salute statuerint, a suis decessoribus voluerint observari, ita hanc constitutionem nostram, quam pro prosperitate nostra, conjugis, et prolis, et statu imperii confirmamus, firma stabilitate inconvulsam manere, et fine tenus perpetuis temporibus inviolatam conservare procurent. Ut vero pleniorem obtineat firmitatis vigorem, eam B manu nostra subter firmavimus, et de annulo nostro sigillare jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris notarius ad vicem Theotonis recognovi et subscripsi.

Data decimo tertio Kalendas Februarii, anno, Christo propitio, decimo nono imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 11. Actum Vern palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXXVIII.

### PRO SENONENSI S. COLUMBÆ MONASTERIO.

(*Anno* 833.)

[Ex autographo, apud D. Bouquet., tom. VI.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu C Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, dignæ retributionis præmio nos a Domino remunerari fideliter credimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum solertia, quia vir venerabilis Sulpicius abbas monasterii S. Columbæ martyris Christi, in quo ipsius et S. Lupi confessoris Christi corpora humata venerantur, detulit obtutibus nostris quamdam auctoritatem immunitatis domni et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ piissimi Augusti, in qua erat insertum qualiter idem ipse et antecessores ejus, reges videlicet Francorum, prædictum monasterium, ob amo- D rem Dei tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium, sub plenissima tuitione et immunitatis defensione habuissent. Continebatur etiam in eadem auctoritate quod Lotharius et Dagobertus quondam reges eidem monasterio quasdam villas concessissent, quarum vocabula sunt, Cersiacus et Grandis-Campus: easdemque villas vel quidquid eo tempore juste et rationabiliter prædictum possidebat monasterium, idem domnus imperator per eamdem confirmavit auctoritatem, ut suo et successorum temporibus jure perpetuo a prælatis et agentibus ipsius monasterii possiderentur. Ob firmitatem tamen rei postulavit nos prædictus Sulpicius abbas ut paternam auctoritatem, propter reverentiam memoratorum sanctorum, et æternæ retributionis fructum, nostra confirmaremus auctoritate. Cujus petitioni libenter annuentes, postulata concessimus, et ea per hanc nostram auctoritatem confirmamus. Quapropter præcipientes jubemus ut nullus judex publicus, vel alia qualibet judiciariæ potestatis prædita persona, in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii, quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii nostri juste et legaliter possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas judiciario more audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos quam et servos, super terram ipsius commanentes injuste distringendos, aut, sicut in prædicta auctoritate domni imperatoris continetur, consuetudinarios distringendos, aut teloneum tollendum, aut ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato abbati suisque successoribus res prædicti monasterii sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere. Et quidquid exinde fiscus sperare poterit, totum nos pro æterna remuneratione præfato monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum et stipendia monachorum ibidem Deo famulantium perenniter proficiat in augmentis. De villis vero superius nominatis, vel de omnibus rebus præsenti tempore juste possessis, sic in ditione ipsius monasterii perpetuo permaneant, sicut in auctoritate domni et genitoris nostri vel prædecessorum regum continetur: quatenus ipsos monachos, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis et conjuge proleque nostra, atque stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi, ejusque clementissima miseratione per immensum conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur, et diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Maginarius notarius ad vicem Theotonis recognovit.

Data IV Idus Junii, anno, Christo propitio, 20 imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris, indictione 11. Actum Wormatia civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXXIX.

### PRO MONASTERIO CORBEIÆ NOVÆ.

(*Anno* 833.)

[Apud Schaten, *Annales Paderbornenses*, p. 91.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque fideli-

bus, præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus quomodo Corbeiense monasterium in Saxonia, propitiante Domino, cum consensu fidelium nostrorum, in honore S. Stephani protomartyris Christi devotissima intentione fundavimus, et ibi competentia subsidia, quæque præ manibus invenimus, debita largitate prædicto sanctificationis loco nostra in eleemosyna contulimus: insuper etiam, quia locum mercationis ipsa regio indigebat, monetam nostræ auctoritatis publicam ultra ibi semper inesse Christo militantibus proficuam statuimus, quatenus cum omni integritate, absque ullius contradictione vel impedimenti occasione, locus ipse sanctitatis omnem inde reditum nostræ auctoritatis publicum possideat, et utilitatibus monasterii perpetuis temporibus multiplicatum nostrum hoc largitionis donum proficiat. Et ut fiduciali perpetuitate hæc omnia auctoritatis nostræ dona sibi potiatur et teneat, annuli nostri impressione subter roborando firmare decrevimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Theogonis recognovi et subscripsi.

Data Kalend. Junii, anno, Christo propitio, 20 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indict. 11. Actum Wormatia civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXXX.

PRO EODEM MONASTERIO.

(*Anno* 831.)

[Apud Schaten, *ibid.*, p. 92.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis a Deo nobis collatis locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis et ad nostram mortalem vitam feliciter transigendam, et ad æternam perpetualiter obtinendam, profuturum liquido credimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum, tam et præsentium quam et futurorum, solertiæ, quia cum nos monasterium in Saxonia propitiante Domino cum consensu fidelium nostrorum in honore S. Stephani protomartyris Christi devotissima intentione fundatum habuissemus, nomenque Novæ Corbeiæ aptassemus, atque ibi competentia subsidia quæque præ manibus inveneramus debita largitate prædicto sanctificationis loco in nostra eleemosyna contulissemus, Warinus quem in eodem monasterio abbatem præfecimus, suggerendo petiit celsitudini nostræ, ut in memorato ducatu Saxoniæ locum provideremus ubi sal fieri ad cibos monachorum in eodem monasterio per tempora degentium saliendos atque condiendos potuisset; quod et per hoc nostræ auctoritatis præceptum in ducatu Budinisvelt, quantumcunque juris nostri in illo sale, quod est super fluvium [*Al. ms. vetus:* nostri in illo et fonte qui est super fluvium] Wisera, erat in pago Logi. Per quod statuentes decernimus ut sub jure istius monasterii, quantumcunque in eodem sale habere visi sumus, perpetuo consistat, sicut diximus, ad necessitates servorum Dei in memorato monasterio degentium fulciendas. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas firmior habeatur, de annulo nostro subter eam jussimus sigillare.

Maginarius notarius ad vicem Theogonis recognovi.

Data VI Idus Junii [*Al. ms. vetus*, VI Kal. Junii], anno, Christo propitio, 20 imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris, indict. 11, in Dei nomine. Amen.

## CLXXXI.

CŒNOBIUM GLANNAFOLIENSE FOSSATENSI SUBJICITUR.

(*Anno* 833.)

[Baluz., *Capitul.*, tom. II, pag. 1436, ex chartulario monasterii Fossatensis.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Noverit ergo omnium fidelium tam præsentium scilicet quam futurorum solertia quod venerabilis comes Rorigo nomine retulit serenitati nostræ qualiter quoddam cœnobium in pago Andegavo in loco qui dicitur Glannafolium, situm super fluvium Ligerim, quo venerabile corpus sancti Mauri, patris Benedicti discipuli, jacet humatum, ubi olim ipse Deo dilectus tum sibi subjectis multis fratribus sub sancta Regula deguit, destructum inveniens, admonitione divina commotus, ob redemptionem suæ animæ, eumdem locum cum sua conjuge Bilehilde assumpto labore restaurare et ad pristinum statum pro posse restituere curaret. Postmodum vero venerabilem abbatem Engilbertum cœnobii Fossatensis evocavit, eidemque et sibi subjectis fratribus commisit ut religio regularis de divinis, sicut dudum, perpetuo conservaretur. His ergo ita nobis patefactis, exhortatus est magnitudinis nostræ excellentiam ut ipsum locum sub nostra suscipere dignaremur defensione et immunitatis tuitione, et quemadmodum cæteri abbates monachorum per imperium nobis divinitus concessum consistunt, ita et illum cum abbate et monachis et rebus vel hominibus eidem monasterio juste subjectis consistere faceremus, et per nostros imperiales apices abbati jamdicto Fossatensis cœnobii cunctisque ejus successoribus providentiam et dominationem atque subjectionem, ne a regularis ordinis tramite amplius decidat, habere concederemus. Cujus petitionem, quia rationabilem imo Deo amabilem esse cognovimus, libenter suscepimus, et sicut petiit, ita et concessimus. Volumus ergo ut prædictus abbas sive rectores supradicti monasterii atque fratres Deo devoti ipsius loci ipsum locum, de quo ratio agitur, videlicet Glanna, perpetuo habeant, teneant atque possideant et gubernent, magnamque providentiam semper de eodem loco habeant, instantiam suæ sollicitu-

dinis tam loco quam congregationi vigilanti curam omnibus adhibeant. Tales quoque ibidem præponant provisores atque rectores, magistros et præpositos, quorum nutu atque dispositione cuncta secundum Dei voluntatem atque secundum regulam sancti Benedicti interius et exterius perficiantur, et ad modum et similitudinem Fossatensis monasterii Christo Deo devote famulentur, et in omnibus eam sectentur formam ut cunctis peculiaribus postpositis juxta traditionem apostolicam cuncta possideant communia, ut sibi salutem mereantur perpetuam acquirere, atque semper dominationi, gubernationi et potestati unius abbatis subjiciantur ac obedientes existant. Et quoniam in jam dicto loco Fossatensi nemo mortalium, absque eis qui ibi in Christo militant, nullam consuetudinem aut redhibitionem requirere nisi injuste valet, in simili ratione eumdem locum commandamus persistere. Cuncta autem quæ nunc habere noscuntur, vel deinceps justo acquirere poterint, sub nostra defensione et immunitatis tuitione persistant. Et jubemus atque modis omnibus decernimus ut nullus nobis successor, non rex, non episcopus, non archidiaconus, non comes, non judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, quidquid ex his quæ ipsius loci sunt vel fuerint in sua dominatione redigere præsumat, nec in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas moderno tempore juste et rationabiliter possidere videtur in quibuslibet pagis et territoriis, quidquid ibidem propter divinum amorem collatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius loci tam ingenuos quam et servos, qui super terram ipsius residere videntur, injuste distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Quidquid autem de rebus præfati monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione ipsi loco concedimus, ut perennis temporibus in alimoniam pauperum et stipendium monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum, et semper habeat defensionis nostræ regalis libertatem absque militari servitio, a quo eumdem locum absolvimus per omnia. Et quandoquidem divina vocatione supradictus abbas Engilbertus vel successores ejus ab hac luce migraverint, ille qui substitutus fuerit ei eamdem potestatem et dominationem possideat quam et prædecessor suus, dum vixit, habuit. Præcipientes ergo auctoritamus atque confirmamus ut nullus judex, non imperator, non rex, non episcopus, non comes, aut judiciaria potestas hoc nostræ excellentiæ præceptum audeat violare; sed, hac visa auctoritate, sicut sua voluerit acta esse firma et stabilia, ita et hoc nostrum sinant factum manere inviolatum; ita videlicet ut sub hac ratione duæ conscribantur membranæ uno tenore, ut una sub theca sancti Mauri habeatur, et altera a prædicto abbate Engilberto in Fossatensi cœnobio conservetur. Si quis autem insanus et Deo contrarius fuerit, qui hoc nostræ auctoritatis præceptum violare præsumpserit, a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ expulsus, et ab omnibus episcopis totius Galliæ excommunicatus, a cœtu Christi fidelium sit segregatus, et cum Caipha et Pilato, Juda quoque traditore Domini, pœnas æternas sustineat, atque cum principe dæmoniorum sedem gehennalem, cum a corpore ejus anima exierit, sibi paratam inveniat. Ut ergo hæc auctoritas obtineat firmitatem per sæcula industria [*Forte*, inconvulsam] hujusmodi manu firmantes propria, eam annulo nostro jussimus sigillari.

Signum Ludovici imperatoris.

Glorius notarius ad vicem Hugonis recognovit.

Data VIII Kal. Septembr., anno, Christo propitio, imperii domini Ludovici serenissimi imperatoris 20, indictione 11. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXXXII.

### LOTHARII PRÆCEPTUM PRO ECCLESIA ARETINA.

(*Anno* 833.)

[Ughelli, *Italia sacra*, tom. I, pag. 413.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Lotharius, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Quidquid divini amoris ductu locis conferimus Deo devotis, id veris et æternis munificentiis respondendo minime dubitavimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia nos ad precationem Petri ven. Aretinensis Ecclesiæ episcopi, concessimus ad ecclesiam S. Donati, ubi ipse in corpore requiescit, et sedes episcopi esse dignoscitur, pro emolumento animæ nostræ, quamdam ecclesiam in honorem S. Petri constitutam, cum omnibus pertinentiis et adhærentiis suis, sitam in loco qui dicitur Castellus in territorio Aretinense : eam videlicet, quam pridem avunculo nostro Pippino glorioso regi, Barbatianus quondam presbyter, ex sua proprietate contulerat ad habendam, et præsenti tempore Aliprandus presbyter sub annalem redditionem, et nostra munificentia habere dignoscitur, sed pro firmitatis gratia, ad eumdem sanctum et vener. locum, hanc nostra auctoritate fieri jussimus, ut nullus quilibet vel quælibet publica persona, præfatæ eccl. vel rectoribus ejus, ullo unquam tempore, de præfata ecclesia, cum omni pertinentia, vel adhærentiis suis, ac pertinentiis, quamlibet præsumat inferre molestiam, aut controversiam, sed quiete et secure liceat eamdem ecclesiam, cum omnibus suis pertinentiis et adhærentiis, rectoribus ejusdem possidere, atque secundum illius loci utilitatem, prout libuerit, regere atque disponere. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subter scripsimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Lotharii imperatoris invictissimi Augusti. Protomus subdiaconus atque notarius scripsi.

Data II Nonas Octobris, anno, Christi propitio, 833, imperii D. Lotharii imperatoris 13, indict. 4, apud.... In Dei nomine feliciter.

## CLXXXIII.

### PRO EPISCOPO ARETINO.

(*Anno* 833.)

*Acta controversiæ inter Petrum episcopum Aretinum et Vigilium abbatem monasterii S. Anthemii pro monasterio S. Petri de Axo, coram Agiprando Florentino aliisque episcopis et missis Lotharii I imperatoris, cum sententia pro episcopo Aretino.*

[Apud Muratori, *Antiquit. Italic.* tom. V, p. 923.]

In Dei nomine per excellentissimo donno et piissimi et a Deo coronato Hlotario Augusto magno imperatore, directi fuissemus nos Agiprandus [a] sanctæ B Florentine Ecclesie episcopus, seo Petrus sancte Voloterrensis Ecclesie episcopus, pro causa beati Donati Aretine Ecclesie, et Petroni episcopi ejusdem ecclesie, inquirendum inter ipsum Petronem episcopum, nec non et Vigilius abbas ex monasterio sancti Antemi territorio Clusino. Et dum conjunxissemus Sena civitate, et resederemus nos in judicio Domni Sena et Ecclesia, una cum venerabilis Anastasius episcopus ejusdem civitati, seo Adelricus comes...... Walchari et..... scavinus predicte civitatis, atque Dato, Cristiano, Alexandro, Odelfrido scavinis Aretine civitatis, simulque Ringo, Rodolfo scavinis Vulterrunensis : hubi et nobiscum aderant Wilerus, et Anserum de Sena, Anseprand, Camarino, vassi C domni imperatoris, Ansiprand et Theudici germanis, Perisindo, et Lundifredi germanis, Angelo, Franciconus, Al..... cives Aritini, Guiprandus, vel reliquos plures homines habiles tam Franciscos quam et Langobardicos de singulis predicte civitatibus. Ibique ante nos omnes veniens Petronem episcopum Aretine Ecclesie una cum Wileriud, et Agimundo filio bone memorie Tachiprandi de Sena, seo Agimundo filio bone memorie Ariprandi de Aritio, advocati sui, causationem habentes contra predictum Vigilius abbas ex monasterio sancti Antemi, sito Valle St..... terretorio Clusino; seo Furvo..... Senense, et Urso de Clusio, advocati predicti monasterii et abbati : ceperunt his ipsi Willeriud et Agimundo dicere contra predicti advocati sancti Antemi : « Parte monasterii D sancti Antemi..... abbati, contra lege et malo hordine invaserunt, et detinuerunt monasterio sancti Petri de Axso cum pertinentia sua . unde querimus, ut inter nos exinde judicium detis, et justitiam fieri faciatis ad parte sancti Donati, quia legibus sancti Donati pertinuit. » Ad contra responderunt ipse Vi- A gilius abbas una cum Furvo, et Urso advocatis suos : « Veritas est, quia habemus et tenemus predicto monasterio sancti Petri de Axso cum pertinentia sua, sed non contra lege, nec malo hordine, pro eo quod ecce preceptum sancte recordationis domni Caroli regi pre manibus habemus, qualiter pro sua mercis per locas designatas concessit Cugio illo, qui vocatur Ciciliano, ad parte sancti Antemi, et infra ipsas locas designatas ipso monasterio est constructum. » Et dum nobis suprascripti missi ipso precepto relegi fecissemus..... in eum, qualiter domnus Carolus rex concesserat suprascripto Cugio ad parte sancti Antemi, per locas denominative designatas, et infra locas designatas quodquod concesserat denominatim concesserat. Sed minime ibidem continebat B de supradicto monasterio sancti Petri ad Axso, quod eum concessisset, sicut et reliquas, quod in eodem legebatur precepto. Et dum preceptum ipsum relectum fuisset, tunc ipse Wileriud et Agimundo advocati dixerunt. « Certe precepto isto nec nobis, necque ad parte sancti Donati nulla impedit, quia quod concessit, nominative concessit. Et si tunc ipso monasterio domnus Carolus rex concedere voluisset, nominative eum concessisset, sicuti et reliquas res et causas concessit. » Dictum est hoc. Tunc nos suprascripti missi et judices interrogavimus ipso Vigilio abbas, et suprascripto Advocato ejus, et dixerunt : « ...... eorum ecce postquam precepto isto ad ista ratio nulla inpedit....... tione, pro qua ratio aut ad parte sancti Antemi teneat, aut istius abbati. » Tunc ipse abbas interrogatus dixit : « Certe domnus Carolus rex eum concessit in beneficio per suum preceptum Tanimundi quondam abbati, simulque et bone memorie Apollenaris abbati. Deinde eum postmodum mihi concessit in beneficio domnus Hludowichus, et Hlotarius imperatores nec non pro parte sancti Antemi. » Et dum taliter dixisset, interrogavimus eum, se precepta ipsorum imperatorum fuisset aut in successores eorum aut in parte sancti Antemi; et « certe minime in successores eorum fuerunt...... nisi solus in ambobus eorum personis, et mihi solus per beneficio est concessum, et nullum alio precepto exinde non habeo..... de ipso Cugio. »

Hoc dicto et refutato, tunc ipse Petrus episcopus sepe dicte Ecclesiæ ostendit indiculum piissimi domni Hlotharii imperatoris. Qui dum nobis relectum fuisset, continebat in ea, qualiter ipse domnus Augusto nobis Agiprandi et Petroni episcopi injunxerat adque innotuerat, quod Petrus episcopus de Aritio eidem innotuerat, qualiter Vigilius abbas, quando cellulam, quæ est constructa in onore sancti Petri

[a] Ughellius ad hæc tempora episcopum Florentinum profert Aliprandum, sive Rambaldum. Germanum nomen illius ex ista charta ediscimus, videlicet Agiprandum. Præterea Anastasius Senensis episcopus, eidem Ughellio ignotus, adjungendus erit in posterum catalogo præsulum illius urbis, et fortassis inde expungendus erit Thomas, ad annum 830 episcopus ei civitati datus. Itaque, ut vidimus, controversia illa, quanquam inter duas ecclesiasticas personas agitata, judices habuit missos sive legatos Lotharii I Augusti. Neque enim reponas, ambos eos judices episcopali dignitate ornatos; judicium enim illud non propria, sed delegata ipsius Lotharii imperatoris auctoritate ii instituerunt, et sententiam tulerunt. Id quippe aperte constat ex sæpe repetita formula illa : *juxta jussionem et indiculum domni imperatoris.*

super fluvi Axso, pertineret ad suum episcopatum, et ob nullam aliam occasionem eum teneret, nisi quod Apollenaris abba per beneficium regule habuisset. Ita ec fatentes ipse jam dictus episcopus, precepta et monimina se dixisset habere, pro quibus nobis per eundem indiculum precepit, ut eos pariter simulque cum eorum advocatis venire fecissemus, et subtiliter investigassemus; si Vigilius abbas inde aliquam poterat hostendere firmitatem, per qua ad monasterium sibi commissum pertineret : sin autem hoc non invenissemus, et se beneficii auctoritate reclamasset, tunc suum decretum et voluntas jussioni, ut jam dicta monimina de ipso Petrone episcopo nobis presentare fecissemus. Et si invenissemus quod ad predictum episcopatum pertinuisset, tunc absque aliqua dilatatione eum revestire fecissemus cum omnia ad jam dicta cellulam aspicientem sicuti et fecimus nobis ipse monimina hostendere. Tunc ipse Petrus episcopus una cum predictis advocatis suis ostendit precepta et monimina. Primo judicato ostenso et relecto continebatur qualiter tempore Liudprandi regis Luparcianus episcopus ante misso ipsius Liudprandi regi adviquerat da Deodato episcopus monasterio sancti Petri ad Axso ad parte sancti Donati cum reliquas parrochias ecclesias baptismalis, sicut in ipso judicato legetur. Post hoc hostendit preceptum predicti Liudprandi regi, quod cum relectum fuisset, continebatur quod ipso judicato de ipso monasterio et parrochias confirmaverat per suum preceptum ad parte Aritine Ecclesiæ. Alium quidem ostendit judicato, qui significante declarabat qualiter jam dictum Liudprandi rex direxserat quattuor episcopos missos suos, pro predicta causa et monasterio atque parrochias determinandum; in eorum presentia et per eorum judicio ipse Luparcianus episcopus conviquerat da parte Senensis Ecclesie ad parte sue Aretine Ecclesie predicto monasterio sancti Petri ad Axso cum reliquas parrochias, sicut in ipso legebatur judicato : ita et per preceptum simili modo ipse Liudprando rex ipsum judicatum et monasterium cum ipse parrochias confirmaverat ad parte Aritine Ecclesie. Idcirco et ostendit brevilegium bone memorie Stefani pape urbis Rome, qualiter ad petitione Stavili quondam episcopi Aritine Ecclesie per suum preceptum brevilegium confirmaverat ad partem Aritine Ecclesie tam prædictas judicatas de tempore Liutprandi regis, quam et prædictas preceptora ejusdem Liudprandi regi, sive de jam memorato monasterio sancti Petri ad Axso, quam et de predictas parrochias, sicut in ipsas continebatur judicatas et preceptoras. Quamobrem et ostendit brevilegium quod Leoni pape, qualiter et ipse per suum brevilegium et preceptum per petitionem quod Arcperti sancte Aretine Ecclesie, et per consenso domni et piissimi Caroli imperatoris in suum sinodum pacificum, inter quod Andrea sancte Senensis Ecclesie episcopus, et ipsum Arepertum Aretine Ecclesie episcopum, et per suum *confirma*verat preceptum ad parte Aretine Ecclesie tam predictas parrochias, quam et supradicto monasterio sancti Petri ad Axso, sicut in ipsas continebatur judicatas et preceptora a tempore Langobardorum emissas ad jam memorato Liudprando rex. Denique et ipse piissimus sancte et gloriose memorie domnus Carolus rex per suum preceptum confirmavit ipso precepto quod Leoni pape, et omnia, sicut superius adnotatum est, ad parte Aretine ecclesie, sicut.... dictas judicatas, preceptora, et brevilegia continetur...... memoratas parrochias et monasterio, sicut a priscis temporibus convicte.... Ecclesie. Ideoque et ostendit nobis preceptum domni Hludovici imperatoris Augusti, qualiter et ipse per suum preceptum confirmaverat tam ipsum preceptum gloriose memorie Caroli genitore suo, quam et ipsum Leoni quondam pape, sicut et reliquas judicatas et preceptoras sepe memoratas...... ad parte Aretine Ecclesie, sive de parrochias quam et predicto monasterio cum reliquas monasterias, sicut ad priscis temporibus convictas, adque possessas fuerunt.

Judicatas et preceptoras ostensas et relectas, sicut ab ordine superius declaravimus, tunc nos suprascripti missi et episcopi interrogavimus ipso Vigilius abbas, et Furvo, et Urso advocati ejusdem, ut si aberent aut preceptum vel judicatum aut testem, vel qualibed factionem, quod ipse monasterio sancti Petri pertineret ad parte sancti Antemi, ita ostendere. Qui et ipsi partem una cum ipso Abbate refutaverunt et dixserunt : « Certe nec judicato nec precepto, nec nulla factionem, necque per nulla rationem non habemus, per quos ipso monasterio sancti Petri vel rebus ad eum pertinentibus contendamus, aut ad parte sancti Antemi defendere possumus, nisi ut prius dixsimus, quod per beneficio domni Hludovici et Hlottarii imperatorum eum habuimus. » Et cum taliter refutassent, diximus nos suprascripti missi ipsius abbati : « Certe per ista ratio eum tenere amplius non valebis, quia domnus imperator nobis per jam dicto indiculum precepit, ut si tu firmitatem talem non ostendissit, quod ad parte monasterii tibi commissum pertenuisset, et nos per ipsas monimina istius Petroni episcopi invenissemus, quod ad episcopatum Aretine Ecclesie pertinuisset, absque ulla dilatione revestiri fecissemus. Post hoc dictum, ideoque et pro satisfactione diligenter investigassemus lege pro dictis causis ipsius abbati quod dicebam, quod post preceptora ipse parte sancti Donati et Aretine Ecclesie vestitura de ipso monasterio non fuisset. » Tunc nos suprascripti missi fecimus venire veraces, quas ipse Petrus episcopus nobis denominavit. Ita et ipsi laici omnes ad Dei Evangelia...... profecimus...... interrogassemus de ipsa vestitura, et illi scirent, nobis certum dicerent veritatem. Ita et ipsi sacerdotes conjuravimus eos in suum sacerdotium et fidelitatem, quas ad parte domni imperatoris juratum habebant, ut quid vera exinde scirent, veritatem ut et ipsi declararent de predicta vestitura. Qui et in primis omnium veniens Gumprandus archidiaconus Aretine Ecclesie, interrogatus a nobis

dixsit : « Bene scio et recordo, et ibidem fui, quando A Anghelbertus misso domni Caroli regi revestivit Aripertum episcopum de monasterio sancti Petri sito Axso post confirmatione domni Leoni pape. Ita tempore preceptum hemissum ejusdem domni Caroli regi, et ipse Aripertus episcopus hordinavi in ipso monasterio abbates nomine Augustino, Arnicauso, Johannis, Landoari. » Arcipresbiteri similiter dixserunt Vanipert, Lucius senes homo, Romaldus, Lampertus omnes unanimiter una singulatim similiter testificati sunt, et dixserunt, sicut et Gumprandus arcidiaconus superius dixsit. Testimonias inquisitas et judicatas, adque preceptoras relectas, et omnia ab ordine, qualiter superius declaravimus, et per veram legem inquisita, et cognoscentem dum per veram legem invenissemus ita, et juxta jussione et B indiculum piissimi domni imperatoris, quod ipse monasterio sancti Petri ad Axso, cum rebus ad eum pertinentibus pertineret a parte Aretine Ecclesie, juxta ipsum indiculum et jussio domni imperatoris, fecimus nos ipsi missi ad...... revestire ipsi advocati Petronem, Willeradum, et Agimundo de ipso monasterio sancti Petri cum pertinentia sua ad parte Aretine Ecclesie. Proinde hanc notitiam fieri fecimus........

......... domnorum nostrorum Hludovici et Hlottarii imperatorum vigesimo et quartodecimo, mense Octobris, indictione duodecima.

✠ Ego Agiprandus episcopus ex jussione domni imperatoris hanc inquisitio feci et interfui.

C

✠ Ego Petrus episcopus ex jussione domni imperatoris hanc inquisitio feci et subscripsi.

✠ Ego Anastasius episcopus ibi fui.

✠ Ego Adelrat comes ibi fui.

✠ Ego Ansprandus vassus domni imperatoris ibidem fui.

✠ Ego Camarino vassù domni imperatoris ibi fui.

✠ Ego Ringo ibi fui.

✠ Ego Perircndo ibi fui.

✠ Ego Gundifridi ibi fui.

✠ Ego Alipran.lus ibi fui.

✠ Ego Urso scavino et vasso domni imperatoris ibi fui.

✠ Ego ...... scavino......

✠ Ego Tato scavino ibi fui.

✠ Ego ...... vassus domni imperatori interfui.

✠ Ego Rodulpho ibi fui.

## CLXXXIV.

### PRO MONASTERIO VERONENSI S. ZENONIS.

(*Anno* 823.)

*Contra occupatores jurium ejusdem.*

[Muratori, *ibid.*, tom I, pag. 459.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Lotharius Augustus invictissimi domni imperatoris Ludovici filius.

Quidquid enim in nostra vel procerum nostrorum præsentia recto tramite secundum legem diffinitum fuerit, oportet nostris confirmare oraculis, ut jure firmissimo maneat inconvulsum. Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum sagacitati, quia cum missi nostri in Piscaria ad universorum causas audiendas ac recta judicia terminanda resedissent, ibique veniens Leo abbas, et advocatus Sancti Zenonis Garibaldus nomine, unde idem Leo per ordinatione Rataldi venerabilis episcopi esse videbatur, interpellaverunt Ragileusum et Ragimpertum advocatos Goradi comitis, dicentes, quod ᵃ pars præfati Goradi silvam quæ

ᵃ Hic dicitur *pars Goradi comitis* silvam illam occupasse illicite, et contra legem. Erant comitibus allodia, sed erant et sua jura, ac stati reditus ex officio comitatus cujuscunque urbis, diversi a tributis ac reditibus regio fisco debitis. Incertum est num is inter allodia sua numeraret, an potius ad jus sui muneris spectare silvam illam Goradus comes contenderet. Prodit autem charta ista, insigne monasterium sancti Zenonis in *Commendam*, ut nunc aiunt, fuisse concessum Rataldo episcopo Veronensi, pro more illorum temporum, a Lothario I Augusto; D et cum satis aperte hinc deduci possit, ipsum Rataldum tunc in vivis fuisse, proinde emendanda videtur chronologia episcoporum Veronensium apud Ughellium tomo V Italiæ Sacræ. Ille enim statuere videtur Rataldi mortem, quem *Rotaldum* is appellat, circiter annum 820, cui successisse ait Audonem episcopum. Tum refert postremas tabulas ejusdem Audonis anno 830; *scriptas, imperante Ludovico Pio;* atque ad annum 840 alterum Rotaldum in catalogum Veronensium antistitum infert. Verum ex diplomate nunc producto constare potest Radaldum episcopum adhuc floruisse anno 835. Neque ullus Rataldus secundus excogitandus erat, cum unus ante Audonem Veronensem Ecclesiam rexerit, uti Panvinius egregie animadverterat. Fallitur autem Ughellius, testamentum Audonis referens ad tempora Ludovici Pii, cum scriptum fuerit *imperante Domino nostro Ludovico magno imperatore, anno* 11 *sub die* 15 *Augusti, indictione* 8, atque adeo illud spectet ad tempora Ludovici II imperatoris, scilicet ad annum 860, ut propterea videas, post Rataldum præfuisse Veronensi Ecclesiæ Aginum, qui Anastasio Bibliothecario teste anno 844, Romæ interfuit, cum in regem Italiæ inunctus est idem Ludovicus II, Lotharii I filius, postea imperator. Post Aginum vero statuendus est Audo episcopus. Et cum in diplomate per eumdem Ughellium evulgato, ubi *Audo quondam Veronensis episcopus* nominatur, revera legatur *Ludovicus mundi imperator Augustus*, diploma illud suppositionis arguere unicuique fas est : sed fortassis aliter se charta habeat, et germanum sit illud monumentum, quod emiserit Ludovicus II Augustus post Audonis mortem. Ad rem nostram regrediamur. Sylva Ostilia amplissimus ager fuit, neque integra ad monasterium Veronense Sancti Zenonis pertinebat, cum Nonantulanum Mutinense monasterium ibi quoque suam portionem possideret. Testes habeo alias tabulas, quas e Ferrariensibus pergamenis hausit singularis amicus meus, alibi laudatus, Joseph Antenor Scalabrinius Rector ecclesiæ Ferrariensis Sanctæ Mariæ de Bucca. Ex iis intelligimus, ob istam quoque portionem ab *Hucpoldo comite Veronensi* molestiam illatam fuisse monachis Nonantulanis anno 820. Verum Rataldus idem Veronensis episcopus, auctoritate a Ludovico Pio Augusto accepta, uti ejusdem missus, comitem ad placitum adduxit, eumque silere jussit. Egregium est monumentum, cum præsenti adnexum fortasse seriem aliquot comitum Veronensium nobis exhibeat, ac præterea Andream Vicentinum Episcopum, ab Ughellio in Italia Sacra prætermissum, vitæ nominis restituat. (*Vide diploma* 114, *supra.*)

dicitur Hostilia, et pascua, pertinentia ex jure Sancti Zenonis suo jure occupasset illicite et contra legem. Quam rem dum præfati missi nostri per se minime diffinire potuissent, in nostram hoc pleniter deliberanda jussimus venire præsentiam. Qua de re dum diligenti adhibita investigatione rei veritatem perquireremus. . . . . . . prædictus abbas obtutibus nostris præcepta antiquorum regum, nec non et bonæ memoriæ avi nostri domni Caroli præstantissimi imperatoris, verum etiam et avunculi nostri Pippini quondam gloriosi regis, domnique et genitoris nostri Ludovici serenissimi Augusti. Quæ dum relegi fecissemus, comperimus juste et rationabiliter parti monasterii sancti Zenonis in omnibus pascuarum et capuli seu decimæ, et omnem exactionem pertinere absque qualibet in parte aliquid redhibitionis debitum salvo suo jure in integrum territorio, ubi Hostilia nuncupatur, cujus fines sunt a Pado usque in Caput Turnioni, et a Fossa Lubia usque ad Fossam Regiam et Pollicinem juxta Castrum Reveri. Ideoque ad præfatum sanctum ac venerabilem hos nostræ auctoritatis apices fieri jussimus, per quos absque qualibet inquietudine ab hinc in futurum nostra auctoritate teneat, justeque fruendo possideat. Insuper retulit nobis Rataldus episcopus, cui præfatum monasterium nostra auctoritate ad regendum commissum erat, eo quod Goradus comes aliquas ei inferat contra causationes de quibusdam rebus et mancipiis, quæ olim prædecessor præfati Goradi Vulvinus nomine cum episcopo Brixianæ Ecclesiæ Chuniberto nomine commutaverat, et e contra sibi placitam acceperat commutationem. Quæ dum utilia post aliquot dies idem Rataldus venerabilis episcopus præfatæ sancti Zenonis Ecclesiæ esse cognovisset, datis in recompensatione parti prædictæ Brexanæ Ecclesiæ congruentibus rebus et mancipiis a Petro quondam ejusdem Ecclesiæ episcopo commutationis ordine parti prænominatæ sancti Zenonis Ecclesiæ conquisivit ad habendum. Sed quia regiæ potestatis missus inter has defuerat commutationes, pro hujusmodi occasionibus adimendis, ne ideo ab eadem Ecclesia auferantur, quoniam legaliter absque regio misso non poterant commutari, hanc nostram auctoritatem super præfatas commutationes addere libuit, per quas jubemus, et mansurum sancimus, ut nullus fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque ab hine in antea inde aliquam parti sæpe dicti Sancti Zenonis inferre præsumat contrarietatem sed liceat ei, ut justo tramite acquisivit, quiete rectoribus ipsius Ecclesiæ ordinare atque disponere quidquid utilitas prædictæ dictaverit Ecclesiæ. Si vero, quod futurum non credimus, aliquis dux, comes, aut cujuslibet administrationis, aut privata persona contra omnia suprascripta moliri aliquid præsumpserit, seu infrangere vel corrumpere ex parte, aut ex toto tentaverit, sciat se compositurum mille mancosos auri obryzi, medietatem cameræ nostræ, et medietatem jam dicto monasterio, etc.

Dructemirus subdiaconus atque notarius ad vicem Hermenfredi scripsi.

Data XVIII Kalendas Februarii, anno, Christo propitio, imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris 20 et Lotharii 11, indictione 11. Actum Mantua palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXXXV.

### PRO MONASTERIO SANCTIMONIALIUM TICINENSIUM DODOSI.

(*Anno* 833.)

[Apud Muratori, *ibid.*, t. V, p. 531.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Lotharius Augustus invictissimi domni imperatoris Ludovici filius.

Cum petitionibus servorum et ancillarum Dei justis et rationalibus divini cultus amore favemus, superni muneris donum nobis a Domino impertiri credimus. Idcirco notum sit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ præsentium et futurorum solertiæ, qualiter Asia venerabilis abbatissa ex monasterii Dodosi, quod est situm intra muros civitatis Papiæ, nostram petiit clementiam obnixe, ut eumdem monasterium una cum omnia sibi pertinentia sub nostra emunitatis tuitione ac defensione ob amorem Dei et reverentiam sancti loci illius perciperemus. Cujus petitionem libenter acquievimus, et ita ut petiit concessimus, atque per hoc nostrum imperiale præceptum confirmavimus. Quapropter præcipimus, ut nullus, etc. Sed liceat memoratæ abbatissæ, successoribusve suis res prædicti monasterii sub immunitatis defensionis nostræ quiete et ordine possidere, et quidquid exinde fiscus noster sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione præfato monasterio concedimus, ut in alimonia ancillarum Dei ibidem sub regula sancti Benedicti Deo famulantium, etc. Meraninum quoque venerabilem abbatem in eodem loco constituimus inspectorem, quatenus diebus vitæ suæ studio in omnibus regula ibi exsequatur sancti Benedicti, etc.

Signum Lotharii gloriosissimi Augusti.

Luithcasus ad vicem Ermenfredi recognovi.

Data XV Kalendas Maias, anno, Christo propitio, 21 imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris, regnique Lotharii gloriosissimi Augusti in Italia 11, indictione 11.

Actum Papia civitate, palatio publico.

## CLXXXVI.

### PRO MAXENTIO PATRIARCHA AQUILEIENSI.

(*Anno* 833.)

[Apud Muratori, *ibid.*, t. V, p. 977.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Lotharius Augustus invictissimi domini imperatoris Ludovici filius. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis famulantibus beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia adiens serenitatem nostram vir venerabilis Maxentius Aquileiensis Ecclesiæ Pa-

triarchâ [a]; quæ est sancta Dei genitricis Mariæ, et sancti Petri principis apostolorum, seu et sancti Marci constructa, detulit nobis quasdam præceptiones auctoritatum domni et genitoris nostri Ludovici præstantissimi imperatoris, in quibus continebatur eo quod bonæ memoriæ Carolus piissimus Augustus, idemque domnus et genitor noster, præfatam Ecclesiam cum cellulis, et rebus sibi subjectis, sub immunitatis suæ defensione consistere fecissent, et quod licentiam dedissent ejusdem civitatis clero et populo secundum canonicam institutionem de pontifice sibi eligendo et in præfata sede substituendo. Continebatur etiam in eisdem ab eis sancitum, ut nec homines ejusdem Ecclesiæ de annona et peculio suo decimam in partem fisci darent, nec de peculio ipsius Ecclesiæ, quod ad partes Istrienses in pascuis permittebantur, ullum solverent herbaticum; et quod a præfatæ Ecclesiæ hominibus mansionaticus vel fodorus nullatenus acciperetur vel exigeretur, nisi quando eorum, aut filii sui, adventus ad eamdem fieret civitatem, vel quando præsidium illic propter inimicorum insidias arcendas poneretur. Pro firmitatis namque studio postulavit nobis idem venerabilis patriarcha, ut morem prædecessorum sequentes, nostram etiam auctoritatem circa ipsum sanctum locum fieri decerneremus. Cujus petitioni ob amorem Dei et animæ nostræ salutem libenter annuimus, et hoc nostræ auctoritatis præceptum circa ipsum sanctum locum fieri censuimus. Per quod constituimus atque perenniter firmum fore volumus, ut memoratæ civitatis clerus et populus licentiam habeant secundum institutionem canonicam eligendi sibi pontificem. Præcipimus etiam atque jubemus, ut nemo fidelium nostrorum, vel quislibet exactor, aut aliquis ex judiciaria potestate, nec de peculio præfatæ Ecclesiæ herbaticum, nec de annona et peculio hominum ipsius Ecclesiæ decimam, nec ab eis mansionaticus aut fodorus penitus accipere, vel exigere præsumant, nisi forte quando noster, aut alicujus filii nostri, illic fuerit adventus, vel quando illic præsidium positum fuerit ad inimicorum infestationem propellendam. Sed et nullus quilibet ex fidelibus nostris, vel judex publicus in monasteria præfatæ Ecclesiæ subjecta, et xenodochia et ecclesias parochiales, ac titulos earum, vel cæterorum possessiones, quas moderno juste et rationabiliter in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem Imperii nostri memorata tenet vel possidet Ecclesia, tam ex munere regum vel ducum quamque ex collatione cæterorum fidelium, nec non et ex oblationibus, emptionibus, et commutationibus, vel in eas res quas deinceps a catholicis viris collatæ fuerint Ecclesiæ, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos quam servos super terram ejusdem commanentes distringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat præfato pontifici, suisque successoribus res prædictæ Ecclesiæ sub immunitatis nostræ tuitione quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio, atque pro incolumitate nostra, conjugis, ac prolis, vel totius imperii a Deo nobis collati, atque per immensum conservandi stabilitate una cum clero et populo sibi subjecto, Dei misericordiam jugiter exorare, et quidquid de rebus præfatæ Ecclesiæ fiscus exigere poterat, in integrum prædictæ concessimus Ecclesiæ; ut nostris futurisque temporibus in eodem loco ibidem Deo famulantibus, ad Dei servitium peragendum, augmentum et supplementum fiat. Hanc vero auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius certiusque credatur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Lotharii gloriosissimi Augusti.

Liuthardus ad vicem Ermenfredi recognovi.

Data II Kalendas Decembris, anno, Christo propitio, imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris 20, regnique Lotharii gloriosissimi Augusti in Italia 13, indictione 11.

Actum Papia civitate, palatio publico, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXXXVII.

### PRÆCEPTUM LUDOVICI GERMANICI PRO GOSBERTO ABBATE S. GALLI.

(*Anno* 833, 19 *Octobr.*)

[Apud Neugart., *Codex Alemannicus*, pag. 212.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Ludovicus, divina favente gratia, rex.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei eorumque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum in æterna beatitudine recipere confidimus. Quapropter comperiat utilitas atque industria omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, quia vir venerabilis Gozbertus abbas ex monasterio Sancti Galli, quod est situm in pago Turgange, super fluvium quod dicitur Petrosa, detulit excellentiæ nostræ quædam præcepta avi nostri Caroli imperatoris, nec non domini et genitoris nostri Ludovici Augusti; in quibus continebatur insertum, qualiter Sidonius Constantiæ urbis episcopus, nec non et Joannes prædicti monasterii abbas, propter futuram dissensionem vel quietem monachorum inter se statuissent ut annis singulis partibus ejusdem sedis abbates ipsius monasterii Sancti Galli unciam auri, et caballum unum, valentem libram

[a] Habemus hic Maxentium patriarcham Aquileiensem anno 833 privilegio donatum : quare usui alicui erit monumentum hoc ad restituendam aut firmandam chronologiam præsulum Aquileiensium. Solebant, inquam, et loca sacra fodrum et paratam præstare imperatoribus eorumque missis quotiescunque illuc proficiscebantur.

unam, persolverent, et nihil amplius episcopi præfatæ civitatis de rebus jam dicti monasterii exigerent, et liceret eosdem monachos secure vivere absque alicujus infestatione, vel rerum suarum diminoratione. Et postea avus noster, atque dominus et genitor noster, eamdem constitutionem, ut in futurum rata maneret, oraculis suis confirmarunt, et quod idem genitor noster prædictum monasterium S. Galli, cum monachis ibidem Deo militantibus, et cum rebus et hominibus, ad se juste et legaliter aspicientibus, vel pertinentibus, sub sua constituisset defensione, et immunitatis tuitione. Et quando divina vocatione abbas ipsius monasterii ab hac luce migrasset, licentiam haberent, secundum regulam Sancti Benedicti, eligere abbatem, et nulla dona exinde regibus darent, nisi forte abbates qui per tempora fuerint, gratis obtulerint. Sed nec quilibet pontifex ultra quam in electione eorum, et constitutione genitoris nostri comprehensum est, oppressor vel exactor existere deberet, sed si certa necessitas, aut piæ devotionis voluntas eumdem venerabilem locum episcopo adire necessum fuerit, cum discreto numero hominum, ne idem monasterium gravetur, honeste veniat, et quidquid agendum est, eadem placita Deo honestate peragat, moxque domum redeat. Sed ut supra nominata constitutio et confirmationes prædictorum Augustorum perpetuis temporibus inconvulsa manerent, prædictus abbas precibus quibus valuit nostram obsecravit clementiam, ut super easdem confirmationes nostram etiam jungeremus auctoritatem. Cujus petitioni propter divinum amorem libenter aurem accommodavimus et hanc auctoritatem confirmationis nostræ circa ipsum monasterium ejusque rectores fieri jussimus, per quam decernimus atque jubemus, ut (post) inspectas auctoritates avi et genitoris nostri, sicut per eas plenius declaratur, ita omni tempore, absque alicujus infestatione aut contrarietate, Domino annuente, perpetuo inconvulsum permaneat. Et [ut] nullus judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator, in ecclesias aut loca, villas vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii, quas moderno tempore infra regnum divinitus nobis collatum, juste et rationabiliter possidet, vel quæ deinceps divina pietas ibidem augeri voluerit, ad causas judiciario more audiendas vel freda [a] exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas aut fidejussores tollen-

A dos, aut homines ipsius monasterii, tam ingenuos quam et servos, super terram ipsius commanentes irrationabiliter distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato abbati suisque successoribus res prædicti monasterii cum omnibus sibi subjectis, et rebus vel hominibus ad se juste inspicientibus vel pertinentibus, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietadine, quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio [b], et quandoquidem divina vocatione supradictus abbas vel successores ejus obierint, quandiu ipsi monachi inter se tales invenire potue-

B rint qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum et secundum quod in auctoritate genitoris nostri continetur, licentiam habeant eligendi abbatem, quatenus monachi ibidem Deo famulantes pro nobis et stabilitate regni nostri Domini misericordiam jugiter exorare valeant. Hæc vero auctoritas ut per diuturna tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici gloriosissimi regis.

Adalleodus diaconus ad vicem Grimaldi [c] recognovi.

Data XIV Kal. Novemb., anno, Christo propitio, primo regni domini Ludovici regis in orientali Fran-

C cia, indictione 12. [d] Actum Franconofurt [e] palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CLXXXVIII.

### PRO MONASTERIO CORBEIÆ NOVÆ.

(*Anno* 834.)

[Apud Schaten, *Annales Paderborn.*, 94.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis a Deo nobis collatis, locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis et ad mortalem vitam feliciter transigendam, et ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum speramus. Idcirco notum fieri volumus om-

D nium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, sagacitati, quia petente Warino venerabili abbate, qui monasterium quod dicitur Nova Constantiniana.

[a] Fredum, a voce Germ. *friden*, mulctam significat, qua persoluta reus pacem a principe consequebatur. Fredum et fisco regio et judicibus quandoque solutum. Ducang. hoc verbo.

[b] Hæc eadem formula habetur quoque in alio diplomate Ludovici Germanici ap. D. Grandidier, Hist. Eccl. Argent., tom. II, prob., n. 115.

[c] Grimaldus archicapellanus Ludovici Germ. et postea abbas S. Galli.

[d] Annum 833 Ludovicus Germ. post patris exauctorationem primum sui regiminis in Orientali Francia numerabat. Currebat tunc indictio 11 a Kal. Januarii, pontificia dicta : ab VIII Kal. Oct. autem, seu vicesima quarta Septembris, qua et Ludovicus Pius et ejus filii usi sunt, indictio 12 Cæsarea, sive

[e] Patet hinc Ludovicum Germ. prius Francofurtum venisse, quam tradit Theganus de Gestis Ludovici Pii, n. 45, ap. Bouquet., Rer. Gall. Script., tom. VI, pag. 83, ubi : « De Compendio, inquit, postea duxerunt piissimum principem (Ludovic. imp.) ad Aquisgrani palatium. Hoc audiens æquivocus filius ejus, recessit a Bawaria, magno dolore compulsus ob injuriam Patris. Qui veniens ad palatium Franconofurt, statim inde direxit legatos suos, etc. » Nam auctor Vitæ Ludovici Pii, loc. cit. pag. 114, testatur Lotharium imp. cum patre Kalendis Octobris Compendium venisse, indeque discessisse Aquisgranum, expleto hoc negotio missa sancti Martini, id est undecima Novembris.

Corbeia nostra concessione in regimine habere dignoscitur; complacuit celsitudini nostræ quamdam cellam juris nostri vocatam Meppiam, quæ est constructa in pago Adegrindo, memorato monasterio per hanc nostram auctoritatem tradere, ut perpetuo sub ejus ditione cum omnibus ad se pertinentibus consistat: Hanc, ut diximus, cellulam sub integritate cum omnibus rebus ad se pertinentibus et aspicientibus; id est, basilicis, domibus cæterisque ædificiis, terris, pratis, silvis, cultis locis et incultis, mobilibus rebus et immobilibus, mancipiis diversi sexus et ætatis, memorato monasterio subditam esse facimus, atque per hanc nostram auctoritatem ita condonamus et tradimus, ut in jure ejusdem ac monachorum ibidem per tempora Deo servientium in diversis necessitatibus ad divinum cultum propensius exsequendum absque cujuslibet diminutione ac retractatione permaneat, et nullus fidelium nostrorum ab eorum dominatione et potestate eam quoquo modo auferre, aut in aliam quamlibet partem quacunque occasione transferre præsumat, sed liceat memorato abbati, ejusque successoribus, ac monachis in memorato monasterio per tempora degentibus jam dicta cella cum omnibus ad eam pertinentibus ad Dei ac Domini nostri Jesu Christi famulatum diligentius peragendum uti absque cujusquam contrarietate, et quæcunque ad suos in Domini nostri Jesu Christi militia usus et necessitates pertinent adornare, disponere justeque efficere; quatenus pro nobis, conjuge proleque nostra, et pace ac stabilitate totius imperii a Deo nobis commissi alacrius eos indesinenter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria ascripsimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data VII Idus Decembr., anno, Christo propitio, 21 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 12. Actum Blanciaco in nomine Domini feliciter. Amen.

## CLXXXIX.

### PRO EODEM MONASTERIO.

(*Anno* 834.)

[Apud Schaten, *ibid.*, p. 97.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina repropitiante clementia imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis a Deo nobis collatis, locis Deo dicatis quiddam conferimus, id nobis et ad mortalem vitam feliciter transigendam, et ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, solertiæ, quia complacuit serenitati nostræ, quasdam villas juris nostri, sitas in Angariis, in Logni, quarum vocabula sunt Sulbichi et Hemhon, monasterio quod

A dicitur Nova Corbeia, ubi præsenti tempore Warinus venerabilis abbas pastor et rector esse dignoscitur, sub integritate per hanc nostram auctoritatem delegare, ut nostris et successorum nostrorum temporibus in ditione ejusdem monasterii perpetualiter consistant, ad stipendia monachorum inibi constitutorum, et necessitates ejusdem monasterii procurandas atque sublevandas. Has, ut diximus, villas cum omnibus rebus, appendiciis et terminis suis, et cum omnibus ad se pertinentibus, id est, domibus cæterisque ædificiis, terris, pratis, silvis, campis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, cultis locis et incultis, mobilibus rebus ac se ipsas moventibus, mancipiis diversi sexus ac ætatis, prædicto monasterio concedimus atque confirmamus, ut ab hac die in fu-

B turum, sicuti dictum est, in jure et potestate ipsius perpetuo permaneant, absque cujuslibet comitis, vel publici judicis, aut cujuslibet personæ contradictione vel refragatione. Et ut hæc nostræ donationis atque concessionis auctoritas inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Theogonis recognovi et subscripsi.

Data Idus Maii, anno, Christo propitio, 21 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 12. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

C

## CXC.

### PRO ECCLESIA GERUNDENSI.

(*Anno* 834.)

[Florez, *España sagrada*, tom. XLIII, pag. 375, ex archiv. episcopii Gerundensis.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi; Ludovicus, divina propitiante clementia, imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejusque in eisdem locis inibi Deo famulantibus beneficia opportuna largimur, præmium apud Dominum æternæ remunerationis nobis rependi non diffidimus. Igitur notum esse volumus omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futu-

D rorum, industriæ, quia venerabilis Wimer sanctæ Gerundensis Ecclesiæ episcopus nostram adiens celsitudinem petiit ut memoratam sedem cum villis et hominibus a domno et genitore nostro Carolo aliisque devotis hominibus eidem sedi collatis, quas nunc possidere dignoscitur, id est, in pago Empuritano villam nuncupatam Olianus cum suis terminis, et villam vocantem Cacavianus, ac villarem antiquum Celsianum, cum villula nova, quam vocant Vellosos, cum castello suoque termino, et in pago Gerundense medietatem de villa Mollero, et Milliasam villam, cæterasque res quas a longo tempore inibi possidere dignoscitur, simul cum tertia parte de pascuario, et teloneo de ipso pago, aliasque villas, quarum vocabula sunt Castellum fractum,

et Parietes Ruffini, cum tertia parte de pasquario et teloneo de ipso pago, et villa quæ est in pago Bisulduneńse, et vocatur Bascara, cum suis villaribus et suo termino, nec non et Arcas, et villarem vocantem Spedulias, et alium villare quod est infra memoratarum villarum terminos. Villas etiam alias quæ vocantur Crispianos et Miliarias, cum tertia parte de pascuario et teloneo de ipso pago propter infestationem malevolorum hominum sub nostra tuitione et immunitatis defensione constituissemus. Cujus petitioni annuentes propter amorem Dei memoratam sedem cum supradictis villis præsenti tempore in jure ejus consistentibus sub nostra tuitione constituimus, et hanc nostram auctoritatem circa eamdem sedem fieri decrevimus, per quam decernimus ut nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate major minorque prædicta persona in ecclesias aut loca, vel agros seu reliquas possessiones memoratæ sedis, quas moderno tempore infra ditionem imperii nostri legaliter possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius loci divina pietas augeri voluerit, ad causas judiciario more audiendas, vel discutiendas, aut freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ contra rationis ordinem distringendos, nec ullas redhibitiones vel illicitas occasiones ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere, aut undecunque modo legaliter vestituram habet abstrahere præsumat; sed liceat memorato episcopo suisque successoribus res prædictæ Ecclesiæ cum omnibus quæ possidet quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio, et pro nobis, ac conjuge, filiisque ac toto populo Christiano nobis commisso Domini misericordiam jugiter exorare. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum serenissimi imperatoris Ludovici.

Maginarius ad vicem Hugonis recognovit et subscripsit.

Data quarto Nonas Decembris, anno, Christo propitio, vicesimo primo imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris.

## CXCI.

### PRO MONASTERIO CAMPIDONENSI.

(*Anno* 834.)

[Neugart., *Codex Alemannicus*, pag. 217.]

[a] *Diploma Ludovici Pii quo* « monasterium cujus vocabulum est Capidona [b], ubi præsente tempore vir venerabilis Tatto abbas pastor et rector esse dignoscitur, quod rebus pauperrimum est [c], et non modica pars monachorum in eo ad Deo deserviendum collocata habetur, sub suo mundiburdio et defensione » *constituit, et ab omnibus publicis functionibus aliisque oneribus immune declarat.*

Signum domini Ludovici piissimi imperatoris.

Hirminhardus [d] notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data v Non. Julii, anno, Christo propitio, 21 imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 12 [e]. Actum Aquisgrani [f] palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXCII.

### PRO MONASTERIO PRUMIENSI.

(*Anno* 834.)

[Apud Marten., *Ampl. Collect.*, pag. 90, ex chartario Prumiensi.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina [g] repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si servorum Dei rationabiles petitiones ad optatum effectum pervenire facimus, non solum ad Dei misericordiam pro nobis exorandum eosdem servos Dei promptiores et devotiores facimus, sed ejusdem Domini pro hoc facto clementissimam pietatem promerendam esse confidimus. Igitur noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, industria, quia Marcoardus venerabilis abbas monasterii quod in honore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi a beatæ memoriæ avo nostro Pippino gloriosissimo rege in Arduenna novo opere super fluvium Prumia fundatum habetur, cum quibusdam monachis ex ejusdem monasterii congregatione nostram adiit celsitudinem, atque clementiæ nostræ

[a] Editum ex prototypo a R. P. Maxim. Rasslero S. J., in Append. ad Vind. contra vindicias, etc., pag. 26. Exstat quoque in Refutatione gravaminum civitatis Campidonensis, inscripta : *Des Hochfürst. Stifts Kempten gründliche Widerlegung*, etc., an. 1737, Probat., pag. 13. Fragmentum refert D. Bouquet., Script. Rer. Gall. tom. VI, pag. 595. Ejus exordium : « In nomine Domini Dei et Salvatoris Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imper. Augustus. »

[b] *Kempten*, ducalis abbatia ad Hilaram fl. in Algovia.

[c] Res Campidonensium inde ab anno 817 fuisse accisas, patet ex constituto Ludovici Pii eodem anno Aquisgrani edito, ubi monasterium Campita in Alemannia adhuc in eorum numero recensetur, quæ tantum dona dare debent sine militia. Constitutum ediderunt Sirmondus, Conc. Gall. tom. II, pag. 685; Duchesn., Script. Rer. Franc., tom. II, pag. 323; Baluzius, Capit. reg. Franc., tom. I, pag. 589; Mabillonius, Annal. Bened., lib. XXVIII, pag. 436; Bouquet., Script. Rer. Gall., tom. VI, pag. 407.

[d] Leg. *Hirminmaris*, aut *Hirminmarus*.

[e] Indictio et annus imp. concinunt.

[f] Ludovicum Pium a filio æquivoco manibus Lotharii ereptum, ac solio restitutum, hoc tempore Aquisgrani egisse, haud obscure colligitur ex narratione Thegani de Gestis Ludovici Pii, cap. 48 seqq. Ait enim utrumque ibidem sanctum Pascha Domini celebrasse, ac imperatorem eodem anno, qui est annus regni ejus 21, omnibus indulgentiam præstitisse qui eum coacti reliquerunt.

[g] Observat Mabillonius de Re diplom., l. II, cap. 3, n. 13, Ludovicum Pium in suis diplomatibus post suam in thronum restitutionem datis, non uti voce *ordinante* vel *propitiante*, ut ante; sed *repropitiante*; ut pote qui Deum sibi iterum propitium expertus fuerat.

indicavit qualiter Batericus vassallus noster, dum in memorato monasterio monastice degere deliberasset, quamdam villam sui juris, quam nuperrime a nostra largitione in proprium perceperat, quæ vocatur Madalbodi-Sperarius solemni more per testamentum donationis manu sua et virorum illustrium manibus roboratum eidem monasterio delegasset. Nam ut nobis ita factum exstitisse patesceret, obtulerunt præsentiæ nostræ largitionis auctoritatem, per quam eadem villa memorato Baterico in proprium a nobis concessa fuerat, et testamentum donationis atque traditionis, per quod hanc eamdem villam dum monasticam expeteret vitam, præscripto monasterio et monachis inibi consistentibus delegavit, simulque petierunt ac deprecati sunt nos, ut propter tergiversationes malevolorum super easdem conscriptiones nostræ auctoritatis præceptum firmitatis gratia fieri juberemus. Quorum petitioni annuentes hanc nostræ auctoritatis præceptionem memorato Marcuardo venerabili abbati, vel ad partem jam dicti monasterii sui fieri jussimus, per quam decernimus atque jubemus ut nullus fidelium nostrorum de prædicta villa memorato Marcuardo aut successoribus ejus ullo unquam tempore inquietudinem facere, aut quamlibet calumniam ingerere præsumat: sed sic eam perpetua possessione pars jam dicti monasterii possideat, quemadmodum a nobis memorato Baderico in proprium concessa vel tradita fuit, vel quemadmodum ab eodem Baderico per testamentum suæ traditionis eidem monasterio delegata fuit, liceatque memorato Marcuardo venerabili abbati et successoribus ejus atque monachis in eodem monasterio per tempora degentibus, de eadem vel in eadem villa facere quidquid censura monastica faciendum esse decreverit. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter eam jussimus sigillare.

Signum Ludovici serenissimi Augusti.

Data XIII Kal. Augusti, anno, Christo propitio, 21 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 12. Actum Theodonisvilla palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXCIII.

### PRO ALBERICO LINGONENSI EPISCOPO.

( *Anno* 834. )

[Ex *Gallia Christiana*, tom. IV, pag. 130, prob.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si sacerdotum ac servorum Dei justis et rationabilibus petitionibus ad effectum perducimus, non solum regiam et imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris ad Domini misericordiam exorandam devotiores et promptiores facimus. Igitur omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, notum sit quia Albericus venerabilis Lingonicæ urbis episcopus nostram adiens celsitudinem suggessit mansuetudini nostræ de episcopo memoratæ urbis jam olim sibi a nobis ad plebem Domini nostri Jesu Christi regendam commisso, quod valde eum intrinsecus et extrinsecus tam in divinis obsequiis quam in humanis officiis et ministeriis, tam in canonicorum institutionibus sanctæque vitæ regulis quam in ædificiis aliisque rebus nec ssariis, partim rectorum incuria, partim vero præpositorum ignavia, destitutum et nullo pene rectæ ordinationis tramite præmunitum invenerit, sed et sancto, ut oportebat, justo magnoque labore, summis viribus, prout Dominus posse dare dignatus est, et ingenti studio ad rectitudinis decorisque normam perducere curaverit, et canonicorum vitam ibidem Domino famulantium in canonicis institutionibus humanæque fragilitati stipendiis necessariis, atque diversarum specierum habitaculis et claustris apprime exornaverit, ut in posterum eorum vita in nullo decideret, nonnullis memoratæ sedis villis et rebus suffulserit, tribuendo scilicet illis in circuitu murorum ejusdem civitatis colonias duas, et in eodem pago Lingonicam villam vocatam Marcilliacum cum ecclesia et appendiciis suis; et eodem pago, villam nuncupatam Hurbaniacum quantumcunque de jure sancti Mammetis in eadem villa esse dignoscitur, necnon et illud quod exterius esse cognoscitur ad eamdem villam pertinens, exceptis his rebus quæ sub jure ac potestate sanctorum Amatoris et Ferreoli esse noscuntur; similiter in eodem pago in loco qui dicitur Badalenis pons, colonias duodecim cum omnibus ad easdem colonias pertinentibus simulque cum capella; et in eodem pago villam quæ dicitur curtis Gregorii, sub omni integritate sua; et in Caldennaco coloniam unam; et in eodem pago in nonnullis locis, illud quod nobiles personæ ad mensam clericorum solemni donatione contulerant; nec non et illam coloniam quæ est in Primiaco villa cum vineis; et in pago Boloniense, in villa vocata Helnone, tam interius quam exterius colonias sex; et in pago Atoariorum et Divionense, utique in locis quæ dicuntur Sueconicus, Brigendopis atque Salcis, quantumcunque in eisdem locis Fluviolus colonus sancti Mammæ visus fuerit possidere; et in pago Belnense, in villa Givriaco, ecclesiam cum coloniis tredecim; et in eodem pago in villa quæ vocatur Gedoleni-Curtis, colonias septem cum omnibus ad eas pertinentibus; et in centena Hoscarineæ, in villa Fisemis, ecclesiam et colonias novem cum omnibus ad easdem colonias pertinentibus, et vineam quæ vocatur Plantas; et in eadem centena, in loco Spernaco coloniam unam: obnixe nostram imperatoriæ majestatis deprecans excellentiam ut suam nullatenus improbandam dispositionem atque ordinationem nostræ auctoritatis munimine fulciremus, atque ut deinceps firma perennibus valeret temporibus, roborare dignaremur. Cujus supplicationibus, quia dignas judicavimus, annuere placuit, et quidquid, ut prædictum est, postulavit, ad affectum perducere non incongruum duximus. Proinde hos nostræ auctoritatis apices, erga

præfatam sedem canonicosque inibi Domino per diuturna tempora militantes, divino inspirati amore fieri jussimus, per quos decernimus atque sancimus, ut loca præscripta cum omnibus ad se juste ac legaliter pertinentibus, sicut a sæpe dicto Alberico venerabili jam dictæ sedis episcopo, eis collata sunt, ita per hanc nostram auctoritatem in eorum jure et potestate suis videlicet usibus diversisque necessitatibus ad divinum propensius cultum exsequendum, famulantia, absque cujuslibet diminutione aut retractatione permaneant, et nullus successorum suorum rectorum videlicet memoratæ Ecclesiæ ab eorum dominatione ea quomodo auferre aut in aliam quamlibet partem quacunque occasione transferre præsumat, sed liceat eis jam dictis rebus ad dominicum Dei nostri famulatum peragendum absque cujusquam contrarietate uti, et quæcunque ad suos in Domini nostri Jesu Christi militia usus et necessitates pertinent, ordinare, disponere, justeque eff. . . . re, quatenus sublata omnis indigentiæ penuria, pro nobis, conjuge, proleque nostra et pace ac stabilitate totius imperii a Deo nobis commissi alacrius eos indesinenter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc nostræ largitionis atque concessionis auctoritas firmiter habeatur, et per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subter eam jussimus sigillare.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data undecimo quarto Kalendas Septembris anno, Christo propitio, 21 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 12. Actum Lingonis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXCIV.

### PRO ROTONENSI S. SALVATORIS MONASTERIO.

(*Anno* 834.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des Hist.*, tom. VI, pag. 597, ex prob. *Hist. Britann.*, pag. 29.]

In nomine [Domini] Dei et Salvatoris Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si illius amore cujus munere cæteris mortalibus prælati sumus, loca divino cultui consecrata congruis magnificentiæ nostræ beneficiis ad divinum cultum uberius exsequendum sustollimus, divinæ retributionis præmio nos a Domino remunerari fideliter credimus. Igitur omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, industriæ notum esse volumus quod Conwoion venerabilis abbas monasterii cujus vocabulum est Roton, quod ipse in pago Broweroch, in loco qui dicitur Bain [a], nostra permissione a fundamento construxerat, et viros religiosos secundum monasticam vitam degere instituerat, nostram adiit celsitudinem, subnixis precibus postulans ut pro amore Domini nostri Jesu Christi, in cujus honore idem monasterium constat esse dicatum, aliquid de rebus nostræ proprietatis, unde fratres in eodem monasterio Deo deservientes

A subsidium necessarium habere potuissent, in nostra eleemosyna eidem contulissemus monasterio. Cujus precatu permoti, simul et oratu atque interventu fidelis nostri Nominoe commoniti, complacuit serenitati nostræ plebem illam, in qua idem ipsum monasterium constat esse constructum, quæ Bain, sicut superius dictum est, nominatur, cum omni integritate sua; nec non et in eodem pago locellum, qui nominatur Lant-Degon, per hanc nostram auctoritatem memorato monasterio atque monachis inibi Deo per diuturna tempora militantibus tradere: per quam decernimus ut in eorum jure ac potestate suis videlicet usibus diversisque necessitatibus ad divinum propensius cultum exsequendum [prædictæ res] absque cujuslibet diminoratione aut retracta-B tione perpetuo consistant; et nullus eas ab eorum dominatione quoquomodo auferre, aut in aliam quamlibet partem quacunque occasione transferre præsumat. Sed liceat eis easdem villas ad Domini Dei nostri famulatum diligentius peragendum absque cujusquam contrarietate uti, et quæcunque ad suos in Domini nostri Jesu Christi militia usus et necessitates pertinent, ordinare, disponere, justeque efficere: quatenus sublata omnis indigentiæ penuria, pro nobis, conjuge proleque nostra, et pace ac stabilitate totius imperii a Deo nobis commissi alacrius eos indesinenter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc nostræ largitionis atque consensionis auctoritas incommutabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavi-C mus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris notarius ad vicem Hugonis recognovi.

Data v Kal. Decembris, anno, Christo propitio, 21 imperii domini Ludovici serenissimi imperatoris, indictione 13 [b]. Actum Attiniaco palatio regio in Dei nomine [feliciter]. Amen.

## CXCV.

### PRO DUSERENSI MONASTERIO.

(*Anno* 835.)

[Apud Chiffletium in probat. ad *Hist. abb. Trenorciensis*, pag. 262, et apud D. Bouq., tom. VI, pag. 598.]

D In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Cum locis Deo dicatis, in quibuscunque indiguerint, consulere satagimus, ejus gratiam cujus amore id noscimur efficere, abundantius nos promereri confidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia Hildigisus abbas ex monasterio Duserensi ad nostram accedens mansuetudinem, suggessit nostræ clementiæ quod Warnarius quondam comes eidem monasterio dedisset quamdam villam, nomine Masteces, quæ est in pago Tricastinensi,

[a] Nunc ecclesia parœcialis prope Rotonas.

[b] Indictio inchoanda a mense Septembri.

cum mancipiis et omnibus ad se pertinentibus, vel quantumcunque in eodem pago juste et legaliter jure proprietario visus fuit habere. Sed quoniam memoratus comes, Warnarius nomine, easdem res ex parte cum uxore ingenua, nomine Heldisnota, illaque defuncta, postquam ancillam nostram, nomine Beltildim, sibi sociaverat, ex parte cum ea acquisiverat; metuens ne connexio ejusdem ancillæ de eisdem rebus sibi aliquid contrarietatis inferre posset, nostram humiliter expetivit misericordiam, ut nostram auctoritatem super hac re percipere mereretur, per quam absque cujuslibet contradictione sæpedictas res et mancipia rectores ejusdem monasterii perpetualiter possidere valeant. Cujus petitioni, quia dignam judicavimus, ob divinum amorem annuere libuit, et hanc nostræ auctoritatis confirmationem fieri; per quam decernimus atque jubemus ut præscriptam villam cum mancipiis et omnibus rebus, appendiciis et terminis suis, et cum omnibus ad se juste et legaliter pertinentibus, vel quantumcunque in prænominato pago juste et legaliter jure proprietario visus fuit possidere, sicut eas prædictus quondam comes Warnarius eidem monasterio nostro contulit, in ejus rectorumque illius potestate et dominatione, absque cujuslibet inquietudine aut contrarietate, perpetim consistant; neque a quolibet fisci nostri vel alterius cujuscunque potestatis judice sive administratore quidquam diminutionis aut infestationis se de eisdem rebus et mancipiis, vel omnibus ad se pertinentibus deinceps perpeti pertimescant: quatenus monachos ibidem Deo famulantes, pro nobis, conjuge ac prole nostra, et stabilitate totius imperii a Deo nobis commissi attentius Domini misericordiam exorare delectet. Et ut in posterum nostræ majestatis redditio stabilis haberetur, hanc nostram auctoritatem circa præfatum monasterium S. Benedicti et rectores atque monachos illic per tempora labentia degentes fieri decrevimus, per quam præcipimus atque jubemus ut memoratæ villulæ cum omni integritate in rectorum ejusdem monasterii potestate et gubernatione consistant, neque a quolibet fidelium sanctæ Ecclesiæ nostrorumque ab ejusdem monasterii dominatione et potestate divellantur atque subtrahantur: sed usibus illic monachorum Deo militantium absque cujuslibet contrarietate deserviant: quatenus fratres in Domini nostri Jesu Christi militia illic consistentes, pro nobis, conjuge ac prole nostra, et stabilitate totius imperii a Deo nobis commissi, libentius ac devotius ejus misericordiam exorare delectet. Et ut hæc nostræ redditionis atque confirmationis auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, de annulo nostro subter eam jussimus sigillare.

Hirminmarius notarius ad vicem Hugonis recognovi.

Data VIII Kal. Sept., anno, Christo propitio 22, imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 13.

Actum Cirsiaco [a] palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CXCVI.

### PRO MONASTERIO PRUMIENSI.

(*Anno* 835.)

[Apud Hontheim, *Hist. Trevir.* t. I, p. 178.]

In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quoddam conferimus beneficium, et necessitates ecclesiasticas ad petitionem servorum Dei nostro relevationis juvamine sublevamus, id nobis ad æternam beatitudinem feliciter obtinendam profuturum liquido confidimus. Noverit igitur sagacitas seu utilitas omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque, tam præsentium quam et futurorum, quia concessimus ad proprium monasterio quod dicitur Prumia, et monachis inibi Deo famulantibus, quibus et [b] Marcuardus venerabilis abbas præesse dignoscitur, nostræ proprietatis res, quæ sunt in pago Wormacense, in loco qui dicitur [c] Albulfi villa, mansum videlicet indominicatum, sed et in Gomuritheshein, nec non et in Stetin, inter hæc præscripta loca mansi XIII cum mancipiis utriusque sexus de per commanentibus, nec non et basilicam in eadem Albulfi villa constructa, cum decimis ex suprascriptis villis ad eam jure pertinentibus, ad proprium monasterio Prumiæ concedimus, cum domibus, ædificiis, vineis, terris, silvis, pratis, aquis aquarumve decursibus, exitibus et regressibus quantumcunque videlicet in memorata villa in rebus proprietatis nostri juris esse dignoscitur, totum et ad integrum prædicto monasterio monachisque in eo Domino militantibus, ad eorum diversas sublevandas necessitates, divino tacti amore et honore concedimus: ita videlicet ut quidquid in-

[a] Legit Mabillonius, *Cusiaco*. Idem tamen supra dixerat: « Laudatum invenio diploma Ludovici Augusti pro monasterio Floriacensi, datum imperii anno 22, *Circiaco palatio*: quod ipsum esse Carisiacum non dubito. » Retinendum, *Cirsiaco* seu *Crisiaco*, quod erat palatium regium in Arduenna, ubi Ludovicus, teste annalista Bertiniano, *autumnalem venationem exercuit*.

[b] *Marcuardus*. Hujus decessorem Tancradum adhuc videramus anno 826. At anno 829 obiisse traditur in Chronico Rheginonis; eique successisse Marcwardus, *vir prudens et sacræ religioni deditus*. Quo ex monasterio hic assumptus sit, non proditur. Observat tamen Mabillonius Annal. Benedict. lib. XXX, n. 34, affinem fuisse Lupi abbatis Ferrariensis, in Gallia nati, qui epist. 91 filium Guagonis *nepotem* suum, ac Marcwardi *propinquum* appellat. Cæterum ex ejusdem Lupi epist. 55 intelligitur Marcwardum cœtui Ferrariensi ascriptum fuisse. In ea Lupus petit Marcwardi intercessionem apud imperatorem; « quoniam de loco, inquit, nostro sitis, a quo vos corpore duntaxat ecclesiastica utilitas abduxerit. »

[c] *Albulfi villa*. Hoc palatium juxta vicum *Albesheim* ad fluviolum Prumiam prope Kircheim situm fuisse, docet Chron. Gottwicen., pag. 881. Ibi quippe e regione dicti vici supersunt Gavershcim et Stetten, quæ hic nominantur *Gomuritheshein et Stetin*. In Cæsarii abbatis Prumiensis registro, apud Leibnitz in Collect. Etymolog., part. II, pag. 336 scribitur seqq. *Alvesheim; cujus jus patronatus teneat a Prumiensi in feudo comes de Leiningen*.

his vel de his jure ecclesiastico rectores et ministri ejusdem cœnobii facere voluerint, liberam in omnibus habeant potestatem. Et ut hæc nostræ largitionis atque concessionis auctoritas inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Ludovici seren. imp.

Hirminmaris...

Data VIII Kal. Junii, anno, Christo propitio, 22 imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 13.

## CXCVII.

### PRO ECCLESIA CENOMANENSI.

(*Anno* 835.)

[Apud Baluz., *Miscell.*, tom. I, p. 86.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si illius amore cujus munere cæteris mortalibus prælati sumus, loca divino cultui consecrata congruis munificentiæ nostræ beneficiis ad divinum cultum uberius exsequendum sustollimus, dignæ retributionis præmio nos a Domino remunerari fideliter credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum benevolentiæ tam præsentium quam et futurorum, episcoporum videlicet, abbatum, ducum, comitum, domesticorum, et eorum superioris et inferioris ordinis tam ecclesiasticæ quam reipub. administratorum notum esse volumus quia complacuit celsitudini nostræ quamdam cellam sitam in pago Cenomanico in suburbio ipsius civitatis, id est, intra fluvium Sarthæ et murum præfatæ urbis, quæ est constructa et dedicata in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ et sancti Petri apostoli atque aliorum sanctorum quorum reliquiæ et memoriæ inibi venerantur, sub integritate cum omnibus rebus appendiciis et terminis suis, et cum omnibus ad se pertinentibus, id est, basilicis, domibus cæterisque ædificiis, vineis, terris, pratis, silvis, campis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, locis cultis et incultis, mobilibus rebus et immobilibus ac seipsas moventibus, mancipiis diversi sexus et ætatis, matris et civitatis ecclesiæ Cenomanicæ senioris, quæ est fundata et dedicata in honore sancti Salvatoris et præfixæ sanctæ Mariæ semper virginis et sanctorum martyrum Gervasii et Protasii atque sancti Stephani, ubi præsenti tempore vir venerabilis nobisque fidelis Aldricus episcopus pastor et rector esse dignoscitur, nostra largitione tradere atque concedere, et de nostro jure in jus ac potestatem illius solemni donatione transferre, ea videlicet ratione ut famulis servisque Dei inibi consistentibus et stipendia necessaria uberius ministrentur, et necessitates ejusdem ecclesiæ tam exterius quam et interius facilius procurentur. Per hanc quoque auctoritatem nostram, per quam memoratam cellam cum omnibus ad se pertinentibus, sicut superius dictum est, præscriptæ matris et civitatis ecclesiæ ac præfati Aldrici ejusdem sedis episcopi delegamus, præcipientes interdicimus ut nullus aut nostris aut successorum nostrorum temporibus eamdem cellam inde abstrahere, usurpare aut invadere præsumat, sed in sæpedictæ Ecclesiæ et antedicti Aldrici ejusdem ecclesiæ pontificis successorumque suorum pontificum ditione jure perpetuo consistat ad ea quæ supra diximus exsequenda et perficienda. Et ut hæc nostræ concessionis traditionisve auctoritas sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data XVI Kalendas Aprilis, anno, Christi propitio, 23 imperii domni nostri Ludovici piissimi Augusti, indictione 14. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, Amen.

## CXCVIII.

### PRO EADEM ECCLESIA.

(*Anno* 835.)

[Apud Baluz., *ibid.*, pag. 87.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si sacerdotum servorumque Dei justis et rationabilibus petitionibus aurem accommodamus easque ad optatum effectum perducimus, non solum regiam et imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorando devotiores promptioresque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam facilius nobis conciliandam esse confidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus et futuris, quia Aldricus venerabilis Cenomanicæ urbis episcopus suggessit nostræ excellentiæ monasterium sanctæ Mariæ et sancti Petri situm extra muros memoratæ urbis, a decessore suo Innocente quondam episcopo in rebus et ex rebus sui episcopii fundatum atque constructum, deinceps quibusdam intervenientibus causis a jure jam dictæ suæ sedis subtractum, et ab illius dominatione hactenus fuisse dilatum. Utque quod asserebat veraciter nobis patesceret, detulit obtutibus majestatis nostræ quædam chartarum monumenta regumque decessorum videlicet nostrorum auctoritates quasdam; quibus inspectis atque evidenter ostenditur prædictum monasterium juris sæpedictæ sedis Cenomanicæ sibi commissæ esse et in ipsius dominatione debere persistere, humiliter nostram implorans mansuetudinem ut quod tam evidentibus indiciis declaratur, nostra quoque assensione, imo auctoritate denuo roboretur. Quæ ita liquidius cognoscentes eique ob amorem Dei et ejusdem sanctæ sedis reverentiam favorem nostri culminis adhibere dignum judicantes, hanc auctoritatis nostræ præceptionem ei suisque per tempora successoribus fieri ac dari jussimus, per quam decernimus atque sancimus ut memoratum monasterium sanctæ Mariæ ac

sancti Petri, quod aliquandiu ab eorum jure et ditione subtractum fuerat, abhinc in posterum habeant atque possideant, et quidquid more ecclesiastico de eo disponere voluerint, liberam habeant potestatem, neque ullo deinceps tempore a jure præscriptæ sedis seu ejus rectorum qualibet occasione aut violentia segregetur, sed semper in illius rectorumque ejus potestate et dispositione ac voluntate ad divinum cultum propensius exsequendum cum omnibus ad se pertinentibus integerrime sincerrimeque perpetuo consistat. Et ut hæc nostræ redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et de annulo nostro jussimus sigillari. Ludovicus.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data XI Kalend. April., anno, Christo propitio, 23 imperii Ludovici piissimi Augusti, indictione 14. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

### CXCIX.

#### PRO EADEM ECCLESIA.

(*Anno* 834.)

[Apud Baluz., *ibid.*, pag. 87.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si petitionibus sacerdotum pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras libenter accommodamus, et eas cum Dei auxilio ad effectum perducimus, id nobis ad æternæ remunerationis præmia capessenda profuturum liquido credimus. Igitur notum esse volumus sagacitati fidelium nostrorum, præsentium videlicet et futurorum, nec non successorum nostrorum, quia adiens serenitatem nostram Aldricus Cenomanicæ urbis episcopus innotuit nobis qualiter olim peccatis præpedientibus sancta mater ecclesia, quæ in eadem urbe, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ et sanctorum Gervasii et Protasii martyrum, Christi Deo est dicata, ubi multæ res dudum erant, adeo humiliata et rebus suis sit exinanita, ut et thesaurus ipsius ecclesiæ a christianissimis principibus de ea ablatus, et quædam strumenta chartarum, per quæ res et mancipia eidem ecclesiæ fuerant delegatæ, diversorum casuum eventibus magna ex parte ibi deperierunt, nec non paupertatis causa præpediente divini cultus officium miserabiliter fuerit destitutum, et in eadem miserabili collapsione, imo destitutione tandiu ipsa perstiterit ecclesia, donec inspirante Domino domnus et genitor noster sanctæ memoriæ Carolus nobilissimus orthodoxus imperator aliqua monasteriola et villas quasdam juris ejusdem episcopii cum rebus aliis per intercessionem nobilium multorum et optimatum suorum eidem reddiderit ecclesiæ, quibus ipse sanctus adminiculatus locus libere atque inexcusabiliter divinæ nunc famulatur potentiæ, postulavit atque nos prædictus pontifex ut de eisdem cellulis et rebus, sive quas memoratus genitor noster et nos postea

A reddidimus ecclesiæ, nec non et de iis quas ante ipsam redditionem jure et legaliter memorata tenebat ecclesia, nostræ auctoritatis atque emunitatis præceptum circa ipsum sanctum locum firmitatis gratia fieri decrevissemus, per quod firmius et securius memoratas res modernis futurisque temporibus ipsa teneat et possideat atque defendat ecclesia. Ostendit etiam nobis præceptum bonæ recordationis beati genitoris nostri domni Caroli, in quo et eadem continebantur singillatim nominata quæ et in nostro, nisi tantum ea quæ nos postea ex jure præfatæ ecclesiæ propter amorem Dei et reverentiam sanctorum prædicto venerabili Aldrico episcopo et suprascriptæ matri per nostræ auctoritatis præcepta reddidimus ecclesiæ. Cujus petitioni ob amorem Dei et reveren- B tiam ipsius sancti libenter annuimus, et hoc præceptum auctoritatis nostræ circa ipsum sanctum locum facere censuimus : per quod jubemus ut ipsas cellulas et res et mancipia cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, quæ moderno tempore juste et legaliter ipsa tenet ecclesia, sive eas quas genitor noster et nos eidem reddidimus ecclesiæ, nec non et eas quæ antea in jure ipsius episcopii consistebant, firmiter atque inviolabiliter per hanc nostram auctoritatem ipsa teneat atque defendat ecclesia; id est, cellulam sancti Vincentii cum omnibus ad se pertinentibus, et cellulam sancti Albini, seu cellulam sancti Audoeni, et cellulam sancti Rigomeri, et cellulam sancti Almeri, et cellulam sancti Ulfacii, et cellulam sancti Baumadi. Hæc omnia C cum omnibus ad se pertinentibus, cum vicis canonicis, id est, Salicam, Montiniacum, Cocciacum, Placiacum, et Oxellum, Anciacum quoque, et Artinis, una cum aliis vicis quorum nomina in plenariis præfatæ matris ecclesiæ habentur inserta, cum villis senioribus et aliis villulis ad eas pertinentibus, sicut in plenariis jam dictæ matris ecclesiæ continentur, id est, Rupiacum, Cananiam, Culturas, Baliavaliancion, Colonicam, Vetusiacum, et Celsiacum vicum canonicum; et villam ejusdem episcopii, Aloniacum quoque, et Asinarias, atque Volebeis, Callemartium scilicet, sive alias villulas quarum nomina in promptu non habentur, sed in plenariis jam dictæ sanctæ matris ecclesiæ tenentur inserta, et census D omnium vicorum in eadem parochia consistentium, sicut in plenariis et breviariis ejusdem ecclesiæ habetur inscriptum, insuper et monasterium sancti Carilefi situm in condita Labricense cum omnibus ad se pertinentibus, et monasteriolum quod et situm intra murum præfixæ civitatis et fluvium Sarthæ, et est constructum atque dicatum in honore sancti Salvatoris et sanctæ Dei genitricis Mariæ et sanctorum apostolorum atque aliorum sanctorum. Hæc autem duo monasteriola propter amorem Dei et dilectionem jam dicti Aldrici episcopi præfatæ cum omnibus ad se pertinentibus reddidimus matri ecclesiæ perpetualiter possidendum atque tenendum. Reddidimus etiam præscriptæ ecclesiæ et Conedralium vicum canonicum cum omni integritate, et

villam quæ Brogilus vel Novavilla nuncupatur, cum forestibus et villulis sive omnibus ad se pertinentibus. Reddidimus ei et Lugdunum, et Calisam et Tridentem, ac Bonallam, atque Baladon, et beneficia quinque vassallorum nostrorum, id est, Vestadigbei, Mundi, Wolfardi, Bodonis, et socii ejus, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, sicut in præceptis nostris quæ de jam dictis monasteriolis et villulis ascripta sunt vel pertinentibus jam dicto Aldrico pontifici facere et scribere jussimus continetur insertum. Hæc vero omnia propter amorem Dei et reverentiam sanctorum venerabili Aldrico præfixo episcopo et antedictæ matri ecclesiæ, quam prædictus Aldricus immajoravit et quasi a fundamento reædificavit, nobiliterque ornavit, et in honore Domini Salvatoris et sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ atque sanctorum martyrum Gervasii et Protasii sive sancti Stephani solemniter consecravit et reconciliavit, causa justitiæ in nostra eleemosyna reddidimus et confirmavimus et in jure ejusdem ecclesiæ ac dominatione rectorum ejus tenendum et ecclesiastice gubernandum esse censuimus. Memorata igitur monasteriola et memoratas cellulas et villulas cum omnibus rebus et mancipiis ad se pertinentibus, quas modo juste et legaliter memorata tenet ecclesia, per hanc nostram auctoritatem eidem sub nostræ emunitatis tuitione iterum confirmamus ecclesiæ. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, nec aliquis ex fidelibus nostris in dictis villis, locis, vel agris seu reliquis possessionibus memoratæ Ecclesiæ, quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem regni nostri juste habere et possidere cognoscitur, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci divina voluerit pietas augeri, nemo ad causas audiendas vel inferendas, requirendas, aut tributa vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut teloneum exigendum, nec fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ tam ingenuos quam et servos qui super terram ejusdem residere videntur injuste distringendos, nec ullas prohibitiones aut illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare prædicta ex præfatis rebus quodam in loco præsumat. Et quidquid ex rebus jam dictæ Ecclesiæ fiscus sperare poterat, totum nos memoratæ Ecclesiæ concedimus. Insuper et illud in hoc præcepto inserere deprecante jam dicto episcopo jussimus, sicut et in bonæ memoriæ Domini et genitoris nostri Caroli imperatoris præcepto insertum reperimus, ut nullus judex aut comes, aut quislibet homo vel quælibet persona prædictæ ecclesiæ ministros vel advocatos in mallo publico accusare præsumat, antequam conveniat ministros rerum et judices villarum atque hominum a quibus læsus est, ut ab eis familiarem et justam accipiat justitiam; et si a prædictis ministris suam justitiam accipere non valuerit, tunc conveniat episcopum jamdictæ Ecclesiæ, ut ab ipso suam justitiam familiarem et bonam atque justam accipiat. Et si ab ipso episcopo neque a suis ministris suam justitiam accipere nequiverit, postmodum licentiam habeat ut in mallo publico suas querelas juste et rationabiliter atque legaliter quærat. Sed si antequam fecerit illud, jam dictæ sedis ecclesiæ episcopum et suos ministros et advocatos in mallo et cujusdam conditionis publico placito accusare aut pulsare præsumpserit, quia nostram jussionem atque nostrum præceptum et indictum contempsit sive prævaricavit, bannum nostrum ex hoc nobis componat, et prædictæ ecclesiæ episcopo vel suis ministris solidos centum argenti componat, et suam justitiam postmodum absque lege aut aliqua compositione recipiat. Prædictas enim causas memoratæ ecclesiæ pontificibusque atque servis Dei inibi Domino famulantibus pro Dei amore et reverentia sanctorum concessimus, concessumque futuris temporibus esse volumus. Iterum iterumque jubentes præcipimus ut nullus ex fidelibus nostris, aut judex publicus, vel etiam quælibet immissa vel subrogata persona, aliquam inquietudinem aut injustam contrarietatem de prædictis monasteriolis sive cellulis et rebus et mancipiis ac censibus, nec non et de his quæ sive a nobis sive a successoribus nostris vel a reliquis Deum timentibus eidem ecclesiæ divina pietas deinceps augeri voluerit, nostris futurisque temporibus memoratæ ecclesiæ facere præsumat; sed sub hoc nostræ confirmationis et tuitionis præcepto in jure ejusdem episcopii omni tempore in nostra eleemosyna quiete ac pacifice et juste possideri, et legaliter tueri valeant, ita videlicet ut quidquid rectores vel ministri ipsius ecclesiæ pro opportunitate et utilitate de præfatis rebus facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi, quatenus pontifices ipsius sedis cum grege sibi commisso pro incolumitate nostra, conjugis ac prolis, et stabilitate imperii a Deo nobis collati sua gratissima miseratione per immensum conservandi jugiter Domini implerent misericordiam. Et ut hæc auctoritas per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione sigillari jussimus.

Signum Ludovici piissimi imperatoris.

Maginarius notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data Kal. Mart., anno, Christo propitio, 23 imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indict. 3. Actum Pictavis civitate publica in Dei nomine feliciter. Amen.

CC.

## PRO MONASTERIO ANTISSIODORENSI.

(*Anno* 835.)

[Apud Mabill. *Act. ord. S. Bened.*, sæc. IV, parte II, pag. 576.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus, quas majestatis nostræ auribus insinuaverint, divini cultus amore favemus, illius misericordiam

nobis propensius conciliandam omnino confidimus. A Quapropter notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia Christianus venerabilis abbas monasterii sancti Germani confessoris Christi, quod est situm in suburbio Antissiodorensium, adiens serenitatem culminis nostri suggessit mansuetudini nostræ, antecessorem suum abbatem, Deusdedit vocabulo, nostram jamdudum petivisse clementiam, ut nostræ auctoritatis præcepto licentiam sibi monachisque in eodem monasterio sub suo regimine degentibus daremus, abbatibus more humanæ fragilitatis decedentibus ex semetipsis secundum sancti Benedicti regulam eligendi abbatem. Nosque ejus rationabilibus precibus annuentes, non solum eamdem licentiam ob divinum amorem tribuisse, sed nostro B imperiali præcepto eam denuo confirmasse. Sed quoniam quibusdam emergentibus adversæ partis turbinibus idem nostræ confirmationis scriptum nobis fideliter obediendo excidisse seque amisisse professus est, humillimis precibus nostræ supplicavit clementiæ, ut memoratam auctoritatem nostri favoris benignitatisque abundantia rescriptam recipere mereretur. Cujus supplicationes dignas ac rationabiles judicantes, aurem illi accommodare libuit : et idcirco hos nostræ auctoritatis apices circa memoratum Christianum abbatem ac monachos in sæpedicto monasterio S. Germani confessoris Domini per tempora labentia sub regulari habitu degentibus fieri darique decrevimus : per quos præcipimus atque jubemus ut quandocunque quispiam abbatum ejusdem mona- C sterii divina vocatione rebus humanis excesserit, licentiam habeant ex semetipsis, si talis inter eos inveniri poterit, qui eis secundum regularem ordinem præesse valeat et prodesse, abbatem eligere : quatenus regularis ordinis normam ejus sanctissima administratione integerrime conservantes, imo adimplere studentes, pro nobis, conjuge proleque nostra, ac stabilitate et pace totius imperii a Deo nobis commissi attentius eos quietiusque Domini misericordiam indefessis precibus exorare delectet. Et ut hæc nostræ præceptionis auctoritas nostris et successorum nostrorum temporibus inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria nostra subter eam firmavimus, et annulli nostri impressione assignari D jussimus.

Data quarto Kalendas Augusti, anno, Christo propitio, vigesimo secundo imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione decima tertia. Actum Luco villa in Dei nomine feliciter. Amen.

CCI.

PRO CABILONENSI S. MARCELLI ECCLESIA.

(*Anno* 835.)

[Ex chartulario hujus ecclesiæ, apud D. Bouquet., tom. VI, pag. 601.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si fidelium nostrorum justis et rationabilibus petitionibus, quas pro ecclesiarum sibi commissarum necessitatibus nostris auribus intimare voluerunt, aurem accommodamus, easque ad optatum effectum perducimus, non solum regiam et imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem fideles nostros ad fidelitatem circa partes nostras propensius conservandam, sacerdotesque ac servos Dei in eisdem ecclesiis pro nostris excessibus Domini misericordiam exorantes promptiores atque devotiores reddimus. Proinde notum esse volumus omnium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque fidelium tam præsentium quam et futurorum, industriæ, quod Garinus comes, sub cujus cura atque regimine monasterium S. Marcelli, quod constat esse constructum in vico qui dicitur Hubiliacus, commissum habemus, nostram adiens celsitudinem, indicavit mansuetudini nostræ qualiter canonicis in eodem monasterio Deo deservientibus quasdam res ejusdem monasterii ipse et antecessores sui ad eorum diversas necessitates fulciendas atque sublevandas tribuissent, videlicet villam quæ dicitur Floriacus, sitam in pago Magnimontense, cum omni integritate sua, vel cum omnibus ad se pertinentibus; et in pago Cabilonense, in loco qui dicitur Boseronti, mansos XII cum omnibus ad se pertinentibus : obnixe nostram imperatoriam majestatis deprecans excellentiam, ut eorum facta nostra roboraremus confirmatione, quatenus deinceps inviolabilia perennibus temporibus perseverent. Cujus supplicationi, quam dignam judicavimus, annuere placuit; et quod, ut prædictum est, postulavit, ad effectum perducere non incongruum duximus. Proinde hos nostræ auctoritatis apices erga præfatos canonicos in memorato monasterio Domino per diuturna tempora militantes, divino inspirati amore fieri jussimus, per quos decernimus atque sancimus ut præscriptas res, [a] videlicet prænominatæ villæ', ac ante dictos mansos, cum omnibus ad se juste et legaliter pertinentibus, sicut ab ante dicto Warino comite atque prædecessoribus suis jam dictis canonicis collatæ sunt; ita per hanc nostram auctoritatem in eorum jure ac potestate, suis videlicet usibus diversisque necessitatibus ad divinum propensius cultum exsequendum famulantes, absque cujuslibet diminoratione aut retractione permaneant: et nullus successorum suorum, rectorum videlicet prædicti monasterii, ab eorum dominatione eas quoquomodo auferre, aut in quamlibet partem quacunque occasione transferre præsumat. Sed liceat eis jam dictis rebus ad Domini et Dei nostri famulatum diligentius peragendum absque cujusquam contrarietate uti; et quæcunque ad suos in Domini nostri Jesu Christi militia usus et necessitates pertinent, ordinare, disponere justeque efficere : quatenus sublata omnis indigentiæ penuria, pro nobis ac conjuge nostra, et pace ac stabilitate totius imperii a Deo nobis commissi attentius eos indesinenter Domini misericordiam exorare delectet. Et

[a] Legendum, *præscriptæ res . . . . ac antedicti mansi.*

ut hæc nostræ confirmationis auctoritas perpetuum obtineat vigorem, de annulo nostro subter eam jussimus sigillare.

Signum Ludovici serenissimi Augusti.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi.

Data VI Kalendas Augusti, anno, Christo propitio, 22 imperii domni Ludovici piissimi Augusti in Dei nomine feliciter. Amen.

CCII.

PRO MONASTERIO SITHIENSI.

(*Anno* 835.)

[Apud Mabill., *de Re diplomatica*, pag. 633.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si preces fidelium nostrorum devote nobis famulantium ad optatum effectum solitæ benignitatis liberalitate pervenire concedimus, abundantius credimus oportere suggestiones dilectissimi fratris nostri Hugonis venerabilis abbatis, quas omnino ratione plenas esse non dubitamus, dignissimo honorificentiæ propriæ effectu perficere, easque præcipue quæ manifesto suæ devotionis fervore ad divinum cultum propensius exsequendum pertinere noscuntur. Quapropter noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque, tam præsentium quam et futurorum industria, quia memoratus dilectus frater noster Hugo sacri palatii nostri archinotarius et venerabilis abbas monasterii Sithiu siti in pago Tervanninsi, constructi in honorem beatæ semper virginis genitricis Domini nostri Jesu Christi Mariæ ac beatorum apostolorum Petri et Pauli, in quo etiam corpora Christi confessorum Audomari atque Bertini tumulata noscuntur, nostræ innotuit celsitudini qualiter jam dudum tempore prædecessoris sui Fridugisi abbatis eidem monasterio nostram fecissemus auctoritatem, per quam illud cum omnibus ad se pertinentibus morem paternum avitumque sequentes, sub nostra constitueremus defensione et mundeburdo, atque immunitatis tuitione, necnon omnes cellas et villas, seu cæteras possessiones quæ in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii nostri consistunt, ut nullus successorum nostrorum divideret, aut in alios usus converteret, utque familia ejusdem monasterii nullis quibuslibet hominibus foderum daret, imperiali auctoritate decrevimus, petens ut eamdem nostram auctoritatem suo quoque nomine renovari juberemus. Nos itaque ob amorem divinum et reverentiam atque honorem eorumdem sanctorum, necnon et monitionem ejusdem fratris nostri, memoratam auctoritatem nostram circa eumdem locum rectoresque per tempora labentia sibi succedentes renovari censuimus, et ea quæ illic decreta fuerunt, præsenti etiam auctoritate roborare. Proinde hos nostros imperiales apices fieri jussimus, per quos successores nostros admonemus ut sicut monasterio prædicto sanctæ Mariæ et sancti Petri et Pauli atque beatorum Christi confessorum Audomari et Bertini concessimus : ita illi ratum et stabile permanere permittant, ut nullam divisionem in monasteriis aut cellis, vel villis, seu cæteris possessionibus in quibuslibet pagis et territoriis consistant, faciant aut facere permittant, aut in alios usus ipsas res retorqueant. Sed et hoc per hos imperiales apices sancimus atque decernimus ut nullus judex publicus aut quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii, quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra ditionem imperii nostri juste et legaliter possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas judiciario more audiendas vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas aut foderum exigendum, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam et servos distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exactare præsumat : sed liceat memorato abbati suisque successoribus vel prædicti monasterii, sicut in præcepto domni et genitoris nostri continetur, cum omnes fredos et bannos sibi concessos sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere : quatenus ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis ac prole nostra, vel etiam pro stabilitate totius imperii nostri a Deo nobis concessi atque conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa permanere, manu propria subter firmavimus et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris notarius ad vicem Hugonis abbatis recognovi et subscripsi.

Data Id. Augusti, anno 21 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 10. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

CCIII.

PRO COENOBIO FLORIACENSI.

(*Anno* 835.)

[Apud D. Bouquet., pag. 604.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina propitiante clementia [a], imperator Augustus.

Cum petitionibus servorum Dei, quas auribus clementiæ nostræ, compellente eos qualibet necessitate, insinuare studuerunt, favorem imperialis excellentiæ ejus amore, cujus militiæ jugiter deservire noscuntur, accommodare curamus ; illius procul dubio misericordiam conciliari credimus, cujus honore et amore id efficaciter [b] procuramus. Igitur notum esse volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque, præsentibus scilicet et futuris,

[a] *Repropitiante gratia*, apud Mabillonium, qui illud præceptum edidit lib. VI de Re diplom., p. 522.

[b] Apud eumdem, *id efficere*.

qualiter Boso venerabilis abbas ex monasterio sancti Benedicti, quod est constructum in pago Aurelianense, una cum congregatione sibi commissa, nostræ innotuit celsitudini eo quod avus noster bonæ memoriæ Pippinus rex de salute animæ suæ ac fratris sui Carolomanni cogitans, et de abolendis amborum peccatis, beatæque et perpetuæ vitæ præmiis consequendis, quamdam villam juris sui, quæ dicitur Suncampus [a], cum appendiciis et villis ac terminis ad se pertinentibus, memorato monasterio S. Benedicti per auctoritatis suæ præceptum delegasset: eoque tunc divina vocatione rebus humanis exempto, quidam vasallus ejus, nomine Gislearius, qui memoratam villam jure beneficiario possederat, postquam legitima traditio atque vestitura de eadem villa, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus ad partem ante dicti monasterii S. Benedicti facta fuerat, quasdam villu'as ad memoratam villam aspicientes vel pertinentes, quarum vocabula sunt Mairulfi-villa, Sigini-villa, Haderbaldi-villa, Enveri-villa, Catonis-villa et Frondonis-villa [b], jure beneficiario ad habendum usurpasset, atque injuste occupasset: et sic procedente tempore de jure sæpedicti monasterii elapsas esse. Sed cum ad hanc causam investigandam nobisque renuntiandam missos nostros, Jonam videlicet venerabilem Aurelianensem episcopum, et Hugonem illustrem comitem destinassemus, et tam ex eorum relatione quam et ex memorati avi nostri præcepti lectione luce clarius nobis pateficret, memoratas villas de jure sæpe dicti monasterii injuste abstractas fuisse: placuit nobis pro remedio animæ nostræ eas cum omnibus rebus ad se pertinentibus eidem reddere monasterio. Et ut hæc auctoritas donationis nostræ firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subter eam jussimus sigillare.

Ego Hirminmaris notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data II Nonas Januarias [c], anno, Christo propitio, 22 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 13. Actum Theodonis villa palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCIV.

### PRO MONASTERIO PRUMIENSI.

(*Anno* 835.)

*De concamio quod fecerunt Eberharius et Marcuardus abbas.*

[Apud Marten. *ampl. Collect.*, tom. I, col. 94.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverunt, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, et hoc in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, industria, quod Marcuardus venerabilis abbas monasterii cujus vocabulum est Prumia innotuit celsitudini nostræ eo quod cum quibusdam hominibus, qui Heberarius et Hebrardus nominantur, quasdam res et mancipia pro ambarum partium commoditatibus commutasset. Dedit igitur nostra permissione præfatus venerabilis Marcuardus abbas ex rebus prænominati monasterii in pagô Andegavinse et Rothinense, in locis qui dicuntur Hulmontillus, Carmarias, Boscus et Tillus præfatis Heberario et Hebrardo ad proprium perpetualiter habendum, qualumcunque inibi de jure ejusdem monasterii habeatur. Et e contra in compensatione earumdem rerum dederunt sæpe dicti Heberarius et frater suus Hebrardus de rebus propriis memorato Marcuardo venerabili abbati ad partem sæpe dicti monasterii sui in pago Nauvinse, in villa quæ dicitur Roccesheim, quantumcunque in eadem villa vel ipsius villæ marka jure proprietario possidebant, id est curtilem dominicatum cum ædificiis desuper positis, habentem de terra aratoria dominicata jornales LXXXII et proprisos [d] VI, in quibus sunt jornales C et XX, cum mancipiis desuper commanentibus, quorum numerus et nomina in commutationibus ab eis factis pleniter continentur. Dederunt etiam in villa vocante Husfileidesheim curtilem unum, ad quem aspiciunt de terra aratoria jornales XVIII, de prato in quo colliguntur feni carradæ tres, et de porprisa silva jornales octo, et aliam communem silvam non proprisam. Similiter etiam et in pago Wormacinse in villa vocante Haskmundesheim curtilem unum et jornales XXVIII de vineis in quibus colliguntur vini carradæ tres, et in Dionenheim et Rodulfisheim de vineis ad vini carradas duas colligendas. Et in Batenheim curtile I et de vinea ad unam carradam vini colligendam. Hæc autem superius denominata cum mancipiis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, sicut in commutationibus ab eis factis continetur totum et ad integrum, quæsitum et ad inquirendum, sicut præmissum est, præscriptis hominibus Heberario et Hebrardo antedicto Marcuardo venerabili abbati ad partem prædicti monasterii tradiderunt, ut in ejus jure perpetuo consistat. Unde et duas commutationes quarum mentionem fecimus pari tenore conscriptas, manibusque suorum et aliorum bonorum hominum manibus roboratas, obtutibus nostris ad relegendum allatæ sunt, sed pro integra firmitate petierunt celsitudinem nostram, ut easdem commutationes denuo per nostræ mansuetudinis præceptum plenius confirmare deberemus. Quorum petitionibus assensum denegare noluimus, sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste et rationabiliter petentium, ita nos illis concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Præci-

[a] Apud Mabill., *Suncantus*, vulgo *Souchamp*.

[b] Apud eumdem, *Marrulfi-villa*, *Sigiri-villa*, *Hadrebledi-villa*, *Numeri-villa*, *Cathenis-villa et Frondonis-villa*, vulgo *Mairouville*, *Sainville*, *Arbouville*, *Evrinville*, *Chatonville et Frouville*.

[c] Hic initium regni a mense Septembri anni 813 accersendum.

[d] Proprisus seu porprisum et purprisum est vox Teutonica, quam Goldastus interpretatur *invasum* seu *violenter occupatum*.

pientes ergo jubemus ut quidquid pars juste et rationabiliter alteri contulerit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, et quidquid exinde facere decreverit, libero in omnibus potiatur arbitrio faciendi. Et ut hæc confirmationis nostræ auctoritas inviolabilis perseveret, de annulo nostro subter eam jussimus sigillare.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi.

Data IV Idus Septembris, anno, Christo propitio, 22 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 13. Actum monasterio Prumiæ, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCV.

### PRO ALDRICO SENONENSI ARCHIEPISCOPO DE ABBATIA S. REMIGII.

(*Anno* 835.)

[Ex schedis mss. bibliothecæ S. Germani a Pratis, apud D. Bouquet., tom. VI, pag. 605.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si enim quod ad servorum Dei quietem pertinet devotissima sollicitudine et imperiali providentia procuramus, ad emolumentum animæ nostræ, vel ad æternam beatitudinem capessendam, hoc procul dubio pertinere non dubitamus. Idcirco notum fieri volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque, præsentibus scilicet et futuris, quia Aldricus venerabilis Senonicæ urbis archiepiscopus nostræ suggessit mansuetudini de quodam monasterio memorati episcopii sui, quod juxta muros ejusdem civitatis in honorem beati Remigii confessoris Christi positum fuerat, eo quod propter impedimenta quædam quæ ex propinquitate atque assiduitate præfatæ urbis monachi illic Domino famulantes perpeti videbantur, ipse in alterum locum, cujus vocabulum est Valliculas [*Al.*, Vallilias], octavo scilicet ab urbe eadem milliario, eum fecerit transmutari. Quem etiam locum Hrottaum quondam Meginarii comitis uxorem supradicto sancti Remigii monasterio, ob suam virique sui requiem atque remedium, donationis titulo delegavisse testatus est. Sed ne quamlibet contrarietatem aut inquietudinem a præsulibus per tempora labentia in eadem sede sibi succedentibus monachi, quos a memorato loco transmigrare fecerat, quolibet tempore perpeti cogerentur, privilegium eis ecclesiastica auctoritate, in urbe Wangionum una cum venerabilibus coepiscopis fidelibus nostris diversarum ecclesiarum constitutus, se fecisse professus est, sicut etiam eo perspecto atque relecto manifestissime claruit. In quo firmissime consensu omnium sanxerat, ut nullus pontificum sibi succedentium quidpiam de rebus quas in priore loco degentes possederant, imminuere, aut majora illi servitia, quam sub eo pertulerant, inferre præsumeret; sed liceret illis res ad memoratum monasterium religiosissima devotione fidelium delegatas quieto ordine possidere, nihilque eis oneris amplius imponere, quam in memorato privilegio cum eisdem venerabilibus episcopis confirmato constitutum esse constabat. Verum licet ecclesiastica atque pontificalis constitutio sua imoque divina auctoritate firma esse prævideat, tamen non indecens atque incongruum judicavit, si nostra etiam imperiali auctoritate sua constitutio firma esse perpetuo sanciretur. Proinde hos nostræ auctoritatis imperiales apices erga sæpedictum monasterium fieri decrevimus, per quos decernentes præcipimus atque sancimus ut, sicut a memorato venerabili Aldrico archiepiscopo, consentientibus reverendis dignissimo honore coepiscopis suis, constitutum ac privilegio eorumdem aliorumque complurium sacerdotum Christi atque abbatum manibus roborato confirmatum est: ita deinceps per hanc nostram auctoritatem fixum atque inconvulsum inviolabiliter permaneat. Nec quispiam episcoporum in memorata urbe per tempora labentia Christo propitio succedentium quidquam de his minuere, immutare, aut quidpiam servitii amplius quam in sæpedicto privilegio insertum est, augere præsumat; sed liceat monachis per tempora inibi Domino militantibus sub conditionibus in jam dicto privilegio taxatis quiete regulariterque vivere, et pro nobis, conjuge, proleque nostra, ac stabilitate imperii a Deo nobis commissi atque conservandi jugiter Domini misericordiam propensius exorare. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas tam nostris quam et successorum nostrorum temporibus inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter eam jussimus assignari.

Signum Ludovici serenissimi Augusti.

Hirminmaris notarius ad vicem Hugonis recognovi.

Data XVI Kalendas Decembris, anno, Christo propitio, 22 imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 13. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCVI.

### LOTHARII PRÆCEPTUM PRO MONASTERIO S. AMBROSII MEDIOLANENSIS.

(*Anno* 835.)

[Ughelli, *Italia sacra*, tom. IV, p. 80.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi, Dei æterni, Lotharius, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Quanto præcellentius humanitas viget prælata, tanto studiosius divinis exsequi debet obsequiis, et quælibet postulata fidelium ad hoc pertinentia devota obaudire voluntate atque perficere decertatione; quatenus ex commissis largitoris benetractans placitis, ejus opitulante clementia, et præsentia feliciter transire valeat, et æterna inenarrabili pietate collata felix feliciter adipiscere mereatur. Denique dum dilecta conjux nostra Hirmingardis, divinarum sollicita, studiosissime nostram sedulo monere procuraret clementiam, ut locis Deo dicatis nostram sublimaremus munificentiam, occasione actuata ex dilectione fratris sui, puerili elegantia delati, Hugonis nomine, instantius hoc suadere decertavit: ut

augmentum pietatis nostræ, et emolumentum mercedis in loco quo ipse corpore humatus exstitit, cœmeterio scilicet S. Ambrosii, ad decorem luminis, ob procurationem ecclesiæ ornamenta quædam conferremus beneficia pro mercedis nostræ augmento et præfati pueri cumulo beatitudinis. Quapropter cunctorum comperiat fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque, præsentium scilicet et futurorum, sagacitas, quia nos ejusdem dilectæ conjugis nostræ beneplacitis precibus dignare volentes, assensum præbuimus: ideoque eidem sancto loco pro remedio ejusdem pueri nostram beneficentiam conferamus quamdam curtem, nomine Lemonta, cum cura indomnicata, et capellam ad se aspicientem, dicatam scilicet in honore sancti Genesii, nec non oliveta, vel mansa, sed cum mancipiis ibidem commanentibus, vel aspicientibus, triginta quatuor vel omnibus pertinentiis seu adjacentiis suis, ita ut ab hodierna die futura pro tempore rectores ejusdem loci eam ad decorem luminis, et ornamenta ecclesiastica procuranda, pro remedio animæ prædicti pueri sub pertinentia ejusdem loci teneant atque possideant, et ut cæteras res ejusdem ecclesiæ secundum utilitatem ipsius loci disponant. Pro firmitatis namque gratia circa eumdem sanctum, et venerabilem locum solemni munere has nostras litteras fieri jussimus : per quas decernimus, rateque mansurum constituimus, ut nullus fidelium sanetæ Dei Ecclesiæ nostrorumque, præsentium scilicet et futurorum, præfatæ sanctæ ecclesiæ ex hac suprascripta curte, suisque pertinentiis, vel adjacentiis, quamlibet inferre præsumat molestiam aut contrarietatem; sed rectores ejusdem loci perennis temporibus eum quieto ordine fruentes, et secundum utilitatem ejusdem ecclesiæ gubernantes attentius prædicti pueri exorent veniam, et æternæ beatitudinis gloriæ perceptionem, nostramque divinitus deprecentur felicissimam incolumitatem. Et ut hæc nostra auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque diligentius conservetur veriusque credatur, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione subter assignari jussimus.

Signum Lotharii gloriosissimi Augusti.

Druetemirus ad vicem Egilmari recognovi et subscripsi.

Datum nono Kal. Februarii, anno, Christo propitio, imperii domini Lotharii imperatoris 12, indictione 13. Actum Papiæ civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCVII.

### PRO CLERICIS DIŒCESIS CREMONENSIS.

(*Anno* 835.)

*Lotharius I imperator clericos diœcesis Cremonensis conquerentes quod parafreda et currus præstare coacti fuissent ad servitium cameræ imperialis, facta inquisitione justitiæ, ab hujusmodi onere absolvit.*

[Muratori, *Antiquitatis Italicæ* tom. II, pag. 61.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, A Lotharius, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Si petitionibus servorum Dei, in quas nostris auribus patefecerint, libenter annuimus, et eas ad effectum perducimus, hoc nobis procul dubio ad mercedis nostræ augmentum et æternam beatitudinem capessendam pertinere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque, præsentibus scilicet et futuris, quia omnes presbyteri et parochia Cremonensis tam de plebibus quamque et de oraculis, ante nostram venientes præsentiam, nostræ innotuerunt celsitudini quod parafreda et carra ad nostram cameram deportandam injuste dedissent. Quam causam diligenter Ructaldo sacri palatii capellano nostro, nec non et Maurino comiti palatii nostri, seu et Adalgiso comiti inquirere B præcepimus, si per justitiam ipsa parafreda vel ipsa carra ad nostrum servitium peragendum dare debuissent, an non. Sed diligentissime hoc perquirentes nobis renuntiaverunt quod contra justitiam supra memorata parafreda vel eadem carra ipsi sacerdotes dedissent. Quapropter omnibus fidelibus nostris præcipimus ut nullus deinceps eis de ipsis parafredis vel carris nullam contrarietatem inferre præsumat, nec ad nostrum peragendum servitium, nec etiam alicui personæ : sed liceat eis quidem possidere, et pro nostra, et uxoris et filiorum nostrorum incolumitate Domini clementiam delectabilius exorare. Et ut hæc nostra auctoritas omni in tempore firmior habeatur, C et per futura tempora inviolabiliter conservetur, de annulo nostro subter sigillari jussimus.

(*Non adest subscriptio imperatoris.*)

Druetemirus subdiaconus atque notarius ad vicem Abumari recognovi.

Data Nonas Martii, anno, Christo propitio, imperii domini Lotharii pii imperatoris 17, indictione 13. Actum Sexpilas palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCVIII.

### PRO ECCLESIA HELENENSI.

(*Anno* 836.)

D [Apud Baluzium in *Append.*, *ad Marcam Hisp.*, col. 775.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina propitiante [repropitiante] clementia, imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei eisque in eisdem locis famulantibus beneficia opportuna largimur, præmium apud Dominum æternæ remunerationis nobis rependi non diffidimus. Igitur notum esse volumus cunctis fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quod venerabilis Fulmo [a] ecclesiæ Helenensis episcopus deprecatus est

[a] Vocatur Ramno in eodem præcepto, quod Baluzius vitiatum jam ediderat; sed corrigendum videtur, *Salomon*, qui anno 832 jam erat episcopus. Beringarius enim comes, coram *Salomone* episcopo, Babilano

majestatis nostræ misericordiam ut prædictam sedem cum omnibus ad se juste et legaliter moderno tempore pertinentibus, sub nostra tuitione et immunitatis defensione cum omnibus rebus, id est cella S. Felicis, cum omnibus terminiis et appendiciis suis, et villa quæ dicitur Torrente, et alio vocabulo Alamanis, et spedulia, et pro congruentia ecclesiæ suæ territorium a Petrafita usque super sua claustra, et cellulam etiam S. Juliani, vel terras quas sui homines ex eremo traxerunt, necnon mediam partem pulveratici ex rafica, et ex mercato similiter, seu de pascuario, constitueremus: quo ita et nos fecisse omnium vestrum cognoscat industria. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias, villas, loca, vel agros, seu reliquas possessiones memoratæ ecclesiæ, quas moderno tempore possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius loci voluerit divina pietas augeri, ad causas judiciario more audiendas vel discutiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ contra rationis ordinem distringendos, nec ullas redhibitiones nec illicitas occasiones requirendas, ingredi audeat. Præcipimus etiam atque jubemus ut res quas moderno tempore juste et legaliter possidet, vel quæ ibidem divina pietas augeri voluerit, in eorum jure et dominatione absque cujuslibet inquietudine aut illicita contrarietate persistant, neque ullam indebitam calumniam aut repetitionem de eis a quoquam ullo unquam tempore patiantur; sed liceat eis memoratas res, cum omnibus ad se juste et legaliter pertinentibus, absque alicujus injusta contradictione quieto ordine possidere, et de eis jure ecclesiastico disponere quidquid voluerint; quatenus nostro juvamine divinum cultum copiosius exsequentes, pro nostra, conjugis, prolisque nostræ incolumitate, et stabilitate imperii nostri eos Domini misericordiam attentius exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostra præsentibus futurisque temporibus inconvulsa permaneat, manu propria eam subter firmavimus, et annulo nostro sigillari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi.

Data III Nonas Martias, anno, Christo propitio, 23 [a] imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 14 [b]. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCIX.

### LUDOVICI PII DIPLOMA PRO ECCLESIA CENOMANENSI.

(*Anno* 836.)

[Apud Baluz., *Miscell.*, tom. I, pag. 97.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris, præsentibus et futuris, notum sit quia vir venerabilis Aldricus Cenomanicæ urbis episcopus, divino honore fervens pariter et amore, monasteriolum in sua parochia novo opere suoque proprio sudore et labore in honore Dei et Salvatoris nostri ac sanctæ ejusdem genitricis Mariæ beatorumque martyrum Gervasii et Protasii atque Stephani cunctorumque generaliter sanctorum in loco qui prius vulgo Broialus vocabatur, construere studuit, et ad optatum dignumque decorem atque perfectionem summo studio perducere procuravit, congruoque tempore dedicavit solemniter, et de rebus jam dictæ sedis sibi divinitus commissæ sufficienter ad necessitates varias monachorum in eo Domino militantium abunde fulciendas atque supplendas ditare non distulit. Unde et scriptum quoddam sua cæterorumque venerabilium episcoporum reliquorumque ordinum Deo servientium nec non laicorum religiosorumque pariter ac nobilium manibus roboratum nostræ majestatis obtutibus offerens, humiliter nostræ supplicavit clementiæ ut quod ipse divino tactus amore pia religiosaque devotione superno fultus auxilio fecerat, nostra imperiali auctoritate roborare atque in perpetuum absque cujuslibet convulsione aut tergiversatione firmissimum permanere deberet decernere studeremus, et ut monachi inibi degentes una cum consensu suo successorumque ejus licentiam inter se eligendi haberent abbates qui eos secundum regulam sancti Benedicti regerent. Cujus piissimis Deo amabilibus et nobis admodum amplectendis supplicationibus aurem favoris libentissime accommodantes, hanc nostræ auctoritatis conscriptionem ei fieri ac dari præcepimus, per quam decernimus atque sancimus ut memoratum opus religiosissimis ab eo patratis studiis omni tempore firmum et stabile permaneat, quemadmodum in memorato devotionis suæ scripto, quod nobis obtulerat ad relegendum, ipse complexus est, neque de rebus quas ad idem monasteriolum contulit, a quoquam ullo unquam tempore quippiam minuatur, aut conditiones inibi studio ejus inditas qualibet occasione convellere aut ullatenus quisque negligere præsumat, sed quemadmodum ab eo pie religioseque sancita sunt, ita per hanc nostram auctoritatem inconvulsa perenniter maneant. Quandoquidem autem divina vocatione abbas qui præsenti tempore præfectus est, aut qui futuris temporibus subrogandi sunt, ab hac luce migraverint, una cum consensu ejusdem Aldrici episcopi successorumque ejus, præsulum videlicet memoratæ sedis, licentiam habeant ex seipsis eligendi abbates, si tales inter eos reperiri potuerint qui eis merito vitæ et scientiæ

Arulensi abbati res ejus monasterii in integrum restituit, facta eidem charta revestitoria IV Nonas Februarias, anno 19, imperante domno nostro Ludovico imperatore. Vide Marcam Hispanicam, pag. 769.

[a] Pessime in exemplari vitiato, *anno* 20. Domnus Vaissetius, tomo I Historiæ Occitaniæ, pag. 715, col. 1, corrigendum censet *anno* 8, ut quadret indictio, et præceptum refert ad annum 821; sed non animadvertit vir doctissimus Hugonem, ad cujus vicem recognitum est præceptum, nonnisi anno 834 Theotoni in cancellarii munus successisse.

[b] Sic restituimus exemplari vitiato. Male in edito, *indictione* 13.

secundum regulam sancti Benedicti præesse et prodesse possint. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas perpetuam nostris successorumque nostrorum temporibus obtineat firmitatem, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Hincminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data XVII Kal. Julii, anno, Christo propitio, 23 imperii domni nostri Ludovici piissimi Augusti, indictione 15. Actum Gundulfi villa in Dei nomine feliciter. Amen.

### CCX.

PRO EADEM ECCLESIA.

(*Anno* 836.)

[Apud Baluz., *ibid.*, pag. 100.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Notum igitur esse volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus et futuris, quia Aldricus Cenomanicæ urbis venerabilis episcopus obtulit ad relegendum majestatis nostræ obtutibus quoddam devotionis atque dispositionis suæ scriptum quo statuerat atque religiosa distributione disposuerat qualiter res quæ tempore suæ decessionis in episcopio sibi commisso invenirentur, in sua eleemosyna, secundum voluntatem modumque a se ecclesiastice descriptum fideliter largirentur, petens humiliter ut quod a se pia devotione votoque religiosissimo constabat dispositum, nostra imperiali auctoritate fieret inconvulsum. Cujus venerabilibus supplicationibus annuentes hanc nostræ auctoritatis conscriptionem ei fieri jussimus; per quam decernimus atque sancimus ut quemadmodum ab eo per memoratum scriptum dispositum atque distributum constat, ita modis omnibus observetur atque firmissime teneatur, neque cujuslibet cupida improbitas improbaque cupiditas id ullo astu convellere audeat, aut quippiam in suos usus retorqueat, sed sicut ab eo, ut diximus, religiosissime statutum liquido cernitur, ita ab his quos ad eamdem distributionem impetrandam elegerit, incunctanter atque intrepide perficiatur; quatenus et ipse tantæ dispositionis fructum in æterna beatitudine ab omnium retributore percipiat, et nos ejusdem beatitudinis consortium copiosius consequi mereamur. Ut igitur hæc nostra auctoritas inviolabilem obtinere valeat vigorem, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data VII Idus Septembris, anno, Christo propitio, 23 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione prima.

Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

### CCXI.

PRO EADEM ECCLESIA.

(*Anno* 836.)

[Apud Baluz., *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu A Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si sacerdotum servorumque Dei justis et rationabilibus petitionibus aurem accommodamus, eorumque justas et rationabiles postulationes ad optatum effectum perducimus, non solum regiam et imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorandos devotiores promptioresque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam facilius nobis conciliandam esse confidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque, præsentibus scilicet et futuris, quia Aldricus venerabilis episcopus obtulit nobis quasdam aucto- B ritates regum Francorum videlicet decessorum nostrorum erga monasterium suum quod extra muros ejusdem urbis in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ et sancti Petri apostolorum principis aliorumque sanctorum situm atque consecratum est factas, per quas eum immunem a quibuscunque publicis functionibus statuentes sub sua immunitate et defensione constituerunt, suppliciter postulans ut pia facta antecessorum nostrorum consueta benignitate et mansuetudine nostræ celsitudinis roboranda imperiali auctoritate sanciremus. Cujus precibus aurem favoris libentissime accommodantes, has auctoritatis nostræ litteras circa memoratum monasterium fieri jussimus; per quas præcipientes volumus atque jubemus ut nullus quislibet majoris aut inferioris C ordinis seu quisquam ex judiciaria potestate in curtes et villas seu loca aut agros ejusdem monasterii ad causas judiciario more audiendas et inferenda exigenda, aut teloneos requirendos, nec freda aut fidejussores tollendos, seu mansiones aut paratas faciendas, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam servos distringendos, nec ullas redhibitiones requirendas seu exigendas, ullo unquam tempore ingredi præsumat aut exigere audeat; sed quidquid exinde fiscus sperare poterat, totum in luminaria ejusdem ecclesiæ atque necessitates congregationis in eo Domino militantis sublevandas ac fulciendas perpetuo cedat atque proficiat, quatenus memoratam congregationem pro nobis, conjuge, ac prole nostra, et stabilitate totius imperii nostri D Domini misericordiam attentius exorare delectet. Si quis autem judiciariæ potestatis tam temerarius exstiterit ut hanc nostram eorumque præceptiones violare conetur, noverit se, sicut in prædecessorum nostrorum immunitatibus continetur, DC sol. esse multandum, ex quibus duas partes rectores memorati monasterii, tertiam vero fiscus noster recipiat. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Ludovici piissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovit et subscripsit.

Data x Kal. April., anno, Christo propitio, 23 im-

perii domni nostri Ludovici piissimi Augusti, indictione 4.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

CCXII.

PRO EADEM ECCLESIA.

(*Anno* 836.)

[Apud Baluz., *ibid.*

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si petitionibus sacerdotum servorumque Dei, justis et rationalibus postulationibus pro quibuslibet ecclesiarum sibi commissarum negotiis et necessitatibus eorum aures nostras libenter annuimus, et eas cum Dei auxilio ad effectum perducimus, non solum regiam et imperatoriam exercemus consuetudinem, sed id nobis ad æternæ remunerationis præmia percipienda profuturum liquido credimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quoniam adiens serenitatem nostram Aldricus venerabilis Cenomanicæ urbis episcopus innotuit nobis quod monasterium Anisolæ situm infra terminos parochiæ suæ, in quo etiam sanctus Carilephus corpore requiescit, a jam dicto domno Carilepho concedente atque ordinante domno Innocente præscriptæ urbis quondam episcopo de rebus tam sui episcopii quam et de rebus aliorum bonorum hominum tam regum quam et aliorum nobilium virorum memorato domno Carilepho traditis, quas et ipse postea per instrumenta chartarum et per licentiam sive permissum atque consensum Childeberti regis Francorum ad matrem et civitatis ecclesiam, quæ est constructa in honore sanctæ Mariæ Dei genitricis et sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, instante et confirmante jusso prædicti Childeberti regis Francorum, et tradidit atque canonice et legaliter confirmavit, in quibus rebus prædictum monasterium fundatum a jam dictis sanctis viris atque constructum est, et a prædictæ sedis pontificibus canonice legibusque longo tempore possessum atque dominatum, sed quibusdam intervenientibus causis postmodum a jure præfatæ matris ecclesiæ subtractum et aliquo tempore injuste fuisse alienatum. Sed hæc omnia, ut nobis a Drogone fratre et archicapellano nostro et a reliquis fidelibus missis nostris, quibus hoc investigare et diligenter inquirere præcepimus, veraciter renuntiatum est et scriptis manifestatum a bonæ memoriæ domno et genitore nostro Carolo gloriosissimo rege Francorum ad liquidum olim fuisse tam per se quam per fidelissimos missos suos perscrutata et diligenter investigata, et post rei veritatem veraciter investigatam pleniterque per omnia cognitam ad jus et dominationem præscriptæ Cenomanicæ matris ecclesiæ Franconi ejusdem ecclesiæ episcopo Anisolæ monasterium canonice et legaliter redditum, et per suum præceptum, propria scilicet sua manu roboratum, et annuli sui impressione signatum, futuris temporibus jure ecclesiastico possidendum, ut vere quod asserebat, veraciter nobis per omnia patesceret, obtulit obtutibus majestatis nostræ quædam instrumenta sanctorum propriis subscriptionibus firmata, monumenta videlicet chartarum, et prædicti domni et genitoris nostri Caroli piissimi Augusti inquisitionem atque supranominatum præceptum, per quod, ut jam dictum est, præscriptum Anisolæ monasterium memoratæ matris ecclesiæ solemniter et legaliter reddidit. Insuper detulit nobis nonnulla aliorum regum præcepta non pauca decessorumque nostrorum regum videlicet Francorum, propriis manibus corroborata, et sigillis eorum subter sigillata; quibus inspectis atque relectis evidenter ostenditur prædictum monasterium juris sæpedictæ sedis Cenomanicæ sibi commissæ esse, et in ipsius dominatione jure firmissimo debere persistere, qua de re humiliter implorans nostram clementiam ut quod tam evidentibus indiciis declaratur, nostra quoque assensione, imo auctoritate declararetur. Quæ ita liquidius cognoscentes, eisque ob amorem Dei et ejusdem sanctæ sedis reverentiam favorem nostri culminis adhibere dignum judicantes, hanc auctoritatis nostræ præceptionem suis per tempora successoribus fieri ac dari jussimus, per quam decernimus atque sancimus ut memoratum monasterium Anisolæ quod aliquandiu ab eorum jure et ditione subtractum fuerat, abhinc in posterum habeant et possideant; ut quidquid more ecclesiastico de eo disponere voluerint, liberam habeant potestatem, neque ullo deinceps tempore a jure præscriptæ sedis ejusque rectorum qualibet occasione aut violentia segregetur, sed semper in illius rectorumque ejus potestate et dispositione et voluntate ad divinum cultum propensius exsequendum cum omnibus ad se pertinentibus integerrime sincerissimeque perpetuo consistat. Et ut hæc nostræ redditionis auctoritas inviolabilem et inconvulsam perpetuamque obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Ludovici piissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data VII Idus Septemb., anno, Christo propitio, 23 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione prima.

Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

CCXIII.

PRO ALDRICO CENOMANENSI EPISCOPO.

(*Anno* 836.)

*Privilegium monetæ ei ejusque successoribus conceditur.*

[Apud Baluz., *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si sacerdotum servorumque Dei justis et rationabilibus petitionibus ad optatum aurem accommodamus, non solum regiam et imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorandos devotiores promptioresque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam facilius nobis conciliandam esse confidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque, præsentibus scilicet et futuris, quia vir venerabilis Cenomanicæ urbis episcopus, Aldricus nomine, nobis innotuit eo quod antecessores sui, Merolus scilicet et Gauzciolenus, atque prædecessores eorum, in prædicta urbe monetam publicam per præcepta bonæ memoriæ domni et genitoris nostri Caroli et Pippini avi nostri sive Theoderici regis atque anteriorum regum plena eorum auctoritate concessam prædictam monetam habuissent, quæ propter ablationem rerum prædictæ sedis ecclesiæ, sive propter vastationem earum, aliquo tempore, licet parvo, nostroque sive in fine genitoris nostri prædicta moneta dimissa et propter prædictarum rerum inopiam atque desolationem cessata esset; quam neque nos, neque domnus Carolus genitor noster, neque ullus missus noster nostra aut sua auctoritate prohibuit, sed solummodo propter præfatam indigentiam dimissa esset. Obtulit etiam antedictus episcopus obtutibus nostris præcepta regum prædecessorum nostrorum videlicet Francorum, in quibus continebatur quod prædicta moneta antecessoribus prædicti Aldrici episcopi a præscriptis regibus concessa antiquis et modernis temporibus fuisset. Quæ et nos relegentes tanta invenimus, et signa atque sigilla regum prædecessorum quoque nostrorum in eis inspicientes, vera esse quæ dicebat cognovimus. Idcirco præcipientes jubemus ut nullus missus noster vel comes ipsius provinciæ aut quislibet ex judiciaria potestate ei successoribusque suis ex præfata moneta ullo unquam tempore aliquam calumniam aut molestiam aut injustam pulsationem sive causationem atque machinationem facere præsumat, sed nostris futurisque temporibus præscripta moneta in præfata urbe sæpedicto episcopo atque ejus successoribus permaneat; ita tamen ut hoc prævideat tam præfixus Aldricus quam et sui successores, ut aliqua falsitas in ipsa moneta non appareat. Et ut hæc concessio nostra de prædicta moneta futuris conservetur temporibus, quam nos pro Dei amore et pro reverentia ipsius loci fieri jussimus, et verius credatur et diligentius conservetur, manu nostra subter firmavimus, et de annulo nostro sigillari jussimus.

Signum Ludovici piissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data XI Kal. Aprilis, anno, Christo propitio, 23 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 14.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCXIV.

### PRO MONASTERIO S. CARILEPHI.

(*Anno* 836.)

[Apud Baluz., *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si sacerdotum servorumque Dei justis et rationabilibus petitionibus aurem accommodamus, eorumque justas et rationabiles postulationes ad optatum effectum perducimus, non solum regiam et imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorando devotiores promptioresque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam facilius nobis conciliandam esse confidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque, præsentibus scilicet et futuris, quia Aldricus venerabilis urbis Cenomanicæ episcopus obtulit nobis quasdam auctoritates regum Francorum decessorum videlicet nostrorum erga monasterium suum quod infra terminos prædictæ urbis parochiæ in loco qui vocatur Anisola, in quo sanctus Carilephus corpore requiescit, in honore prædicti sancti Carilephi aliorumque sanctorum situm atque consecratum est factas, per quas eum immunem a quibuscunque publicis functionibus statuentes sub sua immunitate et defensione constituerunt, suppliciter postulans ut pia facta antecessorum nostrorum consueta benignitate et mansuetudine nostræ celsitudinis roboranda imperiali auctoritate sanciremus. Cujus precibus aurem favoris libentissime accommodantes, has auctoritatis nostræ litteras circa memoratum monasterium fieri jussimus; per quas præcipientes volumus atque jubemus, ut nullus quislibet majoris aut inferioris ordinis seu quisquam ex judiciaria potestate in curtes vel villas seu loca aut agros ejusdem monasterii ad causas judiciario more audiendas, vel inferenda exigenda, aut teloneos requirendos, nec freda aut fidejussores tollendos, seu mansiones aut paratas faciendas, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam servos distringendos, nec ullas redhibitiones requirendas sive exigendas ullo unquam tempore ingredi præsumat, aut exquirere audeat; sed quidquid exinde fiscus sperare poterat, totum in luminaria ejusdem ecclesiæ atque necessitates congregationis in eo Domino militantis sublevandas ac fulciendas perpetuo cedat atque proficiat, quatenus memoratam congregationem pro nobis, conjuge, ac prole nostra, et stabilitate totius imperii nostri Domini misericordiam attentius exorare delectet. Si quis autem judiciariæ potestatis tam temerarius exstiterit, ut hanc nostram eorumque præceptiones violare conetur, noverit se, sicut in prædecessorum nostrorum immunitatibus continetur, DC sol. esse multandum, ex quibus duas partes rectores memorati monasterii, tertiam vero fiscus noster accipiat. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria

subter eam firmavimus et annuli nostri impressione A assignari jussimus.

Signum Ludovici piissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data VII Idus Septembris, anno, Christo propitio, 25 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione prima.

Actum Carisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

CCXV.

VILLA LUGDUNUM DATUR ECCLESIÆ CENOMANICÆ.

(*Anno* 836.

[Apud Baluz., *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, B imperator Augustus.

Si fidelium nostrorum justas et rationabiles petitiones ac postulationes, quas pro utilitate et exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ exposcunt, ad optatum effectum perducimus, non solum regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcirco omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus et nostris, præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus quia Banzlegbus comes et Saxoniæ patriæ marchio noster nobis innotuit quod quamdam villam sitam in pago Cenomanico, nomine Lugdunum, de jure canonicæ matris ecclesiæ per nostrum beneficium possideret, de qua per singulos annos nonas et legitimos census atque C decimas partibus præfatæ matris ecclesiæ et ejusdem rectoribus persolveret. Qua de re memoratus Banzlegbus pertractans casum humanæ fragilitatis, et pavescens ultimum vocationis diem, timensque ne præfata villa aliquo cupiditatis suæ stimulo vel quolibet ingenio a jure præscriptæ matris ecclesiæ alienata fieret, ideoque fervens amore divino, adiit clementiam nostram suppliciter deprecans ut memoratam villam nomine Lugdunum cum omnibus ad se pertinentibus partibus prædictæ Cenomanicæ sedis ecclesiæ et Aldrico ejusdem urbis venerabili pontifici, præsentaliter nostra imperiali auctoritate redderemus, et hanc redditionem per nostrum præceptum futuris temporibus firmius eidem ecclesiæ suisque rectoribus possidendam confirmassemus. D Cujus petitionem ob amorem Dei et reverentiam ejusdem sancti loci servorumque Dei inibi Domino famulantium libenter audivimus, et deprecationem ac pium desiderium ejus ad optatum effectum adimplere dignum duximus. Quapropter per hoc nostræ auctoritatis scriptum statuentes decernimus atque jubemus ut quemadmodum sæpedictus Banzlegbus fidelis noster memoratam villam cum omni integritate, sicut illa die sub jure nostræ potestatis erat quando a largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat pro emolumento animæ nostræ et stabilitate imperii nostri memorato venerabili Aldrico episcopo ad partem suæ ecclesiæ præsentialiter reddidimus, ut in perpetuo in utilitates et usus ejusdem ecclesiæ Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerentibus atque humiliter postulantibus prædictis fidelibus nostris, memorato videlicet Aldrico venerabili episcopo et Banzlegbo jam dicto fideli nostro hoc confirmationis nostræ atque redditionis præceptum sæpedicto Aldrico episcopo vel ad partem jam dictæ urbis fieri jussimus; per quod decernimus atque jubemus ut nullus sub ditione imperii nostri degens ullo unquam tempore de prædicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuscunque pagis vel locis sæpedicto Aldrico episcopo suisque successoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere præsumat aut quamlibet calumniam ingerere, sed liceat ei et successoribus suis quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis et territoriis sive mancipiis et cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere et possidere; et quidquid pro opportunitate et commoditate præfatæ sedis ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant futuris temporibus potestatem faciendi. Et ut hæc nostræ redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus et de annulo nostro sigillari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data XI Kalend. Aprilis, anno, Christo propitio, 25 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione prima.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

CCXVI.

PRO SENONENSI S. COLUMBÆ MONASTERIO.

(*Anno* 836.)

[Ex schedis mss. bibliothecæ S. Germani a Pratis apud D. Bouquet., tom. VI, pag. 610.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina propitiante [repropitiante] clementia, imperator Augustus.

Notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia olim dum monasticum ordinem usquequaque depravatum esse constaret, et ad eum corrigendum atque emendandum, imo ad pristinum debitumque modum et rectitudinem, auxiliante Domino, reducendum, quemdam abbatem ejusdem ordinis ferventissimum, Benedictum cognomine, per monasteria imperii a Deo nobis commissi destinaremus; contigit eum ad monasterium quod dicitur S. Columbæ, haud procul ab urbe Senonensi devenire: in quo cum cætera regulariter ordinare satageret, quia tunc temporis abbatem canonicum, Jacob vocabulo, inibi præesse contigerat, quasdam villas quæ priscis temporibus ad usus fratrum ibidem Deo famulantium fuerant destinatæ, segregavit, ut absque regali aut publico servitio, vel quolibet abbatis dono aut exactione usibus eorum perpetuo deservirent, id est

villam quæ dicitur Morus, cum omnibus ad se pertinentibus, et villam quæ dicitur Sarmasia, cum omnibus ad se pertinentibus; similiter et Tauriaci villam cum omnibus ad se pertinentibus; similiter villam Patricii cum omnibus ad se pertinentibus; similiter et villam quæ Longa-Aqua nuncupatur, cum omnibus ad se pertinentibus; similiter et illa omnia quæ in his villis pars prædicti monasterii habere dignoscitur: quarum nomina hæc sunt: Groinen villa, Aurosi villa, Messeriaci villa, Canapi villa, Coriaci villa, Gravunciaci villa, Floxi villa, Curtennis villa, Spiriaci villa, Abonis villa, Bandrici villa, Paciaci villa, Luponis villa, Syncleriaci villa, Reguiaci villa, necnon desuper fluvium, quod dicitur Fullonis, hospitiola duo, atque etiam illud quod Auffridus et Donatus nepotes Jeremiæ quondam Senonicæ urbis episcopi ad præfatum monasterium legaliter contulerunt: similiter vineas et terras aratorias ac prata quæ in circuitu memorati monasterii S. Columbæ esse noscuntur; atque hospitiola quæ in loco qui dicitur Canalis, esse noscuntur. Sed quoniam deinceps memoratum monasterium per subreptionem quorumdam Ecclesiæ Senonicæ subditum fuerat, licet hoc denuo liquidius cognoscentes, in suo eum [ipsum] jure et dominatione ac propriorum abbatum regimine constituissemus; veniens venerabilis vir Supplicius ejusdem abbas cœnobii ad nostræ majestatis præsentiam humiliter nostram supplicavit clementiam, ut nostram mereretur percipere præceptionem, per quam nostris futurisque temporibus idem nostrum constitutum firmum atque inviolabile permaneret. Cujus petitionibus favendum dignum ac rationabile judicantes, hos nostros imperiales apices erga sæpedictum monasterium fieri jussimus, per quos præcipimus atque sancimus ut nulli ecclesiæ subditum, sed in suo suorumque rectorum dominio et gubernatione degens, nihil obsequii aut solutionis vel quidquam servitii de memoratis villis ullo unquam tempore solvat, aut solvere compellatur: sed semper absque ulla sui diminutione in usus fratrum imbi Deo militantium variisque illorum necessitatibus deserviant; nec quispiam earum quidquam ejusdem aut alterius professionis abbas in beneficium cuipiam dare præsumat: sed, sicut diximus, eorum usibus pauperumque receptionibus perenniter obsequantur. Ea vero quæ ad sarcienda ejusdem monasterii tecta necessaria fuerint, de communibus ipsius

A monasterii rebus ut irrefragabiliter reficiantur, decernimus atque jubemus. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas nostris successorumque nostrorum temporibus inviolabiliter conservetur, manu propria nostra eam subterfirmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Data IV Nonas Aprilis, anno, Christo propitio, 23 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 13 [a]. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

### CCXVII.

#### PRO ROTONENSI S. SALVATORIS MONASTERIO.

(*Anno* 836.)

[Ex probationibus *Historiæ Britanniæ*, pag. 30, apud D. Bouquet., *ibid.*]

B In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si illius amore, etc. [b]. Cujus precatu permoti, simul et hortatu atque interventu fidelis nostri Nominoe commoniti, complacuit serenitati nostræ plebem quæ Rannac nominatur, cum omni integritate sua, nec non et locellum qui nominatur Plaz, imo et plebiculam quæ nominatur Ardon, per hanc nostram auctoritatem memorato monasterio atque monachis ibidem Deo per diuturna tempora militantibus tradere, etc. [c]

Data III Kal. Septembris, anno, Christo propitio, 23 imperii domini Ludovici, indictione 15 [d]. Actum Karisiaco palatio regio in Dei nomine feliciter.
C Amen.

### CCXVIII.

#### PRO VERENDARIO CURIENSI EPISCOPO [e].

(*Anno* 836.)

[Apud Grandidier, *Hist. de l'Eglise de Strasbourg*, tom. II, pag. 203.]

In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus

Notum sit igitur cunctis fidelibus sanctæ Ecclesiæ nostrisque, præsentibus scilicet et futuris, quia dilectus frater noster Drogo [f] archiepiscopus et sacri palatii nostri archicapellanus, nec non Rataldus [g] itidem episcopus, nostram adeuntes mansuetudinem innotuerunt, eo quod dum divino judicio quorumdam
D malevolentia et factione honoribus cœlitus nobis collatis dilati fuissemus [h], et Verendarius [i] venera-

[a] Corrig. *indict.* 14.

[b] Ut supra in præcepto pro eodem monasterio, col. 1251.

[c] Ut supra ibid.

[d] Corrigendum, *indictione* 14.

[e] Edidit diploma Schœpflinus, Alsat. diplom. tom. I, pag. 77, ex codice ms. Christiani Urstisii, qui est Basileæ, sed maxime incorrectum et mutilum. Illud hic damus, quale ex autographo descriptum D. de Jost nobis communicavit.

[f] Drogo filius Caroli Magni, episcopus Metensis an. 818 factus, semper fidelis remansit fratri Ludovico Pio, ut probant Annales Bertiniani, apud Bouquetum, tom. VI, pag. 195. Titulus archiepiscopi ei honoris causa fuit delatus. In Actis concilii Theodonis villæ, quo Ebbo Rhemensis an. 835 fuit depositus, primus inter omnes subscripsit Drogo archiepiscopus. Nominatur *Drogo frater et archicapellanus noster* in diplomate Ludovici Pii, quo an. 838 monasterium Anisolæ reddit imperator Adalrico Cenomanensi episcopo, apud Baluzium, lib. III Miscellan., pag. 96.

[g] Rataldus, sive Rothadus episcopus Suessionensis interfuit quoque depositioni Ebbonis Rhemensis, illumque jussu imperatoris duxit in abbatiam Fuldensem, ut narrat Flodoardus, in Historia Ecclesiæ Rhemensis, lib. II, cap. 20. Et Rataldum ad annos 831, 837, 838 memorat Eccardus, Franciæ orientalis tom. II, pag. 250, 289 et 309.

[h] Alludit imperator Ludovicus Pius ad suam de solio anno 833 nefande factam deturbationem.

[i] De Verendario sequentia tradit Fortunatus Spre-

bilis Curiæ episcopus causa fidelitatis nobis conservatæ honoribus propriis privatus exsilioque trusus consisteret, præceptum quoddam domini et genitoris nostri Caroli serenissimi imperatoris, per quod eidem ecclesiæ quasdam res proprietatis suæ solemni donatione contulerat, perditum et a jure ejusdem ecclesiæ penitus abstractum fuisse. Sed quoniam nostri causa memoratum episcopum exsilio deportatum constat, et eodem interstitio memoratam auctoritatem domini et genitoris nostri amissam tandem divina misericordia nobis pristino honori restitutis, memorato quoque episcopo propriæ ecclesiæ reddito, quia sine imperiali auctoritate memoratas res quæ sunt in pago Elisacense, in loco qui dicitur Selezistata [a], capella videlicet cum omnibus ad se pertinentibus, et in Curia civitate telonium ab itinerantibus sub firmitate juris suæ ecclesiæ nullatenus poterat detinere, petiverunt nostram similiter celsitudinem ut super eisdem rebus nostrum mereretur accipere conscriptum, per quod, absque cujuslibet illicita contrarietate aut inquietudine, eas partes sæpe dicti episcopii in posterum possidere ac jure legitimo disponere potuisset. Quorum rationabilibus precibus annuentes, hos nostræ auctoritatis apices memorato episcopo suisque per tempora labentia successoribus fieri ac dari decrevimus, per quas præcipimus atque jubemus ut deinceps sæpedictæ res cum omni integritate, et teloneus de omnibus itinerantibus ad ecclesiam dominæ sanctæ Mariæ, rectorumque, Christo propitio, illius perenniter maneant, et quidquid de eis jure ecclesiastico agere voluerint, liberam in omnibus habeant potestatem, neque ullam calumniam, aut diminutionem, sive detentionem pro ejusdem domini et genitoris nostri auctoritatis amissione ullo unquam tempore a quoquam se perpeti pertimescant, quatenus eos pro nostra nostrorumque omnium salute, atque imperii a Deo nobis collati stabilitate Domini clementiam liberius exorare delectet. Et ut nostra auctoritas indissolubilem obtineat firmitatem, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Data VI Idus Januarii, anno, Christo propitio, 22 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 14. Actum Francovurt [b], in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCXIX.

### PRO MONASTERIO LONGOVILLANO.

(*Anno* 836.)

[D. Calmet., *Hist. Lothar.*]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Ludovicus divina favente gratia Romanorum imperator Augustus.

Si loca divino cultui mancipata reformaverimus, et quæ corrigenda sunt pia intentione correxerimus, hoc procul dubio ad statibilitatem regni nostri et imperii, et ad remunerationem æternam recipiendam, talia facere non dubitamus. Quapropter noverit omnium nostrum et omnium fidelium Christianorum industria, quod fratres de ecclesia Glanderiensi, quæ in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ et sanctorum confessorum Martini, Digni, Bodagisli, atque Undonis consecrata, conquerendo adierunt nostram præsentiam, dicentes ecclesiam suam spoliatam fuisse a regibus qui ante progenitorem nostrum Carolum Magnum exstiterunt, de curiis et villis, et beneficiis a Domino Bodagislo patre beati Arnulphi Metensis episcopi ecclesiæ Glanderiensi collatis, et quæ ipsi constructores loci beatus Dignus et Undo, a tyrannis crudeliter ablata fuisse. Aurem ergo nostræ clementiæ eis accommodantes, et propter illud maxime quia ad imperium pertinebat ipsum cœnobium, consilium principum imperii super hoc quæsivimus, qui judicio curiæ eis reddendum esse quod injuste eis ablatum fuit; quod judicium libenti et grato animo audivimus. Per interventum igitur conthoralis nostræ Gruingardis reginæ, et filiorum nostrorum Lotharii Cæsaris, et Pippini, atque Ludovici, et Angilramni archicapellani palatii, et episcopi Metensis urbis, et principum Curiæ, reddimus eis curtem quamdam Grundstat, cum ecclesia et dote ejus, ac alias duas ecclesias de Mertenshein, et de Vettemberg, et dote earum, et sicut genitor noster, Carolus scilicet, et nos tenuimus, sic reddimus eam ex integro Deo et sanctæ ejus genitrici Mariæ, et beatis confessoribus Christi Martino, Digno, Bodagislo atque Undoni, cum omnibus appendiciis suis, cum hominibus suis et mulieribus, cum reditibus, cum censu, cum agris et molendinis, quæsitis et inquirendis, mobilibus et immobilibus, exitibus, fontibus, et illis omnibus consuetudinibus quibus ea usi fuimus, ipsis fratribus per auctoritatem imperialem et judicium principum reddimus. Si quis autem de successoribus nostris, regibus vel imperatoribus, vel potentes aliqui, vel tyrannus, vel malefactor, ipsam curtem quam reddimus, per potentiam vel violentiam, vel occasionem auferre, vel invadere, vel comambire [*Forte*, concambire], vel in precariam dare, vel abalienare tentaverit, vel impedierit, sanctam Mariam sentiat sibi adversatricem, et in omnibus beati confessores Christi Martinus, Dignus, Undo atque Bodagislus sint ejus perversitatis inimici et judices. Hanc ergo char-

cherus, in Rhetia, lib. III, pag. 98 : « Victori episcopo Curiensi suffectus Verendarius Ludovico charissimus..... Episcopatu et præfectura a filiis Ludovici privatur..... Liber autem factus imperator Verendarium restituit, ipsique omnia privilegia in Rhætia, idem de parochia et bonis Selestadii in Alsatia et aliis confirmat, » etc. Eamdem Selestadii traditionem memorant ad annum 835 Bucelinus, in Rhetia sacra et profana, pag. 173, et ad annum 836 Tschudius, Galliæ comatæ lib. I, part. IV, cap. 6, pag. 233, et inter monumenta Helvetico-Tugiensia D. L. B. de Zurlauben manuscripta, tom. VI, pag. 37, et Leu, Helvetisches Lexicon, tom. V, pag. 264, qui mortem ejus ad 3 Octobris 844 constituit.

[a] Hodie *Schelestadt* Alsatiæ oppidum.

[b] Schœpflinus male legit : *Aquisgrani palatio regio*, loco *Francofurt*. Addit quoque : *Hirminmarius notarius ad vicem Hugonis recognovi* ; quæ verba non leguntur in autographo.

tam videntibus principibus totius imperii, fratribus ecclesiæ Ganderiensis, in Sacrario sancti Petri conservandam et nostro sigillo jussimus eam insigniri.

Signum Ludovici imperatoris piissimi.

Hubaldus ad vicem Angelramni archicapellani subscripsi.

Actum Vormatiæ Idus Maii, anno Dominicæ incarnationis 836, indict. 7, Ludovico piissimo, anno consecrationis ejus 8, in regno Francorum imperante.

## CCXX.

### PRO MONASTERIO HOHENBURGENSI [a].

(*Anno* 837.)

[Ex transumpto Vidimato anni 1385, in tabulario episcopali Tabernensi [b], apud Grandidier, *Hist. de l'Eglise de Strasbourg*, tom. II, pag. 205.]

Ludovicus Dei gratia Romanorum imperator semper Augustus ad perpetuæ rei memoriam.

Pium esse censemus et consonum rationi arbitramur, ut ea quæ a genitore nostro Carolo piissimo imperatore personis ecclesiasticis et religiosi status provide sunt concessa, ne alicujus calumniæ patiantur incommoda, confirmationis nostræ robore muniamus. Accedens majestatis nostræ præsentiam dilectissima conjux nostra Judith semper Augusta et devota petivit quasdam litteras et privilegia renovari felicis recordationis venerabilis ducis patris sanctæ Odiliæ virginis. Ejus quoque petitionem libentissime adimplentes, hoc nostræ auctoritatis et immunitatis præceptum fieri jussimus, et decernimus atque sancimus, ut monasterium cujus vocabulum est Hohenburg, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, in nostra defensione consistant, sicut sub tuitione et defensione patris nostri permansisse constat. Ipse quoque princeps honorosus, ortu generosus, mente virtuosus, devotione gloriosus dux Adelricus, alio nomine Ethicus, suæ animæ consulens saluti ad vacandum Deo locum magis ab hominibus sequestratum, præfatum montem Hohenburg elegit habitaculum, non vallem, ibique ad serviendum Deo claustrum feminarum sive dominarum, ibique perenniter permanentium, instituit et construxit in omni honore et decentia, sicut decuit, mente et pietate tradens eis omnem dignitatem, dominium, principatum cum omni jure ad hujusmodi pertinentem, et dotando resignavit altari beatæ virginis Mariæ ibidem omnia bona immobilia et alia quæ habuit, specialiter Ehenheim Superius [c], Rodesheim [d], cum quindecim villis, quas voluit sub potestate prædictarum dominarum tempore perpetuo permanere. Commendavit ecclesiam prædictæ villæ suæ sanctæ Odiliæ, prædictum claustrum sive collegium Hohenburg cum omni jure et attinentia, bonis et cum aliis superius expressis pro utilitate dictarum dominarum, sicut fecit et fideliter donavit. Tradidit etiam prædictæ filiæ suæ et ejus posteris jure perpetuo possidendam jurisdictionem in curia dominicali superiori Ehenheim, et causas judiciario more audiendas et discutiendas, cum ecclesia in eadem curia sita, ejusdem ecclesiæ jus patronatus [e], ac jura ad dictam ecclesiam pertinentia cum omni jure et libertate resignavit. His et pluribus aliis a prædicto duce peractis, et post ejus mortem multo tempore et annis elapsis pluribus sancta Odilia virgo propter loci aptitudinem inferius claustrum [f] in valle construxit, quod cum dignitate, jure et pietate abbatissæ et cæteris dominabus in Hohenburg in nullo penitus derogaret. Et sciendum est quod sancta Odilia et posteræ ejus abbatissæ quam plures eam sequentes in Hohenburg pluribus annis et multo tempore quælibet sola post dicti claustri consummationem ambo claustra fideliter gubernabat et procurabat. Et hæc probant et affirmant quod eadem jura et potestates, dignitates, principatus et dominia a patre sanctæ Odiliæ sæpe dicto claustro in Hohenburg tradita permaneant et debeant inviolabiliter permanere. Et hæc sunt bona et nomina villarum quæ prædictus dux donavit et contulit ecclesiæ in Hohenburg: Brunstatt [g], Hfurt [h], Heimmersdorf [i], Limmiswiler [j], Hirsingen [k], Karolta. Curiam dominicalem dictam *Gutenhausen* cum quibusdam immunitatis juribus ex antiquo dominio Roshemii retinuit abbatia Hohenburgensis, a qua ad episcopum Argentinensem pervenit.

[a] Stylus et formulæ, Ludovico Pio inconsuetæ, diploma hoc multum suspectum, si non falsum omnino, arguunt.

[b] Vidimatum hoc diploma reperitur in charta judiciali membranacea anni 1487 tabularii Tabernensis, quæ pro titulo habet inscriptionem : *Acta und Handlung zwischen dem Closter Hohenburg, und den von Moersberg*. Vidimatum ibi dicitur die 4 Octobris 1385 a notario publico. Illud jam retulerunt Dionysius Albrecht, *Histori von Hohenburg*, inter prob. pag. 16, et Schœpflinus, Alsat. diplom., tom. I, pag. 106, qui illud merito inter diplomata interpolata commemorat : ambo vero incorrectum edidere. Ejusdem diei et anni exstat charta immunitatis authentica Ludovici Pii, quam damus infra, num. sequenti.

[c] Hodie *Oberehenheim*, imperialium Alsatiæ civitatum sexta, ad montis Hohenburg radices sita, sic dicta ab Ebno interfluente. Hoc oppidum munificentia Adalrici ducis ad abbatiam Hohenburgensem pervenit, totumque olim ad abbatiam eamdem pertinuit, donec sæculo duodecimo ab imperatoribus illi fuerit ablatum.

[d] Hodie *Rosheim*, inter imperiales civitates ordine septima, unius leucæ spatio distans ab Oberehenhemio, cum quo eamdem sortem sæculo XII est experta.

[e] Hoc jus patronatus hodie exercet episcopus Argentinensis bonorum Hohenburgensium possessor. Ecclesia de qua hic fit mentio, est in medio urbis Oberehnheim sita prope curiam senatoriam. Olim erat ecclesia matrix : vocatur hodie *Cappel-Kirch*, dedicata beatæ Mariæ.

[f] *Nidermunster* dictum.

[g] *Brunstatt*, Sundgoviæ vicus prope Mulhusium, inter possessiones inferioris monasterii nominatus in testamento sanctæ Odiliæ.

[h] Vicus supra Mulhusium, sinistræ Elli ripæ impositus.

[i] Hodie *Heimersdorf*, vicus prope Phierretum. A curia in Arlisheim inferiori monasterio assignata pependisse Heimersdorf testatur testamentum Odilianum.

[j] *Luemscheweiler* in Sundgovia.

[k] *Hirschingen* in Sundgovia inter Phirretum et Altkirchium situs, appendicium curiæ Arlisheimensis.

despich [a], Reiningen [b], Kimmenheim [c], Gundolfsheim [d], Regesheim [e], Rulecheschein [f], Baltersheim [g], Hetwiler [h]. Omnes homines ad ecclesiam Hohenburg pertinentes, sive longe, sive prope manentes debent dare ecclesiæ, quod vulgariter dicitur Val [i], et censum de corpore suo, exceptis ministerialibus, qui tenentur defendere honorem et libertatem ecclesiæ. Nos vero ad utilitatem et profectum prædicti claustri Hohenburg peragendum, quatenus ancillas Dei inibi Deo famulantes pro nobis eademque conjuge nostra ac prole, totiusque imperii divinitus nobis collati stabilitate et pace, Dei immensam clementiam jugiter exorare delectet; et hæc nostræ auctoritatis inviolabilem et inconfusam obtineat firmitatem, manu nostra propria subscripsimus, confirmavimus et sigilli nostri appensione assignari jussimus.

Datum in palatio nostro, anno Domini octuagesimo [j], tricesimo septimo, indictione decima, septima Idus Martii, regnorum nostrorum anno duodecimo.

## CCXXI.

### PRO ABBATIA HOHENBURGENSI.

(*Anno* 837.)

[Ex veteri sæculi noni apographo membranaceo in tabulario episcopali Tabernensi [k], apud Grandidier, *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante [l] clementia, imperator Augustus.

Cum locis Deo dicatis in quibuscunque indiguerint consulere satagimus, ejus gratiam cujus amore id noscimur efficere abundantius promereri confidimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque, tam præsentium quam et futurorum, industriæ, quia dilectissima conjux nostra Judith [m] semper Augusta offerri fecit obtutibus majestatis nostræ quamdam auctoritatis præceptionem quam domnus et genitor noster Carolus piissimus imperator [n] erga monasterium cujus vocabulum est Hohenburg, quod in honore genitricis D. N. Jesu Christi et beati Petri principis apostolo- A rum constat esse dedicatum, tuitionis immunitatisque gratia fieri jusserat, petivitque ut eam more consueto renovari, præscriptoque monasterio tribui juberemus. Ejus quoque petitionem libentissime adimplentes, hoc nostræ auctoritatis et immunitatis præceptum fieri jussimus, per quod decernimus atque sancimus ut memoratum monasterium cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus in nostra defensione atque immunitatis tuitione consistat, nullusque judex publicus, nec quislibet ex judiciaria potestate, aut etiam alia major minorve persona in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis in traditionem imperii nostri juste et legaliter possidet, vel ea quæ dein- B ceps jure ipsius voluerit divina pietas augeri, ad causas judiciario more audiendas vel discutiendas, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius tam ingenuos quam et servos, et super terram ipsius commanentes injuste distringendos, vel freda exigenda, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones [o] requirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Sed remota totius judiciariæ potestatis atque pravorum hominum inquietudine, idem monasterium cum omnibus rebus et mancipiis ad se pertinentibus, sicut dictum est, sub nostra imperiali protectione et immunitatis defensione semper quietum consistat. Quidquid autem de eisdem rebus jus fisci exigere C poterat, totum nos in nostra eleemosyna eidem concessimus monasterio, sicut domnum et genitorem nostrum fecisse constat ad utilitatem et profectum ipsius peragendum, quatenus ancillas Dei inibi Deo famulantes pro nobis, eademque conjuge nostra ac prole [p], totiusque imperii divinitus nobis collati stabilitate et pace Dei immensam clementiam jugiter exorare delectet. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

[a] *Karstbach* prope Altkirchium.
[b] *Reiningen*, in Mulbusio leucæ spatio distans.
[c] *Kunheim* in ballivatu Kochersbergensi, pertinens ad episcopum Argentinensem.
[d] *Gundelsheim* prope Rufacum.
[e] *Rexheim* prope Ensisheimium.
[f] *Rurelsheim*, non procul ab Ensishemio.
[g] *Baltersheim*, etiam in vicinia Ensishemii.
[h] Vicus ignotus, nisi forsitan *Gertweiler* prope Barr ab amanuensi male scriptus, qui memoratur in testamento sanctæ Odiliæ.
[i] *Val*, sive *Fall-Zins*, vox medii ævi, erant census quolibet anno in certa die præstandi sub pœna caducitatis fundi. *Haltaus, in Glossario German.*, *pag.* 422.
[j] Legendum *octingentesimo*. At cum anno Christi 837 non quadrant nec indictio decima, quæ occurrit annis 817 et 832, nec annus duodecimus Ludovici Pii, qui fuit 825. Anno 837 concurrebat indictio 15.
[k] Autographum non exstat : apographum vero sæculo nono vel saltem decimo exaratum fuisse constat ex litterarum ductu et membranæ vetustate : autographum vero dici non potest, cum nullæ remaneant exstantis olim sigilli notæ. *Une pièce qui se dit scellée*, aiunt auctores Gallici Novæ Diplomaticæ, tom. VI, pag. 355, *et qui ne montre nul vestige de sceau, n'est ordinairement qu'une copie*. Diploma D retulerunt, sed vitiose, Gallia Christiana, tom. V, pag. 463, et Schœpflinus, Alsat. diplom. tom. I, pag. 78.
[l] Ludovicus Pius ab anno 834, quo post exauctorationem suam in solium fuit restitutus, consuetam formulam retinuit, sed loco vocis *ordinante*, seu *propitiante* usus est *repropitiante*, quia in restitutione iterum propitium expertus est Deum, quem primæ evectionis auctorem agnoscebat.
[m] Ludovicus, mortua Irmengarde regina, uxorem anno 819 duxit Judith, filiam Welphi comitis, de qua multa habent illius temporis annales.
[n] Periit diploma allegatum Caroli Magni.
[o] Id est præstationes, quæ propter occasiones bellorum vel aliarum necessitatum imponebantur. Ducange, in Glossario, tom. IV, pag. 1311.
[p] Id est, pro Carolo dicto Calvo, quem Ludovicus Pius anno 822 habuit ex uxore sua Judith, quemque anno 838 Neustriæ regem pater coronavit.

Data VII Idus Martii, anno, Christo propitio, 24 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 15. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen [a].

## CCXXII.

### PRO MONASTERIO NONANTULANO.

(*Anno* 837.)

*Lotharii I Augusti diploma, per quod præcipit ut is tantummodo monasterio Nonantulano præsit quem ex sua congregatione monachi elegerint.*

[Apud Muratori, *Antiquitates Italicæ*, tom. VI, pag. 308.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Lotharius, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Oportet gloria imperiali prælatos tanto studiosius divinarum assequi obsequiorum cumulo, quanto perfectius opulentia altitonantis sat apostolicis documentis sibi excellentiorem demonstratam viam, ut illius misericordia præsentium cumulentur felicitates, et inenarrabili pietate feliciter æternorum coronentur sine fine manentium gaudiorum, cujus amore utilitatem decertare et salvationem procurare subditorum. Igitur cunctorum fidelium sanctæque Dei Ecclesiæ nostrorumque, præsentium et futurorum, cognoscat solertia, quia dum nos amore sacratissimæ genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi Mariæ perpetuæ virginis, et sanctissimi confessoris Christi Silvestri, ac desiderio sanctæ congregationis in eorum cœnobio divina militatione dedicatæ causa orationis monasterium adissemus Nonantulæ, tantamque devotionem divino munere ibidem in divinis cognovissemus, ut eorum orationes profuturas ad regni stabilitatem et nostram perpetuam felicitatem indubitanter judicaremus: placuit divino spirante suffragio ad exhortandum, et quietudinem bonitatis ibidem nostra auctoritate tale conferre munus, ut anni curriculum per successiones temporum concordia ibidem Deo servientium monachorum ex eadem congregatione talis eligatur abbas, qui secundum regulam sancti Benedicti tanta congregatione prudenter regere valeat, et salvationem animarum, seu utilitatem et Ecclesiæ, principis constitutione procuret, et nullo in tempore alicui committatur, nisi eorum electione et consensu, nostra et successorum nostrorum ordinatione ex eadem semper congregatione habeant pastorem, animarumque eorum providum prudentemque rectorem. Unde pro firmitatis gratia hoc nostræ auctoritatis præceptum circa eumdem sanctum locum fieri decrevimus, per quod nostros successores deposcimus, ut sicuti ipsi sua pia facta a suis conservari volunt, ita pro Dei amore et sanctorum reverentia hanc nostram concessionem perpetue conservent; nostrisque fidelibus expresse præcipimus firmiterque mansurum constituimus, ut sicuti supra a nobis ibidem concessum est, rate illibateque mansurum permittant, et nemo in hoc refragando temeritatem adhibeat, quatenus nostro studio omni procurata quietudine pro nobis ac stabilitate culminis nostri, seu salvatione conjugis ac prolis, atque in sinum sanctæ matris nostræ catholicæ Ecclesiæ quiescentium protectione seu defensione attentius exorare Domini misericordiam eadem delectetur congregatio. Et ut hoc nostræ concessionis munus a nostris successoribus verius credatur, et a fidelibus diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione subter assignari jussimus.

Signum Lotharii gloriosissimi Augusti.

Dructemirus subdiaconus atque notarius, ad vicem Egilmari recognovi et subscripsi.

Data III Nonas Februarias, anno, Christo propitio, imperii domni Lotharii imperatoris 18, indictione 15.

Actum Nonantula, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCXXIII.

### NOTITIA DE MONASTERIO S. CARILEPHI.

*In generali synodo in Carisiaco palatio regio facta ab Aldrico episcopo per judicium episcoporum accepta, sicut in ea continetur insertum.*

(*Anno* 838.)

[Baluz., *Miscell.*, tom. I, pag. 109.]

Cum in nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi domnus Ludovicus imperator anno incarnationis Dominicæ 838 ad universorum causas audiendas vel recta judicia terminanda in Carisiaco palatio publice resedisset, et conventum generalem totius populi una cum Pipino et Carolo filiis suis, gloriosis videlicet regibus, et synodum episcoporum et reliquorum sacerdotum ibidem generaliter ad ecclesiastica sive mundana negotia tractanda nec non et ad utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ fulciendam coadunatum haberet, ibique venientes monachi de monasterio Anisolæ, in quo sanctus Carilephus corpore requiescit, ante prædictum domnum Ludovicum imperatorem amplius quam viginti una cum Sigemundo, qui dudum eorum abbas fuerat, qui se injuste reclamaverunt de eorum monasterio ejectos esse, quorum causam domnus imperator in generali conventu ibidem habito diligenter discutere et enucleatim inquirere præcepit. Cum autem in conspectu episcoporum et abbatum et reliquorum sacerdotum se pro prædicta causa advenientes reclamarent, interrogatum est Aldrico eorum et Cenomanicæ parochiæ episcopo et ejusdem monasterii abbati si eos ejecisset ex eorum monasterio, aut a quo ejecti taliter vagantes discurrerent, relicto loco in quo sæculo renuntiaverunt, in quo etiam ecclesiasticis vel sæcularibus negotiis diebus vitæ eorum permanere deberent. Qui respondens ait: Nec ego ejeci eos, nec scivi eos ejectos esse. Tunc allata est coram rege et optimatibus ejus traditio sancti Carilephi, quam fecit sancto Innocenti episcopo per li-

[a] Quædam exstare diplomata, in quibus tum Ludovici, tum notarii et cancellarii subscriptiones omittuntur, annotat Bouquetus, in Scriptoribus Rer. Gallicar. tom. VI, pag. 450, quod et in ipsis autographis deprehenditur: unde non mirum quod etiam in apographis desint. Paria exempla prostant quinquaginta tria inter 243 quæ retulit Bouquetus, Ludovici Pii diplomata.

centiam et consensum Childeberti regis, et aliæ A multæ auctoritates quas enumerare longum est, de quibus sæpedictus pontifex coram omnibus in eodem concilio consistentibus habuit suos testes, tam sacerdotes quam et veridicos laicos nobiles et bonos et legitimos sufficienter, qui eadem instrumenta chartarum approbaverunt : et ea infra legitimos annos canonice et legibus vestita viderunt, et pleniter atque legibus testificabantur plus per justitiam et legem canonicam et mundanam prædictum Anisolæ monasterium cum omnibus ad se pertinentibus ad jus Cenomanicæ matris ecclesiæ pertinere quam aliubi, aut fiscus dominicus aut proprium domini imperatoris aut alicujus hominis esse debere. Sed nullus inventus est qui contra hæc aliquid dicere aut probare voluisset. Tunc præfatus domnus Drogo B archiepiscopus et senior capellanus et cæteri qui præterito tempore Aquisgrani palatio fuerunt quando hæc ratio ventilata est et ad liquidum perscrutata canoniceque et legibus definita, respondentes dixerunt: Non est necesse hæc modo iterum per omnia removere neque singula retractare, quia scimus te canonice et legibus memoratum monasterium habere conquisitum et evindicatum : sed de istis monachis, qui modo se reclamant ejectos esse de eorum monasterio, quod domnus imperator nobis inquirere præcepit, modo agendum est. Sed postquam perscrutatum est præscriptos monachos nullius ejectione, nec aliqua indigentia, nec culpa aut facto prædicti Aldrici episcopi exisse ab eorum monasterio, sed eorum libitu et contumacia hoc eos perpe- C trasse, et ut jam dictum monasterium prædicto episcopo auferrent et a jure suæ sedis ecclesiæ quo quo modo potuissent subtraherent vel alienarent sibique evindicarent, tunc eis præceptum est ut reverterentur ad eorum monasterium quo renuntiaverunt, ibique jejuniis et orationibus insisterent et Domino regulariter militarent. Illi vero contra stomachando responderunt, atque illuc reverti nolle dixerunt. Tunc videntes eos omnes episcopi et reliqui sacerdotes tantæ stultitiæ esse et taliter domno imperatori et omni sanctæ synodo, atque eorum proprio episcopo inobedientes existere eorumque jussionibus et piis ac justis consiliis resistere, præceperunt afferre regulam sancti Benedicti et in conspectu om- D nium sententias ejus legere, quibus in omnibus repugnabant, et ad ultimum de humilitatis gradibus sententiam legere jusserunt, de quibus eis nullum tenere visum est, sed magis propriis voluntatibus inservire et eorum libido inservire et insistere. Quam regulam tunc considerantes dixerunt, quoniam ea quæ levi et blando medicamine sanari non possunt, ferro abscindi necesse est. Et præceperunt afferre canones, e quibus in præsentia omnium in plenaria synodo relecta est sententia concilii Chalcedonensis de clericis qui præsunt ptochiis vel monasteriis, capitulum 8 continens hæc : « Clerici qui præficiuntur ptochiis, vel qui ordinantur in monasteriis et basilicis martyrum, sub episcoporum qui in unaquaque civitate sunt secundum sanctorum Patrum traditiones potestate permaneant, neque per contumaciam ab episcopo suo dissiliant. Qui vero audent evertere hujusmodi formam quocunque modo, nec proprio subjiciuntur episcopo, si quidem clerici sunt, canonum correptionibus subjacebunt; si vero laici vel monachi fuerint, communione priventur. » Perlecta autem hac sententia, iterum interrogati sunt si adhuc essent ita inobedientes ut prius. Illi vero in eadem pertinacia permanentes, tunc judicio omnium episcoporum et universalis sancti concilii secundum hanc sententiam ab omnibus episcopis et reliquis sacerdotibus exclusi sunt ab omni sacerdotali catalogo et communione, et extorres, si irrevocabiles persisterent, a catholica Ecclesia facti sunt. Tunc ergo ab omnibus episcopis et reliquis Dei servis sive a generali conventu judicatum est ut reciperet præfatus Aldricus episcopus suos monachos, et faceret ex eis quidquid ei libitum fuerit, et aliqui ei per manus a sancto concilio redditi sunt. Et judicatum est ei ab universa sancta synodo quod legibus evindicatam habebat suam causam et præfatum monasterium cum omnibus ad se pertinentibus canonice et legibus conquisitum, et ecclesiæ sibi commissæ futuris temporibus suisque successoribus lucratum, et quidquid inde ecclesiastico ordine facere et disponere Domino annuente decreverit, liberam in omnibus habeat potestatem faciendi. Idcirco necesse fuit ut præfatus episcopus et ministri suæ sedis ecclesiæ hoc evindicatum vel hanc notitiam consilio et judicio omnium ad prædictam synodum convenientium episcoporum et reliquorum sacerdotum acciperent; ut si post hunc diem, quod fieri minime credimus, de hac causa aliqua causatio vel repetitio vel quædam calumnia instigantibus malevolis hominibus orta fuerit, coram omnibus hæc notitia vel evindicatio declarata appareat, ut quod repetit evindicare non valeat, sed præsens conscriptio omni tempore vel notitia firma et stabilis permaneat. His præsentibus actum fuit. Drogo archiepiscopus et senior capellanus subscripsit. Autcarius archiepiscopus subscripsit. Agobardus archiepiscopus subscripsit. Bernardus archiepiscopus subscripsit. Bernegarius [ Bartholomæus ] Narbonensis archiepiscopus subscripsit. Agiulfus Bituricæ urbis archiepiscopus subscripsit. Notho Arelatensis archiepiscopus subscripsit. Abladus Genevensis episcopus subscripsit. Harinbertus Bajocensis episcopus subscripsit. Freculfus Lexoviensis episcopus subscripsit. Theodoricus Cameracensis episcopus subscripsit. Erardus Tungrensis episcopus subscripsit. Ragenarius Ambianensis episcopus subscripsit. Eccardus Noviomacensis episcopus subscripsit. Ebroinus Pictaviensis episcopus subscripsit. Gundacher Limeticinensis episcopus subscripsit. Jonas Aurelianensis urbis episcopus subscripsit. Moduinus Ostudunensis episcopus subscripsit. Heribaldus Altisiodorensis episcopus subscripsit. Adalbertus Tricacensis episcopus

subscripsit. Dodo Andegavensis episcopus subscripsit. Herchenradus Parisiacæ urbis episcopus subscripsit. Humbertus humilis episcopus subscripsit. Fulcarius humilis episcopus subscripsit. Godofredus Senlitensis episcopus subscripsit. Favvo Cavilonensis episcopus subscripsit. Hildi Virdunensis episcopus subscripsit. Lupus Cadolonensis episcopus subscripsit. Stephanus humilis episcopus subscripsit. Walafridus diaconus rogatus recognovi et subscripsi.

Data VIII Idus Septembris anno, Christo propitio, imperii domni Ludovici piissimi Augusti 25, indictione 1. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCXXIV.

PRO ECCLESIA CENOMANICÆ URBIS ET ALDRICO EJUS EPISCOPO.

(*Anno* 838.)

[Apud Baluz. *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si fidelium nostrorum justas et rationabiles petitiones ac postulationes, quas pro utilitate et exactione sanctæ Dei Ecclesiæ exposcunt, ad optatum effectum perducimus, non solum regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcirco omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, notum esse volumus quia Bavo vassallus noster nobis innotuit quod quamdam villam sitam in pago Cenomanico nomine Tridentem de jure Cenomanicæ matris ecclesiæ per nostrum beneficium possideret, de qua per singulos annos nonas et decimas et legitimos census partibus præfatæ matris ecclesiæ et ejusdem rectoribus persolveret. Qua de re memoratus Bavo pertractans casum fragilitatis humanæ, et pavescens ultimum vocationis diem, timensque ne præfata villa aliquo cupiditatis suæ stimulo vel quolibet ingenio a jure præfatæ matris ecclesiæ alienata fieret, ideoque divino fervens amore, adiit clementiam nostram, suppliciter deprecans ut memoratam villam nomine Tridentem cum omnibus ad se pertinentibus partibus prædictæ Cenomanicæ matris ecclesiæ et Aldrico ejusdem urbis venerabili pontifici præsentaliter nostra imperiali auctoritate redderemus, et hanc redditionem per nostrum præceptum futuris temporibus firmius eidem ecclesiæ suisque rectoribus possidendam confirmassemus. Cujus petitionem ob amorem Dei et reverentiam ejusdem sancti loci servorumque Dei inibi famulantium libenter audivimus, et deprecationem ac pium desiderium ejus ad optatum effectum adimplere dignum duximus. Quapropter per hoc nostræ auctoritatis scriptum statuentes decernimus atque jubemus ut quemadmodum sæpedictus Bavo fidelis noster memoratam villam cum omni integritate, sicut illa sub nostræ jure potestatis, quando a largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat, pro emolumento animæ nostræ et stabilitate imperii nostri memorato venerabili Aldrico episcopo ad patrem præscriptæ ecclesiæ suæ præsentaliter reddidimus, ut in perpetuum in utilitates et ejusdem ecclesiæ episcopi Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerentibus atque humiliter postulantibus prædictis fidelibus nostris, memorato videlicet Aldrico episcopo et Bavone vassallo nostro, hoc nostræ confirmationis atque redditionis præceptum sæpedicto Aldrico episcopo vel ad partem jam dictæ urbis fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus ut nullus sub ditione imperii nostri degens ullo unquam tempore de prædicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuscunque pagis vel locis sæpedicto Aldrico episcopo suisque successoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere præsumat; sed liceat ei et successoribus ejus quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis et territoriis sive mancipiis et cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere et possidere, et quidquid pro opportunitate et commoditate præfatæ sedis ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant futuris temporibus potestatem faciendi. Et ut hæc nostræ redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et de annulo nostro sigillari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data IX Kalend. Maias anno, Christo propitio, 25 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione prima.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCXXV.

PRO EADEM ECCLESIA.

(*Anno* 838.)

[Apud Baluz., *ibid.*, pag. 117.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si precibus sacerdotum, quando pro suis vel ecclesiarum sibi commissarum necessitatibus aliquid intimare voluerint, aurem libenter accommodamus, eorumque justas ac rationabiles petitiones ac postulationes ad optatum effectum pervenire facimus, non solum regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eosdem sacerdotes ad Domini misericordiam pro nobis exorandam promptiores atque devotiores facimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam et futurorum industriæ quia Aldricus venerabilis Cenomanicæ urbis episcopus accedens ad aures nostræ pietatis retulit nobis de quibusdam beneficiis quæ ante complures annos de jure suæ sedis cum appendiciis eorum fuissent subtracta et ad publicum nostrum redacta, quæ modo Ghermundus, Berthadus, Vulfardus, Bodo, et socii ejus vassalli nostri in beneficium data possident, et sic præce-

denti tempore de manibus rectorum prædictæ urbis A memoratorum vassallorum beneficia cum appendiciis et omnibus ad se pertinentibus elapsa esse. Sed cum nos ad rei veritatem diligentius investigandam fideles missos nostros Helisacharum venerabilem abbatem et Widonem comitem mitteremus, renuntiaverunt nobis per omnia ita verum esse. Cumque eorumdem relatione prædictorum vassallorum beneficia non ad publicum nostrum, sed ad jus præfatæ Cenomanicæ ecclesiæ juste pertinere cognovissemus, complacuit clementiæ nostræ suprascriptorum vassallorum beneficia cum omni integritate, quemadmodum ipsos ea per singula loca a largitione nostra accepisse constat, pro emolumento animæ nostræ memorato venerabili Aldrico episcopo ad partem prædictæ ecclesiæ suæ reddere, ut perpetuo in B utilitates et usus ejusdem ecclesiæ Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerente atque rogante prædicto venerabili episcopo hanc nostræ confirmationis atque redditionis præceptionem ei vel ad partem prædictæ urbis fieri jussimus; per quam decernimus atque jubemus ut nullus fidelium nostrorum de jamdictis beneficiis vel de his omnibus quæ ad prædictorum vassallorum nostrorum, quibuscunque in locis consistant, beneficia pertinere noscuntur, memorato Aldrico venerabili episcopo sive successoribus ejus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere præsumat, sed liceat ei et successoribus ejus quieto ordine memorata loca cum omnibus ad se C pertinentibus jure ecclesiastico tenere et possidere, et quidquid pro opportunitate et commoditate præfatæ ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant potestatem faciendi. Et ut hæc auctoritas nostra perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, et de annulo nostro jussimus sigillari.

Signum Ludovici piissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data VIII Kal. Julias anno, Christo propitio, 22 [a] imperii domni Ludovici piissimi imperatoris, indictione 13.

Actum Stramiaco supra fluvium Rhodanum in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCXXVI.

### PRO EADEM ECCLESIA.

(*Anno* 838.)

[Apud Baluz., *ibid.*, pag. 418.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si fidelium nostrorum justas et rationabiles petitiones ac postulationes quas pro utilitate et exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ exposcunt, ad optatum effectum perducimus, non solum regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcirco omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus et futuris, notum esse volumus quia Agbertus comes et ostiarius atque consiliarius noster nobis innotuit quod quamdam villam sitam in pago Cenomanico nomine Calisamen de jure Cenomanicæ matris ecclesiæ per nostrum beneficium possideret, de qua per singulos annos nonas et decimas atque legitimos census partibus præfatæ matris ecclesiæ et ejusdem ecclesiæ rectoribus persolveret. Qua de re memoratus Agbertus pertractans casum fragilitatis humanæ, et pavescens ultimum vocationis diem, timensque ne præfata villa aliquo cupiditatis suæ stimulo vel quolibet ingenio a jure præscriptæ matris ecclesiæ alienata fieret; ideoque divino fervens amore, adiit clementiam nostram suppliciter deprecans ut memoratam villam nomine Calisamen cum omnibus ad se pertinentibus partibus prædictæ Cenomanicæ sedis ecclesiæ et Aldrico ejusdem urbis venerabili episcopo præsentaliter nostra imperiali auctoritate redderemus, et hanc redditionem per nostrum præceptum futuris temporibus firmius eidem ecclesiæ ejusque rectoribus possidendam confirmaremus. Cujus petitionem ob amorem Dei et reverentiam ejusdem sancti loci servorumque Dei inibi Domino famulantium libenter audivimus, et deprecationem ac pium desiderium ejus ad optatum effectum perducere dignum duximus. Quapropter per hoc nostræ auctoritatis præceptum statuentes decernimus atque jubemus ut quemadmodum sæpedictus Agbertus fidelis noster memoratam villam cum omni integritate, sicut illa die sub jure nostræ potestatis erat quando a largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat, pro emolumento animæ nostræ et stabilitate imperii nostri memorato venerabili Aldrico episcopo ad partem præscriptæ suæ sedis ecclesiæ præsentaliter reddidimus, ut in perpetuo in utilitates et usus ejusdem ecclesiæ Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerentibus atque humiliter postulantibus prædictis fidelibus nostris, memorato videlicet Aldrico venerabili episcopo et Agberto jamdicto fideli nostro, hoc nostræ confirmationis atque redditionis præceptum sæpedicto Aldrico episcopo vel ad partem jam dictæ urbis fieri jussimus, per D quod decernimus atque jubemus ut nullus sub ditione imperii nostri degens ullo unquam tempore de prædicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuscunque pagis vel locis sæpedicto Aldrico episcopo suisque successoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere præsumat: sed liceat ei et successoribus ejus quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis et territoriis sive mancipiis et cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere et possidere, et quidquid pro opportunitate et commoditate præfatæ sedis ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant futuris temporibus potestatem faciendi. Et ut hæc nostræ redditionis au-

[a] Legendum videtur 24.

ctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et de annulo nostro sigillari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Maginarius notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data XVI Kal. Decembris, anno Christo, propitio, 26 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione secunda.

Actum Pictavis civitate publice in Dei nomine feliciter. Amen.

CCXXVII.

PRO ALDRICO EPISCOPO.

(*Anno* 838.)

[Apud Baluz., *ibid.*, pag. 119.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si sacerdotum Dei justis et rationabilibus petitionibus aurem libenter accommodamus, easque ad optatum effectum perducimus, non solum regiam et imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro nostris excessibus Domini misericordiam exorandos devotiores promptioresque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam facilius nobis conciliandam esse confidimus. Idcirco notum esse volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet atque futuris, quia Aldricus venerabilis Cenomanicæ urbis episcopus innotuit celsitudini nostræ quod multa ex his quæ in sua parochia agere debebat, et ad suum ministerium pertinebat, propterea quod jam assidue in nostro servitio vel etiam nobiscum detentus tandiu commorabatur, neglecta erant tam in prædicatione seu confirmatione atque doctrina quam et in restauratione ecclesiarum, vel pravorum hominum correctione, sive in aliis atque in aliis ecclesiæ sibi commissæ utilitatibus, et cleri vel populi necessitatibus. Innotuit etiam quod mater ecclesia infra prædictam civitatem a multis temporibus constructa propter maceriarum imbecillitatem quotidie ad casum se præparabat, quam ideo a novo fundare et in meliorem statum et locum ædificare se velle dicebat. Lacrymabili quoque vultu coram nobis et fidelibus nostris asserebat quod si aliter ad suum peragendum ministerium otium a nobis impetrare non posset, magis vellet honores sibi collatos dimittere quam clerum et populum sibi commissum negligere, et propterea in perditionem, quod absit, incidere. Quapropter humiliter deprecatus est nostram clementiam ut liceret ei juxta canonicam auctoritatem habere œconomum qui pro illo exteriores curas gereret, et nostra servitia atque itinera, prout melius posset, sua vice faceret, et prædictus episcopus ad ea quæ Dei sunt intenderet et ad suum ministerium perficiendum certaret. Deprecatus est etiam ut si in proprio clero et in sua parochia talem œconomum qualem volebat, aut qualem necesse erat, sibique secundum canonum institutionem per omnia obedientem invenire minime posset, ut haberet licentiam undecunque et quemcunque de nostris fidelibus vellet tam infra palatium quam extra palatium sibi ecclesiæque sibi commissæ eligere adjutorem et defensorem, et quotiescunque necesse fuerit mutare, et meliorem vel utiliorem statuere. Cujus precibus aurem favoris libentissime accommodantes, præscriptis suis petitionibus assensum præbuimus, et postulationes ejus ad effectum usque perduximus. Concedimus quippe memorato pontifici per has auctoritatis nostræ litteras, quas ei fieri jussimus, concessumque in futuro esse volumus ut præfatus episcopus quiete, dum voluerit, in sua resideat parochia, et pro nobis et pro commisso nobis a Deo populo Dominum exoret, suos vero homines cum suo œconomo vel quemcunque, et ut dictum est, elegerit, ubicunque nostra fuerit jussio vel necessitas ingruerit dirigat. Præcipientes ergo per hoc nostræ auctoritatis præceptum volumus atque jubemus quod si jam dictus episcopus nobis superstes fuerit, ut nullus filiorum aut successorum vel fidelium nostrorum præscripto pontifici ecclesiæque sibi commissæ ullam perturbationem aut calumniam ingerere præsumat, aut facere volentibus consentiat, sed mundeburdum vel defensionem pro Dei amore et pro nostra reverentia ei pleniter faciant, ut quiete et pacifice, ut præscriptum est et ei a nobis concessum, in sua ecclesia absque ullius impedimento ei residere et suum ministerium agere liceat: quatenus memoratum pontificem pro nobis et pro liberis nostris sive pro stabilitate et pace imperii a nobis Deo commissi attentius exorare delectet. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Ludovici piissimi imperatoris.

Maginarius notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data XV Kal. Martias, anno, Christo propitio, 27 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione tertia.

Actum Pictavis civitate publica in Dei nomine feliciter. Amen.

CCXXVIII.

PRO ECCLESIA CENOMANICA.

(*Anno* 838.)

[Apud Baluz., *ibid.*]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si fidelium nostrorum justas et rationabiles petitiones et postulationes, quas pro utilitate et exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ exposcunt, ad optatum effectum perducimus, non solum regiam atque imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcirco omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futu-

ris, notum esse volumus quia Adalbertus comes et consiliarius noster nobis innotuit quod quamdam villam sitam in pago Carmicense nomine Bonalla de jure Cenomanicæ matris ecclesiæ per nostrum beneficium possideret, de qua per singulos annos nonas et decimas et legitimos census partibus præfatæ matris ecclesiæ et ejusdem ecclesiæ rectoribus persolveret. Qua de re idem Adalbertus pertractans casum humanæ fragilitatis, et pavescens ultimum vocationis diem, timensque ne præfata villa aliquo cupiditatis suæ stimulo vel quolibet ingenio a jure præscriptæ matris ecclesiæ alienata fieret; ideoque divino fervens amore ad clementiam nostram suppliciter deprecans accessit ut memoratam villam nomine Bonallam cum omnibus ad se pertinentibus partibus prædictæ Cenomanicæ matris ecclesiæ et Aldrico ejusdem urbis venerabili pontifici præsentaliter nostra imperiali auctoritate redderemus, et hanc redditionem per nostrum præceptum futuris temporibus firmius eidem ecclesiæ suisque rectoribus possidendam confirmassemus. Cujus petitionem ob amorem Dei et reverentiam ipsius sancti loci servorumque Dei inibi Deo famulantium libenter audivimus, et deprecationem ac pium desiderium ejus ad optatum effectum adimplere dignum duximus. Quapropter per hoc nostræ auctoritatis præceptum statuentes decernimus atque jubemus ut quemadmodum sæpedictus Adalbertus fidelis noster memoratam villam cum omni integritate, sicut illa die sub jure nostræ potestatis erat quando a largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat, pro emolumento animæ nostræ et stabilitate imperii nostri memorato venerabili Aldrico episcopo ad partem præscriptæ suæ sedis ecclesiæ præsentaliter reddidimus, ut in perpetuo in utilitates et usus ejusdem ecclesiæ Deoque in ea deservientium permaneat. Idcirco suggerentibus atque humiliter postulantibus prædictis fidelibus nostris, memorato videlicet Aldrico episcopo et Adalberto jam dicto fideli nostro, hoc nostræ confirmationis atque redditionis præceptum sæpedicto Aldrico episcopo et ad partem jam dictæ urbis fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus ut nullus sub ditione imperii nostri degens ullo unquam tempore de prædicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuscunque pagis et locis sæpedicto Aldrico episcopo suisque successoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere præsumat; sed liceat ei et successoribus ejus quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis et territoriis sive mancipiis et cum omnibus ad se pertinentibus jure ecclesiastico tenere et possidere, et quidquid pro opportunitate et commoditate præfatæ sedis ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus futuris temporibus habeant potestatem faciendi. Et ut hæc nostræ redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et de annulo nostro sigillavimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Herminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data XV Kalend. Maias, anno, Christo propitio, 27 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione prima.

Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCXXIX.

[a] CONCAMBIUM A TATTONE ABBATE CAMPIDONENSI CUM WANINGO COMITE INITUM CONFIRMATUR.

(*Anno* 838, 14 *Junii.*)

[Apud Neutgart., *Codex Alemannicus*, pag. 231.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si ea quæ fideles nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, et hoc in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, industria, quia dilectus filius et æquivocus noster Ludovicus gloriosus rex nobis innotuit eo quod Tatto venerabilis abbas monasterii vocabulo Campidona, nec non et Waningus comes [b] quasdam res pro ambarum partium opportunitate commutassent. Dedit igitur nostro permissu prædictus Tatto abbas ex rebus prædicti monasterii sui prænominato Waningo comiti ad proprium quidquid juris ejusdem monasterii in locis quæ dicuntur Plezza [c], Pazeinhova [d], Horuuanc [e], et in Suntheim [f] habebatur, excepta marka silvæ et curtili, quæ pro Aldrico [g] ad memoratum monasterium delegata est, et exceptis illis pratis in Gundilensee [h], et Cuttinwanc [i], reliqua omnia, quæ in supra dictis locis in jure præscripti monasterii possidebantur, cum markis et omnibus appendiciis suis prædicto Waningo comiti commutando tradidit, et e contra in compensatione earumdem rerum dedit sæpe dictus Waningus comes et rebus comitatus sui ante dicto Tattoni abbati ad partem prænominati monasterii sui quidquid in villa, vocabulo Reoda [j] tam terris quam et pratis, atque etiam silvis, aquis, et markis, vel omnibus rebus ex jure comitatus sui in-

[a] Ex chartulario antiquissimo abbatiæ Campidonensis in lucem produxit R. P. Rasslerus in Append. ad Vindicat. contra Vindic., pag. 27.

[b] Waningum inter comites Nibelgoviæ censeo, quod in aliis chartis aperte ad dictum pagum refertur.

[c] *Bless*, ad dextram Hilaræ fl., infra *Memmingen*.

[d] *Batzenhofen*, prope Augustam Vindelicorum.

[e] *Hurblingen*, ib.

[f] *Sundheim*, ad Gunzam fluv.

[g] Aldricus presbyter, cujus cella memoratur in alio Ludovici diplomate.

[h] Culpa amanuensis, ut videtur, pro Gundilensee; hodie *Guntzeck*, inter Hilaram et Gunzam.

[i] *Gottenau* prope *Sundheim*. Loca hucusque recensita ad diœcesim Augustanam pertinent, trans Hilaram sita.

[j] *Rieden*, supra confluentem Eitrachæ et Hilaræ.

ibi possidere dignoscitur, similiter et quidquid in loco qui dicitur Eitraba [a] de jure præfati comitatus sui possidebat. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque suorum, et aliorum bonorum hominum manibus roboratas, præ manibus se habere professus est, sed pro integra firmitate petiit celsitudinem nostram ut easdem commutationes denuo per nostræ mansuetudinis præceptum plenius confirmare deberemus, cujus petitioni denegare noluimus, sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste et rationabiliter petentium, ita nos illis concessisse, atque in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut quidquid pars juste et rationabiliter alteri parti contulit, per hanc nostram auctoritatem deinceps jure firmissimo teneat atque possideat, et quidquid exinde facere decreverit, libero in omnibus potiatur arbitrio faciendi. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas inviolabilis perseveret, de annulo nostro subter eam jussimus sigillare.

Signum domni Ludovici imperatoris Augusti.

Bartholomæus [b] notarius ad vicem Hugonis recognovi, et subscripsi.

Data XVIII Kal. Julii, anno, Christo propitio, 25 imperii domini Ludovicii [c] piissimi Augusti, indictione prima [d]. Actum Noviomago [e] palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCXXX.

### PRO MONASTERIO CORMERIACENSI.

(*Anno* 838.)

[Apud Marten., *Thes. Anecd.*, tom. I, pag. 28.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina propitiante clementia, imperator Augustus.

Si servorum Dei eorumque necessitates, qui ex toto sæculum reliquisse noscuntur, consulimus, et eas pia sollicitudine et imperiali providentia procuramus, ad emolumentum animæ nostræ et ad æternam beatitudinem capessendam hoc procul dubio pertinere confidimus. Idcirco notum fieri volumus, Deo disponente, successoribus nostris, rectoribusque, atque agentibus, monasterii S. Martini patroni nostri, ubi ipse pretiosissimus Christi confessor corpore requiescit, præsentibus et futuris, quia divino tacti amore, complacuit celsitudini nostræ, quamdam villam juris ejusdem monasterii nomine Cusciacus ad cellam Sancti Pauli, quæ rustico nomine Cormaricus dicitur, quam Itherius quondam abbas ejusdem monasterii in propriis rebus novo opere construxit, atque memorato monasterio delegavit, ob utilitates ejusdem cellæ, et necessitates monachorum inibi Deo famulantium fulciendas, nostræ auctoritatis præceptum tradere, atque ut in ejus jure perpetuo consistat per eamdem auctoritatem delegare, cum omnibus ad se pertinentibus, videlicet domibus, utrisque ædificiis, terris, vineis, silvis, pratis, campis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, cultis locis et incultis, mobilibus rebus et immobilibus, ac seipsas moventibus, mancipiis utriusque sexus et ætatis, totum et ad integrum, vel in exquisitum quantumcunque ad eum præsenti tempore juste et legaliter pertinere cognoscitur, ac per hoc libuit celsitudini nostræ memoratam munificentiæ nostræ liberalitatem imperiali auctoritate firmare, et regali sanctione solemniter roborare. Proinde hos nostræ majestatis apices fieri, atque Audacro, qui nunc idem monasterium regere dignoscitur, successoribusque ejus, patribus videlicet ejusdem cellæ, dare decrevimus, per quos sancimus atque omnimodis præcipimus, ut memorata villa cum sui integritate abhinc in futurum in jure et dominatione memoratæ cellæ monachorumque inibi Deo per successiones famulantium consistat, et quidquid publicis vel privatis obsequiis, abbatibus rectoribusque memorati monasterii S. Martini impendere debuit, totum ad jus et profectum præfatæ cellæ proficiat, quam in honore S. Pauli dicatam esse diximus, quatenus fabricæ ejusdem, monachorumque inibi usibus Deo famulantium deserviat, atque in augmentis proficiat, et ejusdem beati apostoli Christi gloriosis interventionibus nobis divina propitiatio gloriosius eu... Et ut hæc nostræ delegationis auctoritas perpetuis temporibus... de annulo nostro subter eam jussimus sigillare.

Hirminmarus notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data XVI Kalendas Julii, anno, Christo propitio, 24 imperii domni Ludovici Augusti, indictione 15. Actum Theodonis villa palatio regio in Dei nomine feliciter.

## CCXXXI.

### CONFIRMATUR COMMUTATIO QUORUMDAM PRÆDIORUM INTER HILDUINUM ABBATEM DIONYSIANUM ET ERMENTRUDEM ABBATISSAM JOTRENSEM.

(*Anno* 839.)

[Apud Mabill., *de Re diplomatica*, pag. 545.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si enim ea quæ fideles imperii nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, et hoc in postmodum jure firmissimo man-

[a] *Eitrach*, vicus ib. in diœcesi Constant.

[b] Refert Schannatus, Tradit. Fuldens., p. 176, aliud diploma Ludovici Pii XIII Kal. Martias an. 26 imperii datum, atque a Bartholomæo notario ad vicem Hugonis recognitum et subscriptum. Bartholomæum abbatem S. Martini in Insula Barbara diœcesis Lugdunensis fuisse arbitror, his verbis in indice societatum monasterii Augiensis memoratum : « Ex monasterio S. Martini Insulæ Barbaræ Bartholomæus abbas » Mabillon., Vet. Analect., fol. 426, col. 2.

[c] Errore scriptoris chartularii pro *Ludovici*; ut superius *marka* et *markis*, pro marca, marcis.

[d] Anno 838, vicesimo quinto Ludovici Pii, currebat indictio 1.

[e] Ludovicum Pium filiumque cognominem hoc mense Noviomagi versatos fuisse constat ex Annal. Bertin. ad hunc annum. Cf. Annal. Meteus., Fuldens.

surum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam et futurorum, industria, quia Hilduinus vir venerabilis, monasterii Sancti Dionysii abbas, nobis innotuit eo quod cum Ermentrudi monasterii sanctæ Mariæ Joderensis abbatissa pro ambarum partium opportunitate de quibusdam rebus commutationem fecisset. Dedit igitur nostro permissu prædicta Ermentrudis abbatissa de rebus Sanctæ Mariæ sibi commissis partibus monasterii Sancti Dionysii vel Hilduini abbatis in pago Meldensi et in villa quæ vocatur Cuciacus curtiles II, habentes inter ipsos curtiles et vineam plus minus bunuarium unum et arpennum unum; inter terram arabilem et pratum ac concites bunuaria XI et arpennum unum. Contra in recompensatione hujus meriti dedit jam dictus vir venerabilis Hilduinus abbas ex rebus monasterii sui jam fati partibus Sanctæ Mariæ monasterii Joderensis seu Ermentrudis abbatissæ in ipso pago et in villa quæ dicitur Liniacus, de rebus Sancti Dionysii curtiles tres, habentes inter ipsos curtiles et vineam plus minus bunuarium unum et dimidium, inter pratum et terram arabilem bunuaria XI et arpennum unum. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum roboratas se præ manibus habere professus est · sed pro integra firmitate petiit celsitudinem nostram ut easdem commutationes denuo per nostræ mansuetudinis præceptum plenius confirmare deberemus. Cujus petitioni denegare noluimus; sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste et rationabiliter petentium, ita nos illis concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus ut quidquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem teneat atque possideat, et faciat exinde jure ecclesiastico quidquid elegerit. Et ut hæc auctoritas commutationis firmior habeatur, et per futura tempora plenius conservetur, de annulo nostro eam subter jussimus sigillare.

Glorius notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Actum Attiniaco palatio regio, anno 26 imperii domni nostri Ludovici piissimi imperatoris.

Datum x Kal. Februar., indictione II, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCXXXII.

### PRO ABBATIA CAMPIDONENSI [a].

(*Anno* 839, 18 *April.*)

[Apud Neutgart., *Codex Alemannicus*, pag. 237.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

Si locis Deo dicatis, etc. Idcirco noverit industria omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, quia ad deprecationem dilectissimi fratris nostri Drogonis [b] venerabilis archiepiscopi, sacrique palatii nostri summi capellani, quamdam cellulam appellatam Aldrici cella [c], quæ domino ac genitori nostro Carolo præstantissimo imperatori tradita est, quæ in ducatu Alamanniæ sita est in pago Albigoi [d] ad quoddam monasterium quod dicitur Campidona, ubi præsenti tempore venerabilis Tatto abbas præest, ob emolumentum animæ nostræ, et æternæ retributionis fructum subdere, et de nostro jure, in jus et potestatem prædicti monasterii solemni donatione nobis transferre placuit. Pro hoc itaque nostro favore atque licentia dedit jam dictus venerabilis abbas Tatto ex ratione monasterii sui Ratulfo presbytero atque capellano nostro, qui jam pridem eamdem cellulam nostra largitione tenuit, ad habendum in beneficium diebus vitæ suæ in pago Keltenstein [e], in loco qui dicitur Hruodoldishova [f], sex obas vestitas sub integritate earum, et in alio loco in pago Augustgoi [g] quamdam cellulam nuncupatam Herilescella [h] cum omnibus ad se pertinentibus, eo videlicet modo ut præfatas res monasterii, diebus tantum vitæ suæ habeat, et post obitum suum revertantur ad prænominatum monasterium perpetualiter possidendæ.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris [i] notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data XIV Kal. Maias, anno, Christo propitio, 26 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione secunda. Actum Bodoma [j] regio palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] Integrum ex veteri chartulario vulgavit P. Rassler in Append. ad Vindicat. contra Vindic., pag. 29; emendatius vero Mabillonius ex ipso archetypo, *Vet. Analect.* fol. 448. Exstat quoque mendis quibusdam compersum ap. Lunigium, Spicileg. eccles., tom. III, pag. 170, et Dan. Eberth. Baring. Clavis diplom., p. m. 363.

[b] Drogonem episcopum Metensem, fratrem Ludovici Pii, etiam archiepiscopi encomio celebrat auctor Annal. Bertin. ad an. 835, et Hincmarus in posteriore opere adversus Gothescalcum, c. 36. Primus etiam subscripsit Actis generalis conventus, an. 838 in Carisiaco palatio habiti. « Drogo archiepiscopus et senior capellanus. » Ap. Bouquet, tom. VI, pag. 197, 253 et 302.

[c] Exstant supra et infra Campidonam, ad sinistram oram Hilaræ, duo vici, quorum alter *Martinszell*, alter *Krugzell* vocatur. Priorem hic indicari verosimilius videtur, quod possessorum nomina locis conjuncta nonnunquam immutata fuerint.

[d] Hodie Algovia, *Algaü*.

[e] Pagus a rivo Geltnach dictus, qui in diœcesi Augustana supra oppidum Kaufbeuren oritur. Cf. Chron. Gottwic., lib. IV, pag. 649.

[f] *Rudertshofen* prope *Kaufbeuren*.

[g] Terminos hujus pagi ita describit reverendissimus Besselius : « Augustow tractus ille terræ esse videtur qui hodiedum supra Augustam Vindelicorum inter fluvios Licum, Wertach et Sinkel protenditur, ac campus Lici (*das Lechfeld*) appellatur. »

[h] *Hirscell* prope Kaufburam in eodem tractu

[i] Ap. Rasslerum male *Hirminhardus*.

[j] Bodama, Bodoma, hodie *Bodman*, ad infimam oram lacus Bodamici, villa olim regia ac palatium, omissum a Mabillonio de Re diplom., lib. IV. Bedonnia vocatur ab auctore Vitæ Ludovici Pii, ap. Bouquet., tom VI, pag. 122. Ludovicum Pium tempore Quadragesimæ Bodomam venisse, ac festum Paschatis ibidem hoc anno celebrasse, testantur Annales Bertiniani, et Hermannus Contractus ad hunc annum.

## CCXXIII.

PRO MONASTERIO CAMPIDONENSI. [a]

(*Anno* 839, 1 *Septemb.*)

[Apud Neugart, *Codex Alemannicus*, pag. 259.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia [b], imperator Augustus.

Si erga loca divinis cultibus mancipata, etc. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia concessimus monasterio, quod dicitur Campidona, quod est constructum in honore sanctæ Mariæ semper virginis, et sanctorum Gordiani, et Epimachi martyrum [c], quos bonæ memoriæ Hildegarda mater nostra [d] ad eumdem locum, pro divinis eis officiis adhibendis collocavit, ubi et nunc venerabilis abbas Tatto præest, ut quandocunque divina vocatione prædictus abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, pro divinæ auctoritatis gratia et amore præfatæ Hildegardæ matris nostræ, monachi ibidem Deo militantes licentiam habeant, quandiu inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem et consensum eligendi abbates, etc.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmaris notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data Kalend. Septembris, anno, Christo propitio, 26 imperii domni Ludovici piissimi Augusti, indictione 2 [e]. Actum Cabalauno [f] civitate palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCXXXIV.

PRO MONASTERIO DEENSI [g].

(*Anno* 839.)

[Apud Chiffletium in probat. ad *Hist. abb. Trenorciensis*, pag. 194, et apud D. Bouquet., *Recueil des Hist.*, tom. VI, pag. 628.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus.

A Si liberalitatis nostræ munere de beneficiis a Deo nobis collatis, locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis et ad mortalem vitam feliciter transigendam, et ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum liquido credimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ et nostris [tam præsentibus quam et futuris,] quia divino tacti amore contulimus ad monasterium Deas, in quo sanctus Philibertus confessor Christi corpore requiescit, constructum in honore beatissimorum Petri et Pauli apostolorum, ubi venerabilis vir Hilbodus abbas præesse dignoscitur, quamdam villam juris nostri, nomine Scobrit, quæ est in pago Pictavo, in vicaria Racinse, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, et cum mancipiis utriusque sexus B vel ætatis. Memoratam itaque villam, cum ecclesia Sancti Vitalis, domibus cæterisque ædificiis, terris cultis et incultis, vineis, pratis, pascuis, silvis, salinis, molendinis, exitibus et regressibus, quantumcunque ad prædictam villam pertinet, et nostri juris atque possessionis jure proprietatis est, totum et ad integrum vel inexquisitum, de nostro jure in jus et dominationem prædicti monasterii transferimus: ita videlicet ut quidquid ab hodierno die et deinceps rectores atque ministri ejusdem monasterii de prædicta villa, vel [de iis] quæ ad eam pertinent, facere, ordinare atque ad utilitatem ejusdem monasterii facere elegerint, liberam atque firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Et ut hæc nostræ largitionis atque concessionis [auctoritas] per C diuturna tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria nostra eam subter firmavimus, et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Ego Meginarius notarius ad vicem Hugonis recognovi et subscripsi.

Data v Kalendas Decembris, anno, Christo propitio, 26 imperii domni Ludovici serenissimi imperatoris, indictione tertia. Actum Pictavis in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] Exstat apud Mabillon., Vet. Analect., nov. ed. fol. 448, et Lunigium Spicileg. eccles., part. III, cap. 5, pag. 169. Fragmentum exhibet D. Bouquet., tom. VI, pag. 626.

[b] Insolita quidem est hæc formula post annum 833. Supra enim vidimus aliud Ludovici Pii diploma, abbatiæ Campidonensi concessum, n. 232, ubi consueta ab eo tempore habetur, *divina repropitiante clementia*, quaque deinceps usum fuisse Ludovicum Pium ipsemet testatur Mabillonius, de Re diplom. l. II, c. 3, n. 13. Asserit tamen vir eruditissimus in suo Itinere Germanico, Analectis præmisso, se pleraque vidisse hujus abbatiæ diplomata, etiam authentica, quorum aliqua, quæ inter et præsens est, in consequentibus referenda sint. Nequidquam igitur de integra hujus diplomatis fide addubitavit vir in discernendis instrumentis publicis peritissimus.

[c] Corpora horum sanctorum an. 774 Roma in Alemanniam ac quidem in Campidonense monasterium, recens nempe exstructum, delata esse, testatur Hermannus Cont. in Chron. ad hunc annum.

D [d] Non obscure vel ex hoc loco colligitur abbatiam Campidonensem ab Hildegarde, Caroli Magni uxore, fundatam fuisse, etiamsi pro genuino non habeatur diploma ejusdem imperatoris, editum in Lunigii Spicileg. eccl. loc. cit., ubi annus 773 cum indictione 2 ad finem legitur, contra morem ejus ævi. Patronos simul ac impugnatores illius recenset Dan. Eb. Baringius, Clav. diplom. p. 38, ed. Hanov. an. 1754.

[e] Indictio cum anno imperii Ludovici Pii optime cohæret.

[f] Id est Cabilone, *Châlons-sur-Saône*. Consentit auctor vitæ Ludovici Pii, cap. 61. Narratis enim quæ hoc anno acciderant: « Imperator itaque, porro addit, uti condixerat, tempore autumnali Cabilonensem urbem petiit, et tam ecclesiastica quam publica pro suo more disposuit. »

[g] Vulgo *Dee* seu *Grand-Lieu*, nunc prioratus in diœcesi Namnetensi.

## CCXXXV.

PRO ASIA ABBATISSA.

(*Anno* 839.)

*Privilegium Lotharii I imperatoris, quo Asiæ abbatissæ monasterii Ticinensis Sanctæ Mariæ, cui nomen Theodotæ, concedit terram positam inter murum et antemurale civitatis Ticinensis.*

[Muratori, *Antiquit. Italicæ*, tom I, pag. 918.]

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Lotharius, divina ordinante providentia, imperator Augustus, etc.

Igitur omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque cognoscat solertia, qualiter....... nomine Asia abba de cœnobio quod dicitur Theodote, quod est factum in honore Dei genitricis semperque virginis Mariæ degens sub regula eximii sanctissimique Patris Benedicti, petiit piam celsitudinem nostram ut ob Dei reverentiam et animæ nostræ mercedem, ad augmentum utilitatis ejusdem sancti loci, et supplementum necessitatum ibidem Deo famulantium, quædam terra ibidem necessaria inter murum civitatis et antemuralem conferremus. Cujus petitionem nos animæ nostræ mercedis proficuam recolentes libenter annuimus, effectuosaque deliberatione perenniter mansurum ac nostra auctoritate perfecimus; sed ut futura per tempora nullam refragationem inde quis inferre audeat, et rei collatæ rationem, et ipsis adjacentiis in hac nostra auctoritate inserere decrevimus: terminia vero de præfata terra hæc sunt: de superiori capite porta quæ dicitur Marenca, usque ad turrim ipsius monasterii, ubi est oratorium in honore sancti archangeli Michaelis, cum ingressibus et egressibusque in via publica. Insuper etiam ex subteriori parte turris jam dictæ usque territoria monasterii sæpe dicti: de uno latere terra ipsius monasterii, de alio latere via publica habet in longo pedes numero LXXX et VIII et in lato pedes XXIX. Petiit etiam serenitatem culminis nostri ut et commutationem, quam nostra auctoritate se præfata abbatissa, nec non et Teutberga de res sanctæ Mariæ semper virginis de suprascripto monasterio Deado et monasterium novum, quod est situm in honore sanctæ Agathæ, congruam commutationem ac rationabilem sub præsenti nostra auctoritate confirmaremus, ac firmissimo jure ex utraque parte roboraremus, sicuti et fecimus. Præcipientes ergo jubemus, sicuti et perenniter mansurum volumus, ut nemo fidelium nostrorum parti præscripti monasterii de his omnibus rebus quolibet tempore nullam inferre præsumat molestiam aut contrarietatem, sed sub omni integritate, sicut ibidem a nobis concessæ sunt, et a nostra auctoritate condonatæ perenniter ibi in utilitate ejusdem monasterii absque cujuslibet refragatione, aut qualibet inquietudine permaneant. Si quis vero contra hujus nostri præcepti securitatem violentiam aliquam vel occasionem inferre tentaverit, sciat se compositurum auri optimi libras LX, medietatem palatio nostro, et medietatem parti ejusdem monasterii. Et ut hæc nostra auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Lotharii serenissimi Augusti.

Dructemirus subdiaconus atque notarius ad vicem Algimari recognovit.

Data pridie Nonas Maias, anno, Christo propitio, imperii domni Lotharii pii imperatoris 19, indictione 2.

Actum Papia palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

## CCXXXVI.

DIPLOMA LOTHARII IMP. PRO MONASTERIO LUCERNENSI [a].

(*Anno* 839.)

[Apud Neugart, *Codex Alemannicus*, pag. 245.]

In nomine Domini Jesu Christi Dei æterni, Lotharius, divina ordinante providentia, imperator Augustus.

Noverit industria omnium fidelium nostrorum quia vir venerabilis Sigimarus [b] abbas ex monasterio quod dicitur Vivarium peregrinorum, situmque est in ducatu Alsacense super fluvium Morbac, detulit nobis sacræ memoriæ genitoris nostri Ludovici auctoritatem, in qua erat insertum qualiter atavus noster Pippinus, quondam rex, et ipse postmodum in sua eleemosyna concessisset monasterium Luciaria [c] vel monachis ibidem degentes homines ingenuos quinque his nominibus Vualdonem, Vulfarium, Vulfinum, Vuolfoldum et Vulbertum, cum filiis et posteris eorum, commanentes in loco nuncupante villa Eman [d] super fluvium Riusa [e] in pago Aregava videlicet, at illud quod ad partem publicam facere consueverant, ad prædictum monasterium fecissent. Præcipientes igitur jubemus, etc. Et ut hæc auctoritas nostra firmior et per futura tempora melius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Eichardus ad vicem Agilmari recognovi.

[a] Typis mandatum in Æg. Tschudii Gallia Comata, pag. 149, atque a Guillimanno, Rer. Helvet., lib. III, cap. 4; Lunigio, Spicileg. eccles., part. III, cap. 5, pag. 178; Bouqueto Rer. Gall. Script., tom. VIII, pag. 366; Schœpflino, loc. cit., ex authentico Murbacensi.

[b] Sigimarus Murbacensis in catalogo abbatum hujus monasterii, quem P. Bucelinus Germ. Sac. part. II, pag. 238, ex schedis sibi communicatis vulgavit, perperam ibidem dictus Sigismundus, sexto loco ponendus est.

[c] Lucerna.

[d] Leg. Eman (*die Emmat*), Emma, Emmeta, major et minor, in pago Lucernensi.

[e] Leg. *Ruisa*, vel *Rusa*, ut legerunt Tschudius et Guillimannus; vulgo *die Rüss, Reüss*.

Data viii Kalend. Augusti, anno, Christo propitio, A imperii domni Lotharii pii imperatoris 21 [a], indict. 3 [b]. Actum Strazbur civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

[a] Anni regni Lothariani in Italia ab an. 820 repetuntur, quo regem istius provinciæ declaratum esse Lotharium necesse est; cum in aliis diplomatibus hujus imperatoris, ubi annus imperii et regni separatim designantur, hic vicenario numero illum semper excedat, quamvis enim Bernhardus Langobardorum rex jam anno 818 obierit, non tamen illico compressi erant subditi, ejus partibus addicti, ut conjicit Chiffletius in probationibus Hist. Tornuc., pag. 268. Cf. D. de Saint Marc, *Abrégé chronologique de l'histoire générale d'Italie*, tom. I, pag. 467.

[b] Indictio 3 respondet anno 840.

# LUDOVICI PII EPISTOLÆ.

## EPISTOLA PRIMA

LUDOVICI AD MAGNUM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

*Mittit exemplum* [a] *regulæ canonicorum decretæ in concilio Aquisgranensi.*

(*Anno* 816.)

[Baluz., *Capitul.*, tom. I, pag. 454.]

Gloriosissimus Ludovicus, superno munere victor semper Augustus, venerabili in Christo Magno, Senonicæ urbis archiepiscopo, in Domino salutem.

Sicut vobis nuperrime in sacro conventu, quem Deo annuente Aquisgrani palatio aggregavimus, ubi multa, favente Christo ecclesiastice, imo catholice, acta sunt, meminimus promisisse, misimus tuæ venerandæ paternitati per præsentes missos nostros, Ermenfredum videlicet et Haymonem, formulam canonicæ institutionis quam idem sacer conventus ex sanctorum Patrum sparsim digestis sententiis colligere atque in unum congerere studuit: quam quia vobis transcribendi angustia temporis facultatem denegavit, studii nostri fuit eam diligenter transcribi jubere, ut absque ulla depravatione aut detruncatione textus ejus ad vos usque incolumis perferretur. Proinde has litteras ad tuam direximus sanctitatem, per quas jubemus ut memor admonitionis nostræ, suffraganeos tuæ diœceseos loco et tempore competenti ad te convocare studeas, et eamdem Institutionem per singula capitula coram ecclesiasticis ordinibus prælegi facias, et qualiter eam sacer conventus ob emolumentum animarum instruere salubriter curaverit, patenter edoceas, et his qui canonicæ professionis censentur nomine, secundum ministerium tibi divinitus collatum, et nostræ auctoritatis præceptum, coram memoratis missis nostris observandam percenseas. Eorum autem qui tardioris sunt ingenii, et eam forte plene intelligere nequeunt, tuo sive comprovincialium tuorum episcoporum dono scientiæ pollentium studio, ejus notitia sensibus perfundatur. Nam et tuam nihilominus providam volumus esse B beatitudinem, ut eam solerti cura prædicti missi nostri omnes, prout insinuaveris, transcribere absque ulla depravatione et detruncatione præmoneant; quoniam qualiter diligenter studioseque, distincte et aperte transcribatur, illos satis instituimus. Cujus nempe exemplar idcirco in armario palatii nostri recondi fecimus, ut per hoc nosse et inquirere possemus utrumne ab aliquo negligenter transcripta fuerit; quia, ut comperimus, dum in eodem sacro concilio perlegeretur, antequam coram nobis ab eodem concilio prolata, et necdum mensura cibi et potus plane statuta fuisset, invidi magna ex parte illam detruncantes, quædam capitula inconsulte ex ea transcripserunt. Unde necesse est ut si aliquem in tua diœcesi tale fecisse repereris, hujuscemodi factum coram provincialium tuorum episcoporum C conventu, et coram præscriptis missis nostris, frustreris, et hanc authenticam, ut præmisimus, diligenter, sicut missi nostri eis insinuaverint, transcribi percenseas. Volumus ergo ut omnes prælati canonicorum diligenter illam transcribant, studiose intelligant, efficaciter, quantum Dominus eis posse dederit, ob suam subditorumque utilitatem opere adimplere procurent; ut quando nos, sicut in eorum sacro et venerabili concilio generaliter omnibus diximus, missos nostros hujus negotii inquirendi gratia per universum imperium nostrum, Kalendis Septembris venturis, direxerimus, omnes, prælati videlicet et subditi, juxta capacitatem et possibilitatem suam, eadem instructione informati atque instructi, ejusdem operatores inveniantur D strenui. Quoniam diligenti indagine, vita comite, inquirere jubebimus qualiter unusquisque prælatorum ministerium suum expleat, qualiter jussioni nostræ in claustris et cæteris canonicorum necessariis habitationibus, et in eorum stipendiis dandis, et receptaculis pauperum præparandis obtemperaverint,

[a] Tam laudabile Ludovici Pii consilium, quod auctores illorum temporum summopere celebrarunt, alii, re minus considerata, reprobarunt posterioribus sæculis; et ut opinioni suæ potiorem fidem conciliarent, quidam finxerunt vocem insigni prodigio cœlitus eidem exprobrasse Ludovico, quod Ecclesiæ venenum addidisset. Quapropter Cointius anno 817, num. 140 et seqq., examinat quid Petrus Damiani, qui scripsit opusculum xxiv contra canonicos, qui licet in commune fructibus ecclesiarum alerentur, pecuniam aliaque bona seorsum possidebant; quid Joannes Mauburnus, qui Livriacensi monasterio diœcesis Parisiensis præerat anno 1500, in regulam Aquisgranensem et in ipsum Ludovicum scripsit: eosque hac in re deceptos esse ostendit, ut ibidem legere est. Vide etiam Pagium ad an. 816, num. 16 et 17. Duas alias epistolas de eodem argumento misit Ludovicus, alteram Sichario archiep. Burdegalensi per Adalelmum, alteram Arnoni archiep. Salzburgensi per Nothonem.

vel quis clerum suum secundum hujus institutionis normam et cætera spiritalia exercitia informare studuerit, aut si quis quem eorum quos in Dei servitio rationabiliter gubernare potuit, causa avaritiæ abjecerit : quia ut hæc quæ præmisimus, absque ullius difficultatis oppositione, in locis in quibus facta necdum erant, fieri opportunissime possent, unius anni spatium, sicut nosti, ad hæc peragenda tribuimus. Qui vero hoc annuo tempore nostræ, imoque Dei jussioni, juxta vires obtemperare neglexerit, cæteris, ne talia facere audeant, terrorem procul dubio incutiet. Misimus itaque tibi institutionis formam quam idem sacrum et venerabile concilium ex sanctorum Patrum sententiis diligenter excerpsit, et sanctimonialibus in uno collegio canonice degentibus observandam percensuit : quam sive per te, sive per comprovinciales tuos episcopos, in omnibus tuæ diœceseos puellaribus monasteriis, in quibus canonice vivitur, studiose præscriptam haberi volumus. Sed et hoc decernimus ut a vobis tam abbatissis quam cæteris sanctimonialibus tradatur, et qualiter eam tenere debeant vestro studio informentur. Cæterum nisi aliquam abbatissarum quando nos ad præsentiam nostram venire jusserimus, alio tempore volumus ut abbatissæ propriis in monasteriis resideant, et secundum hanc institutionis formam vivere sibique subjectas gubernare decertent; et nullis illarum per villas residendi, aut foras qualibet occasione accepta evagandi, suisque voluptatibus deserviendi, licentiam attribuant. Quanquam enim nonnulli clerici monasteria puellarum, et nonnulli laici monasteria virorum etiam ac puellarum habeant, tua tamen debet providere solertissima industria ut in omnibus locis sub tua diœcesi constitutis, ubicunque congregationes clericorum et sanctimonialium sunt, juxta possibilitatem et facultatem rerum secundum hujus institutionis formam vivant; quia nulla est omnino ecclesia, quæ facultates habeat, ubi non possint tot talesque gubernari qui divinum expleant officium, et ubi hospitalitas juxta vires non possit diligi. Nos quoque præfatos missos nostros ad tuam sanctitatem ideo direximus, ut tuum cæterorumque ecclesiasticorum in tua diœcesi consistentium diligenter atque subtiliter in hoc negotio intuerentur studium, et tibi opem in cæteris commonendis ferrent; qui et nobis referrent qualiter prælati et prælatæ eam libenter susceperint, diligenterque transcribere studuerint, et devote adimplere juxta vires curaverint; quoniam tandiu illos in tua vel comprovincialium tuorum diœcesi morari et discurrere una cum misso tuo jussimus, donec ab omnibus memoratæ formulæ transcriberentur; ut videlicet cuncta procurantes, diligenterque taxantes, cum ad nos illos redire opere expleto tempus permiserit, cuncta quæ acta sunt vestro utrorumque scripto notentur, atque per ipsos tuumque missum nostræ dignoscentiæ intimentur; ut sciamus quibus gratiarum actiones referre, quosque etiam dignis correptionibus corrigere debeamus. Si vero aliquis tuæ diœcesis eidem institutioni nostræque admonitioni procaciter reniti voluerit, et ea quæ ab eodem sacro et venerabili concilio constituta atque decreta sunt, quantum Dominus eis posse dederit, observare contempserit, præcipimus ut si antea hujusmodi non se correxerit, quicunque ille est, ante præsentiam nostram tua vel missorum nostrorum admonitione venire festinet; quatenus a nobis juxta quantitatem culpæ digne corrigatur. Direximus præterea tibi pondus et mensuram secundum quam clericis et sanctimonialibus panis et potus æqualiter tribuenda sunt, quæ ut ab omnibus firmissime atque inviolabiliter teneatur [*Leg. vid.* teneantur], decernimus, et ne quid incrementi aut detrimenti a quoquam patiantur, modis omnibus inhibemus. Tuam igitur in calce hujus epistolæ admonemus sanctitatem, ut secundum ministerium tibi divino munere collatum, nostræ in hoc negotio saluberrimæ admonitioni obedienter atque inexcusabiliter pareas, et cæteris in parendo exemplum bonum tribuas. Dignum quippe est ut quanto sublimius sacerdotii dignitate aliis superemines, et a nobis venerabiliter diligeris, tanto magis ad Dei nostramque voluntatem faciendam devotiorem te atque promptiorem exhibeas. Vale in Domino, et ora pro nobis.

## EPISTOLA II

LUDOVICI AD MONACHOS ANIANENSES.

(*Anno* 821.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des Hist.*, tom. VI, ex tabulario Anianensi.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus imperator Augustus venerabilibus fratribus in Aniano sive Gellone monasterio constitutis.

Proxime accedit [a] Agobardum archiepiscopum ad nostram devenisse præsentiam, indicans nobis quomodo eo præsente et Nibridio archiepiscopo, sine mora omnes pari consensu Tructesindum super vos elegissetis abbatem. Cui facto, quia rationabile nobis videbatur, assensum præbere non distulimus, desiderantes ac optantes ut pietas divina id ad suam et ad vestram communem salutem proficere faciat; et ille patris ac pastoris inter vos locum obtineat, et vos, ut Christi oves, pari humilitate et devotione, sicut dignum et rectum est, subditi et obedientes ei sitis. Et hæc obedientia vel humilitatis subjectio charitatis munimine est roboranda; quæ sine simulatione falsæ extrinsecus ostentationis in vobis fieri necesse est. Vos enim optime nostis cum quanto studio ac sudore a beatæ memoriæ domno Benedicto Patre vestro locus iste primo inchoatus est ac constructus est : deinde qua diligentia ille nitebatur, ut vos, quos divina superni Pastoris gratia per suæ devotionis instantiam inibi coadunaverat, secundum monasticæ vitæ regulam recte conversaremini. Quod et Deo largiente, juxta id, quod desideravit, ad effe-

[a] Agobardus Lugdunensis erat archiepiscopus, Nibridius Narbonensis.

ctum perduxit. Sed et de sacrosancto eodem examine per imperium a Deo nobis commissum longe lateque piæ conversationis normam coadoptavit, et vobis disseminare [a] non destitit. Et cum profecto ita se res habeat, dignum vos admonere statuimus, ut Deo cooperante id efficere studeatis, ne in diebus vestris res tam egregie inchoata et ad incrementum perducta, quolibet casu quidquam detrimenti sumat: sed tales semper per Dei misericordiam esse studeatis, ut de vobis possint, sicut prius, magistri et doctores sanctæ non solum regularis vitæ, verum omnis spiritalis normæ et præcipui apicis assumi, ubicunque necessitas vel voluntas fuerit. Porro Tructesindum abbatem vestrum admonitum esse volumus ut circa vos paternum exerceat amorem, et consideret secundum ætatem, vel valetudinem corporis, vel infirmitatis cujuslibet molestiam quid cui conveniat ex subjectis sibi, et caveat omnimodis ne in negligentes adeo fervida zeli castigatio modum excedat, ut eos pusillanimes reddat; nec apud observantes mandata Dei talis sit, ut torpore et desidia in eis rigorem constantiæ frangat; sed maxima discretione juxta Apostolum sit omnibus omnia factus, ut omnes ad se pertinentes salvare possit. Quod si forte evenerit, quod nos non optamus, ut ille extra regulam vobis a memorato Benedicto optime traditam in aliquo deviaverit, et magis voluerit quæ agenda sunt proprio arbitrio et voluntate quam vestro communi consilio agere, vos eum, ut charissimi fratres et filii, cum omni mansuetudine et patientia corrigite. Et si vobis assensum præbuerit, et per vos correctus fuerit, hoc Dei dono tribuatis: si vero ille pertinacior in sua, quo absit, permanere voluerit sententia, tunc nobis id significari prius faciatis, quam foris vicinis vestris notum fiat, quia cum in aliis regalem exerceamus potestatem, in vobis tamen paternum semper volumus obtinere affectum. Et quamvis hæc licentia a nobis sit vobis concessa, tamen summopere cavendum est ne de qualibet re adversus abbatem vestrum levi ira aut parva perturbatione inflammati, frustra pertinaci audacia adversus eum commoveamini. Nam si aliquis vestrum sine ratione adversus eum inflammabitur et nostras aures sine causa pulsaverit, nos adversus se noverit districta animadversione esse commotum, ut ille qui ejusmodi est cæteris fiat documentum; ne in posterum aliquis audeat adversus magistrum suum injuste consurgere. Vos quoque, seniores, in omnibus adjuvate eum, tam in districtione juniorum fratrum, quam etiam et reliqua utilitate monasterii, nec illum solum sub tanti ponderis onere gravari patiamini: Sed juxta Apostolum *invicem onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*. Vos autem, juniores fratres, statuimus admonere ut in omnibus abbati vestro et senioribus vestris obedientes sitis et humiles, non protervi, non murmuratores, sed cum omni humilitate ac mansuetudine servate propositum vestrum. Nam si secus egeritis, ut aliquis vestrum adversus abbatem et fratres infletur, et non solum sibi, sed etiam aliis perversæ transgressionis fuerit invitamentum, et non sui abbatis et fratrum sustinuerit correctionem, hunc nobis cum festinatione mitti præcipimus, ut eum in talem locum dirigamus, unde ille vobis minime possit quidquam inferre scandali. Hæc vobis ideo scribere jussimus, ut cognoscere possitis quantam curam ac sollicitudinem de vobis habere desideramus. Eamdem enim familiaritatem, quam cum piæ recordationis Benedicto abbate vestro habere visi sumus, si præcepta ejus custodire obedientes volueritis, vobiscum similiter habere volumus, et curam vestri ipsiusque monasterii semper agere. Et quia constat per chartam donationis prædicti Patris vestri eumdem monasterium genitoris nostri prius, et denuo nostrum esse alodem, eamdem licentiam, quam ipse prius et nos deinceps per præcepta immunitatis visi sumus concedere, perpetuis temporibus firmiter observare et inviolabiliter conservare promittimus: ut quandocunque divina vocatione prædictus abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu inter vos tales invenire potueritis, qui ipsam congregationem secundum regulam sancti Benedicti regere valeant, per sæpe scriptam et roboratam nostram auctoritatem licentiam habeatis semper eligendi abbatem. Optamus vos pro nobis orantes ac sanctum propositum vestrum custodientes semper bene valere. Amen.

## EPISTOLA III.

### MICHAELIS ET THEOPHILI FILII ORIENTIS IMPERATORUM AD LUDOVICUM PIUM.

(*Anno* 824.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, ex Baronio in *Annalibus ecclesiasticis.*]

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unius soli veri Dei, Michael et Theophilus fideles in ipso Deo imperatores Romanorum dilecto et honorabili fratri Ludovico glorioso regi Francorum, Longobardorum, et [b] vocato eorum imperatori [c].

.... [d] Ex eo tempore omnes Christiani imperii nostri ad pacis unitatem et pristinam concordiam redierunt, glorificantes et magnificantes propugnatorem nostrum Dominum Jesum Christum qui ad unitatem fidei coadunare populum suum dignatus est in subjectionem quod ab eo est imperii nostri. Quocirca dignum existimavimus hæc quasi pacifico amico et spiritali fratri nostro, et, ut credimus, socio gaudii a Deo imperii nostri manifesta facere, quæ

[a] Corrigit Cointius, *coadunavit e vobis*, *et disseminare*.

[b] Hic Ludovicus Pius vocatur imperator Francorum, non vero imperator Romanorum. Græci enim nec Carolum Magnum nec ejus in imperium Occidentale successores, quantumcunque eis indiguerint, Augustos et imperatores Romanorum unquam appellarunt.

[c] Narrat Michael imper. motus a Thoma viro seditioso concitatos, ejusque necem: multa mentitur de Leonis imper. morte, et de adepto a se imperio.

[d] Id est post reportatam de Thoma tyranno victoriam.

nobiscum acta sunt, ut pariter, sicut unius ejusdem- A que fidei et religionis cultoribus facere oportet, laudibus et hymnis collaudemus et glorificemus Salvatorem nostrum Jesum Christum. Oportuerat enim statim [a] in exordio imperii nostri, sicut spiritali fratri nostro et pacifico amico, per veros apices nostros, quæ erga nos gesta sunt vobis manifestare: sed, sicut supra dictum est, præfati tyranni et rebellis ac turpi morte condemnati Thomæ seditio facere prohibuit. Ac vero nunc dedit Deus nobis hoc præsens et opportunum tempus post ejus interfectionem, et coadunationem et concordiam populi nostri. Et ideo justum existimavimus mittere ad vestram gloriam Theodorum protospatharium nostrum et stratigon, Nicetam sanctissimum metropolitanum Myrensem Lyciæ [b] Fortunatum archiepiscopum Ve- B netiæ, Theodorum reverendissimum diaconum et œconomum istius sanctissimæ Dei catholicæ et magnæ ecclesiæ S. Sophiæ, et Leonem nostrum candidatum. Et non tantum per has syllabas, sed et per ipsos viros annuntiamus vestræ gloriæ omnia quæ proposita sunt, ut tam per eos quamque et per missos viros iterum scire possemus vestræ dilectionis sanitatem, simulque fidelium vestrorum incolumitatem, nec non et omnium rerum vestrarum apud vos consistentium prosperitatem. Porro per has nostras veras et fideles syllabas corroboramus et confirmamus priorem pacem et amicitiam inter vos et nos constitutam, deprecantes mediatorem ejusdem pacis dominum qui dixit : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27); eamdem pacem C splendidiorem et robustiorem facere, et ostendere temporibus et potestatibus præteritis, quoniam et nos sic tenemus et speramus quod et vestra gloriosissima potestas ita consentiat, sicut et nostra.....

Sed et hoc vestræ Christo amabili dilectioni manifestamus, quia multi de ecclesiasticis seu et laicis viris, alieni de apostolicis traditionibus facti, et neque paternos terminos custodientes, facti sunt inventores malarum rerum [c]........ Unde honorem Ecclesiæ Christi quærentes, fecimus litteras ad sanctissimum papam antiquæ Romæ, et eas misimus per prædictos missos nostros ad eum..... De cætero ordinet vestra spiritalis dilectio ut cum honore omni et illæsione ad eum veniant..... Causa memoriæ dilectionis quæ inter nos est, misimus per D prædictos missos nostros prasinovultim unum, milinovultim unum [d], Tyria [e] duo, blattas veras duas, Dirodina [f] duo, diventa [g] duo.

Absoluta mense Aprili, die decima, indictione secunda, a Deo consecrata regia urbe [h].

## EPISTOLA IV

LUDOVICI AD BADURADUM PADERBORNENSEM EPISCOPUM.

*In gratiam monasterii Corbeiensis in Saxonia.*

(*Anno* 824.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, ex Schaten. *Annal. Paderb.*, pag. 78.]

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator Augustus Badurado episcopo et misso nostro.

Nosse te non dubitamus qualiter nostra jussione Adelhardus quondam abbas quoddam monasterium in Saxonia a novo opere construxit, et aliqui boni homines de quibusdam rebus solemni donatione dotavimus; de quibus omnibus rebus nostræ auctoritatis præceptum circa idem monasterium fieri jussimus, ut perpetua salvatione in jure ejusdem monasterii eædem res consisterent. Sed, ut relatione Warini venerabilis ejusdem monasterii cognovimus, quidam comites memoratum præceptum nostrum infringere et convellere volunt, in eo videlicet quod homines tam liberos quam et litos, qui super terram ejusdem monasterii consistunt, in hostem ire compellant et distringere modo judiciario velint; quod nolumus ut faciant. Et ideo per has litteras nostras tibi præcipimus ut tu illud præceptum, quod, sicut diximus, eidem monasterio fecimus, assumas, et in præsentia eorumdem comitum, in quorum ministeriis res prædicti monasterii esse noscuntur, relegi facias, et ex nostra auctoritate eis præcipias ut ulterius nostræ auctoritatis præceptum violare non præsumant, sed potius, sicut in eodem præcepto continetur, illud conservare studeant, si gratiam nostram habere velint.

## EPISTOLA V.

EPISCOPI IN CONVENTU PARISIENSI CONGREGATI AD LUDOVICUM PIUM ET LOTHARIUM DE CULTU IMAGINUM.

(*Anno* 825.)

(*Hanc epistolam vide hujusce Patrologiæ tomo XCVIII, col. 1299, inter Opera Caroli Magni.*)

## EPISTOLA VI

LUDOVICI AD HIEREMIAM SENONENSEM ET JONAM AURELIANENSEM EPISCOPUM.

*Commonitorium ipsis datum cum legati Romam irent ad Eugenium II papam in causa imaginum.*

(*Anno* 824.)

[Baluz., *Capitul.*, tom. I, ex Goldast., *Constit. imp.*, et Sirmond., *Conc. Gall.*]

Hieremiæ et Jonæ, venerabilibus episcopis, in Domino salutem.

Venerunt ad præsentiam nostram [i] Halitgarius et Amalarius episcopi VIII Idus Decembris, deferentes collectiones de libris sanctorum Patrum,

[a] Michael regnare cœpit anno 820.

[b] Fortunatus, itinere Romam cum oratoribus Michaelis imper. suscepto, mortuus est in Francia.

[c] Postea Michael imperat. catholicos calumniatur, multaque narrat falsa et quæ virum hæreticum arguunt.

[d] Conjicit Cangius has duas voces *prasinovultim* et *milinovultim* efformatas ex Græco πρασινοβλάττιν et μηλινοβλάττιν. Prasinum viride, melinum luteum, blatta vermiculus, purpura.

[e] Tyrium, purpura Tyria, pannus purpureus.

[f] Dirodinum, pro diarhodinum, pallium rosei coloris.

[g] Diventum, vox ignota.

[h] Regia urbe, id est Constantinopoli.

[i] Halitgarius episcopus erat Cameracensis, Amalarius Trevirensis.

quas in [a] conventu apud Parisios habito simul positi collegistis, quas etiam coram nobis perlegi fecimus. Et quia placuerunt, et ad id propter quod collectæ sunt necessariæ atque utiles a nobis judicantur, sub omni celeritate vobis censuimus dirigendas. Idcirco admonendo præcipimus solertiæ vestræ ut priusquam de his aliquid domno apostolico indicetis, diligenti cura eadem vos recensere curetis, et ea quæ melius et aptius præsenti negotio convenire inveneritis, excerpere atque describere illique ad legendum offerre studeatis; quia enim, ut nostis, nos ab eo petivimus licentiam quatenus has collectiones a sacerdotibus nostris fieri permitteret. Et ideo non poterit prætermitti quin ei ostendatur quod ex ipsius permissione collectum est. Illud tamen summopere prævidete, ut ea illi de his ostendatis que rationi de imaginibus habendæ per omnia conveniant, et quod ipse vel sui rejicere minime valeant. Sed et vos ipsi tam patienter ac modeste cum eo de hac causa disputationem habeatis, ut summopere caveatis ne nimis ei resistendo eum in aliquam irrevocabilem pertinaciam [b] incidere compellatis; sed paulatim, verbis ejus quasi obsequendo, magis quam aperte resistendo, ad mensuram quæ in habendis imaginibus retinenda est eum deducere valeatis, et ideo potius efficere contendatis ut negotium de quo agitur ad meliorem quam ad pejorem statum cum Dei adjutorio perducatur. Postquam vero hanc rationem de earumdem imaginum causa consummaveritis, si tamen hoc ad nihilum Romana pertinacia permiserit, ut ratio inter vos habita aliquo bono et convenienti fine claudatur, et ille vobis indicaverit quod legatos suos ob eamdem causam in Græciam mittere velit, volumus ut eum interrogetis si illi placeat ut nostri legati pariter cum suis in Græciam pergant. Et si hoc ei melius visum fuerit, seque omnino velle responderit, tunc volumus u sub omni festinatione litteris vestris a vobis ad nos directis nos inde certos faciatis, simulque et de vestro adventu ad nos; ut eo tempore quo vos ad nostram veneritis præsentiam, Halitgarium et Amalarium nobiscum inveniatis. Vos autem cum domno apostolico considerate ubi ille vel quando velit ut sui ac nostri legati ad naves conscendendas se jungere debeant, et hoc nobis per nosmetipsos, cum Deo volente veneritis, annuntiare potestis.

## EPISTOLA VII.

LUDOVICI AD EUGENIUM II PAPAM,

*Missa per Hieremiam et Jonam episcopos, cum actis synodi Parisiensis.*

(*Anno* 824.)

[Baluz., *ibid.*]

Sanctissimo ac reverendissimo domno et in Christo Patri Eugenio, summo pontifici et universali papæ Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti, spiritales filii vestri, sempiternam in Domino nostro Jesu Christo salutem.

Quia veraciter nos debitores esse cognovimus ut his quibus regimen Ecclesiarum et ovium Dominicarum cura commissa est, in omnibus causis ad divinum cultum pertinentibus opem atque auxilium, pro qualitate virium nostrarum et intellectus nostri capacitate, feramus, idcirco prætermittere nequivimus quin tunc, quando legati Græcorum nobis manifestaverunt qualem ad vos deberent perferre legationem, summa cura ac sollicitudine tractaremus quale vobis adjutorium in hoc negotio cum Dei auxilio exhibere potuissemus. Et ob hoc a vestra sanctitate petivimus ut sacerdotibus nostris liceret de libris sanctorum Patrum sententias quærere atque colligere quæ ad eamdem rem pro qua iidem legati vos consulturi erant, veraciter definiendam convenire potuissent: quas cum illi juxta concessam etiam a vobis licentiam solerter inquirerent, et divina opitulante gratia quidquid invenire tam brevi temporis spatio potuerunt, collegissent, nobis ea perlegenda direxerunt. Quibus perlectis, ea vestræ sanctitati legenda atque examinanda per hos legatos nostros, Hieremiam scilicet et Jonam venerabiles episcopos, mittere curavimus; cum quibus si vestra paternitas dignum duxerit, de eadem legatione quæ in Græciam a vobis mittenda est, non inutilem, sed potius proficuam collationem habere potestis; quia et in sacris sunt litteris admodum eruditi, et in rationibus disputatoriis non minimum exercitati. Quos non ob hoc ad vestræ almitatis præsentiam cum memoratis sententiarum collectionibus misimus ut hic aliquo velut magisterii officio fungerentur, aut huc docendi gratia directi putarentur: quia, sicut jam commemorati sumus nos debitores existere ut huic sacratissimæ sedi in quibuscunque negotiis auxilium ferre debeamus, ideo et hos missos, et quas deferunt litteras, si quid vobis adjutorii conferre potuissent, mittere dignum duximus. Ilos vestræ sanctitati commendamus, ut et benignam apud vos receptionem et familiariter vobiscum loquendi locum inveniant: novit quippe sanctitas vestra qualiter populus Græcorum in hac imaginum veneratione divisus sit. Ideo rogamus ut almitas vestra curam et diligentiam adhibere dignetur quomodo per vestram saluberrimam doctrinam atque admonitionem magis ad concordiam et unitatem revocetur, quam propter hoc ad majorem discordiam et dissensionem impellatur. Et ideo cautissime con-

[a] Conventus iste Parisiensis habitus est anno 825, ut patet ex epistola episcoporum in eo congregatorum ad Ludovicum Augustum. (*Vide epist.* 4.)

[b] Baronius ad annum 825 referens hunc locum, ut eum molliat, hæc adnotat in margine: « *Pertinacia* pro *Constantia* hoc sæculo usurpari solita, inter alios sanctus Eulogius suis scriptis docet. » Istam opportunam occasionem insurgendi adversus Baronium non passus est Goldastus sibi elabi: « Sane pertinaciam perseverantiæ finitimam esse scripsit alicubi Tullius, sed cum pertinaciæ vocabulum, ubicunque reperitur, semper in malam partem accipiatur, difficile est existimare hic aliam habere posse significationem, præsertim si quis singulas epistolæ partes attente consideret. Ita Baluzius.

siderare debetis ut legatio vestra, quam illuc dirigere disponitis, tanta prudentia tantoque moderamine suffulta sit ut a nemine, neque Græco, neque Romano, juste valeat reprehendi, sed talis sit qualem semper decet in omnibus causis ab ista sacratissima sede proficisci. Et si vestræ sanctitati placet ut pro hac ipsa legatione missi nostri simul cum vestris illas in partes dirigantur, et hoc nos tempore congruo scire permittite; et non solum hoc, sed etiam si ituri sunt, ubi et quando cum vestris missis se jungere debeant. Non ideo tamen de missis nostris illuc dirigendis interrogamus quasi necessarium nobis videatur, aut nos vestros missos hanc legationem per se perficere dubitemus; sed potius propter hoc eos vobis offerimus ut sciatis nos in omnibus esse paratos quæ hujus sacratissimæ sedis necessitas aut voluntas postulaverit. Optamus sanctam et venerabilem ac piam paternitatem vestram semper in Christo bene valere, et nostri ac nostrorum omnium in sacrosanctis orationibus meminisse, sanctissime ac beatissime Pater.

## EPISTOLA VIII.

EPISTOLA GENERALITER POPULO DEI LEGENDA.

*De convocatione quatuor conciliorum.*

(*Anno* 828.)

[Baluz., *ibid.*, pag. 654.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti, omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris.

Recordari vos credimus qualiter hoc anno consilio sacerdotum et aliorum fidelium nostrorum generale jejunium per totum regnum nostrum celebrare jussimus, Deumque tota devotione deposcere ut nobis propitiaret in quibus illum maxime offensum haberemus nobis manifestare, et ut ad correctionem nostram necessariam tranquillum tempus nobis tribuere dignaretur. Volueramus siquidem tempore congruo placitum nostrum generale habere, et in eodem de communi correctione agere; et ita Deo miserante fieret, nisi commotio inimicorum, sicut nostis, præpedisset. Sed quia tunc fieri non potuit juxta voluntatem nostram, visum nobis fuit præsens placitum cum aliquibus ex fidelibus nostris habere, et in eo de his quæ propter prædictum impedimentum remanserunt, qualiter ad effectum pervenirent, Domino adjuvante, considerare. Quapropter nosse volumus solertiam vestram quod in isto præsenti placito cum fidelibus nostris consideravimus ut primo omnium archiepiscopi cum suis suffraganeis in locis congruis tempore opportuno convenirent, et ibi tam de sua causa quam de omnium nostrum correctione et emendatione secundum divinam auctoritatem quærendo invenirent, et nobis atque fidelibus nostris secundum ministerium sibi commissum adnuntiarent. Item consideravimus ut missos nostros per universum regnum nostrum mitteremus, qui de omnibus causis quæ ad correctionem pertinere viderentur quanto potuissent studio decertarent, et quidquid possibile invenirent præsentaliter [*Sirmond.*, per semetipsos] nostra auctoritate corrigerent; et si aliqua difficultas in qualibet re eis obsisteret, ad nostram notitiam deferre curarent. Quapropter volumus ut vos omnes, propter communem salutem et regni honorem ac populi utilitatem, obedientes et adjutores missis nostris in omnibus pro viribus esse non negligatis; simulque sciatis ob hanc causam nos velle per singulas hebdomadas uno die in palatio nostro ad causas audiendas sedere, ut per hunc aut illum comitem et providentia missorum et obedientia populi nobis manifestius appareat. Et ut hæc omnia successum habeant, volumus ut generale triduanum jejunium secunda feria post octabas Pentecosten celebrandum indicetur, et generaliter ab omnibus cum summa devotione observetur. Et quia undique inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ commoveri, et regnum a Deo nobis commissum infestare velle cognoscimus, præcipimus atque jubemus ut omnes homines per totum regnum nostrum, qui exercitalis itineris debitores sunt, bene sint præparati cum equis, armis, vestimentis, carris et victualibus, ut quocunque tempore eis a nobis denuntiatum fuerit, sine ulla mora exire et in quamcunque partem necessitas postulaverit, pergere possint, et tandiu ibi esse quandiu necessitas postulaverit.

*Hæc sunt capitula de instructione missorum.*

Dicendum est illis quia necesse est ut intelligamus omnes communiter quale periculum nobis immineat, in eo maxime quod in nostra negligentia tanta et talia, per quæ Deus offendi potuit, et honor et honestas regni decrescere, adhuc autem etiam aliam intellectam habemus negligentiam ex priori occasione notam [*Sirmond.*, natam], id est, quod ipsa legatio non ita peracta fuit sicut ipsa necessitas deposcebat; quanquam ex parte vos dicatis nos materiam in eo dedisse quod non per omnia ad hanc necessitatem inquirendam plenam vobis dedissemus jussionem. Ideo summopere tractandum est quomodo, Domino adjuvante, et in præsenti de his quæ per negligentiam et incuriam depravata sunt, corrigantur, et ne ultra talia fiant sollicite caveatur. Post hæc socii denominandi sunt, et tunc qualis debeat esse legatio injungenda est.

I. Primo injungendum est missis ut hoc omnimodis caveant, ne populo in eorum profectione oneri sint, ne forte quibus subvenire debuerint, afflictionem inferant.

II. Ut primo nostram populo voluntatem et studium, et qua intentione a nobis sint directi, per nostrum scriptum nuntient. Instruendi sunt etiam quid inquirant.

III. In primis hoc maxime inquirant quomodo hi qui populum regere debent, unusquisque in suo ministerio se custoditum habeat, ut qui bene faciendo gratiarum actione digni sunt cognoscamus, qui vero correctionem et increpationem pro eorum negligentiis merentur, omnimodis nobis manifesti fiant. Inquisitio autem hoc modo fiat. Eligantur per sin-

gulos comitatus qui meliores et veraciores sunt. Et si aliquis inventus fuerit de ipsis qui fidelitatem promissam adhuc nobis non habeat, promittat. Et tunc instruendi sunt qualiter ipsam fidem erga nos salvare debeant; id est, ut quicunque ex his talem causam scit in illis rectoribus et diversis ministris qui populum regere et salvare debent, de quibus interrogati fuerint, quæ ad populi damnum et detrimentum pertineat, et propter hoc nobis periculum animæ evenire possit et inhonoratio, omnino, si salvam voluerit suam fidem et promissionem habere, manifestum faciat. Et si post talem admonitionem et contestationem, aliter quam se veritas habeat dixisse aliquis deprehensus fuerit, sciat se inter infideles esse reputandum.

*Hæc sunt capitula quæ volumus ut diligenter inquirant.*

(*Collata cum codice Tiliano pervetusto, qui fuit monasterii S. Remigii Rhemensis.*)

Primo de episcopis, quomodo suum ministerium expleant, et qualis sit illorum conversatio, vel quomodo ecclesias et clerum sibi commissum ordinatum habeant atque dispositum, vel quibus rebus maxime studeant, in spiritalibus videlicet aut in sæcularibus negotiis. Deinde quales sint adjutores ministerii eorum, id est, chorepiscopi [archipresbyteri [a]], archidiaconi, et vicedomini, et presbyteri per parochias eorum, quale scilicet studium habeant in doctrina, vel qualem famam habeant secundum veritatem in populo. Similiter de omnibus monasteriis inquirant juxta uniuscujusque qualitatem et professionem: similiter et de cæteris ecclesiis nostra auctoritate in beneficio datis. Utrum episcopi in circumeundo parochias suas cæteras minores ecclesias gravent, aut populo oneri sint, et si ab ipsis aut a ministris eorum indebita (exenia [*Ms.*, exsenia]) a presbyteris exigantur. Simili modo de comitibus inquirant, quale studium de suo habeant ministerio, ut qui bene exinde facit cognoscamus. Si aliter facit, et hoc nosse omnino volumus; id est, si populus per suam negligentiam et desidiam justitia et pace careat, aut si ipse sciens aut nesciens aliquid injuste factum habeat. Deinde ergo quales ministros habeat ad regendum populum vel missos, utrum juste an injuste in ipsis ministeriis agant, aut consentiente vel negligente comite a veritate et justitia declinent. Quæ personæ, vel de quibus causis culpabiles ad præsentiam nostram venire debeant, discernendum est. Exceptis episcopis, abbatibus, comitibus, qui ad placita nostra semper venire debent, isti venient, si in talibus culpis et criminibus deprehensi fuerint quales inferius adnotatæ sunt.

## EPISTOLA IX.

EPISTOLA CÆSAREA GENERALITER POPULO DEI LEGENDA,

*Quam Ludovicus Pius imperator ex placito Aquisgranensi misit de conciliis episcoporum in quatuor imperii partibus congregandis.*

(*Anno* 828.)

[Baluz. *ibid.*, pag. 658.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus et Lotharius, divina ordinante providentia, imperatores Augusti, omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris.

Recordari vos credimus qualiter hoc anno, consilio sacerdotum et aliorum fidelium nostrorum, generale jejunium per totum regnum nostrum celebrare jussimus, Deumque tota devotione deposcere ut nobis propitiari, et in quibus illum maxime offenderimus nobis manifestare, et ad correctionem nostram necessariam tranquillum tempus nobis tribuere dignaretur. Volueramus siquidem tempore congruo placitum nostrum generale habere, et in eo de communi correctione agere; et ita Deo miserante fieret, nisi commotio inimicorum, sicut nostis, præpedisset. Sed quia tunc fieri non potuit juxta voluntatem nostram, visum nobis fuit præsens placitum cum aliquibus ex fidelibus nostris habere, et in eo de his quæ propter prædictum impedimentum remanserunt, qualiter ad effectum pervenirent, Domino adjuvante considerare. Quapropter nosse volumus solertiam vestram quod in isto præsenti placito cum fidelibus nostris consideravimus ut primo omnium archiepiscopi cum suis suffraganeis in locis congruis tempore opportuno convenirent [b], et ibi tam de sua quam de omnium nostrum correctione et emendatione secundum divinam auctoritatem quærendo invenirent, et nobis atque fidelibus nostris secundum ministerium sibi commissum annuntiarent. Quis enim non sentiat Deum nostris pravissimis actibus esse offensum, et ad iracundiam provocatum, cum videat tot annis multifariis flagellis iram illius in regno nobis ab eo commisso desævire, videlicet in fame continua, in mortalitate animalium, in pestilentia hominum, in sterilitate pene omnium frugum, et ut ita dixerim, diversissimis morborum cladibus [c] atque ingentibus penuriis populum istius regni miserabiliter vexatum et afflictum, atque omni abundantia rerum quodam modo exinanitum? Nec illud etiam dubitamus ex justa vindicta illius evenire, quod sæpe scandala per tyrannos in hoc regno exsurgunt, qui pacem populi Christiani et unitatem imperii sua pravitate nituntur scindere. Nam et illud nihilominus peccatis nostris deputandum est, quod [d] inimici Christi nominis præterito anno in hoc regnum ingressi deprædationes, incendia ecclesiarum, et captivationes Christianorum, et interfectiones

[a] Deest in codice ms.

[b] *Vide* Frotar., Tull. Episc., 18.

[c] Has clades, quas ab aliquot annis patiebantur Franci, diabolus hoc ipso anno 828 inter exorcismos per os cujusdam puellæ obsessæ declaravit; ut videre est apud Eginhardum in lib. III de Translatione SS. Marcellini et Petri martyrum, cap. 13. (*Patrologiæ tom. CIV.*)

[d] His verbis designantur tam Saraceni, quibus Aizo se junxit in Marca Hispanica, quam Bulgari, qui Pannoniam vastarunt anno 827.

servorum Dei audenter et impune, imo crudeliter, fecerunt. Agitur siquidem justo judicio Dei ut quia in cunctis delinquimus, interius simul et exterius flagellemur. Beneficiis quippe Dei evidenter existimus ingrati, quoniam his non ad voluntatem Dei, sed ad libitum nostrum carnalem uti invenimur. Et idcirco merito creaturæ Dei nobis divinitus concessæ pro Deo contra nos ingratos pugnant, juxta illud : *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos* (*Sap.* v, 21). Verum quia tot modis vexamur atque percutimur, ad eum a quo percutimur toto corde dignum necessariumque est ut revertamur, quatenus illud propheticum in nobis impleatur quo dicitur : *Sola vexatio intellectum dabit auditui* (*Isa.* XXVIII, 19). Sed quia pius et clemens Dominus sic ipsum flagellum moderatur ut non ad interitum, sed potius ad correctionem nostram inferre videatur, debemus in conspectu ejus veraciter humiliari, et faciem illius in confessione prævenire, ejusque pietatem pronis mentibus exorare ; ut qui fecit nos justissima dispensatione flagella sentire, sciat nobis peccata nostra, pro quibus juste ab eo flagellamur, cognoscere, et in quibus maxime illum offendimus, et iram illius provocavimus, manifestius intelligere, ut post, eo miserante, prava deserendo et corrigendo, bona etiam sectando, et tota cum devotione exsequendo, valeamus per spiritum humilitatis et animam contritam sacrificium Deo debitum offerre, iramque illius indignationis evadere, et per dignam congruamque correctionem, et bonorum operum exhibitionem, gratiam ejus propitiationis, licet indigni, promereri. At quia nos magis in hoc peccasse cognoscimus, qui forma salutis omnibus esse debuimus, et omnium curam gerere, et per auctoritatem imperialem pravorum acta, ne tantum accrescerent, corrigere, cupimus, Domino nobis propitio, in conspectu pietatis illius per dignam satisfactionem veniam adipisci, et per saluberrimam correctionem, vel per bonum studium, quod nostra desidia et ignorantia hactenus neglectum est, consultu fidelium tempore opportuno, quantum in nobis est, studiosissime emendare, et nostram in hoc voluntatem omnibus manifestam facere Quapropter statuimus atque decrevimus cum consultu sacerdotum cæterorumque fidelium nostrorum, hujus rei gratia, ob placandum scilicet contra nos nobisque subjectos Domini furorem, conventus eorumdem episcoporum in quatuor imperii nostri locis congruentissime fieri. Primo scilicet in Moguntiacensi urbe, ubi conveniant archiepiscopi [*Sirmond.*, metropolitani] Autgarius, Hadabaldus, Hethi, Bernuinus, cum suffraganeis suis. Secundo quoque in Parisiorum urbe, ubi futurus antistes Senonicus, et Ebbo, Ragnoardus et Landramnus cum suffraganeis suis conveniant. Tertio vero apud Lugdunum, ubi Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus cum suffraganeis suis similiter conveniant. Quarto etiam apud Tolosam urbem, quo simul conveniant Notho, Bartholomæus, Adalelmus, Agiulfus cum suffraganeis suis. In quibus conventibus tractare, quærere, et cum Dei adjutorio invenire debent de causis ad religionem Christianam et eorum curam pertinentibus, quid a principibus et reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas docet aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte vel ex toto dimissum sit ut non teneatur. Deinde quid in ipsorum qui pastores populi constituti sunt moribus, conversatione et actibus inveniri possit quod divinæ regulæ atque auctoritati non concordet ; simulque inveniant quæ occasiones in utroque ordine id effecerint ut a recto tramite deviatum sit. Et quidquid de his causis inventum fuerit, tam solerti cura custodiatur ut nullatenus ad aliorum notitiam pervenire permittant ante tempus constitutum. Et ideo unus notarius inter omnes eligatur qui quod ipsi invenerint describat, et ipse sub juramento constrictus ea quæ inventa et digesta fuerint diligenter fideliterque conservet

## EPISTOLA X.

EPISCOPI IN [a] SYNODO PARISIENSI ANNO 829 CONGREGATI AD LUDOVICUM ET LOTHARIUM IMPERATORES.

(*Anno* 829.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des hist.*, tom. VI, ex Sirmondo, tomo II *Concil. Galliæ*, pag. 542.]

Dominis præstantissimis et pietatis gratia præditis, Ludovico et Lothario orthodoxis atque invictissimis Augustis.

Nos famuli vestri, quamvis indigni, tamen episcopi, Deo humiliter grates persolvimus ejusque immensam pietatem et benignitatem collaudamus et prædicamus, qui vos adeo in sui amorem devotissimos famulos suos flagrare facit, ut de profectu et exaltatione sanctæ suæ Ecclesiæ indesinenter cogitetis, eamque ut pote matrem spiritalem, sicut fideles et dilecti spiritales filii, ad meliora et potiora semper provehere studeatis. Nam cum mucro divinus imperium vobis divinitus commissum interius exteriusque, merito nostræ iniquitatis, multifariis attereret cladibus, prudenter animadvertentes quod hæc nonnisi justo Dei judicio evenirent, illico scriptis se-

[a] Ex præfatione hujus synodi quædam referre juvat : « Cum liquido pateat Ecclesiam, quam Christus, qui eam suo proprio sanguine redemit, suisque orthodoxis famulis Ludovico et Lothario gloriosis Augustis regendam tuendamque committere occulta sua dispensatione voluit, diversorum morborum generibus affici, cladibus multifariis conteri, divinum contra se mucronem interius exteriusque, meritis exigentibus, grassari, plagasque quas Dominus suis jussis obedire nolentibus, sed potius ad mala quæ vetuit labentibus interminatus est, incessanter experiri ; iidem Deo pleni principes cœlitus inspirati, consulto ad Deum dignam conversionem judicaverunt esse faciendam..... eorum saluti, juxta ministerium nobis collatum, consulere cupientes, anno Incarnationis Domini DCCCXXIX, Ludovico filioque ejus Lothario, sub die VIII Iduum Juniarum, nos indigni episcopi, ex diœcesi scilicet Duyocoytoyum nec non et diœcesi Senonica et Turonica atque Rothomagica, apud Parisiorum urbem convenimus et qualiter de paulo superius præmissis causis, juxta admonitionem eorumdem principum, egerimus vel tractaverimus, in subsequentibus breviter capitulatim adnotare curavimus. »

renitatis vestræ anno præterito cunctos ecclesiarum pastores admonuistis, ut quia constabat eos speculatores Domini existere, et gladium divinum super terram, id est super peccatores, grassari, meminerint speculationis suæ et jejunio triduano ab omnibus generaliter peracto, unusquisque in quolibet ordine positus, diligenter conscientiam suam conveniret, et ubi se Deum offendisse cognoscebat maturato per pœnitentiæ satisfactionem corrigere non differret. In quibus etiam apicibus inserere vobis placuit ut, si Deus pacem undique et otium vobis tribueret, in hoc placitum vestrum generale consumere voluissetis, ut primum quidquid in vobis, id est in persona et ministerio vestro, corrigendum inveniretur, Domino auxiliante corrigeretis. Deinde quæcunque in omnibus ordinibus imperii vestri Deo displicerent inquireretis, et secundum ejus voluntatem cum consensu fidelium vestrorum ad tramitem rectitudinis revocaretis; scilicet ut eum vobis populoque vobis commisso propitium faceretis. Sed quia tempus optatum, exterioribus incursionibus præpedientibus, secundum desiderium vestrum nacti non estis, libuit serenitati vestræ cum quibusdam fidelibus vestris præterita hieme placitum habere, et de his quæ præmissa sunt diligenter tractare, Deique voluntatem quærere, et Ecclesiæ vobis commissæ utilitatem providere. Quapropter de omnibus quæ ad tempus emendatione digna visa sunt, congrua capitula serenitas vestra digessit, legatosque strenuos delegavit, ut per eadem capitula et flagitia malorum hominum punirent, et bonorum laudem vestræ celsitudini notescerent. Inter quæ etiam statuistis, in quatuor partibus imperii vestri conventus episcoporum uno eodemque tempore fieri, in quibus tractarent, quærerent, atque cum Dei adjutorio invenirent de causis ad religionem Christianam, eorumque curam pertinentibus, quid a principibus et reliquo populo vel ita, ut divina auctoritas docet, aut aliter teneretur : vel quid inde ex parte, aut ex toto dimissum esset, ut non teneatur. Deinde quid in ipsorum, qui pastores populi constituti sunt, moribus, conversatione et actibus inveniri posset, quod divinæ regulæ atque auctoritati non concordaret : simulque inveniretur, quæ occasiones in utroque ordine id effecerint, ut a recto tramite deviassent; et quidquid de his inventum fuisset, vestræ celsitudini notum facerent. Quod, ut Deus posse dedit, nos fidelissimi ac devotissimi salutis vestræ procuratores, juxta parvitatem sensus nostri, prout brevitas temporis permisit, secundum sanctam devotionem et ordinationem vestram, de causis ad religionem Christianam nostrumque ministerium atque periculum pertinentibus, nec non et de his quæ ad nostram correctionem et emendationem pertinere perspeximus, sive de his quæ populis generaliter annuntianda et admonenda prævidimus, capitulatim in præcedentibus adnotavimus libellis, vestræque serenitati legenda, imo probanda obtulimus. Et quanquam de his quæ præmissa sunt, vestro ardentissimo desiderio prius satisfacere elegerimus, nequaquam tamen hæc quæ specialiter ad vestram personam ministeriumque pertinere cognovimus, oblivioni tradidimus : sed potius vestræ saluti prospicientes, nonnulla capitula necessaria in secundo hujus operis libello, ad nomen ministeriumque vestrum pertinentia, periculumque cavendum, solerti studio congessimus, et vobis familiariter admonitionis gratia porrigenda devovimus, ut ea diligenter aspiciendo, legendo et audiendo, aperte atque distincte vestra cognoscat celsitudo, de quibus et pro quibus in memoratis conventibus nostris, secundum virium nostrarum possibilitatem fideliter salubriterque egerimus. Abhinc sequuntur quædam quæ ex capitulis conventus nostri breviter decerpsimus, quæ ad nostram et fidelium vestrorum laicorum observationem et salutem pertinentia, necessaria esse perspeximus. Dehinc sequuntur alia quæ vestræ pietati deposcenda valde salubria esse judicavimus.

## EPISTOLA XI.

### LUDOVICI AD ALDRICUM EPISCOPUM CENOMANENSEM.

*De quibusdam rebus alienatis ejus ecclesiæ.*

(*Anno* 835.)

[Baluz., lib. III *Miscell.*, pag. 165.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus, Aldrico venerabili episcopo et fideli nostro salutem.

Noverit tua industria quia missus tuus nostram adiit præsentiam innotescens quod quidam vassalli nostri, Ghermundus, Vulfardus, Berchadus, Bodo et socius suus, beneficia ex tuo episcopio habent, quæ olim per precarias inde alienata fuerunt. Qua de re volumus ut tu nostra auctoritate recipias usque ad nostram præsentiam, et de nostra fidelitate magnam curam semper habeas, sicut hactenus te habere cognovimus. Nam memoratus missus tuus nostram deprecatus est pietatem ut aliquem missum tibi dederimus qui prædictas res tibi Ecclesiæque tibi commissæ consignaret, et vestituram legitimam faceret. Qua de re Helisacharo misso nostro præcipimus ut de supradictis beneficiis tibi vestituram faciat, quando illas in partes a nobis directus fuerit. Volumus etiam ut quam citius poteris missum tuum bene fidelem ad nos dirigas, qui nos certos faciat qualiter erga vos et reliquos fideles nostros modo agatur, et quid de illis causis factum quæ vobis agere præcepimus. Bene vale et ora pro nobis.

## EPISTOLA XII.

### LUDOVICI AD HILDUINUM ABBATEM S. DIONYSII.

*De colligendis in unum corpus iis quæ in Græcorum historiis de sancto Dionysio passim scripta reperεrat.*

(*Anno* 835.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, ex Surio ad diem 9 Octobris, pag. 716.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus, Hilduino venerabili abbati monasterii sanctissimorum martyrum ac specialium

protectorum Dionysii pretiosi sociorumque ejus, A æternam in Christo salutem.

Quantum muneris ac præsidii non modo nobis ac prædecessoribus seu progenitoribus nostris, verum etiam totius imperii nostri populis, Domini providentia per beatissimum Dionysium sæpenumero, imo continue in magnis gratiarum ubertatibus contulerit, cunctæ per transacta tempora Gallicæ generationes senserunt, quæ ejus insigni apostolatu fidei rudimenta sumpserunt, et salutis subsidia perceperunt. Prædecessores autem nostri gloriam hujus eximii testis et amici Dei non inaniter coluerunt, qui dum ejus sacras exuvias in terris ob amorem et honorem Domini nostri Jesu Christi opibus, quibus poterant, honoraverunt, per ejus preces dignissimas honoris privilegio potiri et in terrenis et in cœlesti- B bus meruerunt, ut videlicet unus ex priscis Francorum regibus, Dagobertus, qui eumdem pretiosissimum Christi martyrem veneratus non mediocriter fuerat, et in mortali est vita sublimatus, et per ejus adjutorium, sicut divina ac celebris [a] ostensio perhibet, a pœnis est liberatus, inque vita perenni desiderabiliter constitutus. Progenitores quoque nostri mellifluum nomen domini Dionysii (sic enim verbis ac scriptis suis eum appellare consuevere) non incongrue pia dilectione et dilectissima pietate amplexi sunt. Quia proavus noster Carolus princeps Francorum inclytus per orationes ipsius excellentissimi martyris indeptum se fuisse gratulatus est apicem principatus, eidemque decurso mortalitatis tempore (*An.* 741), quod charius potuit habere de- C positum, corpus scilicet proprium, in magni die judicii suscitandum, et animam Domino præsentandam fideliter commendavit, ac per hoc maxime devotionem atque fiduciam cordis sui erga peculiarem patronum patenter ostendit. Sanctæ nihilominus recordationis avus noster Pippinus propter altare quod ante sepulcrum sæpe fati sæpiusque dicendi domini Dionysii per divinam et memorabilem revelationem jussu ipsius sanctissimi martyris in honorem Dei et apostolorum Petri et Pauli, qui præsentes ostendebantur, a beato et angelico viro Stephano summo pontifice dedicatum est (*An.* 754), inter sacra missarum solemnia una cum duobus filiis, Carolomanno videlicet et divæ memoriæ domino ac genitore no- D stro Carolo, jure prænominato Magno, ab eodem apostolico papa in regem Francorum unctus, superni muneris benedictionem percepit. Quique cum quanta se humilitate ante limina basilicæ sanctorum martyrum, defuncto hujus vitæ curriculo, sepeliri præceperit (*An.* 768), titulus etiam ipsius conditorii innotescit. Sed et nos multis ac frequentibus largitionibus beneficia ejus sumus experti, præcipue tamen in humanæ varietatis eventu, quo Dei, ut semper fatendum est, justo judicio, in virga eruditionis suæ visitati, et baculo speciosæ misericordiæ ejus, ante præscriptum altare per merita et solatium domini ac piissimi Patris nostri Dionysii, virtute divina recreati et restituti sumus (*An.* 834), cingulumque militare judicio atque auctoritate episcopali resumpsimus, et usque ad præsens ipsius gratioso adjutorio sustentamur. Idcirco, venerabilis custos ac cultor ipsius provisoris et adjutoris nostri domini Dionysii, monere te volumus ut quidquid de ejus notitia ex Græcorum historiis per interpretationem sumptum vel quod ex libris ab eo patrio sermone conscriptis, et auctoritatis nostræ jussione, ac tuo sagaci studio, interpretumque sudore in nostram linguam explicatis, huic negotio inseri fuerit congruum, quodque etiam in Latinis codicibus jam inde habes inventum, adjunctis eis quæ in libello ejus passionis continetur, nec non et illis quæ in tomis vel chartis vetustissimis armarii Parisiacæ ecclesiæ, sacræ videlicet sedis suæ, prolatis inveneras, et obtutibus nostræ serenitatis ostenderas, secundum quod rerum, causarum etiam ac temporum convenientiam noveris, in corpus unum redigas, atque uniformem textum exinde componas, quatenus compendiosius valeant innotesci, et fastidiosis minusve capacibus vel studiosis lectionis possit tædium sublevari, pariterque omnibus ædificationis utilitas provideri. His ita contextis, volumus ut revelationem ostensam beato papæ Stephano in ecclesia ejusdem sanctissimi Dionysii, sicut ab eo dictata est, et gesta quæ eidem subnexa sunt, una cum hymnis quos de hoc gloriosissimo martyre atque pontifice habes, et officium nocturnale subjungas; sed et differenter, ac cum integritate sui, quæque ex eo reperta sunt, in altero volumine colligas, nobisque distincte et correcte transcripta quantocius dirigas aut præsentes: quoniam maximum valdeque dulcissimum pignus desiderabilis præsentiæ illius domini et solatiatoris nostri, ubicunque scimus, habere nos credimus, si cum eo, vel de eo, aut ab eo dictis, oratione, collatione, lectione colloquimur. Vale in Christo, vir Dei, in sacris orationibus jugiter memor nostri.

## EPISTOLA XIII.

HILDUINI ABBATIS S. DIONYSII AD LUDOVICUM PIUM.

*Quæcunque memoria librique præ manibus habiti suppeditarunt de sancto Dionysio, simul collecta transmittit.*

(*Anno* 836.)

[Apud D. Bouquet., *ibid.*, ex Cointio, tom VIII *Annal. eccles.*, pag. 395.]

[b] Domino benignitate admirabili et auctoritatis reverentia honorabili, Ludovico Pio semper Augusto, Hilduinus humilis Christi famulus, et domini mei

[a] Visio quam monachus San-Dionysianus, post Dagoberti obitum, Joanni eremitæ Siculo primus ostensam finxit, fabulis accensenda.

[b] Hisce litteris Hilduinus adjecit lucubrationem satis prolixam, in qua contendit Dionysium Areopagitam, dimisso Atheniensi episcopatu, atque alio episcopo in ejus locum suffecto, Romam venisse; eumdemque Dionysium in Gallias, ubi martyrium postea consummarit, a Clemente Romano pontifice missum fuisse. Hilduini lucubrationem confutat Cointius ad an. 835, num. 115 et seqq.

Dionysii pretiosi ac sociorum ejus matricularius, vestræque imperiali dominationi in omnibus devotissimus, præsentem in Christo prosperitatem atque æternæ felicitatis benedictionem optat et gloriam.

Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo. Dilatatum est os meum, et gaudebunt labia, ut annuntiem præconia domini mei gloriosissimi martyris Dionysii ab eximio imperatore domino meo jussus; quæ reticere non poteram, etiam si a quoquam fuissem forte prohibitus. Et revera magna mihi est ratio gratulandi, quoniam cumulatius mihi effectum desiderii mei præstare voluit divina dignatio, ut mentis meæ conceptum ei placere cognoscerem, cum quod agere spontanea disponebat mea humilitas, in agendo data manu auctoritatis, cooperaretur vestra Deo placens sublimitas. Qua de re bonorum operum et spiritualium omnium studiorum illum auctorem esse non dubium est, qui quorum incitat mentes, quo sibi placet in ingenio adjuvat actiones. Sed et in hoc valde exsultat spiritus meus in Deo salutari meo, quoniam Christianus animus vester sic evidentissime erga se divinæ bonitatis beneficia, et sanctorum cognoscit solatia, et tam promptissime se accensum ostendit circa auctoris et reparatoris sui seu specialium suffragatorum suorum venerationem atque obsequium. Non enim sic ab intimis pia anima vestra divina confiteretur vera et justa judicia, nisi se ipsam sancto illuminatam cognosceret Spiritu, nec ita devotissime amici Dei bene gesta et dicta maxime sagacitatis vestræ prudentia perquireret, nisi summum bonum, a quo et per quem omnia sunt bona, diligeret. Cujus amore religiosa devotio vestra accensa esse dignoscitur, ut Christi militum gloriosos triumphos inquireret. Quos cum noverit, per eorum adjutorium robustius contra vitia vitiorumque auctores pugnabit, quatenus martyrum exempla sectando, qui viriliter certavere, et fideliter satis vicere, ad palmam, qua illi munerati sunt, et ipse pertingat. Huc accedit ad voti et sollicitudinis vestræ incitamentum, quia Esdras, sanctæ Scripturæ reparator, magnum remunerationis donum exinde apud Deum promeruit, et laudabile sibi nomen apud homines acquisivit. Quocirca et vestræ sedulitatis instantia, cum pro magna antiquitate hujus sanctissimi Patris nostri, quantum ad generationem terrenam et conversionem seu obitum attinet, mira sanctitate et miraculorum prodigiis orbi pene cuncto innotuit, notitia ipsius paucis nostrorum cognita, plurimis adhuc manens incognita, cum per vestrum studium patuerit, et meritum, ut melius ipsi scitis, grande vobis conciliabitis, et memoriale perpetuum acquiretis. Faciat autem Dominus ut nos idonei cooperatores inveniamur ad bonæ voluntatis vestræ perfectionem, qui tanto sine aliqua hæsitatione vestris jussionibus obedimus, quanto illa rogatis seduli exactores quæ exhibemus voluntarii executores. Idcirco quia reperta quæque tam in Græcis quam in Latinis codicibus ex domino et patrono nostro Dionysio, quæ hactenus minus cognovimus, vobis ocius in unum collecta mittere poscitis, et incongruum ducimus auctoritatis vestræ desiderio differri, quod ex debito servitutem nostram constat debere largiri; quantum connivet brevitas temporis, quidquid ori suggesserit memoria citæ recordationis, favente Domino, velociter scribentium committemus notariorum articulis, deprecantes vestram humiliter sapientiam, ne in his quæ reverentia et amore sanctissimi martyris, et propter jussionis vestræ obedientiam scribenda aggredimur, verborum pompositatem aut dictationis leporem, sed purissimæ veritatis, sicut ab antiquorum dictis sumpsimus, quærere studeatis sinceritatem. Nosque reprehendere de casuum, præpositionum atque conjunctionum virtute, seu litterarum in subsequentes immutatione, vel punctorum secundum artem grammaticam positione nolite; quia non id studendum, sed nostræ deservitionis obsequium ac commendationis vestræ officium accelerandum suscepimus, maxime cum hæc quæ ab aliena lingua expressimus, in tenoris serie, sicut de prælo sunt eliquata, teximus; quæ licet in interpretatione non redoleant supparem sermonis odorem, sapidum tamen referunt veritatis et intellectus sui saporem. Ordinem igitur historiæ, sicut vestra jussit dominatio, in unum congestum, et singulatim postea plenitudinem ejus discretam, cunctis legentibus atque audientibus, pandemus. Nam divinæ erit inspirationis et exsecutionis id quod desideramus fideli animo propalare; verum atque probabile demonstrare. Ex quo nos laborandum non magnopere æstimamus, quia quid tenendum de hoc sanctissimo martyre Christi sit, quid credendum, notæ et probatissimæ personæ veracibus dictis declarant.

## EPISTOLA XIV.

LUDOVICI PII JONÆ AURELIANENSI EPISCOPO.

*De monasterio Anisolensi.*

(*Anno* 838.)

[Apud D. Bouq., *ibid.*, ex Baluzio, lib. III *Miscell.*, pag. 131.]

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina repropitiante clementia, imp. Augustus, Jonæ venerabili episcopo salutem.

Notum esse volumus quia perventum est ad nos quod monachi ex monasterio Sancti Carilephi in egressu præsumptivo idem monasterium expoliassent ornamentis ecclesiasticis, tam in thesauro quamque in vasis seu vestimentis, necnon et libris. Quapropter tibi præcipimus et Henrico abbati ut vos omni diligentia illud inquiratis, et cum omni integritate res ecclesiasticas eidem ecclesiæ restituere faciatis. Vale, ex hoc habeto sicut de te bene confidimus, et sicut in hoc nostram cognoscis voluntatem.

## EPISTOLA XV.

EJUSDEM EIDEM.

(*Anno eodem.*)

[Apud Baluz., *ibid.*]

In nomine Dei et Salvatoris Jesu Christi, Ludovi-

cus, divina repropitiante clementia, imperator Augustus, Jonæ venerabili episcopo salutem.

Notum tibi esse volumus quia pervenium est ad nos quod monachi ex monasterio Sancti Carilephi egressi sunt de proprio monasterio, aliena loca quærentes, immemores propriæ promissionis eorum, in qua promiserunt obedientiam et stabilitatem loci, atque renuntiaverunt propriis voluntatibus secundum regulam sancti Benedicti, obliti etiam sententiam evangelicam, in qua Dominicum exemplar audivimus: *Non veni*, inquit, *facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (*Joan.* VI, 38); oblitique sunt apostolicæ sententiæ ita dicentis: *Subjecti estote omni creaturæ, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis* (*I Petr.* II, 13). Et hoc non ob aliud fecerunt nisi quod abbas eorum nobis inobediens apparuit, et nos eidem abbati idem monasterium tulimus, et illud Aldrico episcopo ecclesiæque sibi commissæ legaliter, sicut a suis prædecessoribus possessum et constructum fuit, reddidimus, sicut lator ejus epistolæ tibi dicere poterit, quia prolixum est nobis in hac epistola omnia inserere qualiter actum definitumque rationabiliter fuit, et quia in nullo sentimus contrarium esse auctoritati canonum monachos subjectos episcopis fieri debere. Quapropter volumus ut missus noster sis una cum Henrico abbate, et eosdem monachos plena auctoritate canonum et regulari atque nostra ad proprium monasterium redire compellatis. Si vero quispiam eorum vos non obaudierit, volumus ut compellatis eum venire ad nostram præsentiam in proximo placito, quod habituri sumus Domino annuente apud Carisiacum. Bene vale, et ora pro nobis ad Dominum.

# INDEX IN S. AGOBARDUM.

(*Hujus voluminis col.* 9-351.)

## INDEX ANALYTICUS RERUM ET VERBORUM QUÆ TUM IN TEXTU S. AGOBARDI, TUM IN NOTIS TEXTUI SUBJECTIS CONTINENTUR.

(*Numeri hujus indicis columnas nostras indicant.*)

### A

Abbates, si rerum summam teneant, prælati episcopis, 175. Taxantur, qui abutuntur rebus ecclesiasticis, 247.

Abbo Floriacensis non inclaruit prodigiis, sed sanctitate vitæ, 131.

Abraham fuit Christianus, 172.

Absolutio discedendi, 101.

Absolvere legatos, 102.

Acephali hæretici, id est, Eutychiani, infensi decretis concilii Chalcedonensis, 56. —Clerici, 138.

Adalardus, abbas Corbeiensis, magnæ vir auctoritatis in aula Ludovici Pii, 100, 228, 230.

Adolescentuli in ecclesia positi ad discendum cantum ecclesiasticum, 334, 337 *et seqq.*

Adoptio est eorum qui sunt ex aliena familia, 50.

Adoratio imaginum impia, 199 *et seqq.*

Adriani II ordinationis historia excutitur, 307.

Adulter non quærit fructum prolis, sed ut impleat libidinem, 195.

Adulterium nec permitti nec prohiberi potest, 187. — Commisisse dicitur vidua, quæ nupsit post susceptum religionis velamen, 317. Adulterium est aliquem amare præ Christo, 206.

Æditnus peculatum non admittit in his quæ ei tradita sunt, 239.

Æquitas non cædibus, sed sapientia et misericordia componenda est, 253.

Afri genus ducunt ex Abraham, 96.

Africani concilii decretum de precibus et orationibus in ecclesia cantandis, 334.

Agareni, id est Saraceni, 96.

Agobardus archiepiscopus Lugdunensis, 29. Persecutionem patitur propter Judæos, 70. Ejus capitula adversus Judæos, 72. Ejus modestia et pudor, sive, ut ille loquitur, timiditas, 89 *et seq.*, 113, 116, 198, 229 *et seq.*, 231. Arguitur quod sacrarum litterarum interpretes dixerit ignaros fuisse artis grammaticæ, 162 *et seq.* Interfuit synodo Compendiensi, 324. Correxit Antiphonarium ecclesiæ Lugdunensis, 330. Tempora ejus pessima et exulceratissima, 138 *et seq.*

Alexandrinorum festinata pietas commendatur, 214.

Altare super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum, 208.

Amalachitæ genus ducunt ex Abraham, 96.

Amalarius diaconus, abbas et chorepiscopus, 102, 325, 339.

Ambrosii episcopi Mediolanensis generosæ et excelsæ mentis facinus peractum in causa synagogæ Judæorum et luci Valentinianorum incensi narratur, 79. Laudatur, 217.

Amor corporearum rerum, etiam bonarum, nocet ad contemplanda spiritualia, 211.

Ananiæ uxorisque ejus Sapphiræ punitio proponitur his qui illicite utuntur rebus ecclesiasticis, 245.

Angeli nolunt adorari, 203. Amentur et honorentur, charitate, non servitute, 224. Pennatos pingi solitos patet ex Agobardo, 225. Angelos Deus proposuit super judices et reges terræ, 265.

Animæ humanæ nullus dominus, nisi Deus, 105. Eam ad corpus pervenire quomodo intelligendum, 168. Non est pars divinæ substantiæ vel naturæ, *ibid.* Animæ virginitas, fides incorrupta, 36. Integra fides, solida spes, sincera charitas, 206. Deus est animarum vita, 252. Animarum regimen majus est quam imperiale, 299.

Animus corpore melior, 212, 256. Animorum unanimitas non potest esse in contentionibus, 261.

Anthropomorphitarum hæresis, 225.

Antichristus caput omnium iniquorum, 69. Se dicet esse Christum; Christum autem vocabit impostorem, 91. Ejus impudentia depingitur, 280.

Antiphonarium, 325, 330, 308.

Apollinaris episcopus Valentinus laudatur, 82.

Apostoli abstinebant a conviviis Judæorum, 93. Magistri mundi, 114. Ecclesiæ magistri, arietes gregis, 221. Eorum imagines ob amorem tantum et recordationem expressæ ab antiquis, 215.

Apostolicæ sedes, 304. Sunt Ecclesiæ fundamentum, 294. Apostolicarum sedium magna olim auctoritas, 293. Apostolici canones interdum mutati et emendati, 304. Apostolici dicti olim omnes episcopi, 296. Apostolicæ sedi magna debetur ab omnibus reverentia, 295. Apostolicæ sedis honore manente, an pontifex possit exhonorari, 301.

Aquæ calidæ et frigidæ judicium, 120, 250 *et seq.*, 254.

Araboth, cœlum in quo Deus residet secundum Judæos, 87.

Arelas, Galliarum civitas, optima portu, 76, 350.

Arianorum perfidia nondum prorsus exstincta erat ævo Agobardi, 117.

Armanni hæretici corpus publica auctoritate comburitur, qui diu cultus fuerat ut sanctus, 131.

Armatura corporea neminem justum aut innocentem demonstrare potest, 264.
Asinus molinus, 121.
Athanasii episcopi Alexandrini exemplum de cantu ecclesiastico refertur, 335.
Attiniacensis conventus, 227.
Audiani, schismatici potius quam hæretici, 225.
Augustini Opera contra Pelagianistas, 162.
Aura levatitia, 147 *et seq*
Aurium vana et noxia delectatio reprehenditur etiam quoad cantus ecclesiasticos, 335.
Avitus episcopus Viennensis, 67. Ejus liber de incarnatione Salvatoris, 65. Photinianorum hæreticorum validissimus expugnator, 67. Laudatur, 82, 124. Sigismundum regem Burgundionum ad fidem catholicam convertit, 124. Detestatur judicium quod vocabant Dei, id est monomachiam, 124, 254. Ejus Dialogi et Altercationes cum rege Gundobado, 124, 207.
Azarias sacerdos laudatur quod Oziam regem increpaverit sacrificare præsumentem, 136.

B

Baalim apud Hebræos idola significat, et est pluralis numeri, 213.
Baptismus re te confertur etiam a malis, 142 *et seq.* — Corporalis non est necessarius martyribus, 172. Renovat interiorem hominem, 177.
Baptizari possunt servi, etiam invitis dominis, *ibid.*
Barbarizare, 313.
Barnabas et Paulus a se removent immolationem victimarum, 203.
Bartholomæus episcopus Narbonensis, 179
Beda Anglorum gentis homo laudatur, 216.
Bella privata vehementer contraria sunt simplicitati et pietati Christianæ, 119. — Domestica damnantur, 250, 253. — Publica sunt licita, 254.
Bellator fraternus, 264.
Beneficiales, 159.
Beneficium, id est feudum, *ibid.*
Beneventani, 158. Eorum dux Grimaldus, *ibid.*
Bera, comes Barcinonensis, dejectus ob crimen majestatis, 309.
Berarius archiepiscopus Narbonensis, 179.
Bernardus episcopus Viennensis, 77, 127.
Bernardus comes accusatur adulterii cum Judith Augusta, 308 *et seq.*
Bertmundus comes Lugdunensis, 188.
Bethsaida, 95.
Blasphemare, id est vituperare, 121.
Bodo, diaconus pal tinus, ad Judaismum conversus, 72.
Boni a malis interficiuntur, 254. Bonis non semper in hac vita retribuuntur merita justitiæ, 264, 267.
Breviculum, 175.
Burgundiones, 268. Vocati Gundobadi, 116, 120.

C

Cæsarea Philippi, 215.
Cæsarius episcopus Arelatensis, 83.
Caiphas honoratus est prophetia propter cathedram, 301.
Canere in ecclesia magis animo quam voce debemus, 334.
Canones servari debent illibati, 229. Canonum vetus ms. Collectio laudatur, 241. Canones Gallicani respuuntur a quibusdam, quod eos neoterici Romani non commendaverint, cum antiqui eos religiose venerati sunt, 122; et quod in eorum constitutione non interfuerint legati Romani, vel imperatoris, 241. Canones sacri, 245.
Canonica instituta perpetua vigeant firmitate, 112.
Canonicum, 157.
Cantorum scholæ apud Lugdunum; eorum superbia et inscitia taxatur, 338.
Capharnaum, 95.
Capitula in Attiniaco constituta, 227.
Capitularia sanctionum, 71.
Carolus Calvus occidit Bernardum comitem, 310. Sepultus est in monasterio Nantuacensi, 71.
Carolus Magnus, vocatus episcopus episcoporum, 197. Præ omnibus Christianis regibus potentissimus in bello fuit, Saxones aliasque gentes subdidit Christo, 103. Ex eo excusat dissensionem Ecclesiæ Gallicanæ a Romana in officiorum celebratione, quod consuetudo Ecclesiæ Gallicanæ contra fidem non esset, 110. Dissidet cum Grimaldo, duce Beneventorum, 158. Ejus epitaphium, 349.
Carri pulvere carricati, 158.
Carthaginiensis urbis ruina, 349.
Catalani se in fidem ac clientelam conferunt Ludovici XIII Francorum regis, 81.
Catalonia olim dicta Marca Hispanica, 309.
Cathedra Jacobi apostoli apud Hierosolyma conservatur usque in hodiernum diem, 215.
Causidici, qui causas referunt ad principem, 187.
Cerinthi hæreses, 85.
Certamina singula ia vehementer contraria sunt simplicitati et pietati Christianæ, 119. Ambiguus eorum exitus, 126.
Chalcedonense concilium, 12.
Charitas commendatur, 118. Ejus descriptio, 261. Charitatem continuam non habet qui adversus proximum suum consurgit ad congrediendum, 259.
Childeberti regis edictum adversus Judæos, 83.
Christiani Nazareni vocantur a Judæis, 73. Christiana pecora, id est pecora a Judæis repudiata tanquam immunda, quæ ob hoc ipsum venduntur Christianis, *ibid.* His vetitum habitare cum Judæis, 109. Christiani omnes fratres sunt, 114, 116. Omnes sunt unus Christus, *ibid.* Fuerunt Christiani etiam sub lege veteri, 170. Christianorum religio non est novella, 174. Omnes simul sunt templum Dei, et singuli templa, 202. Domestici fidei, 257. Debent diligere invicem, 257. Christiani perfecti gloriantur in tribulationibus, 284.
Christus verus Dei Filius, non adoptivus, 41. Apostolus et pontifex, 56 *et seq.* Caput Ecclesiæ, 62, 64. Sponsus Ecclesiæ, 110, 189. Nam Christus et Ecclesia est una persona, 62. Adoptavit humanam naturam, 66. Deliria Judæorum de Christo, 87. Christus, veritas, 113. Non reliquit Ecclesiam, 142. Christus humilis fuit, sed tamen errasse se non cognovit, 159. Ad quid de cœlo venit, 196. Christum non fuisse antequam nasceretur, aiebat Fredegisus, 169. Dei et hominum sequester, 174. Commendat agnos et oves beato Petro, 189, 197. Caput et sponsus Ecclesiæ, 191. Humanam nateram assumens, Deus esse non desiit, 160. Pastor pastorum et episcopus episcoporum, 196. Summus pastor, 197. Solus mediator inter Deum et homines, 202. Aliquem hominem amare præ Christo, adulterium est, 206. Christi nomen a chrismate est, 209. Vendentes ejecit de templo, 236. Habuit thesauros in loculis, 239. Ecclesiæ suæ formam et institutionem præmisit factis et dictis, 240. Quomodo Deus et homo, 271. An per aurem Virginis introierit in mundum, 332. Spontanee pro nobis mortuus est, et gratis, *ibid.* Constitit ex quatuor elementis, 344.
Civitas Dei et civitas diaboli, 116. Civitas Dei constat ex angelis et hominibus, 274.
Clementis episcopi Romani libri apocryphi, 92
Clerici acephali, 138.
Clericiones, 139.
Clericis vetitum interesse conviviis Judæorum, 83, 109. In contemptum venerant ævo Agobardi, 147. Uxorem ducere non possunt, nisi virginem, 232. Clericorum nomine comprehenduntur quotquot in clerum ascripti sunt, 248.
Coadjutores episcopis infirmis dari olim non poterant, nisi in synodo, 29.
Cælicolæ, unde dicti, 201.
Coloniæ, unde sic nuncupatæ, *ibid.*
Colonorum varia genera, *ibid.*
Comessationes et ebrietates diabolus introducit sub nomine charitatis, 225.
Communio fraternitatis, 245.
Compendiensis synodus de rebus sacris illicite usis, 230.
Compendium palatinum, *ibid. et* 321
Conciliorum generalium magna reverentia et auctoritas, 123. Concilia regionalia et provincialia cedunt auctoritati conciliorum generalium ex totius mundi consensu congregatorum et receptorum; sed tamen et ipsa sunt magnæ auctoritatis in iis quæ a generalibus illis definita non sunt, 123, 242. — Bina per annos singulos fiant, 242. Eorum auctoritas unde petenda, 229. Concilium plenarium est, ubi interfuerit metropolitanus antistes, 242. — Antiqua definierunt plebeios psalmos in ecclesia non esse cantandos, 327.
Consiliarii regii, 311.
Consiliatores regii, 74.
Constantinus Magnus imperator vocatus episcopus communis, 1 8. Adoravit imagines sanctorum apostolorum Petri et Pauli, 217.
Consuetudines uniuscujusque Ecclesiæ retinendæ, modo fidei contrariæ non sint, 109, 326.
Convivia episcoporum cujusmodi esse debeant, 195.
Cordoba, civitas Hispaniæ, Saracenorum sedes, 76.
Corozaim, 95.
Corporum mortuorum translatio provisa a morientibus, 208.

Criminosi ad sacerdotium provehi non debent, 144.

Crucis dominicæ signum ubique locatum olim ab Alexandrinis recenter ad fidem Christi conversis, 215. Crucis judicium, 231, 252.

Cultus Deo debitus, Latine significari non potest uno verbo, 201.

Cyprianus, martyr beatus, 187. Translatio reliquiarum ejus, 349.

Cyrillus episcopus Alexandrinus, 36, 43

## D

Davidis regis humilitas prædicatur, 161.

Decimam aliqui nunquam sponte donant sacerdotibus, 157. Decimæ infeodatæ, 237. Decimæ dandæ sunt, 243. Votæ enim sunt ab initio generis humani, et redditæ sacerdotibus, 232.

Decor corporis in feminis naturaliter est invitator libidinis, 314.

Deos Romani per multum ævi coluerunt sine simulacro. Simulacra qui primi posuerunt, ideo fecerunt ut populis metum adimerent, erroremque adderent, 219.

Deus quid sit secundum Lucium Balbum, 219. Deus est veritas, 169; et charitas, 256. Solus vere natura bonus, 137. Solus colendus, 201, 214 *et seq*. Ei debemus honorem et timorem, 243. In eo solo spem nostræ beatitudinis collocare debemus, 209, 224. Vult autem omnes homines salvos fieri, 176. Ideoque varie flagellat homines ad eruditionem et conversionem, 180. Dei providentia aliquando absolvit innocentes, et damnat noxios, 119. Ejus judicium frequenter occultum, nunquam tamen injustum, 121, 158, 177, 181, 234. Dei judicia incomprehensibilia, 234; et impenetrabilia, 263. Servat in fine judicium et consummationem mundi, 265. Nihil in mundo fit, nisi Deo dispensante aut permittente, 234. Deus habitat in omnibus Christianis, 202. Deo omnia sunt præsentia, 185, 230. Dei manum effugere impossibile est, 131. Dei filius nemo est, nisi qui Deum imitatur, 256.

Deuteroses Pharisæorum, 88.

Diabolus princeps et caput omnium malorum, 155. Semper nocendi cupidus est, 182, 184. Nemini tamen nocere potest, nisi permittente Deo, 150, 181. Diabolus est inventor et causa omnis mali, 280. Ipse et angeli ejus hostes nostri sunt, 275.

Diaconos in sacerdotio constituit antiquitas, 198. Diaconis cantare aliud in ecclesia, præter Evangelium, prohibitum, 336.

Discipuli Domini cognoscuntur dilectione; discipuli vero diaboli cognoscuntur rixis et contentionibus, 258.

Dissensio impellit mundum ad perfidiam, *ibid*.

Divinorum verborum ordo nunquam mutandus, 331.

Divitiæ in episcopo quando culpandæ, 192.

Domesticus fidei, id est, Christianus, 257.

Domina palatii senioris, 313.

Dominus anachoreta Lemovicensis, 104.

Donariis illustrare memorias martyrum, dum pauperes negliguntur, malum, 183.

Duella privata vehementer contraria sunt simplicitati Christianæ, 119. Duellorum rabies et immanitas vetita edictis principum et canonibus conciliorum, 258.

Duodena Bernardi comitis uxor, 309 *et seq*., 323.

## E

Eaof, sive Eaor, episcopus Cabillonensis, 77.

Ebbo archiepiscopus Rhemensis deposuit Jesse episcopum Ambianensem in synodo Noviomagensi, 312. Publicam pœnitentiam imposuit Ludovico Pio, 322. De spe et timore epistola ab Agobardo ad eumdem scripta, 323.

Eberardus, magister pincernarum Caroli Magni, 70.

Ebrietates et comessationes introducit diabolus sub nomine charitatis, 223.

Ecclesia est domus veri David, id est, Christi, 97. Domus Dei, 236, 312. Virgo appellata est, 206. Uni viro Christo desponsata, 110, 189. Ecclesia et Christus, id est, sponsus et sponsa, quomodo tractandi a pastoribus, 196. Ecclesia et Christus una persona, 62 *et seq*. Ejus fundamentum est in apostolicis sedibus, 294. Ecclesia in annis prioribus robusta, nunc languida, 141. Portæ inferi adversus eam prævalere non possunt, 112, 295. Ecclesiæ injuria, Dei injuria est, 256. Ecclesiam qui non audierit habendus est sicut ethnicus et publicanus, 212. Ecclesiæ diversa sunt membra, 206. Quælibet peculiares consuetudines suas retinere potest, modo fidei contrariæ non sint, 109, 326. Ecclesia ditata est, ut alere possit prædicatores suos, et choros ministrorum, turbasque pauperum, ac multitudinem confluentium peregrinorum, 245. Ecclesiæ nutrices, id est, parochiales, 140. Ecclesiarum ritus antiqui non facile mutantur, 330. Earum res quadrifariam divisæ, 240. Earum usus debet esse rectus, 247. Injuste possidentur a laicis 239. Ecclesiæ ædificatæ sunt ad laudandum Deum, ad deprecandum, ad sacrificandum, 237. Cum possessionibus venundantur, *ibid*.

Ecclesiastica statuta firmanda sunt per acta apostolica, 85. Nullius momenti sunt, nisi concordent sanctis Scripturis, 241. Ecclesiasticarum rerum dispensatio, 251. Non sunt utendæ ad luxum, nec ad libidinem, 247. Sunt res pauperum, 245. Ecclesiastici thesauri intacti esse debent et sancti, 240.

Episcopi sunt vicarii Christi, 128. Membra corporis Christi, 191. Ecclesiæ principes, 267. Sedent in throno in ecclesia, 198. Debent esse docti, 32. Et tamen sæpe fit ut imperiti teneant in Ecclesia principatum, interim dum viri docti et sapientes sedent ignobiles, 266. Tenentur circumire annuatim suas diœceses, 107. Non debent esse accusatores, 188. Quæ episcopi in synodis statuunt consonanter sacris Scripturis, pro lege habenda sunt, 242. Non debent esse dediti oblectamentis sæculi, 191. Neque spectatores ludorum puerilium, 313. Et a comessationibus et ebrietate abstinere debent, 193. Taxantur qui abutuntur rebus ecclesiasticis, 248. Divitiis bene uti debent, 192. Eorum jussa an semper observanda, 135. Taxantur qui injustum judicium judicant, 267. Episcopi qui fidem principi jurejurando obligatam violant, deponendi sunt, 304.

Error hominum latere nescit, 65.

Eruditus vir latet ut plurimum in obscuro inopiaque et egestate tabescit, 266.

Eugenius II papa juramentum fidelitatis scripto præstitit Ludovico et Lothario Augustis, 305.

Eutychetis error, 36.

Evrardus, missus dominicus, 70. Judæorum magister, 112.

Excommunicatio sine causa, irrita est, et in auctorem recidit, 300.

Expositores divinorum voluminum parum solliciti fuere olim de regulis grammaticæ, 163. Legendi non sunt cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate, 165.

Exustionum stigmata in corporibus hominum apparentia, 179.

## F

Falangus, 173.

Fames sub Claudio imperatore, 95.

Faova episcopus Cabilonensis, 78.

Felicitas malorum est temporalis, 263.

Felix episcopus Urgellensis, vir moris antiqui, 34. Depositus ab honore episcopatus, 33. Mortuus apud Lugdunum, 31, 37.

Femina, a judaismo ad Christianismum conversa, graves persecutiones ob hoc ipsum patitur a Judæis, 175.

Feminæ, an homines sint, disputatum in synodo Matisconensi, 89.

Ferreolus (S.) episcopus Ucenticensis, 109.

Ferri calidi judicium, 119, 251, 254.

Festis diebus antiqui Christiani vacabant prorsus orationi, 75.

Fideles qui vere sunt, membra Christi sunt, 127. Sunt sub capite summo uno sacerdos, *ibid*.

Fidelis quomodo quis sit principi, 287, 301.

Fidentius doctor catholicus, 68.

Fides christiana explicatur, 257. Ejus veritas quonam modo inquirenda, 37. Non valet ad salutem hominis sine pace, 257. Adversus ejus inimicos quomodo pugnandum, 276. Non est metienda ex vita hominum, sed ex fide probanda est vita, 35. Fidei domesticus, 257.

Fides debetur principi sub Deo, 188, 287.

Firmini (S.) Uceticensis episcopi corpus, 179 *et seq*.

Fiscus, 240.

Flere debemus cum flentibus, 260.

Florus diaconus Lugdunensis, 180.

Forenses, id est, non Christiani, 252.

Francorum nomen clarum in toto orbe, 310. Regnum immensum amplificatum sub Carolo Magno, 321. Complectebatur Galliam et Germaniam, 303. Ejus pericula, 315. Divisum inter filios Ludovici Pii, 289. Francorum lex, 117, 126.

Fraterna congressio, 255.

Fraternitatis communio, 213.

Fratres vocantur inter se episcopi, 297.

Fredegisus abbas Sancti Martini, 31, 159.

Fredericus missus dominicus, 70.

Fulda, monasterium sancti Bonifacii, 78.

Fulradus abbas Sancti Dionysii, *ibid*.

Funera antiquorum officiosa pietate curata sunt, 208.

Furtorum et furum tria genera, 240.

Furum nomen generale est, *ibid*.

G


Gallicana Ecclesia, 304. Ejus regimen divisum inter reges et episcopos, 76. Gallicanorum canonum magna antiquitus reverentia, 121, 241. Hi canones respuuntur a quibusdam, quod eos neoterici Romani non commendaverint, cum antiqui eos religiose venerati sint, 122; vel eo quod legati Romani, seu imperatoris, in eorum constitutione non interfuerint, 241. Gallicanorum episcoporum libertas ad Romanum pontificem scribentium, 303. Ei minantur dejectionem, si quid agat extra ordinem, 304.

Garizim interpretatur divisio, 98.

Gedeon virorum fortissimus, 161, 212.

Gelasius papa scripsit Librum Sacramentorum, 223.

Gellonense monasterium in prima Narbonensi, 309.

Gerardus comes, 137.

Gerricus, capis prælatus et missus dominicus, 70.

Gervasii et Protasii martyrum revelatio facta sancto Ambrosio episcopo Mediolanensi, 217.

Gesta synodalia pingebantur olim in ecclesiis ad memoriam rei gestæ et erroris prostrati, 225.

Gloriæ divinæ, angelicæ et humanæ modus est, 207.

Gothi, pagani et hæretici simul, 119.

Grandinem sine pluvia nemo unquam vidit, 153. Grandines et tonitrua vi hominum fieri, stultum, 147 *et seq.*

Gregorius episcopus Lingonensis laudatur, 82.

Gregorius Magnus papa arguit episcopum Forojuliensem quod imagines apostolorum de sua basilica eraserit ob superstitionem vulgi eas contra regulam fidei adorantis, 217. Quædam vitia circa cantum resecavit in Ecclesia Romana, 327, 336.

Gregorius IV papa venit in Franciam, 296. Epistola ejus ad episcopos regni Francorum, 297. Sponsionem fidei fecit Ludovico Pio in initiis sui pontificatus, 302, 306. Transgressus dein in partes Lotharii contra Ludovicum, 296, 303.

Grimaldus dux Beneventorum, 158.

Grimaldus episcopus Pinnensis, 318.

Guasto de Baerne, 251.

Guido episcopus Helenensis, 248.

Gulielmus comes, fundator monasterii Gellonensis, 309.

Gundi sanctimonialis in adulterium prolapsa, 318.

Gundobada lex, 117, 120. Non est lex, sed nex, 121. Recepta per omnes ubique provincias, 253.

Gundobadus, rex Burgundionum, homo hæreticus, auctor legis Gundobadæ, 117, 123, 207. Ejus Dialogi cum Avito episcopo Viennensi, 124, 207, 251.

Gundobadus, id est, Burgundio, 116, 120.

Gunebodigni, 117.


H


Hæmorrhoissa a Christo sanata, erat civis Cæsareæ Philippi, 215.

Hæretici recedunt a veri domo David, id est Christi, 140. Alii non fuerunt apostolorum tempore, nisi ex Judæis et Samaritanis, 86.

Hebal interpretatur vorago vetus, 99.

Helisacharus, abbas Centulensis, vir magnæ dignationis apud Ludovicum Pium imperatorem, 100, 230.

Hero insula, 101.

Hieronymus presbyter et doctor, 166. Judæos intrinsecus et in cute novit, 73. Ejus translatio laudatur, 161.

Hierusalem subjecta Saracenis, 118.

Hilarius, episcopus Pictaviensis, Judæorum et hæreticorum profana devitavit consortia, 79. Ejus Vita a Fortunato scripta, *ibid.* Tametsi exsul, diœcesim suam per presbyteros suos regebat, 108.

Hildebaldus archiepiscopus Coloniensis, 175.

Hildigitus Lugdunensis, 179.

Hilduinus sacri palatii antistes, 174.

Hillel Judæus, vir eruditissimus, ex cujus schola multi magni viri prodierunt, 88.

Homicidii sacrilegiique voces additæ veteribus editionibus canonum apostolicorum, 301.

Homo interior creatus ad imaginem et similitudinem Dei, 177, 222, 263, 270 Religionem mentis debet soli Deo, 103. Nihil ex se potest, sed cum Dei adjutorio, 277. Homines vocati dii, 206. Homines sancti respuunt adorationem, 203. Omnes homines Deus vult salvos fieri, 176. Nihil mali agere possunt absque permissu Dei, 150.

Honorati principes, 228, 231, 316.

Honorem et timorem debemus Deo, 213.

Hospitalitas magno olim in usu apud Ecclesiam, 183.

Humana natura adoptata est a Christo, 66. Humani errores summopere vitandi, 232. Humanum sanguinem fundi prohibet prima lex data hominibus, 263.

Humilis qui vere est, abjecta de se sentit; et qui abjecta de se sentit, errasse se non dubitat, 159, 161.

Hypocritæ notantur, 195.


I


Idola et simulacra tempore legis significabant omnes errores, 317.

Imaginum adoratio damnata, 199. Imagines Dei et sanctorum non sunt adorandæ, nec colendæ, 200 *et seq.* Nam si imago ulla esset adoranda vel colenda, Creatoris potius esset quam creaturæ, 222. Eas appellari sanctas indignatur Agobardus, 212, 226. Imagines sanctorum omni genere conterendæ sunt, et usque ad pulverem eradendæ, 218. Imagines habuerunt antiqui Christiani, sed causa historiæ, ad recordandum, non ad colendum, 225.

Imperatori novo necessaria olim non erat approbatio summi pontificis, 289, 296. Imperatores quomodo felices, 299. Imperatorum et consulum conjuges et soboles ad Christi fidem convertuntur, 175.

Imperialis jussio, 298.

Impietas in magnam securitatem venerat ævo Agobardi, 187.

Indiculus ex nomine regis, 70. Indiculi, 175.

Inferni descriptio et varia nomina, 281 *et seq.*

Infirmi in Ecclesia sanandi, sani vero custodiendi, 197.

Innocentes, ut plurimum, vincuntur a noxiis, 118.

Innocentia nec illis, ubi defenditur, reservatur, 187.

Innotescere, id est, insinuare, 69.

Interpretes et expositores divinorum voluminum parum solliciti fuere antiquitus de regulis artis grammaticæ, 163 *et seq.* Interpretes sanctæ Scripturæ non sunt omnes æqualis auctoritatis, 165.

Irmingardis, Ludovici Pii uxor, 315.

Itali maxime omnium sunt contemptores canonum, et vilipensores clericorum, 122.


J


Jacobus a Christo et ab apostolis electus est episcopus in Hierosolymitana sede, 215.

Jejunium triduanum a Ludovico Pio inductum, 289.

Jeroboam peccare fecit Israel, 233.

Jesse, episcopus Ambianensis, depositus ab Ebbone in synodo Noviomagensi, 312.

Joannes XII, pontifex Romanus, depositus in synodo Romana ob fidem violatam Ottoni imperatori præstitam, 306.

Joannes episcopus Antiochenus dissidet cum Cyrillo Alexandrino, 56.

Joannis apostoli historia discedentis a balneo propter Cerinthum hæreticum narratur, 85.

Joculares, histrionum genus, 249.

Jonadab posteritas benedicitur a Domino, 244.

Josaphat rex offendit Deum, quod impiis et Deum odientibus auxilium præbuerit, 97.

Judæ ficto discipulo et vero proditori magnam virtutum gratiam Christus contulit, 132, 144. Custodiebat loculos Domini, 239. Fuit fur sacrilegus, 239. Habuit eamdem potestatem quam cæteri apostoli, 132.

Judæi, 70 *et seq.* Se patriarcharum progeniem, justorum genus, ac prophetarum sobolem esse gloriantur, 111. Pejores sunt omnibus incredulis, 76, 86. Vocati vasa diaboli, 78; filii diaboli, 111; Antichristi, 94. Eorum errores et deliramenta recensentur, 86 *et seq.* Olim abstinuerunt a cibo et potu infidelium, 98. Eorum convivia et consortia vitanda, 91, 109 *et seq.* Pro eorum salute publice supplicatur ab Ecclesia in diebus passionis Dominicæ, 178. Eorum mancipia baptizari possunt invitis Dominis, 176. Eorum divitiæ, 73.

Judicium aquæ calidæ et ferri igniti, 120. Crucis, 252. Judicia inter homines necessaria sunt, *ibid.* Eorum integritas necessaria regnis et gentibus, 120. Judiciorum et rerum veritas quærenda est a Deo, 2 4.

Juramentum opportunum atque legitimum, 290, 292. Juramentum fidelitatis ab episcopis præstari solitum principi, quid completeretur olim, 302.

Jusjurandum causa fidei, 50. Jurejurando finiuntur controversiæ, ubi testes desunt, 250.


L


Laici res ecclesiarum possidentes, et in pravos usus convertentes, taxantur, 248. Non possunt esse dispensatores sacrarum rerum, 241. Eas ergo tractant et in usus proprios expendunt contra vetitum et contra canones, 229.

Langobardi, 115, 119. Eorum lex valde favorabilis erat uxoribus, 317.

Latria, quid, 200.

Legatorum Romani pontificis præsentia necessaria non erat olim in conciliis regionalibus aut provinciali. bus, 241.
Leidradus episcopus Lugdunensis, 31, 323, 330.
Leo III pontifex Romanus juramentu n fidelitatis scripto præstitit Carolo Magno, 305.
Leofoas, soror regis Navarræ, uxor Gastonis de Baërne, 251.
Leprosi cur mittantur ad sacerdotes, non autem ad medicos, 136.
Levatitia auri, 147 *et seq.*
Levitas fugienda est in divinis laudibus exsolvendis, 329.
Lex Francorum, 117, 126. Lex Gundoba la, 117, 120; non est lex, sed nex, 121. Legum contemptus exagitatur, 187 *et seq.* Legum diversitas obsistit unitati Christianæ, 116 *et seq.*
Libellus in synodo compendiensi editus ab episcopis perfidis, et Ludovico Pio imperatori oblatus, 322.
Liber mysteriorum, 338.
Liber Sacramentorum, 224.
Licitum videtur quod publicum est, id est, quod vulgo fit, 187.
Litaniæ, id est, Rogationes, an fieri possint sine jejunio et carnis abstinentia, 340.
Litteræ duæ ex viginti apud Hebræos, 133.
Loculi Christi in quos usus expendebantur, 239.
Lotharius fit consors imperii, 287. Eius consortium cum Ludovico confirmatur a summo pontifice, 289, 290. Præsedit in concilio compendiensi adversus patrem, 321.
Lucilius Balbus, 218.
Locus Valentinianorum incensus, 79.
Ludovicus Pius imperator, 30, 70, 112, 173, 227, 287, 298. Roditur ab Agobardo, 307 *et seq.* Lotharium filium nominis sui participem fecit, 288. Pœnitentiæ publicæ addictus auctoritate synodi compendiensis, 322. Ejus uxor pulchra, suavis et blanda, 314. Dilaceratur conviciis et probris, 307 *et seq.*
Lugdunensis ecclesia, 323. Dicata titulo Sancti Joannis, 330. Ejus cantores, 329. Lugdunensis synodus sub Agobardo, 79. Lugdunensis pagus, 71.
Lugdunum, 70, 72. Erat olim in regno Burgundico, 118.
Lupus episcopus Lugdunensis, 84.

M

Madianitæ, genus Abrahæ, 96.
Magistri, id est magistratus, 250, 251.
Magonia, ficta regio a tempestariis, 148.
Maio, advocatus Ludovici II imperatoris, 318.
Maledictiones infidelibus Judæis impositæ, 99.
Mali a bonis nunquam interficiuntur, nisi in bellis publicis et legalibus judiciis, 254. Malorum felicitas est temporalis, 263.
Mancipia Christiana ne deserviant Judæis, 72. Mancipia Judæorum baptizari possunt invitis dominis, 102, 176.
Manuale, 323.
Marca prudenter imperat ut Ludovici regis nomen diserte proferatur inter mysteria, 81.
Marca Hispanica, quæ nunc Catalonia, 300.
Martyres absque baptismate corporali ad vitam æternam transierunt, 172. Non occidendo, sed moriendo, subdiderunt in fide mundum Christo, 116. Diligendi sunt et venerandi tanquam discipuli Domini, 214. Eis tamen templa, sacerdotia, sacra, et sacrificia constituere non oportet, 208, 223. Nam eorum memorias ob hoc tantum celebrare debemus, ut posteritas ad eorum imitationem hinc excitetur, 214. Et eorum reliquias ea mente honorare debemus, ut eum cujus sunt martyres adoremus, 207.
Matarus, teli genus, 261.
Matfredus, vir præstantissimus, magnæque apud Ludovicum Pium auctoritatis, laudatur, 185. Dei minister, et adjutor imperatoris, 189.
Matrices ecclesiæ, 140.
Matrimonium dirimendum est, si vir uxori debitum reddere non possit, 307.
Memoria martyrum, 223, 226. Memorias sanctorum ambitiose honorare ob captandam gloriam popularem, reprehensibile est, 213.
Mendacium nullam habet essentiam, 149. Non est tantummodo verborum, sed et factorum, 315.
Mens superba cum vita laudabili, malum, 53.
Mercatum publicum, 117. Mercata olim in sabbatis solebant fieri, 75.
Minister imperatoris et imperii, 185.
Miracula non sunt semper signa certissima sanctæ vitæ, 129 *et seq.* Patrantur etiam ab improbis sacerdotibus, 130. Desierant ævo Augustini, *ibid.* In nostra tempora durare permissa non sunt, ne eorum consuetudine frigesceret genus humanum, 220. Miracula Christianorum a diabolo fieri garriunt Judæi, 88.
Missarum solemnia, 119. Celebratio, 226.
Missi dominici, 70 *et seq.* Missi de palatio, 177.
Moguntina synodus cui Ludovicus Pius interfuit, 31.
Molinus asinus, 121.
Monachorum professio plurimum auctoritatis habet apud plebem, 81.
Moteta cani non debent in ecclesia, 328.
Mulier adulterii convicta, velanda, 317.
Mulierculæ superstitiosæ notantur, quæ fiduciam suam collocant in parvis evangeliis, in ligno crucis, et similibus, 221.
Mundi juventa et senectus, 141.
Munera aut perjuria finem rebus imponunt apud judices, 120.

N

Nantuadenses monachi inter se dissident, 72.
Natalia carmina, vulgo *Noels*, 328.
Natalis episcopus Salonitanus reprehenditur a sancto Gregorio, quod, omissa episcopali cura, solis se conviviis occuparet, 194.
Nazareni, id est, Christiani, 73.
Nero imperator persecutionem movit adversus Christianos, 177. Ejus domestici et aulæ ministri ad fidem Christi conversi, 176.
Nestorii hæresis, 56, 59, 59.
Nibridius episcopus Narbonensis laudatur, 107, 112.
Ninivitarum conversio, 340.
Nomen novum in Apocalypsi et in Asia, 172.
Noviomagensis synodus ad Vahalim fluvium, 311.
Nutrices ecclesiæ, id est, parochiales, 140.

O

Oblationes quæ fiunt in Ecclesia sunt res pauperum; neque inventæ sunt ad alendam quorumdam cupiditatem et avaritiam, 183.
OEconomus in unaquaque ecclesia de proprio clero eligendus, qui rerum ecclesiasticarum curam suscipiat, 241.
Officia divina celebranda sunt cum magna gravitate et modestia, 337. Officia publica deseruntur ab iis qui presbyteros domesticos habent, 139.
Oleo ad sepulcra martyrum ardente utebantur olim Christiani ad curandas corporis infirmitates, 184.
Orandum est in afflictionibus, 153.
Oratio debet fieri cum tota fiducia et spe, 296. Ejus assiduitas necessaria, *ibid.*
Ordo militaris et ecclesiasticus, 291.
Orgelletana sedes, cujus olim episcopus Felix, 33.
Ovis Dei relinquens pastorem, aberrans a via quæ præcedit aries, hæret in sentibus, devoratur a lupis, 221. Ovis pia semper quærit bonum pastorem, 197. Oves sequuntur summe bonum pastorem, 257. Oves et agni commendantur beato Petro a Christo, 189, 197.
Oza punitur, qui arcam Domini sublevare præsumpserat, 134, 181.
Ozias rex a lepra percussus ob contemptum sacerdotum et usurpationem sacri ministerii, 135, 181.

P

Pagenses, 139.
Palatinorum uxores, 74.
Pallium metropolitanis datum propter apostolicam vicem, 295.
Panis vocabulo comprehenditur quidquid comedi potest, 244.
Pantaleo (S.), martyr Africæ, 330.
Paracletus cur venire non potuit nisi post discessum Christi, 212.
Parentes, id est, consanguinei vel affines, 187.
Paschalis I pontifex Romanus se purgat apud Ludovicum Pium de nece Theodori primicerii et Leonis nomenclatoris, 305.
Pastor malus tolerandus est ab ovibus ut mercenarius sedens in cathedra Moysi, 197. Pastores mali quid agant in Ecclesia, *ibid.* Pastorum et rectorum nomine intelligit Agobardus etiam abbates, præpositos, atque presbyteros, 198.
Patientia bonum Christi est, 261. Maxime ad inimicos est necessaria, 262.
Patres sancti custodiunt statum Ecclesiæ, 204.
Patriarchæ Judæorum, 74. Patriarchæ Veteris Testamenti fuerunt Christiani, 173. Dicti sunt Christi, 174.

Paulianista, 43.
Paulinus episcopus Nolanus quemdam presbyterum objurgat, quod suam uxorisque imaginem ab eo petierit, 217.
Paulus apostolus nemini gravis fuit in prædicatione Evangelii, 90 et seq. Disertior invenitur in Hebraica lingua quam in Græca, 168. Paulus et Barnabas a se removent immolationem victimarum, 205.
Paulus Samosatenus, 169.
Pauperum cura commendatur, 184. Eorum apud veteres Christianos magna cura, 245. Fame necantur, dum laici convivia ex rebus ecclesiasticis celebrant, histrionesque ac mimos magno conducunt, 249 et seq.
Peccatum apud Hebræos est generis masculini, apud Græcos feminini, apud Latinos autem neutrius, 164.
Peccatur tribus modis, cogitatione, locutione, et actione, 255.
Pecora occisionis, id est electi, 255
Peculatus est pecuniæ publicæ aut sacræ furtum, 239. Est sacrilegium, 240.
Pelagii dogma reprehenditur, 162.
Percussiones in corporibus, 179.
Perditorum corpus, cujus caput Antichristus, 280 et seq.
Perfectorum est unum sapere, non autem diversa et adversa, 262.
Perjuri pejeratum degradare non possunt, 304.
Perjuria aut munera finem rebus imponunt apud judices, 120.
Petra ecclesiasticæ observationis, 112.
Petro nomen inditum a Christo propter duritiam et hebetudinem sensus garriunt Judæi, 87. Qua auctoritate eductus e carcere, 88. Prudenter vitat convivia gentilium, 92. Ei commendat Christus oves et agnos suos, 189, 197. Beati Petri basilica uni Deo vero et vivo dicata est, 221. Beati Petri locus, 301.
Philiberti (S.) monasterium, 101.
Photianus, 43.
Picturam aspiciamus quasi picturam vita, sensu, et ratione carentem, 225 Picturas in Ecclesia fieri non debere definierunt orthodoxi Patres, 226.
Pilatus asseritur præcepisse Judæis ut Christum adorarent, 88.
Pippinus rex, Caroli Magni pater, 223.
Plenarium concilium est cui metropolitanus interfuerit antistes, 242.
Pœnitentiæ publicæ lex et ordo, 322.
Polycarpi episcopi Smyrnensis martyrium, 213.
Pontificalis jussio, 298.
Pontifices et reges Judæorum cur ungebantur, 171.
Populus jubetur obedire sacerdotibus, 136. Et tamen populus justus magis dignus est æterna vita quam injusti sacerdotes, 134. Populus merito conqueritur adversus pastorem, ob negligentiam prædicationis, vel impedimenta exemplorum malorum, 248.
Porta regni cœlestis angusta est, 256. Portæ inferi prævalere non possunt adversus Ecclesiam, 112.
Possessiones ecclesiasticæ, 237.
Præcepta ex nomine principis, 74.
Prædicatores quales esse debeant, 144. Qui quæstus vel ambitionis causa prædicant, damnantur, 105, 197.
Prælatus quilibet præcipiens contemni non potest sine damno inobedientiæ, 244. Abutens rebus ecclesiasticis ad illicitos appetitus, damnationis æternæ pœnam incurrit, 248.
Præpositi in Ecclesia cujusmodi esse debeant, et a quibus vitiis abstinere, 197 et seq.
Presbyteri cardinales, 140. Presbyteri ne fiant exactores fiscalium rerum, 139. Non debent esse spectatores ludorum, 313. Presbyteri domestici, 138. Proprii, id est domestici, 139. Vilibus officiis mancipati in curiis magnatum, 138.
Primatus appetitores non longe absunt ab idolorum cultura, 318.
Principis nomen recitandum est inter mysteria, 80.
Proceres palatii, 99.
Proculi episcopi CP. epistola ad Armenios approbata a concilio Orientali. 54.
Profectus dicitur, si ad meliora quis transeat, non ad deteriora, 212.
Providentia Dei aliquando absolvit innocentes, et damnat noxios, 119.
Provincia, Galliarum regio, 227.
Prudentius, vir doctus, 340.
Psalmi antiquitus in Ecclesia decantari soliti, 336. Plebeios tamen psalmos in Ecclesiæ cani vetuerunt concilia Patrum, 327.
Pulchritudo, magna ac peculiaris feminarum gloria, 314.
Pulvis sparsus in Gallia creditur a Beneventanis, ex quo boves tantum morerentur, non cætera animalia, 158. Pulverem de pedibus excutere cur præceptum apostolis, 90.

## Q

Quintianus episcopus, 82.
Quintus Lucilius Balbus præclare sensit de diis paganorum, 218.

## R

Rab Achibas, 87.
Racha, id est, firmamentum, secundum Judæos, *ibid.*
Reges et pontifices Judæorum cur ungebantur, 171. Reges quoque sunt rectores ecclesiarum, 75.
Reginæ olim apud Francos gerebant curam palatii, 314, 316.
Regionalia concilia respuuntur a quibusdam, quod legati Romani seu imperatoris non interfuerint in eorum constitutione, 241.
Regnis et gentibus necessaria est judiciorum integritas, 120.
Refuille, 118
Religio est cultus Dei, 201. Dicta a religendo, 202; vel a religando, 225.
Res Domino consecratæ debent cum magna reverentia custodiri, 253.
Rhabanus archiepiscopus Moguntinus scripsit librum adversus Judæos, delibatum ex libro Agobardi De Judaicis superstitionibus, 82.
Rixæ et contentiones cumulant copiam flagitiorum, 259.
Roma capta a Gothis, 119
Romana Ecclesia semper prælata est reliquis Ecclesiis apostolicis, 294. Ab ea in omnes venerandæ communionis jura dimanant, 293.
Romani plus quam annis 170 deos sine simulacro coluerunt.
Romani neoterici, 122.
Romanus pontifex, vicarius beati Petri, 293. Sponsus Ecclesiæ dictus in concilio Lugdunensi, 112. Episcopus episcoporum quomodo dici possit, solus dicitur apostolicus ab aliquot sæculis, 298. Vocatur frater a reliquis episcopis, 297. Vicarius apostolicæ sedis, 295. Ejus nomen recitandum est inter mysteria, 293. Deponendus si fidem principi obligatam violet, 305, 306. Ejus approbatio necessaria olim non erat novo imperatori, 289, 296. Ejus auctoritas necessaria non est in omnibus causis ecclesiasticis principum, 312. Romanorum pontificum epistolæ in causa fidei examinantur ab episcopis congregatis, 241. Eorum ordinationes fieri olim non poterant extra præsentiam missorum imperatoris, 306. Eis obviam procedebant episcopi, quoties veniebant ad comitatum, 298.

## S

Saccata vina, 138.
Sacerdos unus sub capite summo, 127 Sacerdos fieri non potest qui aliquo vitio laborat, 128; nec qui indoctus est, 145; nec qui criminosus est, 144; nec is qui viduam, repudiatam, vel meretricem, et non virginem duxerit, 232. Sacerdos vita et doctrina irreprehensibilis esse debet, 145. Et sacerdoti nequam et indocto non est obediendum, *ibid.* Sacerdotes male docentes, aut male jubentes, non sunt audiendi, 135. Alias populus tenetur obedire sacerdotibus, 136 Illis solis licet ministrare sacramenta, 134 *et seq.* Sacerdotes mali, vere sunt sacerdotes, 194; possunt autem mali sacerdotes recte administrare bona, 143; nam bona ministrando, sibi tantummodo nocent, nec Ecclesiæ mysteria commaculant, 144. Sic impii sacerdotis sacrificio conficiuntur sacramenta, 143. Sacerdotes enim etiam mali operantur virtutes et miracula, 130. Sacerdotes, cum exaudiuntur a Deo, aut prædicando prosunt, non id debent tribuere suis meritis, 132. Sacerdotum quatuor genera, 146. Sacerdotes majoris ordinis, 139. Sacerdotum incertus et instabilis status ævo Agobardi, 257. Sacerdotum contemptores puniti a Deo, 137. Sacerdos, si quærat avocationem in rebus sæcularibus, non est sacerdos ante oculos Dei, sed destructor operis Dei, et adjutor Antichristi, 192 *et seq.* Sacerdotes domesticos habebant olim apud se viri principes, 137. Sacerdotium unicum in Ecclesia, 127.
Sacramenta per Christum operata, nos salvant præterita, Patres vero Veteris Testamenti futura, 175. Nec bonorum meritis meliorari, nec malorum perversitate possunt deteriorari, 142. Non possunt administrari a popularibus justis, sed tantum a sacerdotibus, 134 Sacramentorum liber, 224. Sacrilegii vocabulum varias habet signi-

EGINHARDI HISTORIA TRANSLATIONIS BB. MARCELLINI ET PETRI. 537
Prologus. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. — Missi ab Eginhardo Romam ad procurandas reliquias. Obtentæ sanctorum Marcellini et Petri. *Ibid.*
CAP. II. — Sacræ reliquiæ per diversa loca delatæ in Michilinstadt, et post varias visiones in Mulinheim, postea Seligenstadt dictam. 543
CAP. III. — Aliquæ reliquiæ sancti Marcellini, olim ablatæ, impetrantur, et ad alia loca transferuntur. Miracula facta. 550
CAP. IV. — Miracula in surdis et mutis, contractis et aliis ægris, Mulinheim patrata. Cervisia in vinum mutata. Cereus ultro accensus. 557
CAP. V. — Alia miracula Mulinheim facta, surdis et mutis, paralyticis et amentibus sanatis. Lumen iter agentibus nocte concessum. Libellus imperatori oblatus. 564
CAP. VI. — Miracula in palatio imperatoris ad reliquias horum sanctorum facta. Cæcitas, contractio, paralysis, febris sublata. 574
CAP. VII. — Miracula Valencenis in Hannonia patrata ad reliquias horum sanctorum. Cæci decem illuminati, alii ægri sanati. 579
CAP. VIII. — Miracula Gandavi, in monasterio S. Bavonis, ad reliquias horum sanctorum. Cæci octo illuminati. Alii ægri adjuti. 583
CAP. IX. — Ad reliquias Trajecti depositas sanati cæci, surdi, muti, contracti, paralytici. 586
CAP. X. — Duo miracula intercessione sanctorum Proti et Hyacinthi, atque sancti Hermetis, in ecclesia sanctorum Marcellini et Petri patrata. 590
EGINHARDI RHYTHMUS DE PASSIONE MARCELLINI ET PETRI. 593
EGINHARDI CHARTÆ. 601
I. — Charta qua Eginhardus, annuente Imma uxore sua, cellam Michelstadt cum appendiciis, retento ejusdem usufructu, monasterio Laureshamensi concedit. *Ibid.*
II. — Descriptio locorum terminorumque villæ Michelstadt ab ipso Eginhardo facta. 602
III. — Charta Eginhardi, monasterii sancti Servatii confessoris abbatis, qua Meginfridum ejusdem monasterii servum, ad sacros ordines electum, solemniter manumittit. 603
IV. — Commutatio mancipiorum inter Eginhardum abbatem et Theodradam monasterii sanctæ Mariæ Argentogilensis abbatissam. 604
V. — Charta Eginhardi, sancti Blandinii Gandensis abbatis, qua Nordberto præstarie concedit quasdam res ad monasterium Blandiniense ab eodem delegatas. 605
VI. —Charta ejusdem argumenti pro Engelhardo. 606
APPENDIX AD EGINHARDI — OPERA, ABBREVIATIO CHRONICÆ. 607

## CLAUDIUS TAURINENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA. 609
PRÆFATIO CLAUDII IN LIBROS INFORMATIONUM LITTERÆ ET SPIRITUS SUPER LEVITICUM, AD THEODEMIRUM ABBATEM. 615
INCIPIT LIBER PRIMUS INFORMATIONUM. 617
D. J. C. Trombelli lectori monitum. 619
XXX QUÆSTIONES SUPER LIBROS REGUM. 623
Incipiunt capitula libri II. 689
Incipit liber II. *Ibid.*
Incipiunt capitula libri III. 721
Incipit liber III. *Ibid.*
Incipiunt capitula libri IV. 741
Incipit liber IV. *Ibid.*
INCIPIT PRÆFATIO CLAUDII EPISCOPI 809
CLAUDII EPISCOPI PRÆFATIO IN CATENAM SUPER SANCTUM MATTHÆUM. 833
Editoris monitum. *Ibid.*
Incipit præfatio. 835
CLAUDII EPISCOPI PRÆFATIO IN COMMENTARIOS SUOS AD EPISTOLAS PAULI APOSTOLI. 837
CLAUDII EPISCOPI PRÆFATIO EXPOSITIONIS IN EPISTOLAM AD EPHESIOS. 839
CLAUDII EPISCOPI ENARRATIO IN EPISTOLAM DIVI PAULI AD GALATAS. 841
AUCTORIS EPISTOLA DEDICATORIA. *Ibid.*
Argumentum Epistolæ divi Pauli ad Galatas. 843
Item aliud argumentum. *Ibid.*
In caput primum exegesis. 844
In caput II. 854
In caput III. 865
In caput IV. 878
In caput V. 890
In caput VI. 903
CLAUDII EPISCOPI EXPOSITIO EPISTOLÆ AD PHILEMONEM.
Monitum editoris. 911
Incipit Expositio. *Ibid.*
CLAUDII EPISCOPI BREVIS CHRONICA. 917
CLAUDII EPISCOPI LOCA QUÆDAM EXCERPTA EX COMMENTARIIS EJUS IN EPISTOLAS SANCTI PAULI. 925
*Qui cum in forma Dei esset.* *Ibid.*
Ex præfatione Commentarii in Epistolam primam ad Corinthios. *Ibid.*
Ex eadem præfatione. *Ibid.*
In Epist. ad Hebr. VII, 17. 926
In Epist. ad Philippenses. *Ibid.*
Retractatio Claudii episcopi de auctoribus explanationum super Epistolam ad Hebræos. *Ibid.*
Elogium sancti Augustini. 927

## LUDOVICUS I, COGNOMENTO PIUS, IMPERATOR AUGUSTUS.

LUDOVICI PII VITA. 927
Prologus. *Ibid.*
Incipit narratio Vitæ. 929
LUDOVICI I, NECNON FILIORUM EJUS DIPLOMATA ECCLESIASTICA, USQUE AD DIVISIONEM IMPERII ANNO DCCCXL. 979
I. — Pro Nobiliacensi monasterio. *Ibid.*
II. — Pro monasterio Cormaricensi. 981
III. — Pro monasterio Gellonensi. 982
IV. — Pro monasterio Duserensi. 983
V. — Pro monasterio sancti Severini Burdegalensi. 984
VI. — Pro ecclesia Cenomanensi. 985
VII. — Pro Anisolensi monasterio. 986
VIII. — Pro Betone episcopo Lingonensi. 987
IX. — Pro Hildegrino Halberstadiensi episcopo. 989
X. — Pro Hildebaldo episcopo Matisconensi. 990
XI. — Pro Wirundo abbate Stabulensi et Malmundariensi. 991
XII. — Pro monasterio Crassensi. 992
XIII. — Pro eodem monasterio. 993
XIV. — Pro Christiano Nemausensi episcopo. 994
XV. — De nundinis sancti Dionysii. 995
XVI. — De nundinis monasterii Dionysiani. 997
XVII. — Pro Majori monasterio. 998
XVIII. — Pro Nefridio archiepiscopo Narbonensi. 999
XIX. — Pro monasterio Ebersheimensi. 1000
XX. — Pro sancti Anthymi Senensis monasterio. 1003
XXI. — Pro monasterio sancti Maximi Trevirensis. 1005
XXII. — Confirmatur commutatio facta inter Petrum abbatem Nonantulanum et Rodulfum rectorem monasterii Brixiani sancti Salvatoris. 1007
XXIII. — Confirmatur Frodoino abbati monasterii Novaliciensis testamentum Abbonis fundatoris, aliaque jura ejusdem monasterii. 1009
XXIV. — Pro ecclesia Viennensi. 1011
XXV. — Pro Hispanis qui in regno Francorum manebant. 1012
XXVI. — Pro monasterio Miciacensi. 1014
XXVII. — Pro ecclesia Viennensi. 1015
XXVIII. — Pro immunitate cœnobii Carrofensis. 1016
XXIX. — Pro monasterio Dervensi. 1017
XXX. — Pro monasterio Gorziensi. 1019
XXXI. — Pro monasterio Anianensi. 1020
XXXII. — Pro Vivariensi ecclesia. *Ibid.*
XXXIII. — Pro monasterio sancti Maxentii. 1021
XXXIV. — Pro monasterio Farfensi. 1022
XXXV. — Pro monasterio Balneolensi. 1024
XXXVI. — Pro monasterio Fontanellensi. 1025
XXXVII. — Pro monasterio Insulæ Barbaræ. 1026
XXXVIII. — Pro monasterio sancti Zenonis Veronensi. 1027
XXXIX. — Pro monasterio Psalmodiensi. 1030
XL. — Pro monasterio montis Olivi, in diœcesi Carcassonensi. 1031
XLI. — Pro ecclesia Viennensi. 1033
XLII. — Pro monasterio Prumiensi. *Ibid.*
XLIII. — Pro Hispanis qui in regno Francorum manebant. 1035
XLIV. — Pro Matisconensi ecclesia. 1036
XLV. — Pro monasterio sancti Hilarii, in diœcesi Carcassonensi. 1037
XLVI. — Pro ecclesia Aurelianensi. 1038
XLVII. — Pro monasterio sancti Germani Autissiodorensis. 1039
XLVIII. — Pro monasterio Cormaricensi. 1040
XLIX. — Pro monasterio sancti Mevenni. 1042
L. — Pro ecclesia Cameracensi. 1044
LI. — Pro monasterio Fossatensi. *Ibid.*

# ORDO RERUM

## QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

*SANCTUS AGOBARDUS EPISCOPUS LUGDUNENSIS.*

Notitia historica. *Col.* 9
Baluzii præfatio editioni suæ Operum sancti Agobardi præfixa. *Ibid.*
Elogia de Agobardo. 13
Papirii Massoni præfatio ad Agobardum. 15
Ejusdem de vita Agobardi ejusque doctrina brevissimæ synopseis. 17
SANCTI AGOBARDI LIBER ADVERSUS FELICEM URGELLENSEM. 29
LIBER DE INSOLENTIA JUDÆORUM. 69
SANCTI AGOBARDI, BERNARDI ET EAOF, EPISCOPORUM, EPISTOLA DE JUDAICIS SUPERSTITIONIBUS. 77
SANCTI AGOBARDI CONSULTATIO DE BAPTISMO JUDAICORUM MANCIPIORUM. 99
SANCTI AGOBARDI EPISTOLA DE CAVENDA SOCIETATE JUDAICA. 107
SANCTI AGOBARDI LIBER ADVERSUS LEGEM GUNDOBADI. 113
SANCTI AGOBARDI LIBER DE PRIVILEGIO ET JURE SACERDOTII. 127
SANCTI AGOBARDI LIBER DE GRANDINE ET TONITRUIS. 147
SANCTI AGOBARDI LIBER ADVERSUS FREDEGISUM. 159
SANCTI AGOBARDI EPISTOLA AD PROCERES PALATII, contra præceptum impium de baptismo judaicorum mancipiorum. 175
SANCTI AGOBARDI EPISTOLA AD BARTHOLOMÆUM EPISCOPUM, de quorumdam illusione signorum. 179
SANCTI AGOBARDI EPISTOLA AD MATFREDUM PROCEREM PALATII, deploratoria de injustitiis. 185
SANCTI AGOBARDI EPISTOLA AD CLERICOS ET MONACHOS LUGDUNENSES, de modo regiminis ecclesiastici. 189
SANCTI AGOBARDI LIBER DE IMAGINIBUS SANCTORUM. 199
SANCTI AGOBARDI LIBER DE DISPENSATIONE ECCLESIASTICARUM RERUM. 227
SANCTI AGOBARDI LIBER DE DIVINIS SENTENTIIS, cum brevissimis adnotationibus contra damnabilem opinionem putantium divini judicii veritatem igne, vel aquis, vel conflictu armorum patefieri. 249
SANCTI AGOBARDI SERMO EXHORTATORIUS AD PLEBEM, de fidei veritate et totius boni institutione. 267
SANCTI AGOBARDI FLEBILIS EPISTOLA, de divisione imperii Francorum inter filios imperatoris. 287
SANCTI AGOBARDI LIBER DE COMPARATIONE REGIMINIS ECCLESIASTICI ET POLITICI, et in quibus ecclesiæ dignitas præfulgeat imperiorum majestati. 291
Epistola Gregorii papæ IV, ad episcopos regni Francorum. 297
SANCTI AGOBARDI LIBER APOLOGETICUS PRO FILIIS LUDOVICI PII IMPER. ADVERSUS PATREM. 307
SANCTI AGOBARDI CHARTULA AD LOTHARIUM AUG. 319
SANCTI AGOBARDI EPISTOLA AD EBBONEM EPISCOPUM RHEMENSEM, de spe et timore. 323
SANCTI AGOBARDI LIBER DE DIVINA PSALMODIA. 325
SANCTI AGOBARDI LIBER DE CORRECTIONE ANTIPHONARII. 329
SANCTI AGOBARDI LIBER ADVERSUS AMALARIUM. 339
SANCTI AGOBARDI CARMINA. 349
I. — Epitaphium Caroli Magni imperatoris. *Ibid.*
II. — De translatione reliquiarum sanctorum martyrum Cypriani, Sperati et Pantaleonis ad urbem Lugdunensem. *Ibid.*

*EGINHARDUS ABBAS.*

Notitia historica. 351
VITA ET CONVERSATIO GLORIOSISSIMI IMP. CAROLI REGIS MAGNI. 355
Monitum in Annales Laurissenses et Eginhardi. *Ibid.*
ANNALES LAURISSENSES ET EGINHARDI. 367
EGINHARDI EPISTOLÆ. 509
Epistola prima. — Ad Ansgisum. *Ibid.*
Epist. II. — Ad Gozbertum abbatem. *Ibid.*
Epist. III. — Ad Amalharium. *Ibid.*
Epist. IV. — Ad Otgarium archiepiscopum. 510
Epist. V. — Ad Jacobum episcopum. *Ibid.*
Epist. VI. — Ad Egilulfum et Humbertum. 511
Epist. VII. — Ad Popponem comitem. *Ibid.*
Epist. VIII. — Ad Otgarium archiepiscopum. 512
Epist. IX. — Ad Geboinum palatii comitem. *Ibid.*
Epist. X. — Ad Hetti archiepiscopum. *Ibid.*
Epist. XI. — Ad Hruotbertum comitem. 513
Epist. XII. — Ad Luithardum presbyterum et Erembertum vicedominum. *Ibid.*
Epist. XIII. — Ad Popponem comitem. *Ibid.*
Epist. XIV. — Ad Gerwardum bibliothecarium. 514
Epist. XV. — In persona Bomæ ad Blidthrut. *Ibid.*
Epist. XVI. — Ad Hattonem comitem. 515
Epist. XVII. — Ad Hrabanum abbatem. *Ibid.*
Epist. XVIII. — Ad Marchradum vicedominum. *Ibid.*
Epist. XIX. — In persona Hludowici imp. ad G. comitem. *Ibid.*
Epist. XX. — In persona Hludowici imp. ad H. ejus fidelem. 516
Epist. XXI. — In persona Hludowici imp. ad T. ejus fidelem. *Ibid.*
Epist. XXII. — Ad A. Missum dominicum. *Ibid.*
Epist. XXIII. — Ad vicedominum suum. 517
Epist. XXIV. — Ad quemdam ministrum suum. *Ibid.*
Epist. XXV. — Ad N. episcopum. *Ibid.*
Epist. XXVI. — Ad amicum suum U. 518
Epist. XXVII. — Ad N. comitem. *Ibid.*
Epist. XXVIII. — Ad N. comitem. *Ibid.*
Epist. XXIX. — Ad N. sacerdotem. 519
Epist. XXX. — Ad Vussinum filium suum. *Ibid.*
Epist. XXXI. — Ad N. episcopum. 520
Epist. XXXII. — Ad Amicum. *Ibid.*
Epist. XXXIII. — Ad N. comitem et N. judicem, missos dominicos.
Epist. XXXIV. — Ad Lotharium imperii consortem. 522
Epist. XXXV. — Ad N. abbatem. 523
Epist. XXXVI. — Ad amicum. *Ibid.*
Epist. XXXVII. — Ad N. vicedominum suum. 524
Epist. XXXVIII. — Ad fratrem N. *Ibid.*
Epist. XXXIX. — Ad Emeritanos in persona Hludowici imperatoris. *Ibid.*
Epist. XL. — Ad imperatricem. 525
Epist. XLI. — Ad amicum. 526
Epist. XLII. — Ad Hludowicum imperatorem. 527
Epist. XLIII. — Ad N. episcopum. *Ibid.*
Epist. XLIV. — Ad. E. amicum suum. *Ibid.*
Epist. XLV. — Ad G. comitem. 528
Epist. XLVI. — Ad abbatem. *Ibid.*
Epist. XLVII. — Ad amicum. 529
Epist. XLVIII. — Ad N. episcopum. *Ibid.*
Epist. XLIX. — Ad N. optimatem, amicum suum. *Ibid.*
Epist. L. — Ad Hlotarium. 530
Epist. LI. — Ad eumdem. *Ibid.*
Epist. LII. — Ad N. presbyterum et vicedominum. 531
Epist. LIII. — Ad quemdam fidelem suum. *Ibid.*
Epist. LIV. — Ad N. abbatem. *Ibid.*
Epist. LV. — Ad N. episcopum. 532
Epist. LVI. — Ad imperatorem. *Ibid.*
Epist. LVII. — Ad N. comitem. *Ibid.*
Epist. LVIII. — Ad N. episcopum. 533
Epist. LIX. — Ad præcipuum imperatricis capellanum. *Ibid.*
Epist. LX. — Ad M. illustrem dominum. *Ibid.*
Epist. LXI. — Ad eumdem. 534
Epist. LXII. — Ad Hlotarium. *Ibid.*
Epist. LXIII. — Ad Lupum amicum suum. 535

EGINHARDI HISTORIA TRANSLATIONIS BB. MARCELLINI ET PETRI. 537
Prologus. Ibid.
CAPUT PRIMUM. — Missi ab Eginhardo Romam ad procurandas reliquias. Obtentæ sanctorum Marcellini et Petri. Ibid.
CAP. II. — Sacræ reliquiæ per diversa loca delatæ in Michilinstadt, et post varias visiones in Mulinheim, postea Seligenstadt dictam. 543
CAP. III. — Aliquæ reliquiæ sancti Marcellini, olim ablatæ, impetrantur, et ad alia loca transferuntur. Miracula facta. 550
CAP. IV. — Miracula in surdis et mutis, contractis et aliis ægris, Mulinheim patrata. Cervisia in vinum mutata. Cereus ultro accensus. 557
CAP. V. — Alia miracula Mulinheim facta, surdis et mutis, paralyticis et amentibus sanatis. Lumen iter agentibus nocte concessum. Libellus imperatori oblatus. 564
CAP. VI. — Miracula in palatio imperatoris ad reliquias horum sanctorum facta. Cæcitas, contractio, paralysis, febris sublata. 574
CAP. VII. — Miracula Valencenis in Hannonia patrata ad reliquias horum sanctorum. Cæci decem illuminati, alii ægri sanati. 579
CAP. VIII. — Miracula Gandavi, in monasterio S. Bavonis, ad reliquias horum sanctorum. Cæci octo illuminati. Alii ægri adjuti. 583
CAP. IX. — Ad reliquias Trajecti depositas sanati cæci, surdi, muti, contracti, paralytici. 586
CAP. X. — Duo miracula intercessione sanctorum Proti et Hyacinthi, atque sancti Hermetis, in ecclesia sanctorum Marcellini et Petri patrata. 590
EGINHARDI RHYTHMUS DE PASSIONE MARCELLINI ET PETRI. 593
EGINHARDI CHARTÆ. 601
I. — Charta qua Eginhardus, annuente Imma uxore sua, cellam Mihelstadt cum appendiciis, retento ejusdem usufructu, monasterio Laureshamensi concedit. Ibid.
II. — Descriptio locorum terminorumque villæ Michelstadt ab ipso Eginhardo facta. 602
III. — Charta Eginhardi, monasterii sancti Servatii confessoris abbatis, qua Megiulridum ejusdem monasterii servum, ad sacros ordines electum, solemniter manumittit. 603
IV. — Commutatio mancipiorum inter Eginhardum abbatem et Theodradam monasterii sanctæ Mariæ Argentogilensis abbatissam. 604
V. — Charta Eginhardi, sancti Blandinii Gandensis abbatis, qua Nordberto præstarie concedit quasdam res ad monasterium Blandiniense ab eodem delegatas. 605
VI. — Charta ejusdem argumenti pro Engelhardo. 606
APPENDIX AD EGINHARDI — OPERA, ABBREVIATIO CHRONICÆ. 607

## *CLAUDIUS TAURINENSIS EPISCOPUS.*

NOTITIA HISTORICA. 609
PRÆFATIO CLAUDII IN LIBROS INFORMATIONUM LITTERÆ ET SPIRITUS SUPER LEVITICUM, AD THEODEMIRUM ABBATEM. 615
INCIPIT LIBER PRIMUS INFORMATIONUM. 617
D. J. C. Trombelli lectori monitum. 619
XXX QUÆSTIONES SUPER LIBROS REGUM. 623
Incipiunt capitula libri II. 689
Incipit liber II. Ibid.
Incipiunt capitula libri III. 721
Incipit liber III. Ibid.
Incipiunt capitula libri IV. 741
Incipit liber IV. Ibid.
INCIPIT PRÆFATIO CLAUDII EPISCOPI 809
CLAUDII EPISCOPI PRÆFATIO IN CATENAM SUPER SANCTUM MATTHÆUM. 833
Editoris monitum. Ibid.
Incipit præfatio. 835
CLAUDII EPISCOPI PRÆFATIO IN COMMENTARIOS SUOS AD EPISTOLAS PAULI APOSTOLI. 837
CLAUDII EPISCOPI PRÆFATIO EXPOSITIONIS IN EPISTOLAM AD EPHESIOS. 839
CLAUDII EPISCOPI ENARRATIO IN EPISTOLAM DIVI PAULI AD GALATAS. 841
AUCTORIS EPISTOLA DEDICATORIA. Ibid.
Argumentum Epistolæ divi Pauli ad Galatas. 843
Item aliud argumentum. Ibid.
In caput primum exegesis. 844
In caput II. 854
In caput III. 865
In caput IV. 878
In caput V. 890
In caput VI. 903
CLAUDII EPISCOPI EXPOSITIO EPISTOLÆ AD PHILEMONEM. 
Monitum editoris. 911
Incipit Expositio. Ibid.
CLAUDII EPISCOPI BREVIS CHRONICA. 917
CLAUDII EPISCOPI LOCA QUÆDAM EXCERPTA EX COMMENTARIIS EJUS IN EPISTOLAS SANCTI PAULI. 925
*Qui cum in forma Dei esset.* Ibid.
Ex præfatione Commentarii in Epistolam primam ad Corinthios. Ibid.
Ex eadem præfatione. Ibid.
In Epist. ad Hebr. VII, 17. 926
In Epist. ad Philippenses. Ibid.
Retractatio Claudii episcopi de auctoribus explanationum super Epistolam ad Hebræos. Ibid.
Elogium sancti Augustini. 927

## *LUDOVICUS I, COGNOMENTO PIUS, IMPERATOR AUGUSTUS.*

LUDOVICI PII VITA. 927
Prologus. Ibid.
Incipit narratio Vitæ. 929
LUDOVICI I, NECNON FILIORUM EJUS DIPLOMATA ECCLESIASTICA, USQUE AD DIVISIONEM IMPERII ANNO DCCCXL. 979
I. — Pro Nobiliacensi monasterio. Ibid.
II. — Pro monasterio Cormaricensi. 981
III. — Pro monasterio Gellonensi. 982
IV. — Pro monasterio Duserensi. 983
V. — Pro monasterio sancti Severini Burdegalensi. 984
VI. — Pro ecclesia Cenomanensi. 985
VII. — Pro Anisolensi monasterio. 986
VIII. — Pro Betone episcopo Lingonensi. 987
IX. — Pro Hildegrino Halberstadiensi episcopo. 989
X. — Pro Hildebaldo episcopo Matisconensi. 990
XI. — Pro Wirundo abbate Stabulensi et Malmundariensi. 991
XII. — Pro monasterio Crassensi. 992
XIII. — Pro eodem monasterio. 993
XIV. — Pro Christiano Nemausensi episcopo. 994
XV. — De nundinis sancti Dionysii. 995
XVI. — De nundinis monasterii Dionysiani. 997
XVII. — Pro Majori monasterio. 998
XVIII. — Pro Nefridio archiepiscopo Narbonensi. 999
XIX. — Pro monasterio Ebersheimensi. 1000
XX. — Pro sancti Authyni Senensis monasterio. 1003
XXI. — Pro monasterio sancti Maximi Trevirensi. 1005
XXII. — Confirmatur commutatio facta inter Petrum abbatem Nonantulanum et Rodulfum rectorem monasterii Brixiani sancti Salvatoris. 1007
XXIII. — Confirmatur Frodoino abbati monasterii Novaliciensis testamentum Abbonis fundatoris, aliaque jura ejusdem monasterii. 1009
XXIV. — Pro ecclesia Viennensi. 1011
XXV. — Pro Hispanis qui in regno Francorum manebant. 1012
XXVI. — Pro monasterio Miciacensi. 1014
XXVII. — Pro ecclesia Viennensi. 1015
XXVIII. — Pro immunitate cœnobii Carrofensis. 1016
XXIX. — Pro monasterio Dervensi. 1017
XXX. — Pro monasterio Gorziensi. 1019
XXXI. — Pro monasterio Anianensi. 1020
XXXII. — Pro Vivariensi ecclesia. Ibid.
XXXIII. — Pro monasterio sancti Maxentii. 1021
XXXIV. — Pro monasterio Farfensi. 1022
XXXV. — Pro monasterio Balneolensi. 1024
XXXVI. — Pro monasterio Fontanellensi. 1025
XXXVII. — Pro monasterio Insulæ Barbaræ. 1026
XXXVIII. — Pro monasterio sancti Zenonis Veronensi. 1027
XXXIX. — Pro monasterio Psalmodiensi. 1030
XL. — Pro monasterio montis Olivi, in diœcesi Carcassonensi. 1031
XLI. — Pro ecclesia Viennensi. 1032
XLII. — Pro monasterio Prumiensi. Ibid.
XLIII. — Pro Hispanis qui in regno Francorum manebant. 1035
XLIV. — Pro Matisconensi ecclesia. 1036
XLV. — Pro monasterio sancti Hilarii, in diœcesi Carcassonensi. 1037
XLVI. — Pro ecclesia Aurelianensi. 1038
XLVII. — Pro monasterio sancti Germani Antissiodorensis. 1039
XLVIII. — Pro monasterio Cormaricensi. 1040
XLIX. — Pro monasterio sancti Mevenni. 1042
L. — Pro ecclesia Cameracensi. 1044
LI. — Pro monasterio Fossatensi. Ibid.

LII. — Pro monasterio Bodonis, sive Bon-Moutier. 1046
LIII. — Pro monasterio Ammiatino. 1047
LIV. — Roboratur pactum inter episcopum Constantiensem ac monasterium sancti Galli initum. 1048
LV. — Pro monasterio Morbacensi. 1049
LVI. — Pro eodem monasterio. 1051
LVII. — Pro Fossatensi cœnobio. *Ibid.*
LVIII. — Pro Andegavensi sancti Mauricii ecclesia. 1052
LIX. — Pro ecclesia Trevirensi. 1054
LX. — Pro monasterio Fuldensi. 1056
LXI. — Pro ecclesia Rhemensi. 1057
LXII. — Pro Prumiensi monasterio. 1058
LXIII. — Pro monasterio Soriciniensi. 1059
LXIV. — Pro canonicis ecclesiæ sancti Stephani Lemovicensis. 1061
LXV. — Pro Lemovicensi sancti Stephani ecclesia. 1062
LXVI. — Pro Crudatensi monasterio. 1063
LXVII. — Pro monasterio Solemniacensi. 1064
LXVIII. — Pro monasterio sancti Germani a Pratis. 1065
LXIX. — Pro Turonensi sancti Martini ecclesia. 1067
LXX. — Pro sancti Martini Turonensi ecclesia. 1069
LXXI. — Pro monasterio Tornacensi. 1070
LXXII. — Pro ecclesia Rhemensi. 1071
LXXIII. — Pro ecclesia Argentinensi. 1073
LXXIV. — Pro monasterio sancti Galli. 1075
LXXV. — Pro eodem monasterio. 1076
LXXVI. — Pro eodem monasterio. 1077
LXXVII. — Pro monasterio Floriacensi. 1078
LXXVIII. — Pro eodem monasterio. 1080
LXXIX. — Pro monasterio Maguilocensi *Ibid.*
LXXX. — Pro Lothario imperii consorte. 1082
LXXXI. — Pro abbatia Aprimonasteriensi. *Ibid.*
LXXXII. — Pro monasterio Comensi. 1087
LXXXIII. — Pro Magalonensi sancti Petri ecclesia. 1088
LXXXIV. — Pro monasterio Deensi. 1089
LXXXV. — Pro monasterio Conchensi in diœcesi Ruthenensi. 1090
LXXXVI. — Pro monasterio sancti Bavonis Gandensis. 1092
LXXXVII. — Pro parthenone Buchaviensi. 1093
LXXXVIII. — Pro monasterio Gravensi. 1095
LXXXIX. — Pro monasterio Farfensi. 1097
XC. — Pro monasterio Arulensi in diœcesi Helenensi. *Ibid.*
XCI. — Pro monasterio Prumiensi. 1098
XCII. — Pro ecclesia Parisiensi. 1100
XCIII. — Pro ecclesia Parisiensi. 1102
XCIV. — Pro monasterio Nonantulano. 1103
XCV. — Pro monasterio Indensi. 1105
XCVI. — Pro monasterio Buchariensi. 1106
XCVII. — Pro monasterio Hornbacensi. 1107
XCVIII. — Pro monasterio sancti Galli. 1108
XCIX. — Pro Bituricensi sancti Sulpitii monasterio. 1109
C. — Pro monasterio Fuldensi. 1110
CI. — Pro monasteriis in urbe Senonensi. 1111
CII. — Pro monasterio Elnonensi. 1113
CIII. — Pro monasterio sanctæ Christianæ. 1115
CIV. — Pro ecclesia sancti Victoris Massiliensis. 1116
CV. — Pro monasterio sancti Amandi. 1117
CVI. — Pro Mutinensi episcopo. 1118
CVII. — Pro monasterio Prumiensi. 1120
CVIII. — Pro eodem monasterio. 1122
CIX. — Confirmatur commutatio facta inter Bernoldum episcopum Argentinensem et Erchangarium comitem Nordgoviæ. 1123
CX. — Pro monasterio sanctæ Gratiæ in diœcesi Urgelensi. 1125
CXI. — Pro Masonis monasterio. 1126
CXII. — Pro monasterio Corbeiæ Novæ. 1128
CXIII. — Pro monasterio Corbeiensi in Saxonia. 1129
CXIV. — Pro monasterio Trajectensi. 1131
CXV. — Pro Glonnensi sancti Florentii monasterio. 1132
CXVI. — Pro monasterio Farfensi. 1134
CXVII. — Pro monasterio sancti Medardi. 1135
CXVIII. — Privilegium Lotharii pro monasterio Comensi. 1136
CXIX. — Privilegium Lotharii pro eodem monasterio 1137
CXX. — De quadam commutatione inter Leibulfum comitem et Notonem archiepiscopum Arelatensem. 1139
CXXI. — Pro monasterio Dionysiano. 1141
CXXII. — Monasterium Argentoliense cœnobio Dionysiano restituitur. 1142
CXXIII. — Pro ecclesia Rhemensi. 1144
CXXIV. — Pro Miciacensi sancti Maximini monasterio. 1145
CXXV. — Pro Alboino abbate Anisolensi. 1146
CXXVI. — De villa Cluniaco. 1147
CXXVII. — Ludovici et Lotharii imp. donatio facta Richbodoni abbati Senoniensi. 1149
CXXVIII. — Ludovici præceptum pro ecclesia Brivatensi. *Ibid.*
CXXIX. — Pro monasterio Corbeiæ Novæ. 1150
CXXX. — Privilegium Lotharii pro monasterio Novaliciensi. 1151
CXXXI. — Pro Victore Curiensi episcopo. 1154
CXXXII. — Pro monasterio Anianensi. 1155
CXXXIII. — Pro monasterio Gregoriano. 1157
CXXXIV. — Præceptum Ludovici et Lotharii pro monasterio Prumiensi. 1158
CXXXV. — Pro monasterio sancti Maxentii. 1160
CXXXVI. — Lotharius Aug. monasterio Nonantulano multa bona confert. 1161
CXXXVII. — Pro monasterio Dervensi. 1162
CXXXVIII. — Pro eodem monasterio. 1164
CXXXIX. — Pro Miciacensi sancti Maximini monasterio. 1165
CXL. — Pro monasterio Schwartzacensi. 1169
CXLI. — Pro restauratione ecclesiæ sancti Benigni in urbe Divionis. 1171
CXLII. — Pro Burdigalensi sancti Andreæ ecclesia. *Ibid.*
CXLIII. — Pro monasterio Eremifanensi. 1173
CXLIV. — Pro monasterio sancti Galli. 1174
CXLV. — Pro monasterio Sangermanensi. 1175
CXLVI. — Pro monasterio Farfensi. 1177
CXLVII. — Pro Flodegario Andegavensi episcopo. 1178
CXLVIII. — Pro monasterio sancti Andreæ Juredensis in diœcesi Helenensi. 1179
CXLIX. — Pro monasterio Ebersheimensi. 1180
CL. — Pro monasterio Centulensi, sive sancti Richarii. 1182
CLI. — Pro Herensi sancti Philiberti monasterio. 1183
CLII. — Pro monasterio Besuensi. 1186
CLIII. — Pro Carrofensi monasterio apud Pictones. 1188
CLIV. — Pro eodem monasterio. *Ibid.*
CLV. — Pro parthenone sanctæ Mariæ Forojuliensi. 1190
CLVI. — Pro monasterio Sithiensi. *Ibid.*
CLVII. — Pro monasterio Prumiensi. 1192
CLVIII. — Pro cella de Barisiaco monasterio Elnonensi subjecta in diœcesi Laudunensi. 1193
CLIX. — Pro monasterio sancti Andreæ Viennensis. 1194
CLX. — Pro monasterio Cormaricensi. 1195
CLXI. — Pro Epiphanio abbate monasterii Vincentii de Vulturno. 1196
CLXII. — Pro ecclesia Argentinensi. 1197
CLXIII. — Pro monasterio Fabariensi. 1199
CLXIV. — Pro Turonensi sancti Martini ecclesia. 1201
CLXV. — Pro Victore episcopo Curiensi ejusque ecclesia. 1202
CLXVI. — De vico qui dicitur Epaonis in diœcesi Viennensi. 1203
CLXVII. — Pro Dervensi monasterio. 1204
CLXVIII. — Pro monasterio Corbeiæ Novæ. 1205
CLXIX. — Pro reformatione monasterii sancti Dionysii. 1206
CLXX. — Pro partitione bonorum monasterii sancti Dionysii. 1211
CLXXI. — Pro monasterio sancti Martini Turonensis. 1214
CLXXII. — Pro Majori monasterio. 1215
CLXXIII. — Pro abbatia sancti Vincentii apud Cenomanos. 1217
CLXXIV. — Pro eadem abbatia. 1218
CLXXV. — Pro eadem abbatia. 1219
CLXXVI. — Diploma Lotharii pro monasterio Veronensi. 1223
CLXXVII. — Pro monasterio San Dionysiano. 1224
CLXXVIII. — Pro Senonensi sancti Columbæ monasterio. 1227
CLXXIX. — Pro monasterio Corbeiæ Novæ. 1228
CLXXX. — Pro eodem monasterio. 1229
CLXXXI. — Cœnobium Glannafoliense Fossatensi subjicitur. 1230

CLXXXII. — Lotharii præceptum pro ecclesia Aretina. 1232
CLXXXIII. — Pro episcopo Aretino. 1233
CLXXXIV. — Pro monasterio Veronensi sancti Zenonis. 1238
CLXXXV. — Pro monasterio sanctimonialium Ticinensium Dodosi. 1240
CLXXXVI. — Pro Maxentio patriarcha Aquileiensi. *Ibid.*
CLXXXVII. — Præceptum Ludovici Germanici pro Gosberto abbate sancti Galli. 1242
CLXXXVIII. — Pro monasterio Corbeiæ Novæ. 1244
CLXXXIX. — Pro eodem monasterio. 1245
CXC. — Pro ecclesia Gerundensi. 1246
CXCI. — Pro monasterio Campidonensi. 1248
CXCII. — Pro monasterio Prumiensi. *Ibid.*
CXCIII. — Pro Alberico Lingonensi episcopo. 1249
CXCIV. — Pro Rotonensi sancti Salvatoris monasterio. 1251
CXCV. — Pro Duserensi monasterio. 1252
CXCVI. — Pro monasterio Prumiensi. 1254
CXCVII. — Pro ecclesia Cenomanensi. 1255
CXCVIII. — Pro eadem ecclesia. 1256
CXCIX. — Pro eadem ecclesia. 1257
CC. — Pro monasterio Autissiodorensi. 1260
CCI. — Pro Cabilonensi sancti Marcelli ecclesia. 1261
CCII. — Pro monasterio Sithiensi. 1263
CCIII. — Pro cœnobio Floriacensi. 1264
CCIV. — Pro monasterio Prumiensi. 1265
CCV. — Pro Aldrico Senonensi archiepiscopo et abbatia sancti Remigii. 1267
CCVI. — Lotharii præceptum pro monasterio sancti Ambrosii Mediolanensis. 1268
CCVII. — Pro clericis diœcesis Cremonensis. 1270
CCVIII. — Pro ecclesia Helenensi. *Ibid.*
CCIX. — Ludovici Pii diploma pro ecclesia Cenomanensi. 1272
CCX. — Pro eadem ecclesia. 1273
CCXI. — Pro eadem ecclesia. 1274
CCXII. — Pro eadem ecclesia. 1275
CCXIII. — Pro Aldrico Cenomanensi episcopo. 1277
CCXIV. — Pro monasterio sancti Carilephi. 1278
CCXV. — Villa Lugdunum datur ecclesiæ Cenomanicæ. 1279
CCXVI. — Pro Senonensi sancti Columbæ monasterio. 1280
CCXVII. — Pro Rotonensi sancti Salvatoris monasterio. 1282
CCXVIII. — Pro Verendario Curiensi episcopo. *Ibid.*
CCXIX. — Pro monasterio Longevillano. 1283
CCXX. — Pro monasterio Hohenburgensi. 1285
CCXXI. — Pro abbatia Hohenburgensi. 1287
CCXXII. — Pro monasterio Nonantulano. 1289
CCXXIII. — Notitia de monasterio sancti Carilephi in generali synodo in Carisiaco palatio regio facta ab Aldrico episcopo per judicium episcoporum accepta, sicut in ea continetur insertum. 1290
CCXXIV. — Pro ecclesia Cenomanicæ urbis et Aldrico ejus episcopo. 1293
CCXXV. — Pro eadem ecclesia. 1294
CCXXVI. — Pro eadem ecclesia. 1295
CCXXVII. — Pro Aldrico episcopo. 1297
CCXXVIII. — Pro ecclesia Cenomanica. 1298
CCXXIX. — Concambium a Tattone abbate Campidonensi cum Waniago comite initum confirmatur. 1300
CCXXX. — Pro monasterio Cormeriacensi. 1301
CCXXXI. — Confirmatur commutatio quorumdam prædiorum inter Hilduinum abbatem Dionysianum et Ermentrudem abbatissam Jotrensem. 1302
CCXXXII. — Pro abbatia Campidonensi. 1304
CCXXXIII. — Pro monasterio Campidonensi. 1305
CCXXXIV. — Pro monasterio Deensi. *Ibid.*
CCXXXV. — Pro Asia abbatissa. 1307
CCXXXVI. — Diploma Lotharii imp. pro monasterio Lucernensi 1308
LUDOVICI PII EPISTOLÆ. 1309
Epistola prima. Ludovici ad Magnum archiepiscopum Senonensem. — Mittit exemplum regulæ canonicorum decretæ in concilio Aquisgranensi. 1309
Epist. II. Ludovici ad monachos Anianenses. 1312
Epist. III Michaelis et Theophili filii Orientis imperatorum ad Ludovicum Pium. 1314
Epist. IV. Ludovici ad Baduradum Paderbornensem episcopum. — In gratiam monasterii Corbeiensis in Saxonia. 1315
Epist. V. Episcopi in conventu Parisiensi congregati ad Ludovicum Pium et Lotharium, de cultu imaginum. *Ibid.*
Epist. VI. Ludovici ad Hieremiam Senonensem et Jonam Aurelianensem episcopum. — Commonitorium ipsis datum cum legati Romam irent ad Eugenium II papam in causa imaginum. *Ibid.*
Epist. VII. Ludovici ad Eugenium II papam. — Missa per Hieremiam et Jonam episcopos, cum actis synodi Parisiensis. 1317
Epist. VIII. Epistola generaliter populo Dei legenda. — De convocatione quatuor conciliorum. 1319
Epist. IX. Epistola Cæsarea generaliter populo Dei legenda. — Quam Ludovicus Pius imperator ex placito Aquisgranensi misit de conciliis episcoporum in quatuor imperii partibus congregandis. 1322
Epist. X. Episcopi in synodo Parisiensi anno 829 congregati ad Ludovicum et Lotharium imperatores. 1324
Epist. XI. Ludovici ad Aldricum episcopum Cenomanensem. — De quibusdam rebus alienatis ejus ecclesiæ. 1326
Epist. XII. Ludovici ad Hilduinum abbatem sancti Dionysii. — De colligendis in unum corpus iis quæ in Græcorum historiis de sancto Dionysio passim scripta repererat. *Ibid.*
Epist. XIII. Hilduini abbatis sancti Dionysii ad Ludovicum Pium. — Quæcunque memoria librique præ manibus habiti suppeditarunt de sancto Dionysiano, simul collecta transmittit. 1328
Epist. XIV. Ludovici Pii Jonæ Aurelianensi episcopo. — De monasterio Anisolensi. 1330
Epist. XV. — Ejusdem eidem. *Ibid.*
Index in sanctum Agobardum. 1331

FINIS TOMI CENTESIMI QUARTI.

Parisiis. — Ex Typis J.-P. MIGNE.

THIS VOLUME
DOES NOT CIRCULATE
OUTSIDE THE LIBRARY